Digitized by Google

10
8 HF
5

...ed by Google

Digitized by Google

R. P. ANDREÆ

MENDO

BVLLÆ SANCTÆ CRVCIATÆ ELVCIDATIO

Digitized by Google

R. P. ANDREÆ
MENDO
LVCRONENSIS, E SOC. IESV
in Provincia Caſtellanâ,

REGIS CONCIONATORIS, SVPREMI SENATVS FIDEI Cenſoris, olim Salmanticæ Theologiæ Scholaſticæ Profeſſoris, ac Sacræ Scripturæ Interpretis, eiuſque Diœceſis Examinatoris Synodalis,


BVLLÆ S. CRVCIATÆ ELVCIDATIO;

VBI BVLLA COMMVNIS VIVORVM, LACTICINIORVM pro Eccleſiaſticis, Compoſitionis, & Defunctorum: Necnon Facultates Commiſſarij Generalis Cruciatæ exponuntur.

OPVS ET CONFESSARIIS, ET IVRISPRVDENTIBVS PERVTILE, in quo ad omnes ferè materias Morales fundamenta, & reſolutiones traduntur,

Cum duplici Indice, altero Diſputationum, & Capitum; altero Rerum.

Editio altera plurimis Quæſtionibus, & Diſcuſſionibus adaucta.




LVGDVNI,
Sumptibus HORATII BOISSAT, & GEORGII REMEVS.

M. DC. LXIX.

Cum Approbatione, & Permiſſu Superiorum.

Digitized by Google



EMINENTISS. D. DON IACOBO ROSPILLIOSI, S. R. E. CARDINALI.

CVM primùm (EMINENTISSIME DOMINE) *hoc Opus in lucem edidi, Tibi ſacraui; & cum ſecundò prodit in publicum, ad eundem confugit Mæcenatem: vt qui tunc placido vultu excepit nunc foueat, depoſita maieſtate, benignus. Experimentum, quo didici Tuam humanitatem, ruborem frontis expellit, vt his reuerentiæ ſignis patrocinium iterum ambiam, quod omine fauſto ſemel obtinui. Apertiori iam fronte poſſum Tuis pedibus hunc Tomum aduoluere, qui à ſecunda manu magis correctus, expolitus, & additus, votis, quibus expectatur, indulget; nec enim à prima editione vllus venalis ſuperfuit. Exiguum fateor obſequium, ſed non aliud datur parari, vt per illud reſpiret vtrumque animus Tuis beneficiis adeò obæratus, vt ſe Tibi æternum profiteatur multiplici nomine deuinctum. Excipies, qua ſoles beneuolentia, id venerationis ſymbolum, quod vltrò tuum ſinum quærit, velut doctrinæ, atque ſapientiæ ſacrarium; inde amat foueri, inde illuſtrari, inde, ſi quem plauſum priùs comparauerat, adaugeri. Annues votis, qui indole ad fauendum nata nunquam rigido ſupercilio damnabis quod humilis, ac gratus tibi dicarit affectus. Nec id dumtaxàt exopto, vt Opus improba fatigatione elaboratum Tuo præſidio munias, ſed vt quæ ſunt conſona, probes: quæ ſecùs, emendes. Quis enim id rectiùs præſtare valeat, quàm in litterarum ſtudiis innutritus? Gloriatur Salmantina celeberrima toto orbe Academia, ſe Tua olim nobilitatam fuiſſe præſentia: & quæ Tuum ingenium, eruditionem, ad præclaros in vtroque Iure progreſſus geminatis acclamationibus eſt proſecuta, nunc vſque ad miraculum, & oraculum excreuiſſe, ſibi meritò*

Digitized by Google

plaudit. Id teſtatur Romana Curia, id pleraque Prouinciæ, id Belgium, vbi (Statius in Epiced. Patricij.) *Nuntij Apoſtolici Munus egiſti, & expleuiſti:* Omnia namque animo complexus, & omnibus author: *tum in ſtrepitu forenſi, tum in eccleſiaſtico gubernaculo, & politicis negotiis ſtrenuus, vigilans, & omniſcius. Omnibus beneficus* (Dio Caſſius lib. 2.) *communem erga Te amorem conciliaſti, Dionis Caſſij inhærens profato;* Statuas tibi neque aureas, neque argenteas fieri vnquam ſine; benefaciendo, tibi ſtatuas in ipſis hominum animis nulli interitui obnoxias effice. *Equidem vbicumque pedem fixiſti, has tibi ſtatuas comparaſti. Hinc à tuo aſpectu diuelli ægrè Belgæ tulerunt: nec mirum, ſi ſuam fœlicitatem tuo cum patrocinio coniunctam eſſe putabant. Sedem mutare es coactus, cum Patruus Tuus, nunc cunctorum Fidelium Pater, ad ſupremum Eccleſiæ faſtigium Dominus noſter Clemens Nonus fuit euectus. O quot votis, quot ſuſpiriis fuit ab omnibus, & præcipuè ab Hiſpania noſtra in Pontificem ſummum auguratus? Qua gratulatione, quo gaudio, quibus plauſibus nuntium de aſſumptione, & coronatione ſuſceptum? Nauis profectò vniuerſalis Eccleſiæ ſub Palinuro adeo inſomni tutò nauigabit. Aſſumptus es* (EMINENTISSIME DOMINE) *in curarum leuamen, atque vt fauſta quæuis eueniant, in te labores ſuſcipis, quibus vix ſuffecerint robuſtiſſimæ vires, ne ſolus eam ſibi gloriam Iuſtinianus Imperator adſcribat,* (Iuſtinianus in præfat. Nouel. 8.) ſe noctes ducere inſomnes, vt poſteris quietem præparet. *Quid vltra iam poſſit de Te magnum excogitari? Etenim dum ad animi nobilitatem in dies augendam, & excolendam per omnes virtutum artes intendis, clariſſimum Excellentiſſimæ Tuæ Familiæ iubar adauges. Quantus autem eius perennis ſit fulgor: quàm annoſa inſignium Heroum progenies: quot indè Marte, & toga eximij viri prodierint: quot Italiæ familias illuſtriſſimas per alterna connubia decorauerint: nullus ignorat, qui aliquid norit; cum Annales, Hiſtorias, Volumina, & memoriam hominum ea omnia repleant. Iam verò ad apicem faſtigij Tuam familiam euexit Sanctiſſimi Domini noſtri ad Summum Pontificatum aſſumptio. Verùm & Te ſolo ab ea progenito valeret profectò gloriari cum Tu vnus eam* (Ennod. in Vit. Antonij.) *poſſis reddere celeberrimam. At Ennodius Tecum loquitur;* Qui quamuis de ſplendore natalium conſcientiæ iubar hauſeris, tamen fulgorem ſtirpis præcipuè morum radiis obumbraſti, vincens decorem ſanguinis ingenij claritate dum coruſcantem germinis tui laudem actuum ſerenitate tranſcendis, & factus es ſtemmatis victor tui, per quod pleroſque mortalium ſuperaſti. *Sed ne tuam modeſtiam fatigem, id dumtaxàt repetere liceat, vt huic mei Officij ſtudio, quod Tuum iam eſſe cœpit, placidam vmbram impendas. Facies* (Hildebertus Epiſcopus, epiſt. 16.) *ſanè; nam is eris, qui eſſe ſoles. Epiſtolam nunc verbis Hildeberti claudo;* Quòd ſi nec pondere, nec ingenio placet artificis munus; non aliter tamen illud amplectere, quam ſuperi vel thura vel pinguium libamina victimarum; illi ſiquidem non hoſtiam, ſed affectum conſiderant, eorumque gratiam deuotio, non impenſa, promeretur. Purus, & integer animus quocumque vult, inclinat, nec minùs quadrante, quàm talento cœleſtem mitigat indignationem. *Id Deum precor, vt publico Eccleſiæ bono, longùm, & niſi vota excederent modum, Te ſoſpitet æternùm. Barcinone die octaua Ianuarij, anno* 1668.

EMINENTISSIME DOMINE,

Veſtræ Eminentiæ ſeruus humillimus, & addictiſſimus

ANDREAS MENDO.

SE



SECVNDÆ EDITIONIS HVIVS OPERIS

Fœlix Auſpicium.

ANTEQVAM hoc Opus ſecundò ederetur in lucem, pro munere, pro debito, pro obſequio, ex Vrbe Salmantina litteras miſi ad Illuſtriſſimum Dominum Don Petrum Pacheco, tunc Commiſſarium Generalem Cruciatæ, Senatuſque Regij ipſius Cruciatæ Præſidem, ab Apoſtolica Sede Iudicem gratiarum deſignatum, Interpretemque conſtitutum quorumcumque dubiorũ circa ipſam Bullam Cruciatæ emergentium, cum facultate decidendi ea authoritatiuè plurimiſque facultatibus pollentem, quæ decurſu huius Operis præſtringuntur; Ab eo humiliter petij, vt quidquid in hoc Tomo, per decennium iam lectitato, dignum correctione legiſſet, aut ab aliis notatum audiuiſſet, mihi reſcribere dignaretur, quippè omnino paratus eram, meas opiniones emendare, delere, reſtringere, ampliare, &quæcumque ab ipſo Illuſtriſſimo Domino, vel ab alio eſſent notata, & animaduerſa, corrigere. Igitur mihi reſcripſit Epiſtolam, quam in præſenti fideliter tranſcriptam (nefas eſſet, verbum addere, aut tollere) præfigam; nec ſcio, quæ alia maior Operis approbatio deſiderari queat. De hac autem Epiſtola quoad Authores in illa relatos redibit in hoc Opere ſermo.

Digitized by Google

Carta del Illuſtriſſimo Señor Don PEDRO PACHECO Commiſſario General de la Sancta Cruzada, y Preſidente de ſu conſejo, al Padre ANDRES MENDO Autor deſte libro.

MVy alegres principios de año me dio V. P. con las buenas nueuas, que recibo de ſu ſalud, que holgare goze ſiempre V. P. muy cumplida, para que la pueda ocupar tan bien, y en vn trabajo de tanto prouecho como el de renouar la primera impreſſion del Tomo ſobre la Bulla, en cuya doctrina no ſolo no he hallado, que reparar, pero ni oydo, que lo haya hecho otro; antes bien alabado los fundamentos della, y la claridad conque V. P. la dio à entender. De mi parte ſe decir à V. P. que entre vnos pocos libros, que traygo à la mano para los caſos, que ſe offrecen pertenecientes à la Cruzada, es el primero el de V. P. por donde empieço à tomar las raçones conque entrar en las de los demas Autores, que han eſcrito de la materia; conque digo à V. P. loque eſtimo eſta obra, y quanto deſearè verla adelantada.

En loque toca al otro punto de los Religioſos: por auer viſto el Breue de Vrbano VIII. *en que les prohibe el ſer abſueltos de los caſos reſeruados por virtud de la Bulla, quitando el que ninguno, aunque ſea legado, Nuncio, ni el Commiſſario General pueda declarar ſobre aquella determinacion, no puedo decir mas à V. P. que deſpues del eſcribieron por la opinion contraria el Padre Baſilio, y nouiſſimè Thomas Hurtado de los Clerigos Menores hombres de tan grande credito, y autoridad, como V. P. ſabe, que cada vno porſi baſta à hazer opinion: Eſte en ſu* tom. 2. de las reſol. moral. *que sacò el años de 51. el miſmo, en que V. P. imprimio el ſuyo, que ſeria la cauſa à mi entender, por que en la refutacion de la ſententia contraria no ſe citan el vno al otro VV. PP. Confieſo à V. P. que holgarè ver eſtendidos los fauores, y priuilegios de la Bulla por lo que pueden vtilizar en el ſubſidio temporal de ſu Mageſtad, que con tanto zelo lo aplica, y conſume en tan ſantos fines: pero ſin dexar de conozer que el ſentimiento, y Iuicio de V. P. en eſta materia, como en las demas, que trata tendra ſiempre muy ſegura la acceptation de los hombres doctos. Dios guarde à V. P. muchos años. Maldrid, y Henero 7. de 1660.*

B. à V. P. L. M.
Don PEDRO PACHECO.

LECTO

LECTORI.

CVm de omnibus materiis moralibus innumeri Authores docto, & fuſo calamo ſcripſerint; pauci, & breuiter Bullam Sanctæ Cruciatæ declararunt. Ideò hoc opus aggredior, quod ſpero, fore Confeſſoribus non ingratum; quibus omnia dubia, quæ circa Bullam poſſunt occurrere, expedientur; quæ in Authoribus ſunt diſperſa, in vnum colliguntur; aliqua etiam de nouo excogitantur. Et cum vix ſit aliqua moralis materia, quæ ad Bullæ elucidationem non attineat, plura inuenientur decurſu, neceſſaria etiam ad Prouincias, quæ Bulla non gaudent, vel obiter expoſita, vel ex profeſſo explanata ad aptiorem inſtituti noſtri intellectum. Et cum per omnes Catholicorum regiones ſoleant iubilæi publicari, in quibus conceduntur plures facultates, quæ in Bulla continentur; fit, vt ad has omnino percipiendas, explanatio præſens ſit valdè opportuna. Elucubrationes has, improbo ſanè labore conſtructas, claritate, qua valui, diſpoſui. Tutas ad praxim opiniones propono, authoritate ſatis, & ratione firmatas; nec rigidas eligo, vbi abſque vllo conſcientiæ detrimento, ad benignas reperio non lubricam viam; quibus, & Confeſſarij libentius, & pœnitentes faciliùs, ſua quique munera obibunt. Quæſtiunculas, aut reſolutiones non tritas cum viris doctiſſimis ſubſcribentibus ſtatui; ne in rebus ad animæ incolumitatem ſpectantibus, meo fidens iudicio periculosè errarem, aut minùs attentè veritatum momenta perpenderem. Methodus cuique peruia erit: verbatim enim Bullam Latinam, & Hiſpanam illuſtro; primùm Bullam communem viuorum; deinde lacticiniorum pro Sacerdotibus; poſteà Compoſitionis; exindè Defunctorum; & demùm Commiſſarij Generalis Cruciatæ facultates. Si verò quid non illicò reperiatur, ad indicem rerum, vel diſputationum & capitum, eſt confugiendum. Et diſputationes quidem à prima vſque ad vltimam operis totius vnica ſerie recenſitas præfigo; ne titulorum multitudo, & varietas, in rebus quærendis moleſtiam ingeneret? ſicque breuiter quiuis incidat in quæſtionem, quam optat, ſi diſputationem tantùm inueſtiget, & numerum. Huc vſque in prima editione, quæ anno 1651. in lucem prodiit. In hac ſecunda addidi plura, & vindico meas opiniones ab his impugnationibus quibus Authores aliqui eas eneruare conantur. Quæ aptè dicta cenſueris, tene; quæ ſecùs, emenda: Eccleſiæ enim Catholicæ, & doctæ Sapientum cenſuræ omnia exaranda ſubiicio.

FACVLTAS

Digitized by Google

FACVLTAS

REVER. P. FRANCISCI DE AGVILAR
Prouincialis Societatis IESV *in Prouincia Caſtellana.*

EGo FRANCISCVS DE AGVILAR, Prouincialis Societatis IESV, in Caſtellana Prouincia, poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre noſtro Florentio Memoranſi, Vicario Generali, facultatem facio vt tomus qui inſcribitur *Bulla ſancta Cruciata Elucidatio*, à R. ANDREA MENDO noſtræ Societatis Sacræque Theologiæ olim Profeſſore in Collegio noſtro Regali Salmanticenſi compoſitus, & eiuſdem Societatis grauium doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Valliſoleti die 31. Auguſti anno 1649.

FRANCISCVS DE AGVILAR
Prouincialis.

APPROBATIO

R. P. DIDACI DE LA FVENTE HVRTADO
Societatis IESV *Theologia Profeſſoris.*

IVſſu Domini Doctoris D. GARCI PEREZ DE VLLOA legi *Expoſitionem Bulla Cruciata* à R. P. ANDREA MENDO, in noſtro Salmanticenſi Regio Societ. IESV Collegio Sacræ Theologiæ nuper profeſſore, nunc in Ouetenſi Rectore, elucubratam. Fidei quidem aut morum Sanctitati nihil non amicum Liber iſte ſcribit: *Loquitur vt ſentit*, quod ſui Comprouincialis Quintiliani indiuidua erat deſcriptio: ſentit autem grauiſsimè, in explicandis ſententiis facillimus, prudentiſſimus in eligendis, impugnat cum modeſtia, ſuauiſſima acrimonia propugnat, ſumma eſt dictorum conſtantia, neque ad popularem adulationem abiectus, opinionum laxitate profaniſque licentiis puerili plebi ſe commendat. Sed quà ſuauis, quà ſerius totum Chriſtianæ diſciplinæ ſe componit: vel equidem Liber *Bulla*, id eſt, vt Græce ſonat *Conſilij* quem nimirum conſulere ſecuriſſima vtilitate omnes debebimus. Non enim ex aliis Authoribus ſuperuacuo labore conſilia, doctrinamve decerpit; ſed (vt Cicero de Romana erudiendi ſedulitate 1. de Philoſophia prædicabat) *Aut meliora inuenit, aut inuenta meliora facit.* Societati vero IESV optimo prouidentiæ genere continget poſt tot alios immenſæ ſupra ſtuporem eruditionis libros, illis Bullam iſtam prætexi: Bulla nimirum olim ad pectora corde tenus dependens geſtabatur, tamquam amuletum quoddam inuidiæ, & nobile contra liuoris ſtimulos remedium. Erit etiam toti Reipublicæ deinceps Bulla, *Indicium atque inſigne fortunæ*, ſi lectoris mens, moreſque inſtrui patiantur, & Authoris animus, vt ſpero, pluribus ſe permittat operibus. Quapropter ſignum iſtud cenſeo, vt in lucem cum bono publico prodeat. Sic cenſeo in hoc noſtro Valliſoletano Sancti Ambroſii Collegio, die 5. Maij anno Domini 1649.

Pierius Val. lib. 14.

Cicer in Verr. ſæpe.

DIDACVS DE LA FVENTE HVRTADO.

LICENCIA

Digitized by Google

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOs el Doctor D. GARCI PEREZ DE VLLOA, Colegial del inſigne Colegio de Santa-Cruz deſta Ciudad de Valladolid, Catedratico de Codigo en la Vniuerſidad Real della, Prouiſor, Oficial, y Vicario general en eſta dicha Ciudad, y todo ſu Obiſpado, por ſu Señoria del ſeñor D. Fray Iuan Merinero, Obiſpo deſta dicha Ciudad, y Obiſpado, Prior, y ſeñor de la Villa de Yunquera de Ambia, y ſu tierra, del Conſejo de ſu Maieſtad, &c. Por el tenor de la preſente por lo que à nos toca, approbamos el Libro intitulado: Bullæ Sanctæ Cruciatæ elucidatio, compueſto por el Padre ANDRES MENDO, y damos licentia para que ſe pueda imprimir tenien dola para ello primero de los ſeñores del Conſejo ſupremo de ſu Mageſtad attento ha ſido viſto, y examinado por nueſtro mandado, y no tiene coſa contra la Fè, ni buenas coſtumbres, antes ſerà de mucha vtilidad, y prouecho. Dada en Valladolid à 7. de Mayo de 1649. años.

Doctor GARCI PEREZ DE VLLOA.

Por mandado del ſeñor Prouiſor general de Valladolid

ANTONIO TRONCOSO.

CENSVRA

R. P. FR. IOANNIS PONCE DE LEON, Ordinis Minimorum Sancti Franciſci de Paula, Prædicatoris Catholicæ Maieſtatis Philippi IV. Regis Hiſpaniarum, Conſultoris Qualificatoris Supremi Conſilij Generalis Inquiſitionis, & Viſitatoris omnium Bibliothecarum per Hiſpaniam.

M. P. D.

REcentum fœturam venuſto decorandam nomine, Platonis monet ſapientia: ſua namque amœnitate prolectat, ne faſtidioſè ad rimandam properet, quæ prima fronte ſpecioſa venditat. Lucubrationibus titulus inditur, qui citra adminiculum opus abſoluit explicationem *Sacra Bullæ Cruciatæ*, Authore R. Admodum P. ANDREA MENDO, Societatis IESV olim Theologiæ Magiſtro in ſuo Salmanticenſi Collegio, nunc verò in Ouetenſi Rectore, & Sanctæ Inquiſitionis Cenſore. Laborem fore ſaluberrimum arguta ſpondet præfatione ſiquidem rationi, & Fidei conſona documenta promulgat. Mores concinnari, Religionem ſtabiliri, ſacras ſanciri leges, deuotum populum in pietate fulciri, à tam illuſtri, ac auguſto lemmate ſperamus. Decocta maturitate, veluti à Neſtore ſententiæ profluunt. Nihil in hoc opere non ſenile ſapit iudicium: quandoquidem & Theologiæ libratæ examine, & vtriuſque Iuris trutina caſtigatæ plaudunt quæſtiones. A Viro doctiſſimo, inſtar Phœnicis, Iuris, Theologiæ, & Chriſtianæ agriculturæ ſenium reuireſcit. Ingenij lumen, memoriæ fœcunditas, vetuſtas recondita, profunda eruditio, rerum locupletata ſupellex, quàm emineat, quàm ſe oſtentet, nulla non voluminis ad vitam beatè traducendam pagina decantat. Tecum meritò elapſa tempora poſtulant, quod tam ſerò Mineruæ litaſti. Poma, quia tarda, & fugientia ſunt multò iucundiora. Præcocem tamen doctrinā deguſtaui cœli feracem. Mirabar in adſtruenda fide ſolertiam, cum ſit maximè arduum vetuſtis nouitatem dare, nouis authoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem faſtiditis gratiam, dubiis ſoliditatem. Quo ita munere egregiè fungeris, vt inoffenſo currat pede, qui talis Magiſtri fidenter veſtigiis in ſtiterit. Tantùm ineſt ponderis calamo tempeſtiuè

Digitized by Google

tempeſtiuè quaſi caneſcenti. Exiliunt ſane, geſtiunt ad noua placita doctorum ſubſellia, à quibus plurimi ſuos hortos tali vbertate opimos iampridem irrigarunt. Fœlicem cenſeo, cui non expurgandi, verùm addiſcendi potiùs, alto Supremi Conſilij, ac Regalis Senatus Caſtellæ, obtigit imperio. Curiosè legi diligenter conſului, ſagaciter luſtraui, ſtudiosè luculentum opus euolui, ſtatuique temeritatis inſimulandum, qui irrito audeat conatu nigrum aureis ſanctionibus theta præfigere. Iam diu Matritenſes typi opifices omni arte magiſtra laborioſas excubias efflagitant excudendas, moraſque incuſant, eò auidius, quò latiùs & ornatiùs fama laudes perſonat, vt placido cœlo in mundi theatrum prodeat ſpectandus liber, qui ſecuram viuis, & defunctis eſt lucem daturns. Ita cenſeo in Minimorum Sancti Franciſci de Paula Conuentu, die 10. Auguſti anno 1650.

FR. IOANNES PONCE DE LEON.

Approbatio Doctorum.

OPus R.P. ANDREÆ MENDO è Societate IESV, cui titulus eſt; *Bulla Sanctæ Cruciata Elucidatio*; plurima lectu digna complectitur, nec Catholicæ fidei vlla ex parte aduerſatur. Ita teſtamur. Lugduni die 12. Aprilis, anno Domini 1667.

ELIAS VIAL Carmelita.

MORANGE Doctor & Socius Sorbonicus.

Permiſſio Procuratoris Regij.

NOn Intercedo Regis cauſa ne liber cui Titulus eſt R.P. ANDREÆ MENDO è Societ. IESV imprimatur ab HORATIO BOISSAT, & GEORGIO REMEVS huius Ciuitatis Bibliopolis, cum prohibitionibus aliis omnibus huiuſce Ciuitatis Bibliopolis, in hoc caſu fieri ſolitis. Lugduni die 15. Aprilis, 1667.

GALLIAD.

Licentia:

FIat iuxta Conſenſum Procuratoris Regij. Lugduni die 15. Aprilis, 1667.

DV LIEV.

INDEX

Digitized by Google

INDEX DISPVTATIONVM & CAPITVM.

Littera n, *ſubiunctuſque illi numerus marginalem numerum ſignant.*

Elucidatio Bullæ S.Cruciatæ.

DISPVTAT. PRIMA.

De origine, conceſſione, & interpretatione Bullæ S.Cruciatæ, num.1.

CAP.I BVLLÆ S. Cruciatæ tranſcriptum Latinum. *ibid.*
II. Bullæ S.Cruciatæ Hiſpana tranſcripta, *num.* 3.
III. Taxa eleemſynæ pro ſingulis Bullis deſignata, *num.* 9
IV. De origine, & conceſſione Bullæ S.Cruciatæ, *num.* 14.
V. Quis poſſit Bullam Cruciatæ concedere? *num.* 23.
VI. Qui, & quomodo poſſint Bullam Cruciatæ interpretari? *num.* 35.

Elucidatio Bullæ communis viuorum.

DISPVTAT. II.

De tempore durationis Bullæ Cruciatæ.

CAP.I. QVomodo computandus ſit annus durationis Bullæ? *num.* 1.
II. Argumenta contra annum naturalem durationis Bullæ ſoluuntur. *n.* 9.
III. Aliqua dubia de tempore durationis Bullæ exponuntur. *n.* 13.
IV. An Bullæ vſus pro tempore, quo durat, ſit noua conceſſio, vel prorógatio? *n.* 20.
V. An Bulla expiret morte Pontificis, *num.* 24.
VI. An Bulla ſemel conceſſa poſsit à Pontifice reuocari? *num.* 31.
VII. An Bullæ priuilegia reuocentur, per Iubilæum anni ſancti, aut ſimilem, aut per Bullam in Cœna Domini? *n.* 43.

DISPVTAT. III.

De locis, in quibus Bulla Cruciatæ valet.

CAP.I. REcenſentur loca, in quibus Bulla valet. *num.* 1.
Mendo in Bull. Cruciatæ.
II. An accipiens Bullam, in loco, quo valet, & pergens ad locum in quo non valet, ibi ea vti queat? *num.* 6.
III. An poſſit habitator loci, in quo Bulla non valet, accedere ad locum, in quo valet, ſolùm eam accipiendi cauſa, & ipſa in ſuo loco vti *n.* 12.

DISPTAT. IV.

De perſonis, quæ poſſunt Bulla Cruciatæ frui.

CAP.I. AN debeant eſſe in gratia, qui Bullam accipiunt vt ea vti queant? *n.* 1.
II. An Catechumeni poſſint Bulla frui? *n.* 7.
III. An infantes amentes, excommunicati, hæretici, poſſint Bulla gaudere? *n.* 12.
IV. An religioſi, excepto priuilegio eligendi Confeſſarium pro reſeruatis, Bulla frui poſſint? *n.* 16.
V. An Bulla viuorum poſſit ſumi ad aliquos vſus pro iam defuncto? *num.* 23.

DISPVTAT. V.

De profectione ad bellum in Bulla Cruciatæ præſcripta ad obtinendam indulgentiam plenariam. n. 1.

DISPVTAT. VI.

De indulgentia plenaria initio Bullæ Cruciatæ conceſſa.

CAP.I. PRæmittuntur aliqua de indulgentiis. *n.* 1.
II. Quæ ſit indulgentia initio Bullæ conceſſa? *n.* 29.
III. An ad lucrandam indulgentiam initio Bullæ conceſſam requiratur confeſſio actualis? *n.* 32
IV. Quod ſit vltimum requiſitum ad indulgentias Bullæ Cruciatæ lucrandas? *num.* 51.

V. An poſſint indulgentiæ Bullæ Cruciatæ toties quoties obtineri? *numero* 68.
VI. An liber maneat à pœnitentiis iniunctis à confeſſario, qui lucratur indulgentiam plenariam? *n.* 69.

DISPVTAT. VII.

De mittentibus alios ad bellum contra Infideles, vt indulgentiam plenariam Bullæ Cruciatæ conſequantur.

CAP. I. QVinam mittentes ad bellum alios indulgentiam plenariam Bullæ Cruciatæ obtineant? *n.* 1.
II. De numero & modo mittendorum ad bellum, vt indulgentia plenaria obtineatur. *n.* 9.

DISPVT. VIII.

De miſſis per alios ad bellum indulgentiam Bullæ Cruciatæ obtinentibus. n. 1.

DISPVT. IX.

De Clericis ſæcularibus, & Regularibus indulgentiam Bullæ obtinentibus.

CAP. I. QVi clerici ſæculares, qui Regulares, hanc Bullæ indulgentiam in bello nanciſcantur? *num.* 1.
II. Quæ licentia requiratur, vt Clerici ſæculares, & Regulares ad exercitum tendant, indulgentiam Bullæ lucraturi? *n.* 7.
III. Quæ miniſteria exercenda ſint à Clericis, vel Regularibus in exercitu, vt obtineant indulgentiã? *n.* 13

DISPVT. X.

De Declaratione non incurrendi irregularitatem facta in Bulla pro Clericis in exercitu pia miniſteria exercentibus.

CAP. I. SVpponuntur aliqua de irregularitate. *n.* 1.
II. De irregulaitate, quæ in bello poteſt incurri. *n.* 12.
III. Quomodo intelligẽda ſit declaratio facta in Bulla, non incurrendi irregularitatem in bello, exercendo miniſteria pia? *n.* 24.

DISPVT. XI.

De diſpenſatione in reſidentia, conceſſa in Bulla habentibus Beneficia, vt in exercitu aſſiſtant.

CAP. I. ALiqua de beneficiis Eccleſiaſticis, atque de reſidentia præmittuntur. *n.* 1.
II. Quid concedat Bulla, dum à reſidentia perſonali excuſat beneficiatos? *n.* 4.

DISPVTAT. XII.

De applicatione indulgentiæ plenariæ animabus Purgatorij per modum ſuffragij.

CAP. I. DE omiſſione huius gratiæ in Bulla vulgari Hiſpana *num.* 1.
II. Quid ſit prodeſſe indulgentiam defunctis per modum ſuffragij? *num.* 4.

DISPVTAT. XIII.

De excuſatione à ieiuniis, & obſeruatione Feſtorum conceſſa in Bulla commorantibus in bello contra Infideles.

CAP. I. AN milites in bello ieiunare teneantur, & quid eis concedat præſens Bullæ priuilegium? *n.* 1.
II. De excuſatione ab obſeruatione Feſtorum quoad belli negotia, in Bulla contenta. *n.* 7.

DISPVTAT XIV.

De eleemoſyna tribuẽda pro Bulla Cruciatæ ab his qui nec eunt nec mittunt ad exercitum alios propriis expenſis. n. 1.

DISPVTAT. XV.

Quid liceat per Bullam Cruciatæ tempore interdicti?

CAP. I. ALiqua de interdicto ſupponuntur? *n.* 1.
II. Quid concedatur per Bullam Cruciatæ circa auditionem Miſſæ, & diuinorum Officiorum? *n.* 10.
III. An habentes Bullam debeant diebus Feſtis tempore interdicti Miſſam audire? *n.* 18.

Digitized by Google

IV. Quid liceat per Bullam Cruciatæ circa vſum Sacramentorum tempore interdicti? *n.* 35.
V. Qui liceat per Bullam Cruciatæ circa ſepulturam Eccleſiaſticam tempore interdicti? *n.* 46.

DISPVT. XVI.

De priuilegiis conceſſis in Bulla Cruciata circa Oratoria.

Cap. I. AN virtute Bullæ poſſint erigi Oratoria in domibus priuatis ſeu Religioſis? *n.* 1.
II. Quid liceat virtute Bullæ circa Miſſam & Sacramenta in Oratoriis priuatis? *num.* 8.

DISPVT. XVII.

De priuilegio veſcendi carnibus in diebus prohibitis de conſilio vtriuſque medici, conceſſo per Bullam Cruciatæ.

Cap. I. ALiqua præmittuntur de prohibitione eſus carnium. *n.* 1.
II. Quid operetur priuilegium veſcendi carnibus in Bulla conceſſum? *n.* 6.

DISPVT. XVIII.

De priuilegio edendi oua, & lacticinia diebus Quadrageſimalibus conceſſo per Bullam Cruciatæ.

Cap. I. PRæuia notabis circa prohibitionem ouorum, & lacticiniorum in diebus ieiunij. *n.* 1.
II. Explicatur priuilegium Bullæ Cruciatæ circa eſum ſuorum, & lacticiniorum. *n.* 6.
III. An Regulares Ordinum Militarium poſſint virtute Bullæ Cruciatæ veſci ouis, & lacticiniis in Quadrageſimalibus diebus? *n.* 16.
IV. Qui ſint dies Quadrageſimales. *n.* 24

DISPVTAT. XIX.

De indulgentiis, & participatione bonorum operum conceſſa in Bulla Cruciata ieiunantibus, & orantibus.

Cap. I. DE operibus præſtandis ad obtinendam hanc participationem bonorum operum & indulgentiam in hac Bullæ clauſula conceſſam. *n.* 1.

II. Quænam, & quota oratio requiratur ad lucrandam hanc indulgentiã & participationẽ bonorũ operum? *n.* 7.
III. Quæ ſit indulgentia. & participatio bonorum operum conceſſa ieiunantibus, & orantibus? *n.* 17.

DISPVTAT. XX.

De indulgentiis ſtationum in Bulla Cruciatæ conceſſis.

Cap. I. QVænam indulgentia viſitantibus Eccleſias ſeu altaria cõcedatur in Bulla Cruciatę? *n.* 1.
II. An poſſit applicari pro defunctis indulgentia ſtationum conceſſa viſitãtibus Eccleſias, ſeu altaria? *n.* 7.
III. Qui ſint dies ſtationum, in quibus viſitando quinque Eccleſias, aut altaria, indulgentia per Bullam Cruciatæ obtinetur? *n.* 15.
IV. Quæ preces ſint fundendæ in viſitatione quinque Eccleſiarum, aut altarium, ad obtinendas Indulgentias ſtationum? *n.* 28.
V. Quæ, & quot Eccleſiæ, ſeu altaria, ac quomodo ſint viſitanda, vt Indulgentiæ ſtationum obtineantur? *n.* 32.

DISPVTAT. XXI.

De retentione Bullæ Cruciatæ, & inſcriptione nominis in ipſa.

Cap. I. DE retentione ſummarij Bullæ Cruciatæ. *n.* 1.
II. De inſcriptione nominis in ſummario Bullæ Cruciatæ. *n.* 12.

DISPVT. XXII.

De electione Confeſſarij approbati per Ordinarium conceſſa per Bullam Cruciatæ.

Cap. I. ALiqua circa Confeſſarium prælibantur. *n.* 1.
II. De approbatione Confeſſarij per Bullam eligibilis. *n.* 22.
III. Quænam approbatio requiratur, vt Confeſſarius eligatur per Bullam Cruciatæ? *n.* 46.
IV. An approbatus in vna diœceſi poſſit per Bullam Cruciatæ eligi in alia, in qua non eſt approbatus? *n.* 60.
V. An approbatus ad audiendas virorũ confeſſiones poſſit à fœminis eligi per Bullam Cruciatæ? *num.* 67.

Digitized by Google

VI. An approbatus pro vno loco poſſit per Bullam Cruciatæ eligi in tota diœceſi? n.80.
VII. An approbatus pro determinato tempore poſſit,eo tranſacto,eligi per Bullam Cruciatæ? Vbi de his qui fuerunt,& non ſunt Parochi.n.87.
VIII. An approbatus,ſi abſque cauſa reprobetur, aut reuocetur eius approbatio, ſit per Bullam Cruciatæ eligibilis? n.92.
IX. An, & quomodo Regulares approbati ſint eligibiles per Bullam Cruciatæ ad confeſſiones audiēdas? n.96.
X. Reſolutiones aliquæ ex doctrina tradita de approbatione confeſſarij per Bullam Cruciatæ eligibilis. n.109.
XI. Aliæ reſolutiones ex doctrina tradita de approbatione confeſſarij per Bullam eligibilis. n.114.

DISPVTAT. XXIII.

De electione Confeſſarij ſæcularibus ad abſolutionem à peccatis non reſeruatis, & reſeruatis conceſſa per Bullam Cruciatæ.

Cap.I. EXponitur in communi, quid Bulla Cruciatæ concedat circa abſolutionem à peccatis. num.1.
II. De reſeruatione peccatorum aliqua prælibantur. num.12.
III. Nonnulla attinguntur circa abſolutionem à reſeruatis. n.24.
IV. De peccatis Epiſcopo reſeruatis. n.33.
V. An à peccatis Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ſi occulta ſint, poſſit abſoluere Epiſcopus: & virtute Bullæ Cruciatæ quilibet cōfeſſor toties quoties? n.57.
VI. Illationes ex doctrina tradita de poteſtate abſoluendi toties quoties virtute Bullæ Cruciatæ à caſibus reſeruatis Pontifici, ſi ſint occulti, n.65.
VII. Aliæ illationes ex eadem doctrina de poteſtate abſoluendi virtute Bullæ Cruciatæ toties quoties à caſibus Pōtifici reſeruatis, ſi ſint occulti. n.72.
VIII. De exceptione hæreſis, à qua virtute Bullæ Cruciatæ non poteſt abſolui. num.77.
IX. Quid intelligatur nomine hæreſis, à qua virtute Bullæ Cruciatæ non poteſt abſolui? n.89.
X. An virtute Bullæ Cruciatæ poſſit abſolui, excepta hæreſi formali externa ab aliis criminibus, quorum cognitio ad Quæſitores Fidei ſpectat, & in edictis Sanctæ Inquiſitionis continentur? n.92.
XI. Quid ſpeciale indulgeat Bulla Cruciatæ, dum concedit facultatem ad abſoluendum à reſeruatis Sedi Apoſtolicæ in articulo mortis? n.100.
XII. De forma abſolutionis à peccatis, & cenſuris virtute Bullæ Cruciatæ præſtandæ, quæ in Bullæ Hiſpanæ tranſumpto continetur? n.113.

DISPVT. XXIV.

An Regulares poſſint eligere Confeſſarium virtute Bullæ Cruciatæ?

Cap.I. QVi, & quæ peccata poſſint reſeruare Superioribus Regularibus? n. 1.
II. Illationes ex cauſa finali expreſſa in Decreto Clementis VIII. circa reſeruationem peccatorum in Religionibus. n.11.
III. Explicantur caſus reſeruabiles à Superioribus Regularium in Decreto Clementis VIII. contenti. n.22.
IV. Alij caſus reſeruabiles à Superioribus Regularium in Decreto Clemētis VIII. contenti exponuntur. n.39.
V. Declarantur præcepta impoſita à Clem. VIII. circa abſolutionem à caſibus reſeruabilibus per Superiores Regularium, & per Capitula, n.50.
VI. De obligatione Superiorum; quando petitur ab eis facultas ad abſoluendum à peccatis reſeruatis, n.59.
VII. De obligatione confeſſarij, caſu quo ſit poſcenda facultas à Superiore ad abſoluendum à reſeruatis. n.61
VIII De obligatione pœnitentis Regularis habentis caſum reſeruatum ſuo Superiori n.74.
IX. Quis in Religione habeat poteſtatem ordinariam abſoluendi Regulares, à reſeruatis, & eximendi à reſeruatione? n.80.
X. An reſeruatio caſuum in Religione liget ipſos Superiores? num.89.
XI. Quis poſſit abſoluere Superiores Regulares, à reſeruatis? n.97.
XII. An regulares virtute Bullæ Cruciatæ abſolui poſſint à peccatis reſeruatis Superiori ſuo? n.121.
XIII. Reiicitur, opinio affirmans, poſſe Regulares per Bullam Cruciatæ abſolui à reſeruatis? n.142.
XIV. Reſpondetur vltimo argumento contendenti, poſſe regulares per Bullam Cruciateæ abſolui à reſeruatis Vbi, an poſſint per Iubilæum? n.152.
XV. Confirmatur adhuc, non poſſe Regulares per Bullā Cruciatæ eligere Confeſſariū quoad reſeruata. Vbi de Religioſis Societatis Ieſu. n.165.

An

Digitized by Google

XVI. An nouitij, & item Regulares Ordinum Militariū poſſint per Bullam Cruciatæ eligere Confeſſariū, qui eos à reſeruatis abſoluat. *n.*172.

XVII. An regulares virtute Bullæ poſſint à reſeruatis abſolui à Confeſſariis per Superiores deputatis ad Confeſſiones ordinarias? *n.*176.

XVIII. An à non reſeruatis poſſit Regularis abſolui virtute Bullæ Cruciatæ per Confeſſarium à ſe electum *num.* 182.

XIX. Soluuntur argumenta contendentia non poſſe Regulares virtute Bullæ Cruciatæ abſolui à non reſeruatis. *n.*196.

DISPVT. XXV.

De electione Confeſſarij conceſſa per Bullam Cruciatæ quoad abſolutionem à cenſuris.

CAP. I. ALiqua de cenſuris prælibantur. *num.* 1.

II. Quid concedatur in Bulla Cruciatæ circa abſolutionem à cenſuris? *n.* 39.

III. De excommunicationibus reſeruatis in Bulla Cœnæ Domini, à quibus virtute Bullæ Cruciatæ poteſt quis abſolui, ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis. *n.*46.

IV. Aliqua dubia exponuntur circa abſolutionem conceſſa in Bulla Cruciatæ à cenſuris in Bulla Cœnæ contentis. *num.*50.

V. De excommunicationibus reſeruatis extra Bullam Cœnæ, in Iure Canonico, Sedi Apoſtolicæ, à quibus poteſt quis virtute Bullæ Cruciatæ abſolui ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis. *n.*59.

VI. De aliis excōmunicationibus Sedi Apoſtolicæ in Iure Canonico reſeruatis, à quibus virtute Bullæ Cruciatæ poteſt ſemel in vita, ſemel in articulo mortis abſolui. *n.*79.

VII. Referuntur aliæ excōmunicationes Sedi Apoſtolicæ extra Ius Canonicum reſeruatæ, à quibus poteſt Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ abſoluere ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis. *n.*84.

VIII. De ſuſpenſionibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, à quibus poteſt Cōfeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis abſoluere, *n.*90.

IX. De interdicto, à quo virtute Bullæ Cruciatæ poteſt abſolutio præſtari. *num.* 101.

X. De interdictis in iure Canonicò latis, à quibus, etiamſi reſeruata ſint Sedi Apoſtolicæ, poteſt virtute Bullæ Cruciatæ abſolutio impertiri. *num.*111.

XI. An poſſit pro foro interno virtute Bullæ Cruciatæ præſtari abſolutio à cenſura latà ſpecialiter ab homine? *num.*120.

XII. Aliqua corollaria ex doctrina tradita de abſolutione à cenſuris virtute Bullæ Cruciatæ. *n.*130.

XIII. Alia corollaria de his quæ obſeruanda ſunt in abſolutione à cenſuris virtute Bullæ Cruciatæ. *n.* 142.

XIV. An abſolutio à cenſuris conceſſà virtute Bullæ Cruciatæ pro foro interno poſſit prodeſſe ad aliquem effectum pro foro externo? *n.*149.

XV. An virtute Bullæ Cruciatæ poſſit quis abſolui à cenſuris ad reincidentiam? *n.*160.

XVI. An abſolutio à cenſuris poſſit virtute Bullæ Cruciatæ impertiri extra forum Pœnitentiæ? *n.*166.

XVII. An abſens poſſit abſolui à cenſuris virtute Bullæ Cruciatæ? *n.* 174.

XVIII. An inuitus, item & ignorans, abſolui poſſint à cenſuris virtute Bullæ Cruciatæ? *num.* 178.

XIX. An virtute Bullæ Cruciatæ poſſit aliqua irregularitas tolli? *n.* 182.

DISPVT. XXVI.

De commutatione votorum in Bulla Cruciatæ conceſſa.

CAP. I. ALiqua de voto prælibantur. *n.* 1.

II. Aliqua præmittuntur de diſpenſatione votorum, *n.* 16.

III. Nonnulla ſupponuntur de commutatione votorum *n.* 36.

IV. Exponitur in communi, quid circa commutationem votorum concedatur in Bulla Cruciatæ. *n.* 59.

V. An iuramēta, & vota iurata poſſint per Bullā Cruciatæ cōmutari? *n.* 63.

VI. Aliqui caſus ad praxim deducūtur ex poteſtate cōmutandi iuramēta, & vota iurata virtute Bullæ Cruciatæ. *num.* 72.

VII. An vota cōditionalia Religionis, Caſtitatis, & vltramarinū queāt virtute Bullæ Cruciatæ cōmutari? *n.*83.

VIII. An vota conditionalia pœnalia Religionis Caſtitatis, & vltramarinum poſſint commutari virtute Bullæ Cruciatæ? *n.* 92.

Digitized by Google

IX. Quod votum caſtitatis excipiatur in Bulla Cruciatæ, nę virtute illius commutati poſſit. *n.* 100.

X. Plures caſus inferuntur ex doctrina tradita de voto Caſtitatis, cuius commutatio in Bulla Cruciatæ excipitur. *n.* 104.

XI. Alij caſus inferuntur circa votum Caſtitatis exceptum à commutatione in Bullæ Cruciatæ. 119.

XII. De voto Religionis in Bullæ Cruciatæ excepto, ne virtute illius commutari valeat. *n.* 129.

XIII. De voto vltramarino, quod per Bullam Cruciatæ nequit commutari. *n.* 141.

XIV. Exponuntur ad praxim varia dubia de votis, quæ poſſunt virtute Bullæ Cruciatæ commutari. *n.* 148.

XV. An vota emiſſa ante, & poſt publicationem Bullæ Cruciatæ poſſint virtute illius commutari, adhuc poſt tranſactum tempus ipſius? *n.* 149.

XVI. Illationes aliquæ ex doctrina tradita de tempore, quo poſſunt vota virtute Bullæ Cruciatæ commutari. *n.* 167.

XVII. In quod, & quantum ſubſidium belli contra infideles vota commutanda ſint virtute Bullæ Cruciatæ? *num.* 175.

XVIII. An requiratur cauſa, vt commutentur vota virtute Bullæ Cruciatæ? *n.* 182.

XIX. Vtrum commutatio votorum virtute Bullæ Cruciatæ præſtita debeat eſſe in bonum æquale? Vbi, an facultas diſpenſandi in votis concedatur in Bulla? *n.* 185.

XX. Quis Confeſſarius debeat vota virtute Bullæ Cruciatæ commutare? & an in foro pœnitentiæ? *numero* 197.

XXI. De praxi obſeruanda in commutatione votorum virtute Bullæ Cruciatæ. *n.* 211.

DISPVTATIO XXVII.

De applicatione indulgentiæ plenariæ conceſſæ per Bullam Cruciatæ ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis, & de indulgentia conceſſa his, qui contriti abſque confeſſione decedunt.

Cap. I. A Quibus, & quomodo ſit applicanda habenti Bullam indulgentia plenaria ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis. *num.* 1

II. An applicatio indulgentiæ plenariæ ſemel in vita, in articulo mortis debeat fieri intra confeſſionem? an in præſentia? an ſciente eo, cui applicatur? *n.* 12.

III. Quis dicatur articulus mortis, in quo indulgentia plenaria per Bullam applicanda conceditur? *numero.* 23.

IV. De indulgentia plenaria conceſſa per Bullam Cruciatæ his, qui contriti abſque confeſſione decedunt, *n.* 36.

V. De ſepultura Eccleſtaſtica, quæ in Bulla Hiſpana exprimitur concedenda tempore interdicti his, qui contriti abſque confeſſione decedunt *n.* 40.

DISPVTAT. XXVIII.

De acceptione Bullæ Cruciatæ communis virorum bis eodem anno in ordine ad aliqua priuilegia iterato fruenda. n. 1.

DISPVTAT. XXIX.

De ſuſpenſione, & reualidatione gratiarum quæ extat in Bulla Cruciata.

Cap. I. EXplicantur aliqua in communi circa ſuſpenſionem aliarum gratiarum, reualidationemqne ipſarum factam in Bulla Cruciatæ. *numero* 1.

II. An ſuſpendantur, & reualidentur in Bulla Cruciatæ à Commiſſario Generali facultates iuri communi inſertæ? Item, & gratiæ ab Epiſcopis conceſſæ? *n.* 10.

III. An in Bulla Cruciatæ ſuſpendantur Bullæ annorum præcedentium? Item gratiæ, ac Iubilæi, qui poſt ipſius Bullæ publicationem à Pontifice cōceduntur? *n.* 15.

IV. An per Bullam Cruciatæ ſuſpendantur gratiæ liberandi animam à Purgatorio conceſſæ altari priuilegiato? *num.* 24.

V. Vtrum per Bullam Cruciatæ ſuſpendantur gratiæ & facultates diſparatè ſe habentes ad gratias, & ipſius facultates Bullæ? *numero* 32.

VI. An facultates, & gratiæ conceſſæ Religionibus Mendicantibus ſuſpendantur quoad ipſos Regulares per Bullam Cruciatæ? Vbi de nouitiis

Digitized by Google

uitiis, de ſeruis, & de Tertiariis Ordinis Sancti Franciſci. *n.* 37.
VII. An facultates, & gratiæ Ordinũ non Mendicantium ſuſpendantur quoad ipſos Religioſos per Bullam Cruciatæ? *n.* 46.
VIII. Vtrum Monialium priuilegia ſuſpendantur per Bullam Cruciatæ? *num.* 52.
IX. An gratiæ, & priuilegia Ordinum Mendicantium ſuſpendantur quoad ſæculares per Bullam Cruciatæ? *num.* 59.

DISPVT. XXX.

De ſuſpenſione interdicti, dum Bulla Cruciata publicatur. num. 1.

Bullæ Lacticiniorum pro Eccleſiaſticis elucidatio.

DISPVT. XXXI.

Explanatio Bullæ lacticiniorum pro Eccleſiaſticis.

Cap. I. QVid, & quibus in hac Bulla lacticiniorum concedatur? *num.* 1.
II. Exponuntur dubia circa eleemoſynam erogandam pro hac Bulla lacticiniorum ab Eccleſiaſticis, & circa perſonas, quæ vti illa poſſunt, *numero* 11.

Bullæ compoſitionis explicatio.

DISPVT. XXXII.

Quis, & quomodo Bullam compoſitionis concedere poſſit?

Cap. I. AN Pontifex poſſit Bullam compoſitionis concedere? *num.* 1.
II. An Epiſcopus bona incerta componere poſſit, & Bullam compoſitionis pro ſua diœceſi expedire? *numero* 11.
III. An Reges, Principes, & Reſpublicæ poſſint bona incerta componere? *num.* 30.
IV. An Commiſſarius Generalis Cruciatæ poſſit bona incerta componere? *num.* 44.
V. De quantitate quæ per Bullas componi poteſt, & de taxa eleemoſynæ pro eis erogandæ. *n.* 49.

DISPVT. XXXIII.

De bonis in communi, pro quibus Bulla compoſitionis prodeſt.

Cap. I. QVæ ſint bona incerta, & cuius fiant? *n.* 1.
II. Quæ ſint bona ſtrictè incerta, & cui competant. *n.* 11.
III. Quomodo, & in quibus bonis incertis Bulla Compoſitionis locum habeat. *n.* 25.
IV. An maneat tutus in conſcientia, qui debita incertà per Bullas, aut cum Commiſſario compoſuit? *n.* 34.
V. Quibus perſonis profit Bulla compoſitionis? quibus non profit? *n.* 41.

DISPVT. XXXIV.

De ſingulis caſibus in Bulla compoſitionis contentis.

Cap. I. DE caſu primo Bullæ compoſitionis. Vbi de vſuris, aliiſque quæſtibus illicitis. *n.* 1.
II. De caſu ſecundo Bullæ compoſitionis. Vbi de reſtitutione ob defectum recitationis Officij Canonici, & parui B. Mariæ. *numero* 22.
III. Reſoluuntur aliqui caſus circa Compoſitionem redditũum Eccleſiaſticorum per Bullas. *num.* 32.
IV. De caſu tertio Bullæ compoſitionis circa legata per negligentiam legatarij vnius anni ſpatio non exacta. *num.* 51.
V. De caſu quarto in Bulla compoſitionis contento circa quæcunque legata; quando legatarij non comparent. Vbi etiam de fideicommiſſis. *num.* 60.
VI. An acceptum ob turpem cauſam, opere completo, debeat reſtitui? *num.* 68.
VII. De caſu quinto Bullæ compoſitionis circa Iudices Ordinarios, delegatos, aut aſſeſſores, qui pro ſententia iniqua, vel pro iniuſta dilatione ſentētiæ proferendæ quidquam recipiunt. *num.* 89.
VIII. De caſu ſexto in Bulla compoſitionis præfixo circa Aduocatos ob patrocinium cauſæ iniuſtæ ſtipendium accipientes. *num.* 103.
IX. Exponitur caſus ſeptimus Bullæ compoſitionis de teſte, fiſcali, aut

Digitized by Google

accuſatore, qui pretium accepe-runt pro accuſatione, ſeu depoſitione iniuſta, aut pro omiſsione accuſationis, ſeu diſpoſitionis debitæ, *num.*111.

X. Explicatio caſus octaui in Bulla cõpoſitionis expreſſi circa Tabelliones Notarios, Secretarios, alioſque publicos Iuſtitiæ Officiales, qui pro munere ſuo iniquè gerendo aliquid lucrati ſunt. *num.*121.

XI. De caſu nono Bullæ compoſitionis circa Iudices ſæculares, & Eccleſiaſticos in cauſis temporalibus pro debita Iuſtitiæ adminiſtratione aliquid vſurpantes. *num.*129.

XII. Explicatur decimus caſus in Bulla compoſitionis deſignatus circa Tabelliones, Secretarios, Notarios, alioſque publicos Officiales, qui ſtipendia excedentia leges, ac Ordinationes pro ipſis ſtatutas iniuſtè reportant. *n.*140.

XIII. Caſus vndecimus Bullæ compoſitionis elucidatur. Vbi de his, qui pro impetratione apud Iudices facienda, vt iniuſtæ cauſæ faueant, aut reum iuſtè in carcere detentum ſoluant, pretium aliquod capiunt *n.*146.

XIV. De caſu duodecimo in Bulla compoſitionis explicito, circa eos, qui ratione ludi tenentur aliquid pauperibus reſtituere. *n.*152.

XV. Declaratur caſus decimus tertius Bullæ compoſitionis de acquirentibus, aut impetrantibus Officia dona, vel eleemoſynas, fictione aliqua ad id concurrente. *numero* 168.

XVI. Expoſitio decimi quarti caſus in Bulla compoſitionis appoſiti circa inuentores rerum, quarum dominus non comparet. Vbi de bonis naufragantium *n.*177.

XVII. Explicatur caſus decimus quintus Bullæ compoſitionis circa retinentes apud ſe depoſita bona aliqua, quæ domino proprio reſtitui nequeunt. *n.*184.

XVIII. Elucidatio caſus decimi ſexti in Bulla compoſitionis expreſſi de damnis per venationem, aut quemlibet alium modum illatis incerto domino in menſibus, aliiſvè terræ fructibus. *num.*188.

XIX. Declaratio caſus decimi ſeptimi allati in Bulla compoſitionis circa meretrices pretium iniquum reportantes; & item circa viros qui à fœminis matrimonio ſolutis ob turpem cauſam aliquid percipiunt. *numero* 198.

XX. Caſus decimus octauus Bullæ cõpoſitionis diſcutitur circa vendentes vinum lymphatum, & circa ipſos, ac quoſuis alios inſtitores qui merces vendunt, aliqua interueniente fraude in pondere, menſura aut earum qualitate. *n.*212.

DISPVTAT. XXXV.

De aliis caſibus, in quibus Bulla compoſitionis locum habere poteſt.

CAP.I. EXplicatur in communi, quid concedatur à Pontifice, & à Commiſſario Generali Cruciatæ circa compoſitionem bonorum incertorum in caſibus non expreſſis in hac Bulla, *n.*1.

II. In quibus caſibus architecti, pictores ac alij Magiſtri, & executores artium liberalium Bulla compoſitionis vti queant? *n.*9.

III. An & in quibus caſibus Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ, & Tonſores Bulla compoſitionis potiri valeant? *numero* 15.

IV. In quibus euentibus fabri lignarij, ſartores, ſutores, aliique huiuſmodi Bulla Compoſitionis gaudere poſſint? *num.*25

V. Vtrum in aliquibus caſibus Quæſtores, lictores, aliique ſimiles Miniſtri Publici, & Officiales valeant Bulla compoſitionis vti? *n.*36.

VI. De cæteris caſibus, in quibus Bulla compoſitionis prodeſſe poteſt. *num.*47.

VII. Illationes aliquæ circa caſus, in quibus exercentes munera, ac Officia publica reſtitutioni ſunt obnoxij, & Bullæ compoſitionis fauore vti queunt, *n.*57.

VIII. Vtrum pauperes bona incerta, quæ reſtituere tenentur, ſibi ipſis appliquare veleant? *num.*61.

IX. An, & quæ dilatio compoſitionis bonorum, quæ incerto domino debentur, ſit peccatum lethale? *numero* 68.

X. Aliqua dubia circa compoſitionem bonorum incertorum explorantur. *num.*80.

Bullæ

Digitized by Google

Bullæ defunctorum elucidatio.

DISPVT. XXXVI.

Expoſitio Bullæ defunctorum.

CAP. I. Conceſſio facta in hac Bulla declaratur, *num.* 1.
II. An opus ſit, eſſe in gratia ad applicandum ſuffragium Bullæ defunctorum, aut quamuis indulgentiam defuncto, vt illi proſit? *n.* 10
III. Expediuntur aliqua circa Bullam, & indulgentias defunctorum *n.* 15.

Facultatum Commiſſarij Generalis Cruciatæ expoſitio.

DISPVT. XXXVII.

De facultatibus Commiſſarij Generalis Cruciatæ.

CAP. I. De facultate Commiſſarij Generalis in ordine ad pœnas pecuniarias; & ad puniendum delinquentes in Cruciatam. *num.* 1.
II. De facultate Commiſſarij Generalis ſubdelegandi ſuam iuriſdictionem, aliaque munia in rectam Cruciatæ adminiſtrationem præſtandi. *n.* 12.
III. De facultate Commiſſarij Generalis ad ſuſpendendum interdictum tempore publicationis Bullæ, & ad alia exequenda in fauorem Cruciatæ. *num.* 17.
IV. De eo, quod circa lites pendentes poteſt præſtare Commiſſarius Generalis Cruciatæ, *n.* 33.
V. De facultate Commiſſarij Generalis Cruciatæ ad diſpenſandum in aliquibus irregularitatibus. *n.* 38.
VI. In quibus homicidij irregularitate nequeat diſpenſare Commiſſarius Generalis Cruciatæ *n.* 66.
VII. De irregularitate ex ſimonia proueniente, in qua commiſſario Generali Cruciatæ denegatur facultas diſpenſandi, *n.* 72.
VIII. De cæteris irregularitatibus ex delicto prouenientibus, in quibus nequit commiſſarius Generalis Cruciatæ diſpenſare. *n.* 75.
IX. De facultate Cõmiſſarij Generalis Cruciatæ ad diſpẽſandum, poſt contractum matrimonium inualide, in primo, & ſecundo gradu affinitatis ante matrimonium ex fornicatione prouenientis, & ad reualidandum eiuſmodi matrimonium. *n.* 85.
X. De poteſtate, quam habet Commiſſarius Generalis Cruciatæ ad legitimandam prolem ſuſceptam, & ſuſcipiendam ex matrimonio, quod contractum fuit inualidè ratione impedimenti affinitatis ex fornicatione prouenientis. *n.* 92.
XI. De facultate præſtita Commiſſario Generali Cruciatæ ad diſpenſandũ, vt poſſit petere debitum is, qui poſt initum matrimonium affinitatis impedimentum contraxit. *n.* 95.
XII. De poteſtate Commiſſarij Generalis Cruciatæ concedendi priuilegiũ perſonis nobilibus, vt per horam ante lucem, & per horam poſt meridiem Miſſam audire queant, & celebrari faciant. *n.* 98.
XIII. De facultate commiſſarij Generalis Cruciatæ ad conuertendum Bullam Latinam in vulgare idioma Prouinciarũ, in quibus publicatur. *n.* 100.
XIV. De facultate Commiſſarij Generalis Cruciatæ addẽdi prooemium, & deſignandi dies ſtationũ intra & extra muros Vrbis, quibus indulgentiæ obtinentur, in ſummariis Bullæ vulgari lingua confectis? *n.* 103.
XV. An habeat poteſtatem Commiſſarius Generalis Cruciatæ ad concedendum Oratoria in quibus Miſſa celebretur, in domibus priuatis? *num.* 105.
XVI. De facultate conceſſa Cõmiſſario Generali Cruciatæ ab ſuſpendẽdum, ac reualidandũ alias gratias, & facultates: ad componendum bona incerta; & item debita propter omiſſionem recitationis Officij diuini; nec non ad taxandum eleemoſynam pro qualibet Bulla ab accipientibus erogandam & demum de aliis eiuſdem Commiſſarij facultatibus. *n.* 111.

Praxis Conſilij, & Tribunalium ſanctæ Cruciatæ.

DISPVT. XXXVIII. & VLT.

De praxi Conſilij Supremi, & Tribunalium Sanctæ Cruciatæ.

CAP. I. De officio Commiſſarij Generalis Cruciatæ. *n.* 1.
II. De perſonis, ex quibus Senatus Cruciatæ conſtat. *n.* 5.
III. De rebus quæ in Senatu Supremo Cruciatæ pertractantur, & in Tribunalibus inferioribus. *n.* 8.
IV. De priuilegiis Commiſſarij Generalis

Digitized by Google

ralis, & Miniſtrorum Sanctæ Cruciatæ. *num.* 15.
V. De cenſuris latis à Summis Pontificibus in fauorem Sanctæ Cruciatæ *num.* 21.
VI. De bonis, quæ pertinent ad Cruciatam, eique applicantur. *n.* 24.
VII. De conceſſionibus, rebuſque aliis, quæ ad publicam memoriam libris Conſilij Cruciatæ mandantur? *numero* 28.
VIII. De regnis, ac Prouinciis, in quibus Bulla Cruciatæ promulgatur, & quomodo? *num.* 35.
IX. Qua poteſtate fungantur Commiſſarij ſubdelegati Generales, & Commiſſarij particulares? *n.* 42.
X. De inſtructione ſeruanda à Commiſſariis ſubdelegatis in Indiis in taxatione eleemoſynæ accipiendæ in ſubſidium Cruciatæ, & in ſui muneris functione. *num.* 58.
XI. De inſtructione Commiſſariorum Cruciatæ particularium Hiſpaniæ. *num.* 63
XII. De quæſtoribus Cruciatæ; de prælis, in quibus excuditur Bulla; & de ipſius Concionatoribus. *num.* 69.
XIII. De diſtributione bonorum, quæ in ſubſidium Cruciatæ colliguntur. *num.* 75.
XIV. De legibus noſtri Regni latis circa Cruciatam *n.* 77.
XV. De ſtylo ordinis iudicialis in Conſilio Supremo, & in Tribunalibus Cruciatæ, *num.* 84.

TRACTATVS APPENDIX MISCELLANEVS ad elucidationem Bullæ Cruciatæ.

DISPVTAT. PRIMA

PROOEMIALIS.

CAP. I. VTrùm priuilegia Bullæ ſint amplè, an ſtrictè interpretanda.
II. Quid ſpecialiter à Rege Hiſpaniatum ſit præſtandum ad lucrandum indulgentias Bullæ Cruciatæ?
III. An milites Cruciatæ priuilegiis gaudentes, teneantur, dum exiſtunt in exercitu, ieiunare, ſi ieiunium ſit iniunctum eis à confeſſario? *n.* 11.
IV. An Bulla valeat in inſula Lipari, & aliis ſubiacentibus Siciliæ? *n.* 15.
V. An poſſit gaudere priuilegiis Bullæ is, qui ſolum ciuiliter accedit, aut cõmoratur in loco, in quo Bulla valet? *n.* 18.
VI. An exterus accedens ad portum loci, in quo Bulla Cruciatæ viget, ſi non attingat terram, poſſit Bullam accipere, vt eius priuilegiis fruatur? *n.* 23.
VII. An cathecumeni valeant vti Bulla compoſitionis, & ſepultura Eccleſiaſtica tempore interdicti? *n.* 27.
VIII. Vtrùm hæreticus ſit capax Bullæ Cruciatæ, & vtrùm ſchiſmaticus? *n.* 30.
IX. An Regulares poſſe abſolui virtute Bullæ Cruciatæ à reſeruatis, ſit probabile ſaltem extrinſecè? *n.* 33.
X. An Regulares virtute Bullæ Cruciatæ poſſint eligere confeſſarium, qui eos abſoluat à mortalibus non reſeruatis? *n.* 38.
XI. An Regulares de licentia ſuorum Prælatorum poſſint accipere Bullam Cruciatæ in ordine ad electionem confeſſarij? *num.* 40.
XII. An vice-Prouinciales, vïce-Præpoſiti, &c. fruantur poteſtate ordinaria abſoluendi ſubditos à reſeruatis? *n.* 43.
XIII. An Religioſi Societatis Ieſu poſſint aliquam gratiam Bullæ Cruciatæ lucrari abſque expreſſa licentia legitimi Superioris? *n.* 46.
XIV. An annus durationis Bullæ Cruciatæ ſit naturalis, vel Eccleſiaſticus? *n.* 50.
XV. An vota in aliquo caſu commutari valeant virtute Bullæ Cruciatæ præcedentis anni? *num.* 56.
XVI. Vtrùm incepta, & non finita confeſſione virtute Bullæ, ſi expiret annus durationis illius, poſſit quis perficere confeſſionẽ, ſi in noua peccata, aut caſus reſeruatos inciderit? *n.* 59.
XVII. Vindicatur D. Marius Cutellus ab impugnationibus Patris Bardi circa poteſtatem Pontificis ad concedendum indulgentias, & reuocandum Bullam Cruciatæ. *n.* 64.

DISPVTAT. II.

Vbi examinantur plura, quæ ad Bullam viuorum ſpectant.

CAP. I. QVam eleemoſynam pro Bulla Cruciatæ erogare debeant Domini Vaſſallorum? *n.* 1.

An

Digitized by Google

II. An Duces Comites, Marchiones, & Barones, qui vaſſallos non habent. teneantur octo argenteos pro Bulla Cruciatæ erogare? *n.* 7.
III. An pauperes oſtiatim mendicantes poſſint abſque Bulla Cruciatæ lucrari indulgentias, quæ ſunt extra Cruciatam? *n.* 11.
IV. An habens Bullam teneatur tempore interdicti audire ſacrum in Oratorio diebus feſtiuis, non potens in Eccleſia? *n.* 15.
V. An virtute Bullæ poſſit laicus ſepeliri in Eccleſia ſpecialiter interdicta cum moderata pompa funerali *n.* 21.
VI. An ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam, qui audit eam in Oratorio, ſiue in illo celebrat, habens Bullam Cruciatæ? *n.* 25.
VII. Quid circa eſum carnium ſupra Ius cōmune Bulla Cruciatæ cōcedat? *n.* 30
VIII. De qualitate Medici Spiritualis de cuius conſilio poſſunt edi carnes virtute Bullæ Cruciatæ? *n.* 34.
IX. An, ſi quis die ieiunij diſpenſatus ad carnes, ab his ſe abſtineat, & ſolum concedat piſces, aut oua, teneatur ieiunare? *n.* 38.
X. An Regulares Militiarum equeſtrium comprehendantur ſub indulto Bullæ Cruciatæ veſcendi carnibus, & lacticiniis, ſi Sacerdotes ſint? *n.* 45.
XI. Vtrùm annus ſexageſimus requiſitus in Bulla ad includendum ſub indulto ciborum perſonas excluſas debeat eſſe totaliter completus? *n.* 48.
XII. Vtrùm in Dominicis Quadrageſimæ lacticinia comedi poſſint abſque Bulla? 56.
XIII. An Sacerdotes, & Regulares virtute Bullæ Cruciatæ poſſint edere oua, & lacticinia in Dominicis Quadrageſimæ? *n.* 70. vbì de Bulla lacticiniorum.
XIV. An ex vi Iuris communis ſit licitus eſus ſaginimis porcini in diebus ieiunij? *n.* 47.
XV. An pueri ante ſeptennium, ſi iam ad vſum rationis peruenerint, indigeant Bulla ad comedenda lacticinia in diebus prohibitis? *n.* 82.
XVI. An conceſſa indulgentia de pœnitentiis iniunctis extendatur ad pœnas debitas pro culpis ad confeſſionem non allatis? *num.* 88.
XVII. An in praxi poſſit pœnitens non adimplere pœnitentiam Sacramentalem, ſi indulgentiam plenariam obtineat? *num.* 91.
XVIII. De viſitatione Altarium ad obtinendam Indulgentiam ſtationum in Bulla conceſſam. *n.* 95.
XIX. De applicatione Indulgentiæ plenariæ ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis cōceſſæ in Cruciata. *n.* 99
XX. An approbatus à proprio Ordinario ſit vbique eligibilis ad confeſſionem excipiendam virtute Bullæ Cruciatæ? *n.* 105.
XXI. An ſacerdos approbatus abſolutè, ſi abſque vlla cauſa reuocetur eius approbatio, ſit eligibilis per Bullam Cruciatæ? *n.* 108.
XXII. An validè excipiat confeſſionem pœnitentis habentis Bullam Sacerdos, quem approbauit Ordinarius, ipſe tamen ignorat, ſe eſſe approbatum? *n.* 112.
XXIII. An Eccleſia ſuppleat iuriſdictionem, quando circa illam datur probabilis Doctorum opinio? *n.* 123.
XXIV. Examinatur aliqua de approbatione Parochi, qui actu eſt Parochus: & qui fuit: ſed non eſt. *n.* 133.
XXV. An ignorantia reſeruationis peccati impediat eius reſeruationē? *n.* 136
XXVI. An poſſit abſolui toties quoties virtute Bullæ à caſibus reſeruatis Pontifici, ſi ſint occulti? *n.* 140.
XXVII. An virtute Bullæ tranſactæ poſſit quis abſolui à reſeruatis, quorum oblitus fuit, dum Bulla vigebat? *n.* 144.
XXVIII. An virtute Bullæ Cruciatæ poſſit abſolui ab hæreſi externa occulta? *num.* 148.
XXIX. An vouens poſſit propria authoritate ſuum votum commutare in euidenter æquale? *n.* 155.
XXX. An tranſacto tempore Bullæ poſſint virtute illius commutari vota eius qui commutationem petiit ante terminum finitum ipſius Bullæ? *n.* 160.
XXXI. Nonnulla attinguntur circa commutationem votorum. *n.* 166
XXXII. An quis poſſit gaudere priuilegiis Bullæ, ſi eius ſummarium culpabiliter amittat? *n.* 110.

DISPVTAT. III.

Examinantur Aliqua circa ea, quæ ſub Commiſſarij Generalis Cruciatæ poteſtate continentur.

CAP. I. AN Commiſſarius Generalis ſuſpendat in Bulla priuilegia, quæ in Iuris corpore ſunt inſerta? *n.* 1.
II. An priuilegia Regularium in ordine ad ſæculares ſuſpendantur per Bullam Cruciatæ? *num.* 5.
III. An Commiſſarius Generalis diſpē-

ſare

ſare valeat in irregularitate prouueniente ex bigamia ſimilitudinaria, & ex Iuris fictione, ac in aliis? *n.* 12.
IV. An inceſtuoſus poſſit in aliquo caſu exigere debitum ab vxore ſine diſpenſatione? *n.* 13.
V. Vtrùm bona debita Domino longè diſtanti poſſint per Bullas compoſitionis componi? *n.* 18.
VI. An Princeps ſæcularis poſſit diſponere de bonis incertis? *num.* 24.
VII. An recitans Horas Canonicas diſtractus voluntariè teneatur reſtituere fructus perceptos? *n.* 31.

DISPVT. IV.

In qua examinantur nonnulla ad Bullam Defunctorum ſpectantia.

Cap. I. Vtrùm pœna minima Purgatorij excedat pœnam maximam huius vitæ? *num.* 1.
II. An pœnæ Purgatorij minuantur per ſuffragia, & vtrùm animæ ibi exiſtentes pro nobis Deum orent? *n.* 9.
III. An animæ in Purgatorio detineantur, vſque dum reſtituatur, quod in hac vita debebant? *num.* 18.
IV. An ſuffragia viuentium proſint defunctis per modum impetrationis, ſeu meriti de congruo? *num.* 26.
V. An ex iuſtitia, an verò ex Dei miſericordia ſuffragia defūctis proſint? & an Deus infallibiliter illa acceptet? *n.* 34.
VI Quod ſuffragium ſit alio magis ſatis factorum, eleemoſynæ, ieiunium, aut oratio? *num.* 44.
VII. An ſepultura in loco ſacro ſit vtilis animabus defunctorum? *n.* 54.
VIII. An Confeſſarius poſſit iniungere pœnitentiā Sacramētalē pro animabus Purgatorij applicādā à pœnitēte? *n.* 51.
IX. An legatum pro animabus Purgatorij relictum à teſtatore exiſtente in peccato mortali illis proſit, ſi teſtator poſteà ad ſtatū gratiæ reſtituatur? *n.* 63.
X. An vna Bulla defūctorū pro duobus aut pluribus defūctis accipi valeat? *n.* 68.
XI. An Regularis prohibitus à ſuperiore, ne audiat cōfeſſiones, ſi electus per Bullam ſit, poſſit eas audire, non ſolùm validè, ſed licitè? *n.* 71.
XII. An per Bullam vltimam vrbani VIII. reuocatum fuerit priuilegium abſoluēdi à reſeruatis Epiſcopo, quod conceſſum eſt Societati Iesv necnon aliis ſacris ordinibus? *n.* 78.

DISPVTAT. V.

Examen eorum, quæ aduerſus opiniones in toto hoc opere ſtabilitas ab aliquibus Authoribus proferuntur poſt primam earum publicam editionem.

Cap. I. An quis priuilegiis Bullæ Cruciatæ vti poſſit, quamuis eam amiſerit, aut ruperit? *n.* 1.
II. An priuilegia Bullæ Cruciatæ abſque ſatisfactione poſſibili reuocari valeant? *n.* 7.
III. An limitationes adhibitæ in conceſſione Oratorij ceſſent virtute Bullæ Cruciatæ? *n.* 21.
IV. An Dominicæ Quadrageſimæ ſint dies Quadrageſimales quoad eſum ouorum & lacticiniorum? *n.* 32.
V. An clerici Fratres Ordinum Militarium poſſint in Quadrageſima veſci ouis & lacticiniis virtute Bullæ Cruciatæ? *n.* 39.
VI. An probabile ſit, Religioſos poſſe abſolui à caſibus reſeruatis virtute Bullæ Cruciatæ? *n.* 49.
VII. An Religioſi virtute Bullæ Cruciatæ valeant abſolui à mortalibus non reſeruatis? *n.* 76.
VIII. An virtute Bulllæ Cruciatæ poſſit abſolui toties quoties à caſibus occultis Pontifici reſeruatis? *n.* 101.
IX. An virtute Bullæ Cruciatæ abſolutio ab excommunicatione præſtita valeat pro foro externo, ſi fuerit parti ſatisfactum? *n.* 108.
X. An virtute Bullæ Cruciatæ poſſit celebrari Miſſa die Paſchatis, & aliis diebus exceptis, in oratoriis approbatis? *num.* 116.
XI. Cuius Ordinarij requiratur approbatio Oratorij, vt in eo liceat vti priuilegiis Bullæ Cruciatæ? *n.* 128.
XII. An Commiſſarius Generalis Cruciatæ poſſit concedere Oratoria? *n.* 133.
XIII. An Parochus, qui ſpontè dimiſit Beneficium Parochiale; ſit eligibilis virtute Bullæ Cruciatæ ad audiendas Confeſſiones? *n.* 141.
XIV. An cōfeſſarius electus virtute Bullæ Cruciatæ poſſit abſoluere à reſeruatis ſedi Apoſtolicæ, nō ſolū in articulo, ſed etiā in periculo mortis? *n.* 147.
XV. An virtute Bullæ Cruciatæ poſſit aliqua irregularitas tolli? *n.* 149.
XVI. An commutatio votorum virtute Bullæ Cruciatæ debeat integrè fieri in ſubſidium temporale? *n.* 158.
XVII. An indulgentiæ conceſſæ pro animabus Purgatorij ſuſpendantur per Bullam Cruciatæ? *n.* 162.
XVIII. An poſſit incola loci, in quo Bulla non valet, accedere ad locum, in quo valet, ſolùm eam accipiendi cauſa, & ipſa in ſuo loco vti? *n.* 167.
XIX. Libantur, & vendicantur, aliquæ ſententiæ in hoc Tomo ſtabilitæ, & à Neotherico impugnatæ.

BVLLÆ

Digitized by Google



BVLLÆ SANCTÆ CRVCIATÆ ELVCIDATIO

DISPVTATIO I.

De origine, conceſſione, & interpretatione Bullæ S. Cruciatæ.

PROOEMIALIS hæc diſputatio aliquas de Bulla in communi quæſtiones expediet, vt illam à diſputatione ſequenti in ſpeciali incipiamus exponere. De Bulla Cruciatæ, aut ſeorſim, aut inter tractatus alios, ſcripſerunt Sebaſtianus Acoſta de Andrade, Emanuël Rodriguez, Ludouicus Lopez, Henricus de Villalobos, Antonius Gomez, Ludouicus à Cruce, Alfonſus de Vega, Ioannes Garnica, Antonius Diana, Ioannes Ægidius Trullench & pauci alij, quos decurſu citabimus. In pluribus etiam Authoribus diſperſa ſunt multa circa Bullam; præcipuè apud P. Henricum Henriquez, & P. Franciſcum Suarez. In manuſcriptis eam explanarunt illuſtres nonnulli recentiores; inter quos Baſilius Legionenſis; quem, vt accuratæ doctrinæ virum, & cuius opera alia typis mandata publica luce potiuntur, ſæpè in quæſtionibus referam.

CAPVT I.

Bullæ Sanctæ Cruciatæ latinum tranſcriptum.

1 VT Bulla, quam exponere aggredimur, præ oculis habeatur, poſſitque textus, ſerieſque verborum perpendi, verbatim eam operis initio tranſcribere, non erit inutile. Primumque Bullam latinam, deindè Bullas ex ea deductas, Hiſpano noſtro idiomate confectas apponemus. Bulla quidem Latina non ea eſt ad verbum, quam Pontifex aliquis, ex his, qui Cruciatam conceſſerunt, expedierit; ſed ex omnibus, quas ſummi Pontifices indulſerunt, & paulatim ampliarunt, Commiſſarius Generalis Cruciatæ, in Bulla, quam promulgari præcipit, fideliter gratias, priuilegia, & facultates extraxit; quam eamdem Bullam hic ſubijciemus, demptis, ad moleſtiam, prolixitatemque vitandam proœmio, & clauſulis ad inſtitutum præſens neutiquam neceſſariis. Hinc, cum inferiùs legas clauſulam, qua conceditur, bis in anno Bullam communem viuorum accipi poſſe; aduerte, verbatim illam excerptam fuiſſe à prædicto Commiſſario ex quodam Breui particulari Gregorij XIII. idcóque in ea ſunt hæc verba: *concedimus, & elargimur*. Prætereà poſt alias, etiam reperies clauſulam, quâ Vrbanus VIII. conceſſit Sacerdotibus ſæcularibus priuilegium veſcendi ouis, & lacticiniis tempore Quadrageſimæ. Exindè etiam cernes, cur numerus pluralis concedentium ſtatim initio Bullæ præfigatur; loquitur enim Commiſſarius de Pontificibus, qui Bullam Cruciatæ expedierunt, & ampliarunt. Sic ergo ait poſt proœmialia verba: deſumptis ex ea clauſulis, quæ ad noſtrum inſtitutum ſpectant.

Digitized by Google

BVLLA LATINA.

PRimò, concedunt prædicto Philippo Regi huic detentioni, & expeditioni contra Turcas, & Infideles aſſidua curâ, & diligentia incumbenti; necnon omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, in Hiſpaniarum Regnis, & inſulis illis adiacentibus, ac etiam Sardiniæ, necnon Siciliæ vltra Pharum; ſimiliter Regnis, locis, terris, oppidis, & dominiis Terræ firmæ, & maris Oceani, ſeu aliàs nuncupatis, eidem Philippo Regi, tàm mediatè, quam immediatè, & aliàs quomodocumque, & qualitercumque ſubiectis, conſiſtentibus, & ad illa declinantibus, qui intra annum à die publicationis præſentium in ſingulis locis prædictis faciendæ inchoandum, fidei zelo moti, ad exercitum prædicti Sereniſſimi Regis Hiſpaniarum contra Turcas, & aliós infideles, in illos pugnaturi, aut aliud genus ſeruitij gratis facturi acceſſerint, & ibidem vſque in finem expeditionis eiuſdem anni permanſerint, Plenam omnium ſuorum peccatorum (ſi de illis corde contriti, & ore confeſſi fuerint; aut non valentes confiteri, id corde deſiderauerint) indulgentiam, & remiſſionem, quæ proficiſcentibus ad recuperationem Terræ-Sanctæ, quæque in anno Iubilæi concedi conſueuit. Item declarant, quòd eandem indulgentiam aſſequantur, qui ante finem expeditionis, aut in itinere ad exercitum, aut in eodem exercitu obierint; & illi, qui propter infirmitatem, ſeu aliam ſuperuenientem neceſſitatem inde receſſerint. Item qui alios ſuis expenſis miſerint; dummodò ſi mittens fuerit Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Primas, Patriarcha, aut Epiſcopus, Regis filius, Princeps, Dux, Marchio, aut Comes, mittat, quot homines, vſque ad decem incluſiue, commodè poterit; nec mittat pauciores quatuor, ſi plures non poterit. Alius verò, cuiuſcũque ſit conditionis, ſiuè Laïcus, ſiue Clericus ſæcularis, vnum mittere teneatur. Quòd ſi tenues adeò fuerint facultates, vt id præſtare non poſſit, eo caſu, duo, vel tres, aut quatuor ſtipendium vni perſoluant pro rata facultatum inter eos diſtribuendum. Item Capitula Eccleſiarum, monaſteria, & loca etiam Regularium, & Mendicantium, tàm fœminarum, quam maſculorum, ſi pro decem perſonis eorũdem Capitulorum, & locorum, præcedente Capitulari, ſeu Conuentuali deliberatione, vnum miſerint. Item eãdem indulgẽtiam aſſequantur etiam omnes, qui mittentur, ſi pauperes fuerint. Item Clerici ſæculares, qui ab Ordinariis, & Regulares à ſuis ſuperioribus habitâ licentiâ, Verbũ Dei in eodẽ exercitu prædicauerint: cõfeſſiones audierint; ſeu Miſſas celebrauerint; vel alia Eccleſiaſtica, & pia miniſteria exercuerint. Quibus etiam conceditur, vt beneficiis tam ſæcularibus, quam regularibus per idoneos Vicarios deſeruire poſſint, exceptis beneficia curam animarum habentia obtinentibus. Item eadem indulgentia ſuffragabitur per modum ſuffragij etiam animabus defunctorum, pro quibus in huiuſmodi ſubſidium proficiſci, vel milites mitti contigerit; aut pro quibus non euntes nec mittẽtes, de bonis ſuis, iuxta taxã per Commiſſarium, perſonarum qualitate inſpecta, faciẽdam, pro religionis defenſione contulerint. Item milites in bello occupati à ieiuniis votiuis, vel Eccleſiæ excusãtur; & quòd in die feſto belli negotiis vacare poſſint, declarãtur. Item conceditur omnibus prædictis, necnon iis, qui nec ibunt, nec mittent, ſi tamen intra dictũ annum ex bonis ſibi à Deo collatis, in hanc expeditionẽ, pro religionis defenſione liberaliter contulerint, vt dicto anno durante, poſſint in Eccleſiis, in quibus alias diuina officia, interdicto durante, quomodolibet celebrare permiſſum fuerit, vel in priuato Oratorio ad diuinum cultũ tantùm deputato, ab Ordinario viſitãdo, & deſignando, etiam tempore interdicti, cui ipſi cauſam non dederint, vel per eos non ſteterit, quo minus amoueatur; & qui facultatem ad id a Commiſſario generali habuerint, etiam per horam, antequam illuceſcat dies, & per horam poſt meridiem, in ſua, ac familiarium, & domeſticorum, ac cõſanguineorum ſuorum præſentia, Miſſas, & alia diuina officia, per ſe ipſos, ſi presbyteri fuerint, vel per alium celebrare facere, & tempore interdicti diuinis intereſſe, eis tamen, qui priuato oratorio ad præmiſſa vti voluerint, vt quoties id fecerint, aliquas preces Deo pro vnione Principũ Chriſtianorum contra infideles, eorũque cõtra eoſdem victoria, fundere teneantur, imponitur. Item Euchariſtiam & alia Sacramenta, præterquam in die Paſchatis, recipere. Item mortuorum corpora (niſi fortè vinculo excommunicationis innodati deceſſerint) cum moderata funerali pompa ſepeliri. Item, vt, dicto anno durante, in omnibus, & ſingulis Regnis, Inſulis, locis, terris, oppidis, & dominiis prædictis (& non extra illa) carnibus, de conſilio vtriuſque medici, temporibus ieiuniorum totius anni, etiam Quadrageſimalibus, veſci; ac, pro eorum libito, ouis, & lacticiniis; ita quòd, qui carnes non comederint, ſeruata in cæteris ieiunij Eccleſiaſtici forma, dicto ieiunio ſatisfeciſſe cenſeantur. Et ſub hoc indulto veſcendi carnibus, ouis, & lacticiniis, comprehenduntur omnes cuiuſvis militiæ Regulares. Patriarchis verò, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſq; inferioribus

Digitized by Google

rioribus Prælatis, necnon aliis perſonis regularibus, &,qui in ordine presbyteratus fuerint,ſæcularibus, id minimè conceditur, niſi ſexagenarij fuerint. Item erogantes prædicti, qui, diebus ieiunio non ſuppoſitis, ad implorandum diuinum auxilium pro vnione; & victoria prædictis, voluntarium ieiunium, vel ſi ieiunare legitimè impediti fuerint, aliud opus pium, arbitrio eorum confeſſoris, vel parochi, aſſumpſerint, & ſimul preces ad Deum pro vnione, & victoria prædictis fuderint, toties, quoties id fecerint, dicto anno durante, quindecim annos, & totidem quadragenas, de iniunctis eis, & quomodolibet debitis pœnitentiis, miſericorditer in Domino relaxantúr; & inſuper omnium precum, eleemoſynarum, peregrinationum, etiam Hieroſolymitanæ, & aliorum bonorum operum, quæ in vniuerſali militanti Eccleſia,& ſingulis eius membris fiunt, participes redduntur. Itèm, qui dicto anno durante, in ſingulis diebus ſtationum almæ Vrbis, quinque Eccleſias, ſeu altaria, ſeu in illorum defectum, quinquies vnum altare deuotè viſitauerint, preceſque ad Deum pro vnione, & victoria, prædictis fuderint, omnes, & ſingulas indulgentias ſtationum intra,& extra muros prædictæ vrbis, tàm per ſe, quam per modum ſuffragij, pro defunctis, pro quibus viſitauerint, conſequantur. Item mandatur, vt ſummarium hoc per omnes Chriſti fideles ad prædictum bellum contribuentes, qui huiuſmodi gratiarum participes eſſe voluerint recipiatur, & retineatur;ne circa ſibi conceſſas gratias errare, nevè alij illas ſibi vſurpare poſſint,& vnuſquiſque, quà facultate eiſdem gratiis, & facultatibus vtatur, docere valeat. Itèm quò omnes, & ſinguli prædicti purius ad Deum preces fundere, & efficacius diuinum auxilium implorare poſſint, conceditur, vt poſſint eligere confeſſorem ſæcularem, vel cuiuſcumque etiam Mendicantium Ordinum Regularem, ex his, qui ab Ordinario, & quoad Regulares,qui ſemel tantùm approbati fuerint,& ab eo, quorumcumque peccatorum, & cenſurarum (etiam Sedi Apoſtolicæ;& in Bulla Cœnæ Domini reſeruatorum, & reſeruatarum) plenariam indulgentiam,& remiſſionem ſemel in vita,& ſemel in mortis articulo; aliorum verò Sedi Apoſtolicæ non reſeruatorum, ac reſeruatarum toties, quoties confitebuntur, abſolutionem, & remiſſionem mediante ſalutari pœnitentia, ſecundum culparum indigentiam obtinere. Modò in caſibus in quibus neceſſaria erit, per ipſos, vel dato impedimento,per hæredes,aut alios ſatisfactio fiat. Et illis vota omnia (vltramarino Caſtitatis, & Religionis exceptis)in aliquod ſubſidium huius expeditionis per eumdem confeſſorem commutari, item, ſi dicto anno durante, contingat vel ob repentinam mortem, vel Confeſſorum abſentiam, ſine confeſſione decedere, modò contriti deceſſerint, & priùs ſtatutô tempore confeſſi fuerint, & neque huius conceſſionis fiduciâ negligentiores fuerint,plenariam, vt ſuprà,remiſſionem conſequantur. Ac vti idem omnes Chriſti fideles non tantùm ſemel, ſed bis ſingulo quoque anno, quo idem ſummarium ſumpſerint, tàm per ſe quàm per modum ſuffragij, pro animabus in Purgatorio detentis,indulgentias,conceſſiones,gratias, & indulta prædicta conſequi, eiſque infra eumdem annum, bis (vt præfertur) vti, & potiri,gaudere, ac dictorum bonorum,ſpiritualium participes fieri valeant,in Domino miſericorditer concedimus, & elargimur. Item prædicto Commiſſario, & Receptori generali datur facultas, vt ſuſpendere poſſit,dicto anno durante, omnes ſimiles, vel diſſimiles indulgentias,& facultates, ab eiſdem,& Sede Apoſtolica,vel eius authoritate, quibuſvis Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, piis locis Vniuerſitatibus, Confraternitatibus, & ſingularibus perſonis; in Regnis,Inſulis,terris,locis,& dominiis præfatis (etiam in fauorem fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, vel alterius ſimilis Cruciatæ, ſi quæ in Regnis, Inſulis,terris,locis, & dominiis præfatis recepta adhuc durent) conceſſas huiuſmodi; etiam ſi clauſulas aliquas contra ſuſpenſionem facientes continerent; ita vt interim neque publicari poſſint, neque publicatæ cuivis hominum communiter vel diuiſim ſuffragentur; exceptis tamen conceſſis Ordinum Mendicantium ſuperioribus, quoad eorum Fratres tantùm.Item dicto Commiſſario etiam conceditur facultas, vt ipſe per ſe, vel alium, ſeu alios quando, & quoties ſibi videbitur, indulgentias & alias gratias per eum ſuſpenſas in fauorem illorum, qui præſentium gratiarum in hanc cauſam pro Religionis defenſione conceſſarum, participes effecti fuerint, reualidare abſque aliquo præmio poſſit. Item omnes Ordinarij, Epiſcopi, & Archiepiſcopi dictorum Regnorum, inſularum, terrarum, oppidorum, & dominiorũ prædictorum enixè rogãtur, & in virtute ſanctæ obedientiæ eis præcipitur,vt omnes pœnas pecuniarias,etiam loco corporalium,durante dicto anno,imponendas, ſeu exigẽdas,huic tam pio operi velint applicare; eæque pœnæ omnes, de quarum tamen quantitate,aſſertioni Ordinariorum,

„ quorum conſcientiæ onerantur, ſtandum „ eſſe decernitur, theſauro eiuſdem expeditionis contra Turcas, & alios infideles, ex „ nunc, provt ex tunc applicantur, & appropiantur vnà cum pœnis eorum, qui aliquid „ in huius expeditionis præiudicium vel ad „ ea euntium patrauerint. Item N. Commiſſario, & Receptori generali huius expeditionis deputato, & conſtituto, vt ſupra Ordinariorum huiuſmodi pœnis inquirere, & „ contra eos, qui in præiudicium huius expeditionis, & ad eam euntium aliquid patrauerint, procedere. Item eidem Commiſſario datur etiam facultas ad ſingulas Prouincias Commiſſarios deputandi, & eligendi, „ per Ordinarios locorum, præuiâ maturâ „ deliberatione (onerando eorum conſcientias) approbandos, cum ſimili, & limitata facultate, etiam pro collectione pecuniarum. „ Item eidem Commiſſario conceditur facultas deputandi notarios, quorum opera „ vtendum erit, ab Ordinariis tamen locorum, in quibus illi deputandi ſunt, ſimiliter approbandos. Nec non cogendi tabelliones, & quemlibet alium ad exhibitionem quarumcumque ſcripturarum, vel inſtrumentorum huic negotio pertinentium, „ & deindè inhibendi, quibus inhibendum „ erit. Neque poſſit Commiſſarius generalis „ prædictus coram alio, quàm nobis; neque „ ab eo deputandi poſſint coram alio, quàm „ ipſo Commiſſario pro re ad hoc munus „ pertinente, quandiu iſtis negotiis vacauerint, in iudicium trahi. Poſſint tamen à locorum Ordinariis, ſi ibi deliquerint, coërceri, & puniri. Item quòd ſi in loco, vbi „ erit facienda publicatio, fuerit interdictum, poſſit huiuſmodi interdictum per „ octo dies antea, & poſt, ſuſpendere. Item, „ quòd monere poſſit, habentes pecunias & „ bona in hoc opus deſtinata, ſeu inſtrumenta, aut ſcripturas hoc negotium principaliter, vel ſecundariò concernentes, vt ſtatim, „ cum copiam Commiſſarij, aut ab eo deputati habuerint, propalare teneantur ſub „ pœnis pecuniariis in ſubſidium, quoad „ Epiſcopos, & alios maiores Prælatos, ſuſpenſionis à diuinis, & interdicti in Eccleſiam ingreſſus; quoad alios, excommunicationis latæ ſenténtiæ, à qua, non niſi à „ Sede Apoſtolica abſolui poſſint, & qui ſcienter aliquod prædictorum retinuerit, nullo „ modo poſſit harum litterarum, & gratiarum in eis contentarum beneficio frui. Item „ declarant, quòd expirante anno, omnes ſupradictæ facultates, & gratiæ, & indulta expirent: tantúmque poterunt cauſæ pendentes ad finem perduci. Item ſimiliter conceditur facultas dicto Commiſſario diſpenſandi, & componendi ſuper irregularitate „ cum his, qui quibuſvis Eccleſiaſticis cenſuris ligati Miſſas, & alia diuina officia (non „ tamen in contemptum clauium) celebrauerint, ſeu aliàs ſe immiſcuerint, & ſuper „ alia illis qualibet irregularitate, præterquã „ homicidij voluntarij, aut ſimoniæ, vel apoſtaſiæ à fide, aut hæreſis vel propter malam „ Ordinum ſuſceptionem, contractâ. cum „ retentione beneficiorum, & fructuum ex „ eis perceptorum, & infamiæ, ac inhabilitatis exindè prouenientis, abolitione & „ executione Ordinum non malè ſuſceptorum. Ac (nullis datis litteris, ſeu per confeſſores laceratis) cum his, qui primo, & ſecundo affinitatis ex fornicatione contractæ, gradibus coniuncti matrimonium „ contraxerunt; dummodò, ſi poſt Concilium Tridentinum illius formam ſeruauerint, ac impedimenta huiuſmodi penitùs „ occulta ſint; & alter contrahentium tempore contracti matrimonij impedimenti „ ignarus extiterit, vt altero, ita vt prædicitur, impedimentum ignorante, de nullitate prioris conſenſus priùs certificato, tacitáque, ſi videbitur, cauſa nullitatis, matrimonium inter ſe etiam ſecretè de nouo „ contrahere, in foro conſcientiæ dumtaxàt, „ ſi ad euitanda grauia ſcandala diſpenſandum iudicauerit, diſpenſare, prolemque „ ſuſceptam, & ſuſcipiendam exindè legitimam decernere; necnon etiam in ſuperueniente ſimili affinitatis impedimento, ſimiliter diſpenſare, vt debitum petere poſſint. Item etiam conceditur facultas dicto „ Commiſſario, quòd perſonis nobilibus, & „ quæ iuxta ipſius Commiſſarij arbitrium „ qualificatæ fuerint, vt Miſſas per horam „ ante lucem, & poſt meridiem audire, & „ celebrare facere valeant, indulgere poſſit. „ Ac ſuper illicitè habitis: necnon ſuper medietate legatorum omnium, quæ propter „ malè ablata facta ſunt, ſi legatarij per annum in exactione negligentes fuerint; ac „ ſuper illis, quæ facta erunt, & quæ dicto „ anno durante, fient; ſi legatarij inueniri „ non potuerunt: necnon ſuper malè ablatis, „ & per vſurariam prauitatem, aut aliter „ malè acquiſitis, ſi in omnibus præmiſſis caſibus (præterquam dictæ annalis negligentiæ) perſonæ, quibus reſtitutio, ſeu ſolutio „ facienda eſt, præſtito per reſtitutionem iuramento de diligentia per eum facta pro inueniẽdo legatario, ſeu creditore, & minimè „ inuento, non reperiantur; componere, & ita „ debitores liberari poſſint. Item etiam datur „ facultas eidem Commiſſario componendi „ cum eis, qui ad reſtitutionem fructuum ex „ omiſſione horarum Canonicarum tenẽtur, „

ita

Digitized by Google

ita vt quantitas compoſitionis, pro medietate Eccleſiis, vel aliis locis, quorum, vel quarum ratione Horas prædictas recitare debent, & pro altera medietate in ſubuentionem huius negotij detur. Cæterùm, vt omnibus pateſiat hoc præſens ſummarium, de latino idiomate in vulgari lingua iuxta ritus Prouinciarum, vbi publicatio facienda erit, non mutatâ illius ſubſtantiâ, ac præmiſſo aliquo conuenienti, ac pro præſentium temporum conditione idoneo proœmio, conuerti, illudque de eiuſdem Commiſſarij mandato ſimul, vel ad partem, additis, etiam nominatim pro ſingulorum notitia diebus ſtationum totius anni, intra, & extra muros huius almæ vrbis, ipſorum Commiſſarij, & deputandorum arbitrio imprimi.

Hucuſque, quæ de latina Bulla nobis ſunt opus, quæque in hoc libro ſunt declaranda. Commiſſarius generalis vtens facultate ſibi præſtita ſuſpendendi facultates, & gratias, contentâ in ſuperiore Bulla, eas ſuſpendit per hæc verba.

Proindè Nos præfatus N. Commiſſarius generalis, eadem authoritate Apoſtolica nobis per præfatas litteras conceſſâ, ne hoc adeò pium & ſanctum opus diſturbetur, & impediatur per alias indulgentias gratias, facultates, & conceſſiones, ſuſpendimus, durante anno prædicationis, & publicationis huius Cruciatæ omnes ſimiles, & diſſimiles gratias, indulta, & facultates à præfatis Sanctiſſimis Dominis noſtris, & aliis Summis Pontificibus, & Sede Apoſtolicà, vel eius authoritate, per dicta regna, dominia, inſulas, quibuſcumque Eccleſiis, hoſpitalibus, & locis piis, Vniuerſitatibus, confraternitatibus, & ſingularibus perſonis conceſſas, etiam in fauorem Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, aut alterius ſimilis Cruciatæ; Quamvis omnes conceſſiones huiuſmodi, vel quævis illarum, clauſulas aliquas contrarias huic ſuſpenſioni contineant, etiam ſi pro publicatione, & executione earumdem facultatum emanarint; Ita vt, durante anno prædicationis, & publicationis huius Bullæ, huiuſmodi gratiæ ita ſuſpenſæ, neque publicari, neque ſuffragari alicui poſſint; exceptis tamen iis, quæ conceſſæ ſunt Ordinum Mendicantium ſuperioribus, quoad eorum Fratres. Inſuper in fauorem præſentis huius conceſſionis, & Cruciatæ declaramus, vt quicumque ſummarium huiuſmodi Bullæ, ſermone, & idiomate vulgari conſcriptum acceperint, ii omnes fruantur, potiantur, & gaudeant omnibus gratiis, indulgentiis Iubilæis, peccatorum remiſſionibus, ipſis, tàm per ſanctiſſimum dominum noſtrum N. quàm per alios Summos Pontifices, aut Sedem Apoſtolicam conceſſis. Quæ ſcilicèt omnia nos idem Commiſſarius generalis, vigore facultatis, & commiſſionis Apoſtolicæ per varias, & diuerſas litteras nobis attributæ, & conceſſæ, reualidamus, & in priſtinum ſtatum reducimus, & reſtituimus. Cæterùm in hac noſtra reualidatione minimè comprehendi volumus priuilegia, facultates, & indulta, quæ ſint contraria, & expreſſa in præfata Bulla. Ibidem virtute facultatis prædictæ ſuſpendimus interdictum, ſi forſan aliquod fuerit, in loco, vbi publicatio huius conceſſionis facienda fuerit, per octo dies ante, & totidem poſt publicationem, veluti in ipſis litteris Apoſtolicis latiùs habetur.

Facultatem autem veſcendi lacticiniis pro Eccleſiaſticis conceſſit Vrbanus VIII. in litteris datis Romæ apud S. Mariam Maiorem die 3. Iunij, anno 1624. duraturis ad quinquennium; quo elapſo iterum prorogantur, ſicut & Bulla ſuprapoſita, præterito tempore, pro quo conceditur, rursùs à Pontifice ad inſtantiam Regis Hiſpaniarum prorogatur. Quamvis tamen ea facultas lacticiniorum in prima Vrbani expeditione pro quinquennio ſolùm fuerit conceſſa; mihi perſuadeo, deinceps eam pro ſexennio prorogari, ſimul cum cæteris Bullæ priuilegiis, quæ quolibet ſexennio confirmantur. In eis verò litteris ſequens clauſula legitur.

Venerabilibus Patribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis inferioribus Prælatis, necnon Presbyteris ſæcularibus prædictis dumtaxàt, vt Quadrageſimali tempore (hebdomada tamen maiori excepta) ouis ſimiliter, & lacticiniis, pro eorum libito vti, & veſci, Apoſtolicà auctoritate, tenore præſentium indulgemus.

CAPVT II.

Bullæ S. Cruciatæ Hiſpanæ tranſcripta.

RArò Bulla Latina præ manibus habetur, ſæpè Bullæ vulgari noſtro Hiſpano idiomatè traductæ; ideóque eas placuit hic tranſcribere (demptis clauſulis proœmialibus, quæ ad præſens non referunt) & quia in hoc tomo verbatim ferè eas explicabimus. Commiſſarius generalis vtens facultate ſibi in Bulla Latina præſtita, vertendi in noſtram linguam litteras illas, addendo, & explicando, quæ ſibi viderentur, non mutata ſubſtantia: ex prima

prima Bulla tres Hiſpanas compoſuit, cum diuerſis facultatibus, diuerſiſque taxis eleemoſynæ pro illis erogandæ iuxta qualitatem perſonarum. Ex litteris verò Vrbani VIII. Bullam lacticiniorum pro Eccleſiaſticis conceſſit. Quare quatuor ſunt extracta ſummaria in communi idiomate; Bulla ſcilicèt communis, ſeu viuorum; lacticiniorum pro Eccleſiaſticis, compoſitionis, & defunctorum. Facultates autem ſpeciales, quibus Commiſſarius gaudet, ſolùm in Bulla Latina plenè inueniuntur, quas traducere præter rem erat. Igitur quatuor præfata ſummaria iam hic apponimus, eo tenore, quo anno 1649. circumferuntur.

BVLLA COMMVNIS VIVORVM idiomate Hiſpano tranſcripta.

BVlla de la ſanta Cruzada, concedida por las Santidades del Papa Paulo V. y Vrbano VIII. de felice recordacion, y mandada publicar por nueſtro muy ſanto Padre Innocentio Decimo, para en los Reynos de Eſpaña, è iſlas a ellos adjacentes, y en los Reynos de Sicilia, y Cerdeña, en fauor de los que ayudaren, y ſiruieren en la guerra, ò gaſtos della al Rey don Felipe IV. N.S. contra los infieles y hereges, enemigos de nueſtra S. Fè Catolica, con muy grandes indulgencias, y perdones.

Primeramente ſu Santidad concede a todos los fieles Chriſtianos de los dichos Reynos y ſeñorios, eſtantes y habitantes en ellos, y à los que à ellos vinieren, ò en ellos ſe hallaren, que mouidos con zelo del enſalçamiento de la Fè Catolica, fueren à ſu coſta perſonalmente a ſeruir a la guerra en el exercito, y con la gente, que ſu Mageſtad embia, por tiempo de vn año a pelear contra los Turcos, y los otros infieles, ò hazer otro qualquier ſeruicio, ò ayudar perſonalmente en el dicho exercito, permaneciendo en el haſta fin del dicho año, la plenaria indulgencia, y remiſſion de todos ſus pecados, ſi dellos eſtuuieren contritos de corazon, y los confeſſaren de boca, ò no pudiendo confeſſar, lo deſearen de coraçon, que ſe ha acoſtumbrado conceder à los que van à la conquiſta de la tierra ſanta, y en en el año del jubileo; y declara, que la tal indulgencia conſigan aſſi miſmo los que murieren antes del fin de la expedicion, ò en el camino yendo al exercito, ò en el miſmo exercito. Y aquellos que por cauſa de enfermedad, ò por otra neceſſidad legitima que les ſobreuenga, ſe partieren del exercito antes de la expedicion. Y otroſi concede la miſma indulgencia à aquellos, que aunque no voyan perſonalmente, embiaren otros, à ſu coſta en eſta manera: que ſi el que aſſi embiare fuere Cardenal, Primado, Patriarca, Obiſpo, hijo de Rey, Principe, Duque, Marques, Conde, embie quantos hombres comodamente pudiere haſta diez dellos, y no pudiendo tantos, a lo menos quatro. Y las otras perſonas, de qualquier condicion que ſean, legos, ò Clerigos, embie cada vno el ſuyo, ſino fueren tan pobres, que no pudieſſen hazerlo; y en tal caſo, dos, tres, ò quatro, podran embiar vn ſoldado, contribuyendo en eſto cada vno ſegun ſu poſſibilidad. Item los Cabildos de las Igleſias, y Monaſterios de Religioſos, y Religioſas, aunque ſean de los Mendicantes, que por cada diez perſonas de los tales Cabildos, y Monaſterios embiaren vn ſoldado, auiendo ſe eſto tratado, y acordado en ſu Cabildo, conſiganla miſma indulgencia; la qual aſſimiſmo conſeguiran los que fueren embiados, ſi fueren pobres. Iten los Clerigos Seculares, que con licencia de ſus Ordinarios, y los Regulares de ſus Superiores, predicaren la palabra de Dios en el dicho exercito, ò exercitaren otros miniſterios Eccleſiaſticos, y pios, lo qual ſe declara ſerles licito en el exercito, ſin incurrir en irregularidad, y que puedan ſeruir ſus beneficios por tenientes idoneos, no ſiendo curados, ò de cargo de animas, que eſtos no podran ir ſin licencia de ſu Santidad. Y los ſoldados que en eſta guerra eſtuuieren, ſe declara no eſtar obligados à los ayunos, que por voto, ò precepto de la Igleſia lo eſtuuieran, no eſtando en la guerra. Iten concede ſu Santidad à todos los ſuſdichos, y à los que no fueren, ni embiaren, ſi de ſus bienes liberalmente contribuyeren, y ayudaren para eſta ſanta obra con la limoſna infra eſcrita, que durante el dicho año, que corre deſde el dia de la publicacion deſta Bulla, en cada lugar, puedan gozar, y gozen de todas las gracias, y facultades contenidas en eſta Bulla; conuiene à ſaber, que puedan, aun en tiempo de entredicho Apoſtolico, ò ordinario, oyr Miſſa en las Igleſias, y Monaſterios, ò Oratorio particular ſeñalado, y viſitado por el Ordinario, ò dezir Miſſa, y otros diuinos oficios por ſus perſonas, ſi fueren presbyteros, ò hazerlos celebrar à otros en ſu preſencia, y de ſus familiares, y parientes, y recebir el ſanto Sacramento de la Euchariſtia, y los demas Sacramentos, ſaluo en el dia de la Paſcua, con que ellos no ayan dado cauſa à tal Entredicho, ni aya quedado por ellos, que ſe quite, y con que las vezes, que quiſieren vſar del dicho

Oratorio,

Digitized by Google

Oratorio, para lo que dicho es, rezen, y hagan oracion conforme à la deuocion de cada vno, por la conſeruacion de los Principes Chriſtianos, y victoria contra infieles. Iten concede, que en tiempo de entredicho, puedan ſer ſepultados los cuerpos de los difuntos, en ſepultura ſagrada, con moderada pompa funeral. Item concede à todas las perſonas, que tomaren eſta Bulla, que durante el dicho año, puedan de conſejo de ambos medicos, eſpiritual, y corporal, comer carne en Quareſma, y otros tiempos de ayunos, y dias prohibidos de comer carne por todo el año; y que anſi miſmo puedan libremente à ſu albedrio comer hueuos, y coſas de lechede manera, que los que no comieren carne, guardando en lo demas la forma del ayuno Eccleſiaſtico, ayan cumplido, y ſatisfecho al dicho ayuno. Y en eſte indulto de comer hueuos, y coſas de leche à ſu aluedrio, no ſe comprehenden los Patriarcas, Primados, Arçobiſpos, Obiſpos, ni otros Prelados inferiores, ni qualeſquier perſonas regulares, ni de los ſeglares los Clerigos presbyteros, en quanto à los dias de la Quareſma tan ſolamente. Empero ſacanſe deſtos nombrados, los que fueren de ſeſenta años, y todos los Caualleros de las Ordenes militares, que los vnos, y los otros podran comer hueuos, y coſas de leche à ſualbedrio, y gozar de dicho indulto. Item los ſuſodichos, que no fueren, ni embiaren, ſi contribuyeren, y ayudaren de ſus bienes, y demas de la dicha contribucion, ayunaren voluntariamente por deuocion en dias, que no fueren de precepto, è hizieren oracion implorando la ayuda de Dios por la victoria contra infieles, y ſu gracia por la vnion, y confederacion de los Principes Chriſtianos, y ſino pudieren ayunar por algun legitimo impedimento, hizieren otra obra pia à arbitrio de ſu Confeſſor, ò de ſu Cura, todas quantas vezes lo hizieren, durante el dicho año, ſe les conceden, y relaxan miſericordioſamente quince años, y quince quarentenas de perdon de las penitencias à ellos impueſtas, y en qualquiera manera deuidas, y que ſean participantes de todas las oraciones, limoſnas, peregrinaciones, y tambien de las de Ieruſalen, y de todas las demas buenas obras, que en la vniuerſal Igleſia Militante, y en cada vno de ſus miembros ſe haze. Item concede, à los que en dias de Quareſma, y otros dias del año, en que ay eſtaciones de Roma, viſitaren cinco Igleſias, ò cinco Altares, y ſino huuiere cinco Igleſias, ò cinco Altares, cinco vezes vna Igleſia, ò vn Altar, y alli hizieren oracion deuotamente por la vnion, y vitoria ſuſodicha, que gañen, y conſigan todas las indulgencias, y perdones, que gañan, y conſiguen, los que perſonalmente viſitaren las Igleſias de la Ciudad de Roma, y extra muros della, y como las ganarian, ſi perſonalmente viſitaſſen las dichas Igleſias. Item, para que con mas puridad, y limpieza de ſus conciencias puedan hazer oracion, concede ſu Santidad à todos los ſuſodichos, que puedan elegir por Confeſſor à qualquier presbytero ſecular, ò regular de los aprobados por el Ordinario, el qual los pueda abſoluer vna vez en la vida, y otra en el articulo de la muerte de qualeſquier pecados, y cenſuras, aunque ſean de los ſeruados, y reſeruadas à la Sede Apoſtolica, y de los declarados en la Bulla in cœna Domini, excepto del crimen, y delito de la heregia, y que conſigan, y ayan indulgencia plenaria dellos; de las cenſuras, y pecados no reſeruados à la Sede Apoſtolica, los puedan abſoluer tantas, quantas vezes los confeſſaren con penitencias ſaludables conforme à las culpas; y en caſo, que ſea neceſſario ſatisfaccion, para conſeguir la dicha abſolucion, la hagan por ſus perſonas, y auiendo impedimento, la puedan hazer ſus herederos, ò otros por ellos. Podra tambien el dicho Confeſſor comutarles qualeſquier votos, aunque ſean hechos con iuramento, dando la limoſna, que pareciere, en fauor, y beneficio de la ſanta Cruzada, excepto los de Caſtidad y Religion, y vltramarino. Item, que ſi durante el dicho año, acaeciere, que ellos por muerte repentina, y ſubita, ò por auſencia de Confeſſor mueran ſin confeſſion, con que ayan muerto contritos, y al tiempo eſtatuido por la Igleſia ſe huuierem confeſſado, y que no ayan ſido negligentes, ni deſcuidados en confiança deſta gracia, conſigan la dicha plenaria indulgencia, y remiſſion de pecados, y à ſus cuerpos ſe pueda dar Eccleſiaſtica ſepultura, ſino huuierem muerto deſcomulgados, no obſtante el entredicho. Otro ſi, ſu Santidad por ſu Breue particular ha concedido à todos los fieles Chriſtianos, que tomaren eſta dicha Bula dos vezes en el dicho año, que puedan otra vez en la vida, y otra en el articulo de la muerte, demas de la que arriba eſtà concedida, ſer abſueltos de todos, y qualeſquier pecados, crimines, y exceſos, por mas graues que ſean, y de qualeſquier cenſuras, y ſentencias de excomunion, en que huuieren incurrido, aunque ſean de las contenidas en la Bula de la cena del

Digitized by Google

Señor, y la abſolucion reſeruada à ſu Santidad, excepto el crimen de la heregia, como dicho es, y puedan gozar dos vezes de todas las gracias, indulgencias, facultades, y perdones contenidos en la dicha Bula, Y ſu Santidad da facultad à Nos N. Comiſſario Apoſtolico general de la ſanta Cruzada, para que podamos ſuſpender, durante el año de la publicacion deſta dicha Bula, todas las gracias, indulgencias, facultades, y priuilegios concedidos en eſtos dichos Reynos, y Señorios, Iſlas, y Prouincias, de qualeſquier Igleſias, y Monaſterios, y Hoſpitales, Cofradias, y lugares pios, y perſonas particulares, aunque las conceſſiones tengan clauſulas contrarias à eſta ſuſpenſion. Y otroſi, para que podamos reualidar aquellas miſmas gracias, y facultades, y otras qualeſquier. Y para que Nos, y nueſtros ſubdelegados podamos ſuſpender el entredicho, ſi le huuiere, donde ſe predicare eſta Bula. Y otroſi, para que podamos arbitrar, y declarar, conforme à la calidad de las perſonas, la contribucion, y limoſna, que huuieren de dar los que tomaren eſta Bula. Y Nos el dicho Comiſſario general Apoſtolico de la ſanta Cruzada, en fauor deſta ſanta Bula, por la autoridad Apoſtolica à Nos concedida: y para que tan ſanta obra no ſe impida, ni ceſe por otra indulgencia, ſuſpendemos, durante el año de la publicacion, y predicacion della, todas y qualeſquier gracias, indulgencias, y facultades ſemejantes, ò differentes, concedidas por ſu Santidad, ò por otros Summos Pontifices ſus predeceſſores, ò por la ſanta Sede Apoſtolica, ò por ſu autoridad, en todos los dichos Reynos, y ſeñorios de ſu Mageſtad, à todas, y qualeſquier Igleſias, y Monaſterios, Hoſpitales, y otros lugares pios, Vniuerſidades, Cofradias, y ſingulares perſonas; aunque las dichas gracias, y facultades ſean en fauor de la dicha fabrica de ſan Pedro de Roma, ò de otra ſemejante Cruzada, y aunque todas y qualeſquier dellas tengan clauſulas contrarias à eſta ſuſpenſion. Por manera, que durante el año de la publicacion deſta dicha Bula, ninguna perſona pueda ganar, ni gozar ningunas otras gracias, indulgencias, y facultades, ni ſe puedan publicar, excepto las concedidas à los ſuperiores de las Ordenes Mendicantes, en quanto à ſus Frayles. Y en fauor deſta dicha Bula, y por la miſma autoridad Apoſtolica, declaramos, que los que tomaren eſta preſente Bula, puedan gozar, y gozen de todas las gracias, y facultades, è indulgencias, iubileos, y perdones, y remiſſion de pecados, que les ayan ſido concedidos por nueſtros muy ſantos Padres Paulo V. y Vrbano VIII. y por los otros Summos Pontifices paſſados, de felice recordacion, ò por la ſanta Sede Apoſtolica, ò por ſu autoridad, comprehendidas en la dicha ſuſpenſion; las quales, en virtud de la dicha comiſſion Apoſtolica, les reualidamos. Y por la miſma autoridad Apoſtolica ſuſpendemos el entredicho, ſi le huuiere, en qualquier lugar, donde ſe hiziere la publicacion, y predicacion deſta Bula, por ocho dias antes, y deſpues, ſegun que en la Bula de ſu Santidad ſe contiene. Y declaramos, que los que la tomaren ayan de recibir, y guardar eſte ſumario, y Bula, que và impreſſo de molde, y ſellado, y firmado de nueſtro nombre, y ſello; porque de otra manera no ganan, ni gozan de la dicha Bula, ni gracias della. Y por quanto vos N. diſteis :::: reales de plata, que es la limoſna, que auemos taſſado, y declarado, y recibiſtes eſta dicha Bula, eſcrito en ella vueſtro nombre, declaramos, que aueis conſeguido, y ſe os conceden las dichas indulgencias, gracias, y facultades, y que podeis vſar, y gozar de todas ellas en la forma ſobredicha. De lo qual mandamos dar la preſente en Madrid, &c.

Forma de abſolucion, que vna vez en la vida, y otra en el articulo de la muerte, ſe pueda hazer por virtud deſta Bula, à qualquier perſona, que la tomare.

Miſereatur tui omnipotens Deus, &c. Por la autoridad de Dios todo poderoſo, y de los bien auenturados Apoſtoles ſan Pedro, y ſan Pablo, y de nueſtro muy ſanto Padre, eſpecialmente à ti concedida, y à mi cometida, yo te abſueluo de toda cenſura de excomunion mayor, ò menor, ſuſpenſion, ò entredicho, *à iure, vel ab homine*, y de todas las otras cenſuras, y penas, en que por qualquiera cauſa ayas incurrido, aunque la abſolucion dellas ſea reſeruada à la ſanta Sede Apoſtolica, ſegun por eſta te es concedido, y reſtituyote à la vnion, y comunion de los fieles Chriſtianos. Y anſi miſmo te abſueluo de todos tus pecados, crimines, y exceſos, que à mi agora has confeſſado, y de los que confeſſaras, ſi à tu memoria occurrieſſen, aunque ſean tales, que la abſolucion dellos à la ſanta Sede Apoſtolica, como dicho es, pertenezca, y otorgote plenaria indulgencia, y remiſſion cumplida de todos tus pecados, aora, y en qualquier tiempo confeſſados, oluidados, ò ignorados, y de las penas, que por ellos eras obligado à padecer en el Purgatorio. *In nomine Patris, &c.*

Immediatè

Digitized by Google

5 Immediatè poſt, apponitur ſummarium dierum, in quibus ſunt ſtationes in Vrbe in eiſque plenariæ indulgentiæ, quæ conceduntur ſumentibus hanc Bullam, Altariaque, vt in ea continetur, viſitantibus, recenſenturque ſex & octoginta dies ſtationum per totum annum; in quorum decem ſimul cum plenaria indulgentia, anima à purgatorij pœnis eruitur. Summario autem peracto, vltimò hæc adduntur verba: *Todos los demas dias del año ſe ganan las indulgencias, que en Roma por auer cada dia eſtacion en ella.*

6 Bulla lacticiniorum pro Eccleſiaſticis, poſt procemium continet clauſulam, quæ facultatem ad veſcendum illis exprimit; proæmium ergo expungemus, cætera ſic ſe habent.

BVLLA LACTICINIORVM pro Eccleſiaſticis.

› BVla concedida por la ſantidad de Vrbano Octauo, y mandada publicar por nueſtro muy ſancto Padre Innocentio Decimo para los Patriarchas, Primados, Arçobiſpos, Obiſpos, Clerigos Presbyteros ſeculares, à quien eſtà prohibido, el comer hueuos, y coſas de leche en tiempo de Quareſma, lo puedan comer el año de &c.

› Su Santidad ha concedido, y permitido al clero, que pueda comer hueuos, y coſas lacticinias en tiempo de Quareſma, excepto la ſemana ſanta, dando limoſna por eſta Bula, lo que ſeñalaremos Nos N. Comiſſario Apoſtolico General de la Santa Cruzada, y demas gracias en todos los Reynos, y ſeñorios de ſu Mageſtad, &c. Y por quanto vos N. diſtes :::: reales de plata para eſta ſanta expedicion, y empreſſa, os damos licencia para el dicho año de, &c. que podais comer en el dicho tiempo hueuos, y coſas de leche. Dada en, &c.

7 Bulla compoſitionis, ablato ſimiliter, breuitatis ergo, procemio, ſic ſe habet.

BVLLA COMPOSITIONIS.

› BVla de compoſicion ſobre bienes mal auidos, y adquiridos, de cuyos propios dueños no conſta, concedida por las Santidades de Paulo Quinto, y Vrbano Octauo de felice recordacion, y mandada publicar por nueſtro muy ſanto Padre Inocentio Decimo, que al preſente rige, y gouierna la Santa Jgleſia Catolica, en fauor de los que ayudaren à los gaſtos del Rey don Felipe nueſtro Señor en las guerras contra los infieles enemigos de nueſtra ſanta Fè Catolica.

Nueſtros muy ſantos Padres Paulo Quinto de felice recordacion, Vrbano Octauo, y Inocentio Decimo, ayudando juramente à las guerras, que el Rey don Felipe quarto nueſtro Señor haze contra infieles, ha concedido eſta Bula de compoſicion en fauor de la Santa Cruzada. Y da poder, y facultad à Nos N. Comiſſario Apoſtolico General de la Santa Cruzada, y demas gracias en todos los Reynos, y ſeñorios de ſu Mageſtad, para que en los bienes de inciertos dueños, podamos à nueſtro albedrio taſſar, y moderar las deudas, y componer los deudores, de manera, que todos ſe animen à hazer las tales compoſiciones, y reſtituciones, aplicando la ſuma de qualquier compoſicion, que aſſi ſe hiziere, para ayuda à los gaſtos, que la Mageſtad Catolica haze en las continuas guerras, que contra los enemigos de la ſanta Fè Catolica mantiene. Y Nos el dicho Comiſſario Apoſtolico General de la ſanta Cruzada, con la autoridad, que de ſu Santidad tenemos, para taſſar, moderar, arbitrar y componer en las deudas, cuyos proprios, y legitimos dueños, hecha la debida diligencia, no conſta, para aplicar, lo que en las compoſiciones, que con nueſtra autoridad ſe hizieren, procediere, mirada la intencion de la Sede Apoſtolica, que es el remedio, y ſalud de las conciencias, y la defenſa, y aumento de nueſtra ſanta Fè, hemos tenido por bien, y queremos, y declaramos, que qualquier perſona, que tomando eſta ſanta Bula, diere dos reales, para ayuda de las guerras que la Mageſtad Catolica del Rey don Felipe nueſtro Señor, contra los infieles, y hereges, enemigos de nueſtra ſanta Religion, ſuſtenta ſea, libre, y perdonado de todo lo reſtante, que à incierto dueño, ò dueños deuiere, haſta en ſuma de dos mil marauedis, ſin ſerle neceſſario hazer otra reſtitucion, ò deſcargo alguno; antes lo tenga, y poſſea con buena fee, y con ſana conciencia, como hazienda ſuya propria, juſtamente ganada, y adquirida. Y ſi la ſuma, y candidad, que aſſi fuere à cargo, montare mas de los dichos dos mil marauedis; en virtud de la miſma autoridad Apoſtolica, que para ello nos es concedida, tenemos por bien, que quantas vezes tomare eſta ſanta Bula, ò diere la limoſna de los dichos dos reales, tantas vezes ſea compueſto à razon de dos mil marauedis, haſta en ſuma, y cantidad de cien mil marauedis, y no mas; porque dende arriba, ha de venir, ò embiar ante Nos, para que conforme à la relacion, que nos fuere fecha, proueamos en particular de

Digitized by Google

,de congrua compoſicion. Lo qual todo ,entendemos con condicion, que los tales ,deudores no ayan auido las coſas, ò cantidad, de lo que ſe huuiere de componer, en ,confiança deſta compoſicion, porque en ,tal caſo no ſe pueden componer. Y por ,quanto vos N. diſtes dos reales de plata, ,que es la cantidad, que aſſi hemos taſſado, ,arbitrado, y moderado, en virtud de la dicha autoridad, y facultad Apoſtolica, que ,para ello tenemos, quedais libres; y abſueltos de las reſtituciones inciertas, que ,fueredes à cargo, haſta en cantidad de los ,dichos dos mil marauedis, ò dende abaxo ,en la forma ſuſodicha. Los quales dichos ,dos reales de la dicha limoſna aplicamos ,conforme à la Bula, y Breue de ſu Santidad, ,para ayuda de la dicha ſanta expedicion, ,y guerra contra infieles. Y mandamos preciſamente, que recibais en vos eſta ſanta ,Bula, porque aſſi lo quiere, y manda ſu ,Santidad; y que de otra manera no gozeis ,de la compoſicion, que por ella ſe os concede. La qual mandamos dar impreſſa de ,molde, y firmada de nueſtro nombre, y ,ſellada con nueſtro ſello acoſtumbrado. ,Dada en, &c.

, Los caſos, en que ha lugar la compoſicion, y por virtud deſta Bula van compueſtos, los que la tomaren, y dieren la dicha ,limoſna, ſon los ſiguientes: en los quales, ,haſta en los dichos dos mil marauedis, y ,dende abaxo, y ſiendo en mas cantidad, ,tantas quantas vezes tomaren eſta dicha ,Bula, y dieren la dicha limoſna, quedan ,compueſtos de los dichos dos mil marauedis, haſta en la ſuma, y cantidad de los dichos cien mil marauedis, y no mas. Y de ,alli arriba ſe ha de acudir à Nos, ſegun dicho es, y arriba ſe declara. La qual dicha ,compoſicion ſe entiende, no ſabiendo, à ,quien ſe puedan, y deuan reſtituir los bienes, porque la dicha compoſicion ſe hizieren.

, Primeramente ſe puede componer ſobre ,lo mal ganado, y auido; ſobre lo mal lleuado, y adquirido, por logros, ò vſuras, ò en ,otra qualquier manera, no conſtando de ,los dueños, à quien ſe deue hazer la legitima reſtitucion, hecha la debida diligencia. ,Item ſe puede componer ſobre los frutos ,de beneficios, y otras rentas Ecleſiaſticas ,mal auidas, y lleuadas, por defecto de no ,auer rezado las horas canonicas, con que ,demas, y aliende de los dos reales, que ſe ,ha de dar en limoſna, por la compoſicion ,de los dichos dos mil marauedis, aya de dar ,la perſona, que aſſi ſe compuſiere de los ,dichos frutos, otros dos reales à la fabrica de la Igleſia, donde fuere el tal beneficio, , porque hiziere la compoſicion, y al miſmo , reſpeto, de lo que mas ſe compuſiere, y, por la orden ſuſodicha, y declarada. Item, ſe puede componer ſobre la mitad de los, Legados, que fueren hechos en deſcargo, de lo mal lleuado, ſiendo las perſonas à, quien ſe huuieren hecho las mandas, negligentes por vn año en la cobrança, aunque, ſe ſepa, quien ſon los tales Legatarios, y, perſonas. Item ſe puede componer ſobre, los legados hechos antes de aora, ò que en, el tiempo de la predicacion deſta Bula ſe, hizieren, cuyos legatarios no ſe hallaren, , hecha la deuida diligencia. Item ſi algun iuez ordinario, ò Delegado, ò Aſſeſſor, huuieren recibido algun dinero, ò otra, coſa, por dar mala, ò iniuſta ſentencia, ò, por dilatar la cauſa en perjuizio de la parte, , ò por hazer algun agrauio, ò otra coſa, , que no deban, en tal caſo ſe pueden, y, deben componer, de lo que aſſi recibieren, , quedando à ſaluo el daño que la parte recibio, para que ſe ſatisfaga. Item, que ſi, algun Abogado recibio alguna coſa, por, abogar en cauſa injuſta, ſabiendolo ſu parte, ſe puede dello componer; pero à la, parte à quien per iudicio, ha de hazer ſatiſfacion del daño. Item, que ſi algun teſtigo, por teſtificar falſo, ò algun Fiſcal, ò, acuſador, por acuſar à alguno falſamente, , ò dexarle de acuſar, ſiendo obligado de, acuſarle, recibio alguna coſa, ſe puede, componer de lo que aſſi recibio, y ha de ſatisfazer à la parte, à quien perjudicò. Item, los oficiales, Eſcriuanos, Notarios, ò Secretarios, que por hazer algo iniuſtamente en, ſu oficio, recibieron alguna coſa, ſe puedan dello componer; pero à las partes, à, quien perjudicaron, han de hazer ſatiſfaccion del daño. Item ſe pueden componer todos los juezes Seculares, y los Ecleſiaſticos en cauſas temporales, de lo que, por razon de adminiſtrar la iuſticia, que, deuian à las partes conforme à ſu derecho, , huuieren recibido, aſſi dineros, como en, otra eſpecie. Item ſe pueden componer, los Eſcriuanos, Notarios, y Secretarios, y, los otros oficiales de Iuſticia que huuieren, recibido, y lleuado derechos demaſiados, por razon de oficios, contra las leyes, y, ordenanças, que les eſtan dadas, no ſabiendo las perſonas, à quien ſe deuen reſtituir. Item, que ſi alguno iniuſta, ò indebidamente, por rogar, y fauorecer, que, no ſe haga iuſticia, ò que ſueltem aquel, , que iuſtamente eſtaua preſo por delitos, , lleuò dineros, ò otras coſas algunas, ſe, podra componer, en lo que aſſi lleuò, , ſatisfaciendo,

Digitized by Google

, ſatisfaciendo el daño de la parte, à quien ſe
, hizo el agrauio. Item ſe pueden componer
, de lo que por juegos fueren obligados à
, reſtituir à pobres; pero auiendo interue-
, nido engaño en ellos; ò, ganando à perſo-
, nas, que no pudieſſen enagenar, lo que
, perdieron, no ſe puede componer; y ſa-
, biendo, à quien ſe lo ganaron, ſon obliga-
, dos à ſe lo reſtituir; y no lo ſabiendo, ſe
, pueden componer en eſte caſo, como en el
, de arriba. Item, ſi alguno diſſimulando en
, ſi, lo que no ay en el, ò otra coſa ſemejan-
, te, de lo que en eſte color huuiere recibi-
, do, ſe puede componer. Y el que pide li-
, moſna, fingiendo ſer pobre, no lo ſiendo,
, de lo que por eſta cauſa huuiere recibido,
, ſe puede componer, no ſabiendo en ambos
, eſtos caſos, à quien como dicho es, ſe debe
, reſtituir. Item, en todas las coſas que algu-
, no huuieren hallado, hecha primero ſufi-
, ciente diligencia, no pareciendo ſus due-
, ños, ni à quien competen de ſer reſtituidas,
, ſe puede componer. Item, el que tuuiere
, alguna, ò algunas coſas en ſu poder de per-
, ſona, o perſonas, que no pueden ſer aui-
, das, para reſtituirſelo, auiendoſe para el-
, lo hecho la debida diligencia neceſſaria, ſe
, podrà componer, de lo que aquello mon-
, tare. Item, ſe pueden componer de los
, daños, que han hecho andando à caça con
, ſus ganados, ò de otra manera, aſſi en los
, panes, ò viñas, como en otros qualeſquier
, heredamientos, no ſabiendo, à quien ſe
, huuiere hecho el daño. Item, todas las mu-
, geres, que no ſon publicamente deshone-
, ſtas, ſe pueden componer de qualquier di-
, nero, ò joyas, que por cauſa fea huuieren
, recibido, y los hombres, ſi de mugeres, que
, no tienen maridos, ſe pueden componer
, por la miſma razon. Item, ſi alguno ha ven-
, dido vino aguado por puro, ò medido con
, falſa medida, ò huuiere vendido otra coſa
, alguna con menores peſos, ò medidas; ò
, vendido vna coſa por otra, ò mezclado, ò
, peſado, ò mal medido, no ſabiendo à quien
, ſe huuiere vendido, ſe puedan componer.
, Item, generalmente ſe pueden componer
, de qualquier genero de hazienda ilicita, y
, malamente auida, mal ganada, y adquirida,
, aſſi por vſura, ò logro, como en otra qual-
, quier forma, ò manera, oficio, ò trato, que
, ſea, ò ſer pueda, no ſabiendo el dueño, à
, quien legitimamente ſe pueda, y deba ha-
, zer la reſtitucion. Con tanto, que el que
, aſſi ſe huuiere de componer, no aya auido
, las coſas, ò quantia, de que aſſi ſe compu-
, ſiere, en confiança deſta compoſicion, por-
, que entonces ſerà obligado à lo reſtituir
, enteramente à la ſanta Cruzada, para ayu-
, da à los dichos gaſtos de la guerra contra
infieles. Item, Nos el dicho Comiſſario Ge- ,
neral ordenamos, declaramos, y manda- ,
mos, ſopena de excomunion mayor latæ ,
ſententiæ, que ningun Comiſſario, Predi- ,
dicador, Teſorero, ni Recetor, de la Santa ,
Cruzada ſe entremeta à hazer, ni haga nin- ,
guna compoſicion, de qualquier forma que ,
ſea, en manera alguna; pues ſi alguna per- ,
ſona tuuiere neceſſidad de ſer compueſta ,
en mas cantidad de lo contenido en eſta ,
Bula, ha de acudir ante Nos, como eſtà ,
dicho. Y la compoſicion que de otra ma- ,
nera ſe hiziere, ſerà en ſi ninguna, y de ,
ningun efecto. ,

En los caſos, y coſas, que aqui particu- ,
larmente no van expreſſados, atento, que ,
la facultad, y comiſſion à Nos dada, y con- ,
cedida por ſu Santidad, es general, y com- ,
prehende otras mas coſas, en que ſe puede ,
hazer la dicha compoſicion, lo remitimos ,
al albedrio de los Confeſſores, para que el- ,
los, como medicos eſpirituales, digan, y ,
declaren à ſus penitentes, de todo lo que ,
en virtud deſta Bula, y facultad Apoſtoli- ,
ca, ſe podran componer, para el deſcargo, ,
y ſatisfacion de ſus animas, y conciencias, ,
demas de los caſos en eſta Bula declarados. ,

8 Hucuſque Bulla compoſitionis. Sola re-
ſtat Bulla defunctorum, quæ, omiſſis, ſicut
in præcedentibus, procemio, & his, quæ
ad rem præſentem non attinent, ſic ſe ha-
bet.

BVLLA DEFVNCTORVM

BVla de indulgencia plenaria, concedi- ,
da para las animas de los fieles difun- ,
tos por las Santidades de Paulo Quinto, y ,
Vrbano Octauo de felice recordacion, y ,
mandada publicar por nueſtro muy Santo ,
Padre Inocencio Decimo para la predica- ,
cion del año, &c. ,

Nueſtro muy Sancto Padre Paulo Quin- ,
to de felice recordacion concedio eſta pre- ,
ſente Bula, y indulgencia plenaria, y la ,
manda publicar nueſtro muy Santo Padre ,
Inocencio Decimo. Y por quanto vos N. ,
diſtes : : : : reales de plata, que es, lo que ,
eſtà taſſado, y declarado por Nos N. Co- ,
miſſario Apoſtolico General de la Santa ,
Cruzada, y demas gracias, en todos los ,
Reynos, y ſeñorios de ſu Mageſtad, para ,
eſta ſanta expedicion, y empreſſa, en fa- ,
uor del anima de N. y recibiſtes en vos ,
eſta Bula, le es otorgada la indulgencia ſo- ,
bredicha. Dada en, &c.

CAP. III.

Digitized by Google

CAPVT III.

Taxa eleemoſynæ pro ſingulis Bullis deſignata.

PRo Bulla compoſitionis, vt ex ipſa in ſermone Hiſpano, conſtat, deſignatum eſt à Commiſſario, vt duæ drachmæ argenteæ præbeantur, in Cruciatæ ſubſidium, ſine diſtinctione perſonarum illam ſumentium; ita tamen, vt, ſi compoſitio fiat ob defectum recitationis Horarum Canonicarum, aliæ duæ drachmæ fabricæ Eccleſiæ, in qua ſitum eſt Eccleſiaſticum beneficium, tribuantur. Eleemoſyna autem præſtanda pro cæteris Bullis, varia eſt pro varietate perſonarum eas accipientium, deſignata, & taxata à Generali Cruciatæ Commiſſario, qui ad hoc facultatem à Pontificibus habet, vt ex poſitis Bullis eſt manifeſtum. Ille ergo attendens ad perſonarum opes, dignitatem, & ſtatum, diuerſam pro ſingulis eleemoſynam elargiendam conſtituit.

10 Pro Bulla communi viuorum, & pro Bulla defunctorum, pro Regnis; & Prouinciis Europæ ſic eleemoſynam deſignauit, vt in inſtructione Commiſſarij Generalis habetur, & verbatim affert Ioannes Ægidius Trullench *in expoſit. Bull. S. Cruc. lib.*1. §. 3. *dub.* 1. *n.* 2. ex Alfonſo Perez *in lib. trium grattarum, pag.*220.

Declaramos, que los Cardenales, Primados, Patriarchas, Arçobiſpos, Obiſpos, Abades, que tienen iuriſdicion Epiſcopal, Inquiſidores, y Dignidades de las Igleſias Cathedrales, Duques, Marqueſes, Condes, y Comendadores Mayores, Viſorreyes, Capitanes Generales, Embaxadores, Preſidentes, y los demas Conſejeros, y Alcaldes de la Corte, y Caſa de ſu Mageſtad, y Oydores de las Chancillerias, y Audiencias Reales, y Alcaldes del Crimen, y Fiſcales de los Conſejos, y Audiencias Reales, y Contadores de ſu Mageſtad de ſus Contadurias Mayores de Hazienda, y quentas, y de la Santa Cruzada, Oydores, y Fiſcales dellas, y Secretarios de ſu Mageſtad, y Comendadores encomendados de todas las Ordenes, y Señores de vaſſallos, y las mugeres de los ſeglares de todos los eſtados ya dichos, viuiendo ſus maridos, ayan de dar, y den de limoſna cada vna de las dichas perſonas, ocho reales de plata caſtellanos por cada Bula de viuos de Cruzada, que tomaren para ſi. Y todas las demas perſonas, de qualquier eſtado, y condicion, que ſean, den cada vna dellas de limoſna dos reales de plata Caſtellanos, para ayuda à la guerra contra infieles. Y por la Bula para qualquier difunto dos reales de plata.

11 Pro Indiis verò, omnibúſque ibi exiſtentibus ſequentem eleemoſynæ taxam pro Bulla viuorum defunctorum Commiſſarius appoſuit, quam afferunt Authores ijdem, qui præcedentem.

Ordenamos, y mandamos, y declaramos, que todos los Eſpañoles, aſſi hombres, como mugeres, ayan de dar, y den de limoſna por la dicha Bula la cantidad ſiguiente en eſta manera. Conuiene à ſaber, el ſeñor Virrey, los Arçobiſpos, Obiſpos, Inquiſidores, Abades, Priores, Dignidades, y Canonigos, de las Igleſias Cathedrales, y Caualleros de qualquier habito de las Ordenes Militares; y de las perſonas ſeglares, los Preſidentes, Oydores, Alcaldes, Fiſcales, Alguaziles Mayores, Secretarios, y Relatores de las Audiencias Reales, Gouernadores, Corregidores, Alcaldes Ordinarios, y Regidores de los pueblos; y Señores de repartimientos, y los que tienen penſion ſobre ellos, y los Capitanes Generales, Alcaydes de los Caſtillos, y fortaleças, y los Abogados, y los hombres ricos en cantidad de diez mil peſos, y de alli arriba, y las mugeres de todos los ſeglares de los eſtados ya dichos, den de limoſna cada vna de las dichas perſonas dos peſos de Tipuzque, ò diez y ſeis reales Caſtellanos, que es ſu valor, y todas las demas perſonas, de qualquier eſtado, y condicion, que ſean (fuera de los Indios, y morenos) à vn peſo de Tipuzque, ò ocho reales, que es ſu valor; excepto los Frayles, Monjas, y Eſpañoles pobres mendicantes, y los hombres, y mugeres de ſeruicio, los quales no han de dar mas de à dos reales Caſtellanos. Y de los Indios los Caziques el dicho vn peſo de Tipuzque, ò ſu valor, como eſta dicho. Y los demas Indios, aſſi los caſados, como los ſolteros, y los morenos, hombres, y mugeres, à dos reales cada perſona. Y la limoſna de las Bulas de difuntos Eſpañoles à quatro reales, ò ſu valor por el alma de qualquier perſona hombre, ò muger Eſpañol; y los Indios, y morenos, y Eſpañoles pobres, y los que ſiruen à otros, Frayles, y Monjas a dos reales por cada perſona difunta. Demanera, que en las dichas Bulas de difuntos no ha de auer mas, que las dichas dos taſſas, y diferencias.

12 Eleemoſyna demum pro Bulla lacticiniorum ab Eccleſiaſticis eroganda, ſic à Commiſſario eſt decreta, vt affert Trullench *in appendice ad* §.4. *Bullæ.*

Capitulos para lo que toca à la Bula de los lacticinios, que de nueuo nueſtro muy Santo Padre Vrbano Octauo ha concedido, à los Patriarchas, Primados, Arçobiſpos, Obiſpos,

Digitized by Google

„Obiſpos, y mas clerigos ſeculares, para que „puedan comer huevos, y coſas de leche en „tiempo de Quareſma, excepto la Semana „Santa, que ſe han de predicar con eſta Santa „Bula de la Cruzada.

„Primeramente las Bulas de taſſa de à veinte y quatro reales ſe han de dar, y han de ſeruir para los Patriarcas, Primados, Arçobiſpos, Obiſpos, y Abades.

„Item las Bulas de taſſa de à ocho reales ſe han de dar, y han de ſeruir para las Dignidades, Canonigos de las Igleſias Cathedrales, y Colegiales.

„Item las Bulas de taſſa de à ſeis reales ſe han de dar, y han de ſeruir para los que tuuieren Raciones, ò medias Raciones, Curatos, Beneficios ſimples, ò ſeruideros, cuya renta no baxe de trecientes ducados.

„Item las Bulas de taſſa de quatro reales ſe han de dar, y han de ſeruir, para los que tuuieren Beneficios, Capellanias, ò Penſiones, ò renta que no baxe de ducientos ducados.

„Item las Bulas de taſſa de à dos reales ſe han de dar, y han de ſeruir para los demas Clerigos.

„Las quales dichas Bulas ſe han de predicar en eſtos Reynos, y ſeñorios de ſu Mageſtad juntamente con la de viuos, difuntos, y compoſicion, guardando cerca de las taſſas lo antes deſto contenido. Dada en, &c.

13 Habes iam in his tribus capitibus tùm Bullas ipſas, Latinam, & Hiſpanam, tùm earum taxam. In earum ergo expoſitione, verborúmque declaratione, totum hoc inſumemus opus; præmiſſis nonnullis circa originem, conceſſionem, & interpretationem ipſius Bullæ Cruciatæ.

CAPVT IV.

De origine, & conceſſione Bullæ Sanctæ Cruciatæ.

14 VOx *Bulla* pluribus ſignificationibus gaudet. Propiè ſignificat ampullam, ſeu tumorem aquæ, qui facilè ſoluitur; vt ex Eraſmo, & Rebuffo affert Pater Henriquez *lib.7. de indulgent. c.29. num.3. in gloſſ. litt. O.* Quo ſenſu accipit Bullam Marcus Varro *lib.1. de lingua latina in principio.* Deindè ſumitur Bulla pro inſigni circulatis formæ, intùs figuram cordis continente, quod filij Patritiorum Romæ appenſum collo geſtabant; de quo Plinius *lib. 33. hiſt. cap.2.* Alexander ab Alex. 5. *Genial. dierum, cap.* 18. Macrobrius, Calepinus, & alij. Fuit etiam illa Bulla nobilitatis inſigne; & pueris ſimul ac fœminis cum toga concedebatur in præmium; vt videre eſt apud Roſinum *l. 5. Roman. antiquit. c.* 32. Pierium Valerian. *in ſuis Hieroglyphic. l.41. in princip.* Imò & Magiſtratibus triumphatoribus illud inſigne fuiſſe conceſſum, ait Antonius Gomez *in explicat. Bull. c.*1. *num.*1. quod in prædictis Authoribus fundamentum habet. D. Iſidorus *in gloſſario* Bullas nuncupauit regalium camelorum ſtramenta, ſeu *ornamenta*, vt corrigit P. Ludouicus Cerda *in aduerſariis ſacris cap.*141. *num.* 27. illa ſcilicèt orbiculata ornamenta, quæ ab ſtramentis, argentea, vel ærea, pendere ſolent in regalibus beſtiis, quæ ad onera inſeruiunt comportanda.

15 Hinc vox *Bulla* tranſlata eſt ad ſignificanda ſigilla, quæ litteris appenduntur, eo quòd in circularem formam plumbea, ærea, argentea, vel aurea ſint compacta. Vnde *bullare* pro eodem, ac *ſigillare* ſæpè reperitur; *vt in vita ſancti Baſilij c.*10. *in vita ſancti Ioannis Eleemoſynarij cap.* 15. apud D. Bernardum *epiſtol.* 230. In litteris, quas olim Imperatores expediebant, etiam appendi ſolebant eiuſmodi orbiculi, eorum imaginem exprimentes; & inde ipſæ litteræ vocabantur Bullæ aureæ, argenteæ, aut æreæ, iuxta materiem ſigilli pendentis; & pro qualitate perſonarum, ad quas mittebantur, diuerſum erat ſigillum appenſum; quod tradit Bullengerus *lib.* 20. *de Imperio Roman. capit.* 10. quare Bullam auream ſolùm ad Principes fuiſſe deſtinatam, ait Codinus *lib. de officiis aulæ Conſtantinopolitanæ cap.* 5. *num.* 18. Extant adhuc aliquæ Græcorum Imperatorum aureæ bullæ. Similiter expediebantur, & cereæ; ſicut hodie in aliquibus litteris pendentem theculam cernimus, intuſque ceram ſigillatam. Videatur de his Ioannes Mabarſius *in gloſſario*, *verbo Kerobullon*, id eſt, cerea bulla. Deficiente autem Imperio, Præfecti etiam aureas bullas expediebant, vt docet *vbi ſuprà* Bullengerus; earumque & mentio *in Clementina* 1. *de iure iurando*, *ad fin.* A voce *bulla*, dictum fuit *bullaterium*, hoc eſt, ſigillum, ſeu forma, in qua bullæ exprimebantur; vt affert Gretſerus, *lib.*2. *annotation. in Codinum capit.*6. *§.*2.

16 Ex his, litteræ Apoſtolicæ dictæ ſunt Bullæ, eo quòd ſigillum plumbeum, cereum, vel ſimile habeant appenſum; à quo ſigillo, & litteræ ipſæ Bullæ nomen ſortiuntur; *cap. licet, & ſequentibus, de crimine falſi*; Gloſſa *in Clementin.* 1. *de iure iurand.* Gomez *in compend. ſignaturæ, fol.* 161. Rebuf. *in praxi tit. noua Bulla declaratio, num.*10. Aliam Bullæ deriuationem expromit P. Henriquez *loco citato*, & cum eo Trullench in *expoſit. Bull. dub.*1. *proœm. n.*1. ſcilicèt à voce Græca *buli*, hoc eſt, conſilio, vnde dicta eſt virtus Eubulia, ſeu benè conſiliatiua, quæ prudentia

Digitized by Google

eſt annexa; de qua Ariſt. 6. *Ethic. c.*9. & ibi D.Thomas *lect.*8. *&* 2.2. *q.*48 *in fin. & q.*49. *art.*4. *ad* 2. *& q.*51. *art.*1. *&* 2. Etenim ſummo conſilio, magnaque prudentia Bullæ Apoſtolicæ expediuntur. Sed quamvis poterat hinc Bullæ vox eſſe deſumpta, de facto tamen applicatum eſt nomen hoc ab illis Imperatoriis litteris, eoque inſigni rotundo, ad Bullas pontificias, ob aliquam conuenientiam, & ſimilitudinem inter ipſas interuenientem.

17 Et quia ſemper à Bullis Apoſtolicis debet pendere ſigillum, ideò falſæ ſunt iudicandæ eæ, in quibus non fuerit appenſum: & crimen falſi in eis committitur, ſi ſigillum detrahatur, mutetur, confringatur, aut addatur. De quo videantur *c. inter dilectos, verſ. Rurſus, de fide inſtrumentorum*; *gloſſ. ibi verbo* Dimidia; *gloſſ. in c. in memoriam, verbo* Falſa, *diſtinct.* 19. *gloſſ. in clement.* 1. *de iur. iur. verbo* Aurea; Nauarrus *in c. accepta, de reſtit. ſpoliatorum, oppoſitione* 8. *num.*23. Turrecremata *in prædictum c. in memoriam, n.* 3. Præpoſitus Mediolanenſis *ibidem n.*11. *gloſſ. in reg. cancellariæ* 14. *&* 69. Gomeſius *in compend. & vtriuſque ſignaturæ q.*16. *pag.* 161. Rebuffus *vbi ſuprà n.*3. Hoſtienſis *in ſumma de crimine falſi, n.*3. Farinacius, *lib. de falſitate, q.*15. Antonius Gomez *vbi ſuprà*; Baſilius Legionenſis *in explicatione Bullæ manuſcripta, c.*1. *n.*2. & communiter Iuriſtæ *in c. licèt, & c. quamvis, de crimine falſi.*

18 Cæterùm Bulla noſtra dicta eſt Cruciata à cruce, eo quòd cruce inſignirentur illi, qui ad expeditionem Terræ ſanctæ, & contra infideles, bellaturi ſe deſtinabant, quibus crux donabatur, & aliqua priuilegia, atque indulgentiæ ex pluribus in Bulla contentis, cruciatique nuncupabantur, eaque expeditio, Cruciata, quod nomen Bullæ eſt inditum, eo quòd præſtita eſt, ad alliciendos animos, vt ſimili expeditioni ſe accingant, vel eleemoſynam ad illius ſumptus erogent. Sciendum etenim eſt Gregorium VII. ſæpè tentaſſe Terræ Sanctæ recuperationem, bellisque, & ſchiſmatibus tunc temporis æſtuantibus, fuiſſe impeditum. Cuius piæ molitionis conſcius eius ſucceſſor Vrbanus II. coacto Concilio Claramontenſi, anno 1095. Epiſcopos, & Prælatos ad eam expeditionem eſt hortatus, & pro militari teſſera euntibus ad hoc bellum crucem rubeam deſignauit. Ita Baronius *tom.*11. *in Vrbano II.* Petrus Diacon. *in Chron. Caſ. l.*4. *c.*11. Illeſcas *in hiſt. Pontific. in vita eiuſdem Vrbani*; Platina *ibidem*. Genebrardus *in Chron. p.*352. *aliàs* 597. Alphonſus Ciaconi *tom.*1. *de vitis Pontificum pag.*347. Æmilius *l.*4. *hiſtor. Fucher. à cap.* 4. Blond. *decad.*2. *l.*4. Guillielmus Tiry, *l.*1. *de bello ſacro, c.*17. Riccius *l.*3. *de regno Neap.* Iouius *l.*1. *virorum illuſtrium*, Soto *in* 4. *d.*21. *q.*1. *art.*2. *&* 3. Henriquez *ſuprà*; Antonius Gomez *ſuprà*, Trullench *ſuprà dub.*2. Azor *tom.* 2. *inſt. mor. l.*5. *c.*17. *verbo Totius.* Magnus D. Ioannes de Solorzano, totius litteraturæ peritiſſimus, *in Politica Indica, Hiſpano idiomate edita*, *lib.* 4. *c.*25. Hinc in Vrbani II. monumento, refert *loco relato* Genebrardus, hanc eſſe inſcriptionem, *Vrbanus II. auctor expeditionis in infideles, anno Domini* 1088. Aliqua in anno eſt variatio, cum alij ſeptem addant annos poſt prædictum. Hinc non aptè Emanuël Rodriguez *in explication. Bull.* §.1. *num.*2. traxit originem Cruciatæ à Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cum ex tot hiſtoriis ab Vrbano originem conſtet habuiſſe, qui pluribus ante annis Eccleſiam gubernauit; nam Concilium illud celebratum fuit anno 1215. Pro Emanuële Rodriguez facit, quòd in inſcriptione ſecundi Concilij Lateranenſis, quod depictum eſt in Bibliotheca Vaticana, aſſeritur; *Innocentio III. Pontifice, &c. Cruce ſignati inſtituuntur.* Ita refert Ludouicus Bauia 3. *p. hiſt. Pontific. in vita Sixti V. c.*24. *pag. mihi* 414.

19 Pro militari ſtipendio ad præfatam expeditionem proficiſcentibus indulgentiæ concedebantur ſimul cum cruce, quam ſuper ſcapulam dexteram, ex purpureo panno conſutam geſtabant, vt affirmant Ciaconi *nuper* relatus, & plures ex *ſuprà* dictis. Nec rectè Antonius Gomez ait, eos crucem rubeam in pectore geſtaſſe, colligens id *ex cap. ad liberandam, de Iudæis, & Sarracenis*; adiuncto integro textu, ex quo illud caput fuit deſumptum, incipiente etiam, *ad liberandam*, & eſt *in tom.*2. *Concilior. pag.*965. Etenim in toto illo capite, quod inſcribitur: *Expeditio pro recuperanda terra ſancta*, edito à Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. ſolùm fit ſæpè mentio de cruce ſignatis; non verò innuitur, vbi crucem geſtabant. Videatur Caſſiodorus *l.*1. *c.*8. Nicephorus *l.*7. *hiſtoria Eccleſiaſt. c.*46.

20 Poſt Vrbanum II. Gelaſius II. anno primo ſui pontificatus, litteris datis ad Chriſtianorum exercitum in vrbe Cæſar Auguſtana in Hiſpania exiſtentem, indulgentiis propoſitis, illum ad expugnandos Sarracenos fuit exhortatus; vt habet Baronius *tom.* 12. *anno* 1118. Poſt modùm Callixtus II. Concilio Lateranenſi coacto *can.* 11. *anno* 1122. eaſdem conceſſit indulgentias, quas Vrbanus II. conceſſerat, proficiſcentibus Hieroſolymas, vt eſt apud eumdem Baronium, Deinde Eugenius III. vt affert idem Author anno 1145. eamdem, quam prædictus Vrbanus peccatorum remiſſionem indulſit pro expeditione in terram ſanctam. Poſteà Alexander III. (ita affirmat ipſe Baronius eo *tom.* 12. *anno* 1179. *num.* 4.) Lateranenſi congregato

Digitized by Google

congregato Concilio, eaſdem conceſſit indulgentias pugnantibus aduerſus eius temporis hæreticos & anno ſequenti litteras ad Chriſtianos Principes expediuit, in quibus eaſdem eſt elargitus indulgentias, pugnantibus pro terra ſancta, quas Vrbanus, & Eugenius decreuerant. Deinceps Gregorius VIII. ad vniuerſos Chriſti fideles litteras miſit, eaſdem proponens indulgentias, pro recuperanda terra ſancta, quæ paulò antè tempore Vrbani III. prædeceſſoris ipſius capta fuerat eaſque dedit litteras anno 1187. vt narrat Baronius *eodem anno à n.* 12. Poſt anno 1195. Cœleſtinus III. ad eumdem finem litteras, & indulgentias miſit Archiepiſcopo Cantuarienſi, eiuſque ſuffraganeis. Idem præſtitit omnibus Chriſtianis Innocentius III. in Concilio Lateranenſi, de quo *ſuprà n.* 18. *&* 19. Poſt illos Clemens V. anno 1309. inuitauit Chriſtianos eiſdem oblatis indulgentiis, ad bellum contra Venetos oppugnantes Ferrariam; annoque ſequenti ad expeditionem Terræ ſanctæ ſimiles litteras, & indulgentias ad Chriſtianos Principes dedit; ita refert Abraham Zobius *tom.* 14. *in eiſdem annis.* Dehinc Concilium Baſilienſe *ſeſſ.* 24. eaſdem præbuit indulgentias in fauorem colligendi auxilij pro reductione Græcorum. Deinde Pius II. qui aſſumptus fuit in Pontificatum anno 1458. ſimiles pro expeditione contra infideles conceſſit indulgentias; vt recenſet Genebrardus *in Chron. pag.* 395. Herburtus *l.* 16. *hiſt. Polonica*, *c.* 14. Platina; & Cromerus apud P. Henriquez, *vbi ſuprà.*

21 Pro Hiſpanis verò ſpeciatim præter Gelaſium *ſuprà* relatum, Cruciatam conceſſit Iulius II. anno 1509. Regi Catholico Ferdinando, qui mortuo Philippo primo ipſius genero, pro Carolo V. nepote ſuo, adhuc infanti Hiſpaniam gubernabat. Ita Alphonſus Perez de Lara *in libro Hiſpano trium gratiarum pag.* 9. qui affert ordinem Pontificum, qui Cruciatam Hiſpaniæ Regibus conceſſerunt, eiuſque conceſſionum continuationem, & durationem; eaſque ſumpſiſſe teſtatur ex libro Regis eiuſdem Hiſpaniæ, vbi ſunt conſcriptæ; quare illum ſequemur, vt ſequitur Trullench *dub.* 2. *proœm. à n.* 5. Poſt Iulium Papam, Cruciatam indulſit Leo X. anno 1519. Qui priùs etiam anno 1517. per omnes Chriſtianorum Prouincias peccatorum remiſſionem promulgauerat his, qui ad expeditionem Turcicam ſua bona largirentur. Et quia huius Cruciatæ prædicatio commiſſa fuit Ioanni Tetzellio, Ordinis Prædicatorum, ideo Lutherus cœpit peruerti, qui ſibi optabat committi ius, & lucrum prædicandi indulgentias, quas ipſe poſtea vocauit *impias fraudes*, vt referunt Coclæus, & Hoſ. apud P. Henriq. *l.* 7. *de indulg. c.* 3. *in gloſſ. litt. A.* Genebrardus apud Trullench *ſuprà.* Quamvis ipſe Henriquez *c.* 29. *n.* 3. *in gloſſ. litt. O.* aſſerat, occaſione indulgentiarum, quas Iulius II. conceſſit, inſaniiſſe Lutherum, ſed quidem eius inſaniam incepiſſe anno 1517. qui fuit quartus, Pontificatus Leonis X. conſtans eſt apud omnes hiſtorias. Videatur Illeſcas *in hiſtoria Hiſpana Pontificali, in vita Leonis X.* §. 17.

22 Poſt Leonem conceſſerunt Hiſpaniæ Regibus Cruciatam Clemens VII. anno 1529. Paulus III. anno 1535. & 1537. quam conceſſionem vſque ad annum 1544. idem continuauit. Iulius III. anno 1555. Paulus IV. anno 1559. & Pius IV. anno 1562. atque 1563. Pius V. anno 1571. Qui tunc Cruciatæ conceſſionem ampliauit ad ſexennium, ita vt binis quoque annis publicaretur: quæ ampliatio ad ſexennium adhuc durat in modo eam concedendi. Poſt Pium expediuit Cruciatam Gregorius XIII. anno 1573. & 1576. Qui prima vice, qua eam conceſſit, decreuit, vt in Hiſpania ſingulis quoque annis publicaretur; & in Indiis, ſingulis quoque bienniis, & Bulla ab hoc Pontifice conceſſa inter omnes alias vſque adhuc amplior, & fauorabilior eſt, tàm quoad priuilegia, & indulgentias; quàm quoad perſonas, quibus prodeſſe poteſt; & ab eius ſucceſſoribus cum eiſdem priuilegiis, & gratiis vſque ad hoc tempus eſt prorogata, ac conceſſa. Poſt Gregorium eam largitus eſt Sixtus V. anno 1585. Gregorius XIV. anno 1591. Clemens VIII. anno 1592. & 1600. & 1603. Paulus V. anno 1605. cuius extenſio, & prorogatio durauit in Hiſpania vſque ad annum 1615. & in Indiis, affirmat Lara, durare vſque ad annum 1663. & licèt inter Paulum V. & Vrbanum VIII. interceſſerit Gregorius XV. quia tamen hic nec Cruciatam conceſſit, nec eius conceſſione opus fuit, cum adhuc conceſſio Pauli V. duraret, vſque ad prædictum annum 1625. ideò in titulo Bullæ Hiſpanæ viuorum, defunctorum, & compoſitionis viuente Vrbano VIII. & poſteà Innocentio X. præfigebatur, fuiſſe conceſſam à Paulo V. & ab Vrbano VIII. atque ab Innocentio X. publicari mandatam, Qui quidem quovis ſexennio illam prorogarunt. Nunquam etenim in perpetuum eſt ab aliquo Pontifice conceſſa, vt ex prædictis conſtat,

CAPVT V.

Quis poſſit Bullam Cruciatæ concedere?

23 POteſtatem expediendi Bullam Cruciatæ eſſe in ſummis Pontificibus, conſtat ex dictis; cum toties de facto illam conceſſerint; optimūque in his argumentum eſt de facto ad potentiam, (quo non ſemel in ſimilibus vtemur) incredibile quippe eſt in tanti

tanti momenti rebus, Pontifices erraſſe, ſuaque poteſtate abutentes, eam exceſſiſſe; vt in ſimili ait Pater Leſſius *de iuſt. & iur. lib.* 2. *cap.* 40. *numer.* 141. Præterea, quidquid Bulla continet, ſunt indigentiæ, facultates delegatæ abſoluendi, & commutandi vota, diſpenſatio in lege Eccleſiaſtica ieiunij, & alia eiuſmodi, & quidem minora; ſed horum ſingula poteſt Pontifex concedere, ergo & omnia ſimul. Etenim poſſe eum Indulgentias elargiri, de fide eſt; vt decurſu conſtabit, item & poſſe delegare facultatem abſoluendi, & commutandi vota, eſt certò certiùs, cum in ipſo ſit ordinaria facultas ad vtrũque; in Eccleſia etenim non eſt ſola poteſtas abſoluendi à peccatis, & cenſuris, vt fides docet, ſed etiam à quocumque vinculo erga Deum, & conſequenter à vinculo voti, quod de fide eſſe, tenet cum communi P. Leſſius *eo cap. n.* 114. Deindè in legibus poſitiuis Eccleſiaſticis poteſt diſpenſare Pontifex, vtpotè legiſlator aut ſucceſſor illius, qui eadem perſona cum legiſlatore reputatur; in lege autem propria valere legiſlatorem diſpenſare validè, (etiam ſi cauſa non eſſet) & licitè, ſi cauſa ſit, conſtans eſt apud omnes Authores *in tract. de legibus*, vt videre eſt apud P. Caſtro Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *d.* 6. *punc.* 4. Alia autem priuilegia in Bulla conceſſa etiam ſubjecta ſunt Pontificis poteſtati, ſunt enim ſpiritualia, circa quæ ille plenam, & totam habet gubernationem, quod fide ſanctum eſt. Componere etiam bona incerti domini, quocumque modo poſſideantur, poſſe ſummum Pontificem ſuadebimus *inferiùs* Bullam compoſitionis explicantes. Quare nihil in Bulla continetur, quod eius excedat poteſtatem.

24 Dices tamen. In Bulla magnæ conceduntur Indulgentiæ, ad quarum valorem requiritur cauſa; at non eſt cauſa ſufficiens eleemoſyna exigua taxata à Commiſſario generali Cruciatæ, cui taxam committit Pontifex, ergo non poteſt hic Bullam concedere, cum ſciat, exiguam eſſe eleemoſynam taxatam, quam pro cauſa habet conceſſionis Indulgentiarum. In primis argumentum patitur inſtantiam in pluribus Indulgentiis plenariis, quæ Eccleſiis, & Religionibus ſunt conceſſæ à Pontificibus, ad quas lucrandas vel ſola viſitatio templi, vel recitatio alicuius orationis requiritur. Eas tamen validas eſſe, certum eſt, quia finis illas concedendi eſt cauſa publica Eccleſiæ, eius augmentum, hæreſum extirpatio, Principum Chriſtianorum vnio, & ſimilia; ad quæ obtinenda, licèt ſingulorum lucrantium Indulgentiam exiguum ſubſidium videatur oratio præſtare, tamen omnium ſimul orationes magnum afferunt emolumentum. Sic etiam quamvis duæ pro vna Bulla drachmæ paruo eſſent ſubſidio ad bellum contra infideles, hoſteſque Eccleſiæ, (ad quem finem Bulla conceditur:) tamen eleemoſyna, quæ pro omnibus Bullis congeritur, ingens eſt bello conficiendo adminiculum; quod eſſe congerendum, attenta pietate fidelium, & vtilitate Bullæ, prudenter ſibi in eius expeditione Pontifices perſuaſerunt; Nec enim pro vno tantùm eam accepturo, Bullam conceſſiſſent, ſicut nec prædictas Indulgentias; (quæ non conceduntur alicuius perſonæ intuitu) pro vno eas obtenturo indulſiſſent. Quare ſufficientem eſſe eleemoſynam à Commiſſario taxatam, rectè tenent P. Henriq. *lib.* 7. *de Indulgent. cap.* 14. *n.* 5. *in fin.* citans *in gloſ.* Emanuëlem Rodriguez; & Trullench. *dub.* 2. *præam. num.* 1.

25 Præter Pontificem, poſſunt Bullam expedire reſpectu ſui territorij omnes illi, qui poſſunt Indulgentias concedere; non quidem Bullam adeò latam, ac expediunt Pontifices, cum in nullo ſit tanta poteſtas, & juriſdictio, ſed limitatam iuxta cuiuſque facultatem, & juriſdictionem; ita vt Indulgentias, quas elargiri valent, in illa apponant, ſimulque priuilegia, quæ poſſunt impertire, dùm tamen iuſta cauſa ſit, quæ ad valorem Indulgentiæ neceſſaria eſt. Qui autem, & quas Indulgentias poſſint concedere, dicemus *d.* 6. *cap.* 1. Hanc concluſionem, loquens de Epiſcopis, tuetur Trullench *vbi ſuprà num.* 3. P. Henriquez *cap.* 31. *num.* 1. ſed cum aliquibus limitationibus, abſolutè verò eam docet Lara *in lib. trium gratiarum fol.* 13. Baſilius Legionenſis *in explication. manuſcripta Bullæ capit.* 1. *numer.* 11. Probatur aſſertio. Quia in ea Bulla concedenda non excedunt prædicti ſuam poteſtatem, & juriſdictionem quam ſupponimus habere ad Indulgentias elargiendas, aliaque priuilegia, v. g. diſpenſandi in votis, aut ea commutandi; aliundè etiam à nobis ſupponitur, eſſe cauſam; ergo non eſt, cur nequeant eas Bullas expedire, niſi fortè ab alia Bulla Cruciatæ à Pontifice conceſſa impediantur, vel aliquo ipſius præcepto nouo eis denegetur. Confirmatur primò. Poteſt Epiſcopus concedere cum cauſa quadraginta dies Indulgentiæ; poteſt item delegare facultatem diſpenſandi cum cauſa in votis non reſeruatis, aut ea commutandi, igitur poterit hæc duo in Bulla exhibere. Nihil enim addit, quòd hoc præſtetur in forma Bullæ, ſeu abſque illa. Eamque Bullam vocamus Cruciatam, ob quandam ſimilitudinem, quam habet cum Cruciata, licèt poſſet expediri non ſolùm in ſubſidium belli, ſed etiam alterius operis pij, quod

iudicaretur

Digitized by Google

iudicaretur cauſa ſufficiens; ſicut etiam poſſet ob ſimile motiuum à Pontifice concedi. Confirmatur ſecundò, quia de facto ſimiles Bullas ab Epiſcopis conceſſas reperimus, Pater Henriquez *ſuprà cap.* 31. *in gloſſ. littera C.* affirmat, Epiſcopos Hiſpaniæ; anno 1571. ad Regis inſtantiam conceſſiſſe Bullas quaſdam ferè ſimiles Bullæ Cruciatæ circa peccata, & cenſuras Epiſcopo reſeruatas, & vt fieret compoſitio quædam pro incertis. Deinde Perez de Lara *vbi ſuprà fol.* 94. refert D. Didacum de Eſpinoſa Cardinalem, Epiſcopum Siguenzæ Bullam conceſſiſſe, quam nuncupauit; *Carta, y Bulla de Hermandad, y Cofradia de nueſtra Santa Fè Catholica.* Non autem credi debet, quod non pot☐erant, feciſſe; maximè ſciente, & conſentiente Pontifice, nec viris doctis Hiſpaniæ reclamantibus, ſed potiùs ſubſcribentibus, cum abſque dubio de hoc eſſent conſulendi.

26 Nec placet limitatio Patris Henriquez; ſcilicèt poſſe Epiſcopos eam Bullam concedere in Prouinciis diſtantibus, vt in Hiſpania, & Indiis, vbi frequens eſt priuilegiorum Bullæ neceſſitas, & non facilis ad Pontificem aditus. Etenim ratio concluſionis etiam in indiſtantibus, eamdem vim habet, nec illi ob indiſtantiam carent iuriſdictione ad concedendum indulgentias, & priuilegia, alioqui etiam extra Bullam non poſſent illa concedere, quod afferi nequit. Diſplicet etiam limitatio Ægidij Trullench, nempè Epiſcopos poſſe Bullam expedire, ſi Papa Bullam Cruciatam non conceſſerit. Quippè eo anno 1571. cùm Epiſcopi Hiſpani prædictam Bullam expedierunt, etiam conceſſit Bullam Cruciatæ Pius V. vt conſtat *ex cap. præcedenti num.* 22. Prætereà, quia dum Bulla Cruciatæ Papæ non deroget alias quaſcumque Bullas ab Epiſcopis conceſſas, hi retinent ſuam poteſtatem, & iuriſdictionem expeditam; atque adeò non eſt, cur ea vti non valeant Bullas concedendo.

27 Dices; inanem, & fruſtraneam fore Bullam ab Epiſcopis conceſſam, cum maiores indulgentiæ, & priuilegia in Bulla Pontificis concedantur. Contrà primò; quia, cum indulgentiæ conceſſæ ab Epiſcopis ſint diſtinctæ ab his, quas Pontifex elargitur, fruſtraneum non eſt, has, & illas lucrari, ſicut non eſt fruſtraneum, lucrari indulgentias partiales conceſſas in ipſa Bulla Pontificis, etſi totales etiam in ipſa conceſſæ obtineantur; eo quòd diſtinctæ ſunt, diſtinctumque animæ vtile emolumentum important. Contrà ſecundò; quia ſi pro minori eleemoſyna Bullæ Epiſcoporum ſuppeditentur; poſſunt pauperes, qui Bullam Pontificis ob inopiam ſumere non valent, illas ſumere, aliquoque bono, & vtilitate potiri; quod ſatius eſt, quàm omni carere. Et demùm, inane non fuit prædicto anno 1571. Bullas concedi ab Epiſcopis, cum etiam Pontifex conceſſiſſet, & ſimiliter Cardinalem Eſpinoſa eam Bullam fuiſſe elargitum; cum tot, tamque graues viri, à Rege moti, non fruſtrà, & inaniter fuerint operati.

28 Contrariam ſententiam, videlicèt non poſſe Bullas præfatas ab Epiſcopis, aut ſimilibus concedi, defendunt Nauarrus *lib.* 5. *conſilior. de pœnitent. & remiſſ. conſil.* 18. *litter. T.* Emanuël Rodriguez *in explicat. Bull. in additionibus ad* §. 1. *& ad numer.* 3. Mouentur, quia concedere Bullas prædictas, accepto pro illis pretio, & ſimonia, cum ea ſit, res ſpirituales (quales ſunt indulgentiæ, & diſpenſationes) pro temporalibus præſtare. Quòd ſi eis opponas, ergo etiam Pontifex expediendo Bullam Cruciatæ ſimoniam committit, atque adeò peccat. Reſpondent, hanc ſimoniam ſolo iure Eccleſiaſtico, non diuino, eſſe prohibitam, Pontificemque in eo diſpenſare, vt poteſt, dum Bullam concedit. Addit Rodriguez, nunquam has Bullas fuiſſe ab Epiſcopis conceſſas. In quo fallitur, vt conſtat *ex numer.* 25. & videtur non legiſſe illud conſilium Nauarri, in quo narrat, inſignem quemdam Archipreſulem Bullam conceſſiſſe; cuius clauſulas impugnat, & eum peccaſſe in illa conceſſione tuetur. Affert ipſe ibi ſua ſententia aliqua iura; *c. Iacobus. de ſimon. c. fin. de pactis*; in quibus ſtatuitur, ſpiritualia purè, & ſine pacto eſſe concedenda. Item *c. ex multis,* 1. *q.* 3. vbi prohibetur pro re ſpirituali pretium collatum etiam in opus pium.

29 Reſpondeo tamen, nec Pontificem committere ſimoniam (adeóque non diſpenſare in vllo iure) nec Epiſcopum in conceſſione Bullæ, eleemoſyna deſignata pro illa. Etenim, licet ſimonia ſit, concedere Indulgentias, aut diſpenſationes pro re temporali, tamen non eſt ſimonia, aliquod onus in diſpenſationibus injungere; ita vt diſpenſatio ſit ſimul, & commutatio, vt ſic certiùs adæquetur cauſa diſpenſandi. Vndè conſulunt Authores communiter debere, in diſpenſationibus aliquod grauamen annecti, ne inualidè euadant ob ſufficientis cauſæ defectum, & ne facilè diſpenſationes petantur, diſciplinaque Eccleſiaſtica relaxetur, oportet aliquo onere in opus pium deſtinato diſpenſandos grauare. Confirmatur ex Tridentino *ſeſſ.* 22. *cap.* 5. *de reformat.* vbi loquens de diſpenſationibus Ordinariis committendis ait *Ea verò, quæ gratioſè concedentur, ſuum non ſortiantur effectum, niſi priùs ab eiſdem,* &c. Vbi manifeſtè diſpenſationes gratioſè conceſſas diſtinguit ab aliis

Digitized by Google

quæ gratioſè non conceduntur, ſed cum aliquo onere ſuperaddito. Nec obſtat ipſum Tridentinum *cap. 5. de reformat. matrimonij. ſeſſ.24.* vbi loquens de diſpenſationibus ad matrimonium, præcipit, vt gratis concedantur; *& ſeſſ.25. c.18. de reformat.* iubet, vt diſpenſationes legum Eccleſiaſticarum gratis præſtentur. Quippè ſolùm intendit, ne pro aliqua re temporali, tanquam pro pretio, exhibeantur, non verò, quod eis non iungatur aliquod onus perſonale, vel reale, ſeu pecuniarium in aliquod pium opus expendendum. Quod onus in diſpenſationibus imponi poſſe, eſt communis doctrina Authorum. Ita Pater Suarez *tom. 1. de relig. lib.4. de ſimon. cap.*10. *num.*14. P. Leſſius *lib.2. de iuſt. cap.*35. *num.*57. Raphaël de la Torre *tom. 2. de religion. quæſt.* 100. *articul.* 2. *d.*3. *ad fin.* Baſilius Legionenſis *in explicat. manuſcripta Bull. cap.*1. *num.* 13. Conſequenter docet Pater Suarez *eo tot. l.* 2. *de diebus feſtis cap.*33. *num.*10. Epiſcopum diſpenſantem ad laborandum in diebus feſtis, poſſe aliquod onus imponere. Quod etiam colligitur ex *c. licèt, de feriis*, vbi vrgente neceſſitate, conceditur diebus feſtis laborare præterquam in maioribus anni ſolemnitatibus, & additur; *ita quod poſt factam capturam Eccleſiis circumpoſitis, & Chriſti pauperibus congruam faciant portionem.* Vbi erogatio eleemoſynæ pro onere imponitur; nec enim hic loquitur de decimis, cum hæ pauperibus non ſoluantur.

30 Hinc conſtat, non committi ſimoniam in conceſſione diſpenſationum, aliquo impoſito onere; Cum enim Prælati non teneantur diſpenſare, maximè quando cauſa non eſt ſufficiens, poſſunt cum diſpenſatione commutationem coniungere. Vnde poterunt Bullas præſtare, qua parte diſpenſandi, & commutandi priuilegia continent. Poſſunt etiam, qua parte indulgentias amplectuntur, eleemoſynam imponere ſoluendam, non quidem indulgentias pro re temporali tribuentes, ſed proponentes indulgentias peccatorum, vt ſpe illas obtinendi homines alliciantur ad eleemoſynam dandam in opus pium, publicam neceſſitatem, vel eas pro temporalibus ita elargientes, vt ſint præmium boni affectus eleemoſynæ. Sic enim etiam ipſe Deus tribuit bona ſupernaturalia, tanquam præmium bonorum affectuum eleemoſynarum, quæ ſunt media, tum ad ea conſequenda, tùm ad ſatisfaciendum pro culpis, iuxta illud Tobiæ, *cap.*4. *Eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam.* Et Daniel *c.*4. *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum; forſitan ignoſcet delictis tuis*

31 Nec iura à Nauarro allata quidquam in contrarium probant, nam duo prima ſolum excludunt pretium, & pactum pro re ſpirituali; indulgentiæ autem, & priuilegia in Bulla conceſſa non præſtantur pro eleemoſyna, vt pro pretio, nec pro alio temporali, ſuper quod fiat pactum, & conuentio, ſed modis *nuper* dictis. Prætereà *in eo capit. ex multis*, allato ab eodem, agitur de adeptione beneficij, prohibeturque, pro eius impetratione aliquid conferri in vtilitatem, vel fabricam Eccleſiæ, aut in pauperes. Hæc autem, quæ in materia beneficiorum ſpeciali iure prohibentur, ad alias minimè ſunt extendenda; nullum enim eſt ad hoc fundamentum. Aliàs etiam poſſet extendi ad commutationes votorum, quæ etiam ſunt actus iuriſdictionis ſpiritualis, nihilque poſſet præcipi, vt conferretur in opus pium à petente commutationem voti. Idemque de ſimilibus non abſque abſurdo eſſet philoſophandum.

32 Reſtat tamen ſcire, vtrum onus, quod Prælati imponere poſſunt in diſpenſationibus, & Bullis prædictis, ſuæ ſuſtentationi queant applicare? Nauarrus *vbi ſuprà* cenſet, eſſe ſimoniam aliquid exigere pro Bullis, & diſpenſationibus, non ſolùm in ſuſtentationem Prælati diſpenſantis applicandum, verùm etiam in opus pium, in qua ſimonia, ait, non poſſe Epiſcopum diſpenſare; Papam autem in ea diſpenſare, cum concedit Bullam in ſubſidium belli. Sed hæc doctrina vera non eſt. Quippè ſimonia, quæ reperiri poteſt in hoc, eſt venditio rei ſpiritualis, vel ſupernaturalis pro temporali; in qua nec Summus Pontifex diſpenſare poſſet; nam eſt iure diuino prohibita, vt docet Pater Suarez *lib.*4. *de ſimon. cap.*11. *num.* 20. Nos autem non loquimur de venditione, ſed de iniunctione oneris temporalis, quæ licita eſt, cum ſit vel per modum commutationis, vel in pœnam delicti, quod ad diſpenſationem ſæpè ſupponitur, vt contingit, cum petitur diſpenſatio in irregularitate ex delicto contracta, vel in affinitatibus, aut impedimentis per illicitam copulam contractis. Hoc ergo modo, aſſero, non committi ſimoniam nec à Pontifice, nec ab alio Prælato, ſi applicetur illud onus temporale ad ſuam cameram, in ſuſtentationem ſuæ perſonæ, familiæ, & ſtatus. Quam aſſertionem tuentur ipſe Pater Suarez *vbi nuper, à num.*12. citans Redoanum, & conſuetudinem per tot Pontifices ſanctiſſimos, & doctiſſimos approbatam & Baſilius Legionenſis *vbi ſuprà* cum aliis. Probaturque primò ex praxi relatâ ſecundò, quia quamvis non liceat exigere temporalia pro pretio ſpiritualium, ea tamen licet exigere modis *ſuprà num.* 30. relatis; ſemel autem licitè exacta, & accepta, (ſi aliundè non ſit aliqua prohibitio) non eſt, cur

Digitized by Google

tur nequeat Prælatus ad ſuæ domus ſuſtentationem applicare; iuxta illud Pauli 1. *ad Corint.9. Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?* & Romanor. 15. *Probauerunt enim Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum, qui ſunt in Hieruſalem. Placuit enim eis; & debitores ſunt eorum. Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt gentiles, debent, & in carnalibus miniſtrare illis.* Lucæ cap. 10. *Edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt, dignus eſt enim operarius mercede ſua.* Et alibi ſæpè; ex quibus conſtat, miniſtrantes ſpiritualia poſſe temporalia ad ſui ſuſtentationem accipere; ergo miniſtrantes diſpenſationes, & Bullas idem efficere valent.

33 Dixi *ſuprà; ſi aliunde non ſit aliqua prohibitio*, nam ea poteſt eſſe, vt aliqui ad ſui ſuſtentationem non accipiant temporalia, ob iuſtas cauſas; quare hi, ſi accipiant, culpam committent, non ſimoniæ, ſed inobedientiæ ad præceptum. Sic non poſſunt Epiſcopi aliquid accipere in ſui ſuſtentationem pro diſpenſationibus, & conſequenter nec pro Bullis. Quod à fortiori tenent, qui affirmant, non poſſe Epiſcopos in diſpenſationibus aliquod onus imponere quomodocumque expendendum, ſcilicèt Nauarrus, Vgolinus Tabiena, quos refert, & ſequitur P. Suarez *præfato cap. 20. num.14.* Rodriguez *in addition. ad* §.1. *n.2.* Raphaël de la Torre *tom.1. de relig. q.100. art. 2.d.3. à medio.* Et in ſpeciali applicatione ad ſui ſuſtentationem hoc tuentur Trullench *in expoſit. Bullæ, dub.2. proœm.n.4.* Baſilius Legionenſ. *in ſua explicat. Bull. c.1. à n.12.* P.Leſſius *l.2. c. 35. n. 57.* ſecutus D. Thomam 2.2. *q.100. art. 3. ad 3.* Suadetur ex Tridentino *ſeſſ.25. de reformat. c.18,* ibi: *Quòd ſi vrgens, iuſtaque ratio, & maior quandoque vtilitas poſtulauerint, cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id, cauſa cognita, ac ſumma maturitate, atque gratis à quibuſcumque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præstandum, aliter facta diſpenſatio, ſurreptitia cenſeatur.* Neque enim hic prohibetur ſolùm, vt exponunt prædicti Authores, pretium temporale pro diſpenſationibus exigere; hoc namque iure diuino, & vniuerſali adeò prohibitum eſt, vt non eſſet neceſſaria ea ſpecialis admonitio, & prohibitio. Neque in iis verbis prohibetur, vt diſpenſationibus iniungatur aliquod onus temporale in pium opus expendendum admixta commutatione præſertim; hoc enim & licet prælatis, & in praxi obſeruatur, vt *ſuprà* diximus; ergo ſolùm reſtat, vt prohibeatur, aliquid exigere, quod cedat in vtilitatem diſpenſantis. Et ad hunc ſcopum abſque dubio Tridentinum reſpexit, ne ſcilicèt in prælatis auaritia ſubreperet, & occaſionem ſumerent multiplicandi diſpenſationes etiam non iuſtas, aditusque vnicuique ad leges tranſgrediendas aperiretur, vt ibidem ait Concilium. Quod conuenientiſſimum fuit, cum aliundè Epiſcopi habeant redditus ſufficientes ad ſui ſtatus onera ſuſtentanda. Si verò alicui fortè deeſſent, poſſet eos petere ab his, qui tenentur congruam ei ſuſtentationem deſignare, vel poſtulare à Pontifice licentiam, vt gratiis, & diſpenſationibus à ſe collatis onus pecuniarium imponeret, non perſoluendum, vt pretium, ſed vt ſibi ſpiritualia miniſtranti, temporalia ad ſui victum neceſſaria miniſtrarentur, vt aiebat D. Paulus *vbi ſuprà.* Pontifex autem poteſt ea onera ad ſui ſtatus ſubſidium imponere, quia huic iuri Eccleſiaſtico, cui omnes Epiſcopi ſubijcuntur, ille non ſubijcitur, vt inquit Pater Suarez *ſuprà numer. 14.* Imò etſi ſubijceretur, poſſet ſecum diſpenſare, cum ex vno capite illud ſit ius poſitivum humanum, quod eſt ſub Pontificis poteſtate, & ex alio, is, qui habet poteſtatem diſpenſandi reſpectu alicuius communitatis, cuius pars eſt, poſſit & ſecum diſpenſare. Quam generalem doctrinam tradit Pater Thomas Sanchez *lib. 8. de matrimon. d. 3. per totam*, præcipuè *num. 6.* Pontifex autem poteſt cum ſubditis diſpenſare in omni iure Eccleſiaſtico, ergo & ſecum.

34 Nec contrarius eſt D. Thomas eo *art. 3. ad 3.* aſſerens, eum, qui habet ſpiritualem poteſtatem, ſi pro vſu illius aliquid accipiat, intelligi, *vendere ipſum ſpiritualis gratiæ vſum. Et propter hoc non licet, pro quacumque diſpenſatione aliquid accipere.* Nam in eis verbis dumtaxàt intendit, non licere, pro actibus ſpiritualibus aliquid, tanquam pretium, accipere, eo quòd hoc ſimonia ſit; non verò aduerſatur vlli ex poſitionibus poſitis. Imò *ibidem ad 2.* admittit, iuſtè dari aliqua temporalia pro ſpiritualibus, vt ſunt celebratio Eccleſiaſtici officij, & ſimilia, *non quaſi pretium, ſed quaſi ſuſtentationis ſtipendium.* Ita ipſe. Affertque verba gloſſæ ſuper illud 1. *ad Timoth. 5. Qui benè præſunt presbyteri, &c.* Nempè: *Neceſſitatis eſt accipere, vnde viuitur; charitatis eſt, præbere; non tamen venale eſt Euangelium.*

CAPVT VI.

Qui, & quomodo poſſint Bullam Cruciatæ interpretari?

35 INterpretari, ſtrictè acceptum, eſt, declarare, legem in tali caſu vi obligandi carere. Interpretatione vti, ſæpè neceſſarium eſt, nam vt ait D.Thom. 1.2. *q.96. art.6. ad 3. Nullius hominis ſapientia tanta eſt, vt poſſit omnes caſus ſingulares excogitare: & ideò non poteſt per verba ſua exprimere ea, quæ conueniunt ad finem intentum. Et ſi poſſet legiſlator omnes caſus*

Digitized by Google

conſiderare, non oporteret, vt omnes exprimeret propter confuſionem vitandam; ſed legem ferre deberet ſecundùm ea, quæ in pluribus accidunt. Minùs ſtrictè ſumitur interpretatio pro declaratione rei dubiæ, & obſcuræ, verum ſenſum illius exponente. Quo ſenſu habet locum præcipuè quæſtio præſens; ſcilicet quinam, & quo pacto Bullæ clauſulas valeant exponere, earum ſenſum exprimendo, & etiam declarando, an ad tales caſus, perſonas, vel materias, explicitè, aut implicitè verba extendantur.

36 Duplex eſt interpretatio; alia iuridica; alia doctoralis. Prima interpretatio ſiuè legum, ſiuè priuilegiorum eamdem vim, ac ipſæ leges, ſiuè priuilegia, retinent. Solùm enim præſtari poteſt ab ipſo legiſlatore, qui legem condidit, aut priuilegium conceſſit; vel ab eius ſucceſſore, qui idem cum illo reputatur; vel demùm ab eius commiſſario, cui ille ſuas vices commiſit. Ita DD. Canoniſtæ *in cap. cum veniſſent, de iudiciis, & in cap. inter alia, de ſentent. excommunicat.* & Theologi communiter; Ioannes à Cruce *de ſtatu religioſor. l. 2. cap. 2. dub. 1.* Rodriguez *1. tom. reg. qq. q. 11. articul. 1. & 2.* Trullench *in expoſit. Bull. dub. 3. proœm. n. 2.* P. Suarez *l. 6. de legib. c. 1. n. 2.* P. Salas *de legib. d. 21. ſ. 1.* P. Laymam *tom. 1. tract. 4. c. 18. num. 1.* P. Caſtro Palao *tract. 3. d. 5. p. 3. §. 1.* Etenim eiuſdem eſt, legem interpretari, cuius eſt, condere; *l. 9. & ſeq. C. de legib. cap. per venerabilem: Qui filij ſint legitimi, vt vnde ius prodijt, etiam interpretatio procedat*; vt aſſeritur *in dicto cap. inter alia*; inferturque *ex l. 1. ff. de conſtitut. Princip.* Hæc interpretatio dicitur generalis, & neceſſaria ac redigenda in ſcriptis; alia eſt enim interpretatio, quæ vim habet legis, non redigenda in ſcriptis; quam præſtat conſuetudo, *l. ſi de interpretatione, ff. de legib.* Habet enim conſuetudo, vt vim introducendi, & caſſandi leges, ſic & interpretandi; *cap. cum dilectus, de conſuetud.* vnde emanauit proloquium; *conſuetudo optima legum interpres.* Interpretatio non generalis etiam datur, vt cum iudex ſuam interpretatur ſententiam; *l. prætoris, ff. de prætor. ſtipul.* Interpretatio verò nec generalis, nec neceſſaria, nec in ſcriptis redigenda eſt interpretatio doctrinalis; quàm definiuit Carbo *l. 11. de legib. d. 1.* eſſe declarationem verbi, aut ſententiæ obſcuræ.

37 Hanc interpretationem doctrinalem præſtare valent viri docti, & eruditi. Ita tradunt relati *nuper* Authores; & Couarruu. *in regul. poſſeſſor. 2. part. §. 6. num. 3.* Antonius Gomez *in l. 30. Tauri, num. 11. §. 8.* Aurelius Claud. *de verbor. ſignif. cap. 9.* Conſtantius Roger. *2. part. de interpretation. iuris.* Alberic. *1. part. ſtatutor. quæſt. 10.* Burgos *in l. 1. Tauri num. 438.* D. Antonin. *1. part. tit. 17. §. 7.* Syl-ueſter *verbo interpretatio, §. 1. verbo iudex 2. §. 8. verbo priuilegium, §. 3.* & alij, quos refert, & ſequitur P. Henriquez *l. 7. de indulg. cap. 29. num. 4. gloſſ. litt. Q.* Et ſupponitur *in l. vnica, C. de profeſſoribus, qui in vrbe Conſtantin. lib. 12.* Ratio eſt, nam, vt aiebat D. Thomas, nullius legiſlatoris ſapientia tanta eſt, vt poſſit omnes caſus occurrentes excogitare, exprimereque per verba; imò ea quæ exprimit, vel quia breuitati conſuluit, vel quia ſæpè homines obſcurè ſuam mentem aperiunt, declaratione indigent. At nec poteſt ſemper ad ipſum legiſlatorem confugi, nec oportet; moleſtiſſimum namque illi, & ſubditis hoc eſſet; ergo, ne leges, aut gratiæ in ancipiti maneant, ſolùm reſtat, vt viri docti eas probabiliter exponant iuxta ipſarum contextum, & iuris diſpoſitionem. Et ſanè ad hoc innituntur tot viri in omnibus ſcientiis litterati, vt textus, iura, canones, & ſimilia dilucida interpretatione declarent; ad hoc in Academiis laurea Licentiatus, & Doctoratus inſigniuntur; ad hoc tot libros, & tractatus in lucem edunt. Quid, quod doctis, & ſapientibus viris licet, ipſam Scripturam Sacram interpretari, innumerique extant illius interpretes, cum tamen in eâ leges diuinæ, Conſilia Euangelica, hujuſmodique alia ab Spiritu Sancto dictata contineantur; quod & Eccleſia videt & approbat; igitur potiori iure, hominum leges, ſtatuta, priuilegia, & gratias, licebit ab Interpretibus peritis in clarum ſenſum depromi.

38 Aliquando autem interpretatio prohibetur. Sic *in Clementina ex vi, de verbor. ſignificat.* reſeruatur Papæ interpretatio regulæ S. Franciſci. Et Pius IV. in Bulla, quæ incipit Benedictus Deus, habeturque in fine Tridentini, prohibet omnibus ſub pœna excommunicationis, & aliis, quòd etiam titulo maioris corroborationis, aut executionis ipſius Concilij Tridentini, ſuper eius decretis edantur Commentarij, Gloſſæ, Scholia, vllumvè interpretationis genus. Et Sixtus V. conſtituit Congregationem Cardinalium, quæ dubia circa Tridentinum orta, conſulto tamen Pontifice, explanaret; vt eſt in Bulla quæ incipit; *Immenſa æterni Dei:* habeturque in nouiſſimo Bullario, *pag. 614.* Prætereà Gregorius XIII. anno 1584. in fauorem Societatis Iesv expediuit Bullam, quæ incipit: *Aſcendente Domino*; & poſteà aliam Gregorius XIV. anno 1591. quæ incipit: *Eccleſiæ Catholicæ*, habenturque inter litteras Apoſtolicas Societatis; in quibus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & ſub aliis, præcipiunt, ne quis audeat Inſtitutum prædictæ Societatis etiam indirectè impugnare; quovis etiam diſputandi, vel indagandæ veritatis quæſito colore. Simile edictum in gratiam Prædicatorum, & Minorum promulgauit Alexander IV.

contra

Digitized by Google

contra Guillelmum de Sancto amore; vt refert ſpeculum Minor.2.*part.tractat.*1.*fol.*15.

39. Verumtamen hæ prohibitiones locum alicui interpretationi, ſeu declarationi relinquunt, vbi obſcurum aliquid offenditur, dum ſtetur verborum proprietati, legiſlatoriſque menti, & nihil præter illam addatur. Nam in primis, quotieſcumque prohibetur interpretatio, ſolùm prohibetur vel interpretatio friuola, & quæ contra ipſam legis mentem eſſet, vel interpretatio in ſcriptis, & ex profeſſo deſumpta; aliæ enim interpretationes, ſeu declarationes, ſi quid eſt obſcurum, non vetantur, cum adeò neceſſariæ ſint; & aliundè vim iuris non habeant, ſed tantùm probabilitatem efficiant. Sic tenent. P. Henriquez, P.Caſtro Palao, & Trullench, *vbi ſuprà*; P. Salas *ſuprà ſec.* 2. *in fin.* P.Saa, *verbo, interpretatio,n.*5.

40 Deindè ipſam Regulam Minorum viri docti Regulares, & ſæculares interpretantur, cum opus eſt; vt videre eſt apud Cordubam *in expoſit. Regul. Minor. in introduct. q.*5.*&* 6. *cap.* 12. *q.* 3. Præterea in prohibitione interpretationis Tridentini, vt notat P. Caſtro Palao. licèt vox *edere*, ſonet quamcumque interpretationem non ſolùm typis excuſſam, ſed etiam vocet tenus expreſſam; iuxtà *l.*1. § 1. *l. ſi quis ex argentarij*, §. *in victum*, *ff. de edendo*; & Simonem Schardium *in lexico iuris*; *verbo. edere*; tamen conſuetudo de declaratione typis excuſſa eam vocem intelligit, quæ conſuetudo verborum proprietati præualet, vt tuentur Emanuel Rodriguez, Auguſtinus Barboſa, PP. Reginaldus, Henrriq. & Salas apud eumdem P.Caſtro Palao *n.* 6. Quare à Tridentino ſolùm prohibetur interpretatio, quæ eſſet quaſi gloſſa, commentarij, & ſcholia ex profeſſo deſumpta, & typis mandata, vt docent prædicti Authores, & Burgos de Paz in *proœm. leg. Tauri, numer.* 236. Barboſa in *proœm. ad remiſſiones Tridentini.* Vnde, qui etiam typis interpretetur incidenter vnum, vel alterum Tridentini decretum, non aduerſatur præfatæ prohibitioni; Sic notant plures ex prædictis; & P.Suarez *tom.*5.*de cenſur.d.*27.*ſ.*7.*n.*12.Bonacina *d.*1.*quæſt.*1.*punct.* 8 *n.*5.

41 Congregatio autem Cardinalium ad interpretandum Tridentinum ad hoc inſtituta eſt, vt ſi authenticè interpretetur aliquid, vim iuris Eccleſiaſtici habeat, cum præſtetur interpretatio ab his, qui vicem habent legiſlatoris; vt docet Zerola 1. *part.praxis Epiſcopalis, verbo, authoritas, ad fin.* & Trullench *ſuprà num.* 8. Tunc autem authentica debet iudicari ea interpretatio, cum fuerit ſolito ſigillo munita, & ab Eminentiſſimo Cardinali Præfecto, atque à Secretario eiuſdem Congregationis ſubſcripta. Sic enim iuſſa Vrbani VIII. ipſi Cadinales præceperunt poſtridie Kalendas Auguſti, anno 1631. ſicut refert Barboſa *de iure vniuerſo l.* 1. *cap.* 4. *numer.* 83. Aliæ verò interpretationes non authenticæ eiuſdem Congregationis, dum eſſe illius conſtet, habent maximam probabilitatem; ſed tantùm ſunt doctrinales, atque adeò in conſcientia non obligant, Ita Rodriguez 1. *tom. qq. regul.q.* 11.*art.*2. Ioannes de la Cruz *de ſtatu religior. l.* 2. *cap.* Trullench *ſuprà numer.*9. Ledeſma *in ſumma ca.*13.*de pænit. concl.* 1. *dub.* 7. Ioannes Valero, *verbo*, *abſolutio, different.* 1.*n.* 20. Quare ſi duæ Cardinalium declarationes inter ſe oppoſitæ circumferantur, non eſt potior viſi, quàm alteri aſſentiendi ratio, vt notant Ioannes Sanctius *in ſelectis d.*48.*n.*1. P.Suarez *tom. de pænit. d.*28.*ſ.*6.*n.* 10. Trullench *vbi ſuprà.*

42 Demùm illa prohibitio circa inſtitutum Societatis Ieſu eò tendit, ne quis, prætextu indagandæ veritatis, non tamen intentione ſincerà, illud impugnare contendat. Non autem tollit, vt ſi quod dubium propter verbà obſcura incidat, ſyncero animo exponi curetur; dum non fiat contra mentem Pontificis; vel tali expoſitione, vnde aliqua innouatio, aut perturbatio exoriri valeat. Illa enim declaratio ſæpe neceſſaria eſt; cum propter caſus occurrentes dubitatur aliquid; præcipuè cum ea ſolùm doctrinalis ſit, & probabilis; & vim obligandi non habeat, vt regula, vel conſtitutio, ſeu canon; ſola enim Congregatio generalis poteſtate viget authenticas declarationes exhibendi, iuxta *canon.*21.*quarta Congregationis generalis.*

43 His præjactis; facilè primæ tituli quæſtioni ſatisfit. Interpretari namque doctrinaliter Bullam Cruciatæ poſſunt viri litterati, doctrinaque pollentes. Hoc patet ex dictis *num.* 38. & de facto quotquot eam vel in ſcholis publicis, vel in tractatibus prælo mandatis elucidarunt, id, quod quærimus, præſtiterunt. Rurſus ſolus Pontifex, qui hanc Bullam concedit, vel qui ab eo commiſſionem habeat, poteſt authẽticè, & infallibiliter Bullam ipſam interpretari, ita vt interpretatio, eadem, ac ipſa Bulla, vi gaudeat. Hoc liquidum eſt *ex num.*37. Habet autem à Pontifice eam commiſſionem Generalis Commiſſarius Cruciatæ, tanquam iudex delegatus, vt præmiſſa ſapientum conſultatione, dubia circa Bullam interpretetur; cui interpretationi ſtare debent omnes iudices, etiam Cameræ Apoſtolicæ, & S.R.E. Cardinales, vt aduertit Trullench, *ſuprà*, *num.*4. ex P. Henriquez *ſuprà num.*3. & ex Lara. *lib.*1. *trium gratiar.pag.*60.

44 Nunc diſcutiendum ſupereſt, quomodo Bullæ priuilegia ſint doctrinaliter interpretanda? án latè, vt fauores; an ſtrictè, vt odia?

Digitized by Google

odia? P.Thom. Sanch. *tom.3. de matrim. lib. 8. d. 1.* docet, diſpenſationem ita ſtrictè interpretandam, vt ſi aliquid operetur, extendenda ampliùs non ſit, eo quòd exorbitet à iure communi, illudque lædat, quam doctrinam aliquibus exceptionibus temperat. Deindè *diſp.1.* tuetur poteſtatem diſpenſandi eſſe latè interpretandam; quam concluſionem, poſt alias exceptiones, vltimò ait, non habere locum, quando exprimuntur perſonæ, cum quibus eſt diſpenſandum. Etenim cum non exprimuntur, beneficium, & priuilegium eſt actiuum illius qui diſpenſaturus eſt, & in eius gratiam confertur; quare, vt beneficium Principis, eſt latè interpretandum. At, cum exprimuntur, eſt priuilegium paſſiuum ipſius, cum quo diſpenſandum eſt; quare non eſt tam diſpenſandi facultas, quàm quaſi diſpenſatio ipſa in eſſe producta ſolam executionem expectans; diſpenſationes autem ſtrictè interpretandæ ſunt. Quam aſſertionem colligit *ex c. ſi cui nulla, de præbend. in 6.* & pro ea affert Ioannem Andream, Abbat. Felin. Nauar. Alciat. Angel. Sylueſtr. Couarr. & alios. Ex his infert *num.7.* priuilegia Bullæ eſſe ſtrictè interpretanda, quia non ſunt priuilegia, ſeu beneficia ipſius diſpenſantis, ſed perſonæ Bullam accipientis. Hanc ſententiam tenet etiam Nauarrus *lib. 2. conſil. tit. de iure iurando, conſ.3. nu. 6. in 1. editione; & in editione 2. conſ. 1. num.6.*

45 Contrariam ſententiam, ſcilicèt Bullæ priuilegia eſſe ample interpretanda, tuentur Ludouicus Lop. *2. p. inſtruct. vbi de clauibus, cap. 9.* Villalob. *tract. 27. in titulo, numer. 7.* Raphaël de Torre *in 2. 2. tom. 2. quæſt. 88. art. 12. de vlt. numer. 2.* Diana *1. part. tra. 11. reſol. 98. P. Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto, cap. 16. numer. 3.* P. Henriq. *l. 7. de indulg. cap. 30. in princ.* non benè pro ſe citatus à P. Sanchez. Fauet ex parte Trullench *dub. 4 proœm.* quatenus ait, priuilegia Bullæ, provt continent poteſtatem commutandi, vel abſoluendi, eſſe latè interpretanda. Sed contrarius ſibi videtur, nam *eodem dubio* docet, priuilegia Bullæ, quæ continent actualem iuris diſpenſationem, & conceſſa particularibus perſonis eſſe ſtrictè interpretanda, quia non ſunt beneficia diſpenſantis, ſed diſpenſandi; qua ratione motus P. Sanchez contrariam defendit ſententiam; Etiam P. Henriq. *ſuprà n. 2.* huic modo dicendi fauet.

46 Tenendum eſt, priuilegia Bullæ eſſe amplè interpretanda. Probatur. Fauores ſunt ampliandi, quantum verborum proprietas patitur; ſeu latè ſunt interpretandi; at Bullæ priuilegia ſunt fauores; igitur ſunt ampliandi, ſeu latè interpretandi. Maior eſt certa ex principijs iuris: videatur P. Rodericus de Arriaga, *t.2. in 1. 2. diſp.33. ſec.6.* Minor ſuadetur, quia ea priuilegia ſunt maxima beneficia, quæ erga fideles poteſt Pontifex conferre; & ordinantur ad pleniorem abſolutionem, remiſſionemque faciendam, quæ fauorabilis eſt; nec excluſis exceſſibus, & priuatis reſpectibus, debent iudicari odioſa; cum per ea non intendatur principaliter bonum priuatum, ſed commune Eccleſiæ; nempè ſpirituale ſubſidium in publica Eccleſiæ neceſſitate, ad quam attendit conceſſio, vnde fauor eſt reputanda. Et ex doctrina P. Sanchez confirmatur; ſentit enim, diſpenſationem reſpectu cõmunitatis, ſeu religionis, eſſe fauorem amplè interpretandum; at hæc priuilegia etiam conceduntur cuidam collectioni, ſeu quaſi communitati fidelium ſub Rege Hiſpaniæ exiſtentium; ergo ample ſunt interpretanda. Nec ea in tertij præiudicium vergunt, ſed potiùs in animarum fauorem. Nec intereſt, quòd exprimantur perſonæ, conceſſioque priuilegiorum fiat, electione perſonarum mediante; quia hoc nulli eſt odioſum. Si enim Confeſſarijs propter finem à Bulla intentum concederentur omnes poteſtates in illa contentæ, & facultates, eas omnibus communicandi, nulli videretur odioſum priuilegium; & ſic ipſe P. Sanchez docet cum Sylueſtro, Tabiena, Nauarro, Sayro, P. Molina, P. Sà, & innumeris alijs, quos citat *ead. 2. num. 1.* Ad effectum autem priuilegiorum Bullæ, idem eſt, quod ego poſſim virtute illius eligere Petrum confeſſarium, qui mea vota commutet; ac illum habere poteſtatem, ante meam electionem, eadem vota commutandi. Nec contra Eccleſiaſticam diſciplinam plura ex vno, quàm ex alio abſurda ſequuntur, vt cuique perpendenti conſtabit. Demum priuilegia Bullæ non ſunt iuri contraria, ſed ſupra, vel præter ius; nam Pontifex ſuam poteſtatẽ communicat, quod iuri diuino eſt magis conſentaneum, quàm oppoſitum, cum bono animarum attendit; ius autem diuinum omni alij iuri præualet, quare contra nullum eſſe poteſt, quod eſt illi conformius quàm oppoſitum, in his circunſtantijs cauſarum, & neceſſitatum occurrentium. Ex hac generali doctrina plures caſus ſingulares decurſu libri inferemus: pluries enim ſe feret occaſio.

47 Ex his eneruantur fundamenta contraria. Etenim priuilegia Bullæ, licèt ſint beneficia quaſi paſſiua, & perſonæ exprimantur, adhuc tamen ſunt fauores iuxtà dicta, nec ius commune vulnerant, ſed iuri diuino ſunt magis conſentanea; & ad intentum finem eodem modo ſe habent, ac ſi perſonæ non exprimerentur; eſſentque beneficia diſpenſantium; ſuntque quaſi priuilegia communitati conceſſa; cum plures illis potiantur, atque adeò ſit quaſi lex omnibus eis communis, & æqua. Quòd ſi ſtrictiſſimè ſumatur priuilegium pro iure

Digitized by Google

iure ſingulari contra ius commune,quia priuilegium eſt quaſi lex priuata iuxta D. Thom. 1.2.*quæſt.*96.*art.*1. *ad.* 1. & iuxta *c.priuilegia, diſt.* 3. ſanè, quæ continentur in Bulla non ſunt ſic nuncupanda priuilegia; cum non ſint contra ius, nec vni perſonæ priuatæ concedantur, ſed quibuſcumque ſumentibus ipſam, qui ſunt quaſi communitas. Si verò priuilegium ſumatur non adeò ſtrictè pro quacumque conceſſione præter ius facta, vt vſurpari ſolet(imò priuilegium vocatur,quod, continens ius commune ſolùm ad tollendos ſcrupulos conceditur;vt aiunt Ioannes à Cruce *de ſtatu religioſor. lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 1. *concluſ.* 1. Trullench *ſupra numer.* 1. alijque plures.) Sic ſumpto priuilegio, quæ in Bulla exhibentur,priuilegia ſunt; eaque amplè interpretanda. Nam priuilegium,quod ſtrictè interpretandum, quaſi odium iuris, illudque vulnerans, communiter à Doctoribus aſſeritur, eſt priuilegium primo modo ſtrictiſſimo ſumptum.

48 Nec obſtat *cap. ſi cui nulla, de præbend. in* 6. vbi, cùm Pontifex conceſſiſſet Epiſcopo Pictauienſi priuilegium prouidendi beneficia, quorum prouiſio ad Sedem Apoſtolicam ſpectabat, & mortuo pontifice, dubitaretur, an gratia expiraſſet; reſpondet Bonifacius VIII. non expiraſſe,ſi perſonæ, quibus erant conferenda beneficia, non eſſent in priuilegio expreſſæ; ſecus, ſi expreſſæ eſſent. Quippe hoc priuilegium erat ſtrictiſſimum,contra ius commune, caſu, quo eſſent expreſſæ perſonæ;erat enim beneficium conceſſum perſonæ priuatæ, & non in bonum animarum, ſed ad commodum temporale, nec ad abſolutionem, remiſſionemque faciendam, nec demùm pro Eccleſiæ ingenti bono,tanquam cauſa, conceſſum; quare non debuit iudicari beneficium, ſeu fauor Principis; ſed perſonæ beneficium obtenturæ. Secùs contingit in Bullæ priuilegijs; quare paritas vim nullam habet.

49 Idem, quod de interpretatione priuilegiorum Bullæ dixi; etiam aſſero de indulgentijs in illa contentis,& de quibuſcumque alijs; nempè amplè eſſe interpretandas, quantum verborum proprietas patitur,in ordine ad durationem, quantitatem, perſonas, quibus proſint, & ſimilia.Ita ſentiunt P. Suarez, *tom.* 4. *in* 3. *part. d.* 56. *ſ.* 2. Gloſſ. *in Clement. vnic. de Relig. & venerat Sanctor verbo Confeſſio*; Sylueſter *verbo indulgentia, numer.* 8. 10. *&* 22. Angelus *eodem verbo numer.* 2. & inclinat Corduba, *quæſt.* 19. *d.* 1. *contra* 4. *concluſionem*; falsòque citat pro oppoſita ſententia Angelum. Et ſuadetur eodem fundamento, quo ſuperior aſſertio. Quippè indulgentia eſt fauor Principis, ab eius poteſtate, & voluntate dimanans, qua ſuam liberalitatem ex cauſa iuſta vult oſtendere; deindè eſt ſine præiudicio tertij,ac in bonum animarum,quæ licet ſua debita,media illa, ſoluant ex ſatisfactionibus Chriſti,tamen earum theſaurus eſt infinitus,nec ideò exhauriri valet; nec Eccleſia læditur,quin potiùs, medijs indulgentijs, in ſuis membris purior efficitur;nec demum eſt contra ius diuinum, vel humanum, quia à Deo habet Pontifex poteſtatem concedendi indulgentias; & conſentaneum eſt iuri diuino, vt vrgente iuſta cauſa,ad bonum commune Eccleſiæ, & animarum,eas communicet; & cum ſit iuri diuino magis conforme, quàm oppoſitum, reſpectu animarum,in talibus circunſtantijs cauſarum, & finium, non poteſt eſſe contra ius humanum;quod viget ſub ea cōditione, quod aliud non ſtatuatur iuri diuino conformius; nec in præſenti eſt ius humanum, cui contrarietur Indulgentia;ſi enim eſſet aliquod,maximè diuinum, ſatisfactiones exigens; quod tamen locum relinquit ſatisfactioni per indulgentias præſtandæ,alioquin non poſſent illæ concedi;ergo indulgentiæ, vt fauores, ſunt amplè interpretandæ.

50 Dices;ergo nullum priuilegium, etiam priuatum diſpenſationis, erit ſtrictè interpretandum; nullum enim erit contra ius commune, ſiquidem illud concedere,eſt conſentaneum iuri diuino, aliàs non poſſet concedi. Nego ſequelam. Diſparitas eſt; quia cum priuilegium tendit in bonum commune animarum,ius commune contrarium quaſi amittit ſuam vim,& quaſi derogatur per illud priuilegium, quod ſe habet, vt quoddam commune ius. Sicut P. Sanchez *ea d.* 1. *n.* 13. ait diſpenſationem, ſeu priuilegium conceſſum toti Religioni eſſe amplè interpretandum, quia ſumma eſt ratio,quæ pro Religione facit. At etiam ſumma eſt,quæ pro bono communi animarum facit. Et *n.* 15.docet, eas diſpenſationes, quæ fiunt, neceſſitate, aut vtilitate Eccleſiæ exigentibus emanare, velut ex iuris debito, & eſſe fauores debitos cauſæ, adeóque amplè interpretandos. Quæ omnia reperiuntur in priuilegijs, & indulgentijs Bullæ;quare non ſunt contra ius, ſed veluti ex iuris debito emanant. Priuilegium autem priuatum non circumdatur his circunſtantijs, nec propter illud, commune ius ſuam vim amittit;vnde contra illud eſt,licèt non ſit contra ius diuinū: Abſolutè tamen reſpectu communitatis, non eſt conformius iuri diuino, illud priuilegium priuato concedi, quàm ius commune oppoſitum; alioqui deberet illud priuilegium in eis circunſtantijs, omnibus, vel alicui communitati, ſeu quaſi communitati præſtari, ius commune eneruando. Nec enim ſemper occurrunt circunſtantiæ, quæ moueant ad priuilegia concedenda,quæ ſint,

quaſi

Digitized by Google

quaſi ius commune, infirmantia ius oppoſitum commune. Illæ autem concurrunt in conceſſione priuilegiorum, & indulgentiarum Bullæ. Quando ergo priuilegium non minuit vim iuris communis, adhuc in ſuo vigore manentis, contra illud eſt; ſicut eſt priuilegium priuatum diſpenſationis; Quando autem minuit reſpectu alicuius collectionis fidelium, quæ à iure illo eximitur, non eſt contra ius, in ſuo ſcilicèt vigore manens; ſed ſupra illud, quare ius illud cedit.

51 Contrariam ſententiam de interpretatione indulgentiarum defendunt Paludanus *in 4. d. 20. quæſt. 4. art. 3.* Baldus *in Margarita, verbo indulgentia, & in l. Humanitatis, Cod. de impuber. & aliis ſubſtitut.* Caietanus *opuſc. de indulg.* P. Reginald. *lib. 7. cap. 13. ſ. 2. à num. 141.* Trullench *dub. 8. proœm. num. 7.* P. Henriquez *l. 7. de indulg. cap. 30. num. 8.* cum aliis, quos citat *in gloſſa, lit. Q.* & ſumitur hæc ſententia ex Innocent. & Hoſtienſ. *in cap. licet, de tranſlat. Epiſcop.* Gloſſa *in regula 56. Cancellariæ*; quam citat, & ſectatur Nauarrus *in comment. de indulg. notab. 9. à num. 8.* Mouentur primò. Conceſſio indulgentiæ eſt diſpenſatio in iure diuino præcipiente ſatisfacere pro peccatis, & in fauorem certæ perſonæ exhibita, ergo eſt ſtrictè interpretanda. Confirmatur; quia per indulgentiam eneruatur pœnitentialis ſatiſfactio, adeò animabus vtilis, & per Eccleſiæ Canones præcepta. Prætereà per indulgentiam diſpenſatur æs alienum, & de alieno ſoluitur; quare iudicandum eſt, diſpenſatorem parcè eam concedere. Mouentur ſecūdò, quia hic eſt ſtylus Curiæ, & conformis regulis Cācellariæ; vnde iuxta illas indulgentia conceſſa alicui feſto, etiam ſi pro ſingulis annis fiat, reſtringitur ad viginti annos; & iuxta varias formulas ad annos pauciores, & indulgentia conceſſa alicui loco, in quo iam erat alia, nulla eſt, ſi non fiat mentio de prima. Quæ interpretationes ſtrictæ ſunt. Demùm mouentur *ex cap. ex eo, de pœnit. & remiſ.* vbi facta reſtrictione indulgentiarum, addit Innocentius III. *Quia per nimias indulgentias pœnitentialis ſatisfactio eneruatur.* Et Concilium Trident. *decreto de indulgent. ſeſ. 25. in fin.* ait de indulgentiis; *In his tamen concedendis moderationem, iuxta veterem, & probatam Eccleſiæ conſuetudinem, adhiberi cupit; ne nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina eneruetur.*

52 Reſpondeo ad primum; indulgentiæ conceſſionem eſſe beneficium concedentis, & fauorem, iuri diuino magis conſentaneum, non contra illud, cum poteſtatem à Chriſto acceperit Pontifex, eius ſatisfactiones applicandi ad animarum leuamen, & bonum; nec ſequuntur ex eo aliqua abſurda, ſi enim cum cauſa, & debito modo indulgentia concedatur, conformiſſimum eſt rationi, vt ſatisfactiones Sacramentales minuantur; vt minùs pœnæ reſtet fidelibus ſoluendum; cum ad hoc theſaurus Eccleſiæ ſit infinitus, vt ex illo ſoluant, qui minùs aliundè ſoluendo ſunt. Nec ideò eneruatur Eccleſiaſtica diſciplina, quando debita conſideratione indulgentiæ diſpēſantur; alioquin etiam eneruaretur, licèt ſtrictā interpretationem haberet, cum per indulgētiam plenariam omnis pœna pro culpis, de quibus quis doluit, debita remittatur, in quacumque interpretatione eius indulgentiæ. Ad illud de conceſſione priuatæ perſonæ ſat *ſuprà* ſatisfecimus. Imò addit P. Suarez *ſuprà num. 9.* diſpenſationem quamcumque, per ſe loquendo, ſecluſo exceſſu, & abuſu, eſſe fauorem, & conſequenter latè interpretandam.

53 Ad ſecundum aſſerò, illas limitationes non eſſe interpretationes, ſed reſtrictiones vel conſuetudinè, vel Apoſtolica authoritate diſpoſitas. Poteſt autem concedens priuilegium, vel ipſa conſuetudo illud reſtringere. Quod potius eſt pro nobis; quia ideò reſtrictæ ſunt, ſeu reſtrictione fuit opus, quoniam, ea expreſſe non poſita, interpretandæ eſſent ample illæ indulgentiæ, & iudicari, eam eſſe voluntatem concedentis; qui voluit non relinquere in eis locum interpretationi, quæ rectè fieri poſſet. Ad vltimum dico, ſolū probari, ipſam poteſtatem concedendi indulgētias eſſe ſtrictè interpretandam, hoc eſt, non adeſſe in Prælatis, niſi cum eſt iuſta cauſa, & eos debere magna cum moderatione illam exercere; & Prælatos inferiores habentes poteſtatem ordinariam concedendi indulgentiam, ſiuè eos, qui habent poteſtatem delegatam, non debere vltra illam aliquid operari; & hoc probat caput allatum, & Tridentini decretum, non aliud, ſi attentè inſpiciantur. Quare qui eiuſmodi poteſtate pollent, illa moderatè vti debent, potiùs ad ſtrictum ius, quàm ad relaxationem inclinando, vt vitetur abuſus, qui eſt timendus, ſi abſque cauſa, & neceſſitate vrgentibus, indulgentias largiantur. Ad hoc enim poteſtatem non habēt, poteſtas namque diſpenſandi in iure diuino, qualis hæc eſt, non datur, vbi cauſa, & neceſſitas deſunt; habet enim ſe diſpenſans, vt miniſter, & œconomus Dei, atque in ædificationem, non in deſtructionem poteſtatem accepit, non ad prodigenda bona, quorum diſpēſator eſt, ſed ad rectè diſtribuenda. Vnde vt iam libaui, ſi ſententiæ contrariæ momenta æquo pondere trutinentur, non tàm ſuadent, quòd indulgentiæ amplâ interpretatione non declarentur, quàm quòd profuſa manu non concedantur; ſemel quippè conceſſis, etiam ſi ſtrictam interpretionem ſubeant, eadem ferè poſſunt argumenta formari.

BVLLÆ

Digitized by Google

BVLLÆ COMMVNIS VIVORVM ELVCIDATIO.

Quamvis ad proœmialem diſputationem, quàm in integram Bullam præfiximus, plures quæſtiones ex infra diſcutiendis poterant annecti, tamen aptiùs nunc examinabuntur, faciléque poterunt ad alias Bullæ partes aptari.

DISPVTATIO II.

De tempore durationis Bullæ Cruciatæ.

BVLLA Cruciatæ vnico anno in Hiſpaniis durat; quare Bullæ Hiſpanæ præfigitur numerus anni, pro quo durat, & in tertia linea primæ clauſulæ ponitur; *por tiempo de vn año*; ſæpiúſque intra repetitur, *durante el dicho año*. Et in Bullæ Latinæ prima clauſula præſcribitur: *Qui intra annum à die publicationis præſentium in ſingulis locis prædictis facienda inchoandum.* Inferiúſque ſæpè aſſeritur, *infrà dictum annum*; *dicto anno durante*. Vt ergo hæc verba intelligantur, anni ſupputationem, & varia in illo occurrentia, in hac diſputatione exponemus.

CAPVT I.

Quomodo computandus ſit annus durationis Bullæ?

1 DVpliciter vſurpatur annus; primò pro naturali, trecentis ſexaginta quinque diebus, & ſex horis conſtante; ſecundò pro Eccleſiaſtico, ab vno fixo termino vſque ad alium recenſito; vt in præcepto Communionis Euchariſtiæ ſingulis annis obligante, à Paſchate vſque ad Paſcha annus enumeratur, licèt non ſtato die, ſed diuerſo quotannis Paſcha celebretur. Hinc dubium de Bullæ duratione exoritur, quam vnico anno durare eſt certum, non tamen, an anno naturali à die publicationis vſque ad eumdem anni ſequentis diem; an Eccleſiaſtico, à die nempè publicationis vſque ad publicationis ſequentis diem, quamvis non vno, eodemque die publicetur. Annum verò ſumendum eſſe à die publicationis, ex ipſa Bulla liquidum eſt, ait etenim: *Qui intra annum à die publicationis præſentium, in ſingulis locis prædictis faciendæ inchoandum.* In Hiſpana autem ſic habetur; *Item concede ſu Santidad, que durante el dicho año, que corre deſde el dia de la publicacion deſta en cada luger.*

2 Vbi aduerte primò, ſi Bulla accipiatur poſt publicationem ſolemnem, quæcumque ſolemnitas iuxta diuerſos locorum mores intercedat, etiam ſi ante concionem, quæ ſolet haberi, id fiat, integrum eſſe, eius priuilegiis potiri; ſi verò ante publicationem ſumatur, neutiquam eis gaudere; ſic enim Pontifex annum duraturæ Bullæ recenſet, vt à die publicationis, hoc eſt, ab ipſa publicatione incipiat. Et ſic tenent Villalobos *tom. 1. tr. 27. n. 6.* Trullench *in expoſit. Bullæ, lib. 1. §. 1. dub. 10. n. 2.* Quare inane eſt, ad priuilegiorum vſum aliquot dies imò horas, ante publicationem Bullam accipere, in eis quippè non prodeſt. Aduerte ſecũdò, annum hunc minimè computandum eſſe à die publicationis in Metropoli, Curia, aut vrbe vicina; licèt enim *in tractatu de legibus* ab Authoribus doceatur; leges vi obligãdi vigere, ſtatim ac in aliquo ex illis locis promulgantur, quin debeant in ſingulis publicari; at in præſenti expreſſa eſt intentio Pontificis, qua cõſtat, in vnoquoq; loco, etiam minimo, caſtello, aut pago, promulgationem præceſſuram fore, vt ab ea annus recẽſeatur. Quin in aliis legibus, ſi ea exprimeretur legiſlatoris intentio, idem eueniret, illæ enim non niſi iuxta ipſius obligant intentionem. Cõceſſio autem Bullæ, cum lex obligãs non ſit, ſed beneficium potiùs, ad eum æquo iure reſpexit ſcopũ, ne eo carerent qui à Curia, aut Metropoli abeſſent, dum publicatio ipſis conſtaret. Quæ doctrina communis eſt apud omnes, vt videri poteſt apud P. Henriq. *tom. 1. l. 7. c. 10. §. 2.* Trullench *ſuprà n. 3.* Rodriguez *in explicat. Bull. §. 5. n. 3.* Ludouicum à Cruce *ibidem d. 1. c. 10. dub. 1.* & alios. Aduerte demùm, annũ non eſſe recenſendum à die acceptionis Bullæ, ſed publicationis; vnde ſi quis ob ignauiã, aut etiã impotẽtiam, non acciperet Bullã niſi poſt aliquot dies, vel mẽſes, poſt Bullæ promulgationem, non deberet ex tunc annus durationis incipere; cõtrariũ enim ex ipſiſmet Cruciatæ

verbis eſt manifeſtum; cum in ea deſignetur publicationis dies, vt inde annus incipiat. Pariter etiam non poterit quis Bullæ priuilegijs fungi ante acceptionem, etiam poſt publicationem; Maximuſque eſt error vulgi, in quo imperiti putant, cum intentione accipiendi Bullam, fas eſſe, eius vti priuilegijs ante acceptionē ipſam. Etenim priuilegium Bullæ non cōmunicatur, donec quis, erogata eleemoſyna, illam habeat; ſicut alia priuilegia, quæ Pontifex elargitur, v.g. diſpenſationes in gradibus prohibitis ad nuptias, in irregularitatibus hiſque ſimilia, donec realiter à Pontifice concedantur; non proſunt, nec intentio ea obtinendi etiam cum certa fiducia, ſufficit ad vtendum illis: priuilegium autem Bullæ, donec à ſingulis accipiatur, ſingulis à Pontifice non conceditur; ſi enim prius concederetur, non opus eſſet, eam accipere, eleemoſynam erogando. Dum verò quis realiter non habet, vnde à iure communi liberetur, vel aliquid præter ius agat, vrgetur à iure illo, nec intentio prædicta eum liberare poteſt.

3 Hinc fit etiam, non ſufficere quamcumque ſpem acceptionis Bullæ per alium faciendæ, vt poſſit quis eius beneficia experiri. Sanè ſi quis certo ſciat, quotannis tali die, ſeu tempore, in ſua domo aut patria, à qua abeſt, à parentibus, vel alijs accipi pro ipſo Bullam, ita vt moraliter dubitare de eo non valeat, ſed ſic certus ſit, iam pro ſe Bullam eſſe acceptam, poterit eius fauoribus gaudere; cū in moralibus perindè ſe habeat ea acceptio, ac ſi ipſe accepiſſet. Ideò hoc docetur à Diana *p.8.tr.11.reſol.90.* cum Villal. & P.Henriq. contra Rodriguez, & Vogam, quos refert, & ſequitur Trullench, *vbi ſuprà*, *dub.3.n.3.* putātes requiri teſtimonium fide dignū acceptionis Bullæ, nec ſat eſſe, certitudinem coniecturalem prædictam. Sed ſtandum eſt noſtro prolato. Nec obeſt; quod ait Trullench; eam certitudinem nō eſſe ſufficientem in re tanti momenti, eſſeque incertam eam præſumptionem in re, quæ concernit materiam Sacramentorum, eo quod potuerit aliquod impedimentum accidiſſe, mortis, morbi, aut ſimilis, accipientibus Bullam alijs annis. Additque ſi Epiſcopus quotannis ſoleat facultatem mihi præbere ad abſoluendū à reſeruatis, & ſim moraliter certus, eā denuo fore cōceſſurū, tamen quia poteſt mutare conſilium, me non poſſe abſoluere, donec de conceſſione cōſtet; ergo nec confeſſor electus per Bullā, donec de eius acceptione liqueſcat. Non, inquā, hoc obſtat, nā ea eſt certitudo moralis iam acceptæ Bullæ, non ſola præſumptio accipiendæ, ſicut eſt præſumptio concedendę ab Epiſcopo licētiæ abſoluendi à reſeruatis; ſi enim eſſet certitudo moralis licentiæ iam cōceſſæ, idē dicerē de ea, parē ob rationē: & quamvis res ſit grauiſſima, ea certitudo ſufficiens eſt; homines quippè prudenter operantur, dū eis de aliqua re ita liquet, vt in moralibus nequeat maior eſſe certitudo; nec moraliter ſit periculum, quòd fallantur: curandum tamen eſt, vt talis ſit certitudo, quæ periculo falſitatis niſi ob rarum contingens & moraliter non eueniēs, minimè exponatur. Si enim talis certitudo non ſit, aſſentior contrarijs Authoribus; & quidem ſi quis ſeruo fideli commendaſſet acceptionē Bullæ, poſteaq; ab eo audiſſet, iā eſſe acceptā, & ſeruatā, quamvis ipſe eam phyſicè non acciperet, nec videret; nemo inficias ibit poſſe eius priuilegijs gaudere; & tamen ſolam habet certitudinem moralem, in quo caſu inſtantur argumenta contraria: Certitudo igitur moralis, quæ ſufficiens eſt ad iurandum aſſertiuè aliquid, non eſt; cur in præſenti non ſufficiat. Non tamen ſat eſt probabilitas moralis; licèt enim poſſit quis ſe conformare opinioni probabili; non datur opinio probabilis in hoc quòd ſola cum probabilitate morali expoſita moraliter periculo falſitatis acceptionis Bullæ, poſſit quis illa gaudere; opinio enim benignior exigit certitudinem moralem, quæ non paritur ex rationibus moraliter probabilibus, ſed moraliter certis. Nec par eſt ratio in alijs diſpenſationibus, quæ à Pontifice poſtulantur; tum quia etiam ſi ille eas Romæ expediuerit, ordinarijs locorum committit, vt cauſas exploret, compertáq; veritate diſpenſet, vel diſpenſari à Pontifice declaret; tum quia nequit eſſe certitudo moralis de obtentá iam diſpenſatione; potuit enim ob varia incidentia obſtacula non fuiſſe petita, vel non conceſſa, ſeu cum aliquo onere priùs exigendo præſtita. De Bulla vero Cruciatæ ſingulis annis conſtat, in oppido quovis à Papa fuiſſe conceſſam, dummodo eleemoſyna erogata, accipiatur; nec eget in acceptione aliquo examine, vel ſimili: at ſi moralis certitudo non ſit de Bullæ acceptione facta per alium, ſed dumtaxàt ſit probabilitas quædam, cenſeo, non ſufficere ad gaudendum illius priuilegijs; nam ea probabilitas rem adhuc dubiam relinquit; & in dubijs melior eſt conditio poſſidentis; poſſidet autem ius commune à quo liberat Bulla; vel præter quod eſt; nec obſtat, ſi dicas, poſſe quemvis iuxta opinionem probabilem licitè operari, eique ſe conformē præbere, ergo ſimiliter in præſenti; non eſt recta conſequentia, nec paritas; nam in probabilitate opinionis, v.g. circunſtantias aggrauātes intra eādem ſpeciē non eſſe neceſſariò in cōfeſſione aperiendas, pro nullo ſtat poſſeſſio, nec certitudo, vt in præſenti ſtat pro iure cōmuni; quare poteſt quis cuilibet ibi opinioni conformari, ſecùs hic ſicut ſi quis dubitat, an teneatur ieiunare, cum poſſeſſio, & certitudo

ſtet

Digitized by Google

ſtet pro præcepto ieiunandi, non poterit à ieiunio vacare, dum illud dubium non deponat; in rebus autem, quæ ſunt facti, dubium, & probabilitas coincidunt; nam rationes dubitandi pro vtraque parte, ſunt probabilitates vtriuſque: Acceptio autem Bullæ res eſt facti, quare oportet, dubium de acceptione deponere, vt poſſit quis illius beneficia adipiſci.

4 Enim verò licèt Bullæ publicatio ſingulis in locis ſit facienda, non opus eſt, vt in oppido, in quo plures ſunt Eccleſiæ, ſingulis in Eccleſijs fiat; ſat eſt, ſi in præcipua, ſeu in aliquà iuxta loci cuiuſq; conſuetudinē; nec enim Pontifex aliud indulget, quam quòd in ſingulis locis publicetur; non verò in vnaquaque Eccleſia; nec praxis aliud obſeruat; nec quidē erat opus, cum ſatis ſuperq; omnibus innoteſcat promulgatio in vnica Eccleſia facta; maximè cū ferè ſemper ſolēnitas aliqua interueniat, quæ omnes in rei notitiam conducit.

5 Iam igitur duplex eſt circa quæſitū initio propoſitum opinio Altera tenet, annū durationis Bullæ eſſe Eccleſiaſticum à die publicationis vſque ad alium publicationis diem. Ita Ludouic. à Cruce *in expoſit. Bul. d.* 1. Trullench *ibidē l.* 1. §. 1. *dub.* 11. Ant. Gom. *ibid. clauſ.* 5. *n.* 1. Villalob. *tr.* 27. *clauſ.* 4. *n.* 8. Sāch. *in ſelect. d.* 55. *n.* 4. P. Henriq. *l.* 7. *c.* 20. *n.* 2. qui *in gloſ. lit.* O aſſerit, anno 1582. conſultos de hoc ita ſenſiſſe Salmanticenſes Doctores Moya, Vera, Sahagum Nauarrum iuniorem, & multos Theologos doctos ex varijs Religionibus. Hanc ſententiam, & etiam oppoſitam, pariter probabiles cenſet Dian. *ſuprà reſol.* 91. & 93. Altera opinio tuetur, annum pro naturali, ſiue ſolari eſſe ſumendum, ſic Rodrig. *ſupr.* §. 5. *n.* 2. Ludou. Lop. 2. *to. inſtruct.* 2. *par. tr. de claub. vbi de Bulla, cap.* 6. §. *His igitur præmiſſis.* Vega *in ſumma, in editione antiquior. lib.* 4. *caſ.* 104. & *caſ.* 140. Baſil. Legionen. *in manuſcrip. expoſit. Bul. cap.* 2. & pro hac ſententia adduci poſſe P. Thom. Sanch. & Palac. ait Ioann. Sanch. *vbi nuper n.* 3.

6 Ipſe Sāchez ibi cui maximè accedit Antonius Gomez docet ſi ita durare annū Eccleſiaſticū Bullam, vt hoc intelligi debeat, ſi poſt elapſum annū naturalē, alia Bulla publicetur, ita vt ille annus pluſquā duodecim ex menſibus conſtet. Si enim ante elapſum annum naturalē Bulla ſequens publicetur, ait, antecedentē Bullam durare, vſque dum annus naturalis à die publicationis illius adimpleatur; aliàs enim non eſſet fauor reſpectu accipiētis duratio anni Eccleſiaſtici, ſi durationem anni naturalis tolleret. Hoc ſuſtineri non poſſe iudico; nam re ipſa eſt aſſerere, annū durationis Bullæ eſſe naturalem ſimul & Eccleſiaſticum, vtrumque autem ſimul eſſe non poteſt; nam, vno anno, aſſerit Pontifex, Bullam durare, ſolúmq; relinquitur locus dubitādi, an ſit annus Eccleſiaſticus, an naturalis, & licèt verba ſint indifferentia ad vtrumque diuiſim, non verò ad vtrumque coniunctim; ea enim acceptio anni pro vtroq; ſimul inſolens eſt, & in iure, & in communi hominum vſurpatione; vt cernere eſt in cæteris omnibus, in quibus deſignatur terminus anni. Præterea in præſenti duplex opinio, alia de anno naturali, alia de Eccleſiaſtico, tanquam inuicem oppoſita profertur, nequit autem duplex ſententia oppoſita ſimul eſſe vera, ſimulque in praxi ſecura; quāvis poſſit quis conformari nunc vni parti probabili, nunc alij; non verò vtrique per modum vnius, in hoc enim eſt vel oppoſitio, vel deformitas.

7 Quamvis ſententia de anno Eccleſiaſtico in Bullæ duratione ſit in praxi tuta, tum ob authoritatem extrinſecam, tum ob cōſuetudinem fidelium non ignoratam à Commiſſario Cruciatæ, imò credam, nec à Pontifice, ideóque ſaltem vt probabilem, conſenſu taciturnitatis approbatam; nihilominus ſpeculatiuè loquēdo (quod etiam erit tutum in praxi) exiſtimo, Bullam vno anno naturali durare, non Eccleſiaſtico: Moueor, quia annus abſolutè prolatus ſtat pro naturali, imò computatur de momento ad momentum *lib.* 5. §. *minorem, ff. de minorib.* & docet Garcia *de beneficijs, p.* 11. *c.* 9. *n.* 7. cum communi iuriſprudentum; Adeóque ſi annus pro Eccleſiaſtico ſit accipiendus, non abſolutè profertur, ſed deſignatis terminis, vt in anno præcepti Communionis præfigitur à Paſchate vſque ad Paſcha. At annus durationis Bullæ abſolutè profertur, recenſendo diem, à quo incipit numerari, quin alius terminus deſignetur, ad quem vſque computetur, vt ex verbis Bullæ eſt manifeſtum, igitur annus, quo durat Bulla, eſt naturalis, non Eccleſiaſticus. Confirmatur. Poteſt Pontifex non concedere Bullam ad annū ſequentem, cum valeat mutare conſilium, nec teneatur ad illius conceſſionem, præcipuè ſi circunſtatiæ, vt accidere poteſt, mutentur; At tunc Bulla anno naturali duraret, cum non eſſet annus Eccleſiaſticus, nempè non eſſet alia publicatio; ergo ſemper ſimiliter durat. Probo conſequentiam; quia per accidens ſe habet, vt potè ab aliena voluntate dependens (ſaltem poſt ſexennium, pro quo nunc à Pontifice Bulla conceditur) vt alia publicatio fiat, non autem pendere poteſt duratio Bullæ antecedentis ab eo, quod poſteà accidentale eſt, vt contingat; alioqui in ancipiti eſſet, quantum duratura eſſet Bulla, an anno naturali, ſi alia non publicetur, an Eccleſiaſtico, ſi publicetur.

8 Nec rigidior eſt hæc noſtra ſententia; quā oppoſita, nam in oppoſita, quando ſequens publicatio anteponitur, minus temporis Bulla

Bulla durat, licèt magis duret, ſi poſtponatur; in noſtra verò plus temporis Bulla durat, cum anteponitur publicatio, licèt minùs duret, cum poſtponitur; quare in duratione maiori, vel minori (in quo poteſt huius ſententiæ rigiditas ſtare, aut benignitas) æquè ſe habent ſi diuerſimodè inſpiciantur, vnaque per aliam compenſatur.

CAPVT II.

Argumenta contra annum naturalem durationis Bullæ ſoluuntur.

9 Dices primò contra præfatum aſſertum, eiuſque rationem; moraliter eſſe certum, Pontificem conceſſurum fore Bullam ad ſequens ſexennium, & annum ſequentem, cum nunquam eam negauerit à prima conceſſione vſque adhuc; ergo non pendet deſignatio durationis Bullæ ab aliquo moraliter contingenti. Reſpondeo, Pontificem noluiſſe Bullam Cruciatæ in perpetuum concedere, vt ſibi integrum eſſet, eam negare, & licèt non negauerit adhuc, tamen in his, quæ ab humana voluntate, ex ſe mutabili, & à circunſtantijs, quæ nouæ in dies exoriri valent, dependent, contingentia moralis ſemper imminet, certitudini morali contraria. Quod vt conſtet, teſtatur Trullench *in expoſit. Bul. lib.* 1. §. 1. *dubit.* 13. *numer.* 1. Pium V. anno 1571. poſtremo ſui Pontificatus anno, reuocaſſe omnes Bullas Cruciatas ad illud vſque tempus conceſſas, intendentem, eas nunquam ampliùs concedere.

10 Dices ſecundò; ex quadam æquitate declarari poſſe, & ita Authores plures declaraſſe, eam eſſe Pontificis mentem, vt annum Eccleſiaſticum Bulla duret; ne, ſi ſeriùs vno anno, quàm alio publicetur, careant fideles bono priuilegiorum; ideóque praxi eſſe receptum, illis perfungi. Reſpondeo, fideles, quibus ea praxis eſt familiaris, tutò operari: ſequendo probabilem opinionem oppoſitam: cuius Authores probabiliter in ea æquitate excogitanda philoſophati ſunt; ſed tamen nos oppoſitum ipſis cenſemus; & fortaſsè neruoſius. Equidem Pontifex vult, vt vnico anno Bulla duret; annus autem ſtat pro naturali abſolutè prolatus; & cum pietati, ac benignitati opinionis ratio non adfauet, nimia benignitas eſt cenſenda; ſi fortè benignior eſſet ſententia aduerſantium, quàm noſtra, quod & ſumus iam *ſupra cap.* 1. inficiati. Quid? quòd Pontifex vult, vt quotannis eodem ſtato die Bulla publicetur, quod potius de eius mente credi debet, quàm quòd ex æquitate interpretantur aduerſantes, & ea publicatione ſic poſita, nec datur æquitatis neceſſitas, nec fideles vſu priuilegiorum priuantur.

11 Hinc ſatisfit alteri obiectioni, nempè Bullam à Pontifice per ſexennium concedi, non autem eſſet ſexennium perfectum, ſed interruptum, ſi vno anno ſerius publicata Bulla, non fruerentur fideles ipſius priuilegijs, diebus illis, qui poſt naturalem annum vſque ad publicationem decurrerent. Quippè aio, voluntatem Pontificis eſſe, vt ſingulis annis, eodem die Bulla promulgetur, quod ſi fiat, ſexennium vndequaque integrum remanebit. Imò in ſententia oppoſita, ſi ad finem ſexti anni Bullæ publicatio anticipetur (quæ Bulla iam ad ſexennium ſequens ſpectat) ſexennium ſanè integrè non completur, quod eſſe contra mentem Pontificis, certiùs eſt, quã quod de illa aduerſarij augurantur. In noſtra autem ſententia, cum ad publicationem ſequentem non attendatur, ſexennium naturale completur. Quòd ſi accidat interrumpi, eo quòd aliqua publicatio ſequens ſeriùs fiat, hoc præter mentem Pontificis euenit.

12 Aduerte tamen cum Villalobos, quem refert, & ſequitur Trullench *ſuprà dub.* 11 *n.* 4. eum, qui virtute Bullæ confeſſarium elegerat, coram eoque cæperat confeſſionem, ſi propter aliquam ſufficientem cauſam differatur confeſſio, & non perficiatur, interimque Bullæ terminus expiret, poſſe nihilominus virtute Bullæ tranſactæ confeſſionem perficere, & abſoluì; idemque de Iubilæo tenendum eſſe, dummodò omnia alia ad illud requiſita fuerint expleta, docet P. Henriq. *l.* 7. *de indulg. c.* 11. *n.* 5. Et ratio ſumitur ex doctrina generali, quòd iuriſdictio ſemel habita, & re nõ integrâ, vt pote cauſa incepta, non expirat, quouſque cauſa finiatur; vndè etiam poteſtas delegati, ſi lis ſit iam conteſtata, non expirat, etiam ſi delegationis tempus elabatur. De quo videri poſſunt Anton. Gabr. *t.* 2. *tit. de præbend. con.* 1. *à* §. 35. *Syluest. verbo conſeruator*, §. 6. Palac. *in c. per veſtras, not.* 2. *n.* 28. Aduendaño *de exeq. mand.* 1. *c. n.* 16. Aufrerius *in capella Toloſana*, *q.* 12. P. Sanch. *l.* 8. *de matr. d.* 28. *n. n.* 13. P. Caſtr. Palao *tom.* 1. *tit.* 3. *de leg. d.* 4. *p.* 16. §. 1. Et hæc doctrina roboratur ex ipſa Bulla Cruciatæ latina; vbi aſſeritur. *Item declarant, quòd expirante anno, omnes ſupradicta facultates, & gratiæ, & indulta expirent, tantumque poterunt cauſæ pendentes ad finem perduci.*

CAPVT III.

Aliqua dubia de tempore durationis Bullæ exponuntur.

13 Primum dubium eſt. An elapſo anno, ſi quis adſit in loco frequenti, vbi non poſſit ſtatim, ac Bulla promulgatur, eam accipere,

Digitized by Google

accipere, valeat frui eius priuilegiis; ita vt Bulla antecedens adhuc ſuffragetur illi? Quæ quæſtio locum habere poteſt in vtraque ſententia de anno durationis Bullæ; quamvis hi eam reſoluant, qui annum Eccleſiaſticum tutantur. P. Henriq. *l.7. de indulg. c.20. n.2. in gloſſ. lit. O.* tenet, non obligari omnes in vrbe ingenti primo publicationis die Bullam ſumere, ſed poſſe præcedente vti, ſufficereque illam intra triduum, aut hebdomadam ſumere. Sequitur cum Ioannes Sanch. *in ſelect. d.55. n.5.* Hancque ſententiam non improbantes referunt Villalobos *tr.27. clauſ.4. n.10.* Dian. *1.p. tr.11. reſ.92.*

14 Hæc mihi ſententia valdè diſplicet, quia priuilegium conceſſum pro tempore determinato, hoc elapſo, expirat; Nec aliquis affirmabit, eum, qui habet priuilegium veſcendi carnibus diebus prohibitis, ſeu audiendi in Oratorio ſacrum, per vnius anni tempus, poſſe vlteriùs quatuor, vel ſex diebus eo vti; quippè eo tempore tranſacto, iam non datur tale priuilegium habetque ſe res, ac ſi numquam fuiſſet conceſſum. Nec hoc poteſt eſſe iuxta concedentis mentem, cum ille tempus præfixerit. Nec refert quòd aliquod incommodum reportet ille, qui Bullam nequit accipere; ſicut ſi non fuiſſet conceſſa, ſanè illud reportaret; dum autem non ſumit, perindè eſt, ac ſi conceſſa non fuiſſet. Nec impotentia, pietatis huius eſt anſa ſufficiens; nam pariter poſſet dici, ægrotum iacentem in lecto; quia non poteſt Eccleſiæ altaria viſitare, ne ob inculpatam impotentiam priuetur indulgentiarum bono, eas lucrari recitantem in lecto ſine altarium viſitatione. Hoc autem nullus dicet, quia non aliter concedit Pontifex eas ſtationum indulgentias, niſi altaria viſitando: & impotentia impedit, non fauet; ergo ſimiliter, licèt propter impotentiam inſumendi Bullam quis eam non accipiat, non quibit eius gaudere priuilegiis, quia Pontifex dumtaxat concedit, eis frui illum, qui Bullam accipit; & ſolum pro vnico anno, ſiue naturali, ſiuè Eccleſiaſtico.

15 Ait P. Henriq. diem artificialem pro recitandis horis eſſe longiorem, nempe à præcedenti veſpere, vſque ad mediam diei ſequentis noctem; & pro matrimonio cenſeri decimumquartum annum, etiam ſi aliquot dies, aut menſes deficiant, ſi malitia ſuppleat ætatem: ergo ſimiliter in præſenti. Eneruis paritas. Etenim iam pro recitatione horarum deſignatus eſt ille dies Eccleſiaſticus; ſicut ad præſens, admitto, annum Eccleſiaſticum à publicatione vſque ad publicationem, licèt ſit longior, quam annus naturalis, ſicut ille dies longior eſt, quam naturalis. At tranſacto illo die Eccleſiaſtico non implebit quis præceptũ etiamſi recitet; ſimiliter tranſacto illo anno Eccleſiaſtico, non valebit Bulla antecedens. Expendatur paritas, & contra P. Henriq. eſſe potiùs, quam pro ipſo, apparebit. De tempore autem requiſito ad matrimonium etiam eſt diſpar ratio, quia ideò decimus quartus annus à iure præfigitur, quia communiter vir vſque ad illam ætatem non eſt aptus ad nuptias, nec viribus potens ad matrimonij conſummationem; vnde ſi in aliquo ſecùs contingat, ceſſat ea ratio ideóque poterit vxorem ducere. Hinc autem quid contra nos? Imò in iure cum tempus præfigitur, communiter nunquam ante illud poteſt quis munus obire, ad quod tempus tale deſignatur; vt videre eſt in tempore deſignato ad Ordines ſacros, & ad ſimilia, quod ipſe P. Henriq. *ibidem* fatetur.

16 Secundum dubium eſt. An in ſententia, quæ annum Eccleſiaſticum durationis Bullæ defendit, ſi quis v.g. Bullam Madridij ſumpſit, vbi publicaretur Dominica prima Aduentus, & ſequenti anno adſit in alio loco, vbi publicetur multos poſt dies, poſſit illis diebus Bulla frui, durante nempè vſque ad publicationem in loco, quo verſatur; vel an annus finiatur ſtatim, ac Madridij alia Bulla promulgetur, quin ille poſſit priuilegiis illius potiri vlteriùs? Ioannes Sanchez *in ſelect. d.55. à n.8.* affirmat, poſſe quem vti Bulla antecedenter publicata in eo loco, in quo eam accepit, vſque ad publicationem, quæ etiam multò ſerius fit in loco, in quo tunc commoratur. Mouetur, quia ea eſt præſumenda Pontificis intentio, ne homo ille vel cogatur adire locum, in quo citiùs Bulla præcedens fuit promulgata, vt aliam accipiat; vel priuetur tanto Bullæ bono; & quidem cum iam incola alterius loci reperiatur, ei computari promulgatio debet, ſicut eiuſdem loci cæteris habitatoribus. Hãc opinionẽ non improbabilem cẽſet Trullench *in expoſ. Bull. l.1. §.1. dub. 10. n.5.* quãquam oppoſitã abſolutè defendat.

17 Iudicio tamen meo, non poteſt præfata opinio ſuſtineri. Primò, quia annus Eccleſiaſticus Bullæ computari debet à die publicationis vſque ad alium publicationis diem eodem in loco; alias nec erunt termini eius anni fixi, nec ex publicationibus in diuerſis locis factis, poterit congruè annus idem conſtare; cum eis, qui in loco primæ publicationis permanent, non idem, ac exeuntibus annus computetur. Secundò, quia in locis quibuſdam citiſſimè præuenitur Bullæ promulgatio; in aliis valdè ſerò differtur; vnde fieret, annum Eccleſiaſticum Bullæ aliquando ad ſexdecim menſes extendi; quod de mente Pontificis eſſe, haud credibile apparet. Nec pietas ſuffragatur, ne ſcilicet quis tanto bono priuetur; nec itẽ impotentia, aut labor adeundi locum, in quo fuit Bulla antecedens promulgata. Iam enim *ſuprà n.14.* his obuiam iui.

Imò ſi opinio contraria vera eſſet; quando quis moraretur in loco v.g. milliari vnico diſtante à Metropoli, aut Curia, vbi Dominica prima Aduentus Bulla publicatur; in eo autem oppidulo feria quarta Cinerum; poſſet vti vſque ad eam feriam Bulla in Curia accepta; quia in habitatione, quam tunc habet, vtitur ſine dolo malo iure ſuo; & pro eo ſtat illa ratio, quòd debeat ei computari Bullæ annus, ſicut reliquis pagi illius incolis, cum qua ratione non ſtat illa alia, nempè poſſe vti ea Bulla, ne cogatur ire ad locum priùs à ſe habitatum, acceptionis Bullæ cauſa, nam quid mirum, quòd cogeretur, ſi vellet vti Bullæ priuilegiis; ſicut ſi vellet lucrari Iubilæum in Curia, illuc cogeretur ire; & ſi vellet licitè non ieiunare in die, in qua ſolùm in ſuo loco ieiunatur, ad alium, vbi non eſt ieiunij præceptum, aduentare cogeretur.

18 Tertiò, quia idem Sanchez *num.* 10. tenet, annum Eccleſiaſticum Bullæ reſpectu peregrinorum computandum eſſe vſque ad diem publicationis nouæ Bullæ, non in loco, vbi ſunt, ſed vbi eam acceperunt; alioqui in fraudem differrent Bullam vſque ad annum, & dimidium, locum quærentes, vbi Bulla promulgaretur tardius. Etenim ſi illa dilatio cenſetur incongrua, eadem poteſt in aliis non peregrinantibus eſſe; nec ea debet iudicari fraus, cum illi ſuo iure vtantur, nec eis ſit peregrinatio prohibita, de quo dicemus *d.* 3. cum agemus, an poſſit quis ex loco, vbi Bulla non valet, ad locum, in quo valet, accedere, ſolum acceptionis ergo; quare peregrini poſſent Bulla antecedente frui, vſque ad publicationem in loco, in quo reperirentur, quod non admittit Sanchez; ergo nec aliud admittere debet.

19 Forſan dices; ſi quis veniat ex loco, vbi Dominica in albis eſt dies vltimus, quo poteſt impleri præceptum Communionis Paſchalis, ad locum, vbi extenditur tempus adimpletionis vſque ad aliam Dominicam, ſatisfaciet præcepto, ſi Dominica hac, illud impleat; ergo pariter in caſu dubij poſiti accidit. Conſequentiam inficior; nam in eo caſu non vtitur quis aliquo priuilegio antecedenter accepto, & ad tempus determinatum conceſſo; ſed accommodatur eius loci conſuetudini in adimpletione præcepti. Imò in eodem loco quis exiſtens poteſt quodam anno adimplere Communionis præceptum Dominica Palmarum, ſequenti verò anno, Dominica in albis. Vnde cernitur, ab hoc nullam eſſe paritatem ad propoſitum Bullæ caſum. Tertium dubium eſt, an ſi ſit annus in quo menſis incidat biſſextilis, intra annum naturalem comprehendendus ſit dies, qui tunc ſuperadditur? Reſpondeo affirmatiuè, nam in fauorabilibus (qualis eſt duratio Bullæ) duo dies in menſe biſſextili pro vno computantur, ſecùs in odioſis; *c. quæſiuit, de verbor. ſignif. leg. cum biſſextus, ff. eodem tit. l. 3. §. minorem, ff. de minoribus, c. nullus,* 55. *diſt. c. ſi propter, de reſcript. in* 6. & communiter Iuriſtæ, quos refert, & ſequitur P. Thom. Sanch. *l.* 2. *de matrim. d.* 24. *à n.* 17.

CAPVT IV.

An Bullæ vſus, pro tempore, quo durat, ſit noua conceſſio, vel prorogatio?

20 TEmporibus illis, quibus non concedebatur Bulla abſque interruptione, dubitari non poteſt, vnamquamque fuiſſe nouam conceſſionem; ſed quia à Rege Catholico Ferdinando vſque adhuc, continua annorum ſerie (ſi excipias quamdam reuocationem Pij V. de qua *infrà*) Bulla pro Hiſpania indulgetur, dubium eſt, an Pontifices eam de nouo concedant, vel potiùs tempus durationis illius, ſeu illam ipſam prorogent: Præcipuè, cum in titulo Bullæ aliquando fuerit inſcriptum *prorogada*; vt ſupponit Antonius Gomez *in explicat. Bull. c.* 6. Ad reſolutionem aduerto, dupliciter ſumi poſſe prorogationem. Primò pro conceſſione alicuius gratiæ, aut priuilegij ſimilis omnino alij, quod nuper expirauerat. Secundò, pro extenſione gratiæ, priuilegij, termini, aut iuriſdictionis, quæ nondum fuerat finita, eius tamen finis, niſi extenderetur, inſtabat. Et hæc acceptio prorogationis eſt apud Iuriſprudentes ſolemnis, vt conſtat *ex l. ſi conuenerit,* 18. *ff. de iuriſdictione omnium iudicum:* Couaruu. *in c. quamvis pactum* 1. *part.* §. 4. *n.* 7. Abb. *in c. de cauſis de officio delegati n.* 7. & ex pluribus aliis iuribus, & Authoribus videndis apud Anton. Gomez *vbi ſuprà.*

21 In prima prorogationis acceptione certum eſt, Bullam fuiſſe prorogatam, non de nouo conceſſam, quia nihil de nouo ei ſuperadditur, quod non fuerit in præcedentibus Bullis indultum, à tempore Gregorij XIII. anno 1573. & 1576. vſque ad hæc tempora, vt *d.* 1. *c.* 4. aſſeruimus. Ante hunc verò Pontificem, gratias, & priuilegia, quæ à ſingulis eius prædeceſſoribus addebantur, de nouo concedi, & non prorogari, erat dicendum, cum ſimilia priùs præſtita non fuiſſent. Imò priuilegium veſcendi ouis, & lacticiniis ab Vrbano VIII. pro Eccleſiaſticis conceſſum, cum primò fuit ab eo expeditum, conſtat, non prorogatum, ſed nouiter fuiſſe indultum, cum ſimile non extiterit ante donatum, iam verò id ipſum (in acceptione hac prima) prorogatur nunc quoties poſt quodvis expeditur ſexennium.

22 Nec obſtat, quòd olim in ſuperſcriptione

ptione

Digitized by Google

ptione Bullæ Hiſpanæ apponebatur *nueuamente concedida*, vt ſupponit Antonius Gomez *ſuprà ad finem cap.* licèt iam vox *nueuamente* fuerit ablata: Etenim vel tunc aliqua priuilegia de nouo concedebantur, quibus vox illa aptabatur, vt docet Garnica *in Bulla declaratione pag.* 45. vel ea vox erat vſurpanda pro conceſſione oppoſita prorogationi in ſecunda acceptione, de qua ſtatim & in ea rectè adhuc ea vox etiam nunc poſſet apponi.

23 In ſecunda acceptione prorogationis, Bulla de nouo conceditur, non prorogatur, quippè, poſt quam præcedens Bullæ conceſſio expirat, alia nouiter præſtatur. Quod dupliciter expendi valet. Primò, ſi ſolùm attendatur ad fideles Bullam ſumentes, nam ei qui illam hoc accipit anno, non prorogatur ante annum elapſum, elapſo autem illo, Bullæ expirant priuilegia; quare ſequentem Bullam, quaſi de nouo ſibi conceſſam, reſumit. Secundò ſi attendatur ad Hiſpaniarum Regem cui immediatè Bulla à Pontifice conceditur: ſic autem noua etiam eſt conceſſio, non prorogatio; cum elapſo quovis ſexennio, fiat ad aliud ſexennium, quo præterito, Bulla expirat; atque adeò recenter tunc iterum à Papa conceditur. Nec quidem obeſt, quòd Rex conceſſionem impetret, aliquot ante menſes elapſi ſexennij. Etenim hoc ideò præſtat, vt abſque interruptione Bulla in ſua ditione promulgetur; nec expectetur, elapſo ſexennio, vt impetratio noua obtineatur; Pontifexque tunc nouam conceſſionem præſtat, incepturam ſuum effectum ſortiri, cum primùm præcedens conceſſio expirauerit; quod non ante ſexennium elapſum contingit. Hoc autem inde conſtat; nam, ſi deinceps ad aliud ſexennium nollet Papa Bullam elargiri, ſexennium antecedens iam conceſſum non eſſet numerandum à die impetrationis obtentæ, imò etiam ad Regis peruenientis manus (quod fortaſsè dimidio, vel integro anno ante neceſſarium tempus accidit) ſed à die quo primo anno ſexennij conceſſi Bulla publicaretur. Quòd ſi adhuc contendas, hanc Pontificis conceſſionem, quia abſolutè ante elapſum terminum conceſſionis præcedentis præſtatur, prorogationem eſſe vocandam, ſtando rigoroſæ prorogationis acceptioni; præterquàm quòd non aptè hoc dices, vt ex allatis in hoc numero conſtare videtur, neutiquam tamen ſuper hoc nimis decertabo, cum de re ſatis liqueat.

CAPVT V.

An Bulla expiret morte Pontificis?

24 Elapſo termino conceſſionis Bullæ ſicut & cuiuſvis gratiæ, ſi moriatur concedens, eas expirare, nec vlterius valere, niſi denuò concedantur, aut prorogentur eſt certo certius, cum enim illæ non habeãt vim niſi ex concedentis voluntate, nequeunt vltra illam extendi; & cum limitatæ ſint, minimè valent tranſgredi limitationem; cauſa quippè limitata effectum limitatum iuxta ſuas vires producit. Quæ doctrina traditur à Couarruu. *l.* 5. *de indulg. q.* 36. *propoſit.* 4. Nauar. *in* §. *in leuitico notabil.* 31. *à n.* 25. & infertur *ex c. cum capel.* 16. *de priuileg.* ex aliiſque iuris vtriuſque textibus allatis ab Anton. Gom. *in explic. Bull. c.* 5. *n.* 2. éſtque inter Authores omnes liquidò conſtans. Quæritur tamen, an mortuo Pontifice nondum tempore Bul. conceſſionis elapſo, ea expiret.

25 Communis, veráque ſententia, non expirare, docet. Quam, vel agendo ſpeciatim de Bulla, vel in generali de qualibet gratia, ſi moriatur concedens (eſt enim vtrobique par ratio) tuentur Cordub. *de indulg. q.* 23. Lud. à Cruce *in expoſit. Bull. d.* 1. *c.* 10. *dub.* 3. *n.* 1. Angelus, & Syluest. *in ſum. verbo gratia.* Nauarr. *ſuprà*, *& in c. placuit, de pœnitent. d.* 6. *n.* 161. Anton. Gom. *ſuprà n.* 1. Trullench *in explicat. Bull. l.* 1. §. 1. *dub.* 13. *n.* 3. Baſil. Legionenſ. *in manuſcript. c.* 2. P. Henriq. *l.* 7. *de indulg. c.* 21. *n.* 4. P. Sà, *verbo gratia n.* 1. P. Caſtr. Palao *t.* 1. *tr.* 3. *de legib. d.* 4. *p.* 16. §. 4. *n.* 7. *&* §. 5. *n.* 1. aliíque plurimi, quos eſſet, recenſere, prolixum.

26 Probatur primò *ex c. ſi ſuper gratia de officio, & poteſt. iudic. deleg. in* 6. vbi clarè Bonifacius VIII. præfatam ſententiam oſtendit, ibi: *Si ſuper gratia cuiquam ab Apoſtolica ſede facta, executores fuerint deputati, æquum eſſe cenſemus, vt ſicut ipſa gratia* (*licèt nondum ſit in eius executione proceſſum*) *morte non perimitur concedentis; ſic nec etiam, re integra perimatur executionibus data poteſtas.* Ex quibus verbis ſic arguo. Gratia facta à Sede Apoſtolica non expirat morte concedentis; ſed Bulla Cruciatæ eſt gratia à Sede Apoſtolica facta, ergo non expirat morte Pontificis concedentis. Hic obiter nota ex verbis Bonifacij in parentheſi incluſis, etiam ſi moriatur Pontifex, antequam primo anno ſexennij ab ipſo ante obitum conceſſi Bulla publicetur, adhuc tamen eam non expirare; cum gratia, quamvis in eius non fuerit executione proceſſum, morte non expiret concedentis.

27 Probatur ſecundò. Priuilegia Principum ſunt permanentia, niſi per termini deſignationem limitentur, ita vt non expirent, niſi reddantur ob aliquas circũſtantias enor-

Digitized by Google

miter in alterius præiudicium redundantia; imò tunc proponi debet Principi quæſtio de priuilegio, & contra illud non debet propria authoritate veniri, vt docet gloſſ. *in c. decet. 17. de reg. iur. in 6.* Atqui Bulla eſt priuilegium Principis Eccleſiæ, nec in damnum enorme tertij per obitum Papæ redũdat; ergo intra ſuæ conceſſionis ſpatium, etiam mortuo Pontifice, non expirat. Major propoſitio traditur à Bonifacio VIII. in prædicta regula iuris: *Decet, conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum.* Additque gloſſa, manſurum, etiam ſi cauſa impulſiua conceſſionis priuilegij ceſſauerit; quod multiplici iure confirmat; & inter Iuriſperitos communem hanc eſſe doctrinam, ait Anton. Gom. *ſuprà.*

28 Probatur tertiò ex doctrina alia communi, quam tradit P. Thom. Sanch. *l. 8. de matrim. d. 28. n. 64.* in materia diſpenſationum, nempè gratiam factam non expirare morte concedentis, etiam re integra; ſi verò ſit gratia facienda, morte concedentis perire, re integra, ſecùs, ſi integra non eſſet. Expoſuerat autem *n. 48.* gratiam factam, & faciendam, aſſerens; factam nuncupari, quando perfectè ei conceditur, in cuius fauorem expeditur, independenterque ab alio, cui facienda committatur; faciendam verò gratiam eſſe illam, quæ abſolutè non conceditur ei, in cuius expeditur fauorem, ſed dependenter ab alio, cui facienda committitur. Gratiam autem factam morte non expirare concedentis, probat *ex c. ſicut nulla, de præbend. in 6. & gloſſ. ibi, notabili* 1. & ex Archidiac. Anchatran. Bald. Decio, Ripa Riminald. Abbate. Rebuf. Nauar. Roſella, Gaëta, Gutier. Sayro, Felin. Sylueſt. & Hyeron. Paul. Et ratio videtur ea eſſe, quia gratiæ factæ iam radicantur in ea perſona, cui fiunt; vnde per concedentis mortem non expirant, ſed in ipſa perſona manent, in qua iam radicabantur.

29 Ex hac doctrina ſic ſuadetur ſententia propoſita. Bulla Cruciatæ non eſt gratia, quæ dicitur facta, igitur non expirat morte Pontificis concedentis. Antecedens probatur; nam, ſi loquamur de Bulla, quam iam quis, eleemoſyna erogata, accepit, certum eſt, eſſe gratiam ei factam, nullique committi ei faciendam, ſi verò res ante Bullæ acceptionem perpendatur, iam etiam eſt gratia Regi Catholico facta, ſine dependentia ab aliquo. Nec ita ei conceditur, vt committatur ipſi, eam gratiam aliis præſtare, ſeu non conceditur aliis dependenter ab eo, quòd Rex eam gratiam illis indulgeat; ſed abſolutè omninò indulgetur Regi pro ſuis Regnis, ea dumtaxat expectata conditione, vt accipiens eleemoſynam eroget, qua poſita conditione, abſque alicuius dependentia, Bullæ priuilegiis fruatur.

30 P. Henriquez, P. Thom. Sanchez, & Trullench *vbi ſuprà*, diſputant quænam gratiæ morte concedentis expirent, per plures eundo; ad noſtrum autem inſtitutum parùm referunt; ſolùm ſcias; etiam ſi expiret gratia; quæ ſic à concedente præſtatur, *ad beneplacitum meum*, abſque deſignatione temporis, vbi primùm expirat concedens; non tamen ideò Bullam morte Pontificis expirare, quia non conceditur ſub ea forma verborum, ſed abſolutè ad ſexennium. Imò, quamvis ſub ea forma expediretur, deſignato tamen tempore durationis, non expiraret morte concedentis; quia duratio in eo tempore non dependet à perſeuerantia actuali, virtuali, aut habituali concedentis (quæ eo mortuo; nulla manere ab his Authoribus dicitur,) ſed non à retractatione voluntatis, intra illud tempus, quod abſolutè conceditur niſi poſitiuè beneplacitum retractetur, non autem per mortem retractatur, vt liquet. Quare Anton. Gabr. adductus à P. Henriq. *vbi ſuprà in gloſſ. litt.* Q. docet, ſi Papa, aut Epiſcopus dicat, *approbo te ex beneplacito ad annum*, illo mortuo, non expirare gratiam ante lapſum anni. Adhuc animaduerte, etiam ſi diſtinctio verſetur inter gratiam conceſſam nomine perſonæ, & inter conceſſam nomine dignitatis, & officij; eaque quæ nomine perſonæ conceditur, expiret, mortuo concedente, ſecùs alia; nihilominùs Bullam morte Pontificis neutiquam expirare; tum quia Pontifex nomine dignitatis Pontificiæ Bullam expedit, vtpotè in qua ſuam poteſtatem, & iuriſdictionem maximè exercet; & vt Eccleſiæ caput, illius bono conſulit, animarumque ſalutem conatur; remuneratque obſequia Pontificiæ dignitati, Eccleſiæque præſtita. Tum quia licèt nomine perſonæ Bullam concederet, tamen gratiæ, quæ conceduntur nomine perſonæ, deſignando tempus durationis ipſarum, permanent adhuc, mortuo concedente, ob eandem rationem, quam *nuper* præſtitimus de gratiis ad beneplacitum conceſſis; In conceſſione autem Bullæ temporis terminus deſignatur, vnde non expiraret morte Pontificis, quantumvis ab eo perſonæ nomine expediretur. Qui plura velit de gratiis, & facultatibus quæ conceduntur ad Confeſſiones audiendas, ad aliaque munera exercenda, ſub variis explicatæ verborum formis, vt dignoſcat, quando morte concedentis expirent, aut permaneant, adeat prædictos Authores, & P. Suarez *de legib. l. 8. cap. 32.* plures ſuper hac re citantem. Nobis dicta ſuffecerit, vt conſtet, nullo in euentu per Pontificis obitum Bullam expirare.

CAPVT VI.

Digitized by Google

CAPVT VI.

An Bulla ſemel conceſſa poſſit à Pontifice reuocari?

31 Elapſo ſexennio, ſeu tempore, pro quo Bulla Cruciatæ conceditur à Pontifice, poſſe non vlteriùs ab eo concedi, nemo dubitabit; liberè enim eam concedit; & cum ab eius voluntate expeditio dependeat, dum voluntas refragetur, expeditio non dabitur. Tunc autem non concedere Bullam diceretur, non verò diceretur reuocare, niſi in latiſſima acceptione; quatenus, cum per tot luſtra, continuata ſerie Pontifices eam conceſſerint, videatur quaſi moraliter certum, & cæteros eſſe abſque interruptione conceſſuros; vnde eam negare, eſſet quaſi reuocare conceſſionem, quæ ferè certò moraliter facta ſupponebatur. Cæterùm vox *reuocare* propriè ſignificat, abrogare gratiam, aut priuilegium, alioqui vim habiturum, adhucque vigens. In quo ſenſu inquirimus, an Pontifex poſſit Bullam reuocare, vel finito anno primo, aut ſecundo ſexennij, ita vt ad annum alium non valeat, nec publicari queat; vel intra annum ipſum, ita vt, qui eam acceperunt, nequeant illâ frui vſque ad anni finem, alioquin ea fruituri. Authores non ita clarè hæc diſtingunt; & negantes videntur in ſolo ſenſu vltimo loqui, non in primo; concedentes verò in ſenſu vltimo reuocationem, à fortiori in primo concedunt, vt conſtabit. Primum ergo diſcutiamus quæſitum in vltimo ſenſu, nempè an poſſit Pontifex Bullam intra annum durationis reuocare?

32 Aſſero, poſſe Pontificem reuocare Bullam intra durationis annum; dum tamen ſit ſpecialis cauſa, & compenſationem faciat his, qui illam acceperunt, ſi habeat, vnde ſatisfaciat; & ſi non habeat, ad bonumque commune expediat reuocatio, poſſe ſine compenſatione reuocare; aliter autem non poſſe. Aſſertum per partes explico ſimul, & probo. Priuilegium conceſſum ſubdito poſſe reuocari à concedente, eſt apud omnes vulgatum de quo gloſſa *in cap. decet, de regul. iur. in 6.* Gloſſa *in Clementina Dudum, de ſepultur. verbo inſtante*; Baldus *in l. Qui ſe patri, C. vnde liberi*; & plures alij relati à P. Suarez *l.8. de legib. cap. 37. num.4.* Etenim priuilegium eſt gratia Principis contra, vel præter ius commune, ab eius voluntate dependens, à qua ceſſare liberè poteſt, niſi aliunde ratio aliqua ſpecialis obſtet. Nec quidem priuilegium eſt rigoroſa donatio (quæ ſemel facta reuocari non poteſt) non enim aliquo ſe iure abdicat Princeps abſolutè, illúdque priuilegiato tradit, ſed facultatem præbet aliquid præſtandi; ad modum, quo ſuperior præbet aliquam licentiam ſubdito, ſine alicuius traditione iuris, à ſe reuocabilem.

33 Hæc vera ſunt de priuilegio gratis omnino conceſſo. At, quando priuilegium eſt conceſſum per modum contractus lucratiui, & oneroſi, per ſe loquendo, non poteſt à concedente reuocari, niſi compenſationem faciat; quippè concedens, etiamſi Princeps ſit, pacta cum ſubditis inita ſeruare tenetur; cum hæc ex naturali iuſtitia oriatur obligatio; nec poſſit ille ſubditum pro libito bonis eius ſpoliare; dominium namque eorum ordinarium non habet. Quam doctrinam illuſtrant Anton. Gabr. *l. 3. titul. de iure quæſito non tollendo, concluſion. 5. & 6.* P. Suarez *ſuprà*. Si autem compenſationem æquiualentem faciat, nil obſtat, quò minùs Princeps tale priuilegium reuocare poſſit; cum præſtita compenſatione, & iuſta exiſtente cauſa, ceſſet ratio præfata, ob quam reuocare illud nequibat, ob ipſamque tenetur, ſi reuocet, facere compenſationem. Sic cauetur in expreſſo textu regni huius *l. 2. fine, tit. 1. p. 2.* & ibi docet Gregorius Lopez, *verb. Buen cambio*, Bolonetus, & Matienzo, quos affert, & ſequitur P. Thomas Sanchez, *l.8. de matrim. d.33. num.9.* Debet autem adeſſe cauſa iuſta ad huiuſmodi reuocationem, ſicut adeſſe debet ad ſpoliandum ſubditum rebus ſuis, in caſu vrgenti, vbi ad bonum attenditur commune. Etenim Princeps non habet dominium ordinarium bonorum, quæ ſubditi poſſident; eo enim dominio tam dominus eſt ſubditus ſuarum facultatum, ſicut & Princeps ſuarum: ſæpéque hic cum illo de dominio alicuius rei litigat, expectátque iudicium, an ad ſe, an ad illum pertineat. At habet Princeps dominium altum ſeu excellentiæ facultatum ſuorum ſubditorum; quo valet illis vti, ad bonum commune Reipublicæ, dúmque alia via periculo illius periclitantis ſubueniri non poteſt. In his igitur caſibus, ſicut poteſt à ſubdito res proprias auferre, ita à fortiori, & priuilegia, de quibus ſamur, reuocare.

34 Debet tamen, ſi habeat vnde, etiam in his euentibus compenſationem exhibere; non enim eſt neceſſarium ad bonum commune, ſeu ad publicam neceſſitatem, ſubditum omnino ſuis bonis ſine compenſatione priuare, ſi habeat, vnde compenſet, ſolo autem titulo boni, aut neceſſitatis communis valet eius facultates auferre, qui titulus non adeſt, ad non compenſandum, ſi habeat, vnde hoc præſtet: vt notat Pater Suarez *ſuprà num.5.* Idemque tenendum eſt de priuilegiis oneroſis, ſeu lucratiuis, cum eadem met vrgeat ratio. Immò etiam de priuilegiis remune

Digitized by Google

remuneratiuis idem ſentiendum eſſe, ferè omnes Authores aſſerunt apud P. Suarez *num. 6.* Si verò iuſta cauſa interueniente, quæ ad ſpoliandum ſubditum re ſua ſufficiat, & per conſequens ad reuocandum eiuſmodi priuilegia; Princeps ea reuocet, nec, vnde compenſet, habeat; poterit ſine compenſatione reuocare; quia ad reuocationem ius habet, titulumque legitimum, cum bonum commune ſit particulari præponendum, & ad impoſſibile non teneatur, nempe ad compenſationem, ſine qua, cum vtilitas publica expoſcit; debent ſubditi propriis bonis Principi, ſeu potius reipublicæ, ſibique ipſis, vt membris illius ſubuenire, quamvis non accipiant æquiualens, eo quod non ſit; vnde eis præſtetur, alioqui bonum commune in deterius iret, ſi ſubditis nequirent facultates propriæ ſubtrahi, ne abſque æquiualentibus remanerent, cum tamen aliæ æquiualentes non eſſent, quibus donarentur.

35 His omnibus præjactis, & pro diſcurcurſus Majori præpoſitis, ad minorem, & conſequentiam progredior. Sed priuilegium Bullæ Cruciatæ eſt oneroſum, & per modum contractus lucratiui expeditum; igitur Pontifex concedens ſolum poteſt intra durationis annum illud reuocare, ſi adſit ſpecialis cauſa, & compenſationem faciat his, qui illam acceperunt; ſi habeat, vnde faciat, & ſi non habeat, poterit id ſine compenſatione præſtare, quæ eſt aſſertio, *num.* 32. tradita. Conſequentia eſt euidens: major *ſuprà* probata, minor ſuadetur: Quia Bulla non niſi eleemoſynam in ſubſidium belli eroganti conceditur, vt patet ex illis verbis Hiſpanicæ Bullæ: *Y por quanto vos diſtes* : ; : : : : *reales de plata, que es la limoſna, que auemos taſſado, y declarado, y recebiſtes eſta dicha bula*, &c. Vbi clarè conſpicitur, Bullam per modum contractus oneroſi expediri, atque concedi; & quaſi ibi intercedere illud, quod eſt proprium contractuum, *do, vt des.* Ea etenim verba licet immediatè apponat Commiſſarius Generalis Cruciatæ, id tamen, tanquam vices Pontificis, cuius eſt Commiſſarius gerens præſtat.

36 Hic aduerte cum Soto, Syluestro, Ludouico à Cruce allatis, & ſubſcriptis à Trullench *in explic. Bull. l. 1. §. 1. dub. 13. n. 4. fin.* Si Bulla à Pontifice reuocaretur, reuocationem debere in ſingulis Prouinciis, & Diœceſibus promulgari, ita vt eam habentes de reuocatione redderentur certi. Quidquid enim ſit de aliarum legum promulgatione ad obligandum ſufficiente, leges irritatoriæ, & reuocatoriæ hoc ſingulare habent, vt debeant ita publicari, quod omnibus de illis conſtet, alioquin periculum eſſet animas ignorantium illaqueandi; vt autem certò eis de reuocatione liqueat, videtur eſſe opus, in ſingulis Diœceſibus eas promulgare; non enim alio pacto rectiùs certi fient. Non tamen abnuam, ſufficere minùs frequentem, & communem publicationem, ſi ea conſcios ſufficienter reddat fideles Bullam obtinentes.

37 Hinc infert P. Henriquez *l. 7. de indulg. c. 20. n. 1.* Si Bulla reuocaretur, & quis reuocationis ignorans abſolueretur virtute illius etiam à reſeruatis; abſolutionem fore validam ex præſumpta intentione Papæ, ne animabus pericula imminerent. Quod etiam ſentit Caietan. *verbo excommunicatio, poſt c. 31. fin.* Sotus *l. 1. de iuſt. q. 1. art.* 4. Medina, Corduba, Syluester, & alij citati à P. Henriq. *in gloſſ. litt. F.* Sicut valere ſententiam eius, qui errore communi populi Iudex ordinarius habetur, maximè ſi titulus ſaltem coloratus præceſſit, docent ibidem Nauar. Syluest. Caiet. & Anton. Gab. in præſenti autem titulus ſufficiens eſt; Bullam retinere, quam per reuocationem expiraſſe, non conſtat.

38 Adhuc nota, ſi quis incepiſſet confiteri peccata, etiam reſeruata eligens virtute Bullæ confeſſarium à quo iuberetur ob aliquam cauſam confeſſionem ſuſpendere, quamvis interim Bulla reuocaretur, & manifeſta ei eſſet reuocatio, poſſe illum confeſſionem ad exitum perducere, & abſolui; eadem enim eſt de hoc ratio, ac ſi id contigiſſet ad finem anni, quo Bulla expirat. Quod *ſuprà n. 12.* iam probauimus, & authoritate ſanciuimus.

39 Aſſertum hucuſque traditum ſatis aperte docet Trullench *ſuprà dub. 12. num. 2. ad fin.* Vnde cum *dub. 13. initio, & ad fin.* ait, poſſe Pontificem intrà annum nouam Bullam expedire, & præteritam reuocare, intelligendus eſt de reuocatione cum cauſa, & æquiualenti compenſatione facta; ita vt illa Bulla noua gratis omninò detur, aut quid ſimile. Adfauet etiam huic doctrinæ Authores *cap. ſequenti* citandi, qui ideò negant, Bullam Cruciatæ reuocari per Iubilæum anni ſancti, quia per modum contractus oneroſi, atque lucratiui expeditur. Nec obſtat, Pium V. anno 1571. poſtremoque ſui Pontificatus, reuocaſſe omnes Bullas Cruciatas antecedentes, nullam vlteriùs concedere intendentem. Quippè vel id præſtitit non intra annum durationis Bullæ, ſed eo finito; vel, ſi intra annum præſtitit, (quod haud facilè credam) vrgente cauſa fuit motus, nec forſan, vnde compenſationem faceret, habuit, quod de ſancto adeò, paupereque Pontifice quiſque ſuadebitur. Nec demùm obeſt, quòd Bulla ſit gratia, pendeatque à beneplacito concedentis. Etenim gratia conceſſa per modum contractus oneroſi, non omninò ab eo pendet beneplacito, vt ſat expoſuimus; ſufficitque, vt gratia dicatur, quòd potuerit non

concedi;

Digitized by Google

concedi; & quòd cum prædictis limitationibus queat reuocari.

40 Elapſo quovis anno ſexennij, (quæ erat altera pars dubij initio propoſiti) cum ceſſent rationes hucvſque factæ, & Bulla ſit gratia pendens à Pontificis beneplacito, poterit ab eo reuocari, non expectato ſexennio. Et de hac reuocatione credo loqui P. Henriquez *vbi ſuprà* aſſerentem, expedire, Papam interdum reuocare priuilegia, & indulgentias à ſe, vel à prædeceſſoribus conceſſas; quia nimia indulgentia parit abuſum; & longo tempore habita reputatur à vulgo debita, cum tamen ſit gratia. Non tamen placet hic Author, dum ait, expedire, eam reuocationem fieri; tum quia multis ab hinc annis Bulla ſine reuocatione conceditur, concedendaque deinceps ſperatur; & plures indulgentiæ ſunt in perpetuum conceſſæ; præſertim Religionibus, quas abſque aliqua ſuperueniente cauſa, non diceret P. Henriquez, expedire, reuocari, tum quia, vt non intelligatur gratia Bullæ debita, ſat eſt, ſingulis ſexenniis de nouo poſtulari, & concedi, quod omnibus, eſt conſtans.

41 Nec aliud monet Tridentinum allatum pro ſe à præfato Authore *in gloſſ. littera B.* Nam *ſeſſ. 21. de reformat. c. 9.* ſolùm præcipit, indulgentias debitis temporibus per Ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo, publicari; *& ſeſſ. 25. de reform. c. 18.* dumtaxàt iubet, diſpenſationes ſumma cum maturitate expediendas fore, ne ad leges transgrediendas aditus aperiatur. Vnde nihil contra dicta; nec item ex Concilio Lateranenſi *c. 6.* idem mandante quod etiam pro ſe P. Henriquez affert.

42 Hanc reuocationem ad finem anni limita, niſi forte in conceſſione Bullæ ad ſexennium Pontifex ab Hiſpaniæ Rege aliquam ſummam eleemoſynæ acciperet in pium aliquod opus, tunc enim deberet iuxta dicta compenſationem illi præſtare, & etiam, ſi conceſſio ad integrum ſexennium eſſet gratia remuneratiua alicuius obſequij erga ſedem Apoſtolicam ſpecialis, & nondum remunerati, ſi remuneratio ex iuſtitia deberetur, nam ſi ſolùm ex gratitudine, etiam ex gratitudine ſolummodò, compenſatio debebitur. Sufficit autem, vt dicatur priuilegium irreuocabile, quòd ſit remunerativum ex gratitudine, cum nunquam de Principe præſumatur, obſequia ſibi præſtita, abſque grati animi exhibitione ſignorum, manere irremunerata fore permiſſurum. Videatur Pater Suarez *ſuprà.*

CAPVT VII.

An Bullæ priuilegia reuocentur per Iubilæum anni ſancti, aut ſimilem, aut per Bullam in Cœna Domini?

43 AB hoc vltimo incipiendo, notum cunctis eſt, ita plures caſus in ordine ad abſolutionem à ſede Apoſtolica ſibi in Bulla Cœnæ reſeruari, vt derogetur aliquibus priuilegiis, quorum vigore nequeat abſolutio ab eis caſibus præſtari. Cæterùm nullum priuilegium Bullæ Cruciatæ reuocari per eiuſmodi Cœnæ Bullam, omnes, credo, ſentiunt, quotquot hoc attigere dubium, P. Henriq. P. Thom. Sanch. P. Fagundez. Nauarr. Rodrig. Villalob. & Ludouic. à Cruce, quos citat, & ſequitur Trullench *l. 1. §. 1. dub. 13. n. 2. in expoſit. Bull.* Fernandez, & Duardus allati, & ſubſcripti à Diana *1. p. tract. 11. reſol. 96.* Quæ ſententia veriſſima eſt.

44 Et probatur, quia Sixtus V. anno 1590. poſt reuocationem priuilegiorum poſitam in Bulla Cœnæ in ordine ad abſolutionem ab eius caſibus, ſic excepit: *Niſi eiuſmodi caſus reſeruati in Bulla Cœnæ in eis præſentibus litteris expreſsè comprehendantur.* Atqui in priuilegio abſoluendi, prout in Bulla Cruciatæ eſt, expreſsè comprehenduntur caſus Bullæ Cœnæ, expreſſáque mentio fit eorum, extendendo facultatem ad abſoluendum ab illis, in Bulla Hiſpana ibi: *Aunque ſean de las contenidas en la Bulla de la Cena del Señor, y la abſolucion reſeruada à ſu Santidad, excepto del crimen de la heregia,* Et in Latina ibi: *Etiam ſedi Apoſtolicæ, & in Bulla Cœnæ Domini reſeruatorum, & reſeruatarum.* Quare, ſi hæreſis crimen demas, à cæteris caſibus, & excommunicationibus in Bulla Cœnæ contentis abſolutionis priuilegium expreſsè in Bulla Cruciatæ continetur, ergo hæc per illam neutiquam reuocatur, alioqui mutuo inter ſe pugnarent hæ duæ Bullæ, Pontificiſque mens ſibi eſſet ex diametro oppoſita, cum vnumquodque contradictorium eſſe verum, perſuadetur. Nec aliquid vim ingerens contra hanc concluſionem cerno. Quoties autem poſſit quis virtute Bullæ Cruciatæ abſolui à peccatis, & cenſuris enumeratis in Bulla Cœnæ, multò inferiùs nobis exponendum eſt, & ipſis Bullæ Cruciatæ verbis clarè animaduertitur.

45 Obiter hic noto, Gregorium XIII. die 18. Martij, anni 1584. viuæ vocis oraculo conceſſiſſe, quod nullæ Societatis IESV facultates reuocatæ per Bullam Cœnæ Domini cenſerentur, vt habetur *in viuæ vocis Oraculis pag. 133. & in compendio priuilegiorum ipſius Societatis verbo Bulla Cœnæ,* §. 2. ſimulque ipſum

Digitized by Google

ipſum Pontificem eodem oraculo indulſiſſe, vt Confeſſarij Societatis abſoluere poſſent eos, qui bona rapuiſſent naufragantium, iniuncta eis reſtitutione, vbi, & quomodo ea fieri poterit. Qui caſus in Bulla Cœnæ continetur. Priuilegium autem hoc habetur *in relato compendio, verbo abſolutio* §. 2. Sed quia Vrbanus VIII. omnia viuæ vocis oracula reuocauit; dum prædicta non reualidentur non tenent. Cæterùm Paulus III. in Bulla, quæ incipit *licet debitum*, expedita die 18. Octobris, anno 1549. concedit Generali Societatis, vt noſtris, quos ipſe miſerit in terras infidelium, à quibus nequit Sedem Apoſtolicam adiri, præbeat authoritatem, vt abſoluant à caſibus etiam reſeruatis in Bulla Cœnæ. Quæ conceſſio vim adhuc retinet, vt notat Cardinalis Lugo *in manuſcripta explicatione priuilegiorum Societatis.*

46 Iam ad primam deuenio tituli quæſtionem. Iubilæus in lege veteri erat annus remiſſionis, qui quinquageſimo quoque anno recurrebat. De quo videantur D. Hyeronymus *in Eſai.* 58. *in Ezech.* 46. *in Galat.* 1. D. Iſidor. *l.* 5. *Ethymol. cap.* 37. Gloſſa *interlin.* & Abulenſ. *in Leuitic. cap.* 25. Sabellicus *l.* 3. *hiſt.* Ludouic. Viues *ſuper Auguſt. l.* 12. *de ciuit. Dei, cap.* 19. Sixtus *l.* 2. *Bibliot. verbo Moiſes in fin.* D. Antonius 1. *p. tit.* 10. *cap.* 3. *à* §. 6. Cordou. *l.* 5. *qq. q.* 9. Nauarr. *de indulgent. notab.* 1. *n.* 4. Iubilæum vocat Iobelum Ioſephus *lib.* 3. *antiquit.* à voce, *Iobel*, id eſt, *Buccina.* At verò Magiſter *hiſt. in Gen.* 14. Interlineal. Iſidorus, Antonin. & Nauarr. *ſuprà* vocatum fuiſſe aſſerunt *à Iobel*, id eſt, *initio*: quia eo anno omnia ad libertatem redibant. Quæ duæ expoſitiones fundamentum habent *in cap.* 25. *Leuitici*, ibi. *Clanges buccinâ menſe ſeptimo, decimâ die menſis, propitiationis tempore in vniuerſa terra veſtra. Sanctificabiſque annum quinquageſimum, & vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ; ipſe eſt enim Iubilaus. Reuertetur homo ad poſſeſſionem ſuam, & vnuſquiſque rediet ad familiam priſtinam.* Hinc vox Iubilæi tranſlata eſt ad ſignificandam remiſſionem, & indulgentiam, aliaque priuilegia, quæ Pontifex ſolet elargiri.

47 Indulgentiæ plenariæ, quæ Iubilæo ferè æquatur, conceſſionem, antiquiſſimam eſſe, & à Chriſto D. Apoſtoliſque initium deſumpſiſſe probabimus *inferiùs d.* 6. Primus autem, qui litteris Apoſtolicis Iubilæum mandauit, fuit Bonifacius VIII. *in Extrauaganti. Antiquorum, de pænit. & remiſſ.* Tuncque centeſimo quoque anno Iubilæus concedebatur & anni ſancti nuncupabatur Iubilæus; at poſt Paulum II. & Sixtum IV. vigeſimo quinto quoque anno recurrit; imò ſeptimo quoque anno concedi, ait P. Henriquez *l.* 7. *de indulg. cap.* 15. *n.* 6. & Trullench *in expli Bull. l.* 1. §. 1. *dub.* 12. *num.* 1. Sed, ſi loquantur de Iubilæo duplicis hebdomadæ, hic non vocatur Iubilæus anni ſancti, nec tempus eſt deſignatum ad eius cõceſſionem; ſolent enim Pontifices cum tardiùs, aut breuiùs concedere, pro inſtantia neceſſitatum Eccleſiæ. Si verò loquantur de Iubilæo anni ſancti, abſque fundamento id aſſerunt, nam ſolùm vigeſimo quinto quoque recurrit. Qui Iubilæus, vt obtineatur; debent Romam adire fideles, ibique eum lucrari; Et vt plures illuc pergere moueantur, ſuſpenduntur per eiuſmodi Iubilæum omnes indulgentiæ plenariæ (non verò minores indulgentiæ, vt teſtatur Nauar. *de indulg. not.* 25. *nu.* 3. & omnes cum illo) prætereà commutatio votorum, & diſpenſatio in his, quæ Pontifici ſunt reſeruata; deindè compoſitio ſuper malè ablatis; demùm electio confeſſarij, qui à reſeruatis Papæ abſoluat. Similem Iubilæum concedere poſſunt Pontifices, quoties Eccleſiæ publica vtilitas poſcat; & de facto ſolent concedere quandoque, etiam ſine obligatione Romam adeundi. At in his Iubilæis, qui ſic conceduntur, niſi expreſsè illa, quæ *nuper* diximus, ſuſpenduntur, non intelliguntur ſuſpenſa; priuilegia enim ſemel conceſſa, dum non reuocantur, aut ſuſpenduntur, in ſuo vigore manent. Quærimus igitur, an per anni ſancti Iubilæum Bullæ Cruciatæ priuilegia reuocentur quoad perdicta, quæ in eo Iubilæo ſuſpenduntur?

48 Tenendum eſt, per Iubilæum anni ſancti nulla Bullæ Cruciatæ priuilegia reuocari, vel ſuſpendi. Ita Portel, Bonacina, Leone, Zerola, Villalobos, Acoſta, Rodriguez, P. Salas, P. Henriquez, P. Fernandez, allati; & ſubſcripti à Diana *part.* 1. *tr.* 11. *reſol.* 97. Item Alphonſus Perez, Ludouic. à Cruce, P. Thom. Sanchez, P. Caſtro Palao, quos refert, & ſequitur Trullench, *ſuprà num.* 2. Baſil. Legionenſis *in explic. manuſcript. Bullæ cap.* 2.

49 Aſſertum ſuadetur primò; quia Clemens VIII. anno 1600. qui fuit annus Iubilæi ſancti, declarauit, Bullam Cruciatæ, per illum neutiquam reuocari; vt affert *vbi ſuprà* Diana. Qui etiam affirmat, idem fuiſſe ab Vrbano VIII. declaratum anno 1625. qui fuit etiam annus Iubilæi ſancti. Prætereà, vt refertur ab Alphonſo Perez de Lara, *in compend. trium gratiar. pag.* 27. & Trullench *ſuprà* Gregorius XIII. die 18. Nouembris, anno 1574. idemmet aperuit: igitur de mente Pontificum, ſat ab ipſis oſtenſa, non eſt, per Iubilæum anni ſancti Bullam Cruciatæ ſuſpendere, aut reuocare. Suadetur ſecundò ex eo, quòd quarto quoque ſexennio, vel quinto, incidit annus Iubilæi ſancti; ſi autem Bullam

Cruciatæ

Digitized by Google

Cruciatæ tunc quoad præcipua priuilegia ſuſpenderet Bullæ conceſſio non eſſet per ſexennium, vt Pontificis verba ſonant, ſed per quinquennium; vnde alium ad annum poſſet extendi, quod minimè Papa ſuſtineret, vel ſaltem eo anno Iubilæi, fraudarentur accipientes Bullam priuilegiis præcipuis in ipſa comprehenſis, eſſetque nugatoria acceptio cum nequirent vti illis, quæ in ipſa Bulla ſcripta continebantur, & erogantibus eleemoſynam taxatam tradebantur. In quibus plura eſſe abſurda, quis inficias ibit?

50 Suadetur demùm; nam Bulla conceditur per modum contractus oneroſi, & lucratiui, nec reuocari valet, niſi ob iuſtas cauſas, & præſtita compenſatione, ſi adſit, vnde fiat: Quam rationem proſecuti ſumus latè *cap. præcedenti*, hicque omninò aptari poteſt; & ex ea aſſertum præſens concludi. Vnde etiam fit per alios Iubilæos, qui poſſunt à Pontifice expediri, non reuocari Bullam, nec ipſum Pontificem valere, in his, aut in Iubilæo anni ſancti, etiam apponendo expreſſam clauſulam reuocationis, illam reuocare, niſi cum limitationibus *cap. præcedenti* aſſignatis, quippè ſine illis abſolutè non poſſe Bullam reuocare, iam *ibi* probauimus, ergo nec poteſt in Iubilæo quovis niſi fortè per conceſſionem Iubilæi ſingulis indulgeat, quidquid per Bullam fungebantur, ita vt ſit iuſta compenſatio, & æqualitas. Videantur dicto loco citato, eadem enim hic aptè conueniunt.

51 Nauarrus licèt fateatur, Bullam Cruciatę minimè per extrauagantem Sixti Quarti, quæ incipit. *Quemadmodum, de pænit. & remiſſion.* ſuſpendi, eo quòd in illa ſuſpendantur dumtaxat facultates conceſſæ *quibuſcumque Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, & piis locis, vniuerſitatibus, fraternitatibus quibuſlibet*, (quæ ſunt verba Sixti) non verò ſuſpenduntur facultates perſonis ſingularibus indultæ, cuiuſmodi ſunt contentæ in Bulla Cruciatæ, diuerſitaſque magna eſt inter perſonas ſingulares, & inter Vniuerſitates, Eccleſias, & communitates quaſvis, vt ex iure, & Authoribus rectè idem Nauarrus probat, *de indulgent. notab.* 28. *à n.* 13. Nihilominus tamen *notab.* 33. defendit, iuxta Bullam Iubilæi anni 1575. à Gregorio XIII. expeditam, Cruciatæ Bullam per eiuſmodi Iubilæos, quoad prædicta, ſuſpendi. Eum ſequũtur Ludouicus Lopez *in expoſit. Bull. c.* 10. & aliqui alij. Rodriguez *in explicat. Bullæ* §. 12. *dub.* 6. *n.* 13. quamquam oppoſitum teneat, affirmat tutius eſſe, anno Iubilæi confirmationem à Pontifice conceſſionis Cruciatæ poſtulare, & ita fieri, ipſum comperiſſe à Conſiliariis Cruciatæ. Sed quidem, hoc ſi fiat, non quia opus eſt, fieri eſt cenſendum, nec indè neceſſitas confirmationis Cruciatæ colligitur, nec eius per Iubilæum reuocatio, ſed ſolùm, quia omnimoda in tanti momenti re ſecuritas exoptatur, ideò per media etiam non neceſſaria, ſed apparenter ſaltem vtilia, ſtabilitur.

52 Impugnatur autem Nauarrus; quoniam idem Gregorius, (cuius Bulla Iubilæi nixus, ſententiam ſuam firmat) ſuæ mentis non eſſe, Bullam Cruciatæ reuocare, aut ſuſpendere per ipſius Iubilæi conceſſionem, expoſuit, vt diximus *ſuprà n.* 49. Nec alia ratione ſuam opinionem ſuadet, cum tamen pro noſtra ſint aperta fundamenta *ſuperiùs propoſita*. Idem dicendum eſt de quovis Iubilæo extra annum ſanctum à Pontifice conceſſo, cum in omnibus eædem militent rationes, vt *nuper dixi n.* 50.

53 An autem priuilegia Religionum Mendicantium, ſcilicèt indulgentias plenarias, poteſtatem commutandi vota, vel etiam in eis diſpēſandi, abſoluendique à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ſuſpendat Iubilæus anni ſancti, controuerti ſolet. Non ſuſpendi tuentur P. Henriq. *l.* 7. *de indulg. c.* 28. *n.* 7. *& c.* 31. *n.* 3. *in gloſ. lit.* S. Ledeſma, Ioannes à Cruce, Graffis, Bartholomæus à S. Fauſto, quos refert, & ſequitur Diana 1. *p. tract.* 11. *reſolut.* 1. Et hoc eſſe valdè probabile, & in praxi poſſe teneri, affirmat Villalobos *in ſum. tom.* 1. *tract.* 27. *clauſ.* 12. *num.* 21. Et Nauarrum aſſeruiſſe, eſſe hoc valdè probabile, ait P. Henriq. *ſuprà c.* 28. *n.* 7. *in gloſſ. lit.* Y.

54 Fundantur in eo, quòd priuilegia ad commune bonorum animarum tendentia ſunt legi æqualia, in animarumque fauorem latè interpretanda, per clauſulaſque generales non derogantur, niſi de illis ſpecialis fiat mentio, at priuilegia eiuſmodi Ordinum Mendicantium in animarum tendunt commune bonum, & non fit ſpecialis mentio de eis in ſuſpenſione priuilegiorum poſita in Iubilæo, ergo non ſuſpenduntur per illum. Etenim priuilegia prædicta toti Religioni, & non perſonis determinatis conceduntur, indeque in bonum commune tendunt, quare fauorabilia ſunt, latèque interpretanda, iuxta doctrinam P. Leſſij *de iuſt. l.* 2. *c.* 42. *dub.* 12. *n.* 6. P. Thom. Sanch. *l.* 8. *de matrim. d.* 1. *& tom.* 1. *ſum. l.* 4. *c.* 43. *n.* 5. Mendicantes autem Ordines ſunt, Dominicanus, Carmelitanus, Auguſtinianus, Minimorum, Seruitarum, & Societas Ieſu, qui priuilegiis *ſuprà* dictis gaudent, & cæteri Ordines, qui cùm illis communicant in priuilegiis. Prædicta ſententia probabilis eſt, & practicè tuta, ſaltem ob authoritatem, qua fulcitur.

55 Nihilominus iudicò veriorem ſententiam oppoſitam, nimirùm ſuſpendi priuilegia præfata per Iubilæum, ſi tamen in Iubilæo

Digitized by Google

contineantur verba,de quibus paulò infra,ſecùs ſi non contineantur. Hæc ſecunda pars eſt perſpicua; nam fundamentum, quod pro concluſione eſt, quodque ab Authoribus pro illa affertur, præcisè in verbis prædictis innititur, eiſque ablatis, non manet vlla pro hac opinione ratio. Concluſionem verò noſtram abſque diſtinctione tutantur Nauarrus, quem citat, & ſequitur Rodriguez *in explicat. Bul.* §. 12. *numer.* 14. *& in addit. n.* 8. Villalobos, & Ludouicus à Cruce allati, & ſubſcripti à Trullench, *in expoſi. Bul. lib.* 1. *num.* 1. *dub.* 12. *num.* 3. Lopez, & Acoſta relati à Diana *vbi ſuprà*. Intelligo tamen concluſionem de poteſtate abſoluendi, & commutandi conceſſa cauſa indulgentiarum: ſi eo intuitu fuiſſet conceſſa, aut nunc concederetur. Quid autem de facto contingat, infra proferam.

56 Probatur ex verbis Bullæ Gregorij XIII. quæ eſt trigeſima nona inter eius conſtitutiones. *Nos, pro conſequenda eo anno indulgentia, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſuſpendimus, ad noſtrum, & ſedis Apoſtolicæ beneplacitum, omnes, & quaſcumque indulgentias plenarias, etiam ad inſtar iubilæi, & earum cauſa facultates, conceſſiones, & indulta quæcumque, à nobis, & dicta ſede, eiuſque authoritate, quibuſcunque Eccleſijs, & Monaſterijs vtriuſque ſexus, ac Conuentibus, Domibus, Congregationibus, Hoſpitalibus, & pijs locis, necnon Ordinibus etiam Mendicantium, ac Militiarum, necnon Confraternitatibus, & Vniuerſitatibus, earumque, & alijs cuiuſque dignitatis, gradus, & conditionis perſonis Eccleſiaſticis, & ſæcularibus per vniuerſum orbem conſtitutis, etiam per modum communicationis, extenſionis, & aliàs quomodocumque perpetuo, vel ad tempus, quibuſuis modis, & ex quibuſuis cauſis conceſſas, & conceſſa, quibuſcumque illa ſint concepta formulis, ac reſtrictionibus, reuocationibus, mentis atteſtationibus, aliiſque clauſulis, & decretis communita. Decernentes interim, illa, & litteras deſuper confectas nulli prorsùs ſuffragari debere, necnon irritum, & inane quidquid ſecùs per quaſcumque contigerit attentari.* Similia extant in Bullis huius Iubilæi, quas alij Pontifices expedierunt; & in ea, quam Vrbanus VIII. pro anno 1625. expediuit; quam affert P. Quintana Dueñas *to.* 1. *ſingularium, tract.* 8. *Appendicis, dub.* 2. ecce manifeſtè ſuſpenduntur anno Iubilæi indulgentiæ plenariæ; & quæuis indulta ratione obtinẽdæ huius indulgentiæ conceſſa, quæ indulta, ſeu priuilegia, ex communi Authorum, ſunt abſoluendi à reſeruatis, commutandi vota, diſpenſandi in illis, & componendi ſuper malè ablatis, ſi fortè priuilegium hoc componendi aliqua perſona, vel Communitas habeat.

57 Et certè, ſi hæc priuilegia conceſſa Ordinibus Mendicantibus non ſuſpenderentur, ſuperflua omnino, & ſuperuacanea forent Gregorij verba, cum nullo in euentu excogitabili poſſent effectum ſortiri, quod nequiquam dici poteſt. Nec ignorabat Pontifex illud principium, nempè priuilegia conceſſa Communitati, in bonum commune tendentia, eſſe legi æqualia, fauorabilia, latè interpretanda; & per generales clauſulas non derogari; & tamen ea derogat per verba ſtrictiſſima, & vt cenſuit, ſufficientia ad finem derogationis, ſeu ſuſpenſionis ſibi propoſitæ. Etenim ſuppone, Pontificem verè, & realiter velle ſuſpendere prædicta priuilegia: & inquiro à te, pèr quæ alia verba, niſi per relata, id præſtare queat? Cum prætereà ea ſuſpenſio contineat quaſi ſpecialem mentionem priuilegiorum, dum Ordines Mendicantes exprimit, nec facilè aliter poſſet de his fieri ſpecialis mentio, cum ſint plurimæ Bullæ ſuper his à diuerſis Pontificibus expeditæ in fauorem Religionum ſingularum, imò & aliarum Communitatũ, aliæque eſſent decurſu temporis, vt ſe ferret occaſio, expediendæ. Accedit, quòd Paulus III. in Bull. quę incipit, *licet debitum*, in fauorem Societatis IESV edita anno 1549. cum concedat indulgentiam plenariam ab omnibus fidelibus lucrandam in quavis Eccleſia Societatis, ſingulis annis, quadam die à Præpoſito Generali ipſius deſignando, expreſsè ait: *Præter annum Iubilæi.* Quare mens Pontificum ea eſſe videtur, vt illo anno nec indulgentiæ plenariæ, nec indulta ratione earum Religionibus conceſſa, valeant. Idem cernes in Bulla Gregorij XIII. quæ incipit: *Ad perpetuam* in fauorem eiuſdem Societatis prolatam anno 1578. Sed tamen, quia facultas abſoluendi ſæculares etiam à caſibus ſedi Apoſtolicæ reſeruatis non conceſſa eſt Regularibus ratione indulgentiarum, ſed ob ſpecialem fauorem, aut ob alias cauſas, quas affert P. Quintanadueñas *vbi ſuprà dub.* 17. ideò non reuocatam fuiſſe, nec reuocari per Iubilæum anni Sancti, rectè docent Cardinalis Lugo *tom. de pænit. d.* 20. *ſec.* 8. *num.* 145. Villalobos, Nauarrus, Benzonius. Leander. Diana, P.P. Henriquez, Filiucius, & alij, quos ſequitur *vbi ſuprà* P. Quintanadueñas *dub.* 17. & ſic explicarunt ſuam mentem Pontifices, vt *ibidem* videre eſt. Finiſque ſuſpenſionis in Iubilæo anni Sancti tendit eò, vt indulgẽtię Romæ obtineantur; quare his vbique ſuſpenſis, & priuilegijs item, quæ earum cauſa concedũtur, finis obtinetur. Idem propter parem rationem dicito de poteſtate commutandi, ac diſpenſandi. Imò nec ſuſpendi indulgentias pro defunctis per Iubilæum anni Sancti, quia eius fini non obſunt, ſatis, & rectè

rectè probat P. Quintanadueñas *ibid. dubitat.* 14.

58 Hinc conſtat, per Iubilæum anni Sancti, de quo in ea Bulla Gregorius agit, ſuſpendi præfata indulta Ordinum Mendicantium, item & non Mendicantium, vt apertè conſtat ex Bullæ verbis, ſicut etiam, & aliarum Communitatum, ac perſonarum, ſolùm, cum cauſa indulgentiarum conceſſa eſſe, contingat. Si verò in Iubilæis, qui ſolent expediri, cum publica neceſſitas poſtulat, vel alia vrget ratio, ea verba, aut ſimilia non contineantur, de quo ex ipſorum formula conſtare debebit) non erit, cur vlla Ordinum indulta per illos ſuſpendantur. De Iubilæo anni Sancti, qui alia eruditè diſcuſſa velit, Nauarrum *vbi ſuprà* adeat, per plura notabilia de eo tractantem. Qui item de Iubilæo duplicis hebdomadæ expediri ſolito, legat P. Antonium de Quintanadueñas in docto libello, quem de illo edidit.

DISPVTATIO III.

De locis, in quibus Bulla Cruciatæ valet.

CAPVT I.

Recenſentur loca, in quibus Bulla valet.

1 BVLLA Latina hæc habet verba, dum exponit, quibus fiat conceſſio priuilegiorum ipſius: *Omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, in Hiſpaniarum regnis, & Inſulis illis adiacentibus, ac etiam Sardiniæ, necnon Siciliæ vltrà Pharum, ſimiliter Regnis, locis, terris, oppidis, & dominiis Terræ firmæ, & maris Occeani, ſeu aliàs nuncupatis, eidem Philippo Regi, tàm mediatè, quam immediatè, & aliàs quomodocumque, & qualitercumque ſubiectis, conſiſtentibus & ad illa declinantibus.* In Bulla autem Hiſpana hæc habentur: *Para en los Reynos de Eſpaña, è Iſlas à ellos adjacentes, y en los Reynos de Sicilia, y Cerdeña.*

2 His cernitur in clauſulis, Bullam in Regnis omnibus Hiſpaniarum, tàm in Europa, quàm in cæteris orbis partibus ſitis valere, nec dumtaxàt in his, quæ iam Hiſpaniarum Regi ſubiecta exiſtunt, verùm & quæcumque decurſu temporis ſuis fuerint armis ſubiugata, ita vt ſub Hiſpaniarum nomine ei accreſcant, ſeu adjacentium Inſularum, Regnorumvè Siciliæ, & Sardiniæ. Et quia ſub hac nuncupatione minimè comprehenduntur loca ad Auſtriacum patrimonium pertinentia Regi ſubiecta, nec item ea, quæ ei in feudum ſunt tradita, ideo nec in Auſtriacis, nec in feudatariis Bulla Cruciatæ obtinet valorem.

3 Cæterùm ſi aliquod Regnum, Inſula, Prouincia, vel oppidum aduersùs Hiſpaniarum Regem rebellet, ab eiuſque obedientia deciſcens in alterius iuret obſequium, cenſeo nullatenùs ibi Bullam fore valituram, niſi ſpeciatim in eiuſmodi Regni, Prouinciæ, ſeu loci fauorem Pontifex eam denuò concedat. Etenim ibi non præſtatur eleemoſyna, quæ in Regnis Hiſpaniarum dominium veniat, vt eam in belli ſubſidium contra infideles annumeret, priuilegium autem Cruciatæ hoc habet onus annexum, ſcilicèt Regem iuuandi, eleemoſynam ei deſignatam erogando, vt ex illis liquet verbis: *En fauor de los que ayudaren y ſiruieren en la guerra, ò gaſtos de ella al Rey don Felipe Quarto.* Quorum alia ſimilia in ipſius Bullæ Hiſpanæ, item, & Latinæ corpore ſunt inſerta.

4 At ſi quis ex Regno, vel prouincia nuper rebellanti, & de cuius expugnatione adhuc recenter agitur, mitteret ad loca ſubiecta eleemoſynam, vt indè ipſi Bulla tranſmitteretur, non abnuerem aſſerere, eum poſſe, Bullæ gaudere priuilegiis, quia Regi præſtat eleemoſynæ ſubſidium, & ea in prouincia, ſeu oppido commoratur, cui etiam eſt Bulla conceſſa cum onere Regem adiuuandi; adhuc enim locus ille, vel prouincia & ſub Rege eſt, & tyrannicè tantum nuncupatur alterius. Dixi *nuper rebellanti*; nam ſi per plures annos, vel ſæcula in ſua permanens rebellione, iam quaſi iure præſcripto in alienum eſſet obſequium mancipata, nullus ex illa gaudebit Bullæ priuilegiis, ſi dumtaxàt eleemoſynam mittat, vt Bulla ipſi tranſmittatur; quia non cenſetur Pontifex ad illa loca Bullam concedere, ex quibus non eſt ſubſidium Regi ad bella prouenturum, quaſi ex ditione propria; cum inueterata rebellio, licèt ius ſuum Regi non auferat, dum ſpes recens, ac proxima ſubiugationis non viget; extraneam iam à Rege in alia ditione facit prouinciam obſoleſcere, nec in vulgari nuncupatione Regis Hiſpaniæ eſſe ipſam, affirmatur.

5 Alphonſus Perez de Lara *in lib. trium gratiarum § los Reynos, fol.* 113. relatus à Trullench, & tranſcriptus *l. 1. expoſit. Bull. §. 1. dubit.* 1. Annumerat Regna, quæ comprehenduntur ſub verbis generalibus Bullæ, in quibus Bullæ priuilegia ſuum ſortiuntur valorem; nempè in Regnis Caſtellæ, Aragoniæ, Nauarræ, Valentiæ, Sardiniæ, Siciliæ; in Principatu Catalauniæ, & Comitatibus Ruyſelloniæ, atque Cerdaniæ; in Regno, & inſulis Mallorcæ, & Canariæ, in Regnis Peruanis, Mexicanis, & Philippinarum, cum pluribus in ampliſſimo horum dominio contentis.

Digitized by Google

Obſeruandum eſt primò, ſi aliqua Prouincia, aut locus, quæ priùs fuerant ſub ditione Regis Hiſpaniarum, inito pacto cum alio Rege, ſeu ad pacem, & vnionem cum illo firmandam, alij Regi traderentur, ſeu manerent pacificè ſub illius dominio; v.g. ſi Comitatus Ruyſellon maneret pacificè ſub ditione Chriſtianiſſimi Regis Galliarum, Bullam Cruciatæ in eis locis, aut Prouinciis non fore valituram. Ratio eſt manifeſta, quia Bulla conceditur pro Regnis, & locis ſubiectis Regi Hiſpaniarum, vt ipſe indè ſubſidium habeat ad bellum contra Infideles; At in caſu poſito, nec illa loca, & Regna forent præfato Regi ſubiecta, nec tyrannicè vſurpata, nec rebellantia; & aliundè ex eis ſubſidium eleemoſynæ ad eum non foret peruenturum; imò & ſi foret, ex conſenſu alteriùs Regis, ea loca non eſſent ex his, pro quibus expreſsè conceditur Bulla à Pontifice, nempè pro ſubiectis Regi Hiſpaniarum; Ergo in illis Bulla non valeret.

Obſeruandum eſt ſecundò, quid dicendum ſit in caſu ſequenti. Obtinuit Rex Hiſpaniarum, ſeu recuperauit aliqua loca ex Luſitania rebellante, nempè *Oliuenzam*, *Monzon*, & huiuſmodi alia; poteritne Commiſſarius Generalis Cruciatæ Bullam in his locis facere publicari? Ratio dubitandi eſt; quia dum Luſitania non defecerat à noſtro Rege, ſpecialis erat ibi Commiſſarius Cruciatæ pro eo Regno, & pro Indiis Orientalibus, qui non erat ſubiectus Commiſſario Generali, ſub quo cæteræ ſunt ditiones Regis, in quibus Bulla valet; & Matriti is ſuam ſedem, & Senatum Regium, cuius eſt Præſes, habet; ſed vterque erat independens ab altero.

Reſpondeo ſub diſtinctione. Si ea loca Luſitaniæ recuperata ad Regna vtriúſque Caſtellæ aggregentur, nec ſeparata maneant, ſub nomine, & cum priuilegiis ſpecialibus, ac foro iudiciali Regni Luſitaniæ, abſque dubio poſſe Commiſſarium generalem Cruciatæ Bullam facere inibi publicari; quia à Pontifice non reſtringuntur loca actu exiſtentia ſub ditione, pro qua ei iuriſdictionem tribuit, ſed exiſtentia, aut extitura; at illa exiſtunt de nouo ſub ea ditione ergo ad illa extenditur eius iuriſdictio. Sicut ſi in Indiis Occidentalibus aliqua loca Indorum ad ditionem Hiſpanam redigerentur, poſſet abſque dubio, in illis Bullam facere publicari, vt de facto præſtitit in his locis, quæ de nouo ab Hiſpanis ſunt obtenta in Indiis prædictis.

Si verò ea loca ſub nomine, priuilegiis, & foro Luſitaniæ permaneant, nec aggregentur ditioni vtriúſque Caſtellæ; dico primò, Pontificem fore conſulendum, & ad maiorem rei ſecuritatem, poſcendam eſſe ab eo iuriſdictionem in loca, quæ recuperata ſunt, & quotidie (ſic ſperamus) recuperabuntur. Cum enim in Bulla contineantur priuilegia circa abſolutionem à peccatis, & cenſuris, & circa alia, in quibus totum eſt animæ, & vitæ æternæ obtinendæ momentum, par non eſt, vt cum periculo, & iuſta formidine procedatur. Etenim Commiſſarius Generalis à Pontifice iuriſdictionem accipit, & cum ea limitetur ad talia Regna, termini illius non ſunt tranſgrediendi; Termini autem Luſitaniæ ſub illa non includuntur; tum quia, adhuc cum Luſitania non rebellauerat, minimè poterat prædictus Commiſſarius Generalis Bullam facere publicari in aliquo Luſitano loco; tum quia alius erat in Luſitania Commiſſarius Cruciatæ, cui integra, & independens iuriſdictio à Pontifice erat conceſſa quoad integrum Regnum Luſitaniæ. Dico ſecundò, ex quadam æquitate, & pia interpretatione, poſſe forſan ab aliquo aſſeri, Commiſſarium Generalem Cruciatæ valere, Bullam in præfatis locis facere publicari. Nempè quia ea loca ſunt ex his, in quibus Bulla valet, & cum in eis non poſſit illam publicari facere alius Commiſſarius, videtur, id munus ad noſtrum Commiſſarium Generalem deuolui; hancque eſſe mentem Pontificis, quem, non eſt præſumendum, velle, vt ea loca tanto bono ſpirituali priuentur, cum iam pro illis Bullam conceſſerit; ſimulque Rex noſter careat ſubſidio exindè prouenturo.

Præterea quia Pontifex immediatè concedit Bullam Cruciatæ Regi Hiſpaniarum pro talibus Regnis, & Prouinciis; ergo ſimul vult, vt in eis publicetur, & conſequenter prouidet de mediis ad id neceſſariis; aliàs fruſtranea, & inutilis eſſet conceſſio pro illis ditionibus, aut locis, pro quibus fit conceſſio; at non datur aliud medium (ſaltem dum ipſe Pontifex nequit adiri) niſi quòd Commiſſarius Generalis eam faciat in prædictis locis publicari; ergo vt conceſſio Pontificia ſortiatur effectum, intelligitur conceſſa iuriſdictio prædicto Comiſſario, vt id faciat. Confirmatur. Non ob aliam rationem diuiſæ ſunt iuriſdictiones inter vtrumque Commiſſarium, niſi vt lites vitarentur, & Luſitania per ſuos ſpeciales Iudices, quin alij immiſcerentur, quoad hoc adminiſtraretur. At ceſſat hæc ratio quoad prædicta loca, cum in eis nequeat præſtare quidquam Commiſſarius Luſitaniæ, nec ſit alius, cum quo de iuriſdictione detur quoad id contentio; igitur videtur tacitè deſignatus noſter Commiſſarius Generalis in his circunſtantiis pro illis locis ab ipſo Pontifice. Quòd ſi ad Regem noſtrum ex Bulla Pontificia pertineat deſignare

Com

Digitized by Google

Commiſſarios non eſt dubium, deſignari valere pro illis locis Commiſſarium generalem prædictum. Et certè videtur, electionem eſſe penes Regem noſtrum, nam pone, paulò ante publicationem Bullæ è viuis decedere vtrumque Commiſſarium, Caſtellæ vtriuſque,& Luſitaniæ (dum in ea detur) ſanè Bulla publicabitur, & tamen nec tempus dari ſupponimus, quo ante publicationem poſſit adiri Pontifex, nec ſubdelegati ex ſe poſſunt id præſtare, cum juriſdictionem habeant à Commiſſario, & eo expirante, expiret eorum juriſdictio, dum non renouatur, nec lis eſt incepta: eo igitur caſu, per Regis deſignationem aliquis publicationem Bullæ fieri præciperet; ergo deſignare Rex poterit aliquem, qui in locis prædictis Luſitaniæ publicari faciat Bullam, non ſecùs ac ſi adhuc Luſitania non rebellaſſet, & Commiſſarius Luſitaniæ paulò ante publicationem deceſſiſſet; igitur deſignare poteſt noſtrum Commiſſarium generalem, & de facto eum deſignari, ſupponendum eſt, cum alius deſignatus non appareat.

In hoc ſecundo aſſerto concedente Commiſſario generali Cruciatæ præfatam facultatem (quamvis non recenſui tunc rationes allatas) vidi, & audiui conſentientem, dum in curia de hac materia mecum alloqueretur, illuſtriſſimum pariter & doctiſſimum, mihique multis titulis colendum Dom. Don Hieronymum de Maſcareñas electum Epiſcopum de Leiria, à Regis Cortinis olim in Senatu Regio Ordinum: nunc in ſupremo Luſitaniæ Tribunali Senatorem; qui huic Aſserto magnam conciliat authoritatem.

CAPVT II.

An Bullam accipiens in loco, quo valet, & pergens ad locum, in quo non valet, ibi ea vti queat?

6 Concluſio eſt affirmatiua; exceptis dumtaxàt priuilegiis edendi oua, & lacticinia diebus Quadrageſimalibus, carnemque de conſilio vtriuſque medici, ſpiritualis, & corporalis, temporibus ieiuniorum totius anni. Eſt communis; Syluefter, *verbo priuilegium*; Villalobos *tractat.* 27. *in titul. à numer.* 2. Rodriguez, §. 1. *dub.* 1. Vega *tom.* 1. *ſum. cap.* 43. *caſ.* 8. *& cap.* 14. *caſ.* 15. *& tom.* 2. *cap.* 7. *caſ.* 17. Fernand. *in exam. Theolog. mor. part.* 3. *cap.* 9. §. 2. Anton. Gomez *in explicat. Bul. cap.* 3. Diana *tom.* 1. *tractat.* 11. *reſolut.* 1. Pater Henriq. *lib.* 7. *cap.* 20. *à num.* 3. Trullench *l.* 1. §. 1. *dubitat.* 5. Pater Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 26. *numer.* 4. Moure *in ſum. p.* 3. *cap.* 9. §. 2. Baſil. Legionenſ. *in manuſcript. expoſ. Bull. c.* 2. *num.* 16.

7 In primis exceptio concluſioni adjecta conſtat ex verbis Bullæ Latinæ ibi; *Item vt dicto anno durante, in omnibus, & ſingulis regnis, inſulis, locis, (& non extra illa) carnibus de conſilio vtriuſque medici temperibus totius anni, etiam Quadrageſimalibus veſci, ac pro eorum libito ouis, & lacticiniis, &c.* Quæ exceptio æquo iure eſt appoſita, ne in actione externa ſcandali præberetur occaſio eis in locis, vbi huiuſmodi cibis, nefas eſt, illo tempore vti. Rursùs ratio ad hoc priuilegium concedendum, vt notauit P. Suarez *vbi nuper*, ea fuit, quia in majori Hiſpaniarum parte inopia piſcium laboratur, quæ non adeò alias Prouincias vexat. Quid? quòd etiam ſi nobis nulla exceptionis ratio appareret, pro libito potuit Bullæ priuilegia concedens, ea reſtringere, aut ampliare?

8 Iam, vt concluſio probetur, præmittere breuiſſimè oportet, priuilegium eſſe veluti priuatam legem in alicuius fauorem datam, *cap. priuilegia, diſtinct.* 3. Quod præter alias diuiſiones quas ſortitur, communes valdè inter Authores, viderique poſſunt apud P. Layman *tom.* 1. *ſum. tractat.* 4. *cap.* 23. *à num.* 3. ad rem præſentem, ſcinditur in perſonale, reale, & mixtum; quæ diuiſio decerpitur *ex reg.* 68. *&* 156. *ff. de regul. iur.* Perſonale eſt, quod directè, ac proximè ob fauorem perſonæ confertur; quod quidem perſonam ſequitur, & cum eadem extinguitur, *l. in omnibus* 68. *leg. priuilegia* 196. *ff. de regul. iur. cap. priuilegium perſonale de regulis iuris in* 6. Reale eſt, quod directè, ac proximè alicui conceditur reſpectu rei, loci, muneris, ſeu dignitatis; cui rei, ſiuè cauſæ priuilegium cohæret. Mixtum eſt, quod ex reali, & perſonali participat.

9 Quo poſito, probatur aſsertio. Bullæ priuilegium eſt mixtum, locale nempè quoad illius acceptionem, perſonale, quoad fauorem perſonæ directè præſtitum: ergo eo ipſo quòd eam quis ſumpſerit in loco, vbi accipi debet, vbicumq; deinceps exiſtat, ea fruetur. Locale eſſe quoad acceptionem, nemo ibit inficias, cum in ipſa Bulla aſſeratur concedi commorantibus, aut deuenientibus ad Regna *ſuprà* dicta Hiſpaniarum: perſonale autem eſſe ex eiſdemmet verbis apertiſſimè liquet, cum immediatè vt fauor perſonis indulgeatur, & extinguatur cum illis, quod proprium eſt priuilegij perſonalis. Indè ergo conſequentia ſuadetur primò; quia priuilegium perſonale adhæret perſonæ; igitur, vbicumque ſit, eo vti valet. Secundò, quia priuilegium Bullæ extinguitur, vbicumque extincta perſona, quod in priuilegio perſonali eſt onerosum; ergo manet vbicumque, perſona

Digitized by Google

permanente, quod in eo eſt fauorabile, alioqui ſuſtineret onus, & non commodum priuilegij perſonalis. Tertiò, priuilegium ſine temporis limitatione conceſſum, in quovis tempore tenet, & conceſſum indefinitè ſumitur vniuerſaliter, vt de indefinitis iuris locutionibus docent Interpretes: At Bullæ priuilegium non conceditur cum limitatione loci ad permanentiam, ergo vbicumque eo vti licebit, vbi etenim lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, niſi inde aliqua turpitudo ſequatur.

10 Vlteriùs aſſertio probatur. Exceptio firmat regulam in contrarium, *cap. dominus* 32. *quæſt.* 7. At in Bulla expreſſa eſt hæc exceptio, ſcilicèt ne illius virtute poſſit quis, poſtquam ipſam in Hiſpania accepit, extra loca Hiſpaniæ veſci carnibus de conſilio vtriuſque medici, totius anni temporibus, ouiſque, ac lacticiniis in ieiuniis Quadrageſimalibus: vt conſtat ex verbis ipſius Bullæ allatis *ſuprà numer.* 7. ergo in cæteris omnibus, vbi non reperitur hæc exceptio, extra Hiſpaniarum regna Bullæ priuilegiis vti valebit.

11 Non tamen ideò poterit quis in Hiſpania Bullam Cruciatæ ſumere pro aliquo, qui extra Hiſpaniam commoratur, illucque ipſam tranſmittere, vt ibi eius fungatur priuilegiis, quia priuilegium Bullæ partim eſt locale, non quoad permanentiam in loco, vt aſſeruimus, ſed quoad acceptionem, vnde ille qui extra Hiſpaniam eſt, dum Bulla accipitur, nequibit eius vti priuilegiis. Sed quid ſi Bulla acciperet pro aliquo extra Hiſpaniæ regna exiſtente, & anno durante, is ad Hiſpaniam accederet, poſſentne ea frui Bulla, tempore antecedenti accepta? Dicerem, poſſe, ſi etenim is de nouo eam acciperet, poſſet illicò ea vti, idem autem videtur eſſe, ſi antecedēter fuerit nomine ipſius eleemoſyna erogata, vt ea vteretur, ſtatim ac poſſet. Sicut in ſententia, quam *d.* 2. tenui, aſſerēte annum durationis Bullæ eſſe naturalem, ſi ante annum elapſum Bulla ſequentis anni publicaretur, & ſtatim quis eam acciperet, non dubium, quin poſſet incipere ea vti poſt aliquot dies, vel menſes, cum nempè annus naturalis durationis Bullę antecedētis eſſet finitus, caſu etiam quo non poſſet noua illa Bulla vti, antiqua permanente. Et communiter eſt verum, poſſe aliquē Bullam ſumere ad priuilegia fruenda, queis, dum accipit, frui non poteſt; ſic excommunicatus & exiſtens in culpa lethali poteſt eam accipere, vt lucretur indulgentias, cum à peccato, & excommunicatione liberetur; ſic etiam pro amente, & pro carente rationis vſu poteſt Bulla accipi, ſi intra annum amentiæ depellendæ ſpes adſit, vſuſque rationis ſit poſſidendus, vt tunc temporis priuilegiis Bullæ fruantur. Prætereà in caſu poſito ſaluatur, Bullæ priuilegium eſſe locale quoad acceptionem, quia cenſetur ille tunc accipere, cum ad Hiſpaniam accedit, ſicut amens, & infans, cum vſum rationis ſortiuntur: & rurſus vt ſit locale; ſatis eſſe videtur, ſi vel quoad acceptionem, vel quoad durationem, quis in Hiſpaniarum ſit Regnis. Quòd ſi tunc Bullam accipere cenſetur, conſequenter erit affirmandum, etiam ſi rurſus extra Hiſpanias proficiſcatur, poſſe ibi eius priuilegia obtinere, ſicut poteſt, qui ab initio illam intra Regna ſumpſit Hiſpaniæ, & ad loca pergit, in quibus Bulla non valet.

CAPVT III.

An poſſit incola loci, in quo Bulla non valet, accedere ad locum, in quo valet, ſolùm eam accipiendi cauſa, & ipſa in ſuo loco vti?

12 EX Bullæ Cruciatæ verbis *numer.* 1. relatis, inter omnes ipſius Expoſitores eſt conſtans, non ſolùm Regis Hiſpaniarum ſubditos, ſed & exteros in eius Regnis commorantes poſſe Bullâ penitùs fungi, cum non fuerit ad primos eius conceſſio reſtricta, & prætereà æqua Regi ſubſidij copia proueniat, ſi ab exteris, ac à ſubditis erogetur; nec dumtaxat Bulla frui; eos, qui Hiſpaniarum ſunt incolæ, verùm & illos, qui animo non commorandi, ſed potiùs redeundi, alicuius negotij ergo, vel etiam vt Hiſpanias peragrent, ac inuiſant, aut per eas ad alia regna tranſeant, in aliquo earum loco exiſtentes Bullam accipiunt; quia ea conceditur in Hiſpaniarum Regnis *conſiſtentibus, & ad illa declinantibus.*

13 Cæterùm dubium eſt, an poſſit habitator loci, vbi Bulla non obtinet vim, v. g. Gallus, ad oppidum Hiſpaniæ accedere, in eoque Bullam accipere, ſtatimque ad ſuum redire locum, vtpotè qui ſolùm eam accepturus deuenit, ibique priuiuilegiis Bullæ frui, præter ciborum vſum exceptum extra Hiſpaniarum loca? Negant Ludou. à Cruce *in expoſ. Bull. d.* 1. *c.* 1. *dub.* 3. Trullench *l.* 1. §. 1. *dub.* 5. *num.* 2. Mouentur, quia ille in Hiſpania non commoratur, nec in ea obiter fortè, aut alicuius negotij cauſa reperitur, quod Bulla requirit, atque adeò ea Bullæ acceptio in ipſius fraudem facta eſt iudicanda.

14 Oppoſitum iudico verum, in praxique ſecurum. Quippè qui accipiendæ Bullæ cauſa ad locum Hiſpaniæ accedit, verè ad Hiſpanam ditionem declinat: At Bulla conceditur etiam ad eam declinantibus, vt verba ipſius iam relata demonſtrant, nec additur, declinari debere alicuius negotij cauſa, ergo illi Bulla conceditur, ne nos diſtinguamus, vbi

vbi ipſa non diſtinguit; alioquin non eſſet; cur poſſet Bulla vti, qui ſolùm obiter, vel fortè in Hiſpania eſſet. Nec ille quid agit in Bullæ fraudem? iure enim ſuo vtitur; quo vti, non eſt facere dolo malo, *l. nullus videtur 55. ff. de regulis iur. l. cum creditor 55. ff. de furtis, l. 3. §. is tamen, ff. de liber. homin. exhib.* cum pluribus aliis *ibidem in gloſſ.* citatis. Ille igitur dolo malo non facit, cum in acceſſu ad Hiſpaniam, qui ei non eſt prohibitus ſed liber, nulla illicita fraus, nullus dolus malus reperiatur.

15 Confirmatur exemplis. Validum eſt in Gallia matrimonium clandeſtinum, poſſúntque vir, & fœmina illuc commeare, vt clandeſtinè validè nubant, quia nempè nulla lege prohibentur, iuréque ſuo vtuntur; vt tenet cum aliis Baſil. Legionenſ. *l. 5. de matrimon. cap. 9. num. 4.* Poteſt prætereà quis, vt obligationem effugiat præcepti, tranſire ad alium locum propinquum, vt ibi non ieiunet, ſi ieiunetur in ſuo; quia in hoc non datur propriè, & formaliter fraus, quæ tunc reperitur dumtaxàt, vbi adeſt obligatio legis; qua quis per fraudem conatur euadere; in loco autem eo propinquo non datur obligatio, quare non eſt dolus, ſed obligationis fuga, quæ ex ſe mala non eſt, atque adeò eam ſequendo iure ſuo vtitur; ſic docet Pater Fagundez *præcept. 1. lib. 1. cap. 7. num. 7.* Imò Diana *tom. 1. tract. 9. reſolut. 40.* cum Medin. & Ledeſm. aſſerit, deobligatum eſſe à ieiunio, qui etiam recreationis cauſa, labore graui eſt fatigatus, nec teneri ad laborem, v. g. ludum pilæ reliquendum, ne ita defatigetur, cum ſuo iure vtatur in ludendo. Demùm, vt alia omittam, Salmanticæ, & Compluti, vbi nemo intra ipſa oppida natus poteſt nobilem ferè omnium Collegiorum togam nanciſci, licitum eſt fœminis, ab eis locis exire, vt proles in lucem edant, ſicque deinceps ea valeant filij Collegia obtinere; quippè in eiuſmodi exitu ſibi non prohibito doloſè non agunt ſed iure ſuo funguntur; ergo idem in caſu noſtro contingit, cum par ſit vtrobique ratio. Ex his, quæ pro noſtro adduximus aſſerto, argumenta aduerſantia remanent eneruia, cum iam oſtenderimus, in propoſito caſu fraudem non reperiri, cumque hominem iuxta Bullæ verba ad Hiſpaniæ loca declinare.

* * *

DISPVTATIO IV.

De perſonis, quæ poſſunt Bulla Cruciatæ frui.

Extant in Bulla Latina verba initio diſputationis præcedentis appoſita, ſignificantia, quibus perſonis Bulla concedatur, nempè: Omnibus, & ſingulis vtriúſque ſexus Chriſti fidelibus, *in Bulla autem Hiſpana.* Primeramente ſu Santidad concede à todos los fieles Chriſtianos de los dichos Reynos y Señorios, moradores, eſtantes y habitantes en ellos, y à los que à ellos vinieren, ò en ellos ſe hallaren, *&c. Verba hæc vltima expoſita ſunt diſp. antecedenti: primo in hac veniunt explananda, vt conſtet, quinam ſint, qui Bulla frui valent; & quidem vterque ſexus virorum, & fœminarum comprehenditur, vtrique enim pari modo conceditur.*

CAPVT I.

An debeant eſſe in gratia, qui Bullam accipiunt, vt ea vti queant?

1 NON diſputo in præſenti, (nam hoc erit deinceps agendum) an debeant eſſe in gratia, qui priuilegiis Bullæ ad indulgentias pro ſe, vel pro defunctis, attinentibus, frui velint, ſed abſolutè, vt eam ſibi valituram ſumant, aliíſque cum proportione illicò priuilegiis gaudere valeant, vtrum in gratia perſiſtere teneantur? Seu an exiſtentes in culpa mortali ea vti poſſint? Sit concluſio: Præter eos, qui certo peccatorum genere maculantur, de quibus ſtatim, cæteri Bulla frui valent, etiam ſi in gratia non exiſtant, ſed lethali culpa fœdentur. Eſt communis, Nauar. *de indulg. notab. 19. n. 19.* P. Henriq. *l. 7. de indulg. c. 9. num. 6.* Sotus *in 4. diſt. 21. q. 2. art. 3.* Trullench *l. 1. §. 1. dub. 8.* Acoſta *in Bull. q. 15.* Villalob. *tr. 27. in tit. num. 5.*

2 Suadetur: Non excluduntur ab ipſa Bulla exiſtentes in lethali, ergo eius priuilegiis gaudent. Confirmatur; exceptio firmat regulam in contrarium; at à Bulla excipiuntur exiſtentes in certo genere peccatorum lethalium, quominùs poſſint omnibus, aut nonnullis Bullæ priuilegiis frui, ergo cæteri non excepti frui eis poſſunt. Excipiuntur autem expreſsè in Bulla Latina, ne vllo fungantur priuilegio, peccantes contra expeditionem ipſius, nempè eius publicationem, expeditúmque vſum prauè prohibere conantes Deindè qui ex Bullæ confidentia in annua

Digitized by Google

Confeſſione fuit negligens, indulgentiam in Bulla non eam, quæ à confeſſario applicatur, ſed aliam pro mortis articulo conceſſam non lucratur;vt conſtat ex illis Bullæ Hiſpanæ verbis. *con que ayan muerto contritos, y al tiempo eſtatuido por la Igleſia ſe huuieren confeſſado y que no ayan ſido negligentes, ni deſcuydados en confiança deſta gratia, conſigan la dicha plenaria indulgentia, &c.* Eſtque ſermo de his, qui ſubitò, vel ob Confeſſarij defectum, abſque confeſſione è vita decedunt, quibus indulgentia conceditur, ſi negligentes non fuerint in annua confeſſione, ſecùs ſi fuerint negligentes. Denique ad vtendum Bulla cõpoſitionis ſuper bona incerta, fructuſque Eccleſiaſticos malè partos, ſeu amiſſos non recitando officium, excluduntur, qui ex confidentia ipſius vel fuerint furati, vel non recitauerint. Ita liquet ex Bulla ipſa compoſitionis Hiſpana ibi: *Lo qual todo entendemos con condition, que los tales deudores no ayan auido las coſas, ò cantidad, de lo que ſe huuiere de componer, en confiança deſta compoſicion, porque en tal caſo no ſe pueden cõponer.* Quid autem ſit peccare ex Bullæ confidentia, ſuo loco exponemus. Nunc ſufficiat aſſerere, non excludi à Bullæ vſu eos, qui ſciẽtes, ſe Bullam accepiſſe, ſeu accipere poſſe, ex paſſione, fragilitateque delinquunt quaſi ſolatium ſuæ cõſcientiæ in Bullæ remedio proponentes, eodẽ tamen modo peccaturi, ſua attenta cupidine, & indole, etiã ſi Bullæ non adeſſet, ſolatium, hoc quippè eſt, peccare cũ confidentia Bullæ, quod longè diſtat ab hoc quod eſt, peccare ex illius confidentia, tunc enim quis ex confidentia peccat, cũ neutiquã aliter peccaret, ſi Bullã non haberet, vel non ſperaret accipere. Is igitur per Bullam excluditur, non primi. Ita Rodriguez *in explic. Bul. §. 99.* Ludou. Lop *c. 8. de Bul. p. 836* P. Henriq. *l. 3. de pœnit. c. 16. n. 3. lit. O* Trullench *in expoſit. Bul. l. 1. §. 1. dub. 9.* Baſil. Legion. *in expl. Bul. c. 2. num.* 23. Dicitur autem ea, quæ in Bulla prohibetur, confidentia poſitiua, alia verò confidentia negatiua.

3 Sed notandum hic eſt, eos ipſos, qui ex confidentia delinquunt, poſſe gaudere reliquis Bullæ priuilegijs, ſecluſa indulgentia illa plenaria in articulo ſubitaneæ mortis, aut abſque confeſſione aduenientis, & compoſitione bonorũ debitorum; ratio deſumitur ex repetita iuris regula, *exceptio firmat regulam in contrarium*; cum ergo hæc dumtaxàt excipiãtur, cætera poſſunt obtineri. Quod ſic cenſent Syluester *verbo indulgentia*, *q.* 10. Nauarr. *de Iubil. notab. 30. n. 7. & notab. 4. n. 6.* Cord. *de Indulg. q. 34.* Zenedo *in Selectis q. 25. n. 3.* P. Suarez *tom. 2. de Relig. l. 6. de voto c. 13. n. 6.* P. Th. Sanchez *tom. 2. ſum. l. 4. c. 54. n. 18.* P. Filiucius, Bonacina, & alij, quos refert, & ſequitur Diana *tom. 1. tract. 11. reſol. 16.*

4 Ex ſuperiori aſſerto infero, meretrices Bullæ priuilegijs frui valere; eademque ratione probatur; nempè quia à Bulla non excluduntur, vndè nec à nobis debent excludi: & cum aliqui excipiantur, ipſas exceptio non comprehendit: Ita tuetur Rodrig. *in addit. ad §. 1. circa numer.* 15. cum communiori. Oppoſitum tamen defendunt Acoſta *in Bul. Cœnæ quaſt.* 12. Vega *tom. 1. ſum cap. 43. caſ.* 7. Nuñus *in 3. p. tom. 2. tract. de Bul.* Mouentur, quia Bulla conceditur his, qui in ſubſidium belli erogant eleemoſynam, *ex bonis ſibi à Deo collatis*, quæ ſunt Latinæ Bullæ verba, at bona meretricis, ex quibus eleemoſynam poteſt elargiri, ſunt à diabolo prouenientia, non Dei nutu, & voluntate adquiſita, vt potè turpis militiæ ſtipendia; ergo Bulla non conceditur meretricibus: nec enim Pontifex ambit, Eccleſiam Dei defendi ſubſidiis ex mammona iniquitatis prouenientibus.

5 Sed in primis poſſet meretrix Bullam accipere ex bonis aliundè, quàm ex illicito quæſtu partis; tuncque ratio adducta non probaret, Bulla non poſſe meretricem fungi. Deindè ea verba, *ex bonis ſibi à Deo collatis*, indicant, debere eſſe bona propria accipientis illam; namque quæ iuſte quis vt ſua poſſidet, non alio, niſi Deo donante, veniſſe intelliguntur: meretrix autem, quamvis in lucrandis pecuniis culpa interueniat, iuſte tamen quæſtum poſſidet retinetque vt ſuum, *l. 4. §. ſed quod meretrici, ff. de condict. ob turpem, vel iniuſt. cauſ.* ibi: *Illam enim turpiter facere, quod ſit meretrix; non turpiter accipere, cum ſit meretrix,* Couarruu. *in reg. peccatum, 2. p. §. 2. n. 1.* Gregor. Lop. *in l. 54. tit. 14. p. 5.* Conanus *l. 1. comment. c. 11. à n. 2.* & plures alij; quod eſt inter Theologos etiam certiſſimum.

6 Indè ſubinfertur, eum non poſſe frui Bulla, qui pro ea eleemoſynam erogat ex bonis iniuſte poſſeſſis, vt ſunt furto ablata, per vſuras obtenta, per ambitum adquiſita, & ſimilia, quæ reſtituere tenetur. vt tenent Nuñus, Vega, & Acoſta *nuper* citati, Diana *tr. 11. reſol.* 101. Rodriguez *vbi ſuprà*, & alij. Ratio ex dictis prompta eſt; nam ea bona nõ ſunt propria, à Deoque collata ſibi, ſed aliis, quorum propria ſunt. Bulla autem conceditur ei dumtaxàt, qui ex bonis propriis à Deo donatis ipſam accipit. Attamen ſi fur ex bonis propriis eam ſumeret, abſque dubio fungi ea valeret. Quòd ſi pecuniam ablatam cum propria confundat, & indè eleemoſynam depromat, quam pro Bulla eroget, cenſeo quidem, poſſe Bullæ priuilegia obtinere, cum ille ſumptus debeat propriæ pecuniæ tribui, (quamvis materialiter erogatos nummos furtiuos eſſe, contingeret) quippè ille, vt propriam eam pecuniam erogat, ſuæque intentionis eſt, ita Bullam accipere, vt ſibi proſit

Digitized by Google

proſit, nec inualidè cenſendus eſt agere, qui poteſt idemmet opus validè egiſſe, quòd iuris principiis eſt conſentaneum.

CAPVT II.

An Cathecumeni poſſint Bulla frui?

7 POſſe ea frui quoad indulgentias, ipſis applicatas per modum ſuffragij, non abſolutionis, ſi tamen ſint, per contritionem votum baptiſmi includentem, iuſtificati, docuerunt Nauarrus *de indulg. notab.* 18. *n.* 18. *&* *notab.* 32. *n.* 8. P. Henriq. *l.* 7. *de indulg. c.* 18. *n.* 3. *&* *c.* 20. *n.* 8. vbi etiam aſſerit poſſe virtute Cruciatæ eis vota, & iuramenta commutari, & pro incertis debitis fieri compoſitionem. Contraria ſententia defenditur à D. Anton. 1. *p. tit.* 22. *c.* 5. §. 6. Auguſt. de Anchon. *de poteſt. Eccleſ.* Cardin. Lugo *de pœnit. d.* 27. *ſ.* 1. *n.* 2. Baſil. Legionenſ. *in explic. Bull. c.* 2. *n.* 20. Cui ſententiæ & meum ego fero ſuffragium: apud omnes autem duo certa eſſe debent, aliud, Eccleſiam, eo modo, quo pro cathecumenis preces ad Deum fundit, poſſe etiam eis aliqua Bullæ offerre ſuffragia; nec enim diſpar in vno, quàm in alio ratio verſatur; aliud non poſſe eſſe obnoxium quæſtioni, in aliquibus non eſſe opus Bulla cathecumenis, cum enim illi Eccleſiæ ſubditi non ſint, nec Eccleſiaſticis legibus obſtringantur, fit, vt nec ad oua, & lacticinia edenda, electionem confeſſarij, & ſimilia, Bulla indigeant.

8 Cæterùm nec in reliquis Bullam ipſis poſſe prodeſſe, aſſerimus. Probatur: quidquid in Bulla continetur, vel eſt actus iuriſdictionis vel actus proprius clauium, ſed nequit Pontifex vllum ex his actibus erga cathecumenos exercere, igitur eis Bulla prodeſſe non valet. Recta eſt conſequentia: minor eſt plana, cathecumeni namque extra Eccleſiam ſunt, cum per baptiſmi ianuam non fuerint adhuc in illam ingreſſi, & vt aſſeruit Apoſtolus 1. *Cor.* 5. 12. *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, iudicare?* Maior ex eo conſtat, quia priuilegia Bullæ aut ſunt conferentia iuriſdictionem ad vota commutanda, & huiuſmodi alia, quorum conceſſio eſt iuriſdictionis exercitium; aut ſunt theſauri Eccleſiæ diſpenſationes, mediis indulgentiis, quæ quidem ſunt actus clauium, & non nuda deprecatio. vt ampliùs patebit, cum *inferiùs* de illis agemus.

9 Sed ait primò P. Henriq. Nouitij gaudent priuilegiis Religioſorum, ergo & baptizatorum priuilegiis cathecumeni. Nego conſequentiam Diſparitas eſt, quia cathecumeni ſunt omnino incapaces eiuſmodi priuilegiorum, ob rationem non ſubiectionis allatam, at nouitij incapaces non ſunt, & Prælatis Religionum, dum earum habitum portant, ſubduntur. Ait ſecundò in lege naturæ poſſe Regem vice Reipublicæ pro debitis incertis facere compoſitionem; ergo poteſt eam Pontifex facere in debitis cathecumenorum incertis, atque adeò ſaltem Bullam compoſitionis eis elargiri. Quidquid ſit de antecedenti, conſequentia eſt nulla, nam Rex ſupponitur caput eius Reipublicæ, & ſuperior illorum, quorum eſſent debita componenda, at Pontifex caput non eſt alicuius Reipublicæ, ad quam cathecumenus vt membrum, ſubdituſque, pertineat.

10 Inferò ex concluſione probata, non poſſe indulgentias applicari pro animabus defunctorum cathecumenorum, nec eorum, qui ante Chriſtum D. è viuis migrauerunt, ad quod inclinat P. Suar. *tom.* 4. *in* 3. *p. d.* 53. *ſ.* 4. *n.* 7. Et ſuadetur primò quia ſancti PP. negant poſſe offerri ſacrificium Miſſæ pro cathecumeno defuncto, ad remittendum ei pœnam ex opere operato; ergo qui non eſt baptizatus, non eſt capax effectus ex opere operato, at talis eſt effectus indulgentiæ, igitur ea nequit non baptizato, ſiuè cathecumeno, ſiuè ante Chriſtum D. defuncto, applicari, ita vt ſuam ſortiatur vim, & effectum. Secundò, quia hoc indulgentiæ genus nunquam fuit in Eccleſia conceſſum, quod manifeſtè indicat, non eſſe ad eius conceſſionem vllam poteſtatem, alioqui tot ſæculis retroactis aliquando fuiſſet exercita; imò, vt aſſerit P. Suarez, veroſimile eſt, pro eo defuncto non poſſe Pontificem indulgentiam per modum ſuffragij elargiri, pro quo viuente ipſam per modum abſolutionis præſtare nequibat. Hinc ſoluitur quod P. Henriquez opponit; animabus purgatorij non concedi indulgentias per modum abſolutionis, ſed ſuffragij, cuius non ſunt capaces cathecumeni, maximè cum debeant recenſeri Chriſtiani, non numero, ſed merito. Etenim, vt iam aſſeruimus, eſt actus proprius clauium cuiuſvis indulgentiæ conceſſio, cum ſit è theſauro Eccleſiæ ſolutio pretij pro pœnis debitis, qui actus erga non ſubditos exerceri non poteſt: nec meritum cathecumenorum efficit, vt re ipſa ſubijciantur Eccleſiæ.

11 Dicat forſan nonnullus, poſſe Pontificem ſoluere pretium è theſauro Eccleſiæ etiam pro non ſubdito; ſicut quilibet poteſt debitum alterius non ſubditi propria pecunia ſoluere, eaque etiam captiuum redimere, vel alij, vt redimat mandare. Reſpondeo, Pontificem eſſe diſpenſatorem, non eſſe dominum theſauri Eccleſiæ, potentem conuertere illum in vſus, quos maluerit, ſed in eos, qui à Chriſto Domino mandante dominóque theſauri, ſunt ipſi permiſſi: Non autem fuiſſe permiſſam diſpenſationem illius in non ſubditos,

Digitized by Google

ſubditos, quod conſtat ex probationibus *n. præcedenti* allatis, & quia claues tradit Chriſtus Vicario ſuo, vt ſuas oues paſceret, non alienas, vt Eccleſiam gubernaret, eius vtilitati proſpiciendo, non aliorum commoda ſollicitando. Vnde euanet omnino paritas, nam qui poteſt debitum alterius ſoluere, aut captiuum redimere, dominus eſt eius pecuniæ, quæ ad hoc eſt præſtanda, potens eam ad vſus, quos voluerit, conuertere, alioqui ſi adminiſtrator, mandatarius, aut diſpenſator pecuniæ eſſet, minimè valeret aliena debita perſoluere, aut captiuos redimere, niſi pro domini, ſiuè mandantis libito, ac voluntate. Poſt editum primò in lucem hunc Tomum, qui nunc ſecundò prodit, ſcripſit P. Henao opus de Sacrificio Miſſæ, & 1. *part. diſp.* 17. *ſect.* 2. contendit, Miſſam prodeſſe defunctis cathecumenis ex opere operato, & pro eis offerri poſſe quoad fructum ſatisfactionis ex opere operato. Verùm oppoſitam ſententiam, quam *nuper* attigi, & pro qua ipſe *ibi num.* 19. Me refert, eſſe concordem Theologorum ſententiam, affirmat, & probat Cardinalis Lugo *de Euchariſt. diſp.* 19. *ſect.* 10. *ex num.* 166. Eam tenent P. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 78. *ſect.* 2. *& diſp.* 79. *ſect.* 10. P. Giballinus *de cenſur. diſquiſ.* 7. *quæſt.* 2. *propoſit.* 1. *conſectario* 4. *num.* 25. P. Rodericus de Arriaga *in* 3. *part. diſp.* 52. *ſect.* 2. *&* 3. P. Fagundez *in* 1. *Eccleſ. præcept. lib.* 4. *cap.* 1. *ex n.* 16. P. Bauni *part.* 1. *Theol. moral. tract.* 6. *quæſt.* 6. *verſu Dico tertiò*; P. Tannerus *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 5. *quæſt.* 8. *dub.* 4. *n.* 87. P. Leſſius *in* 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 1. *dub.* 9. *n.* 51. P. Amicus *diſq.* 33. *ſect.* 5. *ex n.* 117. P. Coninch *in* 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 1. *dub.* 9. *n.* 160. P. Præpoſitus *in* 3 *p. quæſt.* 83. *art.* 1. *dub.* 12. P. Bardi *in explicat. Bullæ Cruciatæ part.* 4. *tract.* 4. *cap.* 3. *ſect.* 2. *&* 3. P. Layman *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 2. *n.* 8. P. Filiucius *tract.* 5. *cap.* 2. *ex n.* 45. *& cap.* 3. *n.* 81. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 8. *diffic.* 9. Trullench *lib.* 3. *de Sacrament. cap.* 8. *dub.* 4. *n.* 5. Auerſa *in* 3. *part. quæſt.* 11. *ſect.* 10. *verſu, dicendum tamen.* Hieronymus Garcia *de excellentiis Sacerdotij, tract.* 3. *diff.* 1. *dub.* 6. *punct.* 3. *n.* 23. *&* 27. Et alij. Non vacat, expendere authoritates, & rationes pro hac ſententia militantes, nec diſſoluere, quæ pro oppoſita afferuntur à P. Henao; ſufficiat in præſenti ad probationem illationis deductæ, nempè indulgentiàs non poſſe applicari pro animabus cathecumenorum defunctorum, quòd ſit adeò communis hæc propoſitio pro paritate aſſumpta, nempè non poſſe pro eis offerri Sacrificium Miſſæ, ad remittendum eis pœnam ex opere operato, ex qua infertur, nec indulgentias poſſe pro illis applicari. Quin adhuc ſi vera eſſet ea ſententia oppoſita, reſtat ad probationem noſtri aſſerti, quod poſt eam paritatem ſecundò attulimus, quo ſatis illud roboratur.

CAPVT III.

An infantes, amentes, excommunicati, hæretici poſſint Bulla gaudere?

DIco primo, poſſe infantes, & amentes Bullæ gaudere priuilegiis, quorum capaces ſunt; ſcilicèt vt interdicti tempore in loco ſacro ſepeliantur cum moderata pompa funerali, & vt tunc amenti, phrenetico, vel furioſo morti proximo Extremæ vnctionis miniſtretur ſacramentum, etſi quæ ſunt alia, quęis gaudere valeant (idem dicito proportione ſeruata de ebrio, ſi in ebrietate moriatur; ſaltem ſi abſque ipſius culpa contigerit, vel culpam antecedenter dolore retractauerit) Probatur, quia nulla eſt ratio, ob quam hi incapaces ſint eiuſmodi priuilegiorum, nec Bulla diſtinctionem facit ætatis, & præterea puer, & amens iudicantur interpretatiue poſcere ſibi vtilia, phrenetico autem, qui piè vixit, Euchaſtriſtia, & Extrema vnctio non negatur, quare tempore etiam interdicti, poterunt hæc ei ſacramenta miniſtrari, ipſique, ac cuiuis amenti quolibet tempore indulgentia plenaria Bullæ applicari, & ab excommunicatione abſolutio impertiri.

13 Dico ſecundo, Excommunicatos frui poſſe priuilegijs Bullæ, ſi indulgentiæ excipiantur, quippè excommunicatio priuilegiorum eiuſmodi obtentioni non obſtat, licèt enim nequeat excommunicatus priuilegiis, quæ ipſe impetrat, fungi, poteſt tamen eis, quæ non impetrat, Bulla autem conceditur excommunicato, non ab illo impetratur, ſed ab Hiſpaniæ Rege. Excepi indulgentias, ad quas lucrandas opus ſit ſtatu gratiæ, quia excommunicatus, ſi pertinax ſit, in eo ſtatu non eſt. Cæterùm ſi pertinax non ſit, ſed potiùs in ſtatu gratiæ, nec ſtet per eum, quominùs ab excommunicatione abſoluatur; cum poſſit media ad indulgentias obtinendas adhibere, quin, & Eccleſiam ingredi, dum diuina non celebrantur Officia, ibique Altaria viſitare diebus in Bulla deſignatis; præſumi debet de pia matre Eccleſia, nolle excludere ipſum à ſui participatione theſauri; vt tenet Villalobos *tom.* 1. *tr.* 27. *in tit. n.* 6. & cum Nauarro, ac Rodriguez cenſet Trullench *l.* 1. §. 1. *dub.* 8. *num.* 2. *fin.* & cum Caietan. Syluester, Soto, Angles, citatis *in Gloſſa littera T.* à P. Henriquez, *lib.* 7. *de indulg. & cap.* 18. *numer.* 2.

14 Dico tertiò hæreticos poſſe gaudere Bullæ priuilegiis, ſicut excommunicatos, proportione ſeruata, eadem enim eſt ratio, Non

Digitized by Google

Non poterunt tamen, dum in hæreſi externâ perſiſtunt, & ab ea ab Inquiſitoribus fidei abſolutionem non impetrant, eligere confeſſarium, cum nequeat abſolutio à cæteris peccatis impertiri, dum innodati manent excommunicationis vinculo propter hæreſim; à qua abſoluendi poteſtas in Bulla non conceditur. Et non ſolùm de hæretico interno concluſio eſt intelligenda cum Ludou. à Cruce *in explic. Bul. d.* 1. *c.* 1. *dub.* 8. ſed etiam de externo, cum Trullench *vbi ſuprà num.* 3.

15 Opponitur tamen primò, Bullam concedi his, qui zelo exaltationis fidei moti, ad bellum aduerſus infideles peragendum, adiuuerint; quo zelo hæretici non mouentur. Sic extat in Bulla Hiſpaniâ. *Mouidos con zelo de len ſalçamiento de la Fè Catholica.* Inſtatur in hæretico interno, in quo eamdem vim argumentum habet. Deindè, quòd reſponderi ſolet huic rationi, ſi aduerſus internum efformetur, idemmet in præſenti aſſero, ſcilicèt ea verba non ſignificare conditionem neceſſariò requiſitam. Et ſanè plures, qui Bullâ gaudent, ad eius acceptionem commodi ſui potiùs ſtimulo, quàm fidei zelo ſollicitantur. Opponitur ſecundò, Bullam concedi fidelibus Chriſtianis, vt ex eis verbis fit manifeſtum; *à todos los Fieles Chriſtianos:* initio Bullæ præfixis; hæretici autem Chriſtiani ſunt, non fideles. Reſpondeo, nomine fidelium in præſenti intelligi baptizatos; & ſub Pontificis poteſtate exiſtentes; ſub qua hæretici exiſtunt; & ſi Bullam ſumant, in ipſa acceptione ſe Pontifici ſubijciunt, quatenùs profitentur, eum poſſe Bullæ priuilegia, quorum vſum exoptant, concedere. Moueor ad hanc explicationem; nam etiam hæretici interni non ſunt fideles, vtpotè fide ſupernaturali deſtituti, & tamen eos Bulla gaudere poſſe ipſi aduerſantes affirmant; ergo quia in præſenti nomen fidelium latiori ſumitur in vſurpatione nempè baptizatos, Pontificique re ipſa ſubiectos amplectente.

CAPVT IV.

An Religioſi, excepto priuilegio eligendi Confeſſarium pro reſeruatis, Bulla frui poſſint.

16 EXceptionem in titulo appoſui, quia latior redibit *infrà* de eo priuilegio diſputatio vti non poſſe, eo vbi circa abſolutionem à reſeruatis, ſic verò circa abſolutionem à mortalibus non reſeruatis, affirmabimus. De cæteris itaque Bullæ priuilegijs loquendo, tenendum eſt, poſſe eis Religioſos vti quo ad ea, quæ expreſsè in Bulla eis non negantur. Et ex his aſſertum ſuadeo; quia iuxtà ſæpè dicta exceptio firmat regulam in contrarium; ſed in ipſa Bulla excipiuntur Religioſi (præter ſexagenarios, & Ordinum Militarium regulares) ne poſſint frui priuilegio comedendi oua, & lacticinia tempore Quadrageſimali; igitur queunt cæteris Bullæ priuilegijs, à quibus non excipiuntur, omnino fungi.

17 Hic ſolet inquiri, an poſſit Religioſus abſque licentiâ Superioris accipere Bullã, eleemoſynâ pro illa erogata, & ſimul eius priuilegijs vti? Communis apud Bullæ expoſitores opinio eſt, poſſe Religioſum abſque eiuſmodi facultate Bullam ſumere, ipſiuſque obtinere priuilegia, niſi fortè, vt fieri poteſt, vſus eorum limitetur à Prælato; & hunc lethaliter peccare, ſi neget ſine iuſta cauſa facultatem ad Bullam accipiendam, vt potè bonum ſubditi impediens; ideóque ſubditum tunc maximè rectè operari, ſi Bullam accipiat, cum Superior ius non habuerit ad licentiam illam denegandam, ſi quidem conſtat, voluntatem eſſe Pontificis, vt omnes Bullæ bono fruantur. Videantur Valerus *in differ. vtriuſque fori, verbo Bulla Cruciata, diff.* 1. *Rodriguez in addition. ad* §. 9. *numer.* 7. Acoſta *in explic. Bul. q.* 106. Trullench *ibidem lib.* 1. §. 1. *dub.* 7. *Diana tr.* 11. *reſ.* 99. *Villalob. to.* 1. *tr.* 27. *clauſ.* 11. *n.* 29.

18 Aliqua in prædicta ſententia iunguntur, quæ inter ſe minimè cohærent, ſi enim tunc dicitur, Superiorem peccare, cum abſque cauſa legitima facultatẽ denegat ad Bullam accipiendam, igitur non peccabit, ſi cum legitima id deneget cauſa; imò tunc denegare valebit, cum cauſa ita poſcat: ergo nequit ſubditus abſolutè abſque eius licẽtia Bullam accipere, cum poſſit tunc adeſſe cauſa legitima, ob quam denegaretur ipſi facultas ad illã accipiendam. Prætereà ſi limitare poteſt Superior aliquorum Bullæ priuilegiorum vſum, ergo poteſt & omnium; quæ enim maior ratio ad vnum, quàm ad aliud? cum voluntati Pontificis vel in nullo eorum, vel in vtroque reſiſtatur? Rurſus licèt velit Pontifex, vt omnes Bullæ bono fruantur, tamen vel hoc vult reſpectu religioſorum dependenter à Prælati voluntate rationi conſentanea, vel independenter? Si primum; peccabit ſubditus Bullam accipiens abſque ſuperioris beneplacito, contra paupertatẽ, inſumendo pecunias in eleemoſynæ erogatione, vel ſaltem contra obedientiam, exequendo id, quod non valebat non annuente Prælato, contra eius voluntatem generalem, qua vult, vt ſibi in omnibus obtemperetur, operando; ſeu contra ſpecialem, qua vult, vt Bulla abſque ſua licentia non ſumatur à ſubditis. Si ſecundum; non erit opus, facultatem poſcere ad accipiendam

piendam Bullam, nec poterit ſuperior vlla de cauſa id impedire, imò nec eius vſus limitare.

19 Quare ſentio, Pontificem voluiſſe, vt regularis diſciplinæ obſeruantia vigeret in cunctis, ſubditum etiam in acceptione Bullæ à Prælati voluntate pendere, opuſque illi eſſe facultate ipſius. Moueor, tum quia iuxta dicta *nuper* non alio modo aſſerta in præſenti cohærent; tum quia in Bulla conceſſa anno 1564. à Pio IIII. aſſerebatur, poſſe Religioſos abſque Prælati licentia Bullam accipere, vt refert Ema. Rodrig. §. 12. *dub.* 1. *n.*15. quæ clauſula fuit deinceps ablata, nec hodie extat; quod ſignum eſt manifeſtum, voluiſſe Pontificem ſubordinari ſubditum Prælato in Bulla ſumenda.

20 Hinc prouenit, poſſe Prælatum, ſi legitima cauſa adſit, licentiam hanc denegare: Quod ſi certò conſtet (nam in dubijs ſtat pro Prælato præſumptio, vt *in tractatu de conſcientia* omnes Authores affirmant, viderique poſſunt Caſpenſis, Montepiloſus, PP. Baldellus, Laymam, Breſſerus, Caſtro Palao Tannerus, & alij paſſim. Necnon videndus Ego *in ſtatera opinionum benignorum*, *diſſ.* 13. *ex numer.* 230.) Prælatum abſque legitimâ cauſa facultatem denegare, tunc poterit ſubditus Bullam accipere; quia cenſetur hanc eſſe voluntatem Pontificis, quia à voluntate rationabili, non verò ab iniuſta, voluit ſubditum dependere in Bullæ acceptione; ne abſque iuſta cauſa deterior ſit eius conditio, quàm cæterorum, qui Religioſi non ſunt, priueturque bonis ſpiritualibus, quæ per Bullam poteſt lucrari.

21 Sed addo, ſemel acceptâ Bullâ, non poſſe à ſuperiore limitari vſus priuilegiorum ipſius, niſi ab ipſo Pontifice ſint limitati (vt accidit in priuilegio eligendi Confeſſarium pro reſeruatis) vel ab eo limitandi facultas ſuperioribus indulgeatur: ratio eſt, quia poſtquam quis Bullam accepit, habet iam à Pontifice priuilegia in ipſa comprehenſa; facultates autem, & priuilegia à maiore ſuperiore indulta, nequit inferior Prælatus reuocare, impedire, aut limitare, abſque illius facultate, vt in tractatu de legibus omnibus Theologis in confeſſo eſt, viderique poſſunt PP. Suarez, Salas, & alij communiter. Cæterum, ſi facultas eos vſus limitandi ab ipſo Pontifice tribuatur, vel ipſe limitet, non manet dubium, ſubditum non poſſe vti priuilegijs, quorum vſus ſibi interdicitur. Et in Societate IESV non ſolùm viuæ vocis oraculo (quod poſt derogationem eiuſmodi oraculorum ab Vrbano VIII. factam, vim non haberet) quod extat *in compendio priuilegior. Societ. IESV, verbo Gratiarum vſus* §. 2. à Greg. XIII. emiſſum, ſed in Bulla ſpeciali expreſſum eſt, non eſſe de mente Pontificis, vt per Bullam derogetur vlli Societatis indulto; poſſeque ſuperiores eius vſus limitare. Videatur Compendium priuilegiorum Societatis, verbo *Abſolutio*, §. 11. Vndè confirmatur doctrina tradita; opus namque fuit Bulla Pontificis, ſeu poteſtate ipſius, vt poſſent ſuperiores vſus Bullæ limitare; alioquin ſuppervacua eſſet ea conceſſio; igitur non poſſunt, Pontifice non concedente eiuſmodi poteſtatem ad vſus limitandos. Quod aſſeruimus in præſenti de Religioſis, & quæcumque deinceps de illis aſſeramus, exceptionem non apponentes, pariter intelligitur de regularibus Ordinum Militarium, qui verè, & ſtrictè Religioſi ſunt, nec eſt vlla ratio eos à ceteris diſcernendi. De quibus latè tracto *Tom. de Ordinib. Militarib.*

22 De nouitijs Religionum non eodem modo philoſophandum, ac adhuc de Religioſis triplici iam voto conſtrictis. Etenim nouitij fruuntur fauoribus Religionum, vt docent Mandoſius *tr. de priuileg. ad inſtar, glo.* 7. *num.* 36. Nauarrus *cap.* 27. *n.* 79. Cordub. *l.* 1. *qq. q.* 30. *& caſ.* 24. Sarmiento *lib.* 1. *ſelectar. cap.* 5. *n.* 6. Tiraquellus *retract. tit.* 1. §. 1. *gloſ.* 8. *n.* 21. & alij; habeturque in iure expreſſum in Clementin. 1. *de priuileg. cap. religioſo, de ſent. excom. in* 6. Tamen in oneribus, odijs, & caſibus reſeruatis nomine religioſorum nouitij non comprehenduntur; Sic habet gloſſa *in c. beneficium de Regular. in* 6. & ibi Ioannes Andreas; Angelus *verbo religioſus* §. 13. Syluest. *verbo religioſus* 5. à §. 9. P. Henriq. *lib.* 3. *de pænitent. c.* 16. *n.* 3. Ideóque nouitius non tenetur ad præcepta conſtitutionum, & regulæ; vt affirmat Roſella §. *fin.* Angelus, Syluester Tiraquel. *vbi nuper*. Nec poteſt duro carcere puniri, nec à monaſterio, aut religione recedens cenſetur apoſtata, vt communiter tradunt Summiſtæ *verbo apoſtata*. Vndè Bulla Cruciata poſſunt abſolutè frui, vt potè fauorabili, etiam renuente Prælato: Ita docent P. Henriq. *nuper allatus, & l.* 7. *de indulg. c.* 22. *n.* 7. Rodrig. *in Bul.* §. 6. *n.* 9. *&* §. 12. *n.* 6. Trullench *in Bul. l.* 1. §. 1. *dub.* 7. *n.* 1. P. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 9. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 10. Ledeſma *in ſum. to. tom.* 1. *tr. de pænit. cap.* 13. *dub.* 14. Fernandez *in exam. Theol. mor. p.* 3. *c.* 9. §. 8. *n.* 9. Diana *to.* 1. *tr.* 11. *reſ.* 15. cum alijs.

CAPVT V

An Bulla viuorum poſſit ſumi ad aliquos vſus pro iam defuncto

23 Scilicèt obijt quidam, qui Bulla communi Cruciatæ carebat, inquiritur an poſſit ea ſumi, vel vt abſoluatur ab excommunicatione, ſi fortè indigeat abſolutione,

Digitized by Google

tione, vt ſic in loco ſacro tumuletur, vel vt tempore interdicti ad ſepulchrum cum moderata pompa funerali deferatur? P. Henriquez, *lib. 7. de indulgent. capit. 20. numer. 8. in gloſſ. lit. T. Z.* tenet, poſſe accipi Bullam pro defuncto ad effectum vtrumque, nempè vt in loco ſacro ſepeliatur, & ab excommunicatione abſolutio illi præſtetur, & conſequenter ſuffragia Eccleſiæ offerantur pro ipſo. Trullench *in Bull. lib. 1. §. 1. dubit. 2. n. 6.* non audet affirmare, id poſſe fieri, inconſulto Prælato; *& lib. 1. §. 3. dub. 10. num. 1.* ait, hoc non improbabile videri; & quamuis ibi ſolùm agere videatur de ſepultura tempore interdicti præſtanda: tamen ratio, cui innititur, & verba, quæ pro ſe ex P. Henriq. tranſcribit, idem probant de abſolutione ab excommunicationis vinculo defuncto impertienda.

14 Sentio tamen, Bullam communem viuorum nihil prodeſſe acceptam pro iam defuncto in ordine ad relatos effectus. Moueor, quia prædicta Bulla eſt propria viuorum in acceptione ipſius, quare ea non fruitur, qui per ſe, vel per alium ſumptam non acceptat: quod indicant verba Bullæ Hiſpanæ: *Y por quanto vos diſteis dos Reales*, &c. Et Latinæ. *Item concedit iis, qui nec ibunt, nec mittent ſi ex bonis ſibi à Deo collatis erogauerint*, &c. Quæ veram, & realem ſignificant erogationem; defunctus autem nec accipit, nec acceptat, nec erogat, nec demum nomine illius hoc fieri, dici poteſt, cum ille iam nequeat vices ſuas alteri præſtare: Et ſanè præfata verba ad defunctos non pertinent, cum quibus non loquimur, aut ratiocinamur, nec contractus quaſi onerofos, cuiuſmodi eſt Bulla conficimus.

25 Nec eſt ad oppoſitum ſufficiens congruentia, quòd ille, ſi viueret, vellet equidem vt Bulla ſumeretur. Etenim ſi ipſe non ſumpſit, voluntas, quam haberet, nihil prodeſt, etiam ſi animum eam accipiendi concepiſſet, quia realiter ipſe poſtea non accipit, aut ab alio ſumptam acceptat. A priori ratio eſt, quia in mortuo non manet voluntas virtualis, vel interpretatiua; quippè eo expirante, omnis voluntas circa hæc, quæ apud nos ſunt, expirat; Quare P. Thom. Sanchez *d. 28. de matrim. à num.* 64. quem ſequuntur P. Layman aliique recentes, docet, caſu quo Epiſcopus facultatem præbeat alicui, vt munus confeſſarij exerceat, ea limitatione, *donec voluero*, expirante Epiſcopo, expirare licentiam, eo quòd nec virtualiter maneat iam ea voluntas, à cuius perſeuerantia licentia dependebat. Secùs erit, ſi limitet ſic, *donec reuocauero*; quia ad reuocationem requiritur actus poſitiuus, qui dum non habetur, facultas perſeuerat. Nec poteſt fieri ad noſtrum caſum paritas ex eo, quòd etiam defunctus ab excommunicatione abſoluatur ad fruendum ſepultura ſacra: Nam ad hanc abſolutionem non requiritur acceptio, ſeu acceptatio (qualem adhuc requiſiuimus) ſed ſatisfactio partis, hæredumque cautio. Et certè mihi in comperto eſt, ſi tempore interdicti quis obeat, vel excommunicatione reſeruata innodatus, inquiri illicò, an Bullam iam habeat, longéque abeſſe à mente, & perſuaſione fidelium, tunc ad eam accipiendam recurrere.

26 Illud nota, etiam in ſententia oppoſita, vel habuerit defunctus Bullam, vel tunc pro eo accipiatur, non poſſe virtute illius abſolui ab excommunicatione à qua non poſſet, ſi viueret, abſolutionem impetrare; cum non detur poteſtas major reſpectu defuncti, quàm viuentis. Item abſque Bullà non poterit defunctus abſolui ab excommunicationis vinculo ab eo Sacerdote à quò abſque illa nequiret abſolui viuens. Vnde hæreticus externus, etiam ſi Bullam habeat, non poterit defunctus abſolui, etiam ſi cum contritionis ſignis è vita diſceſſerit; Nec ab excommunicationibus Papæ reſeruatis poterit abſque Bullà ab approbato Sacerdote qualicumque abſolutionem obtinere. Nec obſtat, potuiſſe eum in articulo mortis à quouis abſolui, ſi non adeſſet is, cui erat reſeruata excommunicatio. Quippè in eo articulo, ne in re ſummi, & majoris momenti; nempè vitæ æternæ conſecutione detur periculum amiſſionis, vel amiſſio ipſa (deficiente contritione perfecta, quæ non adeò facilis eſt, ac attritio) pia mater Eccleſia cuilibet Sacerdoti, etiam ſimplici deficiente alio iuriſdictionem aliunde obtinente, poteſtatem indulget ab omnibus abſoluendi peccatis, & conſequenter ab excommunicationibus; cum nequeat, ritè præſtari peccatorum abſolutio; quin abſolutio ab excommunicatione præcedat, quando hæc ligat abſoluendum. At poſt obitum ceſſat hæc ratio; nec tunc à peccatis præbetur abſolutio, nec iam agitur de vitæ æternæ momento, quæ non dependet ab eiuſmodi abſolutione.

DISPVTATIO V.

De profectione ad bellum, in Bulla Cruciatâ præſcripta, ad obtinendam Indulgentiam plenariam.

1 Asseritvr in Bulla Latina, Pontificem concedere his, qui, *ad exercitum prædicti Sereniſſimi Regis Hiſpaniarum contra Turcas, & alios infideles, in illos pugnaturi;*

Digitized by Google

pugnaturi, aut aliud genus ſeruitij gratis facturi acceſſerint, & ibidem vſque in finem expeditionis eiuſdem anni permanſerint, plenam omnium ſuorum peccatorum, &c. In Hiſpana autem habetur; *Fueren à ſu coſta perſonalmente à ſeruir à la guerra en el Exercito, y con la gente que ſu Mageſtad embia, por tiempo de vn año, à pelear contra los Turcos, y los otros infieles, ò hazer otro qualquier ſeruicio; ò ayudar perſonalmente en el dicho exercito, permaneciendo en el haſta el fin del dicho año, la plenaria indulgencia, &c.* Et paulò inferiùs additur; *Y declara, que la tal indulgencia conſigan aſſimiſmo, los que murieren antes del fin de la expedicion, ò en el camino yendo al exercito, ò en el miſmo exercito, y aquellos, que por cauſa de enfermedad, ò por otra neceſſidad legitima, que los ſobreuenga, ſe partieren del exercito antes de la expedicion.* Omitto ad diſputationem ſequentem, agere de indulgentia in præſenti conceſſa, necnon de confeſſione vel voto illius in Bulla ipſa ad hanc indulgentiam obtinendam requiſitis: Nunc cætera verba explanabimus, quæ parum inuoluunt controuerſiæ.

2 Conſtat ex illis primò, non obtineri hanc indulgentiam, ſi quis ad alterius Regis quàm Hiſpaniarum, exercitum gratis, & perſonaliter contendat, etiam ſi bellum contra Turcas, aut Infideles alios peragatur. Sicut nec illam obtinebit, qui in exercitu Hiſpaniarum militaturus pergat, non tamen animo, aut deſiderio ſuppetias Regi ferendi, ſed potiùs explorandi tacitè Ducum mentem, atque conatus, vt hoſtem commonefaciat, hic enim omninò contrariatur Pontificis conceſſioni; ideóque hi, qui pergunt, adire debent moti zelo fidei Catholicæ, vt in Bulla præſcribitur, ſeu zelo iuuandi Regem, in quo implicitus eſt ſaltem indirectè zelus fidei. Et ſic etiam, qui pro Bulla eleemoſynam erogat fidei zelo non attendens, ſed ſuo potiùs commodo, cum in ipſa erogatione Regi ſubſidium elargiatur, implicitè ſaltem, vel indirectè zelo fidei mouetur. Vnde ex eo capite hæreticus Bullam accipiens, erogata eleemoſyna, in hac actione indirecta zelo fidei ſtimulatur; cum nequeat ſeparari, vt implicitum ab explicito, zelus fidei, & ſubſidium ad fidem conſeruandam, & augendam, infideleſque debellandos.

3 Conſtat ſecundò, ſi bellum Regis Hiſpaniarum aduerſus fideles conficiatur, non obtineri hanc indulgentiam à militante in exercitu ipſius etiam gratis, ſeu aliud obſequium impendente, verba enim relata oſtendunt, aduersùs Turcas, ſeu alios Infideles, bellum eſſe debere. Nomine autem infidelium hæretici, pagani, & ſchiſmatici comprehenduntur. Vbi nota, bellum aduerſus eos tentatum debere eſſe iuſtum, vt quis in eo gratis militans indulgentiam lucretur; quippè Pontifex ad iniuſta bella fouenda non indulget Cruciatam. Cæterùm miles, maximè ſubditus, dum de iniuſtitia belli apertè non conſtat, iuſtum eſſe, iudicare tenetur, aut ſaltem poteſt; vt eſt valdè commune inter Authores *in tractatu de conſcientia.* Videndus ego *in ſtatera opinionum benignarum; diſſ.* 13. *ex n.* 231. Dum autem eſt iuſtum, ſemper in eo cauſa fidei miſcetur, introducendæ, propagandæ, aut reſtituendæ, atque adeò militans gratis indulgentiam adipiſci valet, cum ad id reſpexerit in ea concedenda Pontifex.

4 Conſtat tertiò, non opus eſſe, ad prædictam indulgentiam lucrandam, militem, agere in exercitu Catholico; nam ſufficiet, quomodocumque ei obſequio eſſe, incumbereque ad munia audiendi confeſſiones; concionandi; ſacrum dicendi, quod milites audiant; conſilium præbendi in re militari, & ſimilia, dum tamen hæc omnia gratis fiant, & abſque vllo ſtipendio. Quin non renuerem concedere, etiam obtineri indulgentiam ab eo, qui aliquod acciperet ſtipendium, ſi tamen aliquod ex ſibi debito remitteret; hoc enim iam eſſet aliquod obſequium præſtare, quæ eſt conditio, iuxta Bullæ verba ſufficiens ad indulgentiam lucrandam; & maius quidem ſubſidium, quàm duplicis argenteæ drachmæ largitio, quæ pro Bulla erogatur, in cuius acceptione, vt ſuo loco aſſeremus, indulgentia etiam plenaria obtinetur.

5 Conſtat quartò, lucraturum eam indulgentiam vſque ad anni finem fore in exercitu perſeueraturum, niſi fortè præueniatur morte ante anni finem, interim ac in eo manet, aut in itinere ad ipſum; vel ex eo remeet ob legitimam cauſam, qualis eſſet morbus militiam impediens, vrgens ſuæ familiæ, rerumque domeſticarum neceſſitas, arbitrio viri prudentis recenſenda legitima; iis etenim in euentibus etiam plenariam obtinebit indulgentiam. Quòd ſi bellum non integro anno duraret, non propter eà indulgentiam non lucraretur militans, aut obſequens gratis, cum per ipſum tunc non ſtaret; nec id à Pontifice fuerit requiſitum, vt indulgentiam nanciſcatur. Quare etiam ſi in alia Prouincia alius exercitus Regis contra infideles militaret, non teneretur ille, qui ante finem anni, bello finito, ſuum finiiſſet obſequium, ad alium exercitum proficiſci, in eoque annum integrum complere, vt indulgentiæ fieret particeps; cum ſat menti Pontificis ſe in antecedenti militia conformaue rit. Et quidem eademmet indulgentia impetratur, ſiuè victor, ſiuè victus noſter exercitus maneat, cum nulla huiuſmodi ſit reſtrictio.

6 Inquirat

Digitized by Google

6 Inquirat aliquis, quando militans in exercitu gratuitè indulgentiam lucretur? An initio, an fine anni, vel tempore, quo in illo perſeuerat? Quæſtio hæc pendet ab alia, quam *diſp. ſequenti* diſcutiemus, an ſcilicet, cum indefinite aliqua conceditur indulgentia, quin expreſse pro vna vice reſtringatur, lucretur eam quis toties, quoties appoſuerit, media ad illam requiſita? Quare Villalob. *tom.1. tr.27. clauſ.1. n.3.* Rodriguez §.2. *dub.* 6. Diana *tr.* 11. *reſol.* 109. & alij iudicant, toties, quoties in bello exiſtens contritus, & confeſſus fuerit, lucrari indulgentiam propoſitam, eo quòd contritio, & confeſſio ſint media in præſenti requiſita, abſolutéque indulgentia concedatur, ſine reſtrictione ad vnicam vicem, vnde nec à nobis debet reſtringi. Quo ſatisfit ſuperiori quæſito.

7 Nihilominùs vrget ſcrupulus, quia media requiſita ad hanc indulgentiam lucrandam, non ſunt dumtaxàt contritio, & confeſſio, ſed perſeuerantia vſque ad anni expeditionis bellicæ finem; igitur, ſicut indulgentia non obtinetur, nondum appoſita confeſſione, & contritione, ita nec obtinebitur, nondum ea appoſita perſeuerantia; at appoſita, non poteſt niſi ſemel indulgentia obtineri, quia ſtatim alius incipit annus, pro quo anni præcedentis indulgentia non durat; ergo illa non obtinetur toties quoties; eſto aliæ obtineantur, quando non reſtringuntur; quia media ad eas exacta poſſunt ſæpe executioni mandari. Quare fine anni ea obtinebitur indulgentia.

8 Adhuc tamen pia, & benigna opinio vtcumque poſſe videtur ſuſtineri; quippè diuerſum medium eſt confeſſio, & contritio, ac cætera, quæ ſolent exigi; Contritio enim requiritur, vt quis ſe capacem reddat indulgentiæ, peccata deteſtando, ab eiſque abſolutus; imò indulgentiæ conceduntur, vt ſtimuli ad contritionem, & confeſſionem earum ſpe perficiendam; ideò poteſt aſſeri, requiri ita illas, vt ante eas operi mandatas non obtineatur indulgentia; non verò ita requiri alia media, ſeu conditiones, vt potè quibus homo non iuſtificatur; ſufficereque animum eas adimplendi, vt illicò poſt confeſſionem indulgentiam nanciſcatur; alioquin continget toto eo tempore non obtineri indulgentiam, ſi contritio, & confeſſio præceſſit, vltimaque conditio adimpletur ab homine non exiſtente in gratia, quam nempè poſt confeſſionem amiſit, ſi peccato lethali ſe maculauit. Et quidem ſat eſſe, exiſtere in gratia, tempore operis principaliter iniuncti, ſeu operis finalis; cætera enim remotè ſe habere, vt conditiones, vel diſpoſitiones, vſumque populi Chriſtiani ſit Papæ interpretari intentionem, docet P. Henriquez *l.7. de indulgent. cap.9. n.5.* cùm Caietano, & Nauarr. *notab.* 18. *n.*11. & 17. & *not.* 32. *n.*46. De quo nos *diſp.* 6.

9 Nondum animus quieſcit, ob duplicem rationem; primò, quia licèt in pluribus Iubilæis finale opus, & præcipuum ſit confeſſio, non tamen in aliis; vt videre eſt in anno Iubilæi ſancti, in quo opus præcipuum eſt peregrinatio ad Vrbem Romanam, & viſitatio liminum S. Petri, vt fatetur P. Henriq. *vbi nuper in gloſſ. litt. Y.* ſic ergo in præſenti præcipuum, & finale opus eſt perſeuerantia in bello, ſubſidiumque perſonale illius; vnde non obtinebitur indulgentia, vſquedum perficiatur. Nec obſtabit, tunc eſſe in peccato lethali; quia poſtquam liber ab illo gratiam homo recuperáuerit, effectus indulgentiæ, qui ſuſpenſus erat, remotò obice, vim ſortietur; quia pendet ex opere operato Chriſti, & ſanctorum remiſſio illa pœnæ per indulgentiam applicata: Quod ita tenent *ibidem* P. Henriq. *n.*2. Palud. *diſt.*20. *q.*4. Syluest. *verbo indulgentia* §. 7. *verſ.* 3. *num.* 32. Nauarr. *de indulgent. not.*17. *num.*2. & *not.*31. *num.*29. Quòd autem in indulgentiarum formulis dicatur, concedi verè pœnitentibus, ſatis ſuperque ſaluatur, aſſerendo, eas non prodeſſe vlli, dum peccator exiſtit, ſed dum per contritionem pœnitet. Sic etiam iuxta eoſdem Authores opus à confeſſario pro pœnitentia iniunctum, ſi ab homine peccatorè perficiatur, eo contrito, quoad remiſſionem ſatisfactionis reuiuiſcit, quia, vt eſt pars integralis ſacramenti, pertinet ad opus Chriſti.

10 Secundò contra dicta *num.*8. inſurgo; quia ſi contritio, & confeſſio ideò requiruntur ante indulgentiæ conſecutionem, non verò cætera media, quia per illas quis obicem tollit culpæ lethalis impedientis indulgentiam; ergo ſi quis non exiſtit in peccato lethali, cum ceſſet ea obicis ratio, lucrabitur indulgentiam & ante confeſſionem, & ante cætera media: Quod quidem abſonum eſt. Ex his deduco, ſpeculatiuè loquendo, hanc indulgentiam in præſenti conceſſam reſpicientem, vt opus principale, ſubſidium perſonale belli continuatum (morte, aut excuſatione graui non intercedente) ſolum ſemel obtineri poſt illud præſtitum opus; quantumvis aliæ indulgentiæ toties obtineantur, quoties opera finalia, præcipuaque perficiuntur. In praxi verò ſufficit authoritas, quam oppoſitus opinandi modus habet, vt excitentur fideles, ad pluries contritionem, confeſſionemque apponendas, ſpe indulgentiæ pluries obtinendæ; cum moderamine tamen, ne, vbi non

Digitized by Google

extant, indulgentiæ promulgentur; vt ſtatuit Tridentinum *ſeſſ. 25. decreto de indulgentiis.*

11 Facilè iam alia diſſoluitur quæſtiuncula; vtrum plures indulgentias lucrentur, qui Bullam accipiunt, an qui perſonale ſubſidium bello miniſtrant? Nec eſt ſermo de cæteris indulgentiis, quæ Bullæ decurſu conceduntur. Certum enim eſt, eodem modo illas lucrari proficiſcentem ad bellum, ac accipientem Bullam; eiſdemque indultis ac priuilegiis illum frui, ac hunc; cum ſubſidium etiam; & quidem æſtimabilius præſtet, quàm qui eleemoſynam pro Bulla taxata elargitur. Nec opus habet ad bellum pergens ſummarium Bullæ accipere (niſi aliquod quærat, ex quo ſua priuilegia diſcat) tum quia hoc non eſt à Pontifice iniunctum, tum quia Bullæ ſummarium annale non tribuitur, niſi eleemoſynam eroganti, quam pergens ad bellum erogare non tenetur, vt eſt manifeſtum. Dubitatio igitur eſt de hac indulgentia plenaria, quæ initio Bullæ ad bellum proficiſcenti conceditur; & quaſi relatiuè inferiùs ipſa etiam conceditur Bullam accipienti; eo ipſo quòd accipiat, cum aſſerat, ipſi ſemel in vita eam indulgentiam tribui?

12 Reſpondeo itaque in noſtra ſententia, cum ſemel ſolùm proficiſcens ad bellum (idem dic de mittentibus alios ſuis expenſis modo *in inferioribus* explanando) hanc indulgentiam obtineat, pares eſſe & proficiſcentem, & accipientem Bullam eleemoſynâ erogatâ; niſi quòd ille opus magis meritorium exercet; hic verò, vt ex verbis ipſius Bullæ liquet, duplicem quotannis poteſt accipere Bullam, ad effectum conſequendi bis eam indulgentiam; quod proficiſcenti aptari non poteſt; liber tamen manet, vt poſſit & ipſe miles vnam ſumere Bullam; ſicque bis etiam indulgentiam hanc obtinebit, & ratione profectionis & ratione eleemoſynæ, in Bullæ acceptione, erogatæ. At in ſententia eorum, qui tenent, proficiſcentem ad bellum toties quoties conteritur, culpaſque fatetur, indulgentiam hanc plenariam lucrari, in ea obtinenda excedit accipientem Bullam, cum hic non illam obtineat toties quoties; quod quidem fat à Pontifice exprimitur, dum concedit, poſſe ab illo, anno durante, ſecundam accipi Bullam, vt iterùm eam obtineat indulgentiam; cum eam acceptione iteratâ ad eum effectum opus non eſſet, ſi illam indulgentiam lucraretur toties quoties confiteretur, ratione primæ Bullæ acceptæ; ſi quidem etiam ad lucrandam ipſam ratione Bullæ ſecundæ, neceſſe eſt; vt conteratur, & confiteatur.

DISPVTATIO VI.

De indulgentia plenaria initio Bullæ Cruciatæ conceſſa.

His omnibus, quos diſp. præcedenti recenſuimus, quoſque ſequentibus enumerabimus concedit in Bulla Pontifex, *plenam omnium ſuorum peccatorum (ſi de illis corde contriti, & ore confeſſi fuerint, aut non valentes confiteri, id corde deſiderauerint) indulgentiam, & remiſſionem, quæ proficiſcentibus ad recuperationem Terræ Sanctæ quæque in anno Iubilæi concedi conſueuit.* In Hiſpana autem Bulla aſſeritur illis concedi: *La plenaria indulgencia, y remiſſion de todos ſus peccados (ſi dellos eſtuuieren contritos de corazon, y los confeſſaren de boca ò no pudiendo confeſſar, lo deſſearen de corazon) que ſe ha acoſtumbrado conceder à los que van à la conquiſta de la Tierra Santa, y en el año del Iubileo.* Hæc ſunt præſenti in diſputatione enodanda.

CAPVT I.

Præmittuntur aliqua de indulgentiis.

1 QVAMVIS non ſimus ex profeſſo de indulgentiis acturi, nihilominùs, vt clauſula prædicta rectè percipiatur, & ſimul agnoſcantur indulgentiæ, quæ decurſu Bullæ conceduntur, ne iterùm deinceps in eis exponendis immoremur, operæpretium erit, quædam ad amuſſim examinare, alia verò inter Authores communia, certa, aut probabiliora præmittere, atque ſupponere; quæ, qui cupiat lato perpenſa calamo, adeat Cardinalem Bellarminum, PP. Suarez, & Henriquez, Nauarrum, Cordubam, PP. Valentiam, & Vazquez, & omnes ferè, qui Theologiæ moralis ſummas edidere.

2 Præmittendum eſt primò: *indulgentiam eſſe pœnæ temporalis relaxationem, quam quis iuſtè pro peccatis propriis ſuſtinere debuiſſet, de theſauro communi Eccleſiæ, extra abſolutionem Sacramentalem, ad diuinam iuſtitiam perſoluendam, ſumptam à Prælatis Eccleſiæ.* Ita plures indulgentiam exponunt & rectè; aliis aliter, non tamen diuersè reipſa, illam definientibus. Dicitur *pœnæ temporalis relaxatio.* Etenim indulgentia non liberat à culpa, nec mortali, nec veniali, vt omnibus in confeſſo eſt, & probat rectè P. Suarez, *tom. 4. in 3. part. d. 50.* ſed à pœna quæ poſt culpam remiſſam adhuc in hac vita, vel in purgatorio ſoluenda foret. Nec liberat à pœna

lege

Digitized by Google

lege Eccleſiaſticâ ſtatuta in foro externo diſtincta à ſatisfactione ſacramentali ; vt videre eſt apud Nauarr. *notab.* 11. *de indulg.* 20. ſed in foro Dei. Nec à pœna æterna, quæ peccato mortali non remiſſo eſt annexa, in inferno ſuſtinenda ; ſed à temporali dumtaxàt ; quod eſt conſtantiſſimum *ex extrauag. vnigenitus, de pœnit. & remiſſ.*

3 *De theſauro communi Eccleſiæ.* Theſaurus Eccleſiæ ſunt tum ſatisfactiones ſuperabundantes Chriſti D. vt definitum eſt à Clemente VI. in extrauaganti *nuper* relata, & à Leone X. in Bulla contra Lutherum ; tum ſuperabundantes ſatisfactiones Sanctorum, vt ex verbis ipſorum Pontificum colligitur, & eruditè probatur à Cardinali Lugo *tom. de pæn. d.*27. *ſ.* 3. quas ſatisfactiones Deus in memoriæ ſuæ theſauro ſeruauit, vt ſimul cum ſatisfactionibus Chriſti acceptaret in pretium pro aliorum hominum debitis ; pro quibus Pontifex ſummus, ac Prælati claues theſauri habentes eas offerrent, vt quod illi pœnæ propter ſuas culpas debent, iuſtè ſolueretur. Quare indulgentia reſpectu viuorum eſt ſimul abſolutio à pœnæ debito ſolutioque pro pœna : reſpectu verò defunctorum eſt ſolutio pro pœna. Deus ergo, vt dominus operum, quæ à Sanctis geſta fuere, eorum ſuperabundantes ſatisfactiones pro aliis acceptat ; atque intuitu pœnarum quas illi ſuperabundanter ſunt paſſi, de condigno mouetur pro ſua in homines pietate, (potuit enim ſic non moueri) vt pœnas remittat, quas alij ſuis pro piaculis merentur.

4 *Extra abſolutionem ſacramentalem.* Quippè indulgentia non eſt ſatisfactio in pœnitentiæ Sacramento impoſita illud integrans, ſed extra illud conceditur ; imò, vt dicemus *c.* 6. liberat ab onere eiuſmodi ſatisfactionis adimplendæ. Demum *ſumpta à Prælatis Eccleſiæ.* Nam indulgentiæ conceſſio non eſt actus Ordinis, cum nec à Sacerdote ſubditos non habente concedi queat, nec opus ſit Ordine Sacro ad illam præſtandam ; vt patet ex Eccleſiæ praxi ; Cardinales enim Ordine Sacro non initiati indulgentias concedunt ; ſed eſt actus iuriſdictionis conceſſus Petro, eiuſque ſucceſſoribus in illis verbis Ioan 21. *Paſce oues meas :* Et quidem actus eſt iuriſdictionis, quamvis non niſi in voluntarium exerceri poſſit, ſicut & abſolutio Sacramentalis non ſolùm eſt actus Ordinis, ſed etiam iuriſdictionis, licèt non niſi voluntario conferri queat ; nam paſtus debet eſſe voluntarius, indulgentia autem per modum paſtus conceditur in præfatis Chriſti verbis iuxta communem Interpretationem.

5 Indulgentia definita aut eſt realis, alicui imagini, grano, vel cui ſimili conceſſa ; aut localis, alicui Eccleſiæ, Oratorio, vel Capellæ collata ; aut denique perſonalis, alicui perſonæ præſtita, vt eam in mortis articulo, vel in alio determinato euentu lucretur. Quælibet autem ex his ſubdiuiditur in indulgentiam totalem, & partialem. Totalis eſt ea, quâ totum pœnæ pro culpis remiſſis debitæ remittitur. Partialis autem, quâ pars ſolùm eiuſmodi pœnæ relaxatur. Et quia iuxta varias concedendarum indulgentiarum formulas, nunc plena indulgentia, nunc plenaria, aliquando pleniſſima nuncupatur, anſa fuit diſputandi, an idem hæ eſſent cum totali ? idemque eſſe, tenendum eſt cum Soto Cordub. & Medin. allatis, atque approbatis à P. Suar. *vbi ſuprà ſect.*4. Trullench §.1. *dub.*14. *n.*5. Cardinali Lugo *vbi ſup. ſ.*8. Etenim, vt vſus Eccleſiæ manifeſtat, plenaria indulgentia ea dicitur, quæ eſt totalis ; & ſub voce plenariæ reuocantur in anno Iubilæi omnes indulgentiæ totales à Sixt. IV. *in extrau. Quemadmodum, de pænit. & remiſſ.* Vnde cum Bonifac. VIII. *in extrauag. Antiquorum, eodem titulo* ait : *Non ſolum plenam, largiorem, imò pleniſſimam omnium ſuorum concedimus peccatorum* ; non intendit, eas indulgentias inter ſe diſtinguere, ſed clariùs veniæ beneficium exponere, ne vllus ſupereſſet ſcrupulus : & forſan condiſtinguitur in modo loquendi indulgentia plena, plenior, & pleniſſima, non quidem in ſe, aut in effectu remittendi pœnam, ſed in ſui cauſa ; Ad indulgentiam namque concedendam cauſa requiritur ; quæ grauior, & vrgentior in vnius, quàm in alterius conceſſione reperitur.

6 Dices ; aliquando conceditur indulgentia plenaria, additis ſimul aliquibus diebus, aut annis indulgentiæ ; at ſi illa eſſet totalis, fruſtrà adderentur ; igitur indulgentia plenaria non eſt totalis. P. Suarez *vbi ſuprà n.*9. ait, eam formulam conceſſionis indulgentiæ numquam à ſe viſam. Sed eſtò detur ; ſanè eiuſmodi conceſſio vel refertur ad diuerſam actionem, quam quis lucretur eam indulgentiam partialem, ante, vel poſt plenariam ; ac totalem ; tuncque veniam obtineat pœnæ debitæ pro peccatis denuò commiſſis, aut antecedenter quoad culpam non ablatis ; vel fit ea conceſſio, vt applicetur indulgentia pro defunctis per modum ſuffragij, quæ applicatio fieri nequit, niſi à Pontifice expreſſè concedatur.

7 Indulgentia partialis limitatur iuxtà poteſtatem, & voluntatem concedentis, eam ad tot dies, annos, aut quid huiuſmodi, coarctantis. Cuius coarctationis formula intelligetur, animaduertendo, per ſacros Canones fuiſſe olim ſtabilitas pœnas, & quidem acres, pro culpis ſuſtinendas ; ita vt pro hoc

Mendo in Bull. Cruciat.

Digitized by Google

peccato totidem dies, menſes, aut anni pœnitentiæ, pro illo plures, aut pauciores imponerentur; eiſque diebus, menſibus, aut annis illa exercerentur opera pœnalia, quæ Confeſſarius prudens arbitraretur; quæ fideles æſtu pij feruoris acti tunc integrè adimplebant. At frigeſcente in dies feruore, indulgentiæ remedio fuit opus, quæ ab eo onere liberaret peccantes, remiſsâ per eam pœnâ, quæ per opera illo tempore pœnitentiæ deſtinata, ſi peragerentur, eſſet remittenda. Quare, licèt nunc pœnitentiæ illæ non imponantur, perſeuerat formula eadem concedendi indulgentias. Idemque eſt, largiri v. g. quadraginta dies indulgentiæ, ac largiri indulgentiam, qua remittatur ea pœna purgatorij, quæ erat remittenda, ſi quis quadraginta dies pœnitentiæ per ſacros Canones ſtatutæ perageret.

8 Totalis indulgentia pœnam integram remittit, dum tamen fuerit culpa remiſſa. Vnde, licèt quis in vita, & in articulo mortis indulgentias plenarias obtinuerit, adhuc ſupereſſe pœna poteſt, quam in Purgatorio ſubeat. Etenim, ſi de aliquibus, aut pluribus culpis venialibus non doluit, non fuerunt ei remiſſæ, indeque nec remiſſionem pœnæ valuit obtinere, quæ ſupponit remiſſionem culpæ. Vt enim communiter Theologi tenent, poſt peccatum veniale actuale non ſolùm manet reatus pœnæ temporalis (vt Scotus fuit opinatus) qui ſanè poſſet per indulgentiam tolli; ſed remanet peccatum habituale; reatus autem pœnæ intimè coniunctus eſt culpæ; hacque perſeuerante, ille auelli non poteſt; imò nec Deus poteſt facere, vt homo, dum culpa fœdatur, pœnæ non ſit dignus, licèt poſſit nolle, pœnam infligere, etiam culpa durante.

9 Aliquando indulgentiæ plenariæ additur *de pœnitentiis iniunctis*. Quam etiam clauſula non appoſita, aſſerunt Durandus, Paludan, Caietan. Petrus Soto allati à P. Suarez *vbi ſuprà ſ. 3. n. 2.* per indulgentiam plenariam non remitti pœnas, niſi eorum peccatorum, quæ ſunt in Sacramento manifeſtata, & pro eis à Confeſſario pœnitentia iniuncta. Sed, cum Pontifex ad id illam indulgentiam non reſtringat, nec nos reſtringere debemus; maximè cum Pontifices poſſint eam extendere ad pœnas debitas pro peccatis extra Sacramentum remiſſis, & ſoleant in conceſſione hanc addere clauſulam; *quantum claues ſe extendere poſſunt*. P. Suarez tuetur, etiam additam clauſulam *de pœnitentiis iniunctis*, omnes pœnas abſolutè remitti. Nihilominùs in hoc caſu, verior ſententia eſt eam ſolam pœnam remitti, quæ eſſet remittenda, ſi pœnitentiæ pro peccatis ad Sacramentum adductis iuxta Sacros canones adimplerentur. Sic cenſent communiter Theologi *in 4. d. 20. & 45.* Canoniſtæ *in c. quod autem, de pœnit. & remiſ.* Nauarr. *comment. de indulg. notab. 11. n. 13.* P. Henriquez *l. 7. de indulg. cap. 6. n. 3.* cum pluribus à ſe allatis *in gloſ. lit. M* Cardin. Lugo *vbi ſuprà, ſ. 2.*

10 Quippè indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant, vt eſt commune proloquiũ, & cùm Pontifex eas reſtringere queat, reſtrictionemque expreſsam apponat, non eſt fundamentum ad eas ampliandas. Nec obſtat, in hoc caſu minores eſſe pœnas, quæ ſoluendæ reſtant, quàm eas, quibus per iniunctas pœnitentias erat ſatisfaciendum. Nam rectè ſtat, remitti pœnas maiores, quin minores remittantur. Tunc etenim cui conceditur plus, intelligitur concedi minus, quando minus eſt annexum maiori, aut incluſum in illo; ſeu cum maius abſque minori obtineri non poteſt. Sic cui conceditur facultas (quo exemplo non aptè pro ſe vtitur P. Suár.) ad abſoluendum à reſeruatis, conceditur ad abſoluendum à non reſeruatis, quia ab illis ſine his abſolutio præſtari nequit; & ſimiliter cui diſpenſatio tribuitur ad Sacerdotium, ad inferiores Ordines ob eamdem rationem tributa cenſetur. Nec refert, eum, qui diligens fuit in adimplendis pœnitentiis in confeſſione ſibi iniunctis, non tantum lucrari, quantum lucrabitur negligens, qui eas non adimpleuit? Nam Pontifex in eiuſmodi conceſſione non attendit ad maius commodum diligenti præſtandum, ſed ad vitanda pericula non adimplendi ob fragilitatem humanam pœnitentias iniunctas; cum grauiſſimæ pœnitentiæ olim apud ſacros canones ob lethalia peccata fuerint impoſitæ, & ingens ſit pœna eis in Purgatorio correſpondens, quæ tota remittitur. Et præterea ſæpè ex aliquibus indultis plus commodi negligens reportat, quam diligens; vt patet in duobus hominibus, qui peregrinationem piam vouerunt, alterque eam perfecit, cui per nouum Iubilæum ſuperuenientem, & facultatem, ad vota commutanda præſtantem, commutatio ſui voti nequit tribui, poteſt verò alteri, qui negligens peregrinationem adhuc non cœperat.

11 Ex his liquet, conceſſiones indulgentiarum, quas Prælati inferiores præſtant, quadraginta, aut octoginta dierum, vel ſimiles (idemque eſt, ſi ſub determinati temporis formula à Pontifice fiant) eſſe de pœnitentiis iniunctis. Cum namque id tempus, iuxta communem ſententiam, non poſſit ſignificare annos, vel dies Purgatorij (maximè cum ſoleat tot mille annorum indulgentia concedi, quot Purgatorium non durabit; ſequereturque abſurdum, eam indulgentiã, cum ſit partialis, eſſe plenariam in re, atque totalem, licèt non

Digitized by Google

non in nomine) non reſtat, quid ſignificet, niſi per eas indulgentias remitti pœnas, quæ remittendæ forent, ſi peragerentur totidem dies, aut anni pœnitentiæ deputatæ in ſacris Canonibus pro culpis lethalibus. Non tamen indè fit, nequire Pontificem remittere media indulgentia alias pœnas, eamque extendere ſine limitatione prædicta de iniunctis pœnitentiis. Nec obſtat *textus in c. cum ex eo, de pœnit. & remiſ.* vbi, poſtquam Pontifex concedit Epiſcopis facultatem largiendi indulgentias de pœnitentiis iniunctis, addit, etiam Pontifices ipſos hanc moderationem obſeruare conſueuiſſe. Nam hoc non tollit, Pontificem poſſe vltrà extendi; imò verba ipſa denotant, eſſe in Pontificibus poteſtatem ad vlteriores indulgentias elargiendas, ſed moderamine debito ea vti? antiquitùs enim rarò eas præcipuè totales, concedebant. Cæterùm majores adhuc largiebantur, quàm eas, quas concedendi facultatem Epiſcopis *in eo capite* præſtant; vndè ex eo non probatur, non poſſe vltrà Pontifices extendi.

12 Reperitur aliquando in plenariis indulgentiis, & in Iubilæis formula quædam, nempè lucrantes liberari à culpa, & à pœna, quod explicatione indiget. Et in primis, ſi in eis aſſeratur dumtaxat, liberari à culpis, intelligi debet, ſumptâ cauſâ pro effectu; à pœnis debitis propter culpas: Quo ſenſu exponitur illud 1. *Machabæor.* 12. vbi Iudas Machabæus iuſſit offerri drachamas pro defunctis, ſalubremque aſſeritur ibi, cogitationem eſſe, pro eis exorare, *vt à peccatis ſoluantur*; id eſt, à pœnis propter illa debitis. Deindè cùm exprimitur à culpa, & à pœna lucrantes indulgentiam liberari, ità accipiendum eſt, vel iubilæum afferre facultatem, vt quævis culpa in confeſſione abſoluatur à confeſſario approbato, ablatâ aliquâ, vel omni reſeruatione; & illicò per indulgentiam remittatur pœna; vel indulgentiam ſupponere remiſſam culpam, vt ſuum ſortiatur effectum remittendi pœnam, ideóque eſſe abſolutionem à culpa, & à pœna. Etenim, licèt per indulgentiæ adeptionem piam, ſicut per Sacramentalia, poſſit Deus induci, vt moueat, excitetque peccatorem ad dolorem de peccatis, vt ſic ei remittantur (quod dici poteſt mediata remiſſio per indulgentiam.) tamen ex opere operato per indulgentiam nequaquam remittuntur; non enim remitti queunt ſine aliqua peccatoris retractatione, & abſque gratia, ſaltem de poteſtate ordinaria Dei; gratia autem confertur vel in Sacramento pœnitentiæ homini diſpoſito per actum doloris imperfectum, ſeu attritionem; vel extra Sacramentum per dolorem perfectum contritionis (loquor de prima gratia iuſtificante), quàm gratiam indulgentia non cauſat, nec affert ſecum actum illum doloris liberum homini.

13 Indulgentiam plenariam confundit vulgus cum Iubilæo; ſoletque aſſeri, in tali Eccleſia, hoc, aut illo die, eſſe Iubilæum pleniſſimum; qui tamen non eſt, niſi indulgentia plenaria, confusâ acceptione vtriuſque; Qui vel abuſus eſt, vel acceptio lata. Nam Iubilæus amplius extenditur, quàm indulgentia plenaria. In lege veteri vocabatur Iubilæus annus remiſſionis, qui erat quinquageſimo quoque anno; indeque deſumpta eſt vox ad ſignificandum Iubilæum, quem euntes Romam lucrabantur anno à Pontificibus ſtatuto, qui quidem varias habuit intercapedines, nunc verò vigeſimo quinto quoque anno obtinetur; deinceps etiam eadem voce alij Iubilæi nuncupantur. Vide dicta *diſp.* 1. *n.* 46. *& ſeq.* Iubilæus ergo eſt conceſſio indulgentiæ plenariæ, & facultatis eligendi confeſſarium pro his, vel illis reſeruatis culpis abſoluendis; aut votis commutandis; vel ſimilium. Qui ſpeciali indulto cum grauibus circunſtantiis, pro determinato tempore, certiſque conditionibus conceditur; v. g. vt proceſſio, aut ieiunium, vel peregrinatio, ſeu alia huiuſmodi peragantur. Quæ omnia in indulgentia plenaria præcisè ſumpta non reperiuntur; pœna tamen pro peccatis debita non ampliùs per Iubilæum, quàm per indulgentiam plenariam ex opere operato remittitur. Videantur de his Authores, quos refert Bonacina *tom.* 1. *d.* 6. *à puncto* 1. & alij communiter. Hinc Bulla Cruciatæ non vocatur Iubilæus, quia licèt contineat indulgentias, & facultates, non tamen ſpeciali indulto pro tempore determinato cum ſingularibus circunſtantiis, & conditionibus tribuitur, ſed fit ſine interruptione conceſſio illius à Pontificibus ad plures annos; in ſingulisque poteſt quilibet, quo maluerit die, eam ſumere, eiuſque facultatibus vti.

14 Colligitur manifeſtè ex poſitis, neceſſum eſſe, in gratia exiſtere eum, qui lucratur indulgentiam ſibi. Cum enim per illam pœna debita peccato remittatur, peccatoque duranti ſit annexum inſeparabiliter debitum pœnæ, non poteſt hoc tolli, peccato priùs non ablato, nec ſuſpenditur effectus indulgentię vſque ad tempus, quo peccatum remittatur; tum quia Pontifex per conceſſionem indulgentiarum intendit, peccatores excitare, vt à peccatis mundentur, ita vt non aliter eas obtineant, quàm ſi priùs per pœnitentiam ad ſtatum gratiæ deuenerint; tum quia indulgentia remittit pœnas ex opere operato; vbi autem non eſt capacitas remiſſionis pœnæ, nihil

Digitized by Google

peragit. Et alioquin ſequeretur, eum, qui dolens dumtaxat de mortalibus indulgentiam plenariam obtinuit; ſi poſteà de venialibus doleat, per eamdemmet indulgentiam, quæ effectum ſortita eſt, pœnæ venialibus debitæ remiſſionem adipiſci, quod nemo non iudicabit abſurdum, & contra Pontificum mentem indulgentiæque naturam.

15 In Iubilæis, in quibus plura peraguntur opera, vt indulgentia plenaria obtineatur, ſufficit, exiſtere in gratia, dum vltimum opus peragitur. Videatur præter alios P. Quintanadueñas in docto Libello de caſibus occurrentibus in Iubilæis duarum hebdomadum, hiſpanico idiomate, *cap.* 3. Dixi *ſupra*, debere exiſtere in gratia eum, qui lucratur indulgentiam ſibi; nam etiam ſunt indulgentiæ ſpecialiter conceſſæ pro defunctis, quas viui obtinent, eiſque applicant. Ad quarum effectum adiſpiſcendum, an ſit neceſſarius ſtatus gratiæ in viuo eas applicante, ſeu opera iniuncta, à Pontifice exequente, exponemus *inferiùs* in explicatione Bullæ defunctorum, vbi de his indulgentiis agemus, *diſp.* 36.

16 Eſſe in Eccleſia militante poteſtatem concedendi indulgentias, de fide eſt, contra Lutherum, Caluinum, alioſque hæreticos antiquiores, & coæuos, qui illas impugnauere; vt videre eſt apud Cardin. Bellarmin. *l.* 1. *de indulg. a c.* 1. P. Granad. *in* 3. *p. controu.* 12. *tr.* 1. *d.* 3. vbi alios refert copioſè de hoc ventilantes. Et, vt alia teſtimonia omittamus, ſufficiat Tridentinum *ſeſſ.* 25. *decreto de indulgentiis* aiens: *Cum poteſtas conferendi indulgentias à Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit, atque adeò huiuſmodi poteſtate diuinitus ſibi tradita, antiquiſſimis etiam temporibus, vſa fuerit.* Plura alia Concilia, & Eccleſiæ Patres eamdem veritatem firmant, quos congerunt prædicti Authores. Eamque vſus Eccleſiæ manifeſtat; nec in re tanti momenti, credibile foret, Pontifices erraſſe; qui non quadringentis ab hinc annis, vt hæretici volunt, ſed multis antè ſæculis indulgentias conſueuere largiri; vt ex præfatis Tridentini verbis conſtat, & ex *c. Romana, de pœnit. & remiſſ. in* 6. *Clementina vnica, de Reliquiis, & veneratione Sanctorum*, D. Thom. 3. *p. q.* 25. *art.* 2. & ex eius Interpretibus *ibi*; Baronio *tom.* 10. *in Leone IV. anno* 847.

17 Pro tota Eccleſia poteſt Pontifex indulgentias concedere, vt vniuerſalis paſtor, Chriſti Vicarius, cui ab illo claues cœli, theſaurique Eccleſiæ ſunt traditi, oueſque, paſcendæ commiſſæ. De iure autem diuino in nullo alio poteſtas elargiendi indulgentias inuenitur; non in Concilio generali, cum promiſſio illi à Chriſto facta non fuerit; nec illud, niſi dependenter à Pontifice, iuriſdictionem habeat; Non in Epiſcopis, Archiepiſcopis, &c. Vt probat Cardinal. Lug. *d.* 27. *de pœn. ſ.* 8. §. 1. & P. Suar. *tom.* 4. *in* 3. *p. d.* 55. & colligitur ex *extrauaganti Vnigenitus, de pœn. & remiſſ.* vbi theſaurus Eccleſiæ per B. Petrum euiuſque ſucceſſores aſſeritur fidelibus diſpenſandus. Et ſanè ſi de iure diuino competeret eis Prælatis poteſtas concedendi indulgentias, eaque in illis ortum haberet à Chriſto D. vt habet iuriſdictio ſpiritualis ad abſoluendum, non licuiſſet Pontificibus, adeò eam poteſtatem limitare, ſicut non licet iuriſdictionem. Quia tamen facultas, quam Pontifices Epiſcopis præſtiterunt, vt aliquas indulgentias concederent, horum officio eſt annexa, ideò dicitur ordinaria, ſeu quaſi ordinaria, & conſequenter delegabilis; Ea tamen non extenditur ad Capitulum Sede vacante, nec ad Abbates, iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes; nec ad Prælatos Religionum. De quibus P. Suar. *vbi nuper*, P. Henriq. *l.* 7. *de indulg. c.* 31. *n.* 4. Anton. Gom. *in explic. Bull. c.* 4.

18 Quin nec extenditur poteſtas, quæ à Pontificibus conceſſa eſt Epiſcopis ad indulgentias elargiendas, eorum Vicariis generalibus; quamvis enim eorum tribunal ſit idem cum Epiſcoporum tribunali; tamen in generali commiſſione, quia præſtat Epiſcopus Vicario non continentur ea, quæ in ſpecie non concederet; non autem concederet in ſpecie eam facultatem (licet delegare poſſit) cum experientia doceat; nullum Vicarium indulgentias concedere; ex perſuaſione ſanè, quia cenſent, eam ſibi non fuiſſe commiſſam poteſtatem.

19 Poteſt Epiſcopus quadraginta dies indulgentiæ concedere; nomine autem Epiſcopi etiam Archiepiſcopus in præſenti intelligitur vt infertur ex *c. noſtro, de pœn. & remiſſ.* qui in tota ſua Prouincia eos quadraginta dies poteſt concedere, quamvis eam non viſitet. Etenim, dum viſitat, & item in ſua diœceſi octoginta dies, concedere valet; idemque poſſunt Primates, & Patriarchæ. Quod ſi plures dies concedant, valida erit indulgentia quoad dies ſibi permiſſos, quia vtile per inutile non vitiatur, non verò quoad cæteros; vt liquet ex *c. noſtro, c. cum ex eo, de pœnit. & remiſſ. c. vltimo, eodem tit. in* 6. In Eccleſiæ dedicatione vnum annum indulgentiæ poſſunt concedere pro illo die. Vt conſtat ex *dicto cap. cum ex eo.* Nequeunt autem plures Epiſcopi ad Eccleſiæ conſecrationem concurrentes plus concedere, quam vnus. Nec ſucceſſor Epiſcopi poteſt alios dies indulgentiæ concedere propter eamdem cauſam, propter quam anteceſſor quadraginta iam conceſſit; poteſt verò quiuis eos dies propter diuerſas cauſas ſæpius conce-

dere

Digitized by Google

dere. Idem dic de Archiepiſcopis, & aliis, proportione ſeruatâ. Cardinales, qui ſunt Epiſcopi, item & Pœnitentiarij Papæ centum dies indulgentiæ poſſunt largiri. Videantur Nauarr. §.*in leuitic. notab.*31. Trullench *dub.*2. *proœm.* P. Henriq. *c.*32.

20 Pontifex poteſt, cui maluerit, facultatem committère ad concedendas indulgentias, dum ſit capax clauium; incapax autem eſt ſaltem de iure Eccleſiaſtico, fœmina, & vir non baptizatus. An autem iure naturali diuino ſint illi incapaces, prolixa eſt, & aliò pertinens duſputatio, quæ ab Authoribus ſolet diſcuti *in tract. de cenſuris*; dum inquirunt, an illi ſint capaces proferendi cenſuras? Poſſe autem Pontificem præfatam facultatem committere, ex eo liquet: Cum enim Pontifex habeat ordinariam iuriſdictionem poteſt eam ſubiecto capaci actus iuriſdictionis delegare. Hinc Legatis extraordinariis à latere ſolet ampliorem committere facultatem; ſic præter alia, Cardinalis Barberinus miſſus in Hiſpaniam ab Vrbano VIII. ad potentiſſimum noſtrum Regem Philippum IV. facultatem attulit concedendi indulgentiam plenariam pro vna vice, etiam in anno Iubilæi.

21 Sæpè autem Pontifex eam facultatem variis perſonis committit. Sic poſſunt Patribus noſtræ Societatis IESV ad Congregationem Generalem proficiſcentibus Confeſſarij proprij indulgentiam plenariam concedere, aut tunc, aut infrà viginti dies. Et Prouinciales, peractâ viſitatione, valent concedere omnibus cuiuſlibet domus ex noſtris eamdem indulgentiam. Etenim vt ex Bullis Apoſtolicis in Societatis fauorem expeditis eſt apertum, communicatiò nobis præſtita fuit omnium gratiarum, quibus alij Sacri Ordines gaudent: Prima autem indulgentia ex præfatis conceſſa fuit à Sixto V. Ciſtercienſibus; ſecunda Minoribus à Leone X. vt affertur in Compendio priuilegiorum Societatis, *verbo indulgentia.*

22 Vt indulgentia ſit valida, opus eſt, vt detur cauſa pia, propter quam expediatur, in quo omnes Theologi conueniunt; nam Pontifex, & quiuis alius poteſtate concedendi indulgentias vtens, non eſt diſſipator, ſed diſpenſator fidelis theſauri Eccleſiæ, nec ei commiſſus eſt à Chriſto D. vt diſperderet, ſed vt fideliter diſtribueret. Si autem ad ſit pia cauſa etiam ſi finis extrinſecus concedentis eſſet deprauatus, & à pecunia ſibi eroganda extrinſecè ille moueretur, ideoque illicitè ageret, tamen valida eſſet indulgentia; vt tenet Cordoua *de indulg. q.*20. nam finis extrinſecus prauus non refunditur in ipſam indulgentiæ conceſſionem.

23 Pia autem cauſa requiſita non ita eſt accipienda, vt ſit aliquid, quod hominem reddat dignum maiori, vel minori indulgentia; quæ proportionis quantitas debet intelligi excludi à D. Th. 3.*p. q.*25. *art.*2. dum docet, quamlibet piam cauſam ad valorem indulgentiæ eſſe ſufficientem. Etenim ex ſatisfactionibus Chriſti, & Sanctorum indulgentia conceditur, & propter illas ſit pœnæ remiſſio, non propter cauſam, & cooperationem noſtram, tamquam per quid condignum. Nihilominùs non ſufficit quælibet cauſa pia, ſed requiritur proportionata, ita vt quò maior fuerit indulgentia, ſit & vrgentior cauſa. Ita S. Bonau. *in* 4. *d.*20. *q. vlt.* Sot. *d.*21. *q.*2. *art.*2. Cardinalis Bellarmin. *l.*1. *de indulg. c.*12. & plures, quos refert, & ſequitur P. Granad. *vbi ſuprà tr.*3. *d.*2. Et probatur, quia neceſſitas cauſæ piæ ad indulgentiam concedendam oritur ex eo, quòd Pontifex non eſt dominus, ſed fidelis diſpenſator theſauri Eccleſiæ, quæ ratio etiam probat, ad maiorem indulgentiam maiori opus eſſe cauſa; alioquin ob leuiſſimas cauſas pias poſſet Pontifex innumeras indulgentias plenarias concedere; quod eſt abſurdis redundans.

24 Hinc laudandus eſt vſus fidelium, qui cum non nimis ſollicitentur de pluribus indulgentiis plenariis, quæ occurrunt frequenter, tamen ſeduli conantur lucrari aliquas, vt ſunt eæ, quæ in Iubilæis duarum hebdomadum, Portiunculæ, & ſimilibus continentur; quia conſtat, in his eſſe cauſas pias vrgentiores, & ſufficientes, & quamvis idem ſit præſumendum de cæteris, potuit fortè in illis cauſa ſufficiens non eſſe; atque etiam dubium aliquod poteſt dari circa certitudinem conceſſionis, quod dubium de illis aliis non extat. Cæterùm in indulgentiis plenariis de quibus conſtat & conceſſio, & cauſa pia, perperam à vulgo diſcrimen confingitur, quaſi vna ſit maior, quàm alia; & ideo vnam potiùs, quam aliam lucrari conantur; namque certum eſt, indulgentias plenarias eſſe æquales, nec plus lucrari, qui obtinet indulgentiam, ſeu vt vulgò dicitur, Iubilæum Portiunculæ, aut Quadraginta horarum, quàm qui obtinet Iubilæum in templo Prædicatorum, die Sancti Dominici, aut in templo Societatis die Protoparentis S. Ignatij.

25 Vulgus etiam valdè errat circa abſolutionem generalem, quæ diebus per annum ſtatutis concedi ſolet in templis Sacrorum Ordinum Trinitatis, & B. Mariæ de Mercede: Ea autem abſolutio non eſt aliud, quàm conceſſio, ſeu communicatio indulgentiæ plenariæ ad eos omnes, qui in ſtatu gratiæ exiſtentes illuc ad eam accipiendam acceſſerint, ſimulque alia requiſita, ſi quæ ſint, ad eam lucrandam peregerint; ſeu eſt vltimum opus

Digitized by Google

opus, aſſiſtentia ad eam abſolutionem, requiſitum, vt illa indulgentia obtineatur. Nullus ergo exiſtimet, tunc à culpis abſolui.

26 Quando eſt poteſtas in concedente cauſa pia ſufficiens, ſtatus gratiæ in obtinente, omniaque opera ab illo ſunt modo debito peracta, certiſſimum eſt, indulgentiam ab illo obtineri; quia indulgentiæ tantum valent, quantùm ſonant; nec eſt, vnde limitetur effectus, cum theſaurus Eccleſiæ ſit inexhauſtabilis, & cætera requiſita adſint. Quare eo caſu omnes Theologi conueniunt in eo, quòd infallibiliter quis lucratur eam indulgentiam, quæ conceſſa eſt, ſiuè plenariam, ſiuè partialem. Vndè non rectè Nauarr. *commentar. de indulg. notab.* 15. poſuit, eſſe doctrinam communem, eum plus lucrari, prout plùs deuotè exequitur opus, vel diutiùs, aut copioſiùs. Etenim hoc ſolùm eſt verum, quando conſtat de mente Pontificis, voluiſſe ſuppleri defectum aliquem cauſæ per ipſa opera lucraturi indulgentiam; quod niſi conſtet, non eſt præſumendum; cum non innitatur præcipuè indulgentiæ certitudo, & conceſſio in operibus, ſed in theſauro Eccleſiæ ſemper inexhauſto, ad quem aperiendum poteſt eſſe cauſa ſufficiens, etiam ſi non imponatur opus difficile, ſed facile. Certum tamen eſt, plùs gratiæ, & gloriæ ex opere operantis obtenturum eum, qui plùs deuotè, ſedulò, & diutiùs opera impoſita, vt eleemoſynam, aut orationem perfecerit. Quo ſenſu intelligenda ſunt verba Extrauagantis *Antiquorum, de pœnit. & remiſſ.* vbi concedens Bonifacius Pontifex indulgentiam plenariam ſubjungit: *Vnuſquiſque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficaciùs conſequetur, qui Baſilicas ipſas ampliùs, & deuotiùs frequentauerit.* Scilicèt, quia ille, quantum eſt ex ſe, magis ſe diſponit ad fructum indulgentiæ obtinendum, nempè relaxationem totius pœnæ, dum plus ſibi gratiæ comparat, non verò quia cæteri eam etiam relaxationem, omnibus ibi abſque diſtinctione conceſſam non obtineant.

27 Indulgentiæ an latè, an ſtrictè ſint interpretandæ, variant Authores. Nos latè interpretandas eſſe aſſeruimus; & probauimus iam *ſuprà diſp. 1. à num.* 49. Indulgentiæ valor ceſſat, poſtquam ſemel obtenta eſt, ſi pro vna vice dumtaxàt eſt conceſſa; item & per reuocationem concedentis eo modo quo *d. 2. à cap.* 5 tradidimus, hic enim *ibi* dicta proportionatè aptantur. Ceſſat etiam per deſtructionem rei, vel loci, cui indulgentia erat affixa. Cum autem amittitur aliquod granum, ſeu imaginuncula, cui erat conceſſa indulgentia, cum facultate, vt, ea amiſſa, alia ſubſtitueretur; tunc, ſi amittatur, poteſt ſubſtitui. Quâ ſubſtitutâ, ſi prima reperiatur, ait Cardinalis Lugo *tom. de pœnit. d.* 27. *num.* 150. ſubſtitutæ poſteriori, non verò primæ affigi indulgentiam, quia fuit illa ritè electa, poſitâ conditione amiſſionis primæ, cuius ſtatim indulgentia ceſſauit. Contrarium cenſeo; quippè primariò, & principaliter fuit conceſſa indulgentia primæ, ſolumque ſecundæ conceditur, ſi illa amittatur, cum autem reperitur, iam ceſſat ratio, vt in ſecunda ſit, quæ indulgentiam habuit dumtaxàt in primæ defectum; repertâ verò primâ, non eſt defectus illius. Non ergo iudicanda eſt ea indulgentia in perpetuum conceſſa ſecundæ, ſed ſolum vt ſubſtitutæ alterius principalis; natura autem ſubſtituti eſt vt aduenientе principali, in munere ceſſet.

28 Indulgentia morte concedentis non ceſſat, ſicut de aliis priuilegiis diximus *d.* 2. *c.* 5. Nec ceſſat per renuntiationem eius, qui poteſt illam obtinere; nam, licèt poſſit non lucrari, tamen per ipſius voluntatem non poteſt impediri valor proueniens ab applicatione theſauri Eccleſiæ, niſi fortè renuntiatio eiuſmodi acceptetur à concedente, tunc enim reuocata per eum cenſetur in ordine ad renuntiantem. Nec ceſſat, etiam ſi ceſſauerit cauſa pia, propter quam fuit conceſſa; vt ſi concedatur propter extirpationem alicuius hæreſis, & hæc poſt conceſſionem fuerit extirpata; nam motiuum non fuit perſeuerantia cauſæ, ſed ea cauſa tempore conceſſionis exiſtens, quæ ſufficiens tunc fuit, vt pro toto tempore ſequenti indulgentia concederetur; vt rectè aſſerit Cardinalis Lugo *vbi ſuprà num. vltimo.*

CAPVT II.

Quæ ſit indulgentia initio Bullæ Cruciatæ conceſſa?

29 PErſonis *diſp.* 5. expoſitis, & in inferioribus exponendis, nempè euntibus, aut mittentibus ad bellum contra infideles propriis expenſis, concedit Pontifex plenam ſuorum peccatorum indulgentiam, & remiſſionem. Ex dictis *cap. præcedenti* liquet, hanc eſſe indulgentiam totalem plenariam, ſeu pleniſſimam, quantum claues ſe extendere poſſunt, & non ſolùm de pœnitentiis injunctis, cum non reſtringatur, ſed remiſſionem eſſe totius pœnæ debitæ peccatis remiſſis quoad culpam. Quod voluit apertiùs declarare Pontifex, cum addidit, eam indulgentiam obtineri à præfatis perſonis, quam obtinent, qui ad recuperationem Terræ Sanctæ proficiſcuntur, & qui anno Iubilæi Romam petunt. Quibus verbis non additur aliquid indulgentiæ ſuprà indulgentiam plenariam; cum ſuprà hanc, nēpè ſuprà totius pœnæ relaxationem

Digitized by Google

relaxationem nihil vltrà reſtet addẽdum reſpectu eiuſdem actionis, & perſonæ; ſed declaratur, indulgentiam hanc eſſe eiuſdem rationis cum illa Iubilæi, & Terræ Sanctæ; vt fideles ex ea æquiparatione concipiant, quàm magna ſit, & excitentur ad peragendum id, quod requiritur ad ipſam lucrandam.

30 Ob hanc etiam rationem additur in aliquibus indulgentiarum conceſſionibus lucrantes obtinere indulgentiam plenariam, quæ obtinetur viſitando pia Hieroſolimorum loca, Baſilicas Romæ, & alia huiuſmodi. In quibus errat vulgus, dum exiſtimat, quid addi ſupra indulgentiam plenariam, & eas eſſe maiores, quàm alias plenarias indulgentias; errorque prouenit ex ignorantia fructus indulgentiæ plenariæ. Quia tamen, eis clauſulis additis, plus excitantur ad opera peragenda fine obtinendi indulgentiam, concipiuntque magnum aliquid, quod non eadem æſtimatione apprehendunt de quavis plenaria indulgentia, ideò illæ clauſulæ ſubnectuntur.

31 Indulgentiæ autem conceſſæ proficiſcentibus ad recuperationem Terræ Sanctæ, de quibus fit mentio hoc Bullæ initio relatæ fuere à nobis *ſuprà d. 1. à n. 18.* Indulgentia autem anni Iubilæi conceſſa proficiſcentibus Romam, ibique opera aliqua pia exequentibus plenaria eſt, vt conſtat ex iuribus ſtatim afferendis. Iubilæum hunc conceſſit Bonifacius VIII. anno milleſimo, treceteſimo, volens, vt deinceps centeſimo quoque anno illum fideles obtinerent; vt extat *in extrauaganti Antiquorum, de pœnit. & remiſ.* Poſteà verò Clemens VI. conceſſit, vt anno quinquageſimo ſequenti ad illum milleſimum treceteſimum, & deindè quinquageſimo quoque anno Iubilæus ille obtineretur; ne in lege Moſayca largior fuiſſet remiſſio, quàm in lege gratiæ, cum in illo quinquageſimo quoque anno fuerit Iubilæus, annuſque remiſſionis. Sic legitur *in extrauaganti vnigenitus, eodem tit. de pœnit. & remiſ.* Deindè Martinus V. tempus hoc magis abbreuiauit: & Paulus II. reduxit ad viceſimum quintum quoque annum. Quod confirmauit Sixtus IV. reuocans eo anno omnes plenarias indulgentias. Videatur gloſſa *in addition. in dicta extrauag. vnigenitus*; & Iacobus de Zochis *in repetitione c. omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſion. in vltima parte.* Igitur hæc indulgentia Terræ Sanctæ, & anni Iubilæi, quæ plenaria eſt, initio Bullæ Cruciatæ extat conceſſa.

CAPVT III.

An ad lucrandam indulgentiam initio Bullæ conceſſam requiratur confeſſio actualis?

32 INdulgentia nuper expoſita conceditur in præſenti ea conditione, ſi lucraturi eam, de peccatis corde contriti, & ore confeſſi fuerint, aut non valentes confiteri, id corde deſiderauerint. Ex quibus verbis illud liquet in primis, ſufficere ad adipiſcendam hanc indulgentiam, votum, deſideriumvè confeſſionis, quando quis ſua peccata confiteri non valet. Cæterùm eſt diſſidium, an, quando valet quis ea confiteri, debeat ſtatim id præſtare, vt præfatam obtineat indulgentiam, cum primò Bullam accipit, vel ſufficiat elicere contritionem, in qua includitur votum confeſſionis ſuo tempore faciendæ, nempè cum præceptum illius inſtet?

33 Prima ſententia eſt, quotieſcumque indulgentia conceditur, ſub his verbis *contritis, & confeſſis*: non requiriri confeſſionem actualem, ſed contritionem ſufficere, vt ea indulgentia obtineatur. Ita D. Antonin. Supplementum Gabriel. Paludan. Gerſon, Cardinalis, Ioannes Andreas, Abbas, Felinus, quos cum aliqua in hoc ipſo diuerſitate ſentientes refert P. Suarez *tom. 4. in 3. p. d. 52. ſeſſ. 3. à num.* 10. Ipſeque vt probabiliorem hanc amplectitur ſententiam. A qua etiam ſtant P. Filiucius & Cardinal. Tolet. aliique quibus ſubſcribit Diana *tom. 1. tract. 11. reſol.* 105. Secunda ſententia confeſſionem actualem requirit. Sic cenſent Sotus, Benzonius, PP. Bellarminus, Reginald. & alij adducti ibidem à Diana, Caietan. *tract. de indulg. cap.* 10. Nauar. *relectione in §. in leuitico notab.* 18. Villalobos *tom. 1. tract. 26. diffic. 11. num. 4.* Antonius Gomez *in explicat. Bull. cap. 7. num.* 28. P. Henriq. *l. 7. de indulg. cap. 12. num. 2.* Syluest. *verbo indulgentia, q. 8. diſt. 4.* Corduba *q. 24. de indulgent. propoſit. 5. opin. 3.* Trullench, *§. 1. Bullæ, dub. 15. num.* 12. Baſilius Legionenſis *in manuſcriptis Bulla cap. 2. num. vltim.* Et hanc opinionem, vtpotè ſecuriorem conſulendam eſſe, docet P. Suarez. At Eman. Rodrig. *in explicat. Bull. §. 2. dub. 1. num.* 10. tenet, non eſſe opus actuali confeſſione, vt quis lucretur remiſſionem pœnæ peccatorum, quæ olim eſt confeſſus, opus verò eſſe illa, vt obtineat remiſſionem pœnæ debitæ peccatis, quæ nondum in confeſſione aperuit. Quam limitationem non eſſe idoneam, conſtabit ex ſequentibus.

34 Hæc ſecunda ſententia eſt tenenda, nempè actualem confeſſionem requiri. Cuius probatio non aliunde ſumenda eſt, quam ex ipſis verbis Bullæ, vbi exigitur expreſſe confeſſio, ſi fieri poteſt. Et quidem indulgentiæ non plus valent, quam concedens intẽdit, & cum Pontifex queat iniungere confeſſionem actualem, vt opus prærequiſitum ad indulgentiam obtinendam, non aliter ac poteſt iniungere ieiunium, aut viſitationem altarium, & ita exprimat in Bulla, in ſimilibuſque indulgentiis, cum poſſet dicere dumtaxàt concedi eiuſmodi indulgentias *contritis*, quin adderet, vt de facto addit, *& confeſſis*, ſanè confeſſio illarum adeptionem debet præire. Quod ſi aliter verba exponi poſſent, pariter aliquis aſſereret, ad implendum præceptum confeſſionis annuæ, ſufficere contritionem, eo quod contritio ſit in voto confeſſio: nam in præcepto Eccleſiaſtico non clariùs confeſſio iniungitur, ad ipſum adimplendum, quàm in Bulla ad obtinendam indulgentiam, idemque finis vtrobique intẽditur, nempè vt ſecuriùs quis ad ſtatum gratiæ perueniat, faciliùs enim eſt, attritionem elicere, quæ ſimul cum confeſſione eſt ſufficiens ad iuſtificationem peccatoris media gratia peragendam, quam contritionem elicere, quæ extra Sacramentum ſit diſpoſitio ſufficiens ad gratiæ infuſionem, remiſſionemque peccati. Demùm ſicut in iniunctione aliorum operum in ordine ad indulgentiam lucrandam; aliquos fines habet Pontifex, eoſdem in iniunctione actualis confeſſionis poteſt habere, atque adeò tam hanc, quam illa oportet executioni mandari.

35 Vt autem hæc doctrina perfectiùs, exactiùſque intelligatur, aliqua ſunt animaduertenda. Primò, cum requiritur in præfatis verbis Bullæ, & in ſimilibus indulgentiis, præter confeſſionem, contritio, ſufficere attritionem, quæ eſt contritio imperfecta, & ſub voce contritionis ſolet non rarò explicari, quippe Pontifex ſolùm intendit imponere partes eſſentiales Sacramenti pœnitentiæ validi, ſufficienter illud conſtituentes, cum autem Sacramentum validum pœnitentiæ per confeſſionem integram, & per contritionem, ſeu attritionem conſtituatur, indè eſt, vt nomine contritionis etiam attritio ſola intelligi poſſit.

36 Secundò, ſi quis mutus, vel in extremis vitæ poſitus, per nutus, ſiue ſigna confiteantur, ſufficiẽter hanc lucrantur indulgẽtiam (ſi cætera requiſita adſint, quod ſemper ſupponimus) etenim hæc eſt confeſſio actualis oris æquiualenter, & aliundè ipſa verba Bullæ non exigunt confeſſionem actualẽ oris, cum fieri non poteſt; non autem poteſt alia fieri à muto, vel ab homine in illo mortis articulo, in quo ſupponimus, loquelã amiſiſſe, vel propter tẽporis anguſtias non poſſe ſua peccata aperire. Ita plures cum Anton. Gomez *vbi ſuprà.*

37 Tertiò.

Digitized by Google

37 Tertiò non ſufficit ad indulgentiam adipiſcendam confeſſio facta ante tempus lucrationis illius, vel etiam intra tempus ipſius lucrandæ, ſi quis non eſt in ſtatu gratiæ, cum vltimum requiſitum apponit; indignus enim eſt peccator, cui fauor indulgentiæ concedatur. Quare cum D. Thoma omnes Authores communiter requirunt tria ad valorem indulgentiæ, ſcilicèt poteſtatem in dante, pietatem in cauſa, & gratiam in ſuſcipiente. Vnde P. Suar. *ſuprà ſeſ. 2. n. 6.* affirmat adeò neceſſariam eſſe conditionem hanc ſtatus gratiæ in ſuſcipiente, vt nec Pontifex poſſit peccatori indulgentiam impertiri, qui enim amicitiam Dei non participat, non eſt capax, vt theſaurus Eccleſię ſatisfactionibus Chriſti D. & Sanctorum conſtans ipſi aperiatur. Eundem ſtatum gratiæ requirit in applicante indulgentiam defunctis per modum ſuffragij, cum ſcilicèt ea applicatio expreſsè conceditur à Pontifice; ſed de hoc agemus *inferiùs* in explicatione Bullæ defunctorum *d. 36. c. 2.*

38 Nec obſtat; ſi dicas, auxilia ſupernaturalia præſtari peccatori à Deo, quamvis omni bono, fauoreque ſit indignus, ergo etiam poterit eidem pœna remitti à Pontifice, maximè illa, quam debet perſoluere ob peccata antecedenter quoad culpam remiſſa, quæ neutiquā reuiuiſcunt. Etenim auxilia ſupernaturalia non ſupponunt gratiam, ſed ad eam in animam introducendam ordinantur, abſque illis namque peccator in ſua miſeria ſemper maneret, cum non habeat in ſe vires effectiuas adæquatè diſpoſitionis, & doloris neceſſarij ad iuſtificationem; quod non patitur piiſſimus Deus, qui non vult mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur, & viuat; at in indulgentia non militat ea ratio neceſſitatis, quæ in auxilio, & abſque ea tantus fauor ſpiritualis non eſt concedendus peccatori, indigno illius. Hinc Clemens VI. *in extrauag. Vnigenitus, de pœnit. & remiſ.* loquens de theſauro Chriſti, & Eccleſiæ, inquit. *Quo qui vſi ſunt, amicitiæ Dei participes ſunt effecti*, igitur non participes minimè eo vtuntur ad ſolutionem pœnæ. Quod ſi loquamur de pœna debita pro culpa non remiſſa, iam *cap. 1.* ſtabiliuimus, eam nôn remitti, quoad vſque culpa remittatur. Sed propter hanc indignitatem peccatoris, addimus, adhuc non remitti pœnam debitam pro peccatis quoad culpam remiſſis, ei homini, qui per nouum peccatum mortale gratiæ ſtatum amiſit.

39 Quartò. Supponendo, dari poſſe confeſſionem informem, ſi quis eam faciat, cum poſteà vltimum requiſitum ad gratiam obtinendam apponat, indulgentiam lucrabitur. Ita Nauar. *de indulg. notab. 18. n. 15.* P. Henriq. *l. 7. de indulg. cap. 9. n. 5.* P. Suarez *ſuprà d. 52. ſect. 3. n. 6. & 16.* Ratio eſt, quia ille iam cenſetur adhibuiſſe conditionem requiſitam ad indulgentiam; cum bona fide iudicet, ſe rectè confeſſum fuiſſe, illaque confeſſio, quamvis informis, vera confeſſio eſt, & aliundè, cum id apponit, quod deficiebat, in ſtatu gratiæ conſtituitur, quare non eſt, cur tunc non lucretur indulgentiam. Imò ſi quis inualidè confeſſus fuiſſet cum non habente poteſtatem, quod pœnitens ignorabat, ſtatim ac per contritionem in ſtatu gratiæ ſit, lucrabitur indulgentiam, cum ipſe bona fide iudicet, ſe conditionem appoſuiſſe neceſſariam, & hæc ſit abs dubio mens Pontificis, dum confeſſionem pro conditione iniungit, vt quis confiteatur rectè, quantum eſt ex ſe, quòd præſtat, qui in vtroque caſu prædicto bona fide ad confeſſionem perficiendam accedit, & eam perfectam ritè exiſtimat.

40 Cæterùm in his caſibus, ſi homo ille ante vltimum requiſitum agnoſcat, ſe non perfectè, aut ritè fuiſſe confeſſum (idem dicito de eo, qui per obliuionem naturalem aliquod lethale peccatum omiſit in confeſſione) confiteri iterùm debet, vt indulgentiam adipiſcatur, quia Bulla requirit omnium peccatorum lethalium confeſſionem, ea autem, de quibus non recordatus fuerat priùs, & tunc eorum meminit, non ſunt in confeſſione propalata, iamque bona fides ceſſat. A paritate fit hoc planum, nam ſi facta confeſſione informi, aut inualida, ante communionem quis agnoſcat, ſe non ritè fuiſſe confeſſum, tenetur iterùm confiteri, antequam ſumat Euchariſtiam, eoquòd ad huius rectam ſuſceptionem omnium peccatorum lethalium cōfeſſio prærequiritur. Idem ergo reſpectu indulgentiæ contingit; vnde vlteriùs, ſi poſt confeſſionem rectam peractam ad obtinendam indulgentiam, mortaliter quis delinquat ante vltimum requiſitum, tenetur iterùm confiteri; quia ad eam lucrandam requiritur à Pontifice, vt omnia peccata mortalia fuerit confeſſus, ſicut teneretur iterùm confiteri ante Euchariſtiæ ſumptionem, ſi poſtquam confeſſus fuit, mortale aliquod peccatum patrauiſſet.

41 Quintò. Cum quis peccatorum venialium dumtaxàt conſcientiam habet, non opus eſt confeſſione, vt indulgentiam obtineat. Quippe ratio, cur de facto confeſſio iniungitur, vt medium ad indulgentiā lucrādam, eſt, vt quis ſit in ſtatu gratiæ ad eiuſmodi lucrationem neceſſario: in eo autem ſtatu eſt, qui ſolū venialium conſcientiam habet; & à ſimili hoc conſtat, nam præceptum annuæ confeſſionis, & præceptum cōfeſſionis ante Euchariſtiæ ſumptionē, non obligant, quando peccata dumtaxàt venialia ſunt in conſcientia alicuius; quare quoties ab Eccleſia, ſeu à Pontifice confeſſio præcipitur, intelligendum eſt præceptum obligare, ſi ſint peccata mortalia.

42 Caſibus

Digitized by Google

42 Caſibus adhuc poſitis exceptis, ſemper requiritur actualis confeſſio vocalis ad indulgentiam lucrandam, ſi aſſeratur, eam concedi contritis, & confeſſis. Nec refert, quod ait P. Suar. ideò Pontificem exigere confeſſionem, vt quis ſit in ſtatu gratiæ, quem poteſt cum confeſſione in voto adipiſci. Etenim exigit confeſſionem actualẽ, vt ſecuriùs quis in ſtatu gratiæ conſtituatur, iuxta *ſuprà* dicta. Et ſanè opus non eſſet exprimere *contritis, & confeſſis,* ſi vera eſſet ſententia Patris Suarez. Sed ſufficeret exprimere *contritis*, intellecta ſtrictè contritione, cum per hanc quis ſtatum acquireret gratiæ. Collectiuè igitur debent accipi ea verba, & non diuiſiuè, ita vt ſignificent, indulgentiam concedi, tàm contritis, quàm confeſſis, quæ eſt vis manifeſta verbis illata. Nec vox *contritis* ſignificat in præſenti (vt opus eſt ad opinionem P. Suarij, ipſèque intendit) contritionem ſtrictam; cum ea vox valdè communiter vſurpetur ad ſignificandam etiam attritionem, quæ cum confeſſione coniungitur.

43 Præterea non eſt hic Nauarrus audiendus aſſerens, poſſe contritum lucrari indulgentiam, quotieſcumque conceditur contritis, & confeſſis, ſi inculpabiliter omittit confeſſionem ob defectum confeſſarij, ſimilemvè rationem. Quippè & ſi verum hoc ſit, quando ita exprimitur à concedente indulgentiam, non autem, cum non exprimitur, ſi enim indulgentia ſub conditione confeſſionis conceditur, non poſita ea conditione, etiam inculpabiliter, nequaquam obtinetur, ſicut ſi conceditur ſub conditione peregrinationis ad Vrbem, ſeu viſitationis altarium, non obtinebitur ab eo, qui non peregrinatur ad Vrbem, ſeu altaria non viſitat, quamvis id non præſtet ob impotentiam, & ægritudinem, omninò inculpabiliter. Deindè cum Pontifex intendit, obtineri indulgẽtiam à contrito ob impotentiam non confeſſo, id exprimit, vt initio Bullæ præſtat in verbis, quæ nunc exponimus; ergo cum non exprimit, non vult eam indulgentiam ab illo obtineri, quod eſt rectum argumentum à contrario.

44 Aduerte hic, opus non eſſe, injungi aliquod opus, vt Pontifex indulgentiam concedat, ſeu quivis alia poteſtate fruens concedendi ipſam: nam ad valorem indulgentiæ ſolùm tria, vt iam diximus, ſunt eſſentialiter neceſſaria, poteſtas in dante, cauſa pia ſufficiens, & gratia in recipiente, quæ cuncta ſtare poſſunt abſque vllo opere injuncto. Et ſanè indulgẽtia concedi poteſt alicui Communitati, aut perſonæ propter obſequia Eccleſiæ exhibita, aut per modum medicinæ, vt quis erigatur in ſpem firmiorem, feruentiúſq; excitetur ad mancipandum ſe diuinis obſequiis, ſiuè per modum liberalis donationis in aliqua iuſta, & ſpeciali occaſione, veluti in die coronationis Pontificis, vel propter interceſſionem, & preces alicuius benè de Eccleſia meriti. Quod aſſertum in praxi eſt, nam ſæpè Pontifex indulgentiam plenariam concedit in articulo mortis abſque pij operis injunctione. Hinc etiam ſæpè magna ſolet indulgentia concedi, imponendo exiguum valdè opus, vt recitationem alicujus orationis, aut pſalmi: nec debet quis hoc mirari, quaſi improportionatum ad conſequendam tantam pœnæ debitæ relaxationem media indulgentia, nam his in caſibus conceditur illa Religionibus ob obſequia in Eccleſiam præſtita, aut viris optimè de ipſa Eccleſia meritis. Videatur P. Suar. *vbi ſuprà ſect.* 4. Aliquando tamen cum cauſa pia non eſt ſufficiens ad indulgentiam concedendam, neceſſaria eſt injunctio pij operis, ex cuius executione cauſa integretur, ſicut cum non adeſt cauſa ſufficiens ad diſpenſandum in aliquo voto, fit cauſa adæquata ex opere pio, quod injungitur à diſpenſante. Ideò communiter in conceſſione indulgentiæ pium aliquod opus imponitur: atque etiam vt diſponatur meliùs lucraturus indulgentiam, licet nulla diſpoſitio, præter ſtatum gratiæ, ſit per ſe, & eſſentialiter requiſita ad indulgentiam obtinendam. Ex his etiam cernitur, poſſe concedi indulgentiam, injuncto ſolùm opere pio merè interno, ſicut poteſt, nullo opere abſolutè impoſito: in quod opus internum non exerceret Pontifex iuriſdictionem, quæ immediatè ad actus externos tendit, ſed illud pro conditione apponeret, quam liberè quis impleret, ſi indulgentiam vellet lucrari.

45 Aduerte etiam iuxta *ſuprà* libata omnia opera injuncta ita debere adimpleri ad hoc, vt obtineatur indulgentia, quòd impotentia adimplendi non ſit ſufficiens excuſatio (niſi id in conceſſione indulgentiæ exprimatur) & in præſenti habet locum axioma, *qui cadit à littera, cadit à cauſa*: ea eſt enim mens concedentis, & indulgentiæ etiam in hoc tantum valent, quantum ſonant. Sic omnes Theologi communiter cenſent *in* 4. *d.* 20. D. Thom. *quodlib.* 2. *art.* 16. Nec aliquid indulgentiæ quis lucrabitur, ſi partem operum duntaxàt adimpleat, nam conceſſio eſt indiuiſibilis, & omnes conditiones per modum vnius ſumendæ ſunt. Sic Paludan. *in* 4. *d.* 20. *q.* 4. *art.* 5. D. Antonin. 1. *p. tit.* 10. *c.* 3. §. 4. Cordoua *l.* 5. *q.* 25. Villalobos *tract.* 26. *diffic.* 4. P. Suarez *vbi ſuprà*. Conſonat iuris principium, *Actum nihil dicitur, cum quid ſupereſt ad agendum, l. penult. C. ad Sylanianum, l. ſiuè, ff. de verbor. obligat.* Si autem minima pars alicuius operis omittatur, dubium eſt, an obtineatur indulgentia; videturque

Digitized by Google

turque obtinenda. Sicut enim quis ſatisfacit præcepto ieiunij, quamvis materiæ paruitatem extra tempus refectionis conceſſę ſumat, quæ eſt fractio parua ieiunij, ita videtur ſatiſfacere iniunctioni ieiunij, ſi ieiunium ad indulgentiæ adeptionem iniungatur, etiamſi eadem parua fractione illud violet. Paruitas attamen accipienda eſt reſpectiuè, nam ſi v. g. iniungerentur duæ ſalutationes Angelicæ, quamvis vna earum in ſe ſit paruá materia, reſpectiuè tamen non eſt parua, atque adeò, qui eam omitteret, illam non lucraretur indulgentiam.

46 Licèt Pontifex poſſit exigere ad indulgentiam obtinendam, omnia opera iniuncta in ſtatu gratiæ adimpleri, tamen de facto non eſt neceſſe, vt in eo ſtatu executioni mandentur, præter vltimum opus, aut requiſitum. Ita Gloſſa *in extrauag. 1. de pænitent. & remiſſion. verbo confitebuntur.* D. Thom. *quod lib. 2. art. vltim. id inſinuat.* D. Antonin. Paludan. Tabiena, Archidiaconus, Felinus, quos refert, & ſequitur P. Suarez *vbi ſuprà, d. 52. ſ. 5. n. 8.* Syluester, *verbo indulgentia, num. 31.* Cordoua *l. 5. q. 24.* Villalobos *tr. 26. diffic. 13. num. 3.* Soto *d. 21. q. 2. art. 3.* P. Henriquez *l. 7. de indulgent. c. 9. num. 5.* Et probatur; quia Pontifex poteſt indulgentiam impertiri iniungendo pium opus, ſiuè fiat in gratia, ſiuè abſque gratia; cum etiam opus pium abſque gratia factum ſit vtile ad alliciendum peccatorem in obſequium Dei, ab ipſoque impetrandum de congruo dona ſalutaria; aliundè Pontifex ſuam mentem poſſet exprimere, ſi gratiæ ſtatum in omnium operum executione requireret; igitur, dum non exprimit, ſignum eſt, non requiri ab ipſo; indulgentia enim fauorabilis eſt, & amplè interpretanda eius conceſſio. Deindè ſi ſtatus gratiæ ad omnia opera exequenda eſſet neceſſarius, cum in Iubilæo, aut indulgentiis aliquibus plura requiruntur, deberet lucraturus ante omnia cætera confiteri, ſi in peccato lethali eſſet, vt tutiùs ad ſtatum gratiæ reſtitueretur, cum contritionem perfectam ab illo elici, non facilè ſit præſumendum; quod præter vſum eſt, tàm obtinentium eos Iubilæos, qui vltimo, vel ferè vltimo loco ad confeſſionem accedunt, quàm Pontificis eos concedentis, qui confeſſionem vltimo ſolet loco deſignare, vel ſaltem non admonet, ante cætera opera eſſe perficiendam, ſeu contritionem perfectam fore à peccatore conandam.

47 Contrarium tuentur Caietan. *in opuſc. de indulg. ad Iulium cap. 9. & in alio opuſcul. de indulgent. quæſt. vltim.* Nauarr. *de indulg. notab. 17. numer. 11. & notab. 19. à numer. 6.* Petr. Soto *de indulgent. lection. 6.* Adrian. Armilla, Cano, quos adducit P. Henriq. *vbi ſuprà, in gloſſ. littera P.* Quod etiam Dominicus Soto probabile cenſet. Suadent, quia in tantum poſtulatur pium opus ad indulgentiam lucrandam, in quantum promouet piam cauſam, & dat meritum obtinenti. Prætereà, nam ſatiſfactiones, quæ ſunt in Eccleſiæ theſauro, per viua opera fuerunt comparatæ, & per viua etiam debent applicari. Sed reſpondetur, opera pia etiam abſque gratia peracta vtilitatem habere impetrationis, & diſpoſitionis remotæ, cum poſſint eſſe ſupernaturalia, & ſaltem allicientia hominem ad virtutem, obſequiumque diuinum. Deindè theſaurus Eccleſiæ non applicatur membris mortuis, ſed viuis per gratiam, quâ ornata eſſe debent, cum obtinent indulgentiam, & vltimum opus requiſitum exequuntur, quamvis ea non eſſent prædita, dum opera intermedia exequebantur.

48 Opera ex genere ſuo bona ad indulgentiam obtinendam deſignata ſufficit adimpleri, etiam ſi adimpletio ſit peccaminoſa ex fine, aut intentione adjuncta; ſiuè intentio concomitanter ſe habeat, ſiuè influat in executionem; dum tamen adſit intētio formalis, aut virtualis exequendi illud opus ad indulgentiam lucrandam (ea enim intentione deficiente, executio praua ſolùm in finem ipſum prauum referretur) & dum non ſit ea intētio peccaminoſa mortaliter reſpectu vltimi operis, vtpotè in gratia perficiendi. Aſſertum hoc tenent Cordoua *ſuprà quæſt. 25.* Pater Henriquez *c. 7.* P. Suar. *ſ. 6.* P. Coninch. *d. 12. dub. 8.* Bonacina *d. 7. d. indulg. quæſt. 1. punct. 5. numer. 15.* Nuñez *quæſt. 77. artic. 3. dubitat. 5.* Ledeſma, Ludouicus à Cruce, PP. Filiucius, Lugo, Granad. & Præpoſitus, quos affert, & ſectatur Pater Quintanaduen̄as *in libello Iubilæi duarum hebdomadum, cap. 4. numer. 6.* Contrarium ſentiunt Nauarr. *de indulgent. notabil. 10. numer. 6.* Adrian. *quæſt. 4. de indulgent. concluſ. 4.*

49 Suadetur aſſertum à ſimili: nam præceptum audiendi ſacrum ſufficienter adimpletur, etiam ſi audiatur ex fine vanæ gloriæ in auditionem influente, eamvè concomitante; igitur ſufficienter etiam adimpletur opus à Pontifice iniunctum, etiam ſi ex prauo fine peragatur. Dum etenim aliud Pontifex non declarat, hoc ſufficere, eſt aſſerendum, ſicut ſufficit ad præceptum, nec ampliùs exigi ab ipſo ad indulgentiam lucrandam, quàm ab Eccleſia ad præceptum adimplendum, cum tàm hoc, quàm illa, ad pietatem referatur, cenſendumque eſt ideò, Pontificem nolle ex neceſſitate, niſi executionem pij operis, ex ſe boni, modo humano peracti, ſicut contingit in præcepto, cum poſſit Pontifex hoc dumtaxàt, quaſi neceſſarium exigere, aliudque de illius mente non conſtet. Confirmatur

Digitized by Google

firmatur, quia ſi ſecùs eſſet, cum iniunguntur opera, quæ longum tempus deſiderant, difficile eſſet, indulgentiam lucrari, cum pro fragili hominum natura miſceantur intereà plures prauæ intentiones, à quibus redditur peccaminoſa executio. Hoc autem alienum eſſe à Pontificis animo, eſt credendum, maxime cum finis indulgentiæ præcipuus non ſit illud opus licet debito modo non ponatur, & præcipuus reſtat, propter quem indulgentia conceditur, qui ſemper adeſt.

50 Nec tamen ab eo opere peccaminoſo omnis vtilitas abeſt; namque ſi opus ſit externum, vt aſſolet, deriuatur ex eo ædificatio populi, vel ſubuentio pauperis in eleemoſyna, hiſque ſimilia. Imò cum opus id aliquam habeat circunſtantiam bonam, quamvis ſit abſolutè prauum, ratione illius allicere poteſt exequentem ad pietatem. Quin addit P. Suarius, opus ex genere ſuo bonum, licèt malè fiat, quatenùs bonum, i. eo placere, & ab eo præmium ſolitum eſſe impetrare. Quod de virtutibus Gentilium docet D. Auguſtinus *l. 5. de ciuitat. cap. 12. & 15.* Et hoc multò certius erit de operibus ex fide factis, & quodammodo nomine Eccleſiæ, quatenùs fiunt ex præſcripto Pontificis. Nec rectè ait Nauarrus, caſu quo opera hæc prolixum tempus deſiderantia partim benè, partim malè adimpleantur, fore partem indulgentiæ obtinẽdam. Quod etiam tuentur D. Bonauent. Viuald. Cardinales Tolet. & Bellarm. ac alij, quos refert P. Quintanadueñas *vbi ſuprà n. 1.*

CAPVT IV.

Quod ſit vltimum opus requiſitum ad indulgentias Bullæ Cruciatæ lucrandas?

51 Aſſeruimus ſæpè, ad obtinendam indulgentiam, vltimum opus iniunctum fore in ſtatu gratiæ perficiendum. Nunc deſignabimus, quod ſit iſtud opus in hac indulgentia plenaria, quæ eſt initio Bullæ, & in cæteris, quæ in eius decurſu ſunt, ne iterùm poſteà ad eadem redeamus. Sciendum autem eſt, vltimum opus frequenter eſſe diuiſibile, ſufficereque vltimam eius partem in gratiæ ſtatu adimpleri, in extremo enim puncto applicatur indulgentiæ gratia, atque adeò ſat erit, ſi tunc homo ſit capax illius, in ſtatu gratiæ exiſtens. Quare ſi vltimum opus ſit ieiunium v.g. licèt cæptum fuerit ab homine exiſtente in mortali, dum in gratia conſtituatur, antequam finiatur ieiunium, indulgentiam obtinebit. Sic docent Emanuël Rodrig. *in Bull. §. 2. dub. 2. num. 5.* Didac. Nuñez *q. 22. de indulg. art. 1.* Ludouic. à Cruce *in Bull. d. 1. c. 8. dub. 4. num. 13.* Bonacin. *de indulg. d. 7. q. 1. punct. 5. num. 5.* Mendo in Bull. Cruciat. Trullench *in Bull. lib. 1. §. 1. dub. 16. à num. 5.* P. Reginald. *l. 7. num. 180.* P. Suarez & alij quos adducit P. Quintanadueñas *in Iubilæo duarum hebdomadum cap. 4. num. 4.* Hinc optimum conſilium eſt, vt cum opus eſt ad obtinendam indulgentiam confeſſione, & Communione, hæc ſit vltimum opus, ſic namque tutiùs quis conſtituitur in gratia.

52 Igitur ad lucrandam hanc indulgentiam plenariam, quæ initio Bullę conceditur proficiſcentibus ad bellum contra Infideles in auxilium Regis Hiſpaniarum, expenſis propriis, ibique annum integrum verſantibus: vltimũ eſt extremum tempus, dies, hora, vel inſtãs illius anni, quem quis in bello verſatur, ſiuè ſit annus ſolaris, ſumptus de momento ad momentum, ſiuè ſit annus in prudenti æſtimatione, quamvis aliquis, vel aliqui dies deficiant, quod & non ampliùs videtur exigere Pontifex. Qui verò ante finem anni in exercitu obeunt, aut ab illo diſcedunt ob ægritudinẽ, vrgentemvè neceſſitatẽ (quæ iudicio prudẽtum cenſenda eſt vrgens in ordine ad hoc) vltimũ opus eſt cõmoratio illius extremi temporis in exercitu, vel dicerem eſſe, tempus, quo demũ ad ſuam patriam, ſiuè domicilium rediens accedit, cum eos ſumptus eundi, & redeundi propter iuuamen Regi præſtandum effecerit, ſi fortè ipſe, cum bellum eſt ingreſſus, ibidem non verſaretur, ideóque etiam ſi illud auxilium Regi non præſtaret, eoſdem ſumptus in reditu ad ſuum domicilium foret effecturus. Deindè paulò infrà eadem indulgentia plenaria conceditur mittentibus, ſuis expenſis, milites ad bellum prædictum. Reſpectu quorum vltimum opus eſt erogatio ſtipendij, quo milites eiuſmodi in exercitu alantur vſque ad anni finem. Quòd ſi forſan miles miſſus obierit, aut abierit ab exercitu, nondum erogato integro ſtipẽdio totius anni, alius in eius locum erit ſufficiendus; ſi verò ſoluto integro ſtipendio, ante finem anni ille malitioſè abierit, obtinebitur indulgentia illicò, ac vltima ſolutio fuerit peracta, hanc enim ſolutionem iniungit Pontifex, vt requiſitum ad indulgentiam, qua facta, non debet imputari diſceſſio ea militis illi, qui ipſum miſit, nec prudenter potuit eiuſmodi diſceſſionem vereri.

53 Deinceps milites miſſi à ſupradictis, ſi pauperes fuerint, eandem lucrantur indulgentiam, quibus erit vltimum opus extrema temporis cõmoratio in exercitu, eodem modo ac illis, qui propriis expenſis proficiſcuntur. Si autem iniquiras, cur his indulgentia cõcedatur, & non aliis, qui mitti poſſunt, & pauperes non ſunt, cum tàm hi, quàm illi expenſis mittentium proficiſcantur? Poſſet dici hos qui egeſtate non laborant, non præſtare in obſequium pium belli contra Infideles, quod præſtare valebant, nempè profectionem pro-

Digitized by Google

priis expenſis, illos verò, vtpotè egenos, nec expenſis proprijs profectionem adornare valentes, præſtare, quidquid poſſunt, atque adeò digniores eſſe, quibus fauor indulgentiæ concedatur.

54 Deindè eamdem lucrantur indulgentiam Clerici ſæculares, & regulares, qui de ſuorum Prælatorum licentia in exercitu conciones, aut alia munia Eccleſiaſtica, & pia exercuerint, in ordine ad quos vltimum opus requiſitum ad indulgentiam erit opus externum eius generis, in quo piè ibi exercentur ſpatio nempè vnius anni; quod licèt non repetatur in ſingulis ex *ſuprà* dictis, tamen cum initio Pontifex vnum annum deſignauerit proficiſcentibus ad prædictum bellum, propriis expenſis, idem dictum ſubintelligo in cæteris; nam eadem eſt indulgentia, quæ ipſis conceditur, eodemque tenore, nempè ſi perſonaliter per annum in bello militantes non extiterint, & id, vel illud fecerint, ſcilicèt per annum, aloquin tempus maneret indeterminatum, & poſſet quis aſſerere, ſat eſſe ad indulgentiam hanc lucrandam, ſi milites mitterentur per vnum, aut duos dies, vel hebdomadas, ſi ſemel quis concionaretur, vel vnicam, aut duas cōfeſſiones audiret: quod equidem eſt contra Pontificis mentem. Quamvis enim inferiùs indulgentias plurimas elargiatur lucrandas, iniuncta ſolùm erogatione à Commiſſario Generali Bullæ deſignanda in ſubſidium belli, quæ erogatio exigui ſumptus eſt, prout de facto ab illo deſignatur, tamen initio Bullæ manifeſtè Pontifex maiores ſumptus iniungit, dirigitquè indulgentiam ad perſonas, ſeu Communitates, quæ eos valent exhibere.

55 Inferiùs conceditur erogantibus eleemoſynam à Commiſſario deſignandam in ſubſidium belli præfati (quæ erogatio fit, dum tranſcriptum Bullæ quilibet ſumit) & ieiunantibus in diebus, quibus aliàs non tenentur ieiunare; aut ieiunium ſeruare propter iuſtam cauſam non valentibus, arbitrio ſui Parochi, aut Confeſſarij aliud opus executioni mandantibus, ſimulque orantibus pro victoria cōtra Infideles, vnione, ac confederatione Catholicorum Principum, toties, quoties id intra annum peregerint, conceditur, inquam, indulgentia quindecim annorum, aliæque gratiæ ſuo loco *infrà* exponendæ. His autem vltimum erit opus, extremum ſpatium diei, in quo ieiunant; ſeu extremum operis illius, quod in locum ieiunij ſufficitur.

56 Prætereà in indulgentia plenaria, quam rurſus Bulla elargitur viſitātibus quinque Eccleſias, aut quinque altaria in diebus ſtationum Romæ, vltimum opus eſt pars extrema orationis, quæ ibi fit. Adhuc ſemel in vita, ſemelque in articulo mortis virtute cuiuſque Bullæ conceditur tum abſolutio à reſeruatis (de quibus ſuo loco) tum indulgentia plenaria; atque ad vtrumque iterùm conſequendum ſecunda Bulla poteſt accipi (imò in ſententia aſſerente, indulgentias non poſſe toties quoties obtineri, ſed ſemel dumtaxat, dum aliud non exprimitur, poteſt bis obtineri indulgentia plenaria viſitando altaria, eodem die, ſi ſecunda Bulla accipiatur.) Ad has ergo lucrandas, vbi primū quis ſit in ſtatu gratiæ, durante anno, abſque alio opere peracto, vltimum requiſitum eſt applicatio indulgentiæ facienda à Cōfeſſario, vel immediatè poſt confeſſionem, vel cum maluerit eam lucraturus; idem eſt in articulo mortis. Quòd ſi Confeſſarius non adſit, aut quis confeſſione non indigeat, vtrùm poſſit quilibet eam indulgentiam ſibi applicare, ſeu intendere eam lucrari, ſuo loco tractabimus. Monendique ſunt fidelès, ne hanc indulgentiam plenariam ſemel in vita conceſſam, virtute vniuſcuiuſque Bullæ, quolibet anno, quo eam accipiunt, prætermittant, cum nullo opere præter confeſſionem, ſi mortalis peccati conſcientiam habeant, indigeant peragendo; & ſaltem, cum præceptum annuum confeſſionis adimplent, poſſint eam lucrari, Confeſſarijque debent eam applicare, admonendo pœnitentes de ipſa; alioqui communiter illius non recordantur, nec ſibi applicari, efflagitant, eamque dumtaxat in mortis articulo expoſcunt. Et hæc ſit regula generalis. Vltimum opus eſt, quod vltimo loco in formula conceſſionis indulgentiæ deſignatur, dum aliud non conſtet. Neque enim alia norma eſt tutior, vndè id poſſit regulari.

57 Fine huius capitis aduerte, opus eſſe ad lucrandam indulgentiam, intentionem habere formalem, vel virtualem obtinendi illā, dum media requiſita exercentur; nam ſi hæc vel ex conſuetudine, vel ex deuotione aliàs fiant, indulgentia non obtinebitur: quamvis etenim ad adimplenda aliqua præcepta, v. g. audiendi ſacrum, ea intentione non ſit opus, quia finis non præcipitur, ſed executio, at in præſenti à Pontifice iniungitur, vt ad eum finem opera iniuncta dirigantur, dum ea iniungit eo fine, vt quis indulgētiam conſequatur, & ad illam ſe diſponat, & cum ea opera verè apponantur vt media, nequeunt eſſe talia, niſi ex intentione aliqua finis. Sufficiet verò intentio virtualis, qua nempè quis decreuit indulgentiam lucrari, & media requiſita exequi, licèt in ſingulis intentionem non renouet. Hæc doctrina traditur à Vega *in ſum. tom. 2. cap. 7. caſu 2.* Leone *de Iubilæo p. 1. numer.* 133. Cordoua *de indulg. quæſt.* 25. Eman. Rodrig. *in Bul.* §. 7. *dub.* 2. P. Suar. *vbi ſuprà ſ.* 6. quidquid contrarium tueantur Sanctarellus *de iubil. cap.* 15. *dub.* 4. Villalob. tr. 26. *diff.*

Digitized by Google

26. *diff.* 13. *num.* 9. P. Layman *l.* 5. *tract.* 7. *c.* 6. *num.* 5. Cæterùm eadem quæ quis ex obligatione præcepti, vel voti adimplet, poteſt applicare, vt indulgentiam obtineat, quando illa ad hanc lucrandam iniunguntur niſi aliud exprimatur in indulgentiæ conceſſione, quod tenet P. Suarez. & P. Grenado, eoſq; refert & ſectatur P. Quintanadueñas *vbi ſuprà n.* 5. Idemque aſſerere tenentur omnes, qui eodem opere, vel eodem tempore ſatisfieri poſſe duplici obligationi defendunt; nempè per idem ſacrum adimpleri poſſe votum, & præceptum, eodem tempore poſſe ſacrum audiri, & horas Canonicas recitari, aliaque huiuſmodi, quæ ſimilem difficultatem continent.

CAPVT V.

An poſſit indulgentia Bullæ Cruciatæ toties quoties obtineri.

58 QVando expreſsè in formula conceſſionis indulgentiæ aſſeritur, poſſe toties quoties obtineri (vt aſſeritur *infrà* in Bulla in indulgentia quindecim annorum, cuius meminimus nuper *numer.* 55.) non habet locum præſens dubitatio; nec etiã quando clarè affirmatur, ſemel poſſe obtineri, vt in indulgentia plenaria conceſſa in ipſa Bulla ſemel in vita, ſemelque in articulo mortis, de qua etiam mentionem fecimus *num.* 56. Præterea iam ſtatuimus *d. præcedenti, numer.* 10. proficiſcentes perſonaliter ſuis expenſis ad bellum contra Infideles, ſemel lucrari indulgentiam plenariam initio Bullæ conceſſam, & non obtinere illam, toties quoties contritionem, & confeſſionem ibi requiſitam apponunt. Reſtat ergo examinare, an, cum non exprimitur, quoties poſſit indulgentia obtineri, ſed aſſeritur ſolùm, facientes hoc aut illud, eam lucrari, toties quoties id faciant eodem die, vel eodem tempore, indulgentiam lucrentur? v. g. cum conceditur indulgentia plenaria viſitantibus altaria quadam die, poſſit, ſi ſæpè viſitet illa, ſæpè obtinere indulgentiam, aut, ſi conceditur ſimul liberatio animæ à Purgatorij pœnis, liberet plures, qui pluries altaria viſitauerit? Et etiam cum conceditur Iubilæus per vnam, aut duas hebdomadas, poſſit quis non ſemel frui indulgentiis, & priuilegiis illius, ſed quoties opera requiſita repetiuerit? Quam quæſtionem hic intexo, ne in quavis indulgentia Bullæ repetere eam cogar, ſed reſpectu omnium eam decernam; reſolutioque pariter ſe extendet ad alias ſimiles indulgentias extra Bullam conceſſas.

59 Supponendum eſt, eum, qui vltimum opus requiſitum ad indulgentiam exiſtens in peccato lethali peregit, poſſe iterùm aliud ſimile perficere, gratia ſibi reſtituta per pœnitentiam, quia prima vice non obtinuit indulgentiam, quàm ſaltem ſemel lucrari poteſt. Sed quid tunc debebit ille peragere, an ſolùm opus illud vltimum, quod exiſtens in mortali mandauit executioni, an, ſi alia ſint opera antecedentia, ea omnia iterùm exequi tenebitur? Aliquando non datur locus huic quæſtioni, cum videlicet indulgentia eſt determinata ad tale tempus, nec in illo poteſt iam repeti illud vltimum opus, v.g. ſi quis ieiunium determinatum ad certum diem in mortali exiſtens perficiat. Cum verò poteſt repeti, cenſeo non eſſe neceſſarium, cætera media ſeu opera repetere, ſed ſat eſſe, ſi vltimum repetatur. Quippè peractio vltimi operis in ſtatu peccati mortalis non aufert ab operibus antecedentibus rationem medij requiſiti, & ſufficientis ad obtinendam indulgentiam, ſi conjungantur cum vltimo opere in ſtatu gratiæ peracto; ergò, dum hoc tandem in eo ſtatu fiat, illa opera antecedentia vim ſuam non amittentia repeti non debent. Explicatur, ſi vltimum illud opus, quod in ſtatu peccati lethalis fuit effectum, omninò fuiſſet omiſſum tunc temporis, cum peractum fuit, & dilatum fuiſſet ad ſequens tempus, non eſſet ablata ſua vis, & ſufficientia operibus antecedentibus, vt conjuncta cum vltimo opere tandem in ſtatu gratiæ perficiendo, ad indulgentiam obtinendam inſeruirent; at fuiſſe omiſſum illud opus v.g. in inſtanti A. & dilatum ad inſtans C. in quo in ſtatu gratiæ perficitur, eſt idem in ordine ad præſens, ac fuiſſe peractum in ſtatu peccati mortalis in inſtanti A. & repeti in ſtatu gratiæ in inſtanti C. quia effici vltimum opus in mortali in ordine ad indulgentiam, eſt idem, ac nullatenus fieri, cum nihil ad eum finem proficiat; igitur, ſicut obtinetur indulgentia efficiendo in ſtatu gratiæ vltimum opus hucvſque non effectum, ita & repetendo illud, in mortali antecedenter peractum, quin alia opera ſit opus repetere, ſicut non eſt opus in primo caſu.

60 Adhuc illuſtratur. Cum homo exiſtens in mortali opus vltimum ad indulgentiam neceſſarium perfecit, aut habuit intentionem obtinendi indulgentiam medio illo opere aut non habuit? Si ſecundum, nihil ad rem, quod illud peregerit. Exemplo patet, deerat tibi, vt indulgentiam lucrareris, erogatio eleemoſynæ, quam aliàs erogare ſoles: exiſtens in mortali erogaſti, abſque animo obtinendi tunc indulgentiam, ſi ſtatim reuoceris ad gratiam, alijque pauperi ſubuenias, cum intentione lucrandi indulgentiam, quis inficiabitur, te indulgentiam fuiſſe lucratum, quin alia opera requiſita iam antecedenter à te

te peracta repetas? Si primum, intentio, vt aliquod opus valeat in ordine ad præfixum finem, ſi illud ex ſe non valet, nihil operatur in ordine ad eum finem, perindeque ſe habet ac ſi non haberetur; ſic, licèt intentionem habueris ſatisfaciendi præcepto annuæ confeſſionis per confeſſionem ſacrilegam, ſi hæc ex ſe non ſit ad id ſufficiens, nec ſatisfeciſti præcepto, nec prohiberis, illam ritè repetere, vt ſatisfacias, ſimiliter ergo, proportione ſeruata, in caſu propoſito contingit. Adſtipulatur huic reſolutioni Nauarrus, §. *in leuitico*, *not.* 32. *num.* 47. *verſ. Ex quo*, *ad finem*.

61 His ſuppoſitis; prima opinio tenet, non poſſe in quæſtione præſenti, indulgentiam niſi ſemel obtineri. Ita Paludan. *in* 4. *diſt.* 20. *q.* 4. Cruz *in Bul. d.* 1. *cap.* 8. *dub.* 13. *num.* 10. Corduba *de indulg. q.* 30. Lopez *c.* 8. *pag.* 840. & videtur inſinuare Nauarrus *vbi nuper notab.* 15. *ad fin.* ſed poſteà *not.* 32. *num.* 47. *verſic. Per ea*, contrarium clariùs tuetur. Secunda opinio tuetur, toties quoties indulgentiam obtineri. Ita Angelus *verbo*, *indulgentia*, §. 4. Eman. Rodrig. *in Bull.* §. 8. *n.* 15. Nuñus *in* 3. *p. tom.* 2. *tract. de Bul.* §. 10. Villalobos *clauſula* 8. *n.* 8. Trullench *in Bul. l.* 1. §. 6. *dub.* 3. Dianà *tom.* 1. *tract.* 11. *reſol.* 104. P. Henriq. *l.* 7. *de indulgent. cap.* 10. *n.* 2. P. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. d.* 57. *ſ.* 1. *num.* 7. P. Layman *l.* 5. *tr.* 7. *c.* 8. *n.* 8. Cardinalis Lugo *de pænit. d.* 27. *ſ.* 6. *num.* 95. Fauent manifeſtè huic opinioni, qui cenſent, indulgentiam, & gratias Iubilæi, qui per duas hebdomadas ſolet concedi, poſſe obtineri copulatiuè in vtraque, ita vt bis quis eis fruatur. Sic Naldus *verbo indulgentia*, *num.* 4. & 5. Laborius *p.* 1. *c.* 21. *num.* 65. Floronus *de reſcru.* 1. *p. c.* 6. §. 5. *num.* 2. Leon. *p.* 2. *num.* 183. Molfeſius *in ſum. tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 16. *num.* 45. Roſela, Graffis, Fernandez, Benzonius, Vega, P. Filiucius, & Zerolà, quos citat P. Quintanadueñas *cap.* 2. *n.* 10. Cenſentque probabile Diana, & Bonacina ab eodem allati.

62 Hæc ſecunda opinio eſt communior, & vera; probaturque primò ex D. Thom. *in* 4. *diſt.* 20. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 2. *q. ad* 4. *ibi*: *Sed ſi in aliqua Eccleſia ſit indulgentia perennis, ſicut in Eccleſia B. Petri quadraginta dierum, tunc quotiens vadit aliquis, toties indulgentiam etiam conſequitur.* Secundò, quia prædictæ indulgentiæ non reſtringuntur, vt ſemel abſolutè, vel ſemel in vna die obtineantur; ergo nec nos debemus reſtringere, & limitare. Etenim ad omnes caſus, præcipuè in fauorabilibus, ad quos verba diſpoſitionis iuris extendi poſſunt iuxtà propriam ſignificationem extendenda eſt diſpoſitio; poſſunt autem extendi verba conceſſionis huiuſmodi indulgentiarum ad toties quoties abſolutè, aut in vna die. Nec obſtat, primò, non eſſe credendum, Pontificem tot, tamque inſignes indulgentias eâ cum multiplicatione elargiri. Nam potiùs hoc eſt de illo credendum, qui, vt ita diſpenſaret Eccleſiæ theſaurum, ſufficientem potuit cauſam habere, & dum non limitauit, amplâ benignitate conceſſiſſe cenſetur.

63 Nec obſtat ſecundò, in indulgentia obtinenda, viſitando altaria, vſum eſſe fidelium, vt ſemel id præſtent, Romæque ſemel duntaxàt in vna die indulgentiam ſtationum obtineri. Nam in primis vſus ille non eſt adeò cõmunis, vt plures, non exequantur requiſita bis, & iterùm in vna die; deindè non vſus prouenire poteſt vel ex negligentia, vel ex perſuaſione falſa, quod nequeant toties quoties illæ indulgentiæ obtineri; vel, quia ſemel obtentâ vnâ indulgentiâ plenariâ, iudicant vulgò, idem eſſe operaturam aliam indulgentiam, nec plus pœnæ remittendum per illam, atque adeò incaſsùm obtineri; Demùm quia fideles non tanto ſpiritus feruore flagrant, vt quidquid in bonum ſuæ animæ conducens poſſint exequi, exequantur; quare plures ſunt, qui nec vnâ vice obtinent indulgentiam, quàm qui ſemel eam conantur lucrari.

64 Denique non obſtat, quòd ſermo ſimpliciter prolatus de primo actu debet intelligi, & in illo verificatur; *l. dotis premiſſio*, *ff. de iure dotium*; *l. boues*, §. *hoc ſermone.*, *ff. de verbor. ſignific.* Vnde plures poteſtatem eligendi confeſſarium ad primam electionem reſtringunt; & ſecuritas veniendi data bannito de primo veniendi actu intelligitur, iuxtà Bartol. *in l.* 1. *ff. ad legem Iuliam de adulter.* Item poteſtàs arbitro data in compromiſſo de prorogando compromiſſi termino, de prima, & vnica prorogatione, eſt intelligenda, vt tenet Felinus *in c.* 2. *de treuga*, & *pace*; demùm gratia conceſſa laïco *in c. quod autem de iure patronat.* vt poſt vnum præſentatum poſſit alium præſentare, ad primam vicem limitatur à Rocho *de iure patronat. Verbo honorificum*, *q.* 10. ergo ſimiliter in ſermone, quo indulgentia conceditur, contingit, ita vt pro vna vice, dumtaxàt obtineatur.

65 Etenim, quidquid ſit de adductis exemplis, reſpõdeo cum Nauarro *vbi ſuprà*, indulgentiæ conceſſionem eſſe beneficium Principis non ambitioſum, nec in tertij præjudiciũ redũdans, ideóque latiſſimè interpretandum; iuxtà *l. Beneficium*, *de conſtitut. Principum*; *c. quamvis*, *in fin. de præb. in* 6. verbaque eius conceſſionis poſſunt extendi, ideóq; ſunt extendẽda. Tunc autem ſermo ſimpliciter prolatus de primo actu debet intelligi, cum profertur in odioſis, & in oneroſis. Sic, cum diſ-

penſatur

Digitized by Google

penſatur cum aliquo, vt duo valeat beneficia obtinere,de duobus primis beneficiis eſt accipienda diſpenſatio, iuxta *cap. Non poteſt, de prebend. in 6.* Et quando quis alicui dotem promittit, cum nupſerit, promiſſio non niſi ad primas nuptias extenditur, *l. dotis promiſſio, ff. de iure dotium.* Contrarium autem ſtatuitur in parum oneroſis, ſatiſque fauorabilibus, iuxta *l. Placet, ff. de liber. & poſth.* Quæ omnia illuſtrata reperies apud Panormitan. Decium, Anan. Alexand. Oldrad. ab eodem Nauarro adductos. Conceſſio autem indulgentiæ non inter oneroſa, ſed inter fauorabilia eſt recenſenda.

66 Ex dictis cernitur primò, indulgentiam conceſſam in Bulla, media viſitatione altarium in diebus ſtationum Romæ, poſſe ſæpiùs in eadem die obtineri, pluresque animas à Purgatorio liberari, quoties exprimitur liberatio animæ in ipſis diebus. Cernitur ſecundò, eos, qui mittunt alios ad bellum contra Infideles expenſas ſoluendo, quoties eos mittunt eodem anno, toties lucrari indulgentiam in præſenti conceſſam; ita tamen, vt ſingulis vicibus, tot, & ad tantum tempus mittant, quot, & ad quantum hic deſignantur. Cernitur tertiò, poſſe ſæpiùs in die obtineri indulgentias plenarias, quas vulgus vocat Iubilæos, quæ conceduntur confeſſis, & Euchariſtiam ſumentibus, ſimulque in aliqua Eccleſia in hac, aut illa feſtiuitate orantibus. Non enim opus eſt repetita confeſſione, ac Euchariſtiæ ſumptione ad eas indulgentias lucrandas, ſed repetita oratione, ac viſitatione eius Eccleſiæ poſt confeſſionem, & communionem: quippè confeſſio, & Communio prærequiruntur, vt quis in ſtatu gratiæ conſtituatur, non vt opus repetendum, imò nec vt opus abſolutè neceſſariũ; nam ſi quis in ſtatu gratiæ ſit omnino inſcius peccati mortalis, quod in confeſſione aperiat, non eget confeſſione, vt eam indulgentiam lucretur, eſtò Cõmunione indigeat; igitur, ſicut poteſt abſque confeſſione, vel ſemel facta, obtinere ſemel indulgentiam, poterit abſque repetitione confeſſionis ſæpiùs eam lucrari, cætera opera requiſita repetendo.

67 Ratio autem, cur ſit opus repetere cætera requiſita, non verò confeſſionem, colligitur ex dictis; nam confeſſio exigitur, vt quis conſcius peccati lethalis recuperet gratiam tutiùs, vtpotè ſimpliciter neceſſariam ad indulgentiæ applicationem; non ſic cætera opera, quæ propter pietatem, quæ in illis exercetur, iniunguntur, ideoque quoties obtinenda eſt indulgentia, inſtat idem motiuum, propter quod ſunt iniuncta, & repeti debent. At vbi quis ſemel per confeſſionem adquiſiuit gratiam, ceſſat finis, & motiuum, ob quod fuit iniuncta confeſſio, quare eam repeti, nequaquam eſt neceſſarium.

68 Imò ſi aſſeratur, opus eſſe, repeti etiam confeſſionem, & Communionem, poterit quis bis obtinere indulgentiam plenariam, quæ eſt in aliqua Eccleſia à Veſperis diei antecedentis feſtiuitatem vſque ad ſolis occaſum ipſius diei feſtiui; ſi enim ſit Sacerdos, & vtraque die celebret, & oret in illa Eccleſia etiam in vtraque die, vel ſi ſit perſona valdè ſpiritualis, cui concedatur ſumere vtraque die Euchariſtiam, bis lucrabitur indulgentiam, cum bis opera requiſita, & etiam Communionem repetat; ſufficiatque illa communio ante Veſperas, vt orando poſteà ab hora veſpertina lucretur indulgentiam. Quod patet, quia oratio poſt Communionem exigitur, quaſi vltimum opus; & ſaltem (licèt poſſit anteuerti) vſus fidelium eſt, vt viſitatio Eccleſiæ, oratioque in ea vltimò peragatur; Inanis autem eſſet conceſſio indulgentiæ à Veſperis diei, ſi Communio mane antecedenti facta non eſſet ſufficiens ad obtinendam eo die Indulgentiam, fundendo preces ad Deum, Eccleſiámque viſitando ab hora illa veſpertina.

CAPVT VI.

An liber maneat à pœnitentiis iniunctis à Confeſſario, qui lucratur indulgentiam plenariam?

69 QVæſtio hæc comprehendit omnes indulgentias plenarias, tàm Bullæ Cruciatæ, quàm cæteras, dubiumque in eo verſatur, an, poſtquam iniunxit Confeſſarius alicui pœnitentiam pro peccatis in confeſſione apertis, ſi hic indulgentiam plenariam poſt confeſſionem obtineat, liber maneat ab ea pœnitentiâ, nec teneatur ad eius adimpletionem? Manere liberum, & non teneri, eſt valdè communis ſententia, quam tuentur D. Thom. *in 4. diſtinct. 20. quæſt. 1. articul. 3. quæſtiunc. 1.* D. Bonauentur. Viguerius, Argentin. Durand. Ricard. Paludan. Palacios, Adrianus, & alij, quos adducit, & ſequitur Cardinalis Lugo *tom. de pœnit. d. 27. ſec. 2. à numer. 21.* Syluester *verbo indulgentia. n. 23.* Angelus *eo verbo n. 1.* Armilla *ibidem num. 12. & 17.* Nauarr. *in leuitico notab. 31. num. 43.* P. Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 38. ſec. 10. à nume. 10.* P. Coninch *de Sacram. Pœnit. d. 12. dub. 3. in fin.* P. Amicus *tom. de pœnit. d. 20. n. 46.*

70 Contrariam ſententiam (licèt probabilem iudicet præcedentem) tuetur Trullench *in Bul. l. 1. §. 1. dub. 14. n. 14.* Vbi pro ſe refert P. Suarium, ſed non rectè, quamvis quadam in parte ei conſentiat, quod à nobis *infrà* impugnabitur. Tuetur etiam ipſam P. Henriq.

Digitized by Google

l.7. de indulgent. cap.17. num.3. Vbi *in gloſſ. littera M.* adducit pro ſe aliquos Authores, quorum plures ei non fauent; inter eoſque refert Nauarrum *vbi ſupra notab.31. num.20.* vt ſuæ ſententiæ accedentem; quem locum *infrà* exponemus, ita vt conſtet, non eſſe primæ ſententiæ contrarium. Item P. Valentia *de indulgent. d.7. puncto 3. q.20.*

71 Prima ſententia eſt vera. Probatur primò ex *capit. cum ex eo 14. de pœnitent. & remiſſ. circa fin.* vbi Innocentius III. ait. *Ad hac, quia per indiſcretas, & ſuperfluas indulgentias, quas quidam Eccleſiarum Prælati facere non verentur, & claues Eccleſiæ contemnuntur, & pœnitentialis ſatisfactio eneruatur; decernimus, &c.* En vbi ſupponit Pontifex, per indulgentiæ lucrationem eneruari ſatisfactionem pœnitentialem; at non eneruaretur, ſi quis non maneret liber ab ea adimplenda; igitur per indulgentiam plenariam, qua tota pœna debita pro peccatis quoad culpam remiſſis relaxatur, liber quilibet manet à pœnitentiis adimplendis, ſeu à ſatisfactionibus pœnitentialibus.

72 Probatur ſecundò. Per indulgentiam plenariam remittitur tota pœna debita pro culpis, de quibus quis in confeſſione doluit, & remiſſionem obtinuit, pro quarum culparum ſatisfactione, ſeu pœna ſoluenda, impoſuit Confeſſarius pœnitentiam; vt ex dictis *c.1.* conſtat; at ablato debito pœnæ, ceſſat fundamentum obligationis ad pœnitentias implendas, neque eſt materia, in qua fundetur obligatio, ergo per indulgentiam plenariam immunis quis redditur ab obligatione adimplendi pœnitentias; hæ namque eo tendunt, vt ſoluatur pœna debita pro peccatis in confeſſione remiſſis, ea autem pœna per indulgentiam plenariam omnino relaxatur, nec vlteriùs debetur, adeóque in ordine ad tollendum id debitum ſuperfluit impletio pœnitentiæ.

73 Aſſerit P. Suarius, in quo conſentit Trullench, pœnitentias & eſſe ſatisfactiuas, & eſſe medicinales; indulgentia autem, licèt tollat obligationem adimplendi eas, quatenùs ſunt ſatisfactiuæ, non verò, quatenus medicinales; alioqui indulgentia in detrimentum vergeret animarum; nam indulgentia non moderatur paſſiones, nec prauam conſuetudinem, nec habitus vitioſos remittit; prætereà non eſt medicina, ac remedium, vt futura peccata præcaueantur, nec demùm eſt Sacramenti pars, vt eſt ſatisfactio (ait Trullench) atque adeò truncaretur pœnitentiæ Sacramentum. Inſto argumentum in primis aduerſus hunc Authorem. Quippè limitat ſuam concluſionem, niſi concedens indulgentiam exprimat, pœnitentem liberari ab adimpletione pœnitentiæ per lucrationem illius; tunc enim affirmat, manere liberum. At in hoc caſu indulgentia nec eſt medicina, remedium, moderatio paſſionum, pars Sacramenti; ergo nulla eſt argumenti vis in hac ratione nitentis. Inſto ſecundò, nam concedens indulgentiam ideò liberat ab obligatione pœnitentiæ ſatisfactoriæ, in quocumque caſu admittatur ea liberatio, quia relaxat pœnam debitam pro culpis media indulgentia, at ſemper relaxat, dum plenariam concedit, ergo ſemper liberat, & virtualiter id exprimit. Nec, quia formaliter id exprimit aliquando, ſignum eſt, tunc ſolùm liberare ab obligatione pœnitentiæ. Nam, vt *cap.1.* dixi, in formulà concedendi indulgentias, varia verba inferunt Pontifices, quæ non quid diuerſum ſignificant, ſed vel magis rem explicant, vel ad tollendos ſcrupulos, ſeu dubia denuò emergentia inter fideles apponuntur.

74 Inſto tertiò, quia vt *cap.1.* aſſerui, indulgentia plenaria ad amplius ſe extendit, quàm indulgentia de pœnitentiis iniunctis, ita vt hæc includatur in illa, & non è contra; ergo ſi hæc liberat ab obligatione adimplendi pœnitentias, etiam & illa; cum ea ratione liberet, quia pœnas debitas relaxat. Inſto quartò; nam Trullench docet, poſſe Confeſſarium loco pœnitentiæ iniungere lucrationem indulgentiæ, optimumque conſilium eſſe, vt pœnitens de licentia illius indulgentiam obtineat ad hoc, vt à pœnitentia Sacramentali liberetur. At in his caſibus indulgentia non eſt remedium, medicina, aut præſeruatiuum; nam ſi non habet ex ſe eſſe hoc, nec habet ex iniunctione Confeſſarij; ergo fruſtra hic Author innititur rationi ad concluſionem oppoſitam tuendam, quam manifeſtè illicò deſerit, & admittere tenetur, non vrgere in his caſibus, quos ipſemet excipit.

75 Reſpondeo iam ad argumentum, & aſſertum noſtrum ſimul illuſtro. Aliqua quidem, eſt neceſſarium ſimpliciter, pœnitentem exequi, vt peccata caueat, qualia ſunt, vitare occaſionem proximam delinquendi, ablata reſtituere, conſortium alicuius fugere, & ſimilia. Alia verò dumtaxat ſunt neceſſaria ad melius eſſe, quippe ſimpliciter non tenetur quis ea ex præcepto exequi, videlicèt homini laſciuo corporis caſtigatio; intemperato ieiunium, aliaque huiuſmodi, ſine quibus moraliter poteſt peccata vitare. Prima quidem opera tenetur quilibet exequi, & antè confeſſionem, & poſt confeſſionem, ex iure ipſo naturali, ex quo peccata ipſa vitare tenetur. Vnde, cum Confeſſarius pœnitenti iniungit eiuſmodi opera, non imponit pœnitentiam, ſed declarat obligationem, quæ illi incumbit ea præſtandi, quare ea obligatio non ex Confeſſarij præcepto, ſed ex iure

naturai

Digitized by Google

naturali ortum habeat; ſicut, cum Confeſſarius pœnitenti, qui ſe accuſat, de non auditione Sacri diebus feſtis, vel de periuriis, iniungit ſeu præcipit, ſacrum eis diebus audire, vel à iuramentis falſis abſtinere, ſanè obligatio hæc exequendi à iure diuino, vel Eccleſiaſtico prouenit, non à Confeſſoris præcepto, qui dumtaxat admonuit pœnitentem de eius obligatione, adimpletionem exhortans. Hinc vulgatiſſima locutio eſt, prædicta opera à Confeſſario admonita nuncupare pœnitentias, cum tales non ſint; nec de eis noſtra quæſtio procedit.

76 Secundi generis opera, quæ ad melius eſſe ſpectant, quia ſecundum ſe antecedenter ad Confeſſarij iniunctionem, ſunt ſolùm opera conſilij, non præcepti; ſi iniungantur à Confeſſario, obtenta indulgentia plenaria, non tenetur pœnitens executioni mandare: quippè Confeſſor, vel iniungit ea opera, præcisè vt medicus, non præcipiendo, nec imponendo obligationem; vel iniungit præcipiendo, vt iudex, tanquam ſatisfactionem pœnæ debitæ pro peccatis ad forum Sacramenti allatis? Primo caſu, nulla oritur in pœnitente obligatio adimpletionis, vt ex terminis eſt perſpicuum. Secundo caſu, illæ pœnitentiæ ſatisfactoriæ ſunt, atque adeò per indulgentiam plenariam ceſſant obligare pœnitentem. Etenim Confeſſarius non habet poteſtatem præcipiendi pœnitenti niſi id, quod integrat confeſſionem, nec eius præceptum, præcisè vt eius eſt, extenditur ampliùs, quod autem integrat confeſſionem eſt ſatisfactio, ergo hæc ſola poteſt à Confeſſario præcipi. At indulgentia plenaria remittit pœnam, pro qua ea ſatisfactio, erat præſtanda, tollitque materiam immediatè, ſupra quam cadere deberet, ſatisfactio igitur mediatè, & conſequenter tollitur ſatisfaciendi obligatio, quæ nulla adeſt, pœna iam remiſſa, ſicut ſi pœna inflicta reo à iudice, condonaretur à Principe, non maneret reus obligatus ad eam pœnam ſuſtinendam.

77 Et ſanè, ſicut à iudice non ſolùm imponitur pœna reo in ſatisfactionem delicti, ſed in medicinam, ne delinquat vlteriùs, & tamen condonata pœna à Principe, reus non tenetur eam, vt medicinam, ſubire, ſic remiſſa per indulgentiam plenariam pœna, licèt tolerantia pœnitentiæ, ſit medicina, pœnitens eam ſumere non tenebitur. Vnde, ſi vt pœna non debetur, nec debebitur, vt Sacramentalis ſatisfactio; cum enim fuerit pœna remiſſa, nec poſſit quis puniri ab eo, qui iam pœnam condonauit, non reſtat titulus, ratione cuius illa pœnitentia debeatur, cum præceptum Confeſſoris non poſſit extendi ad id, quod etiam poſitum non eſt pars integralis Sacramenti: At ſupponimus, pœnam remiſſam fuiſſe per indulgentiam plenariam; ergo pœnitentia iniuncta nequit eſſe ſatisfactio pro pœna.

78 Nec contradicit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. vbi non aſſerit, poſſe Confeſſarium obligare pœnitentem ad pœnitentiam, vt medicina eſt, ſed debere conari, vt pœnitentia non ſolum ſit medicina in futurum, ſed vindicta præteriti, rationemque reddit, nam Sacerdos habet claues, ac poteſtatem ad ligandum, & non dumtaxat ad ſoluendum; igitur non ligat, dum iniungit pœnitentiam vt medicinam, ſed dum vt vindictam imponit, alioqui, ſi ligaret etiam, dum iniungit vt medicinam, non aptè probaret Concilium, Sacerdotem debere iniungere pœnitentiam non ſolùm vt medicinam, ſed vt vindictam, ſeu pœnam, ex eo, quòd habet claues ad ligandum; quibus verbis ſupponit, eas claues, poteſtatemque ligandi non exercere, adeoque nec ligare, cum pœnitentiam conſideratam præcisè, vt medicinam, iniungit.

79 Nec vlla irrogatur iniuria, ſeu irreuerentia Sacramento in eo, quòd ſi obtineatur indulgentia plenaria à pœnitente, nulla ei iniungatur pœnitenia, ſeu ſatisfactio, quæ eſt pars integralis illius. Quippè hæc ſolùm requiritur, vt rectè docent P. P. Suarius, & Lugo, propter effectum ſatisfaciendi; vnde eo effectu per indulgentiam plenariam obtento, nulla interuenit irreuerentia. Nec ſanè iudicium iuſtum, quale eſt Sacramentale, exigit, vt iterùm ſoluatur pœna, quæ non debetur.

80 Quid? quòd Confeſſarius poterit loco pœnitentiæ, iniungere ipſamet opera, quæ reſtant exequenda à pœnitente in ordine ad indulgentiam plenariam lucrandam, ita vt ea ſint ſimul pœnitentia ſatisfactoria, & pars integralis Sacramenti, quo præſtito, ceſſat id, quod abſurdum iudicatur ab aduerſantibus, nempè defectus eiuſmodi partis integralis. Quare Pontifex Bonifacius VIII. cum indulgentiam plenariam conceſſiſſet *in Extrauag. Antiquorum, de pœnitent. & remiſſ.* aliquaque opera ad eam lucrandam iniunxiſſet (ſic habetur ibidem in Gloſſ.) *Declarauit etiam, quòd ſui Pœnitentiarij nil debent iniungere vltra iniunctionem hic poſitam, aliàs (vt dicebat) indulgentia fruſtraretur, niſi confitens volens facere opera ſupererogationis voluntaria pœnitentiam ſatisfactoriam aliam ab hac taxata reciperet.* Expende ſingula verba noſtram doctrinam prorſus continentia, & animaduerte, indulgentiam fore fruſtrandum, contra Pontificis animum, ſi præter ipſam alia pœnitentia ſatisfactoria iniungatur.

81 Hinc

Digitized by Google

81 Hinc via patet Confeſſariis, qua fragilitati pœnitentium ſuccurrant, nec eos pœnitentiis fatigent, expoſitoſque periculo non adimplendæ aſperæ pœnitentiæ relinquant, & ſimul ſe mites exhibendo eos aliciant, nec ab iterando frequenter Sacramento Confeſſionis deterreant, dum ipſos grauiter premunt. Quæ damna valdè communia eſſe, experientia demonſtrat. Igitur Confeſſarij iniungant loco pœnitentiæ viſitationem Altarium, cum pœnitens Bullam Cruciatæ habet, ſi adeſt dies ſtationis, quo per Bullam indulgentia plenaria conceditur, media eiuſmodi viſitatione, aut iniungant preces fundendas in aliqua Eccleſia, vel altari, in quo tunc ea obtineatur indulgentia; vel applicent indulgentiam Bullæ, quæ per ſingulas Bullas ſemel in vita conceditur, & bis per duplicem Bullam eodem anno acceptam: quòd ſi nulla ſit tempore Confeſſionis indulgentia plenaria, quæ obtineatur, ſit verò aliqua partialis affixa alicui Eccleſiæ, imagini, aut grano (hanc enim, vel plenariam, rarò continget, deeſſe quouis in loco) tunc Confeſſarius pœnitentiam ſatisfactoriam minuat iuxta quantitatem indulgentiæ partialis obtinendæ, & hanc ſimul iniungat. Licèt enim contingere queat, eam indulgentiam, quamvis partialem, ſufficientem eſſe ad remittendam omnem pœnam, quam pro ſuis debet peccatis pœnitens, eo quòd non plura peccata commiſerit, ſeu eo, quòd pœna, quam pro eis debet, non excedat pœnam, quæ relaxatur per indulgentiam partialem; tamen quia hæc non omnem pœnam abſolutè relaxat, incertumque eſt, an adæquetur pœna per eam remiſſa pœnæ debitæ pro culpis (quia ignotum eſt, quanta pœna à Deo deſignata cuilibet culpæ reſpondeat) ideò Confeſſarius ſupra eam indulgentiam iniungere alia opera debet, dicta cum moderatione, vt ex vtroque capite ſatisfactio pœnæ integretur.

82 Dices aduerſus hoc conſilium, quod Confeſſariis præbemus, quodque præbuit ipſe Trullench ſententiæ noſtræ aduerſarius, ſequi indè, pœnitentes parui penſuros peccata, etiam enormia dum vel nullam, vel leuem pœnitentiam imponunt eis Confeſſarij, indulgentiæ lucrationem iniungentes; & minimè fore deterrendos à peccando, cum aliàs metu pœnitentiæ, ſibi in confeſſione iniungendæ frænentur, abſurdumque videri, hominem diu non confeſſum, grauiſſima, & innumera peccata afferentem abſolui, iniuncta ei dumtaxat Communione, aut viſitatione altarium, qua indulgentiam obtineat. Inſto in primis, nam hic homo tot ſceleribus grauatus, ſi indulgentiam plenariam contritus lucratur, certiſſimè liberatur ab omnibus pœnis debitis pro tantis criminibus: quod ergo abſurdum magis in primo noſtro caſu, quàm in hoc apparet? Inſto ſecundò, nam idem argumentum efformari poterat contra Pontificem relatum *ſupra num.* 79. Inſto tertio, nam maius abſurdum eſt, quàm allatum, indulgentiam fruſtrari; animumque Pontificis intendentis fragilitati humanæ ſuccurrere, eamque à duro pœnitentiarum onere leuare, inanem reddi; exponeréque pœnitentem periculo ſæpè contingenti non adimplendi pœnitentias, ideóque mortaliter peccandi, & eum deterrere à frequentatione confeſſionis. Inſto quartò, nam pœnitens, poſt pœnitentias, etiam grauiſſimas, ſibi iniunctas, ſi doctrinam, & concluſionem *hoc capite* traditam, communiſſimam, & tutiſſimam in praxi, calleat, vel de ea ab homine docto certior fiat, poteſt, lucrando indulgentiam, licitè nolle pœnitentiam adimplere, eo quòd liber ab illis maneat; ecce ergo totum tuum abſurdum inane eſt: quod igitur pœnitens per ſe poteſt præſtare, non adimplendo pœnitentias, ſi lucretur indulgentiam, noſtram doctrinam callens, vel de ea à quouis admonitus, rectius eſt, vt Confeſſarius per ſe præſtet, eas pœnitentias non iniungens: Ad quid namque iniungat id, ad quod implendum pœnitens non tenebitur, & pro ſuo libito poterit honeſtè non adimplere, ſi indulgentiam plenariam obtineat?

83 Deindè reſpondeo, ea abſurda non ſequi: nam Confeſſarius doctus, & prudens ſignificare poteſt pœnitenti grauitatem criminum, iis verbis, & rationibus, quibus deterreatur à noua eorum patratione. Deindè explicare ei debet (maximè imperito) pro eis criminibus pœnitentias aſperrimas fore imponendas, niſi indulgentiæ beneficium adeſſet: & quamvis nolit obligare illum, ad exequenda alia opera, hortaturus eſt tamen ad illa; nempè ad frequentationem Sacramentorum, ad corporis caſtigationem, ad aliaque ſimilia. Quòd ſi pœnitens eius indolis ſit, vt ex pœnitentiæ leuamine quaſi anſam ad peccata repetenda arrepturus eſſe cernatur, & aliundè ignoret doctrinam traditam de indulgentia, oportebit, grauiorem ei pœnitentiam iniungere, moderamine ſeruato, prudentis Confeſſoris arbitrio.

84 Dices rurſus, nemini certò conſtare, etiam poſt adimpleta opera requiſita, an lucratus fuerit realiter indulgentiam; potuit namque aliquis interuenire defectus, quin noſcatur, & tunc ſanè detrimentum ſequitur ex non iniunctione alterius pœnitentiæ Sacramentalis, ſeu ex non adimpletione illius iam iniunctæ, cum non remittatur pœna, quæ eſſet remittenda per eam

ſatisfactio

Digitized by Google

ſatisfactionem. Inſto in ipſa pœnitentia ſatiſfactoria, in cuius adimpletione aliquis poteſt ineſſe defectus, ratione cuius pœna non remittatur. Deindè reſpondeo, licèt ea certitudo non detur, & de facto pœna non remittatur, ſi de facto non obtineatur indulgentia, tamen ſatisfieri obligationi, quam in eo caſu homo habet, ſi opera requiſita ad indulgentiam exequitur, & iuxta ſollicitudinem, quam appoſuit, morali probabilitate iudicat, ſe fuiſſe lucratum indulgentiam. Sic ex doctrina D. Thomæ *in 4. diſtinction. 17. quæſt. 4. artic. 1.* confeſſio informis, habita probabiliter pro formata, excuſat à confeſſione iteranda. Sic in ſententia tuente, ad præceptum ſumptionis Sacramenti adimplendum, neceſſariam eſſe ſumptionem in ſtatu gratiæ, ſi quis exiſtens in mortali, & iudicans probabiliter, ſe eſſe in ſtatu gratiæ, illud ſumat, abſoluitur ab obligatione, quæ tunc inſtat, vt ſumatur. Verum tamen eſt, eum, qui realiter indulgentiam non obtinuit, ſi id poſteà ſibi innoteſcat, teneri vel ad conandum aliam ſimilem indulgentiam lucrari, vel pœnitentiam Sacramentalem ſibi iniunctam implere; ceſſat enim deobligationis ratio, nempè remiſſio pœnæ debitæ, cum hæc adhuc remiſſa non fuerit.

85 Nonnulla ſunt in præſenti animaduertenda. Primò, ſi quis poſt confeſſionem lucratus eſt indulgentiam plenariam, poſteaque pœnitentiam iniunctam exequatur, hæc ſanè pœnitentia ex opere operato pro nullis pœnis erit ſatisfactoria, quippè ſolum vim habet, vt ex opere operato ſatisfaciat pro poenis peccatorum, pro quibus fuit à Confeſſario iniuncta; poena autem ea per indulgentiam iam fuit antecedenter remiſſa. Igitur adimplens eiuſmodi poenitentiam habebit id meritum, eamq; ſatisfactionem, quam haberet, ſi ſponte ſuſciperet, aut ex Superioris præcepto; nec enim aliud reſtat, quod ea poenitentia operetur, ex defectu materiæ; ſicut ſi quis nullam poenam pro peccatis debens, indulgentiam lucraretur, non eſſet poena, quæ remitteretur; ſimiliter ſi quis ante adimpletionem poenitentiæ Sacramentalis, alia opera ſatisfactoria feciſſet, quibus meruiſſet remiſſionem poenæ debitæ pro peccatis in confeſſione expreſſis, & poſteà adimpleret poenitentiã, nullam quidem poenæ remiſſionem ex opere operato per poenitentiam aſſequeretur, vt docet Cardinalis Lugo *vbi ſuprà d. 30. ſeſ. 3. numer.* 16. Contra durandum, & P. Suarium.

86 Quare diſplicet P. Suarez dum iudicat, eſſe probabile, poenitentiã eam Sacramentalem prodeſſe ex opere operato ad ſatisfaciendum pro aliis peccatis, diuerſis ab his, pro quibus fuit impoſita. Quippè licèt ex opere operantis hoc habeat, ſicut & habet quodvis aliud opus poenale ſatisfactorium, non autem ex opere operato, in quo non eſt congruitas, nam poenitentia operatur, vt punitio Sacramentalis, per quam Sacerdos nomine Chriſti commutat poenam pro culpis debitã in eiuſmodi poenitentiam. Sacerdos autem non cõmutat poenam debitam pro peccatis ad ſuum forum non allatis, nec in iudicio illo expoſitis, ſiuè præterita ſint, ſiuè poſt confeſſionem patrata, licèt alioquin fuerint quoad culpam remiſſa.

87 Secundò eſt animaduertendum, quamvis neceſſarium ſit, vt certior ſententia tueatur, ad hoc vt Sacerdos commutet poenitẽtiam ab alio iniunctam Confeſſario, vt poenitens iterum ei peccata declaret, propter quæ fuit iniuncta, at abſque noua eorum declaratione, poſſe commutare illam poenitentiam in plenariæ indulgentiæ lucrationem; quod potius non eſt dicendum commutatio, ſed eſt, edocere tutò poenitẽtem, liberum manere ab obligatione adimplendi poenitentiã iniunctam ab alio Confeſſario, ſi indulgentiam plenariam obtineat. Quod etiam ipſe poenitens ſine interuentu Confeſſoris poteſt ſecũ præſtare, ſi noſtræ doctrinæ ſit conſcius. Cæterùm, ſi indulgentia, quæ ſe offerat tunc lucranda, ſit dumtaxat partialis, cuius intuitu diximus *n.* 80. poſſe Confeſſarium, poenitentiam Sacramentalem minuere, non verò prorſus omittere; poenitens tamen, ſi Cõfeſſarius non minuerit poenitentiã, & velit ipſe indulgentiam illam partialem adipiſci, per eamque aliquid iniunctæ poenitentiæ ſibi relaxari, debet conſulere Confeſſarium, ne erret in quãtitate, ſeu qualitate operũ, quæ arbitrio proprio omittit; niſi ſit vir doctus, qui id calleat æquè, ac Confeſſarius; vel niſi adeò exigua ſit pars, quam omittere intendit, vt dubium nequeat eſſe, plus poenæ remittendum fore per eam indulgentiam partialem, quàm eſſet remittendum per eam operis partem, etiam vt eſt ſatisfactio Sacramentalis.

88 Demùm eſt animaduertendum, conſulendum eſſe poenitentibus, vt quamvis indulgentias plenarias lucrentur, poenitentias nihilominus Sacramentales ſubeant, quibus meritum augeant, vitia, habituſque peccaminoſos corrigant, ad poenitentiam alliciantur ex opere operantis, pro aliis culpis denuò remiſſis ſatisfaciant, & demùm etiam ex opere operato ſatisfaciant pro culpis, pro quibus iniunctæ ſunt poenitentiæ, ſi fortè reipſa non obtinuere plenariam indulgentiam, ob aliquem defectum in executione requiſitorum interuenientem.

Digitized by Google

DISPVTATIO VII.

De Mittentibus alios ad bellum contra Infideles, vt indulgentiam plenariam. Bullæ Cruciatæ conſequantur.

Indulgentia plenaria, modo in ſuperioribus expoſito, etiam conceditur à Pontifice in Bulla Cruciatæ iis, qui mittunt alios ad bellum contra infideles in fauorem Regis Hiſpaniarum, ſeruata formula ibi expreſſa, quæ eſt hæc: *Item qui, alios ſuis expenſis miſerint, dummodò, ſi mittens fuerit Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Primas, Patriarcha, aut Epiſcopus, Regis filius, Princeps, Dux, Marchio, aut Comes, mittat, quot homines vſque ad decem incluſiuè, commodè poterit; nec mittat pauciores quatuor, ſi plures non poterit. Alius verò, cuiuſcumque ſit conditionis ſiuè laicus, ſiuè clericus ſæcularis, vnum mittere teneatur. Quòd ſi tenues adeò fuerint facultates, vt id præſtare non poſſit, eo caſu, duò, vel tres aut quatuor ſtipendium vni perſoluant, pro rata facultatum inter eos diſtribuendum. Item Capitula Eccleſiarum, monaſteria, & loca etiam Regularium & Mendicantium, tam fœminarum, quàm maſculorum, ſi pro decem perſonis eorumdem Capitulorum, & locorum, præcedente Capitulari, ſeu Conuentuali deliberatione, vnum miſerint.* Bulla autem Hiſpana, ſic habet. *Y otro ſi concede la miſma indulgencia à aquellos que, aunque no vayant perſonalmente, embiaren otros à ſu coſta en eſta manera, que ſi el que aſſi embiare, fuere Cardenal, Primado, Patriarca, Obiſpo, hijo de Rey, Principe, Duque, Marques, Conde embie quantos hombres comodamente pudiere haſta diez dellos; y no pudiendo tantos, à lo menos quatro. Y las otras perſonas, de qualquier condicion, que ſean legos, ò Clerigos, embie cada vno el ſuyo, ſino fueſſen tan pobres, que no pudieſſen hazerlo; y en tal caſo dos, tres ò quatro podrã embiar vn ſoldado, contribuendo en eſto cada vno ſegun ſu poſibilidad. Item los Cabildos de las Igleſias y Monaſterios de Religioſos y Religioſas, aunque ſean de los Mendicantes, que por cada diez perſonas de los tales Cabildos, y Monaſterios embiaren vn ſoldado, auiendoſe eſto tratado, y acordado en ſu Cabildo, conſigan la miſma indulgencia.*

CAPVT I.

Quinam mittentes ad bellum alios indulgentiam plenariam Bullæ Cruciatæ obtineant?

1 PLVRA ſunt in clauſula præfixa, quæ nulla indigent expoſitione. Quin circa eam nihil aliud ſcribunt Interpretes, Eman. Rodriguez, Villalob. & Trullench, niſi, quòd ſi fortè in communitate numeri denarij non ſint æquè integri, v.g. ſi in ea ſint quatuordecim, aut quindecim, non teneri duos milites ad bellum mittere, vt indulgentiam lucrentur, ſed vnum, & deindè pro rata iuxta numerum perſonarum excedentiũ decem, nempè quatuor, aut quinque, ſi ſint quatuordecim, aut quindecim, ſoluere expenſas quibus miles alius, additis aliundè reliquis expenſis, per vnum annum in bello militet. Quod ſane rationi conſentaneum eſt, mentique præfatam formulam præſcribentis; non enim par eſt, eos quatuor, aut quinque indulgentia priuari, nec tot ſolui pro illis expenſas, ac pro decem, cum ſumptus elargiendus numero perſonarum aptetur.

2 Cæterùm in præfatæ clauſulæ verbis aliquæ pro communi praxi ſeſe offerunt obſeruatiunculæ, quas in hac diſputatione breuiter expendemus. In primis obſeruo, non opus eſſe ad lucrandam ſupradictam indulgentiam, eos, qui mittunt ſuis expenſis alios ad bellum, ſubiacere dominio Regis Hiſpaniarum, in cuius fauorem miſſi ab illis ſunt militaturi. Cum etenim in præſenti gratiæ omnes concedantur exiſtentibus, aut declinantibus ad Regis noſtri regna initio Bullæ præfixa, & poſſint per tempus in illis verſari Cardinales, filij Regum, aliæque perſonæ etiam non ſubditæ Regi, lucrabũtur equidem indulgentiam, ſi tunc, cum in eis verſantur, eos milites mittunt, licèt ante anni finem exeant è prædictis Regnis; ſicut diximus *diſputat.* 3. *cap.* 3. poſſe incolam loci, in quo Bulla non valet, accedere ad locum, vbi valet, ibique ea ſumpta, in ſuo poſtea loco eius fungi priuilegiis, quæ loco non ſunt affixa; in quo quidem maior eſſe poterat difficultas.

3 Quòd ſi quiſque ex deſignatis miſerint plures milites, quàm opus eſt ad ſemel lucrandam indulgentiam hanc plenariam, toties eam poterunt obtinere, quot milites geminauerint; vt ſi filius Regis, hodie decem milites mittat, cras alios decem, hodie, & cras indulgentiam obtinebit, iuxta doctrinam traditam *diſp. præcedenti, cap.* 5. Si verò ſimul mitteret viginti, dubitari poteſt, an duplicem indulgentiam bis diuerſo tempore ſibi applicandam lucretur? Negarem ego, nam in præſenti

Digitized by Google

præſenti non conceditur, poſſe ſuſpendi indulgentiam, vt ſequenti tempore applicetur, ſed ſtatim obtineri, cum ergo vno, eodemque tempore duplex indulgentia plenaria non plus, quàm vnica operetur, & aliundè ea ſtatim, ac milites mittuntur, ſolutis expenſis obtineatur; ſi vno actu & illi mittantur, & hæ ſoluantur, ſemel tantùm indulgentia obtinebitur; licèt creſcat meritum in mittente, tanquè pium opus maiori conatu, ſumptúque exercente. Quod ampliùs oſtenditur ex mente Pontificis in verbis *ſuprà* poſitis expreſſa, in quibus id ſolùm taxat, vt is, qui poteſt, non minùs quam decem, aut quatuor, aut vnum militem mittat; vbi reſtringit, id ſaltem requiri ad eam indulgentiam lucrandam; non verò extendit, vt pro numero miſſorum indulgentia replicetur. Secùs eſt, ſi diuiſiuè mittantur; nam cum ſingulis vicibus opus requiſitum vltimò ad indulgentiam adimpleatur, ea ſanè illicò obtinetur; & cum poſſint opera vlterius repeti iuxta ſtatuta *ſuperiùs*, repetetur etiam indulgentiæ lucratio. Nec abſonet, ex duobus, qui viginti milites v. g. mittunt, alterum mittentem eos ſimul, indulgentiam ſemel lucrari; alterum bis, ſi ſemel decem, iterum alios decem mittat; Quippè *in ſuperioribus* aſſeruimus, ſæpiſſimè indulgentias non obtineri, quamvis nulla ſit in obtinente culpa, præcisè ob defectum alicuius requiſiti, quod ipſe omittit; nam indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant; in præſenti autem requiſitum, vt bis, vel ſæpiùs obtineatur indulgentia, eſt, vt bis, vel ſæpiùs milites deſignati mittantur, cui requiſito non ſatisfit, etiam ſi ſemel fuerint miſſi plures, quàm deſignati. Exemplo res fit clara. Si concedatur indulgentia toties, quoties quis pauperi erogauerit ſaltem vnam drachmam; qui duas ſimul pauperi vna vice elargiatur, ſemel eam lucrabitur indulgentiam: ſi tamen nunc vnam, poſt verò aliam eroget, bis eam obtinebit: Idem in noſtro caſu contingit.

4 Quid verò, ſi milites miſſi, ante annum perfectum deſerant bellum? Aptanda hic ſunt, quæ diximus *diſp. 5. n. 5.* Et vlteriùs addendum ſit, mittens iam ſoluerit expenſas, licèt miſſus ſua culpa è bello ante anni expeditionem proficiſcatur, lucrabitur indulgentiam, quia expleuit munus ſuum, requiſitumque opus perfecit, nempè expenſarum ſolutionem, & ſanè oppoſitum non eſſet rationi conſentaneum. Secùs eſt de ipſo eunte propriis expenſis ad bellum, de quo *diſputatione* 5. qui non explenit munus ſuum, ſi culpabiliter bellum ante finem anni deſerat, cum ſit opus ab ipſo requiſitum ad lucrationem Bullæ, perſeuerantia vſque ad finem anni. Si verò mittens militem deſertorem, aut profugum, adhuc expenſas non ſoluit, vel ſaltem aliquid earum, debebit ſolutionem perficere in belli ſubſidium, vt indulgentiam lucretur.

5 Deindè eſt obſeruandum, nomine Principis, Marchionis, &c. Qui decem, aut ſaltem quatuor milites ſunt miſſuri, intelligendos etiam alios Magnates, quouis alio titulo cognominatos, ſi ſuperent, aut æquent in communi æſtimatione eiuſmodi alios Duces, aut Marchiones; ſecùs ſi non æquent; vt non æquant Vice-Comites, & ſimiles. Et ſi etenim contingere queat; vt hi, imò & alij Equites, aut perſonæ priuatæ ditiores ſint, quàm illi; tamen in præſenti Pontifex attendit, tum ad id, quod communiùs accidit, nempè illos eſſe ditiores; tum præcipuè ad illuſtria & inſignia cognomina, & excellentiam ſupra cæteros, ratione cuius plus in onerum diſtributione, & in auxilio præſtando Regi, & fidei, debet eis deſignari ſoluendum; ſicque frequentiùs in aliis diſtributionibus ſolet contingere; & vt *inferiùs* conſtabit, eleemoſyna taxata pro Bullæ Cruciatæ acceptione, maior eſt reſpectu nobiliorum, ſeu aliqua excellentia fruentium, quàm reſpectu aliorum, quantumvis hi illis ditiores ſint.

6 Præterea ad praxim eſt obſeruandum hanc indulgentiam lucrari poſſe eas perſonas, qui vel propriis expenſis in bello per annum commorantur, vel ſuo nomine aliquem mittunt, quamvis ad id præſtandum ex Regis præſcripto teneantur: v.g. Equites militarium Ordinum, aut nobiles, qui milites in ſui locum ſubſtitutos mittunt, ſi tamen eos anno expeditionis bellicæ alunt. Quippè quòd Rex eos ratione nobilitatis, aut inſignis militaris, ad bellum conuocet, etiam ſi propriis eorum expenſis, ibi cogat victitare, non officit, quominùs indulgentiam lucrentur, dum ipſi intentionem lucrandi illam habeant. Sicut *diſp. præcedenti* monuimus, poſſe Iubilæum exigentem ieiunia obtineri etiam per ieiunia, ad quæ quis ex Eccleſiaſtico præcepto teneatur. Nec deficit ea profectio, ſeu miſſio à ratione voluntariæ ex eo, quòd aliundè eſſet peragenda, ſicut non deficit prædictum ieiunium; nec aliud voluntarium poteſt in præſenti requiri, niſi id, quod opponitur coacto, non libero, nec liberè in finem indulgentiæ obtinendæ directo.

7 Dicitur in Bulla Latina, *Monaſteria, & loca Regularium*; vbi vox *loca* ſolùm ſuperaddit eas Communitates Religioſas, quæ non vocantur monaſteria, ſed vel Collegia, vel alio ſimili nomine, quas omnes tranſcriptum Bullæ Hiſpanum nuncupat *Monaſterios*. Additur autem *Regularium*, *& Mendicantium*, vt

Mendo in Bull. Cruciat.

Digitized by Google

vt diſtinctiùs res ſignificetur, licèt nomine Regularium omnes poſſent comprehendi; in præſenti autem nomine Regularium intelliguntur Religioſi omnes non Mendicantes, etiam Ordinum Militarium. Cæterùm ſub Epiſcoporum nuncupatione in hac clauſula continentur Prælati alij, ſi Epiſcopali, vel quaſi Epiſcopali iuriſdictione polleant, hi enim, ſub Epiſcoporum nomine clauduntur. Demùm hic non conceditur indulgentia aliis Communitatibus, vt Vrbibus, Academiis, Collegiis ſæcularibus, Confraternitatibus, aliiſque huiuſmodi, etiam ſi ad bellum milites mittant; niſi ipſi propriis expenſis: vt perſonæ priuatæ, id præſtent. Et videtur Pontifex ideò indulgentiam conceſſiſſe Communitatibus Regularium, & non aliis; quia Regulares non habent bona priuatim, ſed communia Monaſterio; ſæculares autem ea habent propria; vnde Regulares nihil ampliùs efficere queunt, niſi milites mittere expenſis à ſuo Monaſterio perſoluendis, ab ipſiuſque emolumento detractis; ſæculares verò poſſunt è propria penu ſoluere expenſas; quod, æquum eſt, vt exequantur, ſi tantùm indulgentiæ bonum obtinere intendunt. Item Eccleſiaſtici, vt tales, bona non adeò pinguia, ac laici poſſident; Eaque aliundè, vt patrimonium Crucifixi, pauperibus ſunt deputata, detractis neceſſariis ad victum poſſidentium. Et licèt honeſtè poſſint in hoc pium opus, ſuas opes expendere, & quilibet obtinere indulgentiam, militem vnum mittens, æquum fuit, vt eorum Communitatibus, & non laïcorum, hæc indulgentia concederetur; tum quia eis majora priuilegia, & gratiæ præſtantur; tum quia communiùs priuati Eccleſiaſtici minùs facultatis habent, quàm laïci ad alendos milites ſuis expenſis.

8 Quamvis nomine Capituli Eccleſiæ frequentiùs intelligatur Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, aut collegiatæ; tamen in præſenti non dubitauerim, verba *Capitula Eccleſiarum* extendi etiam ad alias Eccleſias parochiales, in quibus Prior, Rector, aut ſimilis eſt Præpoſitus, alijque Beneficiati Capitulum conſtituentes; cum enim hæc vox *Capitulum* poſſit ſignificare cœtum iſtorum, vtpotè qui etiam ſimul conueniunt, vt de rebus ad ſuam Eccleſiam pertinentibus deliberent; & aliundè ſit fauorabile hoc indultum mittendi milites ad bellum, tàm reſpectu illorum, vt indulgentiam plenariam obtineant, quàm reſpectu Regis Hiſpaniarum, in cuius fauorem Bulla Cruciatæ conceditur, & in cuius auxilium milites mittuntur, non eſt, cur negemus, Pontificem non comprehendiſſe ſub voce Capituli etiam Parochialia eiuſmodi Capitula.

CAPVT II.

De numero, & modo mittendorum ad bellum, vt indulgentia plenaria obtineatur.

9 VT obtineatur præſens indulgentia, deſignatur à Pontifice numerus militum, qui mittendi ſunt. Scilicèt à filio Regis, Principe, &c. Decem ſunt mittendi, ſi illi poſſint eos mittere; ſi verò nequeant, ſaltem quatuor ſunt miſſuri. Vndè, qui cum poſſit ſuis expenſis mittere decem, minùs quàm decem mitteret, non lucraretur hanc indulgentiam; ratione enim tituli nobilitatis, quo gaudent, hoc majus onus ab eis requiritur, quod niſi ferant, non adimplent requiſita opera ad indulgentiã. Qui verò ex illis non poſſit mittere nec quatuor, non lucrabitur præfatam indulgentiam, etiam ſi duos, aut tres mittat; nam, vt diximus *diſp. præteritâ*, qui non adimplet opus requiſitum ad indulgentiæ conſecutionem, etiam ſi impotens ſit adimplere, indulgentiam minimè lucratur.

10 Similiter non obtinet indulgentiam quilibet alius, vltrà prædictos, qui potens ſuis expenſis mittere vnum militem, non mittat, etiam ſi aliquid præſtet ſimul cum aliis, vt vnus inter eos omnes mittatur. Quòd ſi nequeat quis expenſas vnius ſoluere, duo, tres, aut quatuor vnum mittentes militem, indulgentiam omnes obtinebunt. Imò ſi quatuor adhuc non poſſint quinque, aut plures mittẽtes vnum militem, eam lucrabuntur (id enim ſignificant illa verba diſiunctiua Bullæ, *duo, vel tres, aut quatuor*; quaſi exemplum apponentia, non verò determinantia) inter quos pro rata facultatum vniuſcuiuſque debet ſtipendium perſoluendum diſtribui; ita vt is, qui commodè plus poſſet erogare, non obtineat indulgentiam ſi non erogct; ſolùm enim permittit Pontifex minorem erogationem, cum major nequit præſtari.

11 Nec indè inferas, ſi innumeri pauperes confluant, vt vnum militem mittant, ita vt ſinguli eorum exiguam valdè partem ſtipendij perſoluant, v. g. dimidiam, aut vnam drachmam, eos omnes indulgentiam hanc fore lucraturos; nam id eſt contra Pontificis mentem in clauſula præſenti, qui majores exigit ſumptus, quàm inferiùs, vt alia priuilegia, & indulgentiæ obtineantur; inferiùs autem Commiſſario Cruciatæ eos deſignandos committit, qui pro acceptione tranſcripti Bullæ Cruciatæ duas drachmas argenteas etiam à pauperiore taxat perſoluendas. Et vlteriùs, licèt illa verba *duo, vel tres, aut quatuor* in modo ſignificandi communi aliquam patiantur extenſionem, non verò tantam.

Demùm

Digitized by Google

Demùm, ſi Pontifex id voluiſſet, poſſet faciliùs aſſerere, eam indulgentiam obtinere poſſe, quotquot vnum militem mitterent ſimul, ſi ſeorſim ad eum mittendum ſingulis facultates non ſuppeterent, nec poſſet ſtipendium perſolui, niſi inter omnes eos, qui, vnum mittebant.

12 Dubitet aliquis, an ſi miles aut milites non mittantur ab omnibus adhuc relatis, ſed mittatur ſtipendium, quo milites prædicti in bello iam exiſtentes alantur, obtineatur hæc indulgentia à ſoluentibus id ſtipendium? Iudico, ſic eſſe diſtinguendum. Si Rex Hiſpaniarum, in cuius auxilium aduerſus infideles hæc præſtantur, non ſolum indigeat ſtipendiis, ſed & militibus, non obtinebitur indulgentia, niſi vtrumque mittatur; cum enim id Pontifex exigat, vt ſubſidium Regi præſtetur, & ex vtroque tunc ſubſidium dependeat, intelligenda ſunt verba Pontificis, vt ſonant; vtpotè vt ſic, in finem intentum, collimantia verba autem ſonant, mittendum eſſe militem, aut milites, & expenſas eis perſoluendas. Si verò Rex militibus non indigeat, quia neceſſarios habet; pluresque habere, forſan ſit incommodo futurum, vel quia non erunt in regione, in qua exercitus peruagatur, cibi ſufficientes; vel quia, ſi numerus militum creſcat, aliquod aliud damnum timeri poteſt; tunc opus non erit, mittere milites, ſed ſtipendium perſoluere; ea enim cernitur eſſe mens Pontificis intendentis commodum Regis ſine incommodo; & eo caſu latè dici poteſt miſſus miles, propriis expenſis, dum hæ perſoluantur, cum valdè materialiter ſe habeat miſſio noua militis, cum hac non eſt opus, ſed ſtipendij ſolutione, qua ſumptus Regis leuantur, quin in ea miſſione ſit aliquod leuamen, aut auxilium, ſed potiùs incommodum. Nec erit tunc neceſſe, ad indulgentiam obtinendam, vt præter expenſas militis annuas, addatur in ſubſidium belli ſumptus ille, qui à milite, ſi mitteretur, eſſet in itinere ad exercitum faciendus, hic enim per accidens ſe habet in Ordine ad ſubſidium, quod Regi præſtatur, cum hoc ſolùm in expenſis ſoluendis militi in exercitu commoranti conſiſtat, ad idque Pontifex attendat in præſenti.

13 Vnde, etiam cum miles mittitur, ſi miſſio in itinere poſſit abſque expenſis mittentis ſtare, lucrabitur indulgentiam, ob rationem nuper attactam. Hinc etiam, ſi hi, qui exiſtunt in exercitu, Duces, Marchiones, &c. aut perſonæ priuatæ, velint hanc indulgentiam lucrari, non aliud eis opus eſt, quàm expenſas ſoluere alicuius, aut aliquorum militum ibidem commorantium. Hæc quippè eſt manifeſtè mens Pontificis; qui nec illos intendit priuare indulgentia, eo quòd non exiſtant alio in loco, vndè mittant milites; nec Regem ſubſidio, quod ab eis poteſt præſtari. Parque eſt in eis ratio, ac in aliis, qui v.g. vnam, aut duas tantùm leucas diſtent ab exercitu, qui tamen ſumptus in itinere militis non facient, nec ideò indulgentiam non lucrabuntur.

14 Attamen ſi Rex indigeat militibus, & non dumtaxàt ſtipendiis, opus erit ad indulgentiam obtinendam, vt hi, qui in exercitu commorantur, non ſolùm ſtipendia perſoluant, ſed aliundè milites vocent, & conducere ad exercitum conentur, ob rationem ablatam *num.* 11. Cæterùm metaphyſicus caſus erit, quòd non ſit vllus miles, qui mittatur, aut conuocetur: In quo ſufficiet ad indulgentiam lucrandam ſoluere expenſas annuas militibus in exercitu iam exiſtentibus; ſic enim ſubſidium à Pontifice intentum præſtabitur omnino, cum ſubſidium impoſſibile non intendatur; ſicut non intenditur ſubſidium incommodo futurum, cum nempe miſſio militis noui, de qua *num.* 11. non iuuat, ſed officit.

15 Nomine expenſarum, quas debent perſoluere, qui hanc indulgentiam intendunt obtinere, eæ omnes intelliguntur, ſine quibus miles in exercitu commorari non poteſt; videlicèt ſumptus neceſſarij ad victitandum, ad veſtes, ad arma ſibi commoda, & ſi quæ ſunt alia opus; abſque his namque abſolutè non militat quis expenſis alterius; niſi fortè quid exiguum aliundè acciperet, quod ob paruitatem non tolleret abſolutè, expenſas eſſe proprias mittentis; paruitas verò penſanda eſt, facta comparatione cum toto ſumptu annuo, ſicut in cæteris rebus fit comparatio paruitatis. Quòd ſi miles miſſus in exercitu ægrotet, ſumptuſque ex curatione augeantur, non tenebitur mittens perſoluere ſumptuum augmentum; hi enim non comprehenduntur ſub expenſis annuis, vtpote accidentales, & extraordinarij; ſicut dominus, qui famulum ſuis expenſis alit, non tenetur ſimiles ſumptus ei erogare, niſi aliter cum illo pactus fuerit.

16 Animaduertere in præſenti oportet, caſu, quo perſona priuata non poſſit ſuis ſumptibus militem in exercitu alere, queat tamen ſumptus partem elargiri, ſi non ſint alij, qui ſimul ſumptus reliquam partem erogent, eum obtenturum fore indulgētiam plenariam, ſi partem eam, quam poteſt tribuat, vt ſimul cum illa Rex contribuens cæteras expenſas, militem vnum ſuſtentet, ſeu mittat. Etenim ſi ille indulgentiam lucraretur, eam partem expenſarum erogans, dūmodò eſſent alij duo, aut tres, qui æquam largientes partem, militem vnum alerēt, aut mitterentur,

Digitized by Google

etiam ſi non ſint, non obtinebit indulgentiam, idem prorsùs ex parte ſua peragendo, idemque ſubſidium Regi præſtando? Quod ſanè videtur eſſe Pontificis intentum, & mens in hac indulgentiæ conceſſione. Indéque confirmatur; nam poteſt contingere, vt nemo ſit Salmanticæ, v.g. niſi vnus, qui velit, expenſas ad militem ſuſtentandum præſtare, qui tamen ſolùm queat partem illarum elargiri; poteſt item Compluti non eſſe niſi quidam alius; quorum vnus non eſt conſcius alteriùs. Si hi duo mitterent militem, indulgentiam obtinerent; quare ergo, tribuens vnuſquiſque Regi, quod erat elargiturus, ſi conſcius alterius ſimul cum eo mitteret militem, vnuſquiſque indulgentiam non obtineat, cum effectus, & emolumentum ſit idem? Imo crediderim, aliquando plus commodi afferri a tribuente pecuniam, quàm militem, & dum Rex habeat copiam ad ſumptus, aptiùs ipſe cum ſuis Ducibus milites eligit, & aduocat, quam aliæ perſonæ priuatæ; igitur cum in præſenti intendatur Regis commodum in Ordine ad bellum contra infideles, non minùs indulgentia obtinebitur erogatione pecuniæ, quàm militis miſſione. Hinc tribuentes donatiua (ſi hæc ſint in ea quantitate, quam expoſuimus) ad ſubſidium belli, hanc poſſunt indulgentiam obtinere.

17 Deliberatio Capitularis, ſeu Conuentualis, quæ in Eccleſiis, ſeu Domibus Religioſis iuxta clauſulam præſentem præcedere debet, vt milites ab eis mittantur, tunc neceſſaria eſt, cum de bonis illius Cõmunitatis, quæ miſſura eſt huiuſmodi milites, non aliter niſi ea cum deliberatione poteſt diſponi, vt communiter non poteſt; cui modo diſponendi, vt frequentiori, attendit hic Pontifex, dum eum exigit. Etenim, ſi in aliqua Communitate poſſet de bonis illius in vſus pios diſponi abſque deliberatione totius Communitatis, vel ſaltem abſque forma, & ſolemnitate Capituli, etiam hac deficiente, ſufficienter poſſet Pontificis mens ſtare, & indulgentia obtineri. Ponamus caſum, Prælatum Communitatis, quin ſubditos in vnum coniungat, à ſingulis inquirere beneplacitum ſoluendi expenſas vni militi, aut pluribus iuxta numerum illorum; omneſque ſeorſim illud præſtare; ſi aliundè ſupponatur, in ea Communitate non eſſe opus deliberatione Capitulari, ſeu Conuentuali ad diſponendum de ipſius bonis tunc omnes indulgentiam obtinebunt, miſſis militibus, etiam non præcedente ea deliberatione Capitulari ſolemniter, aut formaliter; nam virtualiter præcedebat, ſingulorum conſenſu præeunte.

18 An autem opus eſſet, vt in Capitulo nullum omnino ſuffragium deeſſet, vt poſſent milites mitti, philoſophandum eſt, ſicut in cæteris aliis donationibus piis ac liberalibus, quæ poſſunt ab eadem Communitate fieri, ſtandumque eius ſtatutis, ſi in hac re à communioribus diſſideant, iuxta quæ in rebus gratuitis nullum ſuffragium debet deficere. Sed demus, poſſe eam donationem liberalem fieri, conſentiente maiore parte Capituli, etiam ſi cæteri refragentur; tunc hi refragantes obtinebuntne indulgentiam, de qua in præſenti? Cenſeo, obtenturos; quia nomine totius Communitatis illæ expenſæ ſoluuntur, nec magis ſunt propriæ eorum, qui ſuffragium ſuum tulerunt, quàm horum, qui refragati ſunt, ſed æquè omnibus communes; nec exigitur vt medium ad indulgentiam, quòd ſuffragium ſuum in fauorem tulerit, qui eam lucratur. Quod tamen limitarem, ſi is qui refragatus fuit, licèt perſeueret in ſuo iudicio, quòd ea eleemoſyna non eſſet tribuenda ob rationes ipſum ad id mouentes, tamen non habeat animum efficaciter, quantum eſt ex ſe, repugnantem ei erogationi, ſeu volitionem, qua quaſi dicat, vellem tollere hanc elargitionem mihi diſplicentem, tolleremque ſi poſſem. Quippè hic redditur indignus obtentionis indulgentiæ, dum, quantum eſt ex ſe, tam longe abeſt, vt cooperetur mediis requiſitis ad illam, quòd potiùs in deſtructionem illorum ex ſua intentione tendit; quo non ſtat intentio ſaltem virtualis adipiſcendi indulgentiam, hæc autem ſine ea intentione nequit obtineri iuxta dicta *diſp. præcedent.* Debet ergo ille, vt lucretur, quaſi habere ratam eam præſtationem ſumptuum à Capitulo deſignatam, & animum contrarium exuere.

DISPVTATIO VIII.

De miſſis per alios ad bellum, indulgentiam Bullæ Cruciatæ obtinentibus.

1 QVi mittunt ad bellum milites modo *nuper* explicato, indulgentiam plenariam obtinent; additque Bulla: ***Item eamdem indulgentiam aſſequantur etiam omnes, qui mittentur, ſi pauperes fuerint.*** Hiſpana autem Bulla ſic vertit. ***La qual anſi miſmo conſeguiran, los que fueren embiados, ſi fueren pobres.*** Quæ verba dilucida ſunt; ideò nihil prorsùs circa illa Authores tradiderunt. Breuiter tamen aliqua notabimus.

2 Pauperes ſunt intelligendi hi, qui commodè nequeunt ſuis expenſis militare per integrum annum; quamvis alioquin poſſent partem earum perſoluere; ſicut pauper dicitur is, qui non habet, vnde toto anno victitet licèt aliqua illius parte poſſit ſe ipſum ſuſtentare.

Digitized by Google

ſuſtentare. Hinc milites ſubſtituti miſſi ab Equitibus Ordinum Militarium, aliiſque nobilibus, eorum ſumptibus in exercitu commorantes indulgentiam præſentem naneiſcuntur. Imò ſi ab eis mittantur, poſteaque expenſis Regiis in bello militent, dum tamen pauperes ſint, hanc credo, indulgentiam obtinere; nam, quantum eſt in ipſis, idem præſtant, ſiue ab hoc, ſiue ab illo ſuſtententur, cum pauperes ſint, & miſſi. Quid enim refert iuxta Pontificis animum, quod pauperes alantur ab eodem, à quo mittuntur, an ab alio? Reſpectu quidem mittentium aliter res ſe habet, ſi enim hoc ſubſidium non præſtent, expenſas annuas tribuendo, indulgentiam non obtinent, cum non faciant, quantum eſt ex ſe, ad ipſoſque ſpectat, quod poſſunt, & quod à Pontifice requiritur.

3 A fortiori indulgentiam obtinebit miles pauper miſſus, ſi partim propriis expenſis, partim alienis militet; cum abſolutè pauper ſit, nec teneatur illam partem propriam expenſarum perſoluere, ſed id gratuitò efficit; indulgentia autem non ideò non obtinetur, quia aliquid ſupererogationis addatur, dum omnia requiſita adſunt, vt in præſenti contingit. Quòd ſi, durante anno militiæ, vel in præmium facinorum geſtorum, vel in explicatione alicuius loci hoſtilis diteſcat miles, non tenetur ſumptus ex propriis facere, ſed de alienis victitans indulgentiam lucrabitur; quia hoc valdè accidentarium eſt; & cum pauper eſſet eo tempore, qui fuit miſſus, ad quod in hac clauſula reſpicit Pontifex; ſat ipſe requiſita appoſuit perſeuerans in bello, quamvis aliquo tempore; ad anni ſpatium adhuc reſtante, non inſumat propria bona, quæ adquiſiuit; ſicut, ſi pauper ſit miles, qui mittitur, poſſet tamen per vnum, aut duos menſes, ex propriis ali bonis, nemo eum ad id obligabit, vt indulgentiam lucretur.

4 Quid verò, ſi miles non mittatur, ſed vnus ex exiſtentibus iam in bello, pauper aliundè, ſuſtentetur ab alio, an hic indulgentiam obtinebit? Recole dicta *diſp. præcedenti*, *num.* 11. & iuxta ea, tenendum iudico, tunc militem eum lucraturum fore indulgentiam, cum tribuens ei annuas expenſas, etiam indulgentiam lucratur, par enim eſt ratio, vnumque alteri correſpondet in eo ipſo, quod in clauſula iſta Bullæ requiritur. Porrò quicumque ex his militibus pauperibus debet integro anno in exercitu perſeuerare, niſi ante finem anni fuerit terminata expeditio, par enim eſt ratio de his, ac de illis, qui propriis expenſis militantes obtinent plenariam indulgentiam; de quibus egimus *diſputat*. 5. Miles pauper, ſi ob iuſtam cauſam diſcedat ab exercitu ante anni finem, aut moriatur, videtur lucraturus eſſe hanc indulgentiam: Id enim conceditur proficiſcenti ad bellum propriis expenſis, eodemque ſub tenore, ac formula proſequitur conceſſionem Pontifex, à cuius mente alieniſſimum eſt cenſendum, vt miles pauper in bello moriens non lucretur indulgentiam; cum tam frequenter ibi mors ex vulnere, vel ægritudine accidat, & in mortis articulo ea ſit maximè neceſſaria, paucioreſque ferè eſſent, qui nequirent hanc indulgentiam obtinere, morte interueniente, quàm qui lucrarentur viui poſt anni finem durantes, præcipuè ſi prælia, ſeu inuaſiones graſſentur.

5 Nec inconueniens eſt cenſendum, eo caſu, quo miles pauper decedit è vita aut è bello ante expeditionis annuæ finem, alium mittendum fore, ſiue alendum ab eo, qui expenſas elargiebatur, lucraturus ipſe indulgentiam; eo quòd inde fieret, vel militem denuo miſſum, ſolúmque partem anni in bello commorantem obtinere indulgentiam non ſecùs ac illum alterum, qui deceſſit, ideóque duos explentes dumtaxat locum vnius militis indulgentia potiri, quod Pontifex elargiri non cernitur; vel militem ſecundum non lucrari illam, etiam ſi in bello decederet, vel magnam partem anni ibi commoraretur. Non, inquam, eſt inconueniens, vtrumque fungi indulgentia, cuius conceſſio, vt fauorabilis, eſt amplè interpretanda; cum id pietati, Pontificiſque menti in hoc caſu ſit conſonum. Nam alia via nequit incedi; nec poteſt dici, primum militem ſolum, vel ſecundum ſolum lucrari indulgentiam; quippè in vtroque adſunt par ratio, incommoda, pericula, ſubſidium; neque affirmari valet, neutrum eam fore obtenturum; hoc enim, præterquàm quòd à pietate diſſonat, contrariatur animo Pontificis, eiuſque fauorem, ac conceſſionem arctam, & otioſam reddit.

6 Hic dubitari poterat, an miſſus ad bellum, ſi pauper ſit, toties quoties confitetur, & conteritur, in exercitu perſiſtens, hanc indulgentiam lucretur? Sed idem reſpondendum eſt, quod de proficiſcente propriis expenſis affirmatur, de quo *d*.5. quidquid dicat, nulla adhibita ratione, Ioan. Garnica *in explicatione Hiſpana Bullæ Cruciatæ*, leui calamo exarata.

DISPVTATIO IX.

De Clericis ſæcularibus, & Regularibus indulgentiam Bullæ in bello obtinentibus.

Indulgentiam plenariam adhuc expoſitam concedit Pontifex (vt habet Bulla Latina) quòd obtineant. *Item Clerici ſæculares, qui ab ordinariis, & Regulares à ſuis ſuperioribus habita licentia, verbum Dei in eodem exercitu prædicauerint, confeſſiones audiuerint; ſeu Miſſas celebrauerint, vel alia Eccleſiaſtica, & pia miniſteria exercuerint.* In Bulla autem Hiſpana hæc habentur; *Item los Clerigos ſeculares, que con licencia de ſus Ordinarios, y los Regulares de ſus Superiores, predicaren la palabra de Dios en el dicho exercito, ò exercitaren otros miniſterios Ecleſiaſticos, y pios.*

CAPVT I.

Qui Clerici ſæculares, qui Regulares hanc Bullæ indulgentiam in bello nanciſcantur?

1 CLERICI nomine ſignificatur, quicumque ordine aliquo initiatus eſt, à prima tonſura (ſi dicatur Ordo) vſque ad ſupremum; in qua ſignificatione Concilia, & Iura de Clericis loquuntur, vt paſſim cernitur. In præſenti tamen dubitandum incidit, an quiuis Clericus, etiam non Sacerdos, poſſit in bello, opera requiſita à Pontifice exercens, indulgentiam iſtam plenariam nanciſci? Nihil de hoc Authores.

2 Cenſeat aliquis ſolùm Sacerdotes Clericos in præfixa clauſula comprehendi; quia miniſteria exercenda per ipſos, in Bulla deſignata, ſunt propria Sacerdotum; ſcilicet celebrationes Miſſarum, & Confeſſionum auditiones. Nec obſtat alia addi pia miniſteria; quippè prædicatio verbi diuini, licèt poſſit à Diacono præſtari, ſaltem non poteſt ab inferioribus Clericis; id enim non conceditur his, ſic verò Diacono; vt docet D. Greg. *l.4. epiſt.*88. Cardin. Bellarmin. *tom.*3. *controuerſ. l.*1. *de Sacram. ordin. c.*6. Deindè ea miniſteria, quæ adduntur, ſunt minùs principalia, & quaſi acceſſoria; ſupponentia, tanquam principaliora, miniſteria propria Presbyterorum, quibus ipſis conceditur indulgentia, ſi ea pia exerceant miniſteria.

3 Iudico, non conuincere rationem factam, vt non poſſit quis defendere, in præſenti nomine Clericorum intelligi quemcumque Ordine aliquo initiatum, cum priuilegia, ſint amplianda, & ſaltem non debeat reſtringi conceſſio citra ſignificationem propriam vocis, ſi aliundè contraria concedentis intentio non pateat. Aduertendum tamen, etiam in hoc modo ſentiendi, Clericos primæ tonſuræ, & in minoribus Ordinibus conſtitutos, in præſenti non comprehendendos eſſe, ſi priuilegia Clericalia iam amiſerint per mutationem ſtatus, & habitus, aut alia ratione; hi etenim inter Clericos propriè non numerantur, cum iam non ſint de ſorte Domini; & initium, ac fundamentum ad ſacros Ordines, quod eſt prima tonſura, & quatuor gradus, quaſi inane, ſuperfluumque reddiderint; nec par eſt, vt commoda ſentiat, qui non ſentit onera; ſicut à contrario, iuxta regulam iuris vulgatam, qui ſentit onus, & commodum ſentire debet; & aliundè poſſunt illi militare in bello; quæ ratio vrgebitur ſtatim *n.*5.

4 Clerici in præſenti comprehendunt eos, qui Beneficia non curata, ſeu Capellanias collatiuas habent, Canonicos, Dignitates, Clericos ſimplices nullum beneficium habentes, & quoſvis alios, qui non habeant curam animarum, vt ſunt parochi, qui expreſſè excipiuntur; niſi Pontificis accedente licentia; item & Epiſcopi, ſimileſque Prælati, vt Abbates iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentes; qui & ſi non excipiantur expreſſe, tamen dum propter curam animarum excipiuntur Parochi, à fortiori & illi excepti intelliguntur, qui maiorem curam animarum habent: Qui autem negat id, quod minus eſt, & negare creditur id, quod plus eſt, & continet illud minùs in ſe; imò quia hoc adeò eſt manifeſtum, & quia ſupponitur, Epiſcopos, hiſque ſimiles non deſerturos eſſe proprium gregem, vt ad bellum quouis pio titulo tendant, ideò expreſſè hic non eſſe exceptos, certiſſimò conſtat; niſi vrgentiſſima eſſet cauſa tendendi, & tunc Pontificis licentia opus eſſet, vt opus eſt Parochis.

5 Regulares autem, vt in bello hanc obtineant indulgentiam, in aliquo Ordine debent eſſe conſtituti; quare eam non lucrabuntur regulares conuerſi, ſeu laici nuncupati: Nam ea vox, & *Regulares* in clauſula præſenti ponitur adiectiuè,& cadit ſuprà vocem *Clerici*; ſicut vox *ſæculares* etiam adiectiuè eſt poſita cuius ſignum eſt ea coniunctio *&* collocata ante vocem *Regulares* ſine alia additione extendente ſignificatum; idem namque eſt, *Clerici ſæculares,& Regulares*, ac, *Clerici tam ſæculares, quàm Regulares*, aliàs hunc faceret ſenſum; *Clerici ſæculares,& Regulares omnes,etiam ſi non ſint Clerici*; qui ſenſus,ſi de mente eſſet Pontificis, ampliùs profectò debebat exprimi,attentis verbis præcedentibus. Aliquis forſan velit extendere vocem *Regulares* ad quoſvis, etiam conuerſos,

cum

Digitized by Google

cum hi cadant propriè ſub illa voce, & non debeat hæc conceſſio fauorabilis coarctari; poſſintque huiuſmodi Regulares in bello exequi pium miniſterium aſſiſtendi Xenodochiis, curandi ægrotos, parandi cibos, aliaque huiuſmodi, licèt hæc eadem miniſteria poſſint exercere laïci ſæculares, ſpeciali ratione concedi dicetur hanc indulgentiam Regularibus conuerſis, & non ſæcularibus laïcis; quia hi poſſunt militare in bello, illi non poſſunt, attento ſtatu Religionis, ſaltem communiter loquendò; quare ab illis ſolùm requiritur ad indulgentiæ adeptionem id, quod præſtare poſſunt; ab aliis verò, vtpote plus præſtare ex ſe valentibus, non hoc, ſed amplius exigitur. Ad oppoſitum propendeo; quamvis hoc verîſimilitudine non careat.

6 Regulares cæterum huius indulgentiæ capaces ſunt omnes, qui Ordinem à Sede Apoſtolicâ approbatum profitentur; inter quos connumerantur, vt ſtrictè Religioſi, Canonici Regulares, & profitentes Ordines militares ſaltem Regulares Militares, & Equites Militiæ D. Ioannis, qui ab omnibus admittuntur ſtrictè Religioſi. Nouitij etiam ſub nomine Regularium comprehenduntur in præſenti; nam eſt conceſſio fauorabilis Religionibus; nouitios autem Religionum fauoribus frui, ſtabiliui *diſp.* 4. *n.* 21. Etiam comprehenduntur Regulares, qui ratione alicuius dignitatis exempti fuerunt ab obedientia ſuæ Religionis, nam hi, ſiuè Epiſcopi, ſiuè Cardinales, aut Abbates benedicti, ſeu alia dignitate fruentes, gaudent gratiis ſuæ Religionis, quæ non concernunt corpus religionis quoad iuriſdictionem, & adminiſtrationem bonorum temporalium, nec ſunt onerosæ Religioni, dum eis illi gaudent; ſed abſque onere, & grauamine ipſius, cum animæ ſuæ commodo, vel etiam corporis, potiri queunt: Quæ doctrina rectè traditur à P. Suar. *tom.* 4. *de Religion. l.* 3. *c.* 18. Cum igitur indulgentia præſens ſit gratia, quam poteſt Regularis exemptus lucrari cum animæ commodo, & ſine Religionis grauamine, nec ad huius corpus in adminiſtratione bonorum, aut iuriſdictione pertineat, extendenda eſt ad eiuſmodi Regulares; dum tamen licentiam congruentem obtineant à Pontifice, ad quem attinet eam elargiri; ſi enim ij Regulares curam animarum habeant, eam licentiam Pontifex ſibi reſeruat, vt diximus *num.* 4. ſi autem eam non habeant, adhuc Pontifex eſt eorum Ordinarius, Clerici autem nequeunt hanc indulgentiam obtinere, niſi ad exercitum contendant cum Ordinarij, aut Superioris ſui licentia, vt in clauſula præſenti exprimitur.

CAPVT II.

Quæ licentia requiratur, vt Clerici ſæculares, & Regulares ad exercitum tendant, indulgentiam Bullæ lucraturi?

7 Clericis ſæcularibus licentiam ſui Ordinarij, Regularibus verò licentiam ſui ſuperioris eſſe opus, expreſsè hic Pontifex declarat. In quo nihil notatu dignum Interpretes Bullæ repererunt. Dubitari tamen poteſt primò, an, & cur Clericus ſæcularis, qui nullum poſſidet prorsùs Beneficium, aut præbendam Eccleſiaſticam, nec alicuius Eccleſiæ eſt deputatus obſequiis, debeat licentiam ab Ordinario impetrare, vt ad prædicta, miniſteria pia in bello exercenda lucraturus indulgentiam proficiſcatur? Reſpondeo affirmatiuè, quia id exigit Pontifex abſque limitatione, nec reſtringit ad Clericos Beneficiis fungentes; & vbi lex, & legiſlator non diſtinguit, nec nos reſtringere, aut diſtinguere debemus abſque fundamento rationabili, quod in præſenti non apparet. Ratio autem, cur his etiam iniungatur onus licentiæ impetrandæ, ea eſt, tum quia ſpecialiter ſubiacent poteſtati Ordinarij, cui fas eſt conſulere, eam conſeruando, ne ſubditus, de quo ille poterat in aliquibus diſponere, ſua ſponte aliò tendat, aut ab eius iuriſdictione recedat; tum præcipuè, quia Ordinarius, cum ſit paſtor, & vultum ſui gregis agnoſcat, poterit diſcernere, an ſit expediens, hunc, aut illum ad exercitum migrare ad concionandum, audiendum confeſſiones, & alia pia miniſteria obeundum; hæc quippè ibi præſtanda exigunt ſpecialem prudentiam, doctrinam, ætatem, probitatemque morum, de quibus nemo aptiùs, quàm Ordinarius, ferre iudicium poterit, licentiamque exindè concedere, aut inficiari.

8 Quamvis autem ad actus iuriſdictionis proprios exercendos, quales ſunt, audire confeſſiones, & ſimiles, ſit opus licentia expreſſa, ſeu conceſſione explicita eiuſmodi iuriſdictionis, de quo nunc non diſputo, & non ſufficiat ratihabitio; tamen cum licentia Ordinarij in præſenti requiſita non ſit ad actus iuriſdictionis exercendos, ſed præciſè ad eundum in exercitum, vbi aliundè eſt habenda licentia ad audiendas confeſſiones, & ad alia id genus; hinc ratihabitio Ordinarij videntis eam profectionem, & conſentientis, ſufficiens erit, cum ſic præſtetur, quod à Pontifice intendi, dixi *n. præcedenti*. Non tamen eodem modo philoſophandum eſt de Regularibus, ſumpta diuerſitate ab ſtrictiori, norma, qua hic operantur, vſuque in Religionibus

communi, in quibus profectio ab vno loco in alium, a fortiorique in bellum, aut exercitum, nunquam ſine expreſſa licentia generali, vel ſpeciali permittitur; imò & ſi in aliis licentia interpretatiua, vt ſufficiens, defendatur, nullus dicet, poſſe Religioſum domo exire, aut è ſua ſede ad alium locum migrare, cum licentia dumtaxat interpretatiua, nempe ſibi perſuadendo rationabiliter, eam licentiam non fore ſibi denegandam à ſuperiore, ſi eam ab ipſo poſtularet; ſed non poſtulanus, rubore, aut alia ratione detentus: Quippè ſi id liceret, totius gubernationis ordo rueret; & in re ſummi momenti obſeruantia labefactaretur. Secùs contingit in Clericis ſæcularibus, qui non arcta, adeò obſeruatione obſtringuntur, nec ex eorum operandi modo laxiori paria erumpunt inconuenientia. Dixi, non eſſe eodem modo philoſophandum de Regularibus in ratihabitione, niſi hæc adeò eſſet manifeſta, vt pro licentia expreſſa haberetur; nec enim expreſſio à verbis aliquibus determinatis pendet, ſed à voluntate exteriùs ſufficienter manifeſtata.

9 Addo, nec clericis ſæcularibus poſſe ad rem præſentem ſuffragari licentiam ordinarij interpretatiuam. Etenim cum licentia in hoc caſu ſit quaſi approbatio perſonæ idoneæ, vt in exercitu pia miniſteria exercere permittatur, nemoque in propria cauſa pertinente ad ſui ipſius approbationem, cenſeatur rectus iudex, ſed potiùs ſuſpectus, non poteſt interpretari voluntatem, & licentiam Ordinarij, vt moraliter certam, ſed debet eam poſtulare. Quid? quòd vſus licentiæ interpretatiuæ (etiam ſi licitus adſtruatur) non extendendus eſt ad omnes res, & materias; ſic enim pernicioſus valdè eſſet, ſed coarctandus ad eas in quibus ſpeciali cum fundamento à nonnullis Authoribus admittitur, cuiuſmodi non eſt præſens.

10 Attamen tàm clericis ſæcularibus, quàm Regularibus ſufficiet licentia virtualis, & implicita, nempè talis, quæ in alia explicita, & formali contineatur, aut incluſa iudicetur; v. g. ſi licentia tibi eſt conceſſa, vt poſſis per totum regnum concionando, & audiendo confeſſiones peruagari, etiam tibi conceſſa cenſetur, vt in exercitu intra regnum commorante eadem exequaris; nam in licentia generali explicita, omnes ſingulares eiuſdem rationis ſunt implicitæ, & contentæ, Vel ſi mittaris ad exercitum, vt examines, & approbes eos, qui ibi ſunt concionaturi, & audituri confeſſiones, implicitè cenſetur tibi conceſſa licentia ea munia per te ipſum præſtandi.

11 Sed hic dubitari ſecundò poſſet, an is, cui à ſuo Ordinario, vel ſuperiore licentia cōceditur, vt ad exercitum in diuerſo territorio exiſtentem tendat, ſi aliundè ab eodē facultatem habeat concionandi, & audiendi confeſſiones, poſſit hæc ibi exequi abſque noua alterius licentia? In primis de his, qui in exercitu commorātes, Bul. Cruciatæ ſummarium, eleemoſyna erogata, ſumpſerunt; aut propriis expenſis militantes, aut pauperes miſſi per alios, qui omnes priuilegiis Bullæ fruuntur, an poſſint eligere Confeſſarium à quouis Ordinario approbatum, agemus *inferius diſp.* 22. Deindè, ſi in exercitu ſint ſubditi illius Ordinarij, à quo ille licentiam habet, poterunt ab eo abſolui, in ſententia tuente; approbationem Confeſſarij debere præſtari ab Ordinario pœnitentis; de quo *eâ diſp.* 22. nàm iuriſdictio fori pœnitentialis non eſt contentioſa, ideóque in alieno territorio, & non inter alienas perſonas, exerceri poteſt. Præterea ſi exercitus ſit in loco aliquo, vbi non commoratur Ordinarius eius territorij, aut ſi ipſe exercitus ſecum Ordinarium non habet, poſſunt Religioſi Societatis, qui Confeſſores approbati ſunt à quolibet Ordinario, iter illac faciendo, non diù ſiſtendo, concionari, & confeſſiones audire; hoc enim Societatis Confeſſariis conceſſit Gregorius XIII. videlicèt, vt quacúmque iter agerent, etiam non approbati ab Ordinario illius territorij, poſſint concionari, & confeſſiones quorumlibet audire, dum tamen ibi non exiſtat Ordinarius, nec Parochi reſiſtant. Ita habetur in Compendio priuilegiorum Societatis, verbo *Confeſſarius*, §. 2. De quo priuilegio *infrà* redibit ſermo.

12 Demùm ſi exiſtentes in exercitu priuilegio non gaudeant eligendi Confeſſarium à quouis Ordinario approbatum, nec ſubditi ſint Ordinarij illius, qui licentiam conceſſit, nec tandem clerici, aut Regulares illuc euntes priuilegio gaudeant vbique confeſſiones audiendi, & concionandi, vbi ſemel approbati fuerint; ſanè ea munia non poterunt præſtare ſine licentia Ordinarij illius territorij, aut Ordinarij exercitus, ſi adſit; nam tunc ſtatur iuri communi, iuxta quod in ſententia probabiliori, & communiori, opus eſt, confeſſarium eſſe approbatum ab ordinario pœnitentis; aut territorij; decet enim ouem à proprio paſtore paſci, non ab alieno, in ſuo territorio, vel per ſe, vel per eos, quibus ipſe id committit. Quod exindè confirmatur, nam ſolet Ordinarius deſignari ad exercitum, qui concionatores, & Confeſſores exercitus eligat, & approbet, quantumvis ab aliis Ordinariis approbati exiſtant; imò & ſi exiſtant approbati ab Ordinario territorij illius, in quo exercitus commoratur; quia, dum Ordinarius ipſius exercitus deſignatur, quaſi noua diœceſis, ſeu territorium conſtituitur ex militibus, reliquiſque aſſeclis, vt potè

Digitized by Google

potè ex vagis, nullibi fixum domicilium habentibus, ſed Vbicumque ſint, idem, & proprium territorium, ſeu ſedem, in ordine ad iuriſdictonem, inhabitantibus.

CAPVT III.

Quæ miniſteria exercenda ſint à clericis vel Regularibus in exercitu, vt obtineant indulgentiam?

13 VErbi diuini prædicationem, confeſſionum auditionem, celebrationẽ Miſſarum, aut exercituum aliorum piorum operum deſignat in præſenti Pontifex clericis ſæcularibus, vel Regularibus. Quæ clara ſunt, ſi aliqua animaduertantur, Primò, non eſſe opus, omnia ea munia copulatiuè exercere ad indulgentiã obtinendam, ſed ſat eſſe, ſi diſiunctiue fiant, vel hæc, vel illa, quod ex prolatione verborum huius clauſulæ cernitur; non enim coniunctio aliqua interponitur inter opera deſignata, ſed in vltimo opere punitur diſiunctio, cætera verò ſolutis propoſitionibus enuntiantur, qui modus enuntiandi æquiualet modo diſiunctiuo. Secundò animaduerte, neceſſarium eſſe ad hanc indulgentiam, tandiu in exercitu munia præfata exequi, quandiu per annum belli expeditio durat; obtinerique, ſi ante anni complementum expeditio finiatur; vel ſi clericus, aut Regularis obeant in exercitu, aut iuſta de cauſa ab illo excedant, aut demùm in itinere ad illum moriantur ſicut de militibus *ſuprà* eſt aſſertum; licèt enim idem non repetatur à põtifice in hac clauſula, tamen eadẽ forma, ratio, & motiuum conceſſionis extat.

14 Tertiò aduerte, nomine piorum operum intelligi quævis exercitia pietatis ad ſpiritum, vel ad corpus pertinentia, ſicut dicuntur opera miſericordiæ tam corporalia, quam ſpiritualia; vnde, qui quodvis opus ex quatuordecim miſericordiæ adimpleuerit in exercitu, ſatisfeciſſe huic requiſito eſt cenſendus; & ad ea quidem opera reducuntur, quæcumque excogitari poſſunt ad præſens, & comprehenduntur ſub illa voce *miniſteria pia*; licèt enim dicatur *miniſteria Eccleſiaſtica, & pia*; vox *&* non denotat, miniſteria pia debere eſſe ſimul Eccleſiaſtica; tum quia mens Pontificis videtur etiam ad pia opera, quantumvis non ſtrictè Eccleſiaſtica, extendi, tum quia omnia miniſteria Eccleſiaſtica ſunt pia, & in ſe, & reſpectu aliorum, quos ad pietatem mouent, & pro illis ſunt impetratoria ſaltem, quare non opus fuiſſet addere *& pia* ſuper vocem *Eccleſiaſtica*, ſi ſolùm Eccleſiaſtica miniſteria requirerentur. Imò latè omnia miniſteria pia poſſunt nuncupari Eccleſiaſtica, vt potè quæ propria ſunt Eccleſiaſticorum, qui debent ratione ſui muneris piis operibus incumbere.

15 Eccleſiaſtica autem miniſteria, præcisè vt talia, præter ea, quæ in præſenti deſignantur, ſunt miniſtratio Sacramentorum, effuſio precum iuxta modum ab Eccleſia ſtatutum, exercitia propria ſingulis Ordinibus, & ſacris, & minoribus correſpondentia, & cuiuſcumque Eccleſiaſticæ poteſtatis vſus. Quæ ita debent exequi hi, qui præſentẽ indulgentiam adipiſci conantur, vt, quoties ſe ferat occaſio, ea præſtent; ſaltem vt poſſit dici, ea, & non alia, moraliter peragere toto expeditionis anno, in eiſque eſſe ſalubriter, & piè occupatos, atque detentos. Quare non ſufficiet, in exercitu commorari, ſuper integrum annum rarò quis illa munia exequatur, cum ſeſe præbuerit occaſio frequentiùs exequendi, ſic enim menti Pontificis non ſatisfacit, nec abſolutè poteſt aſſeri, annum inſumi in exequendis Eccleſiaſticis, & piis miniſteriis.

DSIPVTATIO X.

De declaratione non incurrendi irregularitatem facta in Bulla pro clericis in exercitu, pia miniſteria exercentibus.

Poſtquam conceſſa eſt indulgentia plenaria clericis ſæcularibus, & Regularibus Eccleſiaſtica, & pia miniſteria in exercitu exequentibus, additur in Bulla vulgari Hiſpana; *lo qual ſe declara, ſerles licito en el exercito, ſin incurrir en irregularidad.* Non ſunt hæc verba in Bulla Latina; ſed potuiſſe Commiſſarium Generalem ea addere, & rectè addidiſſe, conſtabit *infrà, c.3.*

CAPVT I.

Supponuntur aliqua de irregularitate.

1 VT clauſulam præfixam exponamus, oportet, breuiter aliqua de irregularitate ſupponere. Irregularitas eſt impedimentum canonicum ex facto, vel defectu proueniens, quo aliquis directè prohibetur Ordines ſuſcipere, & in illis miniſtrare. Quam definitionem depromptam à Iuriſperitis *ex c. ſignificaſti 1. de homicidio*, expendit rectè P. Auila *de cenſur. 7. p. d. 1.* Hoc impedimentum non eſt de iure diuino, vt conſtat ex *c. ad audientiam, de homicidio*; vnde Canonicum appellatur; nec incurritur niſi in caſibus à iure expreſſis; quare iudex nequit imponere poenam nouam irregularitatis; colligitur id ex *cap. is qui, de ſentent. excommunic. in 6.* Docentque Borgaſius *de irregular. 1. p. q. 3. n. 10.*

Digitized by Google

3.*n.*10. Couarru. & alij, quos refert Anton. Gom. *in Bul. ad* 4. *clauſ. n.* 4. ſoluſque Pontifex, qui iuri communi non ſubiicitur, poteſt eam poenam, denuò imponere, vt iudex. Et quia canonicum impedimentum eſt, poteſt Pontifex in illo diſpenſare, argumento textus in *c. propoſuit, de conceſſione præbendæ*, ibi: *Qui ſecundùm plenitudinem poteſtatis de iure poſſumus ſuprà ius diſpenſare.* Poſſuntque diſpenſare ſimiliter hi, qui à Pontifice facultatem habent, ratione muneris, aut priuilegij.

2 Differt autem ab aliis poenis, & cenſuris Eccleſiaſticis in eo quòd directè prohibet Ordines, quatenùs Ordines ſunt; nam excommunicatio priuat receptione, vt vſu, quatenus eſt communicatio quædam cum fidelibus; ſuſpenſio priuat vſu Ordinum, quatenus eſt quædam Eccleſiaſtica poteſtas; interdictum verò priuat aliquando vſu Ordinis non vt Ordo eſt, ſed, vt eſt quoddam officium Eccleſiaſticum: Sola irregularitas priuat vſu, & receptione Ordinum, vt Ordines ſunt. Irregularitas ex duplici capite prouenire poteſt; & ex facto aliquo, & ex defectu corporis, aut animæ, aut lenitatis, item & ſignificationis, atque demùm ex praua ordinum ſuſceptione, & vſu inordinato. Ex quolibet autem ex illis proueniens cenſura non eſt, ſolum enim tres ſunt ſpecies cenſuræ, excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum, vt colligitur ex *c. quærenti, de verbor. ſignific.* & tenet Armilla, Sylueſt. Angelus, communitérque ſummiſtæ verbo *cenſura.* De quo infrà diſp. 25.

3 Irregularitas ex defectu corporis tunc contrahitur, aut datur, cum vitium, ſiue defectus, aut morbis, ſeu horrore corporis eſt talis, vt hominem reddat inhabilem ad celebrandum; vel quòd abſque deformitate, ſeu horrore notabili celebrare nequeat. Quando autem hoc contingat, conſule Couarru. *in Clementin. de homic. p.* 1. D. Ant. 3. *p. tit.* 28. *c.* 5. Sot. *in* 4. *diſt.* 25. *q.* 1. *ar.* 3. Ioan. Staphilæum, Villa dig. Maiolum, P. Henriq. & alios apud P. Auil. *ſup. diſp.* 3. In hac irregularitate ſolus Pontifex diſpenſare poteſt. Prouenit etiam irregularitas ex defectu alicuius membri, ſi propria culpa contigit, etiam ſi non afferat notabilem deformitatem; ſiuè quis ſibi illud abſciderit, ſiuè alius eius iuſſu, vel rogatu, aut in poenam delicti; imò ſi quis putans ſe placere Deo abſcindat membrum, irregularis manet: Conſtat *ex c. hi, qui,* 55. *diſt. c. ſignificauit, de corpore vitiatis.* In hac irregularitate, quando prouenit ex delicto occulto, poteſt Epiſcopus diſpenſare, nam Trident. *ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de reformat.* concedit Epiſcopo, diſpenſare poſſe in omnibus irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario.

4 Ex defectu natalium contrahitur etiam irregularitas, vnde illegitimus eſt irregularis *c.* 1. *de filiis presbiteror.* Cum quo ſolus Pontifex poteſt diſpenſare ad Ordines ſacros, Beneficium Curatum, & Dignitatem; poteſt verò Epiſcopus ad Ordines minores, & Beneficium ſimplex, Vide Nauarrium *conſil.* 27. *de temp. ordin. l.* 1. *& conſil.* 3. *de filiis presbyt.*

5 Ex defectu animæ prouenit irregularitas cum quis eſt omnino illiteratus: *c. illiteratos* 36. *diſt.* Cum quo nequit Papa diſpenſare, vt tenet Innocent. *c. dilectus, de tempor. ordinat.* Poteſt verò ad tēpus, vt interim diſcat diſpenſare cum eo, qui non eſt omnino illiteratus, eſt tamen irregularis ex defectu ſcientiæ requiſito. Imò ſi hic iam ordinatus fuit, poteſt Epiſcopus diſpenſare vt in ſuſceptis Ordinibus miniſtret; ita cum aliis P. Henriquez *l.* 14. *c.* 8. *in fin.* Non baptizatus non eſt irregularis, ſed incapax Ordinis; *c.* 1. *de presbytero non baptizato.* Hæreticus verò, apoſtata, eorumque fautores, defenſores, & receptatores ſunt irregulares, & nec poſt conuerſionem ordinandi; *cap. ſi quis omnem, cap. ſaluberrimum.* 1. *q.* 3. *cap.* 2. §. *hæretici, de hæretic. in* 6. *cap. presbyteros,* §. *de his,* 50. *diſt.* ſi autem quis ordinatus incidat in hæreſim, poſt conuerſionem poterit ab Epiſcopo diſpenſari, vt miniſtret in Ordine ſuſcepto. Hæreticus autem occultus non eſt irregularis, poteſtque poſt abſolutionem ordinari; argumento textus *in c. ad abolendam, de hæretic.*

6 Irregulares item ſunt filij hæreticorum ſiuè legitimi, ſiuè illegitimi, atque etiā receptatorum, vſque ad ſecundam generationem per lineam paternam, & vſque ad primam per maternam; *dicto cap.* 2. §. *hæretici, de hæreticis in* 6. quòd reſtrictum fuit per *cap. ſtatutum* 2. *eodem titulo*; vbi non comprehenduntur filij eorum, qui reconciliati deceſſerunt. Nomine autem reconciliati non intelligi relaxatum brachio ſæculari, etiam ſi non ſit comburendus viuus, tenent Ancharranus, Ioannes Andreas, & alij, quos ſequitur P. Auila *d.* 4. *dub.* 3. quia ille timore poenæ cenſetur reſipuiſſe, & hæreticus adhuc præſumitur, vt docetur in Director. Inquiſit. *p.* 2. *q.* 11. *comment.* 36. *pag.* 285. ſententia tamen contraria de filio huius relaxati probabilis eſt, defenditurque à Simancas *de Catholic. inſtitut. tit.* 47. *n.* 17. & ab aliis. Aliæ conſtitutiones ſtrictiùs de hac re loquentes non ſunt vſu receptæ. Solus Papa diſpenſat in hac irregularitate.

7 Neophitus, hoc eſt conuerſus ex ſecta Gentilica, vel quavis alia, eſt irregularis, *c.* 1. *&* 2. 48. *diſt.* Cum quo ſolus Pontifex diſpenſat. Si verò iam diu ſuſcepit fidem, & eſt in illa rectè confirmatus iudicio Epiſcopi, poterit ipſe Epiſcopus diſpenſare; hic enim non eſt neophitus

Digitized by Google

neophitus, cum non ſit recens conuerſus. Infantes à iure ſunt etiam irregulares, & cum eis, ſi ſit infamia iuris Cauonici, ſolus Pontifex diſpenſare poteſt; ſi verò ſit iuris ciuilis, poteſt legiſlator infamiam tollere. Infamia facti, quæ oritur ex criminibus enormibus notoriis, facit hominem irregularem; quandiu homo non purgatur ab ea infamia per vitæ emendationem, intereaque Ordines nequit ſuſcipere; à ſuſceptis verò miniſtrare prohibetur, quandiu crimen impedit. Quæ autem ſint hæc crimina, & qui ſint à iure infames, vide apud AA. *in hoc capite* relatos

8 Ex defectu lenitatis incurritur irregularitas, quoties homo baptizatus mutilat membrum alterius, aut effectiuè occidit illum, aut accelerat mortem, aut dat cauſam propinquã morti. Hinc cooperãtes ad mutilationem, ſeu occiſionem iudicialem, vt iudex, accuſator, teſtis, tabellio, Iuriſperitus inſtruens iudicem, item executores, carnifex, ſatellites. & ſimiles manent irregulares. Non tamen Inquiſitores hæreticæ prauitatis incurrunt irregularitatem, cum tradunt Iudici ſæculari reum, etiam ſi comburendus ſit, quia eis, eorumque miniſtris, ſolùm executio mortis eſt prohibita, vt conſtat ex Bulla Pauli IV. confirmata, & extenſa à Pio V. relata in Iudiciali Inquiſitorum *fol.* 474. Imò nec alij iudices Eccleſiaſtici tradentes reum iudici ſæculari fiunt irregulares, quia ſolùm declarant, ſe functos eſſe officio ſuo, & reum, tanquam incorrigibilem à propria iuriſdictione dimittere, orantes eum iudicem, vt miſericorditer ſe cum illo gerat. Plurima de hac irregularitate reperies paſſim apud Authores.

9 Excuſatur ab hac irregularitate, qui occidit alium in defenſionem propriæ vitæ cũ moderamine inculpatæ tutelæ; ita in *Clementina, ſi furioſus, de homicid.* Quòd ſi mortaliter exceſſit illud moderamen, quia potuit vim repellere non vi, ſed fuga, vel leuiori percuſſione, irregularis eſt, at diſpenſari poteſt ab Epiſcopo iuxta Tridentinum *ſeſ.* 14. *cap.* 7. *de reformat.* Excuſantur etiam ab hac irregularitate furioſi, amentes, & dormientes, qui occidunt aliquem, dum tamen dormiens ſufficientem adhibuerit diligentiam, ne, v.g. ſuffocaret infantem. Non tamen excuſat, iuxta communiorem ſententiam, ab irregularitate moderamen inculpatæ tutelæ in occiſione inuaſoris, ſi ſolùm inuaſerit diuitias, aut honorem, vel vitam proximi; niſi quis in extrema neceſſitate conſtitutus ob defendendum cibum occideret inuaſorem, tunc enim defenderet vitam, illum cibum defendens.

10 Excuſatur etiam ab irregularitate occidens, & mutilans alium, vt defendat Rempublicam, Principem, aut proximum, caſu, quo iure diuino, aut naturali teneatur defendere; Contrarium tenuere non pauci; aliique aſſeruerunt, initiatum ſacris, id præſtantem, manere irregularem, non verò ſæcularem: Propoſitio tamen noſtra defenditur à P. Molin. *tom.* 1. *de iuſt. tr.* 2. *d.* 109. *conc.* 3. & ab aliis; illud enim homicidium non iudicatur volitum, ſed omnino coactum. Homicidium merè caſuale ſecutũ ex executione rei nõ periculoſæ, adhibita ſufficienti diligentia, non inducit irregularitatem; ſecùs, ſi deficiat aliquod ex his requiſitis. Videatur Corduba *in quæſtionar. lib.* 2. *q.* 26. Medina 1.2.*q.*73.*ar.*8. Aragon.2.2.*q.*64. *art.* 8. & cum aliis. P. Auila *ſuprà d.*6.*primo dubio.*

11 Qui eſt cauſa aborſus fœtus animati, manet irregularis. Item qui ſcienter rebaptizat abſolutè, vel rebaptizatur ſcienter. Hæ ſunt concluſiones communes. Bigamus eſt irregularis, vt conſtat ex *toto tit. de bigamis*, & eſt hæc irregularitas ex defectu ſignificationis; quia ille nequit ſignificare vnionem Chriſti cum Eccleſia, vnica ipſius ſponſa. Species autem bigamiæ, & irregularitates aliæ ex facto, præter libatas *ſuperiùs*, vide apud P. Henriq. *vbi ſuprà cap.* 6. Nauar. *lib.* 1. *conſil. conſil. de bigam.* P. Suarium, P. Auilam, Bonacinam, latè in ſuis operibus *de cenſuris*, de his diſputantes, de diſpenſationeque in ipſis, & ſimul de irregularitate proueniente ex praua receptione, aut vſu Ordinum, ne prolixiùs in re perſiſtamus, quam extra rem noſtram eſſe, cenſeri poſſit.

CAPVT II.

De irregularitate, quæ in bello poteſt incurri.

12 OCcidentem propria manu hoſtes in bello iuſto, aut iniuſto, eſſe irregularem, tenet ſententia communis; ſi tamen bellum eſt iuſtum, & non aliter quis poſſit vitam ſuam tueri, niſi occidendo, aut mutilando, non manet irregularis; quia eã eſt defenſio propriæ vitæ licita; ſecùs erit, ſi bellum ſit iniuſtum, quia prælians in illo, illicitè facit, nec habet defenſionem vitæ magis licitam, quàm ſi delinquens miniſtros iuſtitiæ occidat, vt vitam defendat. Ita Syluester, verbo *homicidium* 3. *q.* 4. *p.* 3. Qui verò ad bellum iuſtum, aut iniuſtum perrexit, vt milites in ſpiritualibus adiuuaret, in quo licitè, & piè ſe geſſit, habet defenſionem licitam, atque adeò cum moderamine inculpatæ tutelæ occidens aut mutilans inuaſorem, vt propriam vitam defendat, non manet irregularis iuxta dicta *num.* 9.

13 Si

Digitized by Google

13 Si Pontifex diſpenſet, vt ſacris initiati pugnent in bello, non incurrunt irregularitatem, etiam ſi occidant, aut mutilent, quia cenſetur Pontifex diſpenſare in iure communi inducente eam irregularitatem. Ita P. Molina *tom. 1. de iuſt. tract. 2. d.* 108. Cum autem concedit facultatem Papa, vt illi in bello iuſto aſſiſtant; non id eſt intelligendum, vt poſſint propria manu præliari, ſed vt queant miniſteria pia exercere. Nec inferas ex hoc aſſerto, etiam laicos propria manu pugnantes, & occidentes, ſi ex iuſſu, aut hortatione Pontificis ad bellum pergant, non fore incurſuros irregularitatem: Nam tacitè diſpenſat in iure Pontifex cum initiato ſacris, dum iubet pugnare, ne hic propterea à ſuo miniſterio arceatur; at laicus adhuc remotus eſt à miniſterio Eccleſiaſtico, nec vlla eſt ratio, quare tacitè ea diſpenſatio ibi inuoluatur. Vide P. Molinam egregiè tractantem huius numeri materiam, & ab argumentis contrariis vindicantem *loco citato*. Quod dixi de initiato ſacris, etiam extendendum eſt ad Clericos in minoribus Ordinibus conſtitutos, ſi Pontifex exprimat eos, ſeu quoſcumque clericos in communi.

14 Irregularis manet ille, qui etiam ſi non occidat, aut mutilet propria manu, in bello iniuſto adiuuat, aut hortatur milites, ſeu eos conducit: item qui ſarcinas illorum cuſtodit, qui regit nauim, qui præbet eis arma, ſeu alia eiuſmodi; dum tamen ſequatur effectus occiſionis, aut deformationis (nunquam enim incurritur irregularitas, effectu non ſecuto.) Hi enim omnes cauſa moralis cenſentur deformationis iniuſtæ. Vide Nauarrum, Couarru. & alios apud P. Auilam *ſupra d.* 5. *ſec.3.dub.2.*

15 Vt autem propiùs iam ad dubium neceſſarium explicationi præſentis clauſulæ Bullæ accedamus, inquiritur, an hortantes ad præliandum in bello iuſto, maximè contra fidei hoſtes, irregularitatem incurrant? Dicẽdum eſt, non incurrere. Ita Couarru. Nauarr. P. Henriquez, & alij, quos ſequitur P. Auila *vbi nuper*. Antonius Gomez *in Bulla, ad 4. clauſul. à numer.* 9. P. Molina *ea d.* 108. probatur ex *cap. quicumque ex clero* 23. *q.* 8. ibi: *Sacerdotes propria manu arma arripere non debent, ſed alios ad arripiendum ad oppreſſorum defenſionem, atque ad inimicorum Dei oppugnationem, eis licèt hortari.* Idem habetur *in cap. igitur, & ſequentibus, ibidem.* Vnde ratione ſtatus Eccleſiaſtici, cui indecens eſt pugna, prohibetur in eis iuribus, propria manu præliari, non verò hortari ad prælium. Imò debent Eccleſiæ Prælati inducere ad bellum, cum res fidei, aut Eccleſiæ agitur, iuxta *cap. Maximianus* 23. *q.* 3. in quo ait D. Auguſtinus: *Maximianus Epiſcopus Vagienſis auxilium petiit ab Imperatore Chriſtiano contra hoſtes Eccleſiæ, non tam ſui vlciſcendi cauſa, quàm tuendæ Eccleſiæ ſibi creditæ. Quod ſi prætermiſiſſet, non eius fuiſſet laudanda patientia ſed negligentia meritò culpanda.* Conſonat D. Thom. 2. 2. *q.* 40. *art.* 2. *ad* 3.

16 Hoc tamen non eſt extendendum, vt poſſint Clerici præfici in bello alicui agmini, licèt non ſint pugnaturi; hoc enim prohibitum eſt *in cap. ſententiam, Ne clerici, vel monach.* Quæ autem Prælati licentia requiratur, vt clericus aſſiſtat in bello, hortaturus, vel adiuturus ſuo conſilio præliantes, tractat *vbi ſuprà* P. Molina, decernitque, ſufficere præſumptam. Quod ſi aliqua iura videntur hoc clerico prohibere, intelligenda ſunt de bello iniuſto, in quo eſt ſpecialis indecentia in clerico, & maior, quam in laico, vt hortetur præliantes, vel etiam interpretanda ſunt de bello iuſto, ita vt prohibeant propria manu pugnare, aut aliquem occidere, ſeu mutilare. Si autem opponas, clericum hortantem eſſe cauſam moralem deformationis, ideóque incurſurum fore irregularitatem, reſpondetur, non eſſe cauſam propinquam, dum ſolùm hortatur milites in genere ad agendum ſtrenuè, quam ſolam exhortationem clerico permittunt Nauarrus, P. Molina, & alij.

17 Vel dicito cum P. Henriquez, P. Auila, & aſſeclis, etiam ſi clericus det cauſam propinquam, horteturque non ſolùm ad fortiter agendum, ſed etiam ad occidendum, non manere irregularem, quia per iura *ſuprà* dicta, quoad bellum, relaxatum eſt ius commune decernens eam irregularitatem. Et deducitur ex *cap. petitio tua, de homicidio*, ab abſurdoque probatur; nam alias omnes laici, qui innumeri ſunt, pugnantes in bello iuſto, non occidentes, nec mutilantes hoſtem, manerent irregulares, quod nec praxis probat, nec ratio, at hi laici etiam hortantur ſe inuicem, quod moraliter ſemper contingit; ergo in bello iuxta exhortatur ad pugnam & occiſionem, non contrahitur irregularitas. Quòd ſi à Laicis non contrahitur, nec à Clericis cõtrahitur; in hoc enim pares ſunt, licèt ſint diſpares in eo, quòd laicos non dedecet, propria manu pugnare, ſic verò Clericos, niſi in vrgentiſſimo caſu ex præſcripto Pontificis.

18 Limitant hoc aſſertum P. Auila, & Henriquez, quod non liceat Clerico hortari in bello militem, vt occidat hunc hoſtem in particulari, quia hæc eſt intentio multùm ſpecialis homicidij. Sed inconſequenter philoſophantur, nam ſi ſemel concedatur, non incurri à clerico irregularitatem, etiam ſi hortetur ad homicidium, & ſit cauſa moralis illius in communi ſumpti (quod eſſet ſufficiens cauſa incurrendæ irregularitatis, niſi eſſet relaxatum, aut diſpenſatum ius inducens illam, quoad

quoad bellum iuſtum) cur incurret, etiam ſi ſit cauſa moralis homicidij in particulari? & cur quoad hoc non erit ius relaxatum, aut diſpenſatum, cum Pontifices non diſtinxerint, nec reſtrictionem appoſuerunt? Nec video, eam intentionē ſpecialem magis dedecere Clericum, quàm communem; cum potiùs hæc in plura homicidia feratur, ideóque videatur potiùs à lenitate deficere. Quare hæc limitatio reiicienda eſt.

19 Hinc non rectè Antonius Gomez *vbi ſuprà num.* 10. ſtatuit, incurrere irregularitatem eum, qui ſine licentia Pontificis opem fert homicidio, conſulens, hortans, præcipiens, aut aduocans, ſiuè in bello, ſiuè extra bellum; quod probat *ex cap. ſententiam, ne Clerici vel Monachi.* Sed ſanè in hoc capite ſolùm prohibet Innocentius III. Clericos in bello præponi ruptariis, vel baliſtariis, aut huiuſmodi viris ſanguinum; item dictare, proferre, aut exercere vindictam ſanguinis, aut intereſſe, vbi exercetur, quibus verbis, ſi extendenda eſſet iuſſio ad bellum, prohiberentur Clerici ibi intereſſe, quantumvis non hortarentur ad prælium, quod non admittet hic Author. Quare in eis nihil circa bellum decernitur, ſaltem quoad hortationem, de qua nobis eſt quæſtio, innuiturque ibi: *Vnde in curiis Principum hæc ſollicitudo non Clericis, ſed laicis committatur.*

20 Ex dictis infertur primò, poſſe Clericum eſſe à conſiliis rerum bellicarum; dum tamen non aſſiſtat iudicio, ſi quando eſt ferendum, pœnæ capitalis, aut mutilationis alicuius delinquentis puniendi, qui non ſit hoſtis in ipſo prælio deturbandus. Infertur ſecundò, vendentes, aut donantes arma etiam offenſiua ad bellum, licèt in ipſo conflictu illa ſuppeditent, indeque occiſio ſequatur, non manere irregulares; quia ius noluit, pugnantes in bello iuſto, niſi occidant, aut mutilent, incurrere irregularitatem, quare eam non incurrent Clerici, qui actu præliantibus ſuppeditant miſſilia, haſtas, aut ſimilia; quantumvis ratione indecentiæ, ſi neceſſitas abſit, non debeant hoc præſtare; imò prohibitum illis eſſe cenſeo, argumento textus *in cap. ſententiam,* nuper relato. Si tamen in bello iuſto id facerent, imò & propria manu pugnarent, & percuterent, dum non occiderent, aut deformarent, non manerent irregulares, eſto peccarent.

21 Quando de facto, incurritur irregularitas ex homicidio, ſiuè in bello patrato, ſiuè extra bellum, publico, vel occulto, ſolus Pontifex diſpenſare in ea poteſt. Diſpenſationes aliarum irregularitatum partim ſunt Pontifici reſeruatæ, partim Epiſcopis, vt *ſuprà* attigimus; poteſt etiam in aliquibus Commiſſarius Generalis Cruciatæ diſpenſare, de quibus ſuo loco infrà agemus. In nonnullis etiam reſpectu ſubditorum poſſunt aliqui Prælati Religionum diſpenſare. In Societate namque noſtra poſſunt omnes ſuperiores mediati, & immediati diſpenſare cum ſuis Religioſis ſuper irregularitate, ſi quam incurrerint, eo quòd excommunicati, ſuſpenſi, aut interdicti, aut in loco interdicto diuina celebrarint officia, aut Ordines ſuſcepérint; niſi exceſſus horum ſit adeò grauis, vt ad Pontificem ſint remittendi iuxta explicationem Sixti IV. Qui tamen in irregularitatem reincident, niſi vota emittant. in Societate. Habetur in compendio priuilegiorum Societatis Iesv, verbo *Diſpenſatio*, §. 1.

22 Poſſunt prætereà Prouinciales Societatis cum ſuis ſubditis, poſt emiſſa vota, diſpenſare, vt ad ſacros Ordines, eorumque vſum aſſumantur, ſi ſint irregulares ex defectu natalium, vel quavis alia ex cauſa, præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis; conſtat *ibidem* §. 2. Imò in irregularitate, quam quis incurrerit poſt ingreſſum Societatis, ex defectu lenitatis, poteſt quilibet ſuperior, & Confeſſarius proprius, Societatis diſpenſare, vt ibi conceditur. Præpoſitus item Generalis Societatis poteſt diſpenſare cum ſubditis in irregularitate homicidij, dummodò homicida non ſit certus, quòd ipſe actualiter occiderit, vel quòd, etiam ſi non mandaſſet, aut opem tuliſſet, mors non fuiſſet ſecuta. Indulgetur hoc *ibid.* §. 3. Adhuc Prouinciales Societatis, præter irregularitatem ex bigamia, & homicidio voluntario, in omni alia, poſſunt cum ſubditis in foro conſcientiæ diſpenſare. Et in eodem foro poteſt Præpoſitus Generalis diſpenſare cum ſubditis bigamis; quin & cum homicida voluntario, ſed cum hoc citra altaris miniſterium. Affertur conceſſio hæc *eodem loco*, §. 4.

23 Valet rurſùs Præpoſitus Generalis, ſi crimina non ſint notoria, diſpenſare cum ſubditis, ſuper irregularitate proueniente ex homicidio voluntario, mutilatione membrorum, & nimia ſanguinis effuſione. *Ibid.* legitur hæc facultas, §. 5. Imò & additur, §. 6. poſſe omnes ſuperiores, & Confeſſarios Societatis cum Religioſis ſuis diſpenſare in foro conſcientiæ ſuper irregularitate ex quavis occaſione proueniente, dummodò fiat ſemel in vita, & non ſit irregularitas contracta ex bigamia, occiſione, mutilatione & enormi ſanguinis effuſione. Aduertiturque ibi, non poſſe vſum eſſe harum facultatum in his, quæ Concilio Tridentino *ſeſ.* 14. *cap.* 7. repugnant niſi dumtaxàt in conſcientiæ foro. Demùm poteſt Præpoſitus Generalis cum ſuis ſubditis in ordine ad diſpenſationem in

Mendo in Bull. Cruciat. H irregularitate,

irregularitate, abſolutionem, & alias quaſcumque facultates, quidquid poteſt Epiſcopus cum ſuis ſubditis Clericis,& laïcis,vt patet ex ipſo compendio, *verbo Prælatus*, §. 3. Quæ præfata priuilegia partim conceſſa ſunt Societati IESV per Pontifices immediatè; partim per priuilegium communicandi cum aliis ſacris Ordinibus,qui eis gaudent, Societati communicantur, vt *locis relatis* animaduertitur,vbi vndè decerptæ ſint eiuſmodi facultates, præfigitur.

CAPVT III.

Quomodo intelligenda ſit declaratio facta in Bulla, non incurrendi irregularitatem in bello, exercendo miniſteria pia?

24 EX dictis facilè iam clauſulam præſentem exponemus, in qua non conceditur Clericis facultas dimicandi in bello abſque irregularitatis periculo; vt tenent Anton.Gom. *in Bul.ad clauſul.4.n.9.*Garnica *in Bul. ad verba huius clauſulæ, fol.* 30. Lopez *c.* 6. *de Bul.* Trullench *lib.* 1. §. 2, *n.*4. Indulgetur ergo illis, exercere poſſe pia opera;inter quæ annumerari poteſt hortatio pia ad debellandum hoſtes fidei,& Eccleſię,eoſque interficiendum, vt penitùs corruant, quod quidem honeſtum eſt. Quia tamen poterat in Clericis aut Regularibus,vel nimiùm ſcrupuloſis,vel non nimiùm doctis,exoriri timor irregularitatis incurrendæ, dum hortarentur milites ad præliandum, eo quòd non omninò deſtituta eſt opinio de incurſu illius in caſu prædicto,imò poterant ſcrupuloſè timere, ſe incurſuros irregularitatem, dum intereſſent occiſionibus, etiam ſi in ordine ſolùm ad miniſteria pia exercenda ibi adeſſent, ideò vt ſcrupuli tollantur, nec eo timore remoueantur à profectione in bellum, pia opera executuri, declarat Commiſſarius Generalis Cruciatæ, eos non incurrere propter ea opera irregularitatem. Quæ declaratio dupliciter accipi poteſt.

25 Primò, ita vt Commiſſarius attendens ſententiæ communiori,à nobis *ſuprà* propoſitæ, eam in medium,tanquam ſecuram,proferat, vt tuti ab irregularitatis metu Clerici, & Regulares exercitui aſſiſtant, operaque pia exerceant; hæcque declaratio eſt doctrinalis. Secundò, eſto aliàs incurratur irregularitas hortando ad occiſionem in bello iuſto, declarat in præſenti Commiſſarius, Pontificem diſpenſare in iure inducente irregularitatem eiuſmodi. Etenim Commiſſarius facultate gaudet interpretandi, quæcumque fuerint in Bulla obſcura, & implicita, dummodò interpretatio, aut declaratio non contrarietur verbis expreſſis Bullæ ipſius. Rectè autem hanc præſtat interpretationem; nam eo ipſo quòd Pontifex Clericos Regulares, & ſæculares alliciat mediis indulgentiis, vt bello aſſiſtant,ibique pia miniſteria exequantur, cum adeò frequens ibi ſit, exhortari milites ad ſuperandum hoſtes; imò his hortationibus ſit opus, vt animoſiùs pro fide pugnent, aliundéque eæ hortationes inter Miniſteria pia queant enumerari, meritò iudicatur Pontifex diſpenſare in iure, ſi quod eſt,in ducente irregularitatem reſpectu eorum,qui ſimilia opera exequũtur;ne id,quod Clerici ſæculares, & Regulares propter obſequium fidei, & Eccleſiæ præſtandum, exercent, pietate moti, miſerationeque honeſtà ducti, vertatur in ipſorum detrimentum, ſi irregularitatem incurrerent, quæ in euentu prælij difficulter poſſet vitari.

DISPVTATIO XI.

De diſpenſatione in reſidentia, conceſſa in Bulla habentibus Beneficia, vt in exercitu aſſiſtant.

Vt hi, qui Beneficia Eccleſiaſtica potiuntur, poſſint ad exercitum pergere, vt ſuprà dictis miniſterijs incumbant (verba ſunt Bullæ Latinæ) *Quibus etiam conceditur, vt Beneficiis tàm ſæcularibus, quàm Regularibus per idoneos Vicarios deſeruire poſſint, exceptis Beneficia curam animarum habentia obtinentibus.* In Bulla autem vulgari idiomate tranſcripta habetur: *Y que puedan ſeruir ſus Beneficios por tenientes idoneos, no ſiẽdo curados,ò de cargo de animas,que eſtos no podran ir ſin licencia de ſu Santidad.* Hæc vltima verba in Bulla Latina non ſunt, ſed nihil addunt ſpeciale; cum enim negatur Beneficiatis curam animarum habentibus profectio ad exercitum etiam cum licentia Ordinarij, quæ ad profectionem aliorum Clericorum antecedenter prærequiritur, vt *ſuperiùs* ſtatuimus iuxtà verba ipſius Bullæ, conſequens eſt, vt ſolus Pontifex eam poſſit facultatem præbere; eum autem poſſe, eſt indubium, vtpoiè habentem omnium Beneficiorum pleniſſimam adminiſtrationem.

CAPVT I.

Aliqua de beneficiis Eccleſiaſticis, atque de reſidentia prænotantur.

1 OPERÆ pretium eſt aliqua certiora magiſque recepta præſupponere, vt clauſula præſens indè intelligatur. Prænotandum

randum itaque eſt cum Rebuffo *in praxi à pag.* 5. P. Leſſio *de iuſt. l.* 2. *cap.* 34. *dubit.* 2. Beneficium aliud eſſe ſæculare, quod non eſt pro Regularibus inſtitutum, nec illis annexum; aliud regulare, quod pro his inſtitutum eſt aut annexum. Si autem beneficiũ non probetur eſſe regulare per primam eius inſtitutionem, aut legitimam quadraginta annorum præſcriptionem, præſumitur eſſe ſæculare. Beneficia rursùs alia ſunt duplicia, alia ſimplicia; duplicia ſunt, quæ adminiſtrationem, aut iuriſdictionem, aut aliquam eminentiam habent. Talia ſunt in primis Pontificatus, *c.* 1. *de maledicis*; Patriarchatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, & Cardinalatus *c. fælicis, de pœnis in* 6. Item Dignitates, vt Abbatia ſæcularis, Decanatus, Archidiaconatus. Perſonatus, aliaque huiuſmodi; Præterea beneficia curata, ſeu parochialia, & pertinent hùc ea, quæ vocantur officia, quale eſt Sacriſtæ, & Theſaurarij Eccleſiæ. Beneficia ſimplicia ſunt, quæ nec habent adminiſtrationem, nec iuriſdictionem, aut eminentiam; ſed inſtituta ſunt ad preces Deo ſoluendas, diuinaque officia obeunda; vt Canonicatus, capellæ, ſacellæ, altaria, & præſtimonia. Hæc omnia vocantur Beneficia, quia ſunt ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis propter aliquod officium ſpirituale, authoritate Eccleſiæ conſtitutum, quæ eſt definitio Beneficij.

2 Deindè prænotandum eſt, de iure diuino teneri reſidere in propriis Eccleſiis; eos qui Beneficia Curam animarum habentia obtinent, quicumque illi ſint, vt conſtat ex Tridentin. *ſeſ.* 23. *c.* 1. *de reformat.* Vbi ſolùm conceditur Epiſcopis, poſſe abeſſe tribus menſibus quotannis, & beneficiatis Parochis, ſeu curam animarum habẽtibus, de licentia Epiſcopi, duobus menſibus: tenentur etiam reſidere in Eccleſiis Cathedralibus, ſeu Collegiatis, qui fruuntur quavis Dignitate, Canonicatu, Præbenda, aut portione, ſolúmque tribus menſibus poſſunt abeſſe; niſi plus temporis alicui Eccleſiæ ſit indultum, vt Eccleſiæ Caurienſi in Hiſpania conceſſum eſt à Pontifice, vt poſſint abeſſe quinque mẽſibus, quot annis propter intemperiem illius regionis. Hi tamen omnes in caſibus magni momenti, in quibus major cernitur vtilitas Eccleſię, poſſunt plus temporis abeſſe, qui autem ſint hi caſus, & quæ licentia requiratur, & quæ aliæ ſint cauſæ excuſantes à reſidentia, præcipuè ſtudiorum occaſio ex indulto Eugenij IV. conceſſo Salmanticenſi Academiæ, aliiſque ſtudiis generalibus, quod communiter vocatur conſtitutio Eugeniana; videantur apud Antonium Gomez *in Bull. ad clauſul.* 4. *à n.* 14. & P. Leſſium *ſuprà dubit.* 29. Vbi etiam pœnæ deſignatæ non reſidentibus reperientur. Videatur itidem totus titulus, *de Clericis non reſidentibus* in Decretalibus. Videndus etiam ego *tomo de Iure Academico lib.* 2. *à num.* 226.

3 Alia ſunt Beneficia propriè, ſeu reductiuè, quæ nullo iure reſidentiam poſtulant, vt præſtimonia, quæ inſtituta ſunt vel pro ſtudioſis, vt eorum ſumptibus poſſint ſuis ſtudiis operam impendere, vel in ſubſidium terræ ſanctæ, aliudvè pium opus. Demùm alia ſunt Beneficia ſimplicia, quibus reſidentia non eſt annexa iure diuino, ſed poſitiuo Canonico; vt tenet P. Azor *tom.* 1. *inſtitut. moral. lib.* 5. *cap.* 17. Imò in his Beneficiis quæ in Hiſpania vocamus *Beneficios ſimples ſeruideros*, licèt aut ex legitima conſuetudine, aut ex Pontificum indulto, perſonaliter non reſidere, etiam abſque vlla licentia, ſed ſufficit ſubſtitutum idoneum, qui Eccleſiæ in omnibus muniis beneficio annexis inſeruiat, deſtinare. Hoc ſaltem in Hiſpania noſtra licitum eſt. In Beneficiis autem, quæ nos vocamus *beneficios ſeruideros*, & in præbendis Eccleſiarum Cathedralium, aut Collegialium (aliquibus exceptis in determinatis Eccleſiis, ad reſidentiam nullam obligantibus) reſidentia neceſſaria eſt, vt fructus percipiantur, nec poteſt alius ſuffici ſubſtitutus; non quia reſidentia in eis ſit de iure diuino; hæc enim ſolùm reſpectu Beneficiorum curam animarum habentium de iure diuino eſt, ſed quia eſt de iure canonico, in quo nec Pontifices diſpenſarunt, nec legitima contraria conſuetudo reperitur.

CAPVT II.

Quid concedat Bulla, dum à reſidentia perſonali excuſat beneficiatos?

4 EX dictis patet, priuilegium in præſenti conceſſum Clericis ſæcularibus, & Regularibus, pia miniſteria in exercitu contra infideles exequentibus, non reſidendi perſonaliter in ſuis Eccleſiis, ſed per idoneos Vicarios inſeruiendi, non operari aliquid reſpectu eorum, qui curam animarum habent, hi namque expreſsè excipiuntur, niſi facultas Pontificis accedat; nec reſpectu eorum, qui Beneficia obtinent nullam reſidentiam exigentia; nec demùm eorum, qui aliundè ex indulto, aut conſuetudine poſſunt ſubſtitutos idoneos in ſui locum ſufficere, nam hi non indigent hoc priuilegio. Igitur duntaxàt hoc priuilegium fauet cæteris, qui perſonaliter reſidere tenentur, hi etenim poterunt Vicarios aptos deligere, præcedente Ordinarij licentia, vt *ſuperius* diximus; facientq; fructus ſuos, dum in exercitu commorantur, nullique pœnæ ſubjacebunt; extracta tamen

Digitized by Google

congrua ſuſtentatione ad Vicarios ex ipſius beneficij prouentibus. Vicarius autem idoneus ille cenſendus eſt, qui & morum probitate ſit prædıtus, & ſcientia ad munera à ſe exequenda ſufficienti, quem deſignare poterit, qui ad exercitum proficiſcitur.

5 Cæterùm qui prebendas in Eccleſiis Cathedralibus, ſeu Collegiatis obtinent, quamvis curam animarum non habeant, nequeunt hoc priuilegio frui. Ratio eſt, quia tenentur reſidere, & in eis Eccleſiis non admittuntur ſubſtituti (niſi ſint Coadiutores ex indulto Pontificis) quare non poſſunt illi per idoneos Vicarios inſeruire; nec ex huius priuilegij vi tenentur eæ Eccleſiæ admittere eos Vicarios, qui earum derogarent authoritati, & exemptionibus, quare non eſt cenſendum, conceſſum eſſe hoc priuilegium in ipſarum præiudicium. Annuente autem Capitulo, poſſent illi ad exercitum proficiſci, ſi eſſent vrgentes rationes ad profectionem parandam, poteſt enim Capitulum facultatem ad abſentiam præſtare, cum cauſa eſt honeſta, reſidentiæ præponderans, praxiſque hoc oſtendit.

6 Qui curam animarum habent, egent ad profectionem in exercitum facultate Pontificis, licèt enim eorum reſidentia ſit de iure diuino, tamen vbi aliqua maior vtilitas Eccleſiæ eſſet in profectione, quàm in reſidentia, ius ipſum diuinum permittit, aut exigit, vt ad illam attendatur. Eo autem caſu etiam relinquere deberent loco ſui Vicarios idoneos. Qui habet beneficium regulare curam animarum inuoluens, poſſet proficiſci ad exercitum cum ſui Prælati licentia, nam eo ipſo illud beneficium eſſet alteri præſtandum, non vt vicario proficiſcentis, ſed eodem titulo, quo ille id habebat. Etenim eiuſmodi beneficia regularia, & ſi ex ſe, ex inſtitutioneque ſui ſint ius perpetuum percipiendi fructus, iuxta beneficij definitionem, tamen vt diſciplina religioſa obſeruetur, obedientiæque ſuperiorum omnes ſubditi ſint ſubiecti omnino, oportuit pro libito Superiorum, poſſe mutari eos, qui beneficia prædicta adminiſtrarent: quare ius illud perpetuum perceptionis fructuum eſt penès Religionem, ſeu cænobium, & religioſi beneficiorum munia exequentes potiùs dicendi ſunt adminiſtratores beneficiorum, ſeu vicarij à Religione, vel cænobio deſignati, niſi aliquis forte ex Pontificis conceſſione perpetuò eſſet beneficium poſſeſſurus. Vide dicta à Me *tom. de Ordinibus Militaribus diſquiſ.* 11.

DISPVTATIO XII.

De applicatione Indulgentiæ Plenariæ animabus Purgatorij per modum ſuffragij.

De indulgentia plenaria, quam adhuc explicuimus, aſſerit Bulla Latina. *Item eadem indulgentia ſuffragabitur per modum ſuffragij etiam animabus defunctorum, pro quibus in huiuſmodi ſubſidium proficiſci, vel milites mitti contigerit, aut pro quibus non euntes, nec mittentes, de bonis ſuis, iuxta taxam per Commiſſarium, perſonarum qualitate inſpecta faciendam, pro religionis defenſione contulerint.*

CAPVT I.

De omiſſione huius gratiæ in Bulla vulgari Hiſpana.

1 GRatia in præſenti clauſula conceſſa, non legitur in Bulla communi viuorum idiomate Hiſpano confecta. Tamen quia taxa eleemoſynæ elargiendæ Commiſſario relinquitur, reſpectu eorum, qui nec iuerint, nec miſerint ad bellum, ipſe Bullam defunctorum ex hac vltima clauſula compoſuit; vnde, qui ſolùm pro Bulla communi viuorum eleemoſynam taxatam tribuunt, nequeunt hanc indulgentiam plenariam, quam adhuc expoſuimus, pro defunctis applicare; nam ad hanc applicationem, ſeu ad animam è pœnis Purgatorij liberandam, opus eſt, aliam erogare eleemoſynam pro Bulla defunctorum taxatam.

2 Nihilominùs, quia in Bulla communi viuorum tranſcribuntur ea, quæ fruuntur, non ſolùm qui taxatam eleemoſynam pro ipſius Bullæ acceptione præſtant, ſed etiam illi, qui mittunt, aut eunt ad exercitum, & hi non opus habent acceptione Bullæ defunctorum, nec erogatione eleemoſynæ pro illa taxatæ à Commiſſario, vt indulgentiam præſentem animabus Purgatorij applicent, ſanè potuiſſet tranſcribi in prædicta Bulla communi viuorum Hiſpanice ſcripta, pars prima clauſulæ præfixæ, nimirum proficiſcentes, & mittentes ad bellum poſſe applicare animabus defunctorum indulgentiam plenariam, quam eundo, aut mittendo lucrantur. Hoc quippè in præſenti conceditur, & à Commiſſario limitari nequit: quare eam applicationem pro animabus defunctis facere queunt omnes illi, de quibus *in ſuperioribus* egimus; ſcilicèt mittentes ad bellum, & euntes, ſiuè ad præliandum, ſiuè ad Eccleſiaſtica,

Digitized by Google

Eccleſiaſtica, & pia miniſteria exercendum.

3 De his, qui nec mittentes, nec euntes, ſed eleemoſynam à Commiſſario taxatam pro Bulla defunctorum, animam à Purgatorio liberant, agemus *inferiùs*, cum eam Bullam exponamus; nunc verba præfixæ clauſulæ quoad mittentes, & euntes elucidabimus, reſolutiones autem poterunt applicari Bullæ defunctorum,& item aliis verbis Bullæ communis viuorum, quæ extant *inferiùs*,vbi conceditur obtentio omnium indulgentiarum, quæ in diebus ſtationum Romæ obtinentur, media viſitatione altarium, ſeu Eccleſiarum; & in calce Bullæ vulgaris Hiſpanæ exarantur dies, quibus & indulgentiam plenariam, & liberationem animæ à Purgatorij pœnis, poſſunt conſequi fruentes priuilegiis Bullæ, eo quod illis diebus ipſæmet indulgentiæ Romæ in ſtationibus conceduntur, & ibidem gratia extat liberationis animæ à Purgatorio.

CAPVT II.

Quid ſit, prodeſſe indulgentiam defunctis per modum ſuffragij?

4 SVffragium eſt idem, ac adiutorium auxilium, quod alicui præſtatur, vt aliquod damnum vitet, vel aliquod bonum conſequatur; præſtando, ſoluendo, aut quid ſimile efficiendo, quod ille per ſe debebat præſtare, ſoluere, aut efficere in Ordine ad illius finis conſecutionem, ſeu ad id media quævis adhibendo. Quòd valdè differt ab alio modo, quo poteſt ille pœnam euadere, nempè, ſi authoritate Iudicis, aut Principis liberetur. Exemplum ſit in damnato ad aliquam pœnam ſubeundam, v.g. carcerem perpetuum propter debita à ſe contracta, quibus ſoluendo non eſt, poteſt quidem hic dupliciter à carcere liberari, primò ſi Princeps authoritate, qua gaudet; damnandi, & abſoluendi ſuos ſubditos, eum à carcere liberaret: ſecundò, ſi alter amicus ſolueret debita pro illo, hocque ei ſuffragium ferret, quod vt præſtet, oportet, vt ea bona quæ tribuit liberaturus reum,vel ſint ipſius tribuentis, vel eius diſpoſitioni ſubiaceant.

5 Pontifex igitur, vt diſpenſator theſauri Eccleſiæ, qui eius diſpoſitioni eſt commiſſus, dupliciter poteſt, bona illius diſpenſando, ſatisfacere pro pœnis, quæ Deo ſunt ſoluendæ: primò, authoritate iudiciali, qua poteſt ſoluere, & ligare, & ſic concedit indulgentiam viuis, qui eius poteſtati ſubduntur, quos quia ligare valet, etiam valet & ſoluere, & à culpis abſoluendo, à nexibuſque cuiuſcunque cenſuræ, & à pœnis debitis pro culpis liberando, dum de theſauro Eccleſiæ tantumdem offert, quantum ad plenam ſatisfactionem exigitur, ideóque viuis concedit indulgentiam per modum abſolutionis, ſicut Princeps reo pœnæ veniam largitur. Secundò, per modum ſuffragij, vt pro animabus Purgatorij præſtat, hæ enim Pontifici non ſunt ſubditæ, nec poſſunt ligari, & conſequenter nec abſolui, poteſt tamen tantumdem ex Eccleſiæ theſauro, cuius diſpenſator eſt, Deo exhibere, quantum illæ debent, quod Deus acceptat, indeque ſolutis iam pœnis, animæ à Purgatorio liberantur, ſicut a carcere reus, pro quo amicus debita perſoluit, hoc ei ſuffragium impertiendo. Sic ergo Pontifex per modum ſuffragij, non abſolutionis, animabus Purgatorij indulgentias à viuis applicandas elargitur.

6 Ita autem dicitur Pontifex offerre ſatisfactionem, vt faciat eſſe propria communia bona theſauri Eccleſiæ his, quibus indulgentiam concedit. Et, vt notat P. Suar. *tom.4. in 3.p.d.57.ſect.3.num.7.* primariò, & directè concedit indulgentiam viuis, ſecundariò, & indirectè defunctis, quatenus indulget, vt ſicut viuus poteſt ſuam propriam ſatisfactionem offerre pro defunctis, poſſit etiam offerre pro ipſis ſatisfactionem ex theſauro communi iam quaſi ſibi donatam, &, ſicut primum eſt ſuffragium pro defunctis, ita & ſecundum. Vnde, cum Diuo Thoma colligit, indulgentiam per modum ſuffragij etiam eſſe viuentium; ſcilicèt quia poteſt concedi, vt viuens eam applicet pro alio viuente, ſicut pro defuncto; è contra vero indulgentia per modum abſolutionis ſolis viuentibus, non defunctis, concedi poteſt.

7 Addit rectè Pater Suarez, non poſſe fieri moraliter, vt Pontifex applicet immediatè indulgentiam pro defunctis, ſed mediatè per viuos, quia licèt inſpecta poteſtate illius, & capacitate animarum, nulla in ea re repugnantia inuoluatur; tamen vſus Eccleſiæ ſemper fuit, vt mediis operibus viuentium eæ applicentur indulgentiæ, maximè cum indulgentia defunctorum, quamvis eorum commodum reſpiciat, etiam ad vtilitatem, & bonum viuentium, & Eccleſiæ dirigatur, & alioqui poſſet ſuo nutu Pontifex animas à Purgatorio liberare abſque cauſa; cum non occurrat cauſa, propter quam ſine vlla actione viuentium, animæ liberentur à Pontifice. Si tamen occurrat cauſa, poterit illud Papa præſtare, vt Trullench affirmat, ſicut poteſt, non exigendo vllum opus, viuis indulgentias impertiri, cauſa iuſta intercedente; ratione cuius nequeat cenſeri diſſipator theſauri Eccleſiæ.

8 Cæterùm, ſi cætera ſint paria, non

differunt indulgentia per modum abſolutionis, & indulgentia per modum ſuffragij, nec in quantitate effectus, nec in infallibilitate, nam in prima remittit pœnam Pontifex, tanquam iudex; in ſecunda offert pretium æquiualens pœnæ, quod Deum acceptare, eſt tam certum, ac eſt, Pontificem poſſe concedere indulgentias, ſeu remiſſiones pœnæ pro defunctis. Ad quod ſatis eſt, vt Pontifex ipſe ſit diſpenſator eius pretij, ſeu theſauri, quamvis non ſint eius ſubditæ animæ Purgatorij. Videantur circa dicta, & alia eis conſona, Pater Suarez *vbi ſuprà*, & Authores allati à Trullench *in Bulla lib. 4. dubitat.* 10. *&* 11. Quibus adde Alphonſum Perez de Lara *in compendio trium gratiarum, Hiſpanico idiomate elaborato, pag.* 51.

9 Iam ergo conſtat, quid concedatur in præſenti clauſula euntibus, & mittentibus ad bellum. Dubitatur tamen, an ſimul indulgentiam plenariam ſibi conſequantur, & ſimul animam queant à Purgatorio liberare? Vel dumtaxat alterutrum ex illis? Alterutrum tantùm, affirmat Trullench *vbi ſuprà, dubitation.* 11. Probat à ſimili, nam erogantes eleemoſynam ad comparandam Bullam, & indulgentiam viuorum, per eumdem actum, ac eleemoſynam non comparant Bullam, indulgentiamque viuorum, & indulgentiam pro defunctis, ergo. Sed hæc probatio nullam vim habet. Etenim Commiſſarius, cui relinquitur taxare eleemoſynam pro Bullæ priuilegiis, taxauit diuerſam eleemoſynam, & diſtinctam pro Bulla communi viuorum, ac pro Bulla defunctorum; & niſi vtraque eleemoſyna erogetur, non obtinentur gratiæ Bullæ vtriuſque. At omnia, quæ diuiſim per has diſtinctas Bullas poſſunt obtineri eleemoſyna erogata, copulatiuè obtinentur eundo, aut mittendo ad bellum. Vt ex ipſis verbis Bullæ eſt conſtans; & de ſe liquet, multò amplius præſtari ab eo, qui mittit, aut proficiſcitur ad bellum, quàm ab illo, qui erogat eleemoſynam tam pro Bulla communi, quàm pro Bulla defunctorum, ideóque tot ab eo, quot ab hoc, imò ampliores gratias fore obtinendas, cùm hæ indulgeantur propter ſubſidium belli, quod maius eſt ab eunte, & mittente, quàm ab erogante prædictam eleemoſynam.

10 Probat prætereà Trullench idem aſſertum; nam in verbis præſentis clauſulæ aſſeritur, eamdem indulgentiam viuis conceſſam ſuffragari animabus defunctorum, pro quibus proficiſci, vel mitti milites contigerit. Vbi vox *pro quibus* requirit, vt quis ſpecialiter pro defuncto proficiſcatur, aut mittatur. Sed contra, quia hoc ſolummodò ſuadet, eſſe opus intentione ſpeciali applicatiua indulgentiæ pro defunctis; non verò ſimul non poſſe applicantem etiam pro ſe lucrari. Vnde iudico, eſſe valdè probabile, vtrumque concedi vt ſimul obtinendum. Moueor primò, quia priuilegia & gratiæ ſunt ampliandæ, vbi dubitationi relinquitur locus, vt contingit in præſenti. Secundò, nam vt nuper dicebam, opera, quæ præſtat mittens, aut proficiſcens ad bellum, æſtimabiliora ſunt & magis opportuna, commodaque ſubſidio belli, quàm eleemoſynæ erogatæ tum pro Bulla communi, tum pro Bulla defunctorum ſimul acceptis; ergo ſi vtramque gratiam obtinet, qui eas Bullas ſimul accipit, à fortiori obtinebit, qui proficiſcitur, aut mittit ad bellum; alioquin parcior fuiſſet Pontifex cum eo, qui plùs promoueret ſubſidium belli contra infideles, quod eſt eius ſcopus in Bullæ conceſſione.

11 Tertiò moueor, quia propter idem opus poteſt concedere Pontifex, vt viuus pro ſe indulgentiam conſequatur, & vt defunctum liberet à pœnis Purgatorij; quòd ſi poſſit, nullum extat indicium, ita in præſenti non conceſſiſſe. Poſſe autem, ſuadetur, quia, vt *ſuprà* libauimus, abſolutè etiam ſine intermedio opere præſtito à viuente, valet Pontifex liberare animam à Purgatorio; ergo multò meliùs illo intermedio, quamvis per eum etiam alia indulgentia ſit obtinenda, cum vtilitas viuentis ipſius, & Eccleſiæ, ad quam in conceſſione indulgentiarum attenditur, in eo opere ſaluetur ſufficienter. Deindè ſolet Pontifex plures indulgentias propter aliquod vnicum opus elargiri, vt cum concedit omnes indulgentias, quæ Romæ, Compoſtellæ, & Hieroſolymis obtinentur, in quibus plures ſunt plenariæ, & licèt quis tunc vnicam indulgentiam plenariam lucretur, hoc prouenit, quia per vnam præſtatur idem, quod per plures, nec reſtat capacitas, aut neceſſitas aliam obtinendi; quòd ſi reſtaret, obtineretur; ergo poteſt per idem opus & indulgentia pro ſe obtineri à viuente, & applicari pro defuncto, cum ad vtrumque ſit capacitas, & neceſſitas; & vtrumque appareat ſimul à Pontifice conceſſum.

12 Confirmatur, quia in ipſa Bulla communi viuorum, ad calcem vbi recenſentur dies, in quibus indulgentia plenaria obtinetur, in aliquibus additur: *Teſte dia ſe ſaca vna anima de Purgatorio.* Ecce eadem altarium, aut Eccleſiarum viſitatione & ſibi, & defuncto ſimul quis indulgentiam poteſt obtinere; quod oſtendit particula copulatiua in verbis his Hiſpanis; perſuaſionemque eam eſſe fidelium, abs dubio crediderim. Quid? quod

Digitized by Google

quod etiam ſi per idem medium non poſſet vtraque indulgentia obtineri, in noſtro caſu cum miſſio, aut profectio ad bellum non ſit vnicum opus indiuiſibile, ſed plura in proficiſcente, item & in mittente, dum eleemoſynam erogat ad ſuſtentandum militem, quod opus poteſt præſtari diuiſibiliter, poſſet Pontifex intuitu horum operum collectiuè ſumptorum, collectiuè vtramque indulgentiam elargiri, reſpiciendo in vnaquaque aliquod opus ex illis.

13 Deinde dubitatur, quot animabus poſſit applicari per modum ſuffragij hæc indulgentia? Praxis fidelium eſt, vt quoties Pontifex ſimilem applicationem concedit, pro vna dumtaxat anima applicetur indulgentia; ideóque Commiſſarius in Bulla defunctorum, pro vna anima applicari poſſe, declarat. At non videtur contra Pontificis mentem in verbis præſentis clauſulæ expreſſam, vt pro pluribus animabus poſſit indulgentia applicari; non ita vt omnes illæ ſimul liberentur à pœnis Purgatorij, ſed vt omnes illæ, pro quibus ſimul fieret applicatio, acciperent aliquod leuamentum in pœnis; diſtributa inter eas ſatisfactione pœnarum, quæ applicata vni ſoli ſufficiens eſſet ad eam omnino liberandam à Purgatorio: Dei reliquendo prouidentiæ, quota pars pœnæ cuique eſſet minuenda; cum enim non æqualem pœnam omnes animæ debeant, non eſt determinata quantitas pœnæ vnica, quæ ſingulis animabus correſpondeat: Deus ergo decerneret, cuius quantitatis ſatisfactio eſſet diſtribuenda inter animas, quibus applicatio indulgentiæ fieret.

14 Rursùs applicans hanc indulgentiam poteſt aut Deo relinquere determinationem, ſeu deſignationem animæ à pœnis liberandæ; vel ipſe valet deſignare illam. Vnde Commiſſarius in Bulla defunctorum locum relinquit, vt anima determinatè deſignetur. Hocque præſtari poſſe, quotieſcumque conceditur à Pontifice applicatio indulgentiæ pro defunctis, oſtenditur; quia poteſtas ad deſignandum animam in conceſſione eiuſmodi applicationis, non eſt, vnde ei negetur; quare dum indefinitè id concedit, cuilibet deſignationem liberam relinquit; hoc quippè eſt maior eius fauor, fauoreſque ſunt ampliandi. Præterea ſicut poteſt quis ſatisfactionem ſuorum operum liberè offerre pro alio viuente per modum ſuffragij, eo deſignato, cur non poterit pro deſignato defuncto? Nec enim maius eſt fundamentum, ad aſſerendum, Deum acceptare ſatisfactionem illam pro viuente deſignato, quàm pro deſignato defuncto.

15 In ſententia, quæ communior eſt, tuente, hanc indulgentiam Bullæ, de qua in præſenti agimus, poſſe toties quoties obtineri, durante anno expeditionis, dum in eo ponantur requiſita; conſequenter aſſerendum eſt, toties, quoties fiat applicatio pro defuncto, animam à Purgatorio liberari; & ita tenet Trullench *vbi ſuprà*: Eo notato diſcrimine, quòd ad indulgentiam lucrandam ſibi opus eſt ſtatu gratiæ, vt docuimus *diſputation. 6. capit.* 1. Ad liberandum autem à pœnis Purgatorij animam, non eſſe opus ſtatu gratiæ, ſed ſufficere applicationem, & requiſita præſtare, eſt opinio probabilis, de qua nos in explicatione Bullæ defunctorum *inferiùs*. Cæterùm in mea doctrina, quam ſtatui *diſputation.* 5. *à numer.* 6. nempè hanc indulgentiam Bullæ conceſſam proficiſcentibus, & mittentibus ad bellum ſemel dumtaxat à quolibet poſſe obtineri, conſequenter eſt affirmandum, vnicam poſſe animam à Purgatorio liberari.

16 Et quidem videtur abſurdum, concedi à Pontifice, vt ſingulis inſtantibus à quolibet ex illis per totum anum in bello commorante poſſe vnam animam liberari à pœnis, cum ſingulis inſtantibus poſſit fieri à quolibet applicatio pro illa, & aliundè opus requiſitum ſupponatur, nempè commoratio in bello. Hinc inconſequentiæ arguo Ægidium Trullench, qui tuetur ex vno capite, poſſe toties quoties hanc indulgentiam obtineri, & animam à Purgatorio erui, ex alio verò, non poſſe quem mitti, aut proficiſci ad bellũ, animo obtinendi ſibi, & animæ defuncti ſimul indulgentiam. Etenim ſi ſingulis inſtantibus, ſeu toties quoties vel ſibi, vel animæ poteſt ea indulgentia obtineri, poterit quis ſaltem in vno inſtanti ſibi illam applicare, & in alio applicare animæ, & ſic in reliquis; vnde valebit proficiſci pro ſe, & pro defuncto; quantumvis demus, non poſſe in eodem inſtanti ſibi, & animæ ſimul eam indulgentiam applicare, diuiſiuè autem qua ratione, aut fundamento poteſt negari?

DISPVTATIO XIII.

De Excuſatione à ieiuniis & obſeruatione Feſtorum conceſſa in Bulla, commorantibus in bello contra Infideles.

Supradictis, qui in bello contra Infideles per annum commorantur, ſuis expenſis victitando, ſeu expenſis mittentis, dum miſſi ſint pauperes, concedit Pontifex, vt habet Bulla Latina: *Item milites in bello occupati à ieiuniis votiuis, vel Eccleſiæ excuſantur, & quòd in die feſto belli negotiis*

Digitized by Google

vacare poſſint, declaretur. Bulla vulgaris vertit. *Y los ſoldados, que en eſta guerra eſtuuieren, ſe declara no eſtar obligados à los ayunos, que por voto, o precepto de la Igleſia lo eſtuuieran, no eſtando en la guerra.*

CAPVT I.

An milites in bello ieiunare teneantur? & quid eis concedat præſens Bulla priuilegium?

1 AD ieiunium, quod præceptum Eccleſiaſticum introduxit, tenentur omnes, expleto prorſus vigeſimo primo ætatis anno in diebus Quadrageſimalibus, in vigiliis, & in quatuor Temporibus anni. Ab ea tamen obligatione plures excuſantur, nimirum ægrotantes, agricolæ, iter pedibus agentes, feminæ grauidæ, & nutrices, omneſque artifices moleſto labori incumbentes. Sutores etiam excuſari, tenent contra Cardinalē Toletum P. Azor, Leſſius, Reginaldus, Bonacina, Layman, quos ſequitur Diana 1. *p. tractat.* 9. *reſolut.* 7. Præterea ſartores, & barbitonſores, contra communiorem ſententiam, eſſe excuſatos, defendit P. Fagundez *in præcepto* 4. *l.* 1. *cap.* 8. *à num.* 15. Vbi affert priuilegium Eugenij IV. omnes artifices indiſcriminatim excuſantis à ieiunio, ſiue fuerit hoc diſpenſatio cum illis, ſiuè declaratio deobligationis ipſorum, vt ſcrupuli vitarentur. Hos, qui ratione laboris communiter à ieiunio excuſantur, etiam ſi ieiunij dies eſſet feſtiuus, nec in illo laborarent, eo die non teneri ieiunare, affirmat Ioan. de la Cruz *in director. conſc. p.* 1. *præcept.* 3. *art.* 4. *dub.* 9. *concl.* 2. & alij valdè probabiliter. Videndus ſum ego *in ſtatera opinionum benignarum, diſſertat,* 8. *ex num.* 29.

2 Concionatores, & Magiſtri non obligantur ad ieiunium, cum improbo labori vacant, & à ieiunio debiles ad ſuum miniſteriū euaderent. Ita P. Filiuc. *to.* 1. *tr.* 27. *p.* 2. *c.* 6. *num.* 124. cum pluribus. Idem dicito de confeſſariis aſſiduis, cum Diana *ſuprà reſol.* 10. Necnon & de muſicis, vel in Eccleſiis munus Cātorum exequentibus, vel in aulis ad magnorum Principum ſolatium, ſi ex ieiunio vox eſſet debilitanda, Ita Ioan. Sancius *in ſelect. d.* 44. *n.* 18. De aduocatis idem dicendum eſt, ac de Concionatoribus, & Magiſtris; vt docet Ortiz *in ſum. c.* 19. *n.* 15. quod extendit ad Procuratores, Diana *reſol.* 12. & addit *reſol.* 52. colligens id ex P. Salas, Sanch. Suar. & ſequens Sancium, poſſe quem data opera differe laborem ad diem ieiunij, ſeu in illo ſine vllo negotio aut neceſſitate laborare, ne ſeruet ieiunium, quia vtitur iure ſuo, laborando, & labore poſito, ieiunare non tenetur, quam ieiunij fraudem licitè patrat, dum iuri ſuo indulget. Præterea, qui niſi cœnent, nequeunt ſomnum capere, ieiunare deobligantur, nec peruertere refectionem tenentur, vt ieiunent, relinquēdo ad tempus veſpertinum refectionem meridianam. Sic Caiet. *verb. ieiunium c.* 2. & alij: rurſus qui ieiunus adhuc acceſſit iter agendo ex loco, in quo non ieiunatur ad locum domicilij, vbi ieiunatur, tempore meridiei, non teneri ad ieiunium, quia præceptum ieiunij reſpicit integrum diem, vt obiectum indiuiduum, illeque potuit licitè matutina hora manducare, quo non ſtaret ieiunium, tenet cum Sancio, Diana *reſol.* 50. contra Baſilium Pontium, Pleſium, & Th. Sanch. In locis autem, in quibus quis domicilium non habet, an teneatur tranſiens ieiunare diebus, qui ibi ſolùm ſunt obligatorij, idem dicendum eſt, ac in cæteris præceptis municipalibus, de quibus *in tract. de legibus* P. Layman, Caſtro Palao, Bonacina, & alij communiter agunt. Et ego *Tomo de Iure Academico, lib.* 3. *ex n.* 243. *&* 251. Sexagenarios, etiam robuſtos, non teneri ad ieiunium, valdè probabiliter tenet cum aliquibus Diana *reſol.* 20.

3 Pauperes, qui oſtiatim victum emendicant, communiter ieiunare non tenentur, quia nullibi comparant cibos ſufficientes, quibus vnica vice epulas meridianas perficiant; nec tenentur expectare vſque ad vltimam diei horam, qua ab emendicatione ceſſant, vt tunc quidquid collegere, manducent. Idem dicito de quolibet alio, v. g. de itinerante, qui hora meridiana in loco, quo quieſcit, non reperit ſufficientem cum mediocritate cibū, vt epuletur. Itinerantes, etiam equitando, deobligari à ieiunio, ſenſiſſe Ortiz *in ſumma cap.* 19. *num.* 12. affert Diana *ſuprà reſol.* 46. eiuſque verba Hiſpana tranſcribit; ſed ſanè non tuta fide, quia vltima verba illius prætermittit, quorum additione ſententia diuerſiſſimè ſonat. Ait enim Ortiz, itinerantes, etiam equitantes, & abſque neceſſitate vrgente iter illud facientes, non eſſe ad ieiunandum obſtrictos. Hæc verba retulit Diana, ſed immediatè additum diminuens Ortiz appoſuit, aſſerens, ſi incommodum magnum in itinere ſentiant. Hæc omiſit Diana, quibus verbis additis nil ſingulare ille docet; nam cum graui incommodo leges Eccleſiaſticæ non obligant, quare nec lex ieiunij.

4 Nihilominùs non damnabo peccati eum, qui etiam equitans facit iter, ſi non ieiunet, dum die ieiunij viam vnius diei perambulet, ſcilicèt nouem, aut decem leucas Hiſpanas; quia illa via per diem continuata ex ſe affert etiam equitanti laborem ſufficientem ad excuſandum à ieiunio, quod communiter accidere, quiſque experitur in corporis defatigatione,

Digitized by Google

tigatione, variiſque circunſtantiis in itinere frequentibus. Sic ſenſit à me conſultus P. Petrus Hurtado de Mendoza, vir apprimè doctus, vt eius ſcripta manifeſtant; ſic etiam & alij vt tutum in praxi affirmarunt. Quod tamen neutiquam eſt extendendum ad eos, qui in lectica, quadriga, aut curru peragunt iter: quidam enim cenſuere, hos excuſari à ieiunio, non autem equitantes, eo quòd motibus lecticæ, aut curtus, nimium quaſſentur. Quod mihi non eſt probabile, cum hic labor ſit moderatiſſimus.

5 His ſuppoſitis, quæ prætermitti non debuerunt, vt inde appareat, quibus in caſibus operetur priuilegium Bullæ Cruciatæ, cognitis priùs illis, in quibus abſque Bulla licet non ieiunare, aſſerendum eſt, milites non teneri ad ieiunium, ratione huius priuilegij, etiam in diebus, quibus non adeſt illis aliqua excuſatio ex *ſuprà* poſitis; ſcilicèt etiam ſi non ægrotent, non laborent, non emendicent, &c. ſiuè ieiunia ſint ex præcepto, ſiuè ſint ex voto. Milites autem fruentes hoc priuilegio ſolummodò ſunt, qui ſuis expenſis militant, & pauperes miſſi expenſis aliorum.

6 Duo ſunt hic obſeruanda. Alterum, hos milites, qui à ieiunio excuſantur, non propterea poſſe carnibus veſci; priuilegium enim ad hoc minimè ſe extendit; cum autem quis excuſatur à ieiunio, non ideò poteſt carnes edere, niſi aliundè ei hoc indulgeatur, vt patet in minori viginti uno annis, & in aliis; quare qui obligatus ad ieiunium, illud fregit, non poteſt adhuc carnibus veſci. Ratio eſt quia lex Eccleſiaſtici ieiunij obligat ad abſtinendum à carnibus non ſolùm ieiunantes, ſed etiam ſeparatim, atque diſtinctè non ieiunantes. Videatur Pater Layman *tom. 2. tractat. 4. cap. 3. numer. 3. §. qui vouit.* Alterum in præſenti ſolos milites excuſari à ieiunio, vt verba Bullæ exprimunt, & eius omnes Expoſitores declarant; non verò clericos ſæculares, aut Regulares qui pia miniſteria exerciturì in bello commorantur; quos non excuſat Pontifex, fortaſſe, vt ieiuniis, & orationibus etiam militent, qui aliis armis militare non debent.

CAPVT II.

De excuſatione ab obſeruatione Feſtorum quoad belli negotia, in Bulla contenta.

7 Conceditur etiam ſuprà dictis militibus, quòd in diebus feſtis poſſint belli negotiis vacare. Quæ conceſſio in Bulla vulgari Hiſpana non extat, forſan ob vitandam prolixitatem omiſſa, ſicut & illa, de qua *diſp. praecd. cap. 1.* At ſicut illa, ſic & hæc potuiſſet apponi. Ibi dicta recolantur. Diebus feſtis vacare tenentur ex præcepto Eccleſiaſtico fideles omnes ab omnibus exercitiis laborioſis, non liberalibus, niſi in caſibus neceſſitatis; qui caſus, & quænam ſint exercitia artium liberalium, poſſunt videri apud Authores circa quinque Eccleſiæ præcepta. Prohibentur prætereà his diebus fora iudicialia. A quibus omnibus milites etiam ceſſare debent, dummodò ad belli negotia non ſpectent; ſi verò ad illa pertineant, poterunt dies feſtos integros in eis inſumere.

8 Belli autem negotia dicuntur, quæcumque ad illius expeditionem conducunt. Quare poterunt quævis onera aſportare, terram fodere, machinas bellicas admonere, in foris iudicialibus, ſi hæc ſint neceſſaria, aſſiſtere, hiſque ſimilia. Cæterùm, quando hæc omnia ſunt neceſſaria, vt promptiùs res bellicæ diſponantur, etiam abſque hac Bullæ declaratione poſſent milites, non ſolùm, qui ſuis expenſis, vel ab aliis miſſi, degunt in exercitu, verùm etiam & omnes alij laborare diebus feſtis; quia ea neceſſitas ſufficienter à peccato excuſat laborem, ſicut aliæ neceſſitates excuſant non exiſtentes in bello, inter quas neceſſitates numerantur pericula amittendi proprias facultates domi, aut in agro, aut in fluuio, vel mari; quare ſimilia, & maiora pericula in bello contingentia etiam excuſant, hincque fortè in præſenti clauſula, non ait Pontifex, ſe concedere facultatem laborandi in belli negotiis, ſed declarare, poſſe vacare illis, quaſi hæc non ſit conceſſio priuilegij, ſed ablatio ſcrupulorum media declaratione, quam quilibet vir doctus præſtare poſſet.

9 Quòd ſi quis contendat, eſſe conceſſionem priuilegij, eo quòd aliàs hæc declaratio non eſſet facienda dumtaxàt reſpectu militum ſupradictorum, ſed reſpectu quorumcumque in exercitu militantium; dupliciter reſponderi poteſt. Primò, hanc declarationem doctrinalem ideò ſolùm fieri reſpectu ſupradictorum militum, quia de eis loquitur Pontifex in hac Bulla, non de cæteris, quibus poſſe eamdem declarationem aptari, non prohibet. Secundò, concedi poteſt, quod intenditur, & aſſeri, eſſe hanc conceſſionem priuilegij, non quidem reſpectu operum, quæ retulimus *numero præcedenti*, cum ſcilicèt belli neceſſitas vrget, ſed reſpectu aliorum, quæ abſolutè differri poſſent, ſed tamen commodiùs his diebus feſtis peraguntur, quæ vel ſine priuilegio ſpeciali nequirent peragi, vel ſaltem dubium eſſet, an peragi liceret: quo caſu operabitur priuilegium præſens, & non extendetur ad milites cæteros, niſi ad ſupradictos. Fateor, hoc ipſum, quod

quod eſt priuilegium, & fauor quoad excuſationem à peccato in vacando negotiis belli diebus feſtis, eſſe ex alio capite onus reſpectu prædictorum militum, nempe qui labori belli incumbent, tunc cum cæteri otiantur, & à labore ceſſant, eo quòd ſimili priuilegio non gaudeant, niſi fortè illis militibus ſpeciale commodum eſſet ille labor.

10 Aduertendum hîc eſt, ratione huius priuilegij milites non excuſari ab auditione Sacri, niſi belli negotia ea ſint, quæ non patiantur auditionem illius, ſi enim vrgeant, nec tempus Sacri auditioni permittant, excuſabunt ab obligatione audiendi Sacrum eos omnes, qui eis vacauerint, non aliter ac ſimiles neceſſitates excuſant non exiſtentes in bello ab eiuſmodi auditione; tunc videlicet, cum ſine notabili incommodo, arbitrio viri prudentis penſando, Sacrum audiri nequit, cum eo quippè incommodo præcepta Eccleſiaſtica non obligant, vt apud Authores eſt conſtantiſſimum.

DISPVTATIO XIV.

De eleemoſyna tribuenda pro Bulla Cruciata ab his, qui nec eunt, nec mittunt ad exercitum alios propriis expenſis.

1 SEQVITVR poſt clauſulam præcedentem hæc: *Item conceditur omnibus prædictis, necnon iis, qui nec ibunt, nec mittent, ſi tamen infra dictum annum ex bonis ſibi à Deo collatis, in hanc expeditionem pro religionis defenſione liberaliter contulerint, vt dicto anno durante.* Hæc verba erunt in præſenti exponenda. Quod verò conceditur poſt illa, ſequentibus diſputationibus explanabitur. Bulla verò Hiſpanè traducta ſic habet. *Iten concede ſu Santidad à todos los ſuſodichos, y à los que no fueren, ni embiaren, ſi de ſus bienes liberalmente contribuyeren, y ayudaren para eſta ſanta obra con la limoſna infraſcripta, que durante el dicho año, que corre deſde el dia de la publicacion deſta Bulla en cada lugar, puedan gozar, y gozen de todas las gracias, y facultades contenidas en eſta Bulla; conuiene à ſaber,* exindè ſequuntur gratiæ toto decurſu elucidandæ.

2 Circa prædicta verba nota primò; priuilegia præcedentia ſolùm fuiſſe conceſſa euntibus propriis expenſis ad bellum contra infideles, mittentibuſque alios, miſſiſque pauperibus, dummodò circunſtantiæ adhuc expoſitæ concurrant, cætera verò, quæ deinceps conceduntur, tum ab ipſis, tum à quibuſlibet eleemoſynam à Commiſſario taxatam erogantibus impetrari, ita vt qui Bullam communem viuorum accipiunt, eius potiantur indultis; pariter etiam, qui diſtincta eleemoſyna Bullam defunctorum ſumunt, & demùm, qui Bullam compoſitionis, at milites prædicti abſque noua eleemoſyna, & abſque acceptione ſummarij Bullæ, gaudent facultatibus omnibus contentis in Bulla communi viuorum, & in Bulla defunctorum, vt *in ſuperioribus* annotauimus, non tamen gaudent priuilegio Bullæ compoſitionis, niſi eam, præſtita eleemoſyna deſignata, accipiant, nam id priuilegium non conceditur à Pontifice illis, ſed immediatè facultatem præſtat Commiſſario, vt bona in ea Bulla contenta componat, eleemoſynam indè in belli ſubſidium adquirendo.

3 Nota ſecundò, annum durationis Bullæ à publicatione in ſingulis locis expoſitum fuiſſe iam à nobis *ſuprà diſp.* 2. Nec hic aliquid reſtat addendum. Deindè, quid nomine bonorum à Deo collatorum intelligatur, declarauimus *diſp.* 4. *à num.* 5. Prætereà taxam eleemoſynæ pro ſingulis Bullis, quæ ad diuerſos effectus ex vnica Latina ſunt à Commiſſario diſſectæ, propoſuimus *diſp.* 1. *cap.* 3. Quam eleemoſynam determinari poſſe, & debere à Commiſſario Cruciatæ, conſtat ex verbis Bullæ Latinæ, paulò ante clauſulam præſentem, ibi: *Iuxta taxam per Commiſſarium, perſonarum qualitate inſpecta, faciendam.* Cæterùm circa taxam, & qualitates perſonarum relatas *ea diſp.* 1. *cap.* 3. nonnulla erunt breuiter animaduertenda.

4 In primis, ſi quis non habeat in promptu eleemoſynam, quam eroget, poteſt accipere Bullam, eiuſque ſtatim priuilegiis frui, deſignando diem, ſiuè tempus, in quo ſit illam erogaturus; & hi, qui ſummaria Bullarum ſeruant, tenentur ea præſtare his, qui tuto ſpondent eleemoſynam, quamvis eam illicò non præbeant: ita enim iubet ipſis Commiſſarius, vt conſtat ex verbis ipſius allatis ab Alphonſo Perez de Lara *in Compendio trium gratiar. pag.* 221. ibi: *Y mandamos à los dichos Teſoreros y ſus Fatores, Predicadores, y Miniſtros, que aſſi lo hagan, y cumplan, dando las dichas Bulas fiadas à todos los que las quiſieren tomar, no ſiendo foraſteros de los pueblos donde ſe predicare, ò perſona, que notoriamente ſe entienda, que no pagara, ſopena que las que pareciere auerſe dexado de fiar, ſe cargaran à los dichos Teſoreros.*

5 Deindè in taxa Commiſſarij aſſeritur vxores eorum, qui ibi deſignantur erogaturi octo drachmas argenteas, his viuentibus, totidem drachmas pro Bulla eſſe præſtituras. P. Henriquez *l.* 7. *de indulg. cap.* 20. *num.* 3. *in gloſſ. littera Z.* ait, vxorem, quæ non habet bonorum adminiſtrationem, quamvis ratione

Digitized by Google

ratione dotis ſit domina vaſſallorum, ſatisfacere, ſi duos argenteos præſtet; citatque pro ſe Emanuëlem Rodrig. *in Bull.* §.12. *num.*16. Sed nec hic eo loco, aut in additionibus ad illum quidquam tale habet; nec verum affirmat P. Henriquez. Quia Commiſſarius abſolutè deſignat eam quantitatem ab eiuſmodi vxore erogandam; quippè ad eius ſpecialem dignitatem attendit, & aliundè ex bonis ipſius, licèt adminiſtrentur à marito, vel ex bonis mariti, quæ ſunt communia, erit ea eleemoſyna eroganda, ſicuti & alij ſumptus eidem vxori neceſſarij ex eiuſmodi bonis depromuntur. Valdeque commune eſt, vxores non habere bonorum adminiſtrationem, quod non ignorauit Commiſſarius, cum eam taxam appoſuit non ſolùm reſpectu vxorum, quæ ratione dotis ſunt dominæ vaſſallorum, ſed etiam reſpectu earum, quæ matrimonio copulantur cum dominis proprietariis. Patet hoc in cæteris fœminis ibi deſignatis, in quibus non attenditur, vtrùm bonorum adminiſtrationem habeant, necne. Filij autem horum, qui octo argenteos erogant, non debent totidem pro Bulla erogare, niſi ſeorſim à parentibus habeant aliquam dignitatem ex deſignatis, v.g. Commendam, dominium, aut quid ſimile. Vnde primogeniti Magnatum, qui honoris ergo, titulum Marchionum, aut Comitum vel Ducum habent, etiam erogare debent eam quantitatem, quamvis prouentibus ex locis, quorum Marchiones, &c. nuncupantur, non gaudeant, quia realiter funguntur eo titulo ex Regis conceſſione, neque aliud requirit Commiſſarius attendens dignitati, niſi quod illum habeant.

6 Addit *ibidem* P. Henriquez, eos, qui octo argenteos pro Bulla erogare debent, ſi ſecundam Bullam accipiant eodem anno, vt poſſunt omnes accipere, ſolùm erogare debere duos argenteos, ex præſumpta intentione Commiſſarij. Sed rectiùs Trullench *in Bull. l.*1. §.3. *dub.*1. contrarium tenet. Quippè non eſt fundamentum, vnde ea intentio præſumatur, & Commiſſarius abſolutè deſignat octo argenteos pro qualibet Bulla, quin primam ſolùm determinet. Itemque dicendum eſt, ſi illi Bullæ ſummarium amiſerint, aliudque accipiant, pro illo namque totidem argenteos elargiri tenentur; ex quo aliqua fit contra P. Henriquez paritas.

7 Defunctis maritis, viduæ non debent octo drachmas argenteas pro Bulla præſtare. Excipit Trullench *ſuprà*, niſi maneant vſufructuariæ, quia tunc reuera manent dominæ vaſſallorum, tuncque dominus proprietatis non tenebitur totidem drachmas elargiri, quia abſolutè, & ſimpliciter, ſeu integrè dominus non eſt, dum vſufructu caret: & par eſt, viduam, quæ fert commodum, onus ſentire, non è contra, hunc, qui commodum non reportat experiri onus. Vnde cum ratione vniuſmet dominij non teneantur duo, niſi ſint vir, & vxor, octo argenteos præſtare, facta partitione dominij, vtilis reſpectu vnius, & proprietatis reſpectu alterius, æquius eſt, vt vidua vtilitatem capiens, eam quantitatem ſoluat, quam dominus proprietatis. Ex qua ratione colligitur, hanc eſſe Commiſſarij mentem.

8 Aduertit Trullench *ibidem*, ſi plures ſint domini eiuſdem loci pro indiuiſo, vel pro diuiſo, ita vt vnus teneat quamdam loci partem, alius aliam, non teneri ſingulos erogare octo argenteos, ſed duos, ſi tamen inter eos omnes octo illi argentei conficiantur, quia nullus cenſetur abſolutè dominus, & dominus pro parte iuxta Iuriſperitos non venit appellatione domini. Contra tamen eſt, nam ſi vnus ex illis ſolus Bullam accipiat, octo debet argenteos præſtare, etiam iuxta mentem Trullench; quid ergo intererit ad hoc, quòd reliqui etiam accipiant, necne? An ab eis interrogaturus eſt quotannis, vtrùm Bullam ſumant, & quam pro ea quantitatem eleemoſynæ elargiantur, vt ipſe numerum octo argenteorum compleat? hoc ſanè videtur abſurdum; nec de mente Commiſſarij eſt, vt octo argentei præſtentur ab omnibus his, qui quaſi vnum dominum abſolutè conflant, ſed à ſingulis, qui prærogatiua dignitatis dominij gaudent. Quod ampliùs cernitur ex eo quod ſi vnicus ſit dominus loci, quem pauciſſimi incolæ habitant, tenetur eos argenteos integrè præſtare. Continget autem, eſſe duos dominos loci amplioris, quorum vnuſquiſque multò plus vtilitatis, & honoris ex eo dominio aſſequatur, quantumcumque diuiſo; ergo etiam tenetur octo argenteos præſtare; coniunctio enim partis loci, cum alia parte, non poteſt quo ad hoc obeſſe; cum, ſi ſepararetur ea pars, aut dirueretur, dominus alterius partis, qui iam ſolus remaneret, deberet octo argenteos erogare.

9 Confirmatur. Ponamus, eſſe dominos vnius loci Regem ipſum, & ſimul alium ex ſubditis; ſi hic alius non ſoluit octo argenteos, non eſt, quomodo ad eam quantitatem accedatur; ſi ſoluere debet, ergo etiam debebit, licèt non ſit Rex, ſed alter cum ipſo loci dominus. Etenim Commiſſarius non intendit, vt dicebam octo argenteos correſpondere ſolùm cuique dominio; vt patet in vxoribus dominorum, quæ totidem tenentur erogare, etiam ſi mariti erogent octo; nec hi plus, vel minus præſtare coguntur ex eo, quòd eorum vxores Bullam accipiant, aut non accipiāt. Nec obſtat quod ait, ſed falsò, ſub appellatione domini in iure non cadere dominum pro parte; Quidquid enim ibi ſit, in præſenti non

Digitized by Google

non applicari eam doctrinam, ipſe Trullench debet fateri; cum ipſe exigat, vt inter dominos loci octo argentei præſtentur, ita vt ſi duo eſſent, vnuſquiſque quatuor argenteos tribuere teneretur; ſi autem ſub nuncupatione domini non venirent, non tenerentur, niſi duos præſtare. Vnde contradicentia inuoluit hic Author, dum, & non eſſe dominos, probat, ex iure, & vt dominos tribuere debere plus, quam cæteros, docet. Quòd ſi reſpondeat, vtrumque conflare vnicum dominum abſolutè; quid aſſeremus, nolente vno ex illis Bullam accipere? Itaque hi ſub nuncupatione domini veniunt, quia in præſenti attenditur præcipuè ad honorem aliquem, ſeu excellentiam in illis repertam, quæ non eſt in aliis. Dixi, falsò Trullench aſſerere, in Iure dominum pro parte non venire ſub appellatione domini; nam ſecus ſe res habet, & ex iure noſtra confirmatur aſſertio. Etenim *in leg. 1. ff. Ad Senatus conſult. Silanian. §. Domini*, 1. aſſeritur: *Domini appellatione, etiam pro parte dominum contineri, dicendum eſt*. Petr. Rebuf. *de verb. ſignif. in l. litus 96. §. prædia, ff. eodem*, ſubdit hanc tertiam concluſionem. *Appellatione Domini. venit etiam dominus pro parte.* Confirmo *ex leg. illud 16. ff. de ritu nuptiarum*; vbi priuilegium conceſſum patronis, & patrono pro parte datum intelligitur.

10 Conſequenter ad hæc tenendum eſt, etiam ſi loci incolæ ſint duo, vel vnus tantùm dominum debere octo argenteos præſtare; nec enim aſſerit Commiſſarius, debere eſſe dominum plurimum vaſſallorũ, ſed vaſſallorum duntaxat. Si verò quis ſit dominus domuum, agrorum, & reddituum loci, non autem iuriſdictione illius gaudeat; non tenebitur pro Bulla octo argenteos erogare, nam non eſt dominus vaſſallorum, cum ad hoc dominium iuriſdictio requiratur. Si verò quis habeat dominium etiam iuriſdictionis alicuius termini agrorum, in quo nullus ſit vaſſallus, vel quia incolæ illum deſeruerunt, vel quia nunquam ibi habitarunt, cenſerem, etiã teneri erogare octo argenteos pro Bulla; nam ille poteſt delinquentes in eo termino capere, & punire; poteſt etiam incolas, qui illum habitent, adducere, quo caſu eos argenteos ſoluere teneretur, quin tamen in ipſo poteſtas eſſet aucta, ſed exercitium, cuius carentia obſtare non videtur; & cernitur in eo, qui vaſſallos habebat, ſi peſti, aut inopia ſint conſumpti, non ideò dominij poteſtatem amittit, nec ceſſare debet ab erogatione argenteorum, quos priùs pro Bulla præſtabat; & abſolutè dicitur eſſe dominus loci alicuius qui in illo palatium ſuum tantummodò cum iuriſdictione habet, & etiam ſi palatium, aut domum non habeat, dum tamen iuriſdictione fruatur.

11 Quando verò aliqua Communitas Religioſa habet loci dominium, nullus ex ea tenetur octo argenteos præſtare; nam dominium non ſtat penes aliquem ex illis, ſed penes Religionem, aut Communitatem, quam repræſentant omnes illi, qui ibi commorantur; longè tamen aliter, ac quando duo, vel tres domini ſæculares alicuius loci dominantur. Quod etiam cernitur in aliis, vt ſi Xenodochium, aut Eccleſia, aut Ciuitas habeant dominium alicuius oppidi, nullus cenſetur dominus; nec ad illos extendi hanc taxam Commiſſarij, ex eius mente, communique omnium ſuaſu, & ratione ipſa, iudicandum eſt. Quòd ſi dominium loci deputatum ſit Superiori Communitatis, aut Ordinis, vt puta Abbati, Priori aut Generali, ita vt independenter à ſua Communitate iuriſdictionem exerceat, emolumentaque adquirat, quandiu in ea eſt Prælatura, ſanè debebit octo argenteos præſtare, cum abſolutè eo tempore dominus ſit oppidi illius.

12 Vlteriùs obſeruandum eſt, non teneri, eos octo argenteos præſtare illos, qui à Commiſſario non deſignantur in taxa *ſuprà* dicta, etiam ſi maiori, aut æquali dignitate, vel emolumento potiantur, ac hi, qui deſignantur; cum hoc à voluntate Commiſſarij pependerit, nec oporteat examinare, cur hos deſignauerit, illos prætermiſerit; ſupponendum namque eſt, rationabiliter id præſtitiſſe. Hinc non debent octo argenteos pro Bulla erogare Vice-Comites, prætores Vrbium, (niſi aliundè ſint domini vaſſallorum) nec Senatores Iudices nobilitatis, quos vocamus, *Alcaldes de Hijoſdalgo*; nec Iudex maior Cantabriæ, in Regio Valliſoletano Senatu; nam Commiſſarius ait: *Oydores de las Chancillerias, y Audiencias Reales, y Alcaldes del Crimen, y Fiſcales.* Vbi expreſſio horum eſt excluſio aliorum: Nec item Auditores exercituum, aut alicuius Ducatus, ſeu dominij (hi enim non ſunt Senatores, quos vocamus *Oydores* Conſilij, Senatus, aut Audientiæ Regalis) quales ſunt, quos in ſuis ſtatibus habent Dux Albanus, & Dux Metymnæ Sidoniæ, & alij.

13 Hinc aduerte, proportione ſeruata aptandum eſſe, quidquid de Hiſpanis aſſerimus; Indicis etiam in taxa ſpeciali, quæ pro illis eſt; poſitaque fuit *ſuperiùs loco citato.* Aduerte etiam, quamvis in vna, eademque perſona plures tituli concurrant, quorum quilibet ſatis eſſet, vt octo erogaret argenteos, vtpotè ſi ſit Senator Regius, Comes, Dominus vaſſallorum, Commẽdaque militaris Ordinis fungens, non ideò prꝺſtiturum eſſe plus, quàm illos octo argenteos; quippè hoc non exigit Commiſſarius, nec fundamentum eſt, vt cenſeatur eſſe de eius mente; cum rem adeò

Digitized by Google

adeò frequẽtem debuiſſet exprimere, ſi multiplicationem eam argenteorum exigeret.

14 Si aliquis Rex exterus, aut Princeps in Hiſpania eſſet, Bullamque ſumere vellet, deberet octo argenteos elargiri; quamvis enim Principes, & Reges non deſignentur expreſsè à Commiſſario, id indè oritur, quia hoc raro contingit, & quia illi aliundè ſunt domini vaſſallorum, quare ſub hac appellatione ſaltem deſignantur Reges, & Principes Prouinciarum, aut territorij cuiuſlibet.

15 Fiſcales Sanctæ Inquiſitionis non deſignantur à Commiſſario in taxa octo argenteorum, cum deſignentur Inquiſitores, & expreſsè poſteà Fiſcales Senatus, aut Audientiæ Regiæ nominentur; quare iuxta dicta non debebunt octo argenteos præſtare. Officiales maiores eorum, qui in Conſiliis Regiis ſunt à ſecretis, niſi habeant titulum à Rege conceſſum Secretariorum, quamvis communiter Secretarij nuncupentur, non debent octo elargiri pro Bulla argenteos; ſolum enim Secretarij in taxa ſunt deſignati; illi verò abſolutè non ſunt à Secretis. Abbates habentes iuriſdictionem Epiſcopalem à Commiſſario in hac taxa exprimuntur, quorum nomine veniunt Abbates Regulares, qui in aliquo oppido ea iuriſdictione pollent: Vt Abbas Sanctæ Mariæ Ordinis S. Benedicti in vrbe Najera, in Calaguritana diœceſi, aliique ſimiles. Priores tamen, aut ſimiles Dignitates, quamvis eam iuriſdictionem habeant, cum hic non deſignentur, non tenebuntur octo eos argenteos pro Bulla largiri.

16 Cum præſes in aliquo Regio Conſilio non eſt, & præponitur aliquis ſub titulo Gubernatoris; vel ad exiguum tempus ſufficitur, vel ad longum etiam, ſed ſub eo nomine Gubernatoris, vt liberius ſit, eum ab officio amouere? Si primum, & aliundè ille non debeat octo argenteos erogare, nec debebit ratione Gubernationis, quia abſolutè Præſes non eſt (Præſides autem ſub hac taxa comprehenduntur) Nec hic locum habet, quod ex Iure aſſeritur, eodem modo eſſe philoſophandum de ſubrogato, ac de eo, in cuius locum ſubrogatur; nam hæc ſubrogatio omnino æquiualens eſt, ſecùs illa ſubſtitutio; onuſque ſoluendi octo argenteos reſpicit dignitatem perſonæ propriam, quare non eſt extendendum ad nudè ſubſtitutum. Si tamen ſecundum contingat, vt noſtris temporibus experti fuimus, Gubernatores tenebuntur octo argenteos erogare; quia re ipsâ, munere, dignitate; & aliis circunſtantiis Præſides ſunt; ſed, vt liberum ſit eos amouere, Gubernatorum nomen fuit eis de nouo impoſitum; quos ſanè comprehendiſſet expreſsè Commiſſarius, ſi cum taxam præfixit, exiſterent; aut is ſtylus deſignandi eos Gubernatores communis eſſet, aut frequens.

17 Circa taxam pro Indiis, quæ diuerſa eſt à taxa pro Hiſpaniarum Europæis Regnis, nihil reſtat ſpeciale animaduertendum. Vt autem dignoſcantur, & diſcernantur perſonæ in ea taxa deſignatæ, ſinguliſque quæ quantitas obtingat, inde deducatur, videndus eſt Doctor Don Ioannes de Solorzano Pereyra, Regij Caſtellæ, & Indiarum Conſilij Senator, in ſuis *de iure Indiarum* eruditiſſimis tomis; vir ſanè nulli in Iuriſprudentia, & eruditione ſecundus; totius litteraturæ encyclopedia; quem, vt ſæculi noſtri decus eximium, licuerit, non properè nominaſſe. Speciatimque de Bulla Cruciatæ agit *tom. 2. lib. 3. cap. 25.* Et *in Politica Indica lib. 4. capit. 25.* Vbi me in margine citat, honoribus cumulans, conſcius huius operis, quod iam in lucem parabam, cum eam Politicam ipſe ederet.

DISPVTATIO XV.

Quid liceat per Bullam Cruciatæ, tempore interdicti?

Concedit Bulla omnibus ſupradictis, vt: *Poſſint in Eccleſiis, in quibus aliàs diuina officia, interdicto durante, quomodolibet celebrare permiſſum fuerat, vel in priuato Oratorio ad diuinum cultum tantùm deputato, ab Ordinario viſitando, & deſignando, etiam tempore interdicti, cui ipſi cauſam non dederint, vel per eos non ſteterit, quo minus amoueatur; & qui facultatem ad id à Commiſſario Generali habuerint, etiam per horam, antequam illuceſcat dies, & per horam poſt meridiem, in ſua, ac familiarium, & conſanguineorum ſuorum præſentia Miſſas, & alia diuina officia per ſe ipſos, ſi presbyteri fuerint, vel per alios celebrare facere, & tempore interdicti diuinis intereſſe. Eis tamen, qui priuato Oratorio ad præmiſſa vti voluerint, vt quoties id fecerint, aliquas preces Deo pro vnione Principum Chriſtianorum contra Infideles, eorumque contra eoſdem victoria, fundere teneantur, imponitur. Item Euchariſtiam, & alia Sacramenta, præterquam in die Paſchatis, recipere. Itèm mortuorum corpora (niſi fortè vinculo excommunicationis innodati deceſſerint) cum moderata funerali pompa ſepeliri:* Bulla autem vulgaris hæc tranſcribit. *Que puedan, aun en tiempo de entredicho Apoſtolico, ò Ordinario, oyr Miſſa en las Igleſias, y Monaſterios, ò Oratorio particular ſeñalado, y viſitado por el Ordinario, ò dezir, Miſſa,*

y otros diuinos oficios por ſus perſonas ſi fueren presbyteros, o hazerlos celebrar à otros. en ſu preſencia, y de ſus familiares y parientes, y recebir el Santo Sacramento de la Euchariſtia, y los demas Sacramentos, ſaluo en el dia de la Paſqua, con que ellos no ayan dado cauſa al tal entredicho, ni aya quedado por ellos, que ſe quite; y con que las vezes, que quiſieren vſar del dicho Oratorio, para lo que dicho es, rezen, y hagan oracion conforme à la deuocion de cada vno, por la conſeruacion de la vnion de los Principes Chriſtianos, y vitoria contra Infieles. Item concede, que en tiempo de entredicho, puedan ſer ſepultados los cuerpos de los difuntos en ſepultura ſagrada con moderada pompa funeral.

Nota hic, non tranſcribi in Bulla Hiſpana priuilegium illud, quod in Latina habetur, vt ex verbis præfixis conſtat, quòd de licentia Commiſſarij Generalis poſſit celebrari, & audiri Sacrum per horam ante lucem, & per horam poſt meridiem: Nam in Bulla Hiſpanicè confecta ſolùm tranſcribuntur priuilegia, quibus vti poteſt eam ſumens; hoc autem priuilegium non eſt eiuſmodi, nec gaudet illo, qui Bullam accipit, aut ad bellum pergit, vel mittit; ſed ille dumtaxàt, cui indulſerit Commiſſarius Generalis. Eſt ergo facultas conceſſa Commiſſario, quam exercere poſſit in quemlibet, ſiuè is Bullam accipiat, ſiuè non; ſiuè pergat, mittatvè ad bellum, vel non; quippè non ei reſtringitur, ſed poterit cuiuis concedere eam licentiam; oportebit tamen, aliquam eleemoſynam in ſubſidium Cruciatæ iniungere ei, cui conceſſerit, niſi is de ipſa Cruciata ſit benemeritus, aut aliundè ad expeditionem iuuet; oportere hoc autem, oſtenditur ex fine, quem habet Pontifex in conceſſione omnium priuilegiorum, quæ in ſua Bulla continentur. De hoc igitur priuilegio agemus *in inferioribus*, cum facultates Commiſſarij Generalis Cruciatæ exponamus.

CAPVT I.

Aliqua de interdicto ſupponuntur.

1 VT conſtet, quid operetur priuilegium hoc Bullæ, oportet præcognoſcere, quæ ſine illo liceant, aut non liceant, tempore interdicti, de eoque breuiter aliqua ſupponere. Interdictum eſt cenſura Eccleſiaſtica, qua prohibentur diuina officia, aliqua Sacramenta, & ſepultura Eccleſiaſtica: conuenit cum excommunicatione, & ſuſpenſione in eo, quòd eſt cenſura à iudice Eccleſiaſtico impoſita in alicuius peccati vindictam; differt verò, quia illæ priuant Sacramentis, & diuinis officiis materialiter, quatenùs ſunt communicatio quædam mutua, aut vſus facultatis; interdictum autem priuat illis formaliter, quatenùs ad Dei cultum pertinent; vt cum Nauarro docet P. Valentia *tom. 4. d. 7. quæſt. 18. puncto* 2. Interdictum poteſt decernere idem ipſe, qui poteſt excommunicare, & ſuſpendere, communiter loquendo, vt tenet Syluester *verbo Interdictum 3. n. 3.*

2. Diuina officia, quibus interdictum priuat, ea ſunt, quæ alicui Ordini ſacro ſunt annexa; quare aliæ orationes non ſic annexæ non prohibentur tempore interdicti; ideóque tunc poteſt ſignum ad recitandum orationem Angelicam campana dare, eaque publicè recitari: item menſæ ſolemnis anteire benedictio, & ſequi gratiarum actio, hiſque ſimilia. Triplex eſt interdictum; Purè locale, quo prohibentur diuina officia, & quædam Sacramenta omnibus in tali loco. Purè perſonale, quo prohibentur ab illis perſonæ in quolibet loco; Mixtum, quo perſonæ interdicuntur in quolibet loco, & ſimul certus locus reſpectu omnium perſonarum, etiam non interdictarum. Rursùs interdictum aut eſt generale, in quo totus locus, vel omnes perſonæ interdicuntur; aut ſpeciale, quo aliqua Eccleſia, vel aliquæ perſonæ dumtaxàt interdictæ publicantur. Videantur de his diuiſionibus Couarruu. *in cap. Alma mater, par. 2. §. 1. à n. 6* P. Buſembaum *in medull. Theolog. moral. lib. 7. cap. 4.* & alij communiter.

3 Antiquitus rigidius erat ius tempore interdicti; ſed poſteà mollitum eſt *in prædicto c. Alma mater, de ſentent. excommun. in 6.* & conceſſum eſt Clericis, celebrare Miſſas, & diuina Officia in eiſdem Eccleſiis, in quibus, ceſſante interdicto, poſſunt; dummodò id præſtent, ianuis clauſis, ſubmiſsa voce, campanis non pulſatis, & excluſis excommunicatis, interdictis, & non habentibus priuilegium ad aſſiſtendum ibidem. Quod etiam, iuxta omnes, conceſſum eſt Regularibus vtriuſque ſexus in ſuis Eccleſiis. Conſule Emanuëlem Rodrig. *in Bull. §. 5. & in eiuſdem §. additionibus.* Quod tamen ita eſt intelligendum, vt Clerici, vel Regulares non ſint ſpecialiter interdicti, ſi enim ſint, nequibunt præſtare prædicta; poterunt verò, quando interdictum eſt generale; quia, populo interdicto, non interdicitur Clerus, iuxta *c. Si ſententia, de ſentent. excommun.* Item nequeunt eadem conficere in Eccleſia ſpecialiter interdicta; poſſunt verò in qualibet, ſi interdictum locale ſit generale. Ita cum aliis Trullench *in Bull. lib. 1. §. 3. dub. 2.* Ad hæc ergo Bulla opus non eſt.

4 Tempore interdicti, etiam abſque Bulla, & priuilegio, poteſt Sacramentum Baptiſmi miniſtrari infantibus, & adultis, etiam in

Eccleſia

Digitized by Google

Eccleſia ſpecialiter interdicta; & in eadem etiam, ac in aliis poteſt quibuſcumque tribui Confirmationis Sacramentum cum ſolemnitate conſueta: In eiſdem Eccleſiis poteſt omnibus Pœnitentiæ Sacramentum impertiri; & demùm Euchariſtia his, qui in probabili mortis articulo exiſtunt. Itaque per interdictum prohibentur Matrimonium cum benedictionibus (ſine illis etenim licitum eſt tempore interdicti) Extrema Vnctio, Ordo, & ſumptio Euchariſtiæ; quæ nec clericis conceduntur, quibus ſolùm indultum eſt, celebrare diuina Officia, quæ diuerſa ſunt à Sacramentis: Quare Sacerdos poterit abſque priuilegio celebrare Sacrum tempore interdicti, non verò poterit non celebrans ſumere Euchariſtiam, vt laicus: Legatur Anton Gomez *in Bull. ad* 5. *clauſul. à num.* 31. P. Granado *tom.*4. *controuerſ.*8. *tr. vnic. d.*6. *num.*12. & alij communiter.

5 Contra Nauarrum nulli ſolido fundamento innixum, cum communiori tenendum eſt, pueros ante vſum rationis, item & amentes, exemptos eſſe ab interdicto, quia non ſunt capaces, vt ſubdantur legibus Eccleſiaſticis; quare poterunt Miſſæ, & diuinis Officiis tunc aſſiſtere, quia non habent aſſiſtentiam humanam moralem, nec habere poſſunt. Ita P. Valentia *ſuprà*. In Eccleſia ſpecialiter interdicta poteſt ſingulis hebdomadis vnica Miſſa celebrari ad renouandam Euchariſtiam cum vno, aut duobus miniſtris, Ita omnes.

6 Poteſt etiam tempore interdicti abſque priuilegio concedi ſepultura Eccleſiaſtica Clericis ſine ſolemnitate, & ſine Miſſa. Præfatis autem priuilegiis, quibus frui Clericos, aſſeruimus, poſſunt reſpectiuè fungi non ſolùm Clerici ipſarum Eccleſiarum, in quibus Miſſa, Officia diuina, aut ſepultura executioni mandantur, verùm etiam extranei; item & Clerici in minoribus Ordinibus conſtituti, & primò tonſurati. Ita P. Suar. *de cenſur. d.*34. *ſ.*1. *n.*30. Villalob. *tom.*1. *tr.*19. *diffic.*5. *n.*7. Non tamen gaudent iis priuilegiis Clerici coniugati, etiam non bigami; qui tantùm gaudent priuilegio canonis, & fori (quale non eſt præſens) ſi de mandato Epiſcopi inſeruiant Eccleſiæ, iuxta. Tridentinum *ſeſſ.* 23. *c.*6. *de reform.* Contrarium ſentit Trullench. *ſuprà dub.*2. *num.*4. *ad medium*, & Rodriguez *in addition. ad* §.5. *num.*3. eo quòd hi reputentur vt perſonæ Eccleſiaſticæ. Sed contra, quia hæc ratio non probat, eos gaudere omnibus priuilegiis, quibus gaudent alij Clerici, ergo nec probat, gaudere hoc; cum ratio æquè militet reſpectu omnium. Deindè quia exceptio firmat regulam in contrarium; igitur, ſi priuilegium canonis, & fori excipitur, vt eo Clerici illi coniugati fruantur, reliquis priuilegiis non fruuntur.

7 Nomine Eccleſiarum, quibus modo prædicto poſſunt tempore interdicti diuina Officia celebrari, comprehenduntur, præter Eccleſias communes, Oratoria, Hoſpitalia, & Eremitoria; vt tenent P. Suarez *ſuprà*, *de interdicto d.*34. *ſ.*1. *n.*9. Bonac. *tom.*1. *diſp.*5. *punct.*4. *propoſ.*1. *num.*11. & plures; contra P. Th. Sanch. & Rodrig. relatos à Trullench *ſuprà num.*5. Nec obſtat quòd *in præfato cap. Alma mater*, ſolùm conceditur ea celebratio in Eccleſiis. Quippè poteſt reſponderi primò, nomen Eccleſiæ in fauorabilibus comprehendere omnia loca approbata ad Miſſam celebrandam. Secundò *in eo cap.* exprimi Eccleſias, quia ſunt frequentiora loca ad diuina Officia perficienda, non tamen ideò excluſa eſſe loca illa, de quibus in noſtro aſſerto. Videantur P. Suarez, Bonac. & Trullench.

8 Violare interdictum, v. g. audiendo abſque priuilegio Miſſam, vel quid ſimile exequendo, ſi non fiat ex contemptu, aut cum ſcandalo, vel circunſtantia alia graui, non eſſe peccatum mortale, tenet Caietanus *in ſum. verbo Interdictum*. P. Valentia *ſuprà*. Peccatum tamen eſſe graue, ſi præceptum interdicto adiungatur. Nec tamen (aiunt) probat, eſſe peccatum graue, imponi violatoribus graues pœnas temporales; nam ſæpè hæ infliguntur propter veniale ſolum, & abſque peccato pœnæ latè ſic dictæ, incurruntur, vt *loco relato* Caietanus oſtendit. Probabilior eſt contraria ſententia, & communior, quam tenet cum Panormitano, Soto, Nauarro, & aliis P. Suarez *ſuprà ſect.*5. quia interdictum continet prohibitionem, præceptumque Eccleſiaſticũ in re graui, quare ſub obligatione peccati mortalis ligat. Apud eumdem P. Suar. *tota ea d.*34. reperies pœnas violantium interdictum in quibuſcumque caſibus, & in quolibet interdicto.

9 Tempore interdicti, vt conſtat *ex compendio Priuilegiorum Societatis IESV*, *verbo Interdictum*, ratione tum indultorum ſpecialiter Societati noſtræ conceſſorum, tum eorum, quæ ab aliis ſacris Religionibus communicamus; poſſunt Noſtri, ſiuè interdictum ſit generale, ſiuè ſpeciale, dummodò ipſi non ſint ſpecialiter interdicti, nec illi, de quibus ſtatim, Miſſas, & diuina Officia celebrare, Sacramenta recipere, & aliis miniſtrare; poſſuntque aſſiſtere diuinis officiis famuli noſtris ſeruitiis deputati, & operarij, ac Procuratores negotiorum Societatis, dum cauſam interdicto non dederint, ſeu ſpecialiter non ſint interdicti, tumularique poſſunt in noſtris Eccleſiis. Valent etiam noſtri ſolemniter Miſſas, Proceſſiones, & alia diuina officia celebrare,

Digitized by Google

celebrare, quoties aliqui Noſtrum profeſſionem emiſerint, aut primam Miſſam celebrauerint, aut cadauer aliquod in noſtris Eccleſiis, & cæmeteriis ſepelierint. Præterea poſſunt extra Eccleſiam duo, vel plures ex noſtris intra domum officium diuinum dicere; nec incurrent cenſuram, ſi caſu tranſeuntes perſonæ interdictæ aliquid audiant. Nec tenemur euitare laborantes in noſtris domibus, diebus, quibus laborant, etiam ſi non ſint famuli, aut familiares. Aduertuntur tamen duo. Primum, cum celebrantur diuina officia, & Miſſæ, tempore interdicti (niſi in caſibus jam exceptis) debere hoc fieri, ianuis clauſis, ſubmiſſa voce, & eiectis his, qui priuilegio non gaudent. Secundum, debere vitari Ordinariorum offenſionem, & querelas, quare debent noſtri mandante Epiſcopo, quælibet interdicta promulgata publicare, & obſeruare iuxta decretum Tridentini *ſeſſ.* 25. *cap.* 12. *de Regularibus.*

CAPVT II.

Quid concedatur per Bullam Cruciatæ circa auditionem Miſſæ, & diuinorum Officiorum?

10 Facilè ex dictis colligere eſt, quod ſit præſens Bullæ priuilegium. Concedit ergo Pontifex, vt laici tempore interdicti Miſſam, & officia diuina audire queant; ſufficitque, dominum habere Bullam, vt, eo præſente, eius commenſales, famuli, ac domeſtici Miſſam etiam, & diuina officia audire valeant. Quod eis licet ſiuè in Eccleſiis, ſiuè in Oratoriis, aut quouis alio loco deputato ad celebrandam Miſſam, ſub nomine Eccleſiæ iuxta *ſuprà* dicta contento. Famuli autem non poſſunt fraudulenter aſſumi, vt comitentur herum, aut dominam, præcisè vt hoc priuilegio gaudeant: hi enim non ſunt famuli, ſed ad exiguum illud tempus nomine tenùs famulitium illud exercent, non aliter exerciturі. Familiares autem, qui poſſunt cum domino habente Bullam hoc priuilegio frui dicuntur commenſales, famuli, ſerui, & qui communiter herum, aut dominum comitantur, & quilibet in eorum obſequio occupati, eorumque expenſis victitantes, ſeu intra, vel extra domum habitent. Hinc annumerandi ſunt inter familiares Adminiſtratores ſtatuum alicuius Magnatis, ſi ab ipſo deſignentur; item & Gubernatores; aut iudices, quos in ſuis Oppidis conſtituit; quos, ſi contingat, tempore interdicti, Domino aſſiſtere, aut in eodem loco cum illo reperiri, poterunt cum ipſo Bullam habente præfato gaudere priuilegio; licèt ipſi non habeant.

11 Rursùs cum eo, aut ea, qui Bulla potiuntur, poſſunt in ipſorum præſentia conſanguinei eodem frui priuilegio audiendi Sacrum; & diuina Officia, quantumvis Bullam hi non habeant. Conſanguinei in præſenti non extenduntur ad affines, vt cum Lopez docet Trullench, *l.* 1. §. 3. *dub.* 3. nam in Bulla Latina eſt hæc vox *Conſanguineorum*, quæ ad affines non poteſt extendi; & idcircò vox *parientes*, quæ extat in Bulla vulgari, licèt ſignificet conſanguineos, & affines, reſtringenda eſt ad primos, ea autem voce vtitur tranſcriptum Hiſpanum, tum quia communiùs ſignificat conſanguineos; dum enim extenditur ad affines, ſolet addi ipſa vox affinitatis; tum quia non eſt alia vox Hiſpana vnica, quæ conſanguineos ſpecialiter ſignificet. Nomine autem conſanguineorum veniunt in præſenti vir, & vxor; quia ſunt duo in carne vna; vnde altero habente Bullam, poteſt vterque hoc priuilegio fungi.

12 Vſque ad quartum gradum extendi hic conſanguineos (nec vltra illum iam in iure, aut reſcripto quouis conſanguinitas extenditur) tenendum eſt cum Auila *de cenſur. part.* 5. *d.* 2. *ſect.* 2. *dubit.* 7. §. 5. Rodriguez *in Bull.* §. 5. *num.* 5. Trullench *ſuprà dubit.* 3. *numer.* 5. Baſilio Legionenſi *in Bulla capit.* 3. Vbi enim non reſtringit concedens priuilegium, non eſt, cur à nobis reſtringatur; cum in iure Eccleſiaſtico vſque ad quartum gradum extendatur conſanguinitas. P. Henriquez *lib.* 7. *de indulgens. num.* 3. ait, ſolùm ad primum gradum conſanguinitatis extendi hoc priuilegium, quia ſic videtur limitandum ex intentione Pontificis; & *in gloſſa litt. G.* citat pro ſe Emanuëlem. In vtroque deceptus eſt; nam Emanuël expreſsè ait: *A los parentes, por los quales ſe entiendem muger, è hijos, è hyas, padre y madre, y toda ſu parentela haſta el quartò grado, por via de aſcendencia y deſcendencia, y por linea colateral.* Deindè quia talis intentio Pontificis ex nullo prorsùs capite poteſt colligi; verbaque eius ſumpta cum proprietate, etiam ſi non amplientur; conſanguineos vſque ad quartum gradum comprehendunt; imò, ſi obſcura eſſent, non deberent reſtringi, ſed ampliari, vt potè priuilegia.

13 Hic aduerte primò contra Trullench, in Eccleſia ſpecialiter interdicta, quando celebratur Miſſa, in qua Euchariſtia renouatur, habentes Bullam poſſe illam audire; nam Bulla non diſtinguit inter interdictum generale, & ſpeciale locale, cum indulget priuilegium audiendi Miſſam; Et ſicut ob Bullæ priuilegium poteſt audiri Miſſa tempore interdicti generalis, in quacumque Eccleſia celebretur;

Digitized by Google

celebretur; ita ob idem priuilegium poterit audiri in Eccleſia ſpecialiter interdicta, quotieſcumque in illa fiat Sacrum. Etenim ius præcipiens ne ibi tunc aſſiſtat niſi vnus, aut duo miniſtri, intelligendum eſt, ſi alius non habeat priuilegium ibidem aſſiſtendi; ſicut ius ipſum præcipiens, ne ſæculares aſſiſtant diuinis tempore interdicti generalis, intelligi debet, niſi priuilegio fruantur aſſiſtendi.

14 Aduerte ſecundò aduerſùs eumdem Trullench, Magiſtros Bullam habentes, qui regunt diſcipulos, quos ſine periculo non poſſunt à ſua præſentia ſeparare, non ideo poſſe eos ſecum adferre ad aſſiſtendum Miſſæ, ſi ij Bullam non habeant; quia diſcipuli non cadunt ſub appellatione familiarium, & abſque fundamento extenditur ad eos priuilegium. Dices, ergo tunc nihil proderit Bulla Magiſtris, cum nequeant audire ipſi Sacrum, ne in maius incidant damnum, diſcipulos deſerendo. Reſpondeo, hoc per accidens euenire; ſæpèque contingere per accidens, ne cui proſit Bullæ priuilegium, etiam abſque eius culpa; ſic ægrotans non poteſt lucrari indulgentias viſitationis altarium, quamvis viſitationem non ob negligentiam, ſed ob infirmitatem omittat, & plura huiuſmodi. Addo, caſum propoſitum videri metaphyſicum. Secùs dicendum eſt de pædagogo, qui poterit intereſſe diuinis cum alumno habente Bullam, quia commenſalis, aut familiaris eſt; imò abſolute famulus, cui ſpecialis præſtatur honor.

15 Aduerte tertiò, non eſſe ſpeciale priuilegium Bullæ, quòd presbyteri ea fruentes valeant tempore interdicti celebrare, vt conſtat *ex cap.* 1. eſſe tamen, quòd coram ſuis familiaribus, ac conſanguineis, priuilegium aliundè non habentibus, celebrent, aut faciant, alium presbyterum celebrare? hoc enim de iure communi non licebat.

16 Aduerte quartò, nullo ex dictis, & dicendis priuilegiis Bullæ ad tempus interdicti potiri eos, qui cauſam interdicto dederunt, vel per quos ſtat, ne interdictum amoueatur. Qui ſane, quando ſpeciale eſt interdictum, regulariter ſunt interdicti ſpecialiter; quare ſpecialiter interdicti nequibunt præfatis fungi priuilegiis. Per eos autem ſtat, amoueri interdictum, quibus aliquid ex parte ſua præſtantibus, ad quod tenentur, ſtatim amoueretur. Hi etiam dicuntur cauſam interdicto dediſſe, quibus aliquid exequentibus, quod non exequi tenebantur, interdictum fuit publicatum; v.g. iudex, qui delinquentem ab Eccleſia extraxit, & monitus non reſtituit; & alij huiuſmodi. Quòd ſi interdictum publicetur propter factum alicuius, quod ipſe probabili, aut certæ innixus opinioni perfecit, quamvis in foro conſcientiæ non inciderit in excommunicationem, quæ ſine peccato non incurritur; tamen in externo foro, ne ſcandalum gignat, non debet prædictis Bullæ priuilegiis frui. Idem dico, ſi reipſa quis dedit cauſam interdicto, aut per ipſum ſtat, ne amoueatur; alius autem iudicatur in exiſtimatione communi eam cauſam dediſſe, aut per eum ſtare, non ſolum primum nequire frui præſenti Bullæ priuilegio, cum in ea expreſſe excipiatur; ſed nec ſecundum; dum ſuam non manifeſtat innocentiam, ne pariat ſcandalum.

17 Aduerte quintò, cum ratione Bullæ in Oratorio priuato Miſſa auditur, ſiuè tempore interdicti, ſiuè alio tempore, quo aliàs Miſſa in eo audiri non poterat, de quo *diſp. ſequenti*, debere ad Deum fundi eas preces, quæ in hac clauſula poſita *ſuprà* continentur. Hæc autem obligatio non facit, vt preces non fundens, & Miſſam ibi audiens præcepto non ſatisfaciat; imò nec earum omiſſio erit culpa mortalis, ſed venialis dumtaxat, nam eſt præceptum Pontificis in materia leui. Ita tenent P. Henriquez *l.* 13. *cap.* 48. *num.* 4. *in fin.* P. Auila *de cenſur. p.* 5. *d.* 4. *ſ.* 2. *dub.* 7. §. 5. Rodrig. *in Bull.* §. 5. *n.* 4. Villalob. *tract.* 27. *clauſul.* 4. *n.* 13. Trullench *in Bull. l.* 1. §. 3. *dub.* 5. Dian. *tom.* 1. *tract.* 11. *reſol.* 2. *in fin.* Et ita ſenſerunt, vt refert P. Henriq. Doctores Iuriſtæ, & Theologi Salmanticenſes, & quidam Cruciatæ Commiſſarius Generalis, Epiſcopus Lucenſis; qui fuit D. Ioannes Xuarez Caruajal; licèt à P. Henriquez non nominetur, ſaltem enim ante eius ſcripta nullus alius Epiſcopus Lucenſis fuerat Commiſſarius, vt videre eſt apud Alphonſum Perez de Lara *in Compendio trium gratiarum*, *pag.* 18. Preces autem in Oratorio ad Deum fundendæ an ſint vocales, an mentales, & cætera id genus, idem omnino dicendum eſt, cum par ſit ratio, ac finis, ac *inferius* dicemus, cum agamus de viſitatione Eccleſiarum, aut altarium in Ordine ad lucrandas ſtationum indulgentias.

CAPVT III.

An habentes Bullam debeant diebus feſtis tempore interdicti Miſſam audire?

18 De his, quos ex priuilegio Bullæ poſſe intereſſe Miſſæ, & diuinis Officiis quolibet die, aſſeruimus, dubitatur, an diebus feſtis non ſolùm poſſint, ſed etiam teneantur Miſſam audire, ſicut tenerentur ratione præcepti, ſi interdictum non eſſet. Idemque eſt, ſi quis eſſet obſtrictus voto audiendi Miſſam ſingulis diebus, aut diebus feſtis;

feſtis; poteſt enim quis voto obligari ad ipſum, ad quod aliundè tenetur; iuxta D. Thom. 2. 2. q. 88. *art. 2. in corp.* & cum eo communiter Theologos, eadem quippè res poteſt eſſe debita pluribus titulis, & debitor diuerſis vinculis ad illam præſtandam adſtringi, vt docent Iuriſconſulti *in leg. ſeire, §. ſi à fure, ff. de verbor. obligat.* Videatur de hoc P. Layman *tom. 2. tr. 4. c. 2. n. 9.*

19 Non teneri ad audiendam Miſſam, docent Llamas *in ſum. p. 3. cap. 5.* §. 12. P. Auila *de cenſur. 5. p. d. 4. ſ. 2. dub. 6.* citans pro ſe Victoriam, & Canum; Alterius *de cenſur. tom. 2. d. 2. de interdict. cap. 3. in fin. fol.* 319. P. Coninch *de Sacram. d. 17. num.* 28. Diana *tom. 1. tr. 11. reſol.* 2. Canus, Mancius, & Sancius. quos affert P. Henriquez *lib. 13. cap. 48. num. 5. littera D. & libr. 7. cap. 13. num. 3. littera L.* & alij, quos citat Cenedo *quæſt. 44. numer.* 1. Hanc opinionem, ait P. Suarez *tom. 3. in 3. part. d. 88. ſect. 6.* non eſſe practicè probabilem. Verùm immeritò; tum ob authoritatem; tum ob rationes non ſpernendas, quas tamen *infrà* ſoluemus; Quare tutè poſſe in praxi executioni mandari, cenſeo.

20 Nihilominùs oppoſitæ aſſentio ſententiæ, quam tuentur Nauarrus, Sotus, Medina, Viualdus, P. Henriquez *eo lib. 7. cap. 13. num. 3. in fine, vbi in gloſſa litt. I.* citat Ioannem Andream, Syluestr. Couarru. & communiorem ſenſum Theologorum recentium. Præterea Suar. *vbi ſuprà.* Rodrig. *in Bul.* §. 5. *num.* 6. Villalob. *tr. 27. clauſ. 4. n. 18. & tr. 19. difficult. 5. num.* 14. Trullench. *in Bul. lib. 1.* §. 3. *dub.* 6. P. Azor. *tom. 1. lib. 7. c. 2. verſicul. Tertiò quæritur:* Bonac. *de cenſur. d. 5. punct. 4. num. 2. & d. 1. q. 3. punct. 4. in fin.* Ledeſm. 1. *parte ſum. tract. de Euchar. cap. 27. poſt medium*, non rectè à Diana pro contraria opinione citatus; P. Fagundez *in 1. præcept. Eccleſ. lib. 2. c. 8. num.* 5. P. Caſtro Palao *de legib. tom. 1. tract. 3. d. 4. part. 7. à numer.* 2. Ludouicus à Cruce *in Bul. d. 1. cap. 5. dub. 4. n.* 5. Ioannes Sancius, Barboſa, Acoſta, Fernandez, Nuñus, & P. Tannerus, quos refert Diana *ſuprà*; & demùm alij, quos enumerat Cenedo *in Quæſt. Canonic. dictâ quæſt. 44. numer.* 3.

21 Omnes eodem modo, & benè, hoc aſſertum probant. Qui habet Bullæ Cruciatæ priuilegium, poteſt tempore interdicti audire Miſſam diebus feſtis, ergo tenetur; quoties enim vrget præceptum, & poteſt quis illud obſeruare, obligatur ad obſeruationem. Declaratur. Eatenùs excuſat interdictum ab obligatione audiendi Miſſam, quatenùs ad audiendam illam impedimentum apponit; igitur, quacumquè ratione tollatur hoc impedimentum, vt per Bullam remouetur, excuſatio tollitur, & ſuam vim retinet obligatio. Confirmatur, ſi quis in vinculis detineatur, vbi audire ſacrũ minimè tenentur, ſi ex priuilegio ei concedatur, vt diebus feſtis liber exeat è carcere ad illud audiendum, tenetur audire: Et ægrotus, etiam ſi miraculosè, & ex quaſi priuilegio diuino, ab infirmitate liberetur, obſtringitur Miſſæ aſſiſtere; igitur ſimiliter in noſtro caſu, vbi par cernitur ratio.

22 Reſpondet P. Auila, impedimentum interdicti eſſe impedimentum iuris, cui poteſt quis ſe conformare; at impedimenta carceris, & ægritudinis eſſe impedimenta perſonæ, quibus ceſſantibus, vrget obligatio. Contra; quia ſiuè ſit iuris, ſiuè perſonæ impedimentum, eo ceſſante, inſtat obligatio præcepti; etenim non alia ratione tenetur tunc incarceratus audire Miſſam, niſi quia non eſt impeditus; ſed nec eſt impeditus, qui Bullam habet, ergo etiam tenetur.

23 Confirmo aſſertum, & reſponſionem. Qui habet Bullam, in ea eſt quaſi diſpoſitione, ac ſi non eſſet interdictum, ſi quidem interdictum non extenditur ad eius perſonam, nec ad locum reſpectu ipſius; at, ſi non eſſet interdictum, teneretur audire Miſſam; ergo, etiam ſi ſit interdictum, tenetur. Pone caſum, dicere Pontificem, interdico ab auditione Miſſæ omnes præter Petrum, & Paulum; quis dubitaret, hos teneri ad Miſſam audiendam? Res autem eodem modo ſe habet, ſi illi habeant Bullam, quia reſpectu eorum auditio Miſſæ non interdicitur; & interdictum publicans habet ſe quaſi dicat: Interdico omnes laicos ab auditione Miſſæ, præter eos, qui priuilegio gaudent, quos nolo, aut non poſſum interdicere.

24 Hinc conſequenter aſſerendum eſt, familiares, & conſanguineos habentis Bullam, & ſi ipſi illam non habeant, ſi poſſint cum eo aſſiſtere Miſſæ, quam ipſe audit, teneri etiam ad aſſiſtendum; nam ex priuilegio illius, ipſi impediti non ſunt. Si autem ſimul, & ſemel cum illo nequeant aſſiſtere Miſſæ, nec ille ex vllo capite tenebitur ſecundam, aut tertiam Miſſam audire, vt & illi audiant. Non tamen poteſt eos impedire abſque cauſa, vt ſimul cum ipſo aſſiſtant Miſſæ, ſicut non poteſt impedire vllum ab auditione Miſſæ, ad quam obligatur, & poteſt, ac vult audire, aliis diebus feſtis, quando non eſt interdictum; vnde impediens, grauiter peccabit.

25 Aduerte tamen, tempore ceſſationis à diuinis, etiam ſi in aliqua Eccleſia Miſſa celebretur, non teneri, imò nec poſſe ex priuilegio Bullæ Miſſam audiri; quia priuilegium hoc ſolùm eſt circa interdictum;

Digitized by Google

ctum; & licèt alia, quæ poſſunt fieri tempore interdicti, poſſint tempore ceſſationis, de quo videatur P. Suarez *diſp.* 38, *ſect.* 2. non tamen ea, quæ tempore interdicti ex priuilegio fiunt. Ita Couarruu. *in capit. alma mater*, §.4.*num*.7.*part*.2. Nauarr.*capit*.27.*numer*. 188. Medin. *in inſtruct. libr* 1. *capit*. 11. §. 10. Lop. *de Bul.capit*.6. P.Henriquez *lib*. 7. *de indulg.capit*.13.*num*.4. Trullench *vbi ſuprà num*. 50. Rodriguez *in Bul*.§.5.*num*. 7. Anton. Gomez *ad* 5. *Clauſul. Bul. numer*. 49. Villalobos, *tract*.27.*clauſul*.4.*n*.17.

26 Aduerte etiam, habentes aliunde, quàm ex Bulla, priuilegium ad audiendam Miſſam, non teneri diebus feſtis, imò nec vllo die poſſe Miſſam audire tempore interdicti, niſi ſimul Bullam habeant; nam tàm id priuilegium, quàm quodvis aliud, à Commiſſario Generali Cruciatæ ex facultate ipſi à Pontifice præſtita ſuſpenduntur, & ſi Bulla accipiatur, reualidantur; vt conſtat ex verbis in Bulla Cruciata viuorum allatis, quæ ſuo loco expendemus. Excipe priuilegia onerosa, & lucratiua, de quibus *diſputation*. 2. *capit*. 6. De priuilegiis autem Religionum, an ſuſpendantur per Bullam Cruciatæ, agemus *inferiùs*: & de illis aliqua libauimus *ea diſputatione*.2. *à n*.53.

27 Rationes iam pro ſententia oppoſita in quæſtione huius capitis enodemus. Prima eſt. Nemo tenetur vti priuilegio ſibi conceſſo; *cap. ſi tua, de priuileg.* ſi enim priuilegium obligationem induceret, non eſſet gratia, ſed onus; ergo non tenetur quis vti priuilegio audiendi Miſſam tempore interdicti diebus feſtis. Reſpondeo, habentem Bullam non cogi ſuo vti priuilegio, nec priuilegium eſſe, quod obligat priuilegiatum; ſed, ſuppoſito priuilegio, cum cogi ad obſeruationem præcepti audiendi Miſſam. Poteſt quippè in priuilegio intelligi quidam quaſi effectus formalis, qui eſt, ablatio impedimenti, & inhabilitatis, quem effectum neceſſariò habet priuilegium, eo ipſo quòd acceptetur; poſito autem eo effectu formali, abſque vllo alio vſu tollitur excuſatio, quam nequit quis fugere, niſi rumpendo ſummariũ Bullæ, aut à ſua cuſtodia moraliter eijciendo; eo enim caſu Bulla iuxta ſententiam communem, impugnandam tamen à nobis *infrà diſputat*. 21. nihil ei ad vllum effectum proderit; nam, vt proſit, debet moraliter ſeruari, vt Commiſſarius in fine ſummarij ipſius præcipit, & nos *inferiùs* declarabimus. Bullam autem diſperdere nullus prohibetur, ſicut nec accipere præcipitur; vtitur namque iure ſuo, nec agit dolo malo, aut fraude, cum ruptio Bullæ non ſit ei prohibita. Hoc ſanè modo poteſt renuntiare ſuo priuilegio, & item renuntiando omnibus ſimul priuilegiis Bullæ, ita vt nullo poſſit deinceps gaudere; at aliter non eſt locus renuntiationi; non etenim poteſt quis efficere, ne Bulla tollat impedimentum; hoc enim præſtat per ſe ipſam neceſſario, hoc ipſo quòd acceptetur; cum acceptari Bullam, & auferri impedimentum, idem ſint; ſicut ergo ex ſuppoſitione quòd acceptetur, non poteſt non acceptari, ita non poteſt ex eadem ſuppoſitione non tolli impedimentum. Hinc non cogitur quiſquam vti priuilegio, quia non cogitur acceptare, ſed, ſi acceptet, nequit non amoueri impedimentum; quo amoto, præceptum obligat. Sic enodatur ſufficienter prædicta prima ratio, quin contendamus, non poſſe ſemper hominem renuntiare ſuo priuilegio, & aliquando cogi, eo vti; de quo Trullench *vbi ſuprà*, Aduerto tamen, non eſſe reputandum onus, teneri quem ad auditionem Miſſæ ex præcepto, ſi Bullã habeat, ſed fauor. Quod à paritate euidenti probo; Nam Ius commune eximens clericos ab interdicto, licèt per hanc exemptionem ſubiaceant præcepto audiendi Miſſam, fauorabile illis eſt, fauorque reputatur, reſpectu illorum; ergo Bulla etiam eſt fauor, dum idem præſtat, conſtituitque laicos in ordine ad hoc in eadem exemptione, in qua ſunt clerici. Nec prudenter quis exiſtimaret minus onus, maiuſque commodum, non poſſe audire Miſſam; Cum ſanè poteſtas eam audiendi, & exemptio ab interdicto, ſit maior honor, & commodum, maximè cum hæc beneficia, & fauores non ſint in ordine ad commoda ſæcularia, temporalia, & conſentanea negligentiæ humanæ renuentis quemcumque laborem; ſed in ordine ad res Eccleſiaſticas, ſpirituales, & ad bonum animæ pertinentes.

28 Secunda ratio. Si quis habeat priuilegium audiendi Miſſam domi ſuæ, nequeatque ad Eccleſiam ire, non tenetur domi Miſſam audire, vt tenet P. Suarez *ſuprà*, cum aliis; quantumvis Sacerdotem ſine ſtipendio celebrantem inueniat, at hoc ideò eſt, quia priuilegio ſuo vti non tenetur; ergo idem in noſtro caſu contingit Idem P. Suarez, & Trullench, conceſſa maiori, negant conſequentiam, minoremque coarctant ad reſponſum ab ipſis præſtitum, nempè celebrari Miſſam in domibus priuatis, eſſe de ſe odioſum, ac minùs decens, & præter generales Canones; nec tanti eſſe momenti adimpletionem Eccleſiaſtici præcepti, ac quòd Miſſa in locis priuatis non celebretur: In interdicto autem, ablato per Bullam impedimento, nullam poſteà fieri in iure diſpenſationem, ſed regulari modo Miſſam audiri; quod non contingit in caſu allato, nam ipſa auditio Miſſæ, in priuata domo eſt priuilegium, quo nemo cogitur

vti; cum per huiuſmodi priuilegium non tollatur impedimentum audiendi Miſſam in Eccleſia, nempe impedimentum ægritudinis, incarcerationis, aut ſimile. Probabilis eſt hæc reſponſio, & in praxi tuta, propter authoritatem, in puncto ſanè parùm exagitato.

29 Verumtamen ego nego maiorem, & illum teneri ad audiendam domi Miſſam ſentio; quod Ledeſma probabile eſſe, affirmat. Etenim paria omnia video in caſu paritatis, & in caſu noſtro. Sicut enim priuilegium Bullæ tollit per ſe formaliter impedimentum interdicti, & tunc quis non impeditus tenetur audire Sacrum; ſic priuilegium Oratorij tollit per ſe formaliter impedimentum audiendi Miſſam domi, ergo illo fruens audire eam tenetur. Quippè, licèt impedimentum ægritudinis, aut ſimile non amoueatur ab eiuſmodi priuilegio, tamen, ſi iam Miſſa domi celebrari poteſt, ægritudo non eſt impedimentum reſpectu auditionis Miſſæ, ſed diſparatè ſe habet. Et ſicut, licet viſu quis careat, tenetur ad aſſiſtendum Miſſæ, quia viſio non requiritur ad eam aſſiſtentiam, etiam ſi careat pedibus, ſeu facultate eundi ad Eccleſiam, audire tenetur Miſſam, quia reſpectu eius non requiritur exitus, aut deambulatio extra domum ad Miſſam audiendam. Nec cogitur, vti ſuo priuilegio ſed hoc poſito, & acceptato, cogitur à præcepto ad audiendam Miſſam; poteſt enim illam audire, & inſtat præceptum, ergo tenetur; qua ratione noſtram aſſertionem ab omnibus probari, diximus *num.* 21.

30 Itaque audire Miſſam in Oratorio, duo dicit: nempè audire Miſſam: & quod auditio ſit in Oratorio, ſicut duo inuoluit, audire Miſſam tempore interdicti; ſcilicèt audire Miſſam; & quòd auditio ſit interdicti tẽpore. Quòd Miſſa audiatur in Oratorio, eſt ablatio impedimenti prohibentis miſſæ celebrationem in loco priuato, quod formaliter præſtatur per priuilegiũ; ſicut quòd audiatur Miſſa tempore interdicti, eſt ablatio impedimenti iuris prohibentis laicos Miſſam audire; quod etiam formaliter præſtatur per Bullæ priuilegium: His autem impedimentis ablatis, auditio Miſſæ à præcepto imperatur, nec in ea quidquam operatur priuilegium in vtroque caſu. Nec in auditione domeſtica Miſſæ eſt vlla irreuerentia, vel indecentia; quando enim iuſtas ob cauſas priuilegium audiendi Miſſam conceditur, iam ibi Miſſam, indulgetur, celebrari; quòd autem celebretur die feſto, potiùs addit decentiam, vt ſic ſatisfiat Eccleſiæ præcepto. Nota tamen, ſi Sacerdos in Oratorio ſine ſtipendio, nolit celebrare, non teneri habentem priuilegium, præbere ſtipendium, vt Miſſam die feſto audiat; ad hoc enim non eſt caput, vnde obligetur; ſicut, qui Bullam non habet, non tenetur eam ſumere tempore interdicti, vt Miſſam audiat.

31 Tertia ratio. Si tempore interdicti Miſſam celebretur extra mænia ciuitatis, non tenetur quis illuc ire ad eam audiendam, ergo nec, ſi celebretur intra mænia. Reſpondeo; ſi Eccleſia extra mænia diſtet ab vrbe adeò, vt nec tempore non interdicti quis teneretur illuc adire (caſu quo intra mænia non celebraretur Sacrum ob defectum Sacerdotum, aut ſimilem) propter laborem, & incommodum adeundi, ſufficiens arbitrio prudentum ad excuſationem auditionis Miſſæ, ſanè nec tempore interdicti quis illuc adire tenebitur; at, ſi Miſſa intra mænia non celebretur, & tempore non interdicti teneretur quis adire Eccleſiam extra mænia, quia incommodum eſſet exiguum, & non excuſans; etiam tenebitur illuc ire tempore interdicti: Etenim reſpectu habentis Bullam, vt diximus, tempus interdicti; & non interdicti eodem modò ſe habent.

32 Quarta ratio. Tempore interdicti eſt præceptum Eccleſiaſticum non audiendi Miſſam, licèt abſolutè ſit aliud præceptum audiendi Miſſam feſtis diebus, ergo poteſt quis ſe conformare primo præcepto, non ſecundo, ſicut poteſt ſecundo, & non primo, maximè cum in primo communitati ſe conformet, indeque cenſuræ maiorem retineant vim, atque valorem, Reſpondeo, hoc ipſo quòd quis acceptauit Bullam, reſpectu eius non eſſe præceptum non audiendi Miſſam, vt probauimus, atque adeò non poſſe conformare ſe præcepto, quod eum non obligat; ſed præcepto audiendi Miſſam, quod illud adſtringit.

33 Quinta ratio. Quia in Bulla, vbi priuilegium hoc audiendi ſacrum conceditur, ait Pontifex, quòd *poſſint*, & tranſcribit Commiſſarius: *Que los que la tuuieren, puedan oyr Miſſa en tiempo de entredicho*; igitur in voluntate accipientis Bullam relinquit auditionem, quin obligationem inducat, cum non aſſerat eum teneri, ſed poſſe. Reſpondeo, ea verba non ſignificare potentiam voluntariam, ſed potentiam moralem ſimpliciter; cum enim quis non poſſet moraliter honeſtè Miſſam audire ob impedimentum interdicti, per Bullam habet, quòd poſſit; vnde Bullam non inducit obligationem, nec opus eſt, vt aſſerat, accipientem teneri; ſed ſufficit, ſi dicat, poſſe, ſeu iam non eſſe impeditum; cum obligatio iam aliundè inſtet, & ex præcepto ille teneatur.

34 Nec iudicari debet; vt *ſuprà* libaui, hoc priuilegium eſſe onus obſolutè, ac grauamen,

Digitized by Google

uamen, licèt talè appareat corporaliter, ſeu attendendo ad otium, ac voluptatem, quam homo ſenſitiuus appetit: Cum enim in Bulla ad bonum animæ præcipuè attendatur, priuilegia ſpiritualia in ipſa conceduntur, quibus homo ad pia opera promoueatur, & ad cumulum gratiæ conſequendum; indeque poſſe audire Miſſam, cum alij non poſſunt, nec tanto bono eſſe priuatum, cenſendum eſt priuilegium, & gratia, non onus, aut grauamen, quantumvis aliunde ſit ſub obligatione præcepti, hoc etenim etiam ad bonum animæ tendit, præcipuè cum res ſit honorifica, non manere quem interdictum, & obligatio non ex priuilegio, ſed ex præcepto proueniat: Sicut, ſi lex extet obligans nobiles ad bellum, & quis nobilitate donetur, ſanè priuilegio honorifico gaudere meritò iudicatur, quamvis eo priuilegio acceptato, obligetur à lege ad profectionem in bellum, nec poteſt hic cedere ſuo priuilegio præcisè quoad non eundum in bellum, in cæteriſque illud ſibi reſeruare. Idem ergo, ſeruata proportione, in caſu noſtro contingit.

CAPVT IV.

Quid liceat per Bullam Cruciatæ circa vſum Sacramentorum tempore interdicti?

35 VIdimus *cap.* 1. Sacramenta, quæ abſque priuilegio de iure communi poſſunt miniſtrari; Bulla ergo cætera Sacramenta eo tempore miniſtrari, & accipi cōcedit, nempè Sacramentum Euchariſtiæ, Ordinis, Extremæ vnctionis, & benedictiones nuptiales matrimonij; dum tamen is, qui miniſtrat, aut accipit eiuſmodi ſacramenta, non dederit cauſam interdicto, nec per eum ſtet, quo minùs amoueatur; quæ conditio ſequitur non ſolùm priuilegium audiendi Miſſam, & diuina officia, ſed etiam priuilegium recipiendi Sacramenta, vt ex mente Pontificis, & ratione manifeſta paritatis clarè conſtat.

36 Cæterùm, quamvis in Bulla poſt priuilegium audiendi Miſſam in Oratorio apponatur hoc recipiendi Sacramenta, non ita cōnectuntur verba, vt ſolùm cōcedatur, in Oratorio Sacramenta recipi; ſed abſolutè tàm in Oratorio, quàm in Eccleſia quacumque; eſt enim clauſula abſoluta, & independens, ideóque ita fideles praxi ſua tenent; ac certè cū ſit minus priuilegium, Sacramenta in Eccleſia recipere, quàm in Oratorio, illud à fortiori conceſſum cernitur, cum hoc etiam concedatur. Ita docent Ludou. Cruz *in Bul. d.* 1. *c.* 5. *dub.* 5. *verſ. ſecundò collig o.* Trullench. *in Bul. l.* 1. §. 3. *dub.* 7. Villalob. *tr.* 27. *clauſ.* 4. *n.* 19. Rodrig. *in Bul.* §. 5. *n.* 7. P. Suar. *de interdict. d.* 33. *ſ.* 1. *n.* 33. P. Henriq. *l.* 7. *de indulg. cap.* 13. *num.* 4 vbi *in gloſſa litt. P.* ait ita ſenſiſſe Salmanticenſes Magiſtros Gallum, Bañez, Ludouicum à Leon, Sancium, & P. Alfonſum Deza; ſicque declaraſſe Commiſſarium Cruciatæ Epiſcopum Lucenſem, quem diximus *ſuprà*, eſſe Don-Ioannem Xuarez Caruajal.

37 Animaduertendum hic eſt, & præberi facultatem ad benedictiones nuptiales, tempore, quo alias ab Eccleſia non permittuntur, ſcilicèt tempore Aduentus, & Quadrageſimæ, ſed eo tempore, quo licerent, ſi non eſſet interdictum, cuius dumtaxat impedimentum amoueri intenditur per hoc priuilegium. Deinde tempus Paſchatis excipitur, quo nequeat Sacramentum Euchariſtiæ in Oratorio miniſtrari; quod, vt crediderim, non appellat ſupra tempus interdicti, nam de iure communi, vt conſtat ex *cap. alma mater, ſuprà allato*, interdictum tollitur: *In feſtiuitatibus Natalis Domini, Paſchæ, & Pentecoſtes, & Aſſumptione Virginis glorioſæ.* Sed excipitur Paſcha abſolutè, in qua tenentur fideles in propria Eccleſia ſumere Euchariſtiam, vt paſtor vultum ſui pecoris agnoſcat. Quòd ſi in Paſcha, quæ eſt Reſurrectionis, fortè eſſet interdictum, idem à fortiori præcipitur, ne in Oratorio Euchariſtia accipiatur. An autem ex deuotione poſſit accipi in Oratorio, ita vt alio die ex quindecim, qui communiter conceduntur ad præceptum adimplendum annuæ Communionis, in propria parochia accipiatur, dicemus *diſp. ſeq.*

38 Rursùs aduerte, ſiue in Oratorio, ſiue in Eccleſia, tempore interdicti, aut alio quocumque, non concedi facultatem in Bulla ad ſuſcipiendum Sacramentum Matrimonij cum benedictionibus, & Extremam vnctionem, niſi à proprio Parocho, nec Ordines niſi à proprio Epiſcopo; vt enim iam aſſerui, quoad hoc ſolùm amouetur in hoc priuilegio impedimentum interdicti aut prohibitionis Oratorij, & cœtera in ſuo iure manent; ſicut ergo tempore non interdicti, & in Eccleſia publica, neutiquam licet abſque priuilegio Sacramenta recipere, niſi à prædictis, ita nec tempore interdicti vbiuis, nec quovis tempore in Oratorio, licebit ea recipere, niſi ab ipſis. Itaque tempore interdicti non poſſunt Sacramenta poſita, *n.* 35. recipi; per Bullam autem conceditur, vt poſſint in Eccleſia, & in Oratorio. Rursùs in Oratorio nullo tempore poſſunt recipi Sacramenta; per Bullam autem indulgetur, vt poſſint. Sic Trullench *ſuprà, dub.* 9. P. Henriq. *lib.* 2. *de matrimon. c.* 2. *num.* 1. *litt. F.* Rodriquez *in additionib. ad* §. 5. *n.* 22.

39 Maius dubium eſt, an in prædictis locis, & temporibus poſſit quis virtute Bullæ accipere Euchariſtiam à quovis Sacerdote? Suppono

Digitized by Google

Suppono primò, iam eſſe conſuetudine obtentum, ſaltem in noſtra Hiſpania, vt quivis Sacerdos miniſtret Euchariſtiam non ægrotantibus, ſeu non ſumentibus eam per modum viatici; vel quia cum ab Epiſcopo approbatur ad Miſſam celebrandam, etiam datur ei approbatio, atque iuriſdictio ad miniſtrandam Euchariſtiam; vel quia Epiſcopus aut Parochus tacitè ei præbet ad hoc facultatem, videns, & non prohibens. Et quidem poteſt Parochus cuilibet ſimplici Sacerdoti hanc licentiam præbere, quamvis ad alia Sacramenta miniſtranda non ſit ab Ordinario approbatus; vt cum pluribus tenet Trullench *vbi ſuprà, dubitat. 8. num. 6.* Ad dubium autem noſtrum ſupponamus, non eſſe Sacerdotem tacitè, nec expreſsè approbatum. Suppono ſecundò, vt quis ſatisfaciat præcepto annuæ Communionis, non ſufficere, ſi accipiat Euchariſtiam à Sacerdote aliàs approbato, ſed debere hoc præſtare in propria Parochia à ſuo Parocho, vel ab alio Sacerdote de eius licentia, aut beneplacito, aut de licentia Ordinarij.

40 Suppono tertiò, Religioſos communiter priuilegium habere ad miniſtrandam Euchariſtiam quovis anni tempore omnibus Chriſti fidelibus, niſi, quando præcepto Communionis Paſchæ ſunt ſatisfacturi, & in mortis articulo, ſi non vrgeat neceſſitas; quin ad eiuſmodi miniſtrationem egeant beneplacito Parochi; Sic Religioſis Societatis Iesv conceſſit Paulus III. vt conſtat *ex compendio priuilegiorum Societatis verbo Euchariſtia* §. 2. Suppono demùm cum P. Suar. *tom. 3. in 3. p. d. 72. ſ. 2.* miniſtrare Euchariſtiam eſſe actum iuriſdictionis, quia cujuſlibet Sacramenti miniſtratio eſt actus eiuſmodi; & licèt miniſtratio Euchariſtiæ ſit dumtaxàt applicatio quædam, exercetur tamen in modo, & forma miniſtrandi, iuriſdictio, quæ ex propria paſtorum animarum; vt conſtat ex Concilio Milleuitano, *capit.* 18. & ex Carthaginenſi, *cap.* 7.

41 His ſuppoſitis; poſſe virtute Bullæ quemvis Sacerdotem etiam non priuilegiatum, nec vllam ad hoc licentiam Epiſcopi, aut Parochi habentem, vt miniſtret Euchariſtiam illam miniſtrare, defendunt P. Vaſquez *tom. 3. in 3. part. d.* 219. *cap.* 5. P. Filiucius *tom. 1. tract. 4. cap. 9. num.* 263. Diana *tom. 1. tract. 11. reſolut.* Baſilius Legionenſis *in Bulla, capit. 3. num.* 26. Contrariam verò ſententiam tuentur *Nuñus tom. 1. in 3. p. quæſt.* 81. *art.* 3. Rodriguez *in addition. Bull. ad* §. 5. *ad n.* 9. P. Henriquez *l. 7. de indulg. c.* 13. *n.* 4. P. Suarez *vbi ſuprà.* P. Auila *de cenſur. part. 5. diſput. 4. ſ. 1. dubit. 8. in fin.* Trullench *vbi ſuprà dubit.* 8.

42 Hæc ſecunda ſententia negans eſt vera. Probatur. Quia in Bulla ſolùm intenditur tolli impedimentum interdicti, & Oratorij, vt poſſit quiſque ſumere Euchariſtiam & eo tempore, & eo loco, ac ſi non eſſet tempus interdicti, & ac ſi non eſſet locus priuatus; ſed in loco publico Eccleſiæ, & tempore non interdicti, non poteſt Sacerdos non priuilegiatus, aut facultate carens, miniſtrare Euchariſtiam; ergo. Confirmatur primò, quia *inferius* exprimitur in Bulla facultas ad eligendum Confeſſarium quemlibet approbatum, quâ expreſſione mens Pontificis declaratur; ergo a contrario conſtat, non eſſe de eius mente hanc conceſſionem reſpectu cuiuſvis Sacerdotis in ſumenda Euchariſtia, ſi quidem non exprimit, poſſe ad hoc quemvis Sacerdotem eligi. Confirmatur ſecundò; quia eodem modo loquitur Pontifex de ſumptione Euchariſtiæ, ac de ſumptione aliorum Sacramentorum; at alia non poſſunt à quouis recipi (quidquid de Extremavnctione Baſilius, & Trullench aliter affirment abſque ſufficienti ratione) aliàs poſſet quis virtute Bullæ Cruciatæ accipere Sacramentum Ordinis ab Epiſcopo non proprio abſque proprij licentia, & matrimonium coram alieno Parocho; quod nullus admittet, nec admitti poteſt.

43 Imò cum *inferiùs* in Bulla datur facultas eligendi Confeſſarium, non datur ad eligendum Sacerdotem, qui miniſtret Euchariſtiam, cum ſint diuerſæ iuriſdictiones; & licèt hæc ſecunda ſit minor, poteſt tamen illa prima major ſuum ſine hac effectum habere: Tunc autem concedendo facultatem ad id, quod amplius eſt, intelligitur concedi ad id, quod minus eſt, cum hoc in illo continetur, vel illud ſine hoc ſuum nequit effectum ſortiri. Quin ad facultatem eligendi Confeſſarium concedendam ſpecialis ratio priuilegij & gratiæ mouere potuit Pontificem; quia ſcilicèt grauamen eſt, propria quemque peccata ſuo Parocho detegere, & faciliùs eo Confeſſario electo propalantur. Notandum tamen, quoties Ordinarius approbat Sacerdotem ad miniſtrandum pœnitentiæ Sacramentum, intelligi, approbare ad miniſtrandum Euchariſtiam, hæc enim eſt Ordinarij mens, maximè cum ad hanc adminiſtrationem minor ſcientia, paucioraque requiſita ſint opus, quàm ad illam.

44 Nec contrà noſtrum aſſertum obſtat quod ait P. Vaſquez; non reſtringi in Bulla, quòd ſumptio Euchariſtiæ debeat eſſe à Sacerdote approbato. Et enim licèt Bulla non reſtringat, tamen non dat locum extenſioni, quæ facilè poſſet exprimi; nec extenſio neceſſaria eſt, vt ſaluetur, in hac conceſſione, aliquod includi priuilegium, & gratiam, vt iam oſtendimus. Sed inquit Baſilius Legionenſis, fruſtrà

Digitized by Google

fruſtrà fieri exceptionem diei Paſchatis, ſi ſolùm ab approbato Sacerdote poſſit accipi Euchariſtia, cum potiùs ab approbato debeat accipi illo die, adeóque vt exceptio locum habeat, debere dici, cæteris diebus à Sacerdote etiam non approbato accipi poſſe. Contrà, quia non ſolùm Parochus, ſed etiam plures alij ſunt approbati ad miniſtrandam Euchariſtiam; cum ergo dies Paſchatis excipitur, id intendit Pontifex, vt nec Sacerdotes cæteri approbati miniſtrent Euchariſtiam eo die, qui Parocho reſeruatur. Ait præterea ipſe Author, non ſequi ex oppoſita ſententia abſurdum à nobis illatum de ſuſceptione Ordinis miniſtrandi ab Epiſcopo non proprio, quia Pontifex vult, munera Pontificalia, vtpotè grauiſſima, illæſa reſeruare. Benè; ergò ex vi verborum Bullæ non colligitur facultas ad eligendum Sacerdotem, qui miniſtret Euchariſtiam, ſicut non colligitur facultas ad eligendum Epiſcopum, qui miniſtret Ordinem, ſed ad circunſtantias debet attendi; & ſicut propter circunſtantias, quibus munitur hic Author, non intelligitur conceſſa facultas eligendi Epiſcopum, à quo ſuſcipiatur Ordo, ita & propter circunſtantias in noſtra probatione expenſas non intelligitur facultas eligendi Sacerdotem, à quo ſuſcipiatur Euchariſtia.

45 Ait demùm, non ſequi abſurdum à nobis illatum de Sacramento matrimonij, quia in eo Parochus non eſt miniſter, ſed teſtis ſpecialiter deputatus, omni exceptione major; & in Bulla ſolùm concedi facultatem vt recipiantur Sacramenta à quolibet, vt à miniſtro. Contra; ergo ſaltem virtute Bullæ poterunt benedictiones nuptiales à quolibet recipi, cum Sacerdos ſit miniſter earum, & per Bullam concedatur, vt poſſint recipi tempore interdicti; ad matrimonium enim ſine benedictionibus eo tempore non eſt opus priuilegio Bullæ, cum de iure communi liceat. Hoc autem, vt contra communem praxim, non eſt admittendum. Præterea in modo communi loquendi, licèt Parochus non ſit miniſter, ſed teſtis matrimonij, à Parocho dicitur Sacramentum matrimonij recipi; Bulla autem ſolùm concedit facultatem ad recipiendum Sacramenta tempore interdicti, & in Oratorio, quin exprimat, recipienda eſſe à Sacerdote, vt à miniſtro; vnde explicanda eſt ea facultas de receptione à Sacerdote eo modo, quo ab illo accipi poſſunt.

* * *

CAPVT V.

Quid liceat per Bullam Cruciatæ circa ſepulturam Eccleſiaſticam tempore interdicti.

46 EX *capite primo* conſtat, tempore interdicti nullum poſſe, præter Clericos in ſepultura Eccleſiaſtica tumulari. Virtute ergo Bullæ poteſt quilibet ea ſepultura gaudere, niſi innodatus excommunicatione exiſtat, quod intelligi debet, niſi poſt mortem, qui excommunicatus deceſſit abſoluatur ab excommunicatione; abſolutus enim poterit illicò gaudere hoc priuilegio. Vt autem illo gaudeat, Bulla communis viuorum (niſi ſit miles, aut militem mittens, de quibus iam *ſuprà* diximus) debuit ab eo accipi, dum vixit, nec ſatis erit, ſi pro eo iam mortuo accipiatur. Vide dicta *diſp. 4. c. 5.* vbi probauimus, eam Bullam communem viuorum, ſi accipiatur pro iam defuncto, ad nullum vſum ei vtilem fore.

47 Moderata pompa funeralis, quæ in hac clauſula conceditur, aſſeritur à Corduba *de indulg. q. 40. dub. 4.* eſſe dimidia ſolemnitas eorum, quæ fieri ſolent tempore non interdicti. Quam, explicant, eſſe publicum cantum in tono, triplicem campanarum clamorem, eſſeque ianuas apertas, dùm officium ſepulturæ dicitur, quæ tamen claudendæ ſunt tempore celebrationis Miſſæ. Monetque P. Henriquez *l. 7. de indulg. c. 13. num. 4. in gloſ. littera V.* ita declaraſſe Iulium IV. & poſteà Pium IV. in Bulla anni 1555. ſed tamen hoc non fuiſſe præceptum, ſed directionem. Cæterùm moderationem pompæ aſſignandam eſſe reſpectiuè iuxta vſum patriæ, arbitrio Epiſcopi, aut eius Vicarij, & in vtriuſque abſentia, ipſius Parochi, docent Rodriguez *in Bul. §. 5. n. 13.* Villalobos *tract. 27. clauſul. 5. n. 3.* Trullench *in Bul. l. 1. §. 3. dub. 10.* ex his quidquid libuerit, licitè poteſt fieri.

48 Clerici qui de iure communi poſſunt ſepeliri ianuis clauſis, & cum officio diuino in Eccleſiis non interdictis ſpecialiter, & item poſſunt ſine Officio Diuino in ſpecialiter interdictis, non tamen poſſunt cum prædicta pompa funerali, quare ad gaudendum priuilegio illius egent Bulla Cruciatæ. Rurſus infantes, & laïci amentes à ſepultura Eccleſiaſtica arcentur tempore interdicti, ſi verò Bullam habuerint, poterunt ea frui cum prædicta pompa.

49 Trullench *vbi ſuprà*, contra Rodrig. *in addition. ad §. 5. n. 32.* tuetur, laïcos virtute Bullæ poſſe cum prædicta pompa, ſed abſque Miſſæ celebratione, ſepeliri in Eccleſia ſpecialiter interdicta. Vbi notanda eſt eius inconſequentia,

Digitized by Google

Inconſequentia, cum ſuperiùs dixerit, non poſſe laïcos in Eccleſia ſpecialiter interdicta virtute Bullæ audire eam Miſſam, quæ ad renouandam Euchariſtiam celebratur; ex ea ratione ſanè, quia priuilegia Bullæ circa auditionem Miſſæ, & vſum Sacramentorum pro tempore generalis interdicti, non ſpecialis, conceſſa intelliguntur; cum qua tamen ratione in communi ſumpta, & probante non poſſe virtute Bullæ in Eccleſiis ſpecialiter interdictis, ſicut in cæteris, celebrari, & audiri Miſſas, niſi vnicam de iure communi ſingulis hebdomadis, ſtat, quod *ſuprà* contra Trullench defendimus, poſſe hanc vnicam à laïcis virtute Bullæ audiri. Ex ea autem ratione probabiliùs infertur, non poſſe eos ſepeliri in Eccleſiis ſpecialiter interdictis, cum Bulla non plus concedat reſpectu ſepulturæ, quàm reſpectu Miſſæ, & Sacramentorum. Nihilominùs ex alio capite videtur probabilis opinio Trullench; ſicut etenim Clerici poſſunt ſepeliri in Eccleſia ſpecialiter interdicta, & ſi in ea nequeant celebrare communiter, nec diuina Officia dicere eo modo, quo in aliis Eccleſiis poſſunt, ſic etiam laïcis dicendum eſt, concedi per Bullam, poſſe in ea Eccleſia ſepeliri, licet in ea non concedatur, poſſe, communiter audire Miſſam, & recipere Sacramenta, quippè idem, quod Clericis de iure communi licitum eſt, videtur concedi reſpectiuè laïcis ex priuilegio Bullæ, imò & in aliquibus amplius conceditur.

DISPVTATIO XVI.

De priuilegiis conceſſis in Bulla Cruciatæ circa Oratoria.

Initio diſputationis præcedentis verba Bullæ circa præſens punctum præfiximus, in hac autem quid in eis contineatur, independenter à tempore interdicti explanare oportebit.

CAPVT I.

An virtute Bullæ poſſint erigi Oratoria in domibus priuatis, ſeu religioſis?

1 ALIQVA ſunt prænotanda cum Trullench *ſuprà dub.* 4. & communi Authorum. De iure communi non licet dicere Sacrum niſi in templo conſecrato *cap. Clericos, de conſecrat. diſt.* 1. Quod ad templum benedictum extendi, conſuetudo obtinuit. In caſu autem neceſſitatis, cum licentia Ordinarij, ſi adiri poteſt. Miſſa in altari portatili celebrari valet, vt in bello, & quando magna pars concurrentium nequiret intra templum audire illam, *cap. concedimus, de conſecrat. diſt.* 1. Poteſt etiam ex priuilegio Pontificis extra templum Miſſa celebrari, conceſſo, aut renouato poſt Tridentinum; per illud quippè *in ſeſſ.* 22. *decreto de obſeruandis, &c.* fuere priuilegia circa Oratoria reuocata. Vide P. Azor 1. *p. l.* 10. *cap.* 26. *q.* 7. cum aliis.

2 In Societate noſtra IESV ex conceſſione Gregorij XIII. poſſunt Presbyteri in miſſionibus, & in caſtris militum vbique gentium ſuper Altari viatico celebrare, & miniſtrare fidelibus Euchariſtiam, quando Præpoſitus Generalis, aut per eum Prouinciales vtendum fore illo altari, iudicauerint. Conſtat ex Compendio priuilegiorum Societatis, *verbo Altare.* Ex eiuſdem conceſſione, vt aſſertur *ibidem verbo Oratoria*, poſſunt Prouinciales Societatis approbare, & deputare in noſtris Domibus Oratoria, vbi Miſſæ, & Diuina officia celebrari queant, nulla alterius requiſita licentia. Sed ad euitandas offenſiones, & querelas, limitat Præpoſitus Generalis, cuius diſpoſitioni noſtra commiſſa ſunt priuilegia, ne Prouinciales vtantur hac facultate, niſi in locis remotis ab oppidis, vbi Ordinarij exiſtunt, vel quando probabiliter timetur Ordinarios ſe difficiles exhibituros ad ea Oratoria deputanda, cum opus fuerit.

3 Potuiſſe olim Epiſcopos de iure communi facultatem concedere ad celebrandum in Altari portatili, videtur probari *ex cap. Miſſarum, cap. hic ergo, de conſecrat. diſt.* 1. An verò per Tridentinum omnino fuerit eis ablata hæc poteſtas, vide Cenedo *in quæſt. Canonic. q.* 44. *num.* 6. At anno 1615. die 25. Octobris Congregatio Cardinalium de mandato Pauli V. reuocauit omnes licentias celebrandi in Oratoriis, à quolibet conceſſas, & declarauit, ad Pontificem ſempè pertinuiſſe eiuſmodi facultatem concedere. Poſteà verò annno 1618. die 30. Iulij, vt affert Quaranta *in Bullario, verbo Miſſa, fol.* 303. conceſſit Epiſcopis idem Paulus, vt tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati poſſent præbere facultatem ad celebrandum in Oratoriis, his limitationibus adhibitis, vt vnica Miſſa ſingulis diebus in eis celebraretur, nec adhuc vnica celebraretur in Feſtiuitatibus Paſchæ, Natiuitatis, Pentecoſtes, & aliis in feſtis ſolemnibus, niſi adire Eccleſiam ob iuſtum impedimentum nequiret perſona habens Oratorium; item quòd ſolùm id concederent perſonis nobilibus, ſenio, aut infirmitate laborantibus, dum durat impedimentum, nec alij præter ipſos ſatisfaciant præcepto Miſſæ, eam in Oratorio audientes, nec in vna domo duo ſint Oratoria, in quibus poſſit Miſſa celebrari, & demùm quòd ſolùm ad ſex annos licentiam

Digitized by Google

licentiam hanc extendant. Sed reuocatam eis fuiſſe hanc facultatem, conſtat ex praxi. Vide de hac Epiſcoporum poteſtate Philibertum Marchinum, *tom. de Sacr. Ord. & Sacrif. Miſſæ.*

4 Hinc patet, facultatem celebrandi in Oratoriis concedi poſſe à Pontifice; & olim ab Epiſcopis, vt Sedis Apoſtolicæ delegatis, non verò iure ordinario, & niſi cum conditionibus appoſitis, Nuntius ordinarius Pontificis in Curia Regia, etiam hanc facultatem concedere ſolebat; ſed SS. D. N. Innocentius X. ſcripſit Nuntio ſuo in Hiſpania Illuſtriſſimo D. Iulio Roſpilloſi Archiepiſcopo Tarſenſi, nunc iam eminentiſſimo S. R. E. Cardinali, ob eximia ipſius merita, hoc non licere Nuntiis, ſibique eos arrogaſſe hanc facultatem, quare eam niſi in certis caſibus ille minimè concedit. Quod mihi apertiſſimè conſtat: Legati extraordinarij poteſtatem concedendi Oratoria ſolent afferre, vt attulit eminentiſſimus Cardinalis Barberinus, Legatus Vrbani VIII. in Hiſpania. Commiſſarius Generalis Cruciatæ facultatem habeat, necne concedendi Oratoria, ſuò loco dicemus & affirmabimus. Hic nota, Oratoria, de quibus loquimur, eſſe loca orationi deputata in domibus priuatis, aut Religioſis, ad quæ non eſt patens acceſſus, nec in eis eſt campana; alia enim Oratoria, ſeu Capellæ ſejunctæ à domibus, ad quas eſt publicus acceſſus, poſſunt ab Ordinariis deputari, nec comprehenduntur in Oratoriis, ſuprà quæ cadit præfata prohibitio, vt à Congregatione Cardinalium fuiſſe declaratum, refert Barboſa, *de iure vniuerſo, lib. 1. c. 11. n. 28.* Nota etiam, cuilibet licitum eſſe, in ſua domo Oratorium extruere, dummodò ſolùm ad orandum inſeruiat, cum enim de prohibitione Oratorij agitur, id de Oratorio, in quo celebretur Miſſa, ſeu de Miſſæ celebratione in Oratorio eſt intelligendum.

5 His, pro intelligentia dicendorum *in hac diſputatione*, ſuppoſitis, Trullench *ſuprà §. 3. dub. 4.* citat ſuppreſſo nomine aliquos ſentientes, poſſe quemvis ex priuilegio Bullæ Oratorium habere ſuæ domi approbandum ab Ordinario, vbi Miſſa celebretur, quod, ait, inſinuare Emanuëlem Rodriguez *in Bul. §. 5. num. 4. & in addition. ad §. 5. & ad num. 4. in num. 1.* ſed ibi nihil tale inſinuat. Sic verò Ludouicus à Cruce *in Bul. d. 1. c. 5. dub. 1. num. 5.* tenens habentem Bullam poſſe compellere Ordinarium, vt approbet Oratorium; quòd ſi Ordinarius nolit, poſſe vti Oratorio prædicto abſque approbatione.

6 Hæc opinio mihi probabilis non eſt, quia in verbis Bullæ non eſt fundamentum ad illam, etenim concedere, quod audiatur, vel celebretur Miſſa, Sacramentaque in Oratorio recipiantur, ſupponit, eſſe Oratorium iam aliundè conceſſum; ſicut conceſſio audiendi Miſſam in Eccleſia tempore interdicti, non eſt conceſſio erigendæ Eccleſiæ, quod mille poſſet exemplis confirmari. Et quidem ex ſe incredibile apparet, omnibus ſumentibus Bullam, cum ſint innumeri plebeij, abjectæ, & infimæ ſortis, concedi, vt erigant Oratoria in ſuis domibus, in quibus Miſſa celebretur, cum indè euaneſceret ſedula cura Pontificum, ne Oratoria ſine vrgenti cauſa, & perſonis nobilibus concedantur, & prætereà Eccleſiæ parùm frequentarentur, locuſque eſſet indecentiis, maximè in ſententia Ludouici à Cruce, in locis celebrandæ Miſſæ deputandis, quorum decentiam multùm conantur ſtatuere Pontifices, & Iura. Nec hinc fit, nullum ſpeciale priuilegium circa Oratoria concedi in Bulla; quippe oſtendimus *diſp. præcedenti*, concedi, vt tempore interdicti Miſſa celebretur, ac audiatur in præſentia familiarium, & conſanguineorum, quod ſine Bulla non liceret; & quòd recipiantur Sacramenta, ac alia, quæ *cap. ſequenti* explanabimus.

7 Trullench rurſùs defendit, per Bullam poſſe eligi quemvis Ordinarium, vt approbet Oratorium, quod probat à paritate, quia probabile eſt, poſſe eligi virtute Bullæ quemvis Confeſſarium à quolibet Ordinario approbatum; Sed eſto hoc ſit verum, de quo nos *inferiùs*, falſam iudico eiuſmodi opinionem. Sicut enim priuilegium Bullæ mihi concedens, vt peccata confitear Sacerdoti approbato ab Ordinario, non concedit vt ego eligam Ordinarium, qui approbet Sacerdotem cum quo confitear; ita nec priuilegium indulgens, vt celebrem, aut audiam Miſſam in Oratorio approbato ab Ordinario, concedit mihi, vt eligam Ordinarium, qui approbet Oratorium, in quo celebrem, aut audiam Miſſam. Quæ enim eſt diſparitas inter vtrumque? Prætereà, quia de approbatione Confeſſarij ab Ordinario facienda plures excitari ſolent quæſtiones, an ſcilicèt debeat approbari ab Ordinario pœnitentis, an ab Ordinario ipſius Confeſſarij? An ſufficiat, à quolibet Ordinario? Et alia huiuſmodi independenter à Bulla ventilentur, ideò de approbatione Confeſſarij ab Ordinario facienda, relinquitur locus interpretationi, & probabilitati. At in præſenti caſu ceſſat hæc ratio, cum in omnibus aliis Ordinarius ſtet pro Ordinario proprio, maximè cum agitur de locis, non de perſonis; quare hic Ordinarius Oratorij debet intelligi, ſeu Ordinarius loci, in quo eſt Oratorium. Demùm in hac Bullæ clauſula non datur facultas eligendi Ordinarium approbantē, ſicut poſteà datur facultas eligendi Confeſſarium approbatum; quare

Digitized by Google

facultas non eſt reſpectu approbationis, ſed reſpectu celebrationis, aut auditionis Miſſæ, receptionisvè Sacramentorum.

CAPVT II.

Quid liceat virtute Bullæ circa Miſſam, & Sacramenta in Oratoriis priuatis?

8 EX verbis Bullæ *ſuprà* relatis conſtat, poſſe habentem illam per ſe celebrare, vel facere, celebrari per alium Miſſam in Oratorio, Sacramentaque recipere, *etiam tempore interdicti*: Hiſpanéque vertitur *aun en tiempo de entredicho*. Vndè rectè colligunt omnes Expoſitores Bullæ, virtute illius poſſe ea omnia præſtari tempore non interdicti; ea enim verba perindè ſunt, ac ſi aſſererent, omnia illa licere omni tempore, etiam ſi ſit tempus interdicti, vno excepto die Paſchatis.

9 Igitur, ſi quis Oratorium habet cum limitatione, vt vna Miſſa dicatur in eo quotidiè, poteſt per Bullam, quotquot voluerit, facere celebrari. Item, ſi limitatio ſit, vt nullus præter ipſum audiens ibi Miſſam ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ, quilibet Bulla gaudens, ſi audiat, ſatisfaciet; imò in eius præſentia omnes familiares, & conſanguinei ſatisfacient præcepto, etiam ſi Bullam non habeant. Rursùs, ſi extet limitatio, ne celebretur Miſſa in aliquibus anni Feſtiuitatibus, poterit per Bullam celebrari. Demùm ſi limitatum fuerit, ne in Oratorio Sacramenta recipiantur, poterunt per Bullam recipi. Ecce vides quantum operetur priuilegium hoc Bullæ. Hæc autem omnia ex verbis Bullæ manifeſtè colliguntur, & ex eo, quòd nulla limitatio in eis apponatur. Quare, cum hæc ſit conceſſio Pontificis, derogat omnes limitationes iniunctas à Prælato inferiori circa Oratoria. Quin, & ſi limitationes à Pontifice emanauerint, per Bullam, quæ quotannis renouat priuilegia, reuocantur. Imò, quamvis poſt acceptam Bullam Pontifex Oratorium concedat cum eis limitationibus, debent intelligi, ſi non habeatur Bulla. Quid, quod etiam facta expreſſa mentione Bullæ, non poſſe ab ipſo Pontifice eius priuilegia reuocari, abſque debita ſatisfactione poſſibili, eo quod ſit priuilegium oneroſum, diximus *diſp.2. cap.6.* Plura tamen ex dictis debent magna cum circumſpectione fieri; ne inconuenientia aliqua ex *ſuprà* attactis ſequantur; maximè in feſtis ſolemnioribus, in quibus ad exemplum, ædificationemque communem expedit, vt nobiliores, illuſtrioréſque Dynaſtæ Eccleſias publicas frequentent; &, ſi recepturi ſint Sacramenta, in eis recipiant. Deindè conuenit, vt multitudini locus non detur audiendi Miſſam in Oratoriis; conueniens quippè etiam eſt, vt ad Eccleſias accedant, & ibi Sacramenta frequentent, & ſuum Parochum, vel concionem audiant; aut ſaltem ſua deuotione alios alliciant, & ad pia opera promoueant.

10 Diem Paſchatis ideo excipi, iam *ſuperiùs* notauimus, vt omnes in ſua Parochia præcepto Communionis ſatisfaciant (quare ad minùs non excipitur in Ordine ad celebrandum per ſe, vel per alium Miſſam in Oratorio, eamque audiendum, dum non recipiantur ibi eo die Sacramenta.) Cæterùm dubitatio eſt, an etiam die Paſchatis poſſit quis, ſatisfacturus alio die ex deſignatis, tempore Paſchali, præcepto Communionis in ſua parochia, virtute Bullæ ſumere Euchariſtiam in Oratorio? Vel etiam ſine Bulla in qualibet alia Eccleſia, quæ non ſit propria Parochia, dummodo ſit ibi priuilegium miniſtrandi Euchariſtiam omnibus fidelibus quovis anni die, quantumvis excipiatur dies Paſchæ ob ſimilem rationem, quà in Bulla excipitur; quale priuilegium ſolent habere Religioſi, ſicut habent noſtri, vt conſtat ex Compendio priuilegiorum Societatis IESV, *verbo Euchariſtia*, §.3. Idem enim, & propter eamdem rationem, vt ſtatim liquidum erit, de vtroque caſu dubitatur, atque deciditur.

11 Prima ſententia affirmat, poſſe ex deuotione eo die Paſchæ accipi Sacramentum Euchariſtiæ, ex præfatis priuilegiis. Ita Rodriguez 1. *tom. quæſt.* 56. *artic.* 3. *verſu ad hanc*, Ludouic. à Cruce *in Bull. d.*1. *c.*5. *dub.* 6. *num.* 11. Bonacina *quæſt.* 7. *d.* 4. *punct.* 2. *num.* 9. PP. Suarez, Filiucius, & Fagundez relati à Trullench *in Bull. l.*1. §.3. *dub.*7. *num.*7. Secunda ſententia negat, quam docet ipſe Trullench cùm Nauarro, & P. Azor; item Hieronymus Sorbo *in notis ad compendium priuilegiorum*, *verbo communicare*. Ex quibus Trullench nomine diei Paſchæ intelligit omne tempus illud circa Paſcha, quod deſignatur ad ſatisfaciendum præcepto communionis, quod diuerſum eſt in diuerſis diœceſibus, duratque vel totum Quadrageſimæ tempus, aut tres hebdomadas, aut duas, nempè à Dominica Palmarum vſque ad Dominicam in Albis, quod eſt communius in noſtra Hiſpania. Alij autem Authores præter Trullench ſolùm diem primum Paſchæ exceptum eſſe volunt.

12 Sententia prima affirmans eſt vera. Nam, vt ait P. Suarez, Pontifex ſolùm prohibet eo die, ſeu tempore Paſchali, extra propriam parochiam Communionem quaſi formalem, qua ſcilicet ſatisfiat præcepto Eccleſiaſtico, non verò materialem, & ex deuotione, qua non ſatisfiat illi. Eius enim finis eſt,

vt

vt præceptum adimpleatur, & Parochus, vt paſtor, ſuas oues agnoſcat; atque adeò animo ſatisfaciendi præcepto, nec die Paſchatis, nec in toto tempore deſignato ad ſatisfaciendum ei, poteſt extra parochiam Euchariſtia ſumi, poteſt verò ex deuotione, nam per hanc ſumptionem nec tollitur adimpletio præcepti, nec fruſtratur Pontificis finis, & obſeruatio *capitis, omnis vtriuſque ſexus, de pænit. & remiſſ.* Solùm ergò intendit Pontifex, Communione facta extra propriam parochiam non adimpleri præceptum, & omnes fideles debere eo die, ſeu tempore, in ſua parochia ſumere Euchariſtiam, idque etiam alij Pontifices allati ab aduerſantibus dumtaxàt intenderunt. Conſequenter ad hanc doctrinam tenendum eſt, non licere, Euchariſtiam per modum viatici ægrotantibus miniſtrare ex Oratorio, aut ex Eccleſia, quæ non ſit propria parochia; quia etiam tunc ſumitur ab ægrotantibus ex præcepto Eccleſiæ, intendentis eadem, aut maiora commoda ſpiritualia, ac in præcepto communionis annuæ. Nec in priuilegio ſumendi Euchariſtiam in Oratorio, continetur priuilegium ſumendi per modum viatici, quod eſt multò maius, nec in primo implicitum eſt, imò propter dicta excluſum.

13 Ex his confirmatur, quod attigi *n.* 10. poſſe, virtute Bullæ in Oratorio Miſſam celebrari, & audiri die Paſchæ; tum, quia cum in Bulla excipitur dies Paſchæ, refertur exceptio ad receptionem Sacramentorum, non ad celebrationem Miſſæ, vt ex contextu verborum patet; tum quia ſi ad Miſſam referretur, ideò eſſet, ne in Miſſa ſimul Euchariſtia ſumeretur animo ſatisfaciendi præcepto communionis, quod iam explicauimus. Prætereà, quia ſi ex deuotione poteſt quis eo die ſumere Sacramentum in Oratorio, in quo aliàs Euchariſtia non ſeruatur, debet Miſſa ibi celebrari, & demùm, quia poſito ex *num. præcedenti* facultatem concedi per Bullam, vt eo die in Oratorio ex deuotione Euchariſtia ſumatur, quamvis daremus, ibi aſſeruari Euchariſtiam, poſſet Miſſa celebrari, quia communis modus miniſtrandi Euchariſtiam maximè in Oratoriis, eſt media celebratione Miſſæ præcedente, quare concedens facultatem ad miniſtrandum in eis Euchariſtiam, concedere cernitur id, quod communiter annexum eſt eiuſmodi miniſtrationi, nempè Miſſæ celebrationem, & conſequenter nihil prohibebit habentes Bullam, illam audire, & præcepto Eccleſiæ ſatisfacere, ſicut ſatisfaciunt cæteris anni feſtis. Præceptum etenim audiendi Miſſam non eſt coarctatum ad propriam parochiam, quare nec toto tempore Paſchali tenetur quis in ea audire Miſſam.

14 Infero ex doctrina tradita, eum, qui vouit ſumere Euchariſtiam aliquibus anni diebus, ſatisfacere voto, ſi ſumat in Oratorio, ſicut etiam, ſi ſumat in quavis alia Eccleſia, Capella, ſeu eremitorio, dummodò ſpeciali ratione non ſe obſtrinxerit ad aliquam Eccleſiam determinatam. Nam in adimpletione huius voti non militat ratio, quæ in præcepti annuæ communionis impletione; & aliundè licet ei per Bullam, (qua eum gaudere, vel eius dominum, aut conſanguineum, ſuppono, in eorumque præſentia id præſtare) in Oratorio ſumere Euchariſtiam; nullo ergo ex capite ab impletione ſui voti deficit. Idem eſt, ſi ex præcepto ſpeciali Superioris, aut ex pœnitentia à Confeſſario iniuncta, abſque Eccleſiæ vllius deſignatione ad ſumptionem Euchariſtiæ teneatur.

DISPVTATIO XVII.

De priuilegio veſcendi carnibus in diebus prohibitis de conſilio vtriuſque medici, conceſſo per Bullam Cruciatæ.

Omnibus ſupra dictis concedit Bulla: *Item vt dicto anno durante, in omnibus, & ſingulis Regnis, Inſulis, locis, terris, oppidis, & dominiis prædictis (& non extra illa) carnibus, de conſilio vtriuſque medici, temporibus ieiuniorum totius anni, etiam Quadrageſimalibus, veſci;* Vulgaris Bulla vertit: *Item concede à todas las perſonas, que tomaren eſta Bulla, que durante el dicho año, puedan de conſejo de ambos medicos, eſpiritual, y corporal, comer carne en Quareſma, y otros tiempos de ayunos, y dias prohibidos de comer carne por todo el año.*

CAPVT I.

Aliqua præmittuntur de prohibitione eſus carnium.

1 DIgnoſci nequit, quid operetur præſens Bullæ priuilegium, niſi aliqua præmittantur. Eſus carnium prohibitus eſt ſub culpa graui ab Eccleſia in tota Quadrageſima, in quatuor anni temporibus, in pervigiliis aliquarum feſtiuitatum, & omnibus diebus Veneris, ac Sabbathi; aliquibuſque in Diœceſibus etiam aliis diebus prohibetur, vt in Rogationibus; & quotieſcumque præceptũ, aut obligatio eſt ieiunandi, carnes prohibitæ ſunt. Excipe diem Veneris, quando feſtum Natiuitatis Domini in illum incidit, tunc enim carnibus vti licet. Excipe etiam Regna Caſtellæ, in quibus, diebus, Sabbathi,

Digitized by Google

extremitatibus volucrum, & animalium, inteſtiniſque veſci licitum eſt; & in ſingulis diœceſibus attendendum, quota pars, & quænam iis diebus permittatur ex priuilegio, aut conſuetudine approbata, plus enim in aliquibus, quàm in aliis extenditur. Aliqui etiam ſacri Religioſorum Ordines tenentur ex regula abſtinere à carnibus, aut ſemper, aut certis diebus præter communes; inter quos adeò exactè Carthuſienſium Ordo hanc ſeruat regulam, vt non permittat, vllum monachum carnibus veſci etiam ſi abſtinentia ab illis ſit cum probabili vitæ diſcrimine; quod ſanè licitum eſt ad virtutis officium tuendum, ſcandalum, & offenſionem vitandam, ad conſeruandam Religioſæ vitæ diſciplinam, inſtitutum, & regulam, ne paulatim relaxatione langueſcat. De quo vide P. Azor *to.1. inſtitut. moral. l.5. c.6. §. ſeptimò quæritur.*

2 Diebus ieiuniorum, non ex eo, quòd quis à ieiunio legitimè excuſetur, aut ieiunium culpabiliter frangatur, permittitur carnibus veſci; vt patet in eo, qui vigeſimum primum annum nondum expleuit; Etenim præceptum ieiunij includit in ſe, præter obligationem non veſcendi niſi vna vice, præceptum, non edendi carnes, quod eis diebus obligat ſemper, & pro ſemper, etiam independenter ab illa obligatione vnicæ comeſtionis. Si verò quis diebus, quibus ieiunare ex præcepto, aut voto tenebatur, ob legitimam cauſam carnibus veſcatur, ieiunare non tenetur; ſic Caietan. *2. 2. q. 147. ar. 7. in reſponſ. ad vltimum dubium*; Palatius *in 4. diſt. 15. d. 8. concl. 6.* Medina, Corduba, P. Azor, & communior Authorum contra Nauarr. *in Manuali c.21. n.22.* Veſcens autem carnibus in ieiunij die, ſi piſces edat, contra ieiunij præceptum non peccabit; ſed ſi ex illis nocumentum ſentiat, aduersùs temperantiæ virtutem leuiter, aut grauiter peccabit: ſeu aduersùs præceptum non diſperdendi abſque iuſta virtutis cauſa ſalutem corporalem: non aliter, ac ſi cæteris diebus, in quibus carnes non ſunt prohibitæ, eos piſces ederet; reſpectu enim eius, qui die ieiunij legitimè carnibus veſcitur, perinde eſt, ac ſi dies ieiunij non eſſet. Vnde ſi abſque nocumento aliquem piſcem ederet, contra nullam ex illis virtutibus peccaret, nec abſolutè delinqueret, gula non interueniente.

3 Poſſunt veſci carnibus in diebus prohibitis omnes hi, qui legibus Eccleſiaſticis non ſubiacent, vt infantes, & amentes. Præterea ægrotantes quolibet morbo, cui contrariantur alia, præter carnem, alimenta; & illi, quibus damnum conſiderabile allatura eſſet abſtinentia à carnibus, quod experientia dignoſcitur, aut medico, virove alio perito, experto affirmante. Nec enim præcepta Eccleſiaſtica cum notabili incommodo obligant. Rursùs illi, qui aliquo Pontificis priuilegio ad eſum carnium gaudeant, vt noſter Hiſpaniæ Rex, aliique Principes gaudent. Demùm hi, quibus aliquo die prohibito non eſſet copia aliorum ciborum, vt moderatum victum ſumerent, poſſent carnibus veſci, nec tenerentur ſolum panem edere; hincque pauperes mendicantes, ſi nulla eis eleemoſyna erogetur, niſi carnes, eis poterunt veſci. Ad quæ omnia priuilegio opus non eſt; imò nec declaratione medici, aut alterius, quando neceſſitas eſt manifeſta.

4 Quando verò neceſſitas eſt practicè probabilis iudicio medici, aut viri experti, poteſt quis carnibus veſci; iudicatur enim etiam abſque priuilegio cauſa ſufficiens, quæ eſt probabilis practicè, vt iuxta eam quilibet operetur, ſicut operari poteſt iuxta opinionem practicè probabilem. Cum autem neceſſitatis eſt talis, vt quis formaliter anceps ſit, medicuſque ipſe in dubio verſetur, an ſit ſufficiens, ſi medicus dicat, eam neceſſitatem, quæ in ſe non oſtenditur clarè ſufficiens, ſufficientem eſſe, vt diſpenſetur cum habente illam, ſicque per diſpenſationem ſuppleatur, quod ad ſufficientiam manifeſtam cauſæ deficit, poteſt Epiſcopus, in eiuſque abſentia Vicarius diſpenſare, vt ille carnes edat; Epiſcopi etenim habent facultatem ad diſpenſandum in legibus Eccleſiaſticis, quando non eſt aditus facilis ad Pontificem, & aliundè non eſt eis ſpecialiter prohibita diſpenſatio, vt non eſt prohibita hæc, de qua loquimur. Imò Parochus in abſentia Epiſcopi, & Vicarij poteſt diſpenſare; quin & conſuetudo obtinuit, vt etiam ſi Epiſcopus, & Vicarius ſit in eodem oppido, Parochus diſpenſet; quod ex conceſſione tacita Epiſcoporum, vel conſuetudine legitimè præſcripta dimanaſſe videtur. De his omnibus videantur D. Thomas *in 4. diſt. 15. q. 3. art. 2. ad vltimum; & 2. 2. q. 147. art. 4. & ibi* Caietanus; Ioannes Sancius *in ſelectis d. 51.* Ludouicus Lopez *c.6. de Bull. & 2. part. Inſtructor. c. 112.* Trullench *in Bull. l.1. §.4. dub.1.* P. Azor *lib.7. à c.17.* P. Henriquez *l.7. de indulg. c.13. à num. 12.* Fagundez *in 4. præcepto Eccleſ.* Eligius Baſſæus, & Summiſtæ *verbo. Ieiunium.*

5 Superiores Societatis IESV, & hi, quibus ipſi commiſerint, ex conceſſione Iulij III. & Gregorij XIII. poſſunt cum noſtris diſpenſare circa ieiunia, & cibos prohibitos. Item excommunicatione priuilegij facti ab Eugenio IV. Monachis Sancti Hieronymi poſſunt noſtri Superiores præſtare licentiam de conſilio medici, vel ſine eo, ſi commodè non poſſit haberi, vt noſtri familiares infirmi, aut debiles poſſint comedere carnes, & oua, alioſque cibos prohibitos in Quadrageſima

&

Digitized by Google

& in aliis ieiuniis Eccleſiaſticis ſine licentia Diœceſani; vel quòd non teneantur ieiunare in prædictis temporibus etiam abſque conſilio medici. Sic extat in Compendio priuilegiorum Societatis, *verbo Diſpenſatio.* §. 7.

CAPVT II.

Quid operetur priuilegium veſcendi carnibus in Bulla conceſſum?

6 CVm ad omnia prædicta *cap. præcedenti* opus non ſit priuilegio Bullæ ad veſcendum carnibus in Quadrageſimæ diebus, aliiſque prohibitis, & cum per illud non concedatur facultas ad veſcendum eis abſque neceſſitate, vt omnibus merito eſt perſuaſum; ſi enim abſque neceſſitate ea facultas indulgeretur, non eſſet neceſſarium conſilium vtriuſque medici in hac clauſula requiſitum; reſtat examinare, quo in euentu hoc priuilegium proſit, ne fruſtraneum euadat. Igitur priuilegium Bullæ tunc operatur, quando datur dubium, quod non accedit ad neceſſitatem practicè probabilem, an ſit neceſſe, vel liceat veſci carnibus, tunc de conſilio vtriuſque medici, poſſunt edi. Itaque quod diximus egere diſpenſatione Epiſcopi, hoc abſque illa licet per Bullam. Ita tenent P. Henriquez *lib. 7. de indulg. c. 13. num. 12.* Rodriguez *in additionibus ad* §. 6. *n. 1. in fin.* Villalob. *clauſul. 6.* Antonius Gomez *in Bull. ad clauſul. 7. n. 1.* Lopez *c. 6. de Bul.* Ioannes Sancius *in ſelect. d. 51. à num. 6.* Diana *par. 1. tract. 5. miſcell. reſol. 7.* Trullench *l. 1. §. 4. dub.* Illuſtriſſimus Antolinez Archiepiſcopus Compoſtellanus, *in tractatu ſuper Bullam*, quem in Academia Salmantina dictauit anno 1588. in hac clauſula. §. *Vnde ſequitur tertiò.*

7 Et probatur. Quia cætera omnia præter hoc licent abſque priuilegio, vt oſtendimus *cap. 1.* aliundè non eſt aliud, quod poſſit hoc priulegium Bullæ operari, vt libauimus *initio numeri præcedentis*, ergo hoc, quod aſſeruimus, in eo priuilegio conceditur. Dicat aliquis, etiam ſic nihil concedi; nam opus eſt conſilio medici ſpiritualis, qui eſt Parochus, diximus autem *n.* 4. conſuetudine obtentum eſſe, Parochum diſpenſare in dubio propoſito; ergo abſque priuilegio Bullæ licet, quod per illam licitum eſt; Reſpondeo primò, ſaltem vbi conſuetudine introductum non eſſet, Parochum diſpenſare, hoc Bullæ priuilegium eſſe operaturum. Deindè in diſpenſatione communiter aliquod grauamen imponitur, vt ſic adæquetur iuſta cauſa diſpenſandi; per Bullam autem cum non ſit opus diſpenſatione, ſed conſilio medici ſpiritualis, illud grauamen tollitur. Demùm quia nomine medici ſpiritualis non intelligitur præcisè Parochus, ſed quilibet confeſſarius etiam non proprius, nec in confeſſione hoc conſilium præſtiturus, ſed extra confeſſionem, in quo cernitur, eſſe ſpeciale priuilegium Bullæ, quod in præſenti conceditur.

8 Et quidem id de Confeſſario ita notant Rodriguez, Sancius, Villalobos, & Trullench *nuper* relati. Ac meritò, quia quoad valetudinem, ſeu inualetudinem corporis dignoſcendam, parùm refert, quòd ſit Confeſſor proprius, aut extraneus; cum ideò requiratur conſilium Confeſſarij, quia ſupponitur, in eo eſſe ſcientiam ſufficientem, ad diſcernendum, an caſus, qui proponitur, ſit verè dubius, an non, an apparens; ne vilipendatur præceptum Eccleſiaſticum, & abſque vlla neceſſitate carnes edantur; ad hoc autem ſcientia & conſcientia cuiuſvis Confeſſarij, qualem eſſe debere ſupponitur, ſufficiens eſt. Itaque eius conſilium non requiritur, vt actus iuriſdictionis diſpenſantis, ſed vt viri probi, ac docti rem diſcernentis.

9 Medicus cuius conſilium requiritur, quilibet eſt ſatis, qui tamen non debet, vt gratificetur petenti licentiam, ſuam conſcientiam onerare, inualetudinis dubium exaggerando, ſed ſincerè illud iuxta ſuam ſcientiam proponendo. Quòd ſi in oppidulis non ſit medicus, nec commodus aditus ad locum, vbi eſt, cenſerem ſufficere, ſi vir expertus, aut ipſemet Confeſſarius, ſi aliquid de re calleret (& quis de inualetudinibus aliquid non dignoſcat?) conſilium edendi carnes præſtaret. Imò ſi quis vir timoratus, & peritus, aut expertus ſit, claréque noſceret dubium neceſſitatis ſuæ ad edendum carnes, poſſet edere abſque vllius medici conſilio. Ratio eſt, quia in præſenti caſu Bullæ neuter ex medicis diſpēſat, cum diſpenſatio à Pontifice dimanet, ſed tantùm exprimunt cum ſcientia, & conſcientia dubium; igitur, ſi quis ſcientiâ, & conſciētiâ rectâ præditus in ſe reperiat neceſſitatem quæ ſatis eſt ad illud dubium, poterit abſque conſilio vtriuſque medici carnibus veſci. Etenim conſilium, quod Pontifex deſiderat in præſenti, non eſt diſpenſatio; neque medicis committit diſpenſationem; quod patet primò ex ſignificatione vocis *conſilium*, quod nullo modo poteſt diſpenſationem ſonare; ſecundò, quia, ſicut exigit Pontifex conſilium medici ſpiritualis, ita & coporalis; ſed medico corporali non committit diſpenſationem, quæ eſt actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, ergo nec ſpirituali, cum eodem modo de vtroque loquatur. Cæterùm vt conditio apponitur conſilium vtriuſque medici, quia vt plurimùm homines non rectè diſcernunt qualitatem ſuæ neceſſitatis ad

Digitized by Google

ad veſcẽdum carnibus, & in propria cauſa facilius quiſque iudicium obliquum ferre poteſt; quare ſemper eſt conſultius, & vt plurimum eſt neceſſarium, vtriuſque medici conſilium expectare.

10 Hinc cernes; Antonium Gomez falsò aſſeruiſſe *vbi ſuprà*, nihil noui in hoc priuilegio concedi, quod de iure communi non eſſet licitum; oſtendimus enim *num.* 7. concedi aliquid, quod non licebat. Duoque hic Iuriſperitus inconſequentia intexit, nempè loqui Bullam de neceſſitate edendi carnes dubia, quæ ſine ſcrupulo peccati ſufficeret ad veſcendum illis. Etenim ſi neceſſitas eſt preciſè dubia, quæ diſtinguitur à probabili, non eſt ſufficiens ad effugiendum præceptum ſine peccato, vbi enim lex inſtat, niſi neceſſitas probabilis excuſet, peccatur in non adimpletione, nec dubia neceſſitas excuſat, niſi vlteriùs aliquid accedat. Dices, accedere Bullam; Benè; ergo Bullæ priuilegium aliquid operatur. Dices iterum, accedere conſilium vtriuſque medici, quo poſito, de iure communi licèt edere carnes abſque Bullæ priuilegio. Contra, oſtendi *à n.*7. aliquid amplius concedi per Bullam, quod de iure communi non conceditur.

11 Cernes etiam, falsò aſſeruiſſe neſcio, quem relatum à Rodriguez *ſuprà*, priuilegium hoc Bullæ ad id tendere, vt cum mediocri neceſſitate poſſint edi carnes, & tamen ieiunetur in diebus, quibus præcipitur ieiunium; eo quòd Pontifex, vtpotè inſtitutor ieiunij, poſſit illud cum eſu carnium inſtituere. Nam contra; Pontifex in præſenti non inſtituit de nouo aliquam ieiunij eſſentiam; alioqui vel mutaſſet eiuſmodi eſſentiam, cuius conſtitutiuum eſt abſtinentia à carnibus; vt diximus *cap.* 1. vel auxiſſet formam ieiunij, duplicem conſtituendo; aliam, quæ adhuc erat; aliam, quam denuò inſtituit, primam immutatam relinquens; vtrumque autem eſt abſonum, & non auditum. Præterea, cum infra ſtatim concedit facultatem comedendi oua, & lacticinia, addit; in reliquis ſeruari debere formam ieiunij, qua ſeruata, eius præcepto ſatisfiat; At hæc verba non addit, cum loquitur de eſu carnium, ergo quia cum hoc non ſtare ieiunium, ſupponit; nec ieiunium cum carnibus inſtituit. Quod in Bulla vulgari Hiſpana clariùs cernitur; nam poſt conceſſum priuilegium edendi oua, & lacticinia addit: *Demanera que los que no comieren carne, guardando en lo demas la forma del ayuno Ecleſiaſtico, ayan cumplido; y ſatisfecho al dicho ayuno.* Ergo, qui ederint carnes, etiam ſi obſeruent in cæteris formam ieiunij, tamen præceptum implere non poſſunt ieiunandi; eſt enim argumentum à contrario; & exceptio firmat regulam in contrarium.

12 Rursùs cernes, quam parum Theologicè Iuriſta Garnica *in Bul. pag.* 37. aſſeruerit, eum, qui abſque licentia vtriuſque medici ederet carnes diebus prohibitis, duplici via peccare lethaliter, primò propter irreuerentiam in legem Eccleſiaſticam; ſecundo, quia ipſe agnoſcere nequit, an ſuæ ægritudini carnes, & in qua quantitate expediant; ideóque opus eſſe iuſta cauſa, quam ipſe diiudicare non debet, ſed vterque medicus. Omitto, poſſe plures agnoſcere, & diiudicare, ſe habere iuſtam cauſam edendi carnes, & has eſſe expedientes ad ſanitatem, & quantitatem vtilem ſibi callere. Omitto etiam, ſi nomine iuſtæ cauſæ, non intelligat dubiam, vt videtur non intelligere, nihil fore operaturum priuilegium Bullæ. Tantummodò accedo ad peccatum duplici via, quod eſt falſiſſimum. Nam tranſgrediens præceptum abſtinendi à carnibus, vnica via peccat; nec quis vnquam in hoc duplicem deformitatem, aut ſpeciem reperit. Quippè, ſi præter tranſgreſſionem præcepti, immoderatè carnibus veſcatur, hoc quidem diſparatè ſe habet ad præſens; nam etiam in diebus non prohibitis poteſt ſanus, aut æger, intemperantiæ peccatum committere; at, quando eſt ſermo de trãſgreſſione præcepti, non attenditur ad peccatum, quod per accidens poteſt coniungi; alioqui poſſet ſimiliter dicere, quadruplici, aut quintuplici via eum peccare; ſicut enim præter tranſgreſſionem, poteſt peccare, immoderatè carnibus vtendo, vel cibis damnum ſibi allaturis, etiam poteſt peccare, vtendo carnibus publicè, & cum ſcandalo; item veſcendo illis, vt ad actus libidinoſos fiat promptior; Rursùs vt legem reflexè parui pendat, & alia huiuſmodi.

13 Duo hic ſunt annotanda. Alterum, aſſerere Trullench *lib.* 1. §. 4. *dub.* 2. hoc Bullæ priuilegio omnes indiſcriminatim frui poſſe; quia exceptio inferiùs poſita Religioſorũ, Sacerdotum, aliorumque non cadit ſupra hoc priuilegium, ſed ſupra immediatè ſequens edendi oua, & lacticinia in diebus Quadraſimalibus. Quid ergo ſentiam, commodiùs proferam *diſp. ſeq. n.* 23. Alterum, hoc priuilegio nullum poſſe frui extra regna ditionis Hiſpanæ, pro quibus conceſſa eſt Bulla Cruciatæ, & ſi enim ſumentes illam in prædictis regnis poſſint extra illa gaudere eius priuilegiis, vt diximus *diſp.* 3. *c.* 2. nihilominus expreſsè excipiuntur in Bulla, illis verbis, *& non extra illa*, tam priuilegium præfatum veſcendi carnibus, quàm priuilegium ſubſequens edẽdi oua, & lacticinia, vt conſtat ex contextu: etenim ſub eodem tenore, in eiſdemque locis vnum ac aliud conceditur, vnum, & aliud excipitur; quamvis ea verba non iterum repetantur in priuilegio ouorum, ac lacticiniorum, ſed

Digitized by Google

ſed tamen ipſe conceſſionis tenor, ac particula copulatiua inter vtrumque appoſita hoc manifeſte ſignificant.

14 Iu Bulla vulgari Hiſpana eiuſmodi exceptio non legitur; apponi tamen alicui videatur expediens, ne aliquis verbis Hiſpanæ Bullæ innixus extra regna prædicta exiſtens his priuilegiis fruatur, in quo duo ſunt inconuenientia; & ſcandalum, quod poteſt præſtare, cui fortaſsè attendit Pontifex in ea exceptione; & quod iudicetur, dari priuilegium, quod re vera non datur. Commiſſarius autem generalis, quamvis poſſit interpretari dubia occurrentia in Bulla, non verò addere priuilegia, aut contra expreſſam mentem Pontificis verba præfigere, vt conſtat ex Bulla Latina. Attamen, quia caſus non eſt valdè frequens; breuitati conſulens, eam exceptionem Commiſſarium omiſiſſe, cenſeo.

DISPVTATIO XVIII.

De priuilegio edendi oua, & lacticinia diebus Quadrageſima conceſſo per Bullam Cruciatæ.

Concedit Pontifex in Bulla omnibus ſuperius relatis, poſt priuilegiũ expoſitum veſcendi carnibus: *Ac pro eorum libito, ouis, & lacticiniis; ita quòd qui carnes non comederint, ſeruata in cæteris ieiunij Eccleſiaſtici forma, dicto ieiunio ſatisfeciſſe cenſeantur. Et ſub hoc indulto veſcendi carnibus, ouis, & lacticiniis, comprehenduntur omnes cuiuſvis militiæ Regulares. Patriarchis verò, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque inferioribus Prælatis, necnon aliis perſonis Regularibus, &, qui in Ordine presbyteratus fuerint, ſæcularibus, id minimè conceditur niſi ſexagenarij fuerint;* Quæ verba ſic tranſcribuntur in Bulla vulgari Hiſpana. *Y que anſi miſmo puedan libremente à ſu aluedrio comer hueuos, y coſas de leche; de manera que los que no comieren carne, guardando en lo demas la forma del ayuno Ecleſiaſtico, ayan cumplido, y ſatisfecho al dicho ayuno. Y en eſte indulto de comer hueuos, y coſas de leche à ſu aluedrio no ſe comprehenden los Patriarchas, Primados, Arzobiſpos, Obiſpos, ni otros Pralados inferiores, ni qualeſquier perſonas regulares, ni de los ſeglares los Clerigos presbyteros, en quanto à los dias de Quareſma tan ſolamente. Empero ſacanſe deſtos nombrados, los que fueren de ſeſenta años, y todos los Caualleros de las Ordenes Militares, que los vnos, y los otros podran comer hueuos, y coſas de leche à ſu aluedrio, y gozar del dicho indulto.*

CAPVT I.

Praua notabilia circa prohibitionem ouorum, & lacticiniorum in diebus ieiuniis.

1 NON aliter meliùs priuilegij valor penetratur, quàm præcognitis his, quæ abſque priuilegio licent, aut prohibentur; Ideò hæc præmittimus notabilia. Sciendum ergo eſt, in ieiuniis Quadrageſimæ interdictum eſſe lege Eccleſiaſtica vſum ouorum, & lacticiniorum. Ita conſtat ex ſexta Synodo Conſtantinopolitana, *can.* 56. *& ex capit. denique diſt.* 4. cuius ea verba à D. Gregorio ſcripta ſunt valdè trita: *Par autem eſt, vt nos, qui his diebus à carnibus animalium abſtinemus, ab omnibus quoque, quæ ſementinam trahunt originem carnis, ieiunemus, à lacte videlicèt, caſeo, & ouis.*

2 In cæteris anni ieiuniis iure communi permittuntur oua, & lacticinia; in aliquibus autem Prouinciis, aùt diœceſibus conſuetudo obtinuit, vt ab eis, aut à parte eorum abſtineatur; quare in eis, vrgente conſuetudine, quæ vim habet legis debet ab eis abſtineri Sic D.Th. 2.2.q.147.ar.8.ad 3. Durand. *in* 4. *diſt.* 15.q.9. Palud. Ricard. Angelus, Sylueſt. & alij apud P. Azor *tom.* 1. *inſtit. moral. lib.* 7. *c.* 10. Qui impugnat rectè Abbatem *in rubric. de obſeruat. ieiunior.* vbi innuit, iure communi vetitos eſſe hos cibos in prædictis diebus. Hinc, quando prohibetur eſus carnium; non intelliguntur prohibiti cibi præfati, qui earum originem ſementinam trahunt; quidquid dicat Couarruuias *lib.* 4. *variar. c.* 20. *n.* 15. Etenim Feriis ſextis, & Sabbatis vſus carnium eſt prohibitus, non verò ouorum, & lacticiniorum. Deindè in ieiuniis non Quadrageſimalibus non prohibetur, vt *nuper* dixi; nec ex eo quòd vetetur id, quod amplius eſt, nempè carnes, intelligitur vetitum id, quod minus eſt, ſcilicèt oua, & lacticinia, niſi exprimatur, quod in aliis prohibitionibus contingit, quando prima ſine ſecunda poteſt ſuum effectum ſortiri; *c. denique, diſt.* 4. *c. Presbyter, diſtinct.* 82.

3 Vnde omnes indiſcriminatim in ieiuniis non Quadrageſimalibus, ſiuè ſint ex præcepto, ſiue ex voto (ieiunia enim ex voto regulari debent iuxta ieiunia ex præcepto) poſſunt, vbi non eſt conſuetudo contraria, veſci ouis, & lacticiniis; itemque in Feriis ſextis, & Sabbatis: quin ad hoc exeant Bulla Cruciatæ; debentque de hoc fideles moneri, quorum non pauci ignorantia laborantes iudicãt, ſe peccare, cũ in eiuſmodi diebus abſq; Bulla edũt oua, & lacticinia. In diebus autem ieiunij Quadrageſimalibus, licèt quis non

 ieiunet,

Digitized by Google

ieiunet, quia vigſimum primum ætatis annum non compleuit, aut quia expleuit ſexageſimum, nequit abſque Bullæ priuilegio, aut ſimili, vel abſque neceſſitate oua, & lacticinia comedere; ſicut enim etiam non ieiunantibus carnes tunc interdicuntur, pariter lacticinia, & oua vetantur.

4 Poſſunt verò oua, & lacticinia edere infantes, & amentes, vt potè legibus Eccleſiaſticis non obſtricti; item qui carnes manducare poſſunt in diebus ieiuniorum, de quibus *diſputat. præcedenti*, poſſunt etiam & oua, ac lacticinia; non aliter ac diebus non prohibitis poſſunt cæteri omnes carnes, & oua edere. Rursùs, qui laborat aliqua neceſſitate, quæ ſit certa, aut practicè probabilis, ratione cuius piſces ei noceant, poterit ouis, ac lacticiniis veſci abſque priuilegio. Et quotieſcumque ad edenda oua facultas eſt, etiam ad lacticinia dari cenſetur ob connexionem, qua vtrumque pariter permittitur, aut prohibetur. Excipe, ſi in aliqua Prouincia aut diœceſi conſuetudo eſſet, vt in diebus ieiuniorum non Quadrageſimalibus non ea omnia ſimul, ſed aliqua prohiberentur. Præterea cum eſt anceps dubium neceſſitatis comedendi oua, & lacticinia, poterit Epiſcopus, & in eius abſentia Vicarius, diſpenſare, vt comedantur, ſicut in ſimili aſſeruimus *diſput. præcedenti numer.* 4. Parochum verò tunc diſpenſare poſſe, non reperi, conſuetudine fuiſſe introductum; poterit autem, ſi alicubi ea conſuetudo vigeat. Hanc diſpenſationem poſſe concedere Superiores Societatis IESV ſuis ſubditis, diximus *eadem diſputat. numer.* 5.

5 De cantoribus tenet Ionnes Sancius *in Selectis diſp.* 44. *num.* 18. etiam ſi presbyteri ſint, poſſe veſci ouis in Quadrageſima, cauſa vocis conſeruandæ, nec adſtrictos eſſe ratione ieiunij ad exequendum diminutè ſuum munus, ſicque ait, fuiſſe in Hiſpana cōſultum; quod approbat Diana 1. *par. tract.* 9. *reſolut.* 11. extenditque hoc à Cantoribus Eccleſiarum ad Cantores in camæra Principis ad eius ſolatium concinentes. Quam opinionem iudico probabilem ex eo principio, quòd præcepta Eccleſiaſtica non obligant cum graui detrimento vitæ, ſanitatis, famæ, diuitiarum, & muneris proprij; vnde ſi muneri proprio, quo victitant Cantores, non ſint ſatisfacturi, piſces edendo, aut in poſterum id damnum timeant, poterunt oua, & lacticinia edere. Poſſunt etiam pauperes mendicantes, & omnes illi, quibus alius victus non ſuppetit. Imò in aliquibus Prouinciis, ſeu diœceſibus ob inopiam piſcium, vel alia ratione ſufficienti, in ipſis ieiuniis Quadrageſimalibus introductum eſt ex priuilegio, aut conſuetudine, vt omnes poſſint veſci lacticiniis vt in Principatu Aſturiarum in Hiſpania, & in parte Gallæciæ, in Britannia (& in Belgio, exceptis aliquibus diebus) vbi licet abſque Bulla eis vti.

CAPVT II.

Explicatur priuilegium Bullæ Cruciatæ circa eſum ouorum, & lacticiniorum.

6 HIs poſitis, Bulla concedit, vt ipſam habentes poſſint comedere oua, & lacticinia in diebus ieiunij, in quibus illorum eſus erat prohibitus, ſeruata tamen in cæteris forma ieiunij, cui quidem, etiam veſcendo ouis, & lacticiniis, ſatisfacient. Quo priuilegio frui nequeunt Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi alijque inferiores Prǽlati, nec clerici presbyteri; pro quibus denuò alia Bulla Lacticiniorum eſt expedita, quā *inferiùs* explanabimus: Nec item præfato priuilegio frui poſſunt vlli Regulares (exceptis Ordinum Militarium Regularibus de quibus *cap.* 4.) cuiuſuis ſexus. Poterunt verò eo frui quilibet Regulares ſexagenarij, & etiam Patriarchæ, alijque *ſuprà* excluſi, ſi ad ſexageſimum ætatis annum peruenerint. Quia tamen Bulla concedit facultatem edendi oua, & lacticinia in diebus Quadrageſimalibus, etiamque in aliis ieiuniis intra annum occurrentibus, ſi conſuetudine, aut præcepto alicubi eorum vſus ſit prohibitus; poterunt virtute huius Bullæ tam Regulares, quàm cæteri nuper excepti edere oua, ac lacticinia in his ieiunij diebus, nam ſolùm ad dies Quadrageſimales eis denegatur priuilegium.

7 Nomine Prælatorum inferiorum, *qui ſuprà* excipiuntur, intelliguntur, quicumque Eccleſiaſticum iuriſdictionem habent. Clerici, qui presbyteri non ſunt, etiam ſi Ordine Sacro Subdiaconatus, & Diaconatus ſint initiati, prǽdicto priuilegio vti queunt, cum presbyteri dumtaxat excipiantur. Cardinales S. R. E. ſi presbyteri, aut Regulares non ſint, non excipiūtur ab eo priuilegio, quia in odioſis nomine Prælatorum non comprehenduntur, vt tenent Rodriguez *in Bul. in addit. ad* §. 6. *n.* 9. Trullench *in Bul. lib.* 1. §. 4 *dub.* 4. Imò cenſeo Cardinales, etiam ſi Regulares, aut presbyteri ſint, non excipi in præſenti, ſed poſſe gaudere hoc Bullæ priuilegio: Primò, quia in odioſis non comprehenduntur Cardinales, niſi exprimantur, hic autem non exprimuntur. Secundò, quia ipſa non expreſſio indicat, non comprehendi; alioquin non debuiſſent taceri, cum exprimantur alij Prælati, in dignitate inferiores. Tertiò, quia in Bulla Lacticiniorum pro Eccleſiaſticis, cum ſimile priuilegium veſcendi ouis concedatur Archiepiſcopis, &c. quibus in præſenti negatur,

Digitized by Google

negatur, non aſſeritur, concedi Cardinalibus;quod ſignum eſt,in præſenti illis non negari; alias, cum in ea Bulla concedatur aliis Prælatis, non eſt, cur deberet negari Cardinalibus illud priuilegium. Similiter nouitij non continentur in præſenti exceptione Regularium;nam iuxta communem in odioſis ſub nomine Regularium non veniunt; ſicut nec veniunt Eremitæ, nec fœminæ in beateriis viuentes, & quicumque alij vota non emiſerunt propriè Religionem conſtituentia; hi enim omnes non ſunt abſolutè Regulares.

8 Si quis non Sacerdos, nec Regularis, ſit electus dumtaxat Epiſcopus, poterit priuilegio præfato fungi, quia adhuc non eſt Prælatus, nec Epiſcopus verus. Si autem à Pontifice ſit confirmatus, etiam ſi nondum ſit presbyter, nec conſecratus, fungi nequibit,eoquòd iam ſit Prælatus iuriſdictione Eccleſiaſtica gaudens.Nequibit ſimiliter Epiſcopus conſecratus, etiam ſi presbyter non eſſet, quamvis Epiſcopatui renunciaret;quippè etiã poſt renuntiationem verus maneret Epiſcopus cum omnino poteſtate annexa dignitati Epiſcopali, ſecluſa tantùm iuriſdictione. At ſi quis non presbyter iam electus Epiſcopus, atque à Pontifice confirmatus, nondum verò conſecratus, Epiſcopatui renuntiaret, poſſet priuilegio edendi oua, ac lacticinia frui; quia non maneret Epiſcopus,cum non fuiſſet conſecratus.nec maneret Prælatus, cum iuriſdictioni renuntiaſſet; quæ quidem etiam ſemel habita ceſſare poteſt, licèt non poſſit dignitas Epiſcopalis per conſecrationem obtenta amitti.

9 Qui priuilegium ſpeciale habet ad edendum oua,& lacticinia,quamvis ſit Regularis.aut Sacerdos,accipiendo Bullam Cruciatæ,ea poterit edere, quia ea non edet virtute Bullæ;ſed illius ſpecialis priuilegij, cuius vſũ reddit expeditum Bulla, quæ omnia priuilegia derogat,ſi non ſumatur.ſi autem ſumatur, eamet reualidat. Sic Cruz *in Bul. d.* 1. *cap.* 5. *dub.*18.*n.*10. Præterea ſi priuilegium illud ſpeciale concedat, vt omnes commenſales habentis illud poſſint edere oua, ac lacticinia, hi quidem id poterunt, quamvis regulares, aut Sacerdotes ſint, nec Bullam Cruciatæ habeant;cum in eo priuilegio,ſupponamus, nullam eſſe exceptionem perſonarum, ſicut eſt in Bulla;& aliundè, vt reualidetur eiuſmodi priuilegium, ſufficiat habere Bullam illum, in cuius fauorem conceſſum eſt;commenſalibus enim non indulgetur id priuilegium, ſeu eſt priuilegium illius, cuius ſint commenſales, vt hi poſſint oua, ac lacticinia manducare. Hic nota, ex verbis priuilegij conſtare debere,an eo priuilegio frui poſſint illi, qui propriè ſunt commenſales, nempè in menſa habentis priuilegium veſcentis; an etiam, ſi in menſa ipſius non veſcantur, ſed in alia in qua & ipſe pariter manducet, præcisè quia in eius ſocietate, vel conſortio edunt, Lacticinia,& oua manducare queant: Etenim eſſe aliqua priuilegia huiuſmodi in Aragoniæ Regno, teſtatur Trullench *ſuprà dubitation. 6.*

10 Sexagenarij ſuperiùs in Bullæ priuilegio incluſi, reputandi ſunt, qui ſexageſimum ætatis annum attigerint, licèt nondum expleuerint; fauores quippè ſunt ampliandi; & dum non exprimitur, annum debere fore completum; ad inceptum extenditur indultum. Secùs eſt in odioſis: quare ad ieiunij obligationem ſubeundam, vigeſimus primus ætatis annus completus deſideratur; idemque eſt, ſi præceptum, aut priuilegium annum completum requirat. In præſenti autem ſolùm aſſeritur, *niſi ſexagenary fuerint*; & in Bulla vulgari: *los que fueren de ſeſenta años.*

11 Bulla Cruciatæ Luſitanorum (de qua egimus *diſp.* 3. *cap.* 1.) non excipit Regulares, nec presbyteros, nec vllum aliùm à priuilegio edendi oua, & lacticinia; quare ea poterunt edere non ſolùm in Luſitania, ſi eiuſmodi Bullam habeant, nunc à Pontifice conceſſam ſed etiam in quovis Hiſpaniæ loco, ad quem intra annum eius Bullæ accedant, in quolibet ieiunij die; nam illud eſt priuilegium perſonale, ideoque ſequitur perſonam. Ita Rodriguez *in addition. ad* §. 6. *numer.* 12. Trullench *vbi ſuprà.* Si verò accedant ad locum extra Hiſpaniæ regna, nequibunt oua, & lacticinia ibi edere,quia priuilegium hoc limitatur, vt proſit dumtaxat intra Regna Hiſpaniæ, in quibus Bulla vim habet,vt notaui *diſp. praecedenti n.* 13. Pro Luſitania verò, non dubium eſt quin ſpecialiter fuerit conceſſum prædictum priuilegium veſcendi ouis, & lacticiniis ſine exceptione; cum in re tanti momenti non potuerit ea exceptio in Bulla prædicta omitti, ſine ea Pontificis conceſſione.

12 Opus non eſt Bulla Cruciatæ ad vſum lardi,ſeu ſaginiminis, quo oua parentur, in locis,vbi conſuetudo id permittit, vt in Sicilia in Galæcia, & in Regno Peruano propter olei penuriam. Quare ſtandum eſt locorum conſuetudini; vt rectè docent P. Filiucius *tom.*2.*tr.*27.*part.* 2. *cap.*3. *num.*61. Rodrig.*in Bul.*§. 6.*num.*1. Cruz *in Bul.d.* 1.*c.* 5.*dub.* 16. Villalob. *tr.* 23. *dub.* 8. *num.*16. Trullench *in Bul.lib.* 1.§.4.*dub.* 3. P. Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 13. §. 11. Vnde non reperio ſolidum fundamentum, vt dicatur,abſolutè licere eum ſaginiminis vſum, à Syluestro *verbo ieiunium, q.*5. *num.*16. Hoſtienſ. Panormit. & aliis,

Digitized by Google

aliis, quos ſequuntur P. Azor *lib. 7. c. 10. q. 8.* Diana 1. *part. tract. 9. reſolut.* 21. vbi conſuetudinem affert; eſt ea conſuetudo, quamvis in Sicilia vigeat, non verò vbique, nec in noſtra Caſtella eam vidi vigere. Itaque in locis, in quibus non datur, non licet, etiam ſi Bulla Cruciatæ habeatur, in diebus quibus carnes ſunt prohibitæ, vſus lardi, aut ſaginis; quia eius vſus nec exprimitur in Bulla explicitè, nec implicitè in alio; cum oua, & lacticinia abſque ſagimine valeant parari; & quidem ſagimen per ſe magis pertinet, ad carnem, quàm oua, & lacticinia, indeque prohibitum eſt; ſicut prohibetur ius carnis, quia magis, quàm oua, ad carnem pertinet. Videndus Ego *in ſtatera opinionum benignarum diſſert. 8. n. 18.*

13 Non ſunt audiendi in præſenti Nauarrus *l. 3. de obſeruat. ieiun. conſil. 4.* Graffis *in deciſion. tom. 1. p. 1. lib. 2. c. 37. n. 60.* affirmantes, virtute Bullæ non poſſe edi oua, nec lacticinia in diebus ieiunij Iubilæi, aut ex voto, aut ex pœnitentia à Confeſſario iniuncta. Etenim in primis non requiritur in his omnibus caſibus ieiunium magis rigoroſum, quàm Quadrageſimale, hoc enim eſt ſtrictius cunctis; at in Quadrageſimali ieiunio poſſunt virtute Bullæ edi oua, & lacticinia (ſeruata exceptione ſuperiori) igitur & in ieiuniis præfatis. Et ſic tenent Vega *in ſum. tom. 1. cap. 14. caſu 31, part. 2. q. 13. ſ. 3. num. 151.* Villalob. *tract. 27. clauſula 6. num. 5.* Rodrig. *in Bull. §. 6. num. 3.* P. Filiucius *tom. 2. tract. 27. cap. 3. num. 59.* & plures, quos afferunt, & ſectantur P. Thom. Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 4. cap. 11. num. 49.* Diana 1. *p. tr. 8. reſol. 17. & tract. 11. reſolut. 3.*

14 Deindè extra Quadrageſimam poſſunt edi oua, & lacticinia à quibuſlibet perſonis etiam ſine Bulla (vbi non eſt conſuetudo contraria, de quo egimus *capit. 1.*) Vt docent P. Thom. Sanchez *vbi nuper. c. 11. num. 50.* Ioannes. Sancius *in ſelect. d. 4. n. 19.* & alij; & ad implendam, obligationem ieiunij ex voto, pœnitentia, aut Iubilæo, dum aliud expreſsè non voueatur, aut præcipiatur, ſufficit ieiunium Eccleſiaſticum, ſeu more Eccleſiaſtico ſeruatum; hoc quippè nomine ieiunij intelligitur; ergò, ſi tunc temporis ieiunium Eccleſiaſticum adimpletur, ouis, & lacticiniis vtendo ſine Bulla, similiter abſque illa prædictis ieiunandi obligationibus ſatisfiet.

15 Hinc cum Trullench, & aliis cenſeo aduerſus P. Thom. Sanchez *in ſum. lib. 4. c. 11.* eum, qui vouit ieiunare in Quadrageſima, aut ei à Confeſſario fuit iniunctum, vt in Quadrageſima ieiunaret, ſi abſque Bulla, vel neceſſitate oua, vel lacticinia edat, non ſolùm peccare contra præceptum non edendi illa, ſed contra votum, aut præceptum Confeſſoris; quia votum, & præceptum Confeſſoris non eſt ieiunij vtcumque ſed ieiunij Quadrageſimalis, prout id temporis in Eccleſia ſeruatur; vnde non ſatisfit voto, aut pœnitentiæ Sacramentali, ſi aliter ieiunetur, ſeu ſi abſque Bulla, vel priuilegio alio, vel neceſſitate oua, & lacticinia edantur.

CAPVT III.

An Regulares Ordinum Militarium poſſint virtute Bullæ Cruciatæ veſci ouis, & lacticiniis in Quadrageſimalibus diebus?

16 Ratio dubitandi eſt, quia in Bulla Latina aſſeritur: *Et ſub hoc indulto veſcendi carnibus, & ouis, & lacticiniis comprehenduntur omnes cuiuſvis militiæ Regulares.* In Bulla verò Hiſpana ſolùm aſſeritur: *Y todos los Caualleros de las Ordenes Militares.* Nomine autem Equitum militiarum non intelliguntur in communi loquendi modo cæteri earumdem militiarum Regulares. Sed hoc non obſtante, cenſeo, poſſe, virtute Bullæ omnes Regulares vtriuſque ſexus Ordinum Militarium ouis, & lacticiniis veſci in Quadrageſimalibus diebus. Probatur ex verbis relatis Bullæ Latinæ, quæ clariſſima ſunt, dum enim aſſerit, hos omnes Regulares poſſe frui illo priuilegio, nullum Regularem excipit; atque vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; maximè cum de Equitibus Militaribus, non adeò extra litem ſit, an ſint Regulares, ſicut extra dubium eſt, cæteros Militares eſſe Regulares, & ſaltem hi ſtrictiùs hoc nomine gaudent. Videndus Ego *tom. de Ordinib. Militarib. ſæpè.*

17 Id ita ſenſit Baſilius Legionenſis cum aliis Magiſtris Salmanticenſibus, conſultus ab ipſis Regularibus, qui eo priuilegio Bullæ ſe gaudere, non dubitant, ideóque oua, & lacticinia diebus prædictis edunt: Quod vtrumque mihi teſtatus eſt Don Alfonſus de Viuero Collegij Calatrauenſis Salmantini Rector, & in Academia hac, ſcientiarum matre, Canonici Iuris moderator eximius, poſtque cauſarum Fidei Quæſitor, virtute, litteris, & eruditione præclarus; de cuius fide dubitare, non licet.

18 Nec obſtat illa verſio Hiſpana; primò, quia per ampliationem poteſt illa vox *Caualleros* ad omnes Regulares Militiarum extendi, ſicque contigiſſe in præſenti, mihi perſuadeo; cum Commiſſarius non potuerit aliter vertere verba Latina indubia. Secundò, quia Commiſſarius, & ſi habeat facultatem interpretandi verba Bullæ Pontificiæ, hoc

Digitized by Google

hoc tamen præſtare debet, *non mutata ſubſtantia*; vt in ipſa Bulla Latina aſſeritur; mutaret autem ſubſtantiam, ſi vocem *Regulares* ad ſolos Equites reſtringeret. Nec ſatisfaciet, qui dicat, Commiſſarium habuiſſe poteſtatem à Pontifice mutandi, & reſtringendi, ſicque debere præſumi. Etenim, ſi eam habuit poteſtatem, debuit illam exprimere, & oſtendere; nam, quæ facti ſunt, non præſumuntur, & iuriſdictio delegata non præſumitur; *capit. dum in iure, de officio delegati*; Menochius *lib. 2. de præſumption. quæſt. 15. n. 4. & lib. 6. quæſt. 14.*

19 Nec obſtat ſecundò, non eſſe eamdem rationem de Regularibus Militiarum, ac de Equitibus; nam illi ſunt ſtrictè Religioſi: hi verò ad militandum pro fide ſunt inſtituti, nec adeò obſequiis diuinis ſunt mancipati; atque adeò conuenientiùs fuit, his indultum concedi, quàm illis, vt potè ſeueriori diſciplinæ ſubiectis. Hoc, inquam, non obſtat, quia verba clara Bullæ Latinæ dubitationem omnem eneruant; & cum potuerit Pontifex indultum veſcendi ouis, ac lacticiniis Religioſis Militaribus indulgere, non eſt, cur negetur indulſiſſe. Da enim Pontificis mentem fuiſſe, præfatum indultum ad eos Religioſos extendere; per quæ alia verba poterat eam mentem exprimere, niſi per poſita in Bulla Latina? Imò ex obiectione eruitur confirmatio; nam ſicut Equites non ſunt adeò ſeueræ diſciplinæ addicti, ac Religioſi Militares; ita nec hi tam ſeuerum inſtitutum profitentur, ac alij Religioſi non Militares; vnde licèt ab indulto edendi oua, & lacticinia Religioſi non militares excipiantur, eo quòd par ſit, ieiuniis ſtrictioribus macerari, non tamen eſt par ratio, vt Religioſi Militares ab eo indulto excipiantur.

20 Dubitabitur tamen, an Regulares Ordinum Militarium, ſi ſint Sacerdotes, poſſint diebus Quadrageſimalibus edere oua, ac lacticinia? Poſſe, videtur ſenſiſſe Baſilium Legionenſem conſultum ab ipſis Regularibus, nam hi; etiam ſi Sacerdotes ſint, de facto vtuntur priuilegio Bullæ veſcendi ouis, & lacticiniis. Et conſequenter debet aſſeri, ſiuè Regulares, ſiue Equites militares Eccleſiaſticos, quamvis ſint Epiſcopi, aut Prælati, poſſe præfato priuilegio frui; quia eodem modo loquitur Bulla de Sacerdotibus, ac Prælatis in exceptione. Hæc reſolutio fundari poteſt, tum in fauore, quem in præſenti Pontifex Religioſis Militaribus præſtat, quia ampliari, & non reſtringi debet, dum expreſſa reſtrictio non ſtat, tum in verbis Bullæ Hiſpanæ, in qua poſt illa verba: *Y en eſte indulto de comer hueuos, y coſas de leche à ſu aluedrio, no ſe comprehenden los Patriarcas, Primados, Arçobiſpos, Obiſpos, ni otros Prelados inferiores, ni qualeſquier perſonas Regulares, ni de los Seglares los Clerigos preſbyteros*, &c. additur ſtatim. *Empero ſacanſe deſtos nombrados, los que fueren de ſeſenta años, y todos los Caualleros de las Ordenes Militares, que los vnos, y los otros podran comer hueuos*, &c. Ecce ex illis, qui ſuperiùs erant appoſiti, Epiſcopi, Sacerdotes, Prælati, & Regulares, quibus non conceditur priuilegium edendi oua, ac lacticinia, excipiuntur ſexagenarij, & Equites Militares, quibus id priuilegium conceditur; igitur ſiuè hi ſint Sacerdotes, ſiuè Epiſcopi, aut Prælati, poterunt eiuſmodi priuilegio fungi. Confirmatur; eodem pacto excipiuntur ſexagenarij, ac Equites Militiarum; ſed ſexagenarij, etiam ſi ſint Sacerdotes, Epiſcopi, aut Prælati, poſſunt virtute Bullæ communis edere oua, & lacticinia in Quadrageſimalibus diebus, ergo ſimiliter Equites Militiarum. Vndè vlteriùs: nomine Equitum Militiarum intelligi omnes Religioſos Militares, iam poſuimus; igitur & hi poterunt veſci ouis, ac lacticiniis, quantumvis ſint Sacerdotes, Epiſcopi, aut Prælati.

21 Non hæſitarem hanc ſequi reſolutionem, ſi idem contextus verborum eſſet in Bulla Latina, ac in vulgari; at longè diuerſus eſt, & eadem vi ex Bulla Latina contrarium probatur; cum autem potiùs Latinæ, quàm vulgari ſtandum ſit oppoſitam ſententiam quoad aliqua iudico veram. Etenim in Bulla Latina, poſtquam abſolutè conceditur ſumentibus Bullam Cruciatæ indultum veſcendi ouis, & lacticiniis in diebus Quadrageſimalibus, adiungitur: *Et ſub hoc indulto veſcendi carnibus, ouis, & lacticiniis comprehenduntur omnes cuiuſvis militiæ Regulares*, & immediatè poſt additur, *Patriarchis verò, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque inferioribus Prælatis, necnon aliis perſonis Regularibus, & qui in ordine Presbyteratus fuerint ſæcularibus, id minimè conceditur, niſi ſexagenarij fuerint.* Ex quibus verbis colligitur, Religioſos militares etiam Sacerdotes, poſſe frui priuilegio edendi oua, & lacticinia; cum ſolùm ſæcularibus Sacerdotibus id denegetur. Colligitur præterea confirmatio doctrinæ initio capitis traditæ de omnibus Religioſis Militaribus valentibus virtute Bullæ veſci ouis, ac lacticiniis; nam id denegatur *aliis perſonis Regularibus*, quæ vox *aliis* contrapoſitionem ſonat ad aliquos Regulares, quibus non denegatur, aliàs dici deberet, *omnibus perſonis Regularibus.*

22 Cæterùm ſi Regulares, aut Equites Militarium Ordinum ſint Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, aut Prælati, nequeunt prædicto

Digitized by Google

prædicto priuilegio fungi, nam his abſolutè denegatur immediatè poſt conceſſionem factam Regularibus Militiarum, eſtque quaſi exceptio cadens ſupra omnes perſonas, quibus antecedenter fuerat conceſſum priuilegium edendi oua, ac lacticinia; nec eſt fundamentum, vt aſſeratur, negari eiuſmodi priuilegium Patriarchis, & cæteris Prælatis, dum tamen non ſint Regulares Ordinum Militarium.

23 Ex verbis poſitis Bullæ Latinæ colligitur, his ipſis, quibus denegatur priuilegium edendi oua, & lacticinia, denegari indultum veſcendi carnibus in diebus prohibitis de conſilio vtriuſque medici, in caſibus, quos expoſuimus *diſp. præcedenti.* Etenim eiſdem verbis manifeſtis vtrumque illis denegatur Quare minus rectè tenet oppoſitum Trullench *in Bull. lib.* 1. § 4. *dub.* 2. Mouetur, quia in Bulla Hiſpana aſſeritur. *Y en eſte indulto de comer hueuos, y coſas de leche à ſu aluedrio no ſe comprehenden los Patriarcas*, &c. vbi nulla fit mentio de eſu carnium, & cum Commiſſarius habeat poteſtatem declarandi dubia Bullæ Latinæ, id ita declaraſſe, eſt cenſendum, fideſque adhibenda Hiſpano tranſſumpto. Contenditque diſparitatem rationis præſtare, cur indultum veſcendi ouis, & lacticiniis reſtringatur, ſecùs priuilegium veſcendi carnibus. Sed hæc falſo fundamento innituntur; ſcilicèt eſſe dubium in Bulla Latina, an priuilegium prædictum edendi carnes denegetur Patriarchis, & reliquis; etenim denegatio adeò clara eſt, vt conſtat ex verbis allatis Bullæ Latinæ, vt de ea hæſitari nequeat, neque aliud conuinci ex Bulla Hiſpana, conſtat ex poſitis *num.* 18.

CAPVT IV.

Qui ſint dies Quadrageſimales?

24 Tota quæſtio ad id vertitur, an Dominicæ Quadrageſimæ ſint dies quadrageſimales? Etenim de diebus cæteris lis nulla eſt: illud autem hic conamur explorare, an in dictis Dominicis oua, & lacticinia edi valeant? Triplex eſt ſententia. Prima tenet, eas Dominicas eſſe dies Quadrageſimales, ita vt Sacerdotes, & Regulares virtute huius Bullæ communis nequeant in eis veſci ouis, & lacticiniis, & conſequenter nec laici poſſint illis veſci, ſi Bullam non habeant. Ita Ortiz *in ſum. cap.* 19. *num.* 8. Rodriguez *in Bull.* §. 6. *num.* 8. Sanctius *in ſelectis diſp.* 51. *num.* 25. P. Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 13. *num.* 10. Vega *in ſum. tom.* 1. *cap.* 14. *caſu* 29. citans pro ſe Angles. & Lopez. Sed immeritò citatur Angles, qui potiùs eſt pro tertia ſententia extremè oppoſita.

25 Secunda ſententia docet, virtute huius Bullæ communis quoſlibet ſiuè ſæculares, ſiue Sacerdotes, & Regulares, poſſe edere oua, & lacticinia in diebus Dominicis Quadrageſimæ. Suppontque hæc ſententia, iure communi non poſſe edi, poſſe verò virtute Bullæ, quæ excipit Prælatos, Sacerdotes, & Regulares à priuilegio edendi illa in ieiuniis præciſè Quadrageſimalibus, non verò in diebus Quadrageſimæ, in quibus ieiunium non eſt, cuiuſmodi ſunt Dominicæ. Sic Nuñus *in* 3. *part. tom.* 2. *tract. de Bull.* §. 8. *dub.* 5. Fernand. *in exam. Theolog. mor. part.* 3. *cap.* 9. §. 5. *n.* 5. Llamas *in ſum. part.* 3. *c.* 5. Trullench *lib.* 1. §. 4. *dub.* 7. citans alios. Probabilemque hanc opinionem cenſent Villalobos *tr.* 27. *clauſ.* 6. *num.* 11. Ludouic. à Cruce *in Bull. d.* 1. *c.* 5. *dub.* 18. *num.* 5. Dian. *tom.* 1. *tract.* 11. *reſolut.* 5.

26 Tertia ſententia tuetur, etiam abſque Bulla poſſe quoſvis ſæculares, & non ſæculares veſci ouis, & lacticiniis in Dominicis Quadrageſimæ. Ita Antonius Gomez *ad clauſul.* 7. *Bullæ num.* 7. Llamas *vbi nuper* §. 26. Angles *in ſumm.* 4. *titul. de ieiun. quæſt.* 9. *diffic.* 6. Et aliqui, quos refert Cordoua *in ſumm. quæſt.* 168. *pag.* 419. Quam eſſe opinionem doctorum virorum affirmat Rodriguez *in Bull.* §. 6. *num.* 8. A fortiori pro illa eſt iuxta ſuam mentem P. Fagundez, qui *in quarto præcepto Eccleſiæ, cap.* 2. aſſeruit, ex ſe non eſſe peccatum mortale edere oua, & lacticinia etiam in ieiuniis Quadrageſimæ, eò quod non extet præceptum in iure communi ſub mortali ad hoc obligans. Etenim ſolùm afferuntur verba deſumpta *ex cap. denique, diſt.* 4. *Par autem eſt vt quibus diebus à carne animalium abſtinemus, ab omnibus quoque, quæ ſementinam carnis*, &c. Vbi non extat clarè præceptum, ſed ex æquitate conſilium. Nec tamen negauit P. Fagundez, ex conſuetudine legitimè præſcripta eſſe prohibitum edere oua, & lacticinia in ieiuniis Quadrageſimalibus, ſed iure communi aſſeruit non extare prohibitionem. Cui tamen in hoc non aſſentio; eſtò namque non pateat in prædictis verbis valdè clarè præceptum, communis tamen Doctorum aſſenſus illud indè depromit. De quo videndus ſum Ego *in ſtatera opinionum benignarum, diſſert.* 8. *ex n.* 11.

27 Non tamen rectè Trullench, *vbi ſuprà*, ſupponit, eſſe communem Theologorum ſententiam, iure communi eſſe vetitum eſum ouorum, & lacticiniorum in Dominicis Quadrageſimæ; tum quia ex tertia ſententia apparet, non paucos contrarium ſenſiſſe, cum docuerint, abſque priuilegio poſſe in illis edi oua, & lacticinia; tum quia aliqui viri doctiſſimi Regulares permittebant

Digitized by Google

permittebant olim, aut approbabant (quod mihi conſtat) in ſuis Cœnobiis edi oua, & lacticinia à Religioſis abſque Bulla Cruciatæ in Dominicis Quadrageſimæ; quod quidem ceſſauit ob dubia emanantia à quadam Commiſſarij Cruciatæ declaratione, de qua ſtatim; tum demùm, quia hic Author fundatur in verbis *ſuprà* relatis illius *capitis denique diſtinct.* 4. in quibus ſanè de diebus ieiunij ſermo eſt, & non de quibuſvis, ſed de Quadrageſimalibus; alioquin pariter poſſet ex illis inferri, non poſſe edi oua, & lacticinia in diebus Veneris per totum annum, in quibus à carne animalium abſtinemus; aut ſaltem in Vigiliis per annum, & Quatuor temporibus, in quibus & abſtinemus a carnibus, & ieiunamus; in his autem ieiuniis non eſſe prohibitum eſum ouorum, & lacticiniorum, diximus, *n.* 2.

28 Notauerim in præſenti, ſententiam P. Fagundez relatam *num.* 26. fuiſſe damnatam per edictum Sanctæ Inquiſitionis anno 1617. poſteà verò audito Authore, eiuſque rationibus, à viris Hiſpaniæ doctiſſimis ſubſcriptis, attentè perſpectis, ab ipſis Fidei Quæſitoribus, illud decretum damnans eam doctrinam eſſe reuocatam; hancque in ſua probabilitate relictam. Poſt primum edictum, & ante ſecundum decretum Baſilius Legionenſis explicationem Bullæ in Salmanticenſi Academia docens, vocauit *c.* 5. *n.* 11. & 12. doctrinam P. Fagundez temerariam, & periculoſam. Quæ cenſura omnino debet emendari, nequaquamque ſuſtineri, vtpotè extremè oppoſita declarationi Sanctæ Inquiſitionis, quæ prædictam doctrinam in ſua probabilitate relinquit, nec quid reperit in ea periculi, aut temeritatis, quod damnet, aut emendet.

29 Vt autem ad quæſtionem redeamus cenſeo: tertiam ſententiam eſſe veritati magis conformem, ſtando verbis Bullæ. Quippè in Bulla Latina, poſtquam conceſſum eſt priuilegium ad edenda oua, & lacticinia *temporibus ieiuniorum, etiam Quadrageſimalibus*, ab hoc priuilegio excipiuntur Prælati, Presbyteri, & Regulares; at priuilegium dumtaxat conceditur ad dies ieiuniorum; ergo, quia in diebus non ieiunij nullo opus eſt priuilegio; huiuſmodi autem ſunt Dominicæ Quadrageſimæ, igitur in eis abſque priuilegio, aut Bulla omnes indiſcriminatim poſſunt edere oua, & lacticinia; cum in illis diebus non ieiunij nulla ſit in iure communi prohibitio, vt *ſuprà* dicebamus.

30 Aduerſantis ſententiæ fundamentum eſt; quia in Bulla Hiſpana excipiuntur Prælati, Presbyteri, & Regulares à priuilegio veſcendi ouis, ac lacticiniis, *en quanto à los dias de Quareſma*; dies autem Quadrageſimæ ſunt Dominicæ. Quod inde confirmatur, quia olim aſſerebatur in ea Bulla, prædictos excipi à priuilegio præfato in ieiuniis Quadrageſimæ; poſteaque fuit emendatum à Commiſſario, qui de hoc Pontificem conſuluit, & appoſuit loco ieiuniorum Quadrageſimæ, dies Quadrageſimæ; quæ vox ampliùs extenditur. Vlteriùs confirmo; quia idem declaraſſe Pontificem in Bulla ſpeciali, & in ea ſtatuiſſe Dominicas Quadrageſimæ cum cæteris diebus eiuſdem Quadrageſimæ fore annumerandas quoad abſtinentiam ab ouis, & lacticiniis, teſtatus eſt mihi vir doctus, & grauis, qui Bullam legiſſe affirmauit.

31 Sed ſiſtemus verbis vtriuſque Bullæ, Latinæ, & Hiſpanæ, ſententia poſita nón incongruè intendit, pro eodem ſumi in Bulla Hiſpana dies Quadrageſimales, ac ieiunia Quadrageſimalia; quæ acceptio conformis eſt iuri, in quo Dominicæ Quadrageſimæ non comprehenduntur ſub diebus Quadrageſimæ, iuxta *cap. Quadrageſima de conſecrat. diſt.* 5. Deindè, vt ſæpè monuimus, ſubſtantia verborum Bullæ Latinæ mutari nequit à Commiſſario, eſtò poſſit declarari, ſi dubia ſit; nôn autem eſt dubia in hoc puncto, vt ex verbis allatis patet. Nec ſufficere, ita declaraſſe Pontificem conſultum, ſi authenticè non conſtet de ea declaratione, docent Trullench, Diana, & alij; nôn autem ſic conſtare. Si ergo de illo certò conſtiterit, omnino ei erit ſtandum; ſicut & conſuetudini, ſi contraria detur legitimè præſcripta. De quo vide, quid ego in hac ſecunda editione addam, *inferiùs in tractatu appendic. diſp.* 5. *ex num.* 32. & 37.

DISPVTATIO XIX.

De Indulgentiis, & participatione bonorum operum conceſſa in Bulla Cruciatæ ieiunantibus, & orantibus.

Proſequitur ſic Bulla Latina. *Item erogantes prædicti, qui diebus ieiunio non ſuppoſitis, ad implorandum diuinum auxilium, pro vnione, & victoria prædictis, voluntarium ieiunium, vel ſi ieiunare legitimè impediti fuerint, aliud opus pium, arbitrio eorum Confeſſoris, vel Parochi, aſſumpſerint, & ſimul preces ad Deum pro vnione, & victoria prædictis fuderint, toties, quoties id fecerint dicto anno durante, quindecim annos, & totidem quadragenas de iniunctis, & quomodolibet debitis pænitentiis, miſericorditer in Domino relaxentur, & inſuper omnium precum, eleemoſynarum, peregrinationum,*

etiam Hieroſolymitanæ, & aliorum bonorum operum, quæ in vniuerſali Militanti Eccleſia, & ſingulis eius membris fiunt, participes reddantur. Bulla Hiſpana ſic vertit. *Iten los ſuſodichos, que no fueren, niembiaren, ſi contribuyeren, y ayudaren de ſus bienes, y demas de la dicha cõtribucion ayunaren voluntariamente por deuocion, en dias que no fueren de præcepto, è hizieren oracion implorando la ayuda de Dios, por la vitoria contra Infieles, y ſu gracia por la vnion, y confederacion de los Principes Chriſtianos; y ſi no pudieren ayunar por algun legitimo impedimento, hizieren otra obra pia à arbitrio de ſu Confeſſor, ò de ſu Cura, todas quantas vezes lo hizieren, durante el dicho año ſe les conceden, y relaxan miſericordioſamente quinze años, y quinze quarantenas de perdon de las penitencias à ellos impueſtas, y en qualquiera manera debidas, y que ſean participantes de todas las oraciones, limoſnas, peregrinaciones, y tambien de las de Ieruſalem, y de todas las demas buenas obras que en la vniuerſal Igleſia Militante, y en cada vno de ſus miembros ſe haze.*

CAPVT I.

De operibus præſtandis ad obtinendam hanc participationem bonorum operum, & indulgentiam in hac Bulla clauſula conceſſam.

1 OMNIBVS illis, quibus aſſeruimus *in ſuperioribus*, prodeſſe priuilegia, & gratias Bullæ Cruciatæ, conceditur in præſenti clauſula indulgentia quædam partialis, bonorumque operum à fidelibus factorum participatio, ſi tamen ieiunent diebus, quibus aliàs ieiunare non tenentur: vel ieiunare impotentes aliud opus pium arbitrio Parochi proprij, aut Confeſſarij exequantur, ſimulque preces ad Deum fundant pro his, quæ in relata clauſula exprimuntur.

2 Ieiunium in præſenti requiſitum debet eſſe nulla ex obligatione debitum, ſcilicèt nec ex voto, aut iuramento, nec ex præcepto, nec ex pœnitentia in pœnitentiæ Sacramento iniuncta. Debet autem ieiunium eſſe eo modo, & obſeruantia; quæ tunc in Eccleſiæ ieiuniis obſeruatur; Exempli gratia, ſi quis intra annum die aliquo ieiunet, etiam ſi ſit Sacerdos, aut Regularis, poterit oua, ac lacticinia edere, vt potè quibus in ieiuniis intra annum, edi licet. Ex hac conditione, ieiunij aliàs indebiti infertur, eum, qui vouiſſet toto anno ieiunare, non poſſe hanc lucrari indulgentiam ieiunando, quia iam ex voto tenebatur ad ieiunium, poſſet autem ei commutari ieiunium, ſicut ei, qui ieiunare non poteſt ob impedimentum legitimum, in aliud opus pium, vt hanc indulgentiam obtineret; nam in ordine ad hanc, ſi ex voto tenetur ieiunare, legitimum impedimentum habet, ad non ponendum ieiunium non debitum, cum debeat illud aliunde ponere; nec peioris debet eſſe conditionis hic vouens, quàm æger, aut alius excuſatus à ieiunio, vt non poſſit ei, ſicut his, aliud opus iniungi loco ieiunij.

3 Tamen ex voto ieiunantem poſſe eo cum ieiunio lucrari hanc indulgentiam, tuentur Cruz *in Bull. d.1. c.8. dub. 11. num.4.* Trullench *in Bull. l.1. §.5. dub.5.* Mouentur, quia ieiunans non debet eſſe peioris conditionis, quàm cæteri, ex eo quòd ex voto ieiunet. Sed contra, quia, ſi loco ieiunij, vt diximus, aliud opus pium ei iniungatur, non erit peioris conditionis. Deindè id per accidens contingit, vt ſæpè in aliis notaui; etenim Pontifex expreſsè non vult, vt hanc indulgentiam lucretur cum operibus aliàs debitis. Inſtant; quando aliqua indulgentia conceditur ieiunantibus v.g. in Sabbatho, obtineri poteſt ab his, qui eo die ex voto ieiunant, ergo pariter in præſenti. Reſpondeo, ſi in ea indulgentiæ conceſſione, expreſsè aſſeratur, vt in Bulla noſtra aſſeritur, non obtinendam fore eam indulgentiam cum ieiunio alias debito, minimè obtinebitur; ſed ſi non exprimatur, quid tenendum ſit, aſſeram *infra cap.2. num.14.* Certum eſt, aliquando obtineri; vt in Iubilæis duarum hebdomadum, in quibus tria ieiunia exigi ſolent, etiam ſi aliàs ſint vigiliæ dies illi, in quibus ieiunatur, ſatisfiet Iubilæo, vt eſt valdè commune apud Authores, & praxis fidelium manifeſtat. Confirmatur; nullus dicet, poſſe hanc indulgentiam obtineri ab habente ſupra viginti vnum annos in ieiuniis Quadrageſimæ, ad quæ ex præcepto tenetur, cum contrarium expreſsè à Pontifice declaretur; ergo nec poterit obtineri mediis ieiuniis, ad quæ ex voto tenetur, eadem enim eſt vtrobique ratio. Hic nota, eos, qui ratione ætatis adhuc ad ieiunia non tenentur, monendos eſſe, vt applicent ieiunia, quæ in Quadrageſima communiter voluntariè ſuſcipiunt ad finem obtinendi hanc indulgentiam, & bonorum operum participationem, ſimul orando, vt in præſenti clauſula exigitur; idemque præſtare poſſunt in vigiliis anni decurſu occurrentibus, ipſique, & cæteri omnes, qui ex deuotione ieiunant aliquibus hebdomadæ, aut anni diebus, ſunt admonendi, ne bonum hoc animæ prætermittant, cum nihil, niſi orationem breuem, opus ſit, ſuperaddere.

4 Obtinetur hæc indulgentia, vt expreſsè in clauſula poſita pronuntiatur, toties quoties oratio, & ieiunium apponitur; oratio autem

Digitized by Google

autem eodem die ieiunij eſt fundenda; collectiuè enim, ac ſimul vtrumque medium fore exequendum, verba Pontificis indicant; alias namque non eſſet, cur non obtineretur indulgentia hæc, quantumcumque differretur oratio, quod abſurdum videtur; dilata enim nimium illa, non eſſet inter ea media vlla connexio in odine ad finem intentum. Si verò loco ieiunij aliud opus pium fiat, vel ſimul cum illo, ſi ita fieri poteſt, vel immediatè moraliter poſt illud debebit oratio connecti ob eamdem rationem. Ieiunium autem, requiſitum ad lucrandam ſemel indulgentiam hanc eſt vnicum; id enim oſtendunt ea verba *voluntarium ieiunium*; alioqui, cum nec in Bulla Latina; nec in Hiſpana, in qua vertitur; *ayunaren voluntariamente*; dies ieiunij determinentur, incerta eſſent ieiunia ad hunc finem præſtanda. Et quidem, quoties aſſeritur, aliquid ei concedi, qui tale opus præſtiterit, intelligitur, opus ſemel fore præſtandum, niſi exprimatur, ſæpiùs eſſe exequendum.

5 Legitimo impedimento excuſatis à ieiunio poteſt hoc in aliud pium opus commutari. Qui autem ſint excuſati eiuſmodi, conſtat *ex diſp.* 13. *cap.* 1. Qui enim excuſantur à ieiunio ex præcepto, de quibus *ibi* egimus, & in præſenti excuſati debent iudicari. Pium verò opus debet eſſe moraliter æquale ieiunio, cum hic ſolùm concedatur commutatio, non diſpenſatio in illo. Pia cæterum opera cenſentur, orationum recitatio, eleemoſynæ elargitio, obſequens in xenodochio famulitium, viſitatio Eccleſiæ, aliaque huiuſmodi. Commutatio tamen fieri debet arbitrio Parochi, aut Confeſſoris cuiuſvis approbati, non quidem neceſſariò intra forum Pœnitentiæ, hoc enim non exigitur, quare extra illud fieri poteſt hæc commutatio, ſicut & commutatio votorum. Neque poteſt quis erga ſe ipſum hanc commutationem facere, cum arbitrio alterius id Pontifex committat. Atamen dicerem, poſſe quem ſuummet ieiunium commutare in opus pium, quando hoc opus eſſet euidenter melius, ſeu in eiſdem caſibus, in quibus poteſt ſuummet votum commutare, iuxta Authorum doctrinam *in tract. de voto*; nam eadem eſt de vtroque ratio, imò minus periculi adeſt in commutatione ieiunij, quam voti; in ea enim non exponitur quis niſi periculo non lucrandi bonum ſpirituale, in hac verò, ſi recta non ſit, periculo peccandi exponitur. Nihilominus hanc commutationem erga ſe ipſos non debent exequi, niſi viri litterati, & prudentes, qui calleant operum valorem, & arduitatem, vt inter ſe comparata euadant ſaltem euidenter æqualia, aut melius vnum opus, quàm aliud.

6 Oratio fundenda pro vnione Principum Chriſtianorum, aliiſque finibus *ſuprà* in Bullæ clauſula præſcriptis, non opus eſt, vt eos exprimat; ſufficiet namque ſi orans eos implicitè ſibi præfigat, ſeu orationem applicet pro intentione Pontificis in hac conceſſione, ſeu pro eo, quod in Bulla præſcribitur (idem dicito, quoties exigitur ad obtinendam aliquam indulgentiam oratio pro hoc, aut illo fine à Deo impetrando.) Etenim ſic ſufficienter ſatisfit Pontificis animo, dum has orationes iniungit, atque ad ſcopum intentum parum refert, quòd ſigillatim ab orante exprimatur id, quod à Deo poſcitur. Et ſanè fœminæ communiter, & viri rudes non facile poſſent illud exprimere. Oratio verò præfata, non opus eſt, vt in Eccleſia fiat, ſat erit in quocumque loco; non enim ad Eccleſiam reſtringit Pontifex orationem perficiendam, nec nos reſtringere debemus, maximè cum in quolibet loco poſſimus ad Deum animum eleuare; & licet Eccleſia locus ſit orationi deputatus, non tamen vt locus vnicus, ſed vt locus, in quo vnicè orationes, ſeu Eccleſiaſtica miniſteria ſunt peragenda.

CAPVT II.

Quænam, & quota oratio requiratur ad lucrandam hanc indulgentiam, & participationem bonorum operum?

7 Reſolutio in præſenti ſtatuenda pariter locum habet in oratione, quæ exigitur in Bulla noſtra ad obtinendam indulgentiam viſitando Eccleſias, aut altaria, & quoties ea oratio ad alias indulgentias præſcribitur. Indubitatum eſt, per orationem vocalem ſatisfieri huic requiſito in indulgentiis huiuſmodi appoſito. Dubium tamen eſt, an ſufficiat oratio mentalis? Non ſufficere, tuentur Nauar. *de indulgent. notab.* 22. *numer.* 3. Rodriguez *in Bul. in additionibus ad.* §. 7. *n.* 2. Villalobos *tract.* 27. *clauſul.* 7. Sufficere tamen defendit Trullench *in Bul. l.* 1. §. 5. *dub.* 2. *numer.* 5. & §. 6. *dub.* 2. *numer.* 7. Cæterùm Cruz *in Bul. d.* 1. *cap.* 8. *dub.* 11. *num.* 2. ait, ad obtinendam hanc indulgentiam præſentis clauſulæ Bullæ, ſufficere orationem mentalem; & poſtea *dub.* 13. affirmat, eam non ſufficere, ſed requiri vocalem, ad indulgentiã ſtationum lucrandam. In quo inconſequenter philoſophatur; nec enim eſt de vno maior ratio, quam de alio, cum etiam poſſit oratio mentalis haberi in Eccleſiis, ſeu altaribus, quæ viſitantur, & Pontifex non loquatur diuerſo modo de hoc, atque de illo.

8 Aſſentio ſententiæ affirmanti, ſufficere orationem mentalem, nec requiri neceſſariò vocalem. Probatur; Poteſt Pontifex

concedere indulgentias exigendo pro conditione aliquem actum internum, ſeu mentalem; & quia in hoc nulla oſtenditur repugnantia, vt illicò conſtabit, & quia de facto concedit aliquas eis, qui conſcientias ſuas examinant, qui actum contritionis eliciunt, qui nomen ſacrum *Ieſus* corde inuocant; quas recenſere, eſſet prolixum, & reperire, erit cuilibet peruium; Aliundè in præſenti non exprimitur, orationem debere eſſe vocalem; oratioque ſtat tam pro mentali; quàm pro vocali, & ea ſaltem æquè fructuoſa eſt, ac hæc; igitur non ſola oratio vocalis, ſed etiam mentalis ſufficit ad huiuſmodi indulgentias lucrandas.

9 Dicunt, Pontificem non poſſe imperare actum internum. In primis inſto in exemplis *nuper* allatis. Deindè reſpondeo, non imperari à Pontifice actum internum, ſed pro conditione ad indulgentiæ conſecutionem apponi; quod longe diuerſum eſt, nam quod imperatur, debet executioni mandari, ita vt, ſi non mandetur, maneat inobediens iudicio externo, pœnæque obnoxius, & quia occulta non poſſunt iudicio externo ſubeſſe, ideò occulta interna ratione ſui imperari non poſſunt. Attamen queunt ipſa pro conditione voluntaria apponi, quam ſi quis non exequatur, nulli iudicio, aut pœnæ maneat obnoxius, ſed indulgentiam non lucretur. Replicant; Eccleſiam, & Paſtores eſſe ſenſibiles, ac viſibiles, ideóque debere actus ſenſibiles imperare. Inſto ſimiliter in *ſuprà* allatis exemplis; & reſpondeo, nullam in præſenti exerceri iuriſdictionem à Pontifice in actus internos, atque adeò non debere ſenſibilem orationem eſſe; ſed dumtaxat pro conditione apponi; poſſe autem orationem non ſenſibilem iniungi pro conditione, liquet ex dictis.

10 Vrgent: hæc oratio apponitur loco ſatisfactionis Sacramentalis, ſed hæc ſatisfactio eſt exterior, ergo debet eſſe exterior, ſeu vocalis oratio. Reſpondeo, etiam opera interna eſſe ſatisfactoria; cuilibet namque operi bono, ſiuè interno, ſiuè externo annexa eſt ſatisfactio, quæ ſequitur operis meritum, hocque in communi ſententia Theologorum adæquatè in actu interno reperitur, licèt non defuerint, qui inadæquatum meritum operi externo tribuerint, vt P. Ripalda *tom. 1 de ent. ſupernatur. d. 68. ſect. 5*. Itaque opera interna eſſe ſatisfactoria, docent cum pluribus P. Henriquez *lib. 2. de pœnit. cap. 19.* Trullench, *vbi ſuprà*. Deindè aio, non opus eſſe, vt in omnibus æqualitas ſeruetur inter ſatiſfactionem Sacramentalem, & hanc orationem; nam conſtat, hanc orationem eſſe opus exiguum, ſatisfactio verò pro pluribus, ingentibuſque peccatis deberet eſſe ardua, valdeque pœnalis; vnde ſicut in hac ſubſtantia proportio æqualitatis non attenditur, ita nec in modo debet attendi. Quare æqualitas, & æquiualentia in eo eſt ſita, vt ſicut per ſatiſfactionem Sacramentalem pœna debita pro peccatis totaliter, aut partialiter foret remittenda, ita per hanc orationem cum ceteris requiſitis ea pœna remittatur.

11 Dicat aliquis, poſſe hinc deduci, recitando mentaliter Horas Canonicas, ſatisfaciendum eſſe Eccleſiaſtico præcepto. Nego deductionem; quia de recitatione Horarum extat præceptum à poteſtate Eccleſiaſtica ſuam exercente iuriſdictionem impoſitum, quod præceptum nequit eſſe de actu, ſeu recitatione merè interna. Præterea in hoc diſtinguitur oratio priuata, qualis ad indulgentiam obtinendam exigitur, ab oratione publica, qualis eſt, per ſe loquendo, Officij diuini recitatio (idem eſt de recitatione Officij parui B. Mariæ,) quòd oratio publica fit ab Eccleſia, & nomine Eccleſiæ per ſuos miniſtros, non verò ipſorum nomine, & cum Eccleſia non iudicet de occultis, nec queat determinatos conceptus, & affectus internos præſcribere, ideò hi ſub præcepto Eccleſiæ non cadunt, & verba, formáque externa orandi neceſſario ab Eccleſia præſcribitur. Secùs omnino in oratione priuata contingit, vnde nulla ab illa ad hanc orationem, aut è contra paritas quoad hoc ſubſiſtit.

12 Cæterùm quota, vel quanta debeat eſſe oratio vocalis, ſeu mentalis, eſt dubium, de quo nihil apud Authores reperio, niſi apud Trullench *vbi ſuprà* aſſerentem, ad obtinendas indulgentias Stationum, ſat eſſe, ſi in quavis Eccleſia, aut altari ex viſitandis recitetur ſemel oratio Dominica cum ſalutatione Angelica; quia hæc recitans verè fundit ad Deum preces, & in Bulla ſolùm aſſeritur; *Preceſque ad Deum fuderit*. Sed equidem huius Authoris ratio æquè probet, ſufficere diuiſim, vel orationem Dominicam ſolam recitare, vel ſolam Angelicam; nam eam recitans verè ad Deum preces fundit, ſatisfacietque Bullæ, tam in indulgentiis Stationum, quam in hac, de qua in præſenti clauſula eſt mentio, in qua ſolùm requiritur, vt ſemel preces fundantur. Non penitùs improbo hanc opinionem; ſed nihilominùs cenſeo, adeò eſſe exiguam illam orationem, vt pro nihilo poſſit reputari, ideóque in aliqua maiori quantitate fore fundendam, quod cuiuſque deuotioni eſt relinquendum. Hortarer tamen, vt in ſingulis altaribus quiſque recitet ſaltem bis Orationem Dominicam, ſimulque bis Salutationem Angelicam, idemque pro vna vice præſtaret ad obtinendam hanc indulgentiam præſentem. Quòd ſi mentaliter oraret, tandiu in

ea

Digitized by Google

ea perſeueraret oratione, quandiu in recitatione vocali prædicta eſſet duraturus, ita vt tempus vtriuſque euadat æquale; non enim video, quæ alia regula fixa poſſit ſtatui.

13 Dubitari poteſt in præſenti, an ſi quis ex voto, aut alio ex capite teneatur altaria viſitare, vel aliquas preces fundere, per eamdem orationem queat, hanc indulgentiam, aliaſvè lucrari? Negatiuè reſpondeo. Quippè mens Pontificis eſt, vt aliquid voluntarium peragatur, & aliundè non obligatorium. Nec obſtat, hoc non expreſſum ab eo fuiſſe, ſicut in ieiunio fuit expreſſum; Etenim hoc omiſit, tum quia frequentius eſt, teneri aliquem ad ieiunium, quàm ad orationem, cum præter alias obligationes accidentales, per ſe extent præcepta de pluribus ieiuniis, quare hoc debuit potiùs præcaueri in expreſſione, quàm illud, ne quis exiſtimaret, ſe poſſe hanc indulgentiam lucrari per eademmet ieiunia, ad quę ex pręcepto tenetur, tùm quia, licèt quis ad orationem ex voto teneatur, communiter tamen ex alio fine, quàm ex pręſcripto in præſenti; nam in his indulgentiis Oratio exigitur pro victoria contra Infideles, &c. Cui requiſito non ſatisfaceret, qui viſitaret Altaria, aut oraret propter alium finem. Demùm quia acceſſorium ſequitur naturam principalis, vt fert commune proloquium; in præſenti autem indulgentia ieiunium, vt potè magis laborioſum, & arduum, poteſt reputari opus magis principale, & oratio, quaſi minùs principale, & acceſſorium vtpotè minùs difficile (ad quod in his debet præcipuè attendi), vnde, ſi ieiunium debet omnino ſpontaneum, & indebitum, pariter debet eſſe oratio.

14 Hinc, dum aliud à Pontifice non exprimitur, ſemper opera non obligatoria ab illo exigi, fore iudicandum, ad lucrandas indulgentias, docent D. Bonauent. *in* 4. *diſt.* 20. *art.* 2. *quæſt.* 4. Rodriguez *in Bul.* §. 7. *n.* 1. *&* 3. Sed oppones, in iubilæo duarum hebdomadum obtinetur indulgentia mediis ieiuniis alias debitis, vt aſſerui *n.* 3. & ſic affirmant Cordoua, Sotus, Cruz, & alij, quos congerit, & ſequitur P. Quintanadueñas *ſuper iubilæum duarum hebdomadum, cap.* 8. *numer.* 4. Et confirmatur, quia, ſi quis ex voto, aut ex pœnitentia iniuncta ieiunare certo die tenetur, etiam ſi ille dies ſit vigiliæ, vtriuſque obligationi per idem ieiunium ſatisfacit; de quo videri poteſt P. Fagundez *in* 2. *pracept. lib.* 9. *cap.* 4. *num.* 5.

15 Sed hoc reſolutioni noſtræ minimè refragatur; nam, cum hi iubilæi duas hebdomadas comprehendant, & in eis ſint determinati dies, quibus eſt ieiunandum, per accidens eſt, vt in illos dies incidant vigiliæ, nec debet differri Iubilæus, vt hebdomadæ expectentur, in quibus nulli ſint dies vigiliæ, præcipuè cum Pontifex optet, & præcipiat, vt in ſingulis vrbibus ſtatim publicetur, vbi primũ illius authentica conceſſio ad eas peruenerit, vt bonum adeò ingens animæ ocyſſimè obtineatur. Et quidem Pontifex inſpicit, ſæpè incidere vigilias in eos dies à ſe deſignatos, & Romæ in eiſdemmet diebus ieiunari, vt obtineatur Iubilæus, & conſentit; vnde clarè concedit, ſufficere eiuſmodi ieiunia. Secùs in noſtro caſu contingit. Ad confirmationem aſſero, per accidens eſſe, quòd vna in die concurrat ieiunium ex voto, & ex præcepto, aut pœnitentia; poſito autem concurſu, neceſſe eſt, vtrique obligationi ſatisfiat; non enim quis debet, aut poteſt amplius facere, quàm ieiunare eo die; nec votum, aut præceptum obligat, vt alio die ieiunet, cùm ſupponamus, eſſe votum ieiunij in die determinato, propter aliquam rationem in eo die militantem; abſoluto enim die, abſoluitur obligatio. Secùs eſſet, ſi quis voluiſſet in hebdomada ſemel ieiunare, non determinato die, tunc enim nequiret ieiunium ex præcepto applicare etiam voto, ſed alio die diuerſo ieiunare deberet intra illam hebdomadam; niſi eius animus, dum vouit, intendiſſet ſatisfacere voto per quodcumque ieiunium etiam ex præcepto adimpletum. Vnde nihil contra *ſuperiùs* dicta conuincitur.

16 Emanuel Rodriguez *vbi ſuprà* docet, caſu quo obligatus quis eſſet ex voto ad orationem, ſine vlla intentione, aut ſine appoſito, poſſe lucrari per eam orationem præſentem indulgentiam, dum apponeret intentionem requiſitam hic à Pontifice ad finem indulgentiæ; quia iam applicatio eſſet merè voluntaria. Sed contra primò, nam pariter poſſet dicere, ſufficere ieiunium, quod quis abſque vllo fine ſpeciali vouit, ad obtinendam hanc indulgentiam, dum tamen præfigeret applicationem merè voluntariam ob indulgentiæ finem. Si dicat, iam eſſe debitum abſolutè hoc ieiunium, & à Pontifice requiri ieiunium voluntarium; contra eſt, quia etiam illa oratio abſolutè eſt debita, & à Pontifice requiritur oratio voluntaria, vt aſſeruimus, & ipſe Author tuetur. Contra ſecundò, quia Pontificis ſcopus eſt, vt opus ſpontaneum peragatur, ſupra quod applicatio cadat; illud enim eſt, quod aliquem laborem, & arduitatem præſefert; nec, cùm exigit quid voluntarium, ſolam poterat applicationem exigere, nam hæc non aliter, quàm voluntariè fit; hanc ergo, & aliquid amplius voluntarium requirit. Hinc, cum exigit ieiunium voluntarium, etiam ſi applicatio illius debeat fieri propter finem indulgentiæ, non exprimit, debere eſſe voluntariam applicationem,

quia id ſupponit. Itaque debet quis ad prædictum finem opera applicare; non tamen opus eſt applicatione actuali, ſed ſufficiet habitualis, ſupponens actualem præteritam non retractatam; vel virtualis, aut implicita, quæ ſit volitio actualis alicuius connexi, aut ſupponentis, ſeu inducentis eam applicationem; Vt in pluribus aliis euentibus moralibus ſufficere, communiter docent Authores.

CAPVT III.

Quæ ſit indulgentia, & participatio bonorum operum conceſſa ieiunantibus, & orantibus?

17 EXequentibus opera adhuc expoſita conceditur in Bulla indulgentia quindecim annorum, & quindecim quadragenarum. Eſt autem quadragena numerus quadraginta dierum, vnde quindecim quadragenæ conficiunt ſexcentum dies. quid autem, & quomodo ſint intelligendi hi anni, hique dies indulgentiæ, explicauimus *diſputation. 6. capit.* 1. Vbi etiam expoſuimus, quid ſit *de pœnitentiis iniunctis*, quæ verba etiam huic indulgentiæ adiunguntur. Sed præterea hic additur, *& quomodolibet debitis pœnitentiis.* Vbi quid ſpeciale videtur concedi; nam *ea diſputat.* 6. diximus, has indulgentias partiales ſemper eſſe de pœnitentiis iniunctis, nempè ad ſatisfaciendum pro pœnis debitis pro culpis in Sacramento pœnitentiæ declaratis, pro quibus iam erat pœnitentia à Confeſſario deſignata. Quod quidem verum eſt per ſe loquendo, iuxta formulam communem concedendi indulgentias partiales, ſiuè addantur, ſiuè non addantur illa verba *de pœnitentiis iniunctis*; dum tamen non ſuperaddantur alia verba ampliantia effectum euiſmodi indulgentiarum, vt in præſenti ſuperadduntur. Nam hic, ne ſuperflua, & nullum effectum ſortita ea verba dicantur, *& quomodolibet debitis*, cum aliundè Pontifex id præſtare queat, aſſerendum eſt, per hanc indulgentiam remitti pœnas debitas pro peccatis remiſſis, etiam ſi non ſint adhuc in confeſſione declarata; vel ſi declarata ſint, & per pœnitentiam iniunctam non ſit ſatisfactum pro illis plenè, aliquaque adhuc pœna ſoluenda debeatur, hæc remittetur. Quod locum habet, quando pœnitentiæ iniunctæ iam fuerunt adimpletæ; vel cum non debentur ex pœnitentiis iniunctis totidem ſatisfactiones, quot ſunt quindecim anni, & ſexcenti dies indulgentiæ. Et quidem ſi hi anni, & dies non ſint de pœnitentiis iniunctis, ita intelligendi ſunt, vt remittatur per hanc indulgentiam tantum pœnæ, quantum remitteretur, ſi peccatis in confeſſione declaratis, quindecim anni, & ſexcenti dies iuxta Sacros Canones, pœnitentiæ debitæ pro illis iniungerentur, hæcque pœnitentia adimpleretur, quantum enim per eam eſſet relaxandum pœnæ debitæ pro culpis remiſſis, tantum per hanc indulgentiam relaxabitur; nec enim alius ſupereſt modus recenſendi eos annos,& dies. Videatur prædicta *diſputatio ſexta.*

18 Simul cum indulgentia præfata conceditur ieiunantibus, & orantibus modo ſuperiùs declarato, participatio omnium precum, eleemoſynarum, peregrinationum, etiam Hieroſolymitanæ, & aliorum bonorum operum, quæ in vniuerſali militanti Eccleſia,& ſingulis eius membris fiunt. Quæ gratia vt percipiatur,aliqua ſunt ſupponenda ex doctrina communi Theologorum. Supponendum eſt primò, in quocumque opere bono iuſti eſſe meritum de condigno gratiæ, & gloriæ correſpondentis; quod meritum ſoli ipſi prodeſt, nec poteſt alij applicari,nec ab ipſo operante,nec à Pontifice,aut quovis alio Prælato; præterea in eo opere eſſe meritum de congruo, ſeu impetrationem, ſi impetratio non ſumatur ſtrictè pro ſola vi mouendi Deum, quæ eſt in oratione; & demùm ſatisfactionem.Impetratio,ſeu meritum de congruo poteſt cæteris prodeſſe, etiam ſi in lethali exiſtant, impetrando illis à Deo auxilia,& motus pios,quibus doleant de peccatis, & in ſtatum gratiæ reducantur. Satisfactio etiam aliis prodeſſe poteſt, dum tamen ſint in gratia; quia ſatisfactio pœnam debitam pro culpis ſoluit, non autem pœna ſoluitur, aut remittitur, non remiſſo peccato.

19 Supponendum eſt ſecundò, operantem poſſe applicare alteri ſatisfactionem ſui boni operis: illeque alter ita ſatisfaciet pro pœnis à ſe debitis, ac ſi ipſe ſatisfactionem per opera propria offerret; nam ſatisfactio eſt quædam ſolutio debiti; debitum autem extinguitur per cuiuſcumque ſolutionem, dùm ſolutio à creditore acceptetur, ſicut hæc ſatisfactio, ſeu ſolutio à Deo acceptatur. Si verò operans nulli ſatisfactionem ſui operis applicet nec viuenti, nec defuncto (pro quo etiam applicare eam poteſt) tunc pro ſe ſatisfaciet; Quòd ſi nullas debeat pœnas pro ſuis culpis ſuſtinendas, ea ſatisfactio, vt ſuperabundans,in Eccleſiæ theſaurum aggregabitur.

20 Supponendum eſt tertiò, iuxta ea verba Symboli Apoſtolorum, *Sanctorum Communionem*, Fideles viuentes eſſe participes bonorum operum, quæ ab aliis iuſtis peraguntur:

raguntur: ſicut membra vnius corporis; nam ea communio, ſeu participatio in tribus ſita eſt, ſcilicèt in fide, in Sacramentis, & in bonis operibus, ita vt in merito de congruo, ſeu impetratione operum omnes ad inuicem participent; & ſi enim impetratio alicui ſpecialiter applicetur ab operante, tamen non eſt limitata, & nititur in liberalitate diuina, quæ intuitu bonorum operum ad omnes ſe extendit, licèt pro ſua pietate magis ſoleat indulgere ei, cui ſpecialiter applicatur; & ex ſe magis videtur eſſe mouendus ad indulgenda beneficia iuſtis, quàm peccatoribus; quia illi capaciores ſunt, & Dei amici.

21 Cæterùm non communicant iuſti in ſatisfactionibus aliorum, niſi ab his illæ ſpecialiter applicentur, vel à capite, qui eſt Pontifex, applicatio fiat; qui quidem applicare ſatisfactiones ſuperabundantes poteſt, cum hæ in theſaurum Eccleſiæ fuerint congeſtæ, cuius theſauri claues habet. Et licèt Pontifex poſſit etiam applicare ſatisfactiones non ſuperabundantes, eo quòd omnia bona fidelium ei, tanquam ſupremo capiti, ſubdita ſunt, dum ſint ſpiritualia, & ex ſe alteri applicabilia, has tamen, dum non exprimat, nunquam applicat; non enim congruum eſt (ſpeciali non exiſtente ratione) priuare quemquam propriis ſatisfactionibus, quibus ipſe indiget. Videatur Cruz *in Bul. d. 1. cap. 8. dubit. 15. numer. 16.* Trullench *in Bul. lib. 1. §. 5. dubit. 2. num. 5.* Iuſti autem in hoc diuerſificantur à peccatoribus, quòd hi incapaces ſunt, vt ſatisfactiones aliorum eis applicentur, illi verò capaces.

22 Itaque in ſatisfactionibus aliorum, niſi applicentur, nullus participat; ſicut nec in ſatisfactionibus Chriſti, niſi per diuerſa media applicatis. De participatione verò ſatisfactionum, media applicatione, & de aptitudine, ac capacitate proxima, quam iuſti habent, vt ipſis applicentur, & etiam, ſi mauis, de communione, ſeu participatione meriti congrui, ſiuè impetrationis bonorum operum, in qua omnes iuſti, & iniuſti communicant, intelligenda eſt communio Sanctorum poſita à Pio V. *in catechiſmo fol.* 124. Et etiam ſic exponenda ſunt ea verba Pſalmi 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te*; id eſt, bonorum operum, quæ timentes te exequuntur, vt explicant Patres aliqui; licèt P. Emanuel Sa ibi, explicet ex Chaldæo; *Particeps, ſocius; quaſi dicat vnus ex numero*; nempè timentium te.

23 His ſuppoſitis, clarè liquet, quid in præſenti clauſula à Pontifice concedatur; videlicèt quod exequentes præfixa opera pia, ſi iuſti ſint, participent non ſolùm meritum congruum, aut impetrationem bonorum operum, in qua communicant omnes fideles, vt vnius corporis membra; ſed etiam ſatisfactiones ſuperabundantes omnium bonorum operum, quæ à cunctis fidelibus iuſtis qui ſunt Eccleſiæ membra, in illam per ianuam baptiſmi ingreſſi, in toto terrarum orbe peraguntur; ſiuè ſint eleemoſynæ, ſiuè peregrinationes, etiam Hyeroſolimitana (quæ exprimitur, vt potè valdè meritoria, & ſatisfactoria; quaſi aſſerat Pontifex, omnium ſatisfactionum, etiam maximarum, participationem hanc à ſe concedi) vel quæuis alia opera; ita vt illæ ſatisfactiones ad theſaurum Eccleſiæ non adiungantur, ſed cum primò dantur, inter exequentes media prædicta diuidantur; ſi enim tunc nullus exequens adſit, in ſuſpenſo illæ non erunt, ſed theſauro aggregabuntur; & aggregatæ iam in præſenti non diſpenſantur. Quare exequens præfatum ieiunium, & orationem, particeps erit omnium ſatisfactionum ſuperabundantium, quæ poſt ea poſita media, contigerit eſſe, durante toto anno Bullæ, dummodò ipſe in gratia ſit, cum illæ ſatisfactiones dantur. Vndè ſi poſt ea adhibita media, quis incidat in lethale, particeps eorum non erit; ſi verò ad ſtatum gratiæ reſtituatur, dicerem, iterùm eſſe illarum participem; nam appoſitæ ſunt conditiones, nempè executionis mediorum, & ſtatus gratiæ; non autem eſt conditio, vt gratiam non amiſerit, ita vt, recuperata ea, non gaudeat rursùs eodem fauore, qui, cum ad annum integrum extendatur, quotieſcumque locus datur eius obtentioni, ſuffragari eis eſt cenſendus, qui in ſtatu gratiæ conditiones requiſitas appoſuerunt. Nec adeſt fundamentum in oppoſitum; fauoreſque latè ſunt interpretandi.

24 Doctrinam traditam de participatione ſuperabundantium ſatisfactionum, durante anno Bullæ, ſequuntur Trullench *vbi ſuprà*; Rodriguez *in Bul. §. 7. à n. 17.* Villalobos *tr. 27. clauſ. 7. num. 6. & tr. 26. diffic. 6.* Lopez *de Bul. cap. 7.* Hic nota, ſuprà notanter fuiſſe dictum, communionem hanc eſſe in ſatisfactionibus illorum, qui ſunt membra Eccleſiæ; quippè ſi ſint alij iuſti non adhuc baptizati, de eorum ſatisfactionibus nequit Pontifex diſponere, quia ipſi non ſubduntur. Nota præterea, poſſe duo contingere; alterum, exequentem media prædicta, præter indulgentiam ſupra expoſitam, nihil aliud obtinere, nec vllas ſatiſfactiones participare; ſi videlicèt nullæ ſint eo anno ſuperabundantes, ex eo, quòd quiſque eget illis ſibique applicat; vel quòd applicat aliis capacibus, & egentibus; alterum, ſi plures ſint ſatisfactiones ſuperabundantes, & pauci (vt contingit) vel vnus opera prædicta exequatur, omnibus illis ſatisfactionibus integrè

gaudebit, niſi aliam diſtributionem illarum Pontifex propter alia opera aliis impertierit.

25 Nota demùm, hanc conceſſionem participationis ſatisfactionum non eſſe largitionem indulgentiæ, cum non ſit diſpenſatio theſauri communis Eccleſiæ virtute clauium facta. Vndè ſuperiores Religionum, qui non habent poteſtatem ordinariam concedendi indulgentias, poſſunt concedere ſæcularibus participationem bonorum operum, quę à ſuis ſubditis fiunt,& ad hunc finem elargiri ſolent eis literas confraternitatis, vel cum vna Domo Religioſa, vel cum vna Prouincia, vel demùm cum toto Ordine; ita vt ſuperior nequeat eas litteras præbere, niſi ad participandum bona opera ſuorum ſubditorum. Videantur de his D. Thom. *in addition. ad 3. part. quæſt. 26. art. 1.* Sotus *in 4. diſt. 21. quæſt. 1. art. 4.* Nauarr. *de indulg. notab. 31. numer. 18.* Cruz, Rodriguez, Villalobos, Trullench *vbi ſuprà*, P. Henriquez *lib. 7. de indulg. c. 31. n. 5. & 6.* Vbi *in gloſſa à littera T.* plures citat Authores.

26 Superiores itaque Religionum non applicant ſatisfactiones ſuperabundantes, quę ſunt iam in theſauro Eccleſiæ, ſed quæ poſt illas litteràs datas Confraternitatis reſultauerint, quibus ille, cui datæ fuerunt, gaudebit, quotieſcumque in ſtatu gratiæ extiterit; etiam ſi gratia per peccatũm interrumpatur, quod nemo negabit, indeque valet confirmari, id quod *n. 21.* aſſeruimus. Rurſùs hæ ſatisfactiones applicatæ non liberant ab adimpletione pœnitentiarum, ſicut nec ſatisfactiones, quarũ participationem concedit in præſenti clauſula Pontifex. Quia ergo Religioſi ſubditi ſunt ſuo ſuperiori, & reſpectu illius ſe habent in ſuis operibus, ac ſi exprimerent; *ſatisfactiones meæ ſuperabundantes, quas alteri non applicamus, volumus ei applicari, cui ſuperior conceſſerit*; hinc poteſt ſuperior eas applicare. Et quamvis per Bullam Cruciatæ indulgentiæ, & indulta alia ſuſpendantur, tamen hæc poteſtas minimè ſuſpenditur, quæ conuenit ſuperioribus, quatenus tales ſunt, & vt diſpenſatoribus bonorum ſpiritualium, quæ ſunt in ſuo Ordine; ſicut non tollitur, aut ſuſpenditur poteſtas applicandi Miſſarum Sacrificia, quæ à ſuis ſubditis peraguntur, pro quocumque maluerint, vt de facto applicant.

27 Imò poteſt Religionis, aut Domus Superior imperare ſubditis, vt, etiam ſi indigeant pro ſe ſatisfactionibus propriis, pro alio offerant; vt in Miſſarum oblatione contingit. Eſt tamen valdè notandum diſcrimẽ inter opera, quæ ſunt ſatisfactoria ex opere operato, licèt operans non ſit in ſtatu gratiæ, vt eſt Miſſæ ſacrificium, & inter opera, quæ ſunt ſatisfactoria ex opere operantis, qui in ſtatu gratiæ eſſe debet; quòd prima non proſunt alteri, niſi ex libera voluntate offerentis, ſic enim fructum illorum Chriſtus conceſſit, quia miniſter nomine Chriſti ea offert, & applicat; ſicut Sacramentum Baptiſmi, & Pœnitentiæ nulli prodeſſe poteſt, ſine intentione miniſtri agentis nomine Chriſti. Hinc ſi Superior iuberet, vt Miſſæ à ſubditis pro aliqua perſona applicarentur, illique nollent applicare, ſanè Miſſarum fructus, ſeu ſatisfactio ei non prodeſſet. Subditus verò perperam ageret contra obedientiam, & fortaſſe contra iuſtitiam, caſu quo Miſſæ deberentur illi perſonæ, quia eleemoſynam pro illis præſtitiſſet; Vel fundatori, aut Patrono, pro quo deberent celebrari, eo quòd cum illo expreſſè, aut implicitè quaſi contractum eſſet, vt eæ Miſſæ pro ipſo offerrentur. Si verò ſubditus ſuam inobedientiam Superiori manifeſtaret, vt eas Miſſas ab aliis celebrari præciperet, iniuſtitiæ crimen non patraret.

28 Secunda autem opera, quæ ſunt ſatisfactoria ex opere operantis, poſſunt ab eodem Superiore applicari quoad ſatisfactiones, etiam inuitis ſubditis, eo quòd Superior voluntatis eorum ſit quaſi dominus. Dices, indè ſequi, poſſe ſuperiorem, inuitis ſubditis, omnes illorum ſatisfactiones etiam non ſuperabundantes, ſibi, vel alij applicare, eoſque priuare eo bono, ita vt ſemper pro ſuis culpis eamdem pœnam debeant, quantumvis plurima opera, & laborioſiſſima peregerint; quod ex ſe apparet abſurdum. In primis idem conficio argumentum reſpectu Pontificis, quem diximus poſſe applicare eas ſatisfactiones non ſuperabundantes, cui maluerit, vnde idem inconueniens valet inferri. Deinde reſpondeo, nec Pontificem, nec Superiorem eſſe dominum ita abſolutum ſatisfactionum, quas ſubditi præſtant, vt poſſint eas prodigere, aut ſine rationabili cauſa donare, cum eorum poteſtas non ſit in deſtructionem, ſed in ædificationem; ſed eſſe diſpenſatores fideles, atque adeò non niſi vrgenti cum ratione, poſſunt applicare eiuſmodi ſatisfactiones, priuando illis operantes ipſos. Non autem videtur practicè ratio adeſſe, ob quam omnes ſatisfactiones ab eis auferant, maximè vt ſibi applicent quòd ſi aliquando iuſta cauſa, & commune bonum id exigeret, poſſent eas applicare; quia bonum priuatum eſt communi poſtponendum, & irrationabiliter eſſet inuitus ſubditus, qui, inſtante cauſa, nollet ſuas ſatisfactiones alteri à Pontifice, aut à ſuperiore applicari.

DISPVT. XX.

Digitized by Google

DISPVTATIO XX.

De Indulgentiis ſtationum in Bulla Cruciatæ conceſſis.

Poſt clauſulam nuper expoſitam aſſeritur immediatè in Bulla Latina : : : *Item, qui, dicto anno durante, in ſingulis diebus ſtationum almæ Vrbis, quinque Eccleſias, ſeu altaria, ſeu in illorum defectum quinquies vnum altare deuotè viſitauerint, preceſque ad Deum pro vnione, & victoriâ prædictis fuderint, omnes & ſingulas indulgentias ſtationum intrà, & extra muros prædictæ vrbis, tàm per ſe, quàm per modum ſuffragij pro defunctis, pro quibus viſitauerint, conſequantur* : : : In Bulla autem Hiſpana aſſeritur : : : *Item concede, à los que en dias de Quareſma, y otros dias del año, en que ay eſtaciones de Roma, viſitaren cinco Igleſias, ò cinco Altares, y ſino huuiere cinco Igleſias, ò cinco Altares, cinco vezes vna Igleſia, ò vn Altar, y alli hizieren Oracion deuotamente por la vnion, y vitoria ſuſodicha, que ganen, y conſigan todas las indulgencias, y perdones, que ganan, y conſiguen, los que perſonalmente viſitaren las Igleſias de la Ciudad de Roma, y extra muros della, y como las ganarian, ſi perſonalmente viſitaſen las dichas Igleſias.*

CAPVT I.

Quanam Indulgentia viſitantibus Eccleſias, ſeu Altaria concedatur in Bulla Cruciatæ.

1 CConcedit Pontifex viſitantibus Eccleſias, ſeu Altaria, modo *inferiùs* exponendo, vt lucrentur indulgentias, quas lucrantur viſitantes Eccleſias Romæ in diebus ſtationum. Hinc primò declarandum venit, an hæ indulgentiæ ſint plenariæ, caſu quo in Eccleſiis almæ vrbis, aut extra muros illius plenariæ obtineantur; an ſolùm ſint partiales, etiam ſi in vrbe plenariæ ſint? Etenim non defuerunt graues Authores exiſtimantes, non concedi in præſenti vllam indulgentiam plenariam, ſed partialem dumtaxàt; & ſic intelligendum eſſe Pontificem, cum largitur indulgentias, quæ in Eccleſiis Vrbis obtinentur, vt ſolùm loquatur de non plenariis. Ita docuerunt P. Henriquez *lib. 7. de indulg. c. 10. num. 2.* P. Granados *in 3. p. controu. 12. tract. 6. diſputat. 2. num. 4.* Sorbo, & Ludouicus à Cruce relati, à Trullench *in expoſ. Bull. lib. 1. §. 6. dubitat. 1. numer. 5.* Corduba, Nauarrus, Leo, citati à Leandro de Sacramento, *tom. 1. de Sacramentis, tractat. 5. diſputat. 14. q. 172.* Contraria ſententia tuetur, quoties in Eccleſiis Vrbis, aut extra muros in diebus ſtationum indulgentia plenaria obtinetur, eandem obtinendam concedi in præſenti per Bullam, mediâ viſitatione Templorum, aut Altarium. Ita affirmant Ludouicus Lopez, Villalobos, Rodriguez, Garnica, quos affert, & ſequitur Diana *5. p. tract. 12. reſol. 2.* Trullench *vbi nuper*, Machado citatus, ac ſubſcriptus à Leandro ſuprà; Baſilius Legionenſis *in manuſcriptâ explicatione Bullæ cap. 5.*

2 Huic ſecundæ ſententiæ, vt veriori, & benigniori, adhæreo. Probatur primò. Per viſitationem Eccleſiarum, aut altarium obtinentur in diebus ſtationum omnes, & ſingulæ indulgentiæ, quæ illis diebus obtinentur Romæ, aut extra muros, in Eccleſiis, ad quas ſunt ſtationes; ſed aliquæ ſaltem ex illis, quæ in Eccleſiis Romæ obtinentur, ſunt plenariæ, ergo per viſitationem præfatam eæ indulgentiæ obtinentur. Conſequentia eſt legitima: Major eſt ipſa conceſſio facta in Bulla, huiuſque verba manifeſta: Minor etiam ab aduerſantibus conceditur; aliàs ceſſaret quæſtio præſens, ad quam ſupponitur, aliquas eſſe Romæ indulgentias plenarias ſtationum; ſi enim ibi non eſſent, quo fundamento poſſet hoc dubium excitari, cum in præſenti clauſula non concedantur à Pontifice, niſi indulgentiæ ſtationum Verbis; præterquam quòd euidens eſt, plures indulgentias ſtationum Romæ eſſe plenarias, vt conſtat ex ipſis conceſſionibus, earum publicatione omniumque perſpicuâ notitiâ. Iam igitur, ſi hæ non obtinerentur à viſitantibus Altaria, ſeu Eccleſias, poſt Bullæ Cruciatæ acceptionem falſa redderetur ea propoſitio Pontificis, ſcilicèt omnes, & ſingulas obtineri, cum non poſſet eſſe vera, ſi hæc particularis contradictoriè ei oppoſita eſſet vera, nempè. Aliqua ex illis indulgentiis ſtationum non obtinetur à viſitantibus Eccleſias, ſeu Altaria; ergo, cum falſa non ſit propoſitio Pontificis, reſtat, vt ſit falſa propoſitio particularis ei oppoſita; indéque ducitur apertè, obtineri per Bullam mediâ viſitatione Altarium indulgentias plenarias ſtationum, quæcumque Romæ obtinentur.

3 Confirmatur; nam diſpoſitio generalis generaliter eſt intelligenda, vt probant Tuſcus, Marius Alterius, Barboſa, & alij allati à P. Quintanaduefias *tom. 1. ſingularium, in appendic. tract. 6. dub. vltimo, n. 5.* vbi noſtram concluſionem tuetur; at diſpoſitio Pontificis eſt generalis, diſponitque generaliter, omnes indulgentias ſtationum obtineri, ergo nullas excludit, adeóque nec plenarias. Nec vllum eſt fundamentum, vt hæ dicantur excluſæ, vt *infrà* conſtabit.

4 Probatur

Digitized by Google

4 Probatur ſecundò concluſio ex eo, quòd Commiſſarius generalis ad calcem Bullæ vulgari idiomate confectæ, enumerat dies in quibus habens Bullam, & viſitans Eccleſias, ſeu altaria, poteſt obtinere indulgentiam plenariam, exprimendo, eſſe plenariam, quod ſanè non appoſuiſſet, niſi re optimè exploratâ, cum non debeant, nec poſſint, multiplicari indulgentiæ, quæ re ipſa conceſſæ non ſunt, in detrimentum animarum, & contra Tridentini, aliorumque Conciliorum Decreta. Accedit communis perſuaſio fidelium, & praxis, qua in diebus præſcriptis in Bulla Hiſpana ſolet in Eccleſiarum foribus appendi tabella, in eaque inſcribitur, eo die indulgentiam plenariam, viſitando Altaria, obtineri; nec hoc ab omnibus Prælatis, viriſque doctis non reclamantibus, nec reſiſtentibus ſuſtineretur, niſi eſſet conſtans, ac certum alias permitteretur & fideles falli, & plures, quàm ſunt conceſſæ, publicari indulgentias: quod neutiquam eſt afferendum.

5 Dicunt primò aduerſantes; in Bulla plumbea Latina non aſſeri, viſitantes Altaria, ſeu Eccleſias obtinere indulgentiam plenariam; at hæc dum non exprimitur, non obtinetur; & aliundè Bullæ Latinæ eſt omninò ſtandum; ergo prædicti non obtinent mediâ illâ viſitatione indulgentiam plenariam. Reſpondeo, in Bulla Latina aſſeri, præfatos viſitantes obtinere *omnes, & ſingulas indulgentias ſtationum*; quibus verbis ſufficienter exprimuntur plenariæ indulgentiæ ſtationum, quæ comprehenduntur ſub omnibus, vt ſingulare ſub vniuerſali; & ſanè qui totum dicit, nihil excludit; vnde cum omnes dicantur, plenariæ non excluduntur. Hinc & ſi ſtylus Curiæ iuxtà Cancellariæ regulas ſit, vt indulgentia conceſſa, quin aliquid ſuperaddatur, non ſit plenaria, eo quòd hæc expreſſè debeat apponi, tamen ſufficienter ei ſtylo, & regulæ ſatisfit per conceſſionem prædictam generalem; tunc enim opus eſt, ſuperaddere in conceſſione vocem *plenaria*, cum ſolùm conceditur aliqua, aut aliquæ indulgentiæ; non verò, cum omnes.

6 Dicunt ſecundò, in Bulla exprimitur, ſemel virtute ipſius in vita, ſemelque in articulo mortis obtineri indulgentiam plenariam; at hæc conceſſio alias indulgentias plenarias excludere videtur; tum quia ſi non excluderet, non aſſereret, ſemel in vita eam indulgentiam obtineri, ſed pluries in vita; toties nempè, quoties daretur in ſtationum diebus indulgentia plenaria, obtineretur; tum quia eſſet ingens multiplicatio tantæ indulgentiæ, quæ non adeò facilè conceditur à Pontificibus; igitur hæc non obtinetur per viſitationem præfatam Eccleſiarum, ſeu altarium. Reſpondeo, per expreſſionem indulgentiæ plenariæ ſemel in vita, ſemelque in articulo mortis conceſſam non excludi alias; conceſſio enim vnius per quoddam medium non eſt excluſio alterius per aliud medium. Rectéque appoſitum fuit, ſemel in vita obtineri eam indulgentiam, ſemelque in articulo mortis, quia non niſi ſemel ea obtinetur per illud medium acceptionis Bullæ, & applicationis per Confeſſarium faciendæ. At poſteà diuerſum opus iniungitur, nempè viſitatio Eccleſiarum, ſeu altarium; iterúmque conceditur medio hoc opere indulgentia, quæ erit plenaria, aut partialis iuxtà qualitatem indulgentiæ, quæ Romæ obtinetur in diebus ſtationum, & tam longè abeſt, vt excludatur plenaria indulgentia medio alio opere obtinenda, vt potiùs expreſſè includatur, cum aſſeritur à Pontifice, omnes, & ſingulas indulgentias ſtationum Romæ obtineri. Nec ideò, quia ingens eſt hæc conceſſio, proptereà debet negari, cum ea ſanè poſſit à Pontifice fieri, & factam fuiſſe, eius aperta verba demonſtrent, iuſtiſſimaque cauſa intercedit, quæ à nobis ſæpè eſt repetita; ſubſidium nempè belli contra Eccleſiæ hoſtes, animarumque bonum indè deuotioni, ac eleemoſynæ ſtudentium. Et quidem initio Eccleſiæ, primiſque ipſius ſæculis, non adeò frequenter indulgentiæ concedebantur, quia fideles majori æſtuabant feruore charitatis, quem in dies intepeſcentem, opus eſt, ſpiritualibus excitare ſubſidiis, quare non ſolùm per Bullam Cruciatæ, ſed per alia plura media plures nunc, quàm olim ſolebant, conceduntur indulgentiæ, quarum conceſſio non rectè ex antiqua conſuetudine impugnabitur; vnde nec conceſſio in Bulla Cruciatæ facta ex ea poteſt conſuetudine labefactari.

CAPVT II.

An poſſit applicari pro defunctis Indulgentia Stationum conceſſa viſitantibus Eccleſias, ſeu Altaria?

7 Illis diebus, quibus in Stationibus almæ Vrbis animam à Purgatorio liberari, conceditur, certum eſt, etiam liberari viſitando Eccleſias, ſeu Altaria. In Bulla autem Hiſpano confecta idiomate dies deſignantur, quibus anima liberetur: hi ſunt Dominica in Septuageſima; Feria tertia poſt Dominicam primam Quadrageſimæ, Sabbatum poſt Dominicam ſecundam; Dominica tertia, & quarta ipſius Quadrageſimæ, Feria ſexta, & Sabbatum poſt Dominicam Paſſionis, Feria quarta poſt Paſcha, ac demùm Feria quinta, &

& Sabbatum hebdomadæ Pentecoſtes. Sed adhuc tenendum eſt, quotieſcumque poteſt obtineri indulgentia viſitando altaria, poſſe applicari indulgentiam pro defunctis per modum ſuffragij. Conſtat ex verbis Bullæ Latinæ initio diſputationis præfixis, ibi, *tàm per ſe, quàm per modum ſuffragij pro defunctis.* Nec obeſt, hæc verba in Bulla Hiſpana non exprimi; tum quia, vt ſæpè diximus, Latinæ, ſeu plumbeæ in rebus manifeſtis eſt in primis ſtandum, tum quia id non negat Bulla Hiſpana, ſed dumtaxàt non expreſſe profert, ſicut & non profert alia, quæ in Bulla Latina extant, fortaſsè prolixitatis vitandæ cauſa.

8 Hoc verumtamen eſt diſcrimen inter hanc applicationem indulgentiæ pro defunctis, & liberationem animæ à Purgatorio in diebus *numer. præcedenti* computatis; quòd his diebus eâdem viſitatione altarium lucratur quis ſibi indulgentiam plenariam, & ſimul animam à pœnis Purgatorij liberat; quippè id ſignificatur in particula copulatiua, quam apponit Commiſſarius, dum dies ſtationum deſignat aſſerens, tali die, *indulgencia plenaria, y eſta dia ſe ſaca vna anima de Purgatorio*; quod ita contingere in Statione Vrbis, eſt credendum, aliàs non appoſuiſſet id Commiſſarius; & ita affirmant Rodriguez *in explicat. Bull.* §. 8. *num.* 16. Trullench *lib.* 1. §. 6. *dub.* 4. At cæteris diebus non poteſt quis eadem viſitatione indulgentiam ſibi obtinere, & animæ illam applicare, ſed alterutrum ex illis perficere valebit; nam verba relata Bullæ Latinæ diſiunctiuam conceſſionem ſonant, non enim ait Pontifex, poſſe quem viſitando altaria obtinere indulgentiam pro ſe, & pro defunctis, ſed tàm pro ſe, quàm pro illis, quod eſt diuerſum. Accipe exemplum, ſi dicat Pontifex: hæc indulgentia obtinebitur, tàm viſitando quinque Eccleſias, quàm ieiunando, nullus dicet, requiri viſitationem, & ieiunium ſimul, ſed vnum, vel alterum; ergo quia illæ particulæ, *tàm, quàm*, diſiuctionem, non coniunctionem ſignificant, non enim eſt fundamentum, vt aſſeratur, nunc copulatiuè, nunc diſiunctiuè fore accipiendas.

9 Iuxta doctrinam autem traditam *diſputat.* 6. *cap.* 5. cum quis poſſit toties quoties in die indulgentiam plenariam in Bulla conceſſam lucrari, & quaſvis alias indefinitè conceſſas, fit indè, poſſe quem his diebus, in quibus eadem viſitatione non valet ſibi, & animæ obtinere indulgentiam, ſemel viſitare Eccleſias, aut altaria pro ſe, & iterùm pro defunctis, & viſitationem repetere, quoties voluerit, pro ſe, vel pro illis. Ita tamen, vt ſi eo die ſit in ſtatione indulgentia plenaria, (vt eſt in omnibus diebus præſcriptis à Commiſſario) animam vnam liberet à Purgatorio, per ſingulas viſitationes altarium quinque, ei applicatas, cæteris concurrentibus circuſtantiis, ſi verò eo die in ſtatione ſolùm ſit indulgentia partialis, minuantur pœnæ eius animæ, pro qua viſitationem applicat, non verò ea libera omninò euadat, niſi pœnæ, quæ ei ſuſtinendæ reſtabant, non excedant pœnas, pro quibus in ea indulgentia ſatisfieri, conceditur.

10 Ipſis item diebus ſtationum, in quibus eâdem viſitatione obtinetur indulgentia à viſitante pro ſe, & pro defuncto, poterit ille indulgentiam, quam ſibi eſſet obtenturus, animæ Purgatorij applicare, atque adeò duas animas à pœnis extrahere, tum eam, pro qua conceditur indulgentia applicanda, etiam cùm ſibi viſitans applicat; tum aliam, cui applicat ſatiſfactionem, quà ſibi applicatà, liber ipſe maneret à debito pœnarum. Etenim Pontifex concedit, vt indulgentiæ ſtationum, quas ſibi quis poteſt obtinere, applicet defunctis; at poteſt in illis diebus, præter liberationem vnius animæ, ſibi obtinere plenariam indulgentiam, igitur poteſt hanc etiam alij animæ applicare. Cæterùm applicatio poteſt fieri pro pluribus defunctis, vel pro vno determinato, aut non determinando illum; vt *infrà* dicemus *diſp.* 36. *in expoſitione Bullæ defunctorum*; Et *ſuprà* attigimus *diſp.* 12. *c.* 2. *n.* 13. Rursùs, vt quis ſibi obtineat indulgentiam plenariam viſitando altaria, opus eſt, in ſtatu gratiæ exiſtere, vt *in ſuperioribus* aſſeruimus; ſecùs verò, vt applicet illam pro defunctis, ſeu animam à pœnis liberet Purgatorij, vt dicemus *ea diſp.* 36. & tenet cum pluribus Leander de Sacramento *tom.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 14. *q.* 177.

11 Inquires, an, ſi poſſit quis per aliud indultum viſitando altaria animam à Purgatorio liberare, queat vnâ, eâdemque viſitatione animam liberare ex vi illius indulti, & ſimul aliam ex vi Bullæ Cruciatæ, aut plures animas, ſi plura habeat indulta? Quæ quæſtio generaliùs excitari poteſt, an ſcilicèt vno & eodem opere poſſit quis indulgentias plures lucrari diuerſis viis conceſſas medio illo opere? aut, an habens plura grana benedicta, aut plures imagines, quarum ſingulis ſit conceſſa indulgentia, aut liberatio animæ Purgatorij, requirendo in omnibus illis idem opus, eandemvè orationem, queat recitans ſemel eam orationem, ſeu exequens illud opus, omnes illas indulgentias ſimul lucrari, vel totidem animas à Purgatorio eruere? Supponendo tamen, non eſſe plures indulgẽtias plenarias, eas de quibus ſit quæſtio; nam cum obtẽtâ vnicâ indulgentiâ plenariâ, nihil reſtet ſimul obtinendum, dum tempus non ſit diuerſum, perindè eſt, vnicam indulgentiam plenariam lucrari, ac plures; imò plures nequeũt obtineri

obtineri; aliàs non remitteretur per vnam, quidquid pœna poſſet eodem tempore per cæteras remitti, quod falſum eſt.

12 In hac quæſtione affirmant, poſſe per vnum opus plures obtineri indulgentias, Corduba *de indulg. quæſt.* 35. Fauſtus *de Iubilæo, lib.* 2. *quæſt.* 39. Hoſtienſis Graffis, Sanctarellus, P. Henriquez, P. Sa, & alij, quos refert Leander *ſupra quæſt.* 170. & ipſe iudicat id æquè probabile, ac oppoſitum; & apud ipſum Cardinalis Lugo hanc ſententiam dicit probabilem, ipſe verò ſectatur oppoſitam: Quæ ſanè communior eſt, & defenditur à P. Granado 3. *part. contro.* 12. *tr.* 6. *diſp.* 2. *n.* 8. Bonacina *diſp.* 6. *quæſt.* 1. *punct.* 5. *num.* 29. Villalobos. PP. Suario, Conınch, Philiuc. Layman, & aliis, quos refert, & ſequitur Diana 5. *part. tract.* 12. *reſolut.* 11. & afferuntur à Leandro *vbi nuper*, Qui ſolùm caſum excipiunt, in quo variæ indulgentiæ conceſſæ fuiſſent per modum vnius exequenti vnicum opus; vt cum viſitanti Eccleſiam vnam conceduntur omnes indulgentiæ conceſſæ viſitantibus plures, vel omnes Eccleſias.

13 Nullum equidem inconueniens eſt in eo, quòd quis intentionem habeat lucrandi indulgentias omnes, quæ conceſſæ ſunt medio illo opere, quod exequitur; imò expediens hoc erit, cùm forſan prima ſententia ſit vera, nullumque indè periculum oriatur. Nihilominùs ſecundam ſententiam iudico veram; eſt enim iuxta Pontificis mentem; qui ſanè, dum opus aliquod exigit, illud ad vnam indulgentiam reſtringit, quia excitare intendit per quamvis indulgentiæ conceſſionem fidelium deuotionem, vt piis operibus exerceatur, & ſanè diſtinctis iuxta diſtinctionem indulgentiarum; & aliundè cum cauſa conceſſionis indulgentiæ compleatur operibus exequendis ab obtenturo ipſam, neceſſum eſt, vt pro ſingulis indulgentiis, diſtincta opera, quæ cauſam adæquent, compleantur. Videturque adſurdum, vno opere tot obtineri indulgentias, cum hæ non adeò facilè, & abſque aliqua operatione fidelium concedi ſoleant: Nam pone, grano benedicto conceſſam eſſe liberationem animæ Purgatorij, quoties quis illud habens, audiat Miſſam, aut ſumat Euchariſtiam; habeat autem ille mile grana benedicta ex illis, cui non appareat incredibile, per vnam Miſſæ auditionem, aut ſumptionem Euchariſtiæ, mille animas eum à Purgatorio liberare? Aut cui non videretur hæc conceſſio nimia? Imò poteſt quis multò plura grana benedicta, aut imagiunculas habere, cum ad hoc non ſit opus, eas collo appenſas, brachio obuolutas, manu apprehenſas, aut corpori ligatas retinere, ſed ſufficiet, ita iuxta ipſum eas exiſtere, vt dici queat, moraliter illas habere, licèt nec videat, nec tangat vt docet P. Quintanaduenas *tom.* 1. *ſingular. Appendicis tract.* 9. *dub.* 6. *num.* 5. Nec item opus ſit, vt habeat ea grana, aut imagines vt proprias, ſed ſufficiat, habere commodatas; cum verbum *habere* non ſolùm dicatur de dominio, ſed etiam de poſſeſſione, & detentione, iuxta Iuris acceptionem, quam illuſtrat Rebuffus *in leg.* 143. *de verb. ſignif.* Iam igitur, ſi habenti granum benedictum, & exequenti aliquod opus ſit conceſſum, vt animam à Purgatorio liberet, vide, quanta multiplicatio ſequatur, habitis apud ſe propriis, vel commodatis innumeris granis, & imaginibus, ſi queat per vnum opus omnes indulgentias conceſſas variis viis, aut rebus lucrari. Itaque legitimus modus intelligendi hæc Pontificum requiſita, dum indulgentias concedunt, eſt, vt vnico opere requiſito non pluribus conceſſionibus, ſed vni dumtaxat ſatisfiat, & ſic, credo; primo intuitu quiſque rem apprehendit, & communis fidelium perſuaſio ſic id concipit.

14 Nec obſtat, quod ait Pater Henriquez, indulgentias non concedi in præiudicium alterius, nec eſſe odioſas, ſed beneficium Principis, quod non eſt reſtringendum, ideóque Pontificem concedere ſolitum eſſe plures indulgentias Regularibus pro eodem opere. Etenim reſpondeo, ampliandas ſanè eſſe indulgentias, quantum verborum proprietas, ſenſuſque genuinus patitur, & dum exindè abſurda non ſequantur; at iam oſtendimus *num. præcedenti*, nec id pati ſenſum germanum, mentemque Pontificis, nec ab abſurdis poſſe eiuſmodi latam interpretationem euacuari. Id, quod de Regularibus adducitur, fateor, eſſe verum, ſed abſque abſurdis, & abſque ſenſus improprietate; tum quia per vnum opus, vt *ſuprà* diximus, non niſi indulgentia plenaria vnica poteſt obtineri, quidquid in conceſſione ad maiorem ſecuritatem, oſtenſionemque animi fauentis Religioni aſſeratur, & aliundè non inferri poteſt ex conceſſionibus factis erga Regulares ea multiplicationis ſumma reſpectu animarum, quæ à Purgatorio liberentur, vt infertur ex opinione oppoſita, vt conſtabit perpendenti indulgentias Regularibus præſtitas; tum quia in eis expreſſè Pontifex eas omnes indulgentias concedit, medio illo opere, quod exigit, quod longè diuerſum eſt à noſtro caſu, in quo ſeorſim per ſingulas conceſſiones indulgentiarum exigit opus, quod per accidens eſt eiuſdem rationis in illis. Cumulus autem indulgentiarum quas Pontifices conceſſere Religionibus, & Societati noſtræ IESV, videri poteſt in ſummario earum, quod vnaquæque habet, & in

Compendio

Compendio priuilegiorum Societatis, *verbo indulgentia*, & inter alias plures, poterunt noſtri recitando ſex orationes Dominicas, & totidem ſalutationes Angelicas cum verſu *Gloria Patri* ad finem cuiuſlibet pro fœlici ſtatu Eccleſiæ, & pro intentione concedentis, quocumque loco, & hora, conſequi indulgentias Vrbis, Hieruſalem, Compoſtellæ, & quas conſequuntur viſitantes ſecunda die Auguſti Eccleſiam Sanctæ Mariæ Portiunculæ. Ita *ibi*. §. 3. Præterea dicentes in Eccleſia pſalmum *Miſerere* cum oratione pro Pontifice, lucrantur ſingulas, omneſque indulgentias, quæ ſunt conceſſæ Eccleſiis & locis totius orbis. Ita §. 17.

CAPVT III.

Qui ſint dies Stationum, in quibus viſitando quinque Eccleſias, aut altaria, indulgentia per Bullam Cruciatæ obtinetur?

15 OLim milites Stationarij dicebantur, qui ſtantes faciebant in præſidium excubias, ſiuè in bello, ſiuè in vrbibus; ſtatioque erat locus vigilibus ad agendas excubias deſignatus. Indè tranſlata eſt vox ad ſignificandas excubias, quas Chriſtiani milites in templis faciebant, quaſi ſuis orationibus præſidium fidelibus, & Eccleſiæ præſtantes; & quia plus temporis his ſacris vigiliis inſumebant eis diebus, in quibus indulgentia aliqua obtinebatur in templis prædictis, & ad ea ſolemnis aliqua proceſſio inſtituebatur, idcircò vocantur Stationes huiuſmodi ſolemnes proceſſiones factæ ad Eccleſiam, fine obtinendi in illa indulgentiam, & hæc appellatur indulgentia Stationum. Harum primum fuiſſe inſtitutorem S. Gregorium Papam docent D. Bonauentura, Caietanus, Turrecremata, P. Suarez, quos, & alios de Stationibus agentes refert P. Quintanadueñas *tom. 1. ſingular. appendicis tractatu 6. dub. vltim.* Conſule etiam Trullench *lib. 1. §. 6. dub. 1.*

16 Indulgentiæ igitur conceſſæ in Bulla Cruciatæ viſitantibus quinque Eccleſias, aut altaria, ſunt Stationum Romæ; non illæ, quæ Romæ poſſunt obtineri in omnibus Eccleſiis ſed eæ, quæ ſunt Stationibus annexæ; ſolùm enim conceditur à Pontifice, vt habentes Bullam lucrentur omnes, & ſingulas indulgentias Stationum. Vndè & ſi in die Stationis ad vnam Eccleſiam, in aliis, ad quas non eſt Statio, obtineantur indulgentiæ, viſitando illas, hæ ſanè per Bullam non obtinebuntur. Imò & ſi ipſi Eccleſiæ, ad quam eſt Statio, præter indulgentiam ſpecialem Stationis, ſit conceſſa alia indulgentia ſeorſim ab illa non obtinebitur per Bullam ea alia indulgentia; quia non eſt indulgentia Stationum, & ſolùm Stationum indulgentiæ apertis verbis conceduntur in Bulla.

17 Omnibus anni diebus ſunt Romæ, intra, vel extra muros Stationes; quæ non tantum ita nuncupantur, cum Solemnis proceſſio ad Eccleſiam ex alia Eccleſia, vel loco fit, ſed etiam, cum intra ipſam Eccleſiam ordinatur proceſſio ab vno ad aliud altare. Verumtamen non in omnibus diebus præfatis indulgentia Stationum eſt plenaria, ſed vel plenaria, vel partialis. Commiſſarius in fine Bullæ deſignat nonaginta quatuor dies, in quibus eſt plenaria indulgentia Stationum; nempè omnes dies Quadrageſimæ ſimul cum Dominicis ipſius; omnes dies hebdomadis Paſchæ vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè, omnes dies feſtiuitatum Deiparæ Virginis (quos nouem communiter enumeramus) diem S. Marci Euangeliſtæ, Aſcenſionis, Vigiliæ Pentecoſtes, & ſex dies immediatè illam ſequentes, tres dies Quatuor Temporum Septembris, tres item dies Quatuor temporum Aduentus, quatuor ipſius Aduentus Dominicas, diem Natiuitatis Domini, ac tres dies immediatè ſequentes, diem Circumciſionis, & Epiphaniæ, Dominicas Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ. Additur demum à Commiſſario, cæteris diebus anni etiam obtineri indulgentias viſitando Eccleſias, aut altaria, eo quòd etiam in cæteris ſint Romæ indulgentiæ Stationum. Quod ſanè de indulgentiis non plenariis eſt intelligendum, alias non enumeraſſet Commiſſarius dies prædictos, in quibus indulgentia plenaria Stationum obtinetur, ſed faciliùs aſſeruiſſet, eam omnibus anni diebus obtineri, quod non ita præſtitit, quaſi denotans, ſolis diebus à ſe annumeratis indulgentiam eſſe plenariam, eam à cæteris diebus excludens. Et quidem non prætermiſiſſet Commiſſarius rem tanti momenti, cum adeò poſſent excitari fideles ad pietatem, ac deuotionem, atque ad ſummarium Bullæ, eleemoſyna præſtita, accipiendum ſi ſingulis diebus eis proponeretur indulgentia plenaria, nec prætereà non niſi ſumma cura, & inueſtigatione præcedenti fuiſſent illi dies à Commiſſario recenſiti, & omiſſi cæteri. Prætereà cum addit ipſe, cæteris diebus eſſe Romæ Stationes, indulgentiamque obtineri, non aſſerit, indulgentiam plenariam, quod equidem aſſereret, ſi in eis eſset indulgentia plenaria Stationum. Addo in Miſsali Romano, ante introitum Miſsarum apponi in diebus à Commiſsario deſignatis, eſse Stationem ad Eccleſiam hanc, aut ad illam: quæ verba non apponuntur in diebus cæteris ante ipſum Miſsarum introitum; quod diſcrimen denotat,

Digitized by Google

denotat, eſſe indulgentiam plenariam in eis diebus, in quibus præfigitur Statio, in aliis verò, in quibus non præfigitur, non eſſe eiuſmodi indulgentiam. Hoc enim ſecluſo diſcrimine, cur in omnibus non apponatur? Nec dici poteſt, additas fuiſſe de nouo indulgentias plenarias Stationum; nam quotidie Miſſalia eduntur in lucem, & reformantur, nec hoc deberet denuò non apponi, ſi ita ſe res haberet.

18 Plures eſſe Stationum indulgentias, affirmant aliqui. P. Quintanadueñas *ſuprà* ait, maiorem eſſe numerum illarum, quàm qui à Commiſſario recenſetur. Alphonſus Perez de Lara *in lib. trium gratiarum, pag.* 20. circiter centum enumerat. Franciſcus Cabrera Morales *in libro de Eccleſiis Romæ, earumque Reliquiis, ac Stationibus*, centum nonaginta tres Stationes apponit. Petrus Martyr allatus à P. Quintanadueñas, ducentum viginti affert. Sorbus relatus à Trullench *in expoſit. Bull. lib.* 1. §. 6. *dub.* 1. *num.* 7. affirmat, quotidie eſſe Romæ indulgentiam plenariam Stationum, cum in ſola Baſilica D. Petri ſint ſeptem altaria, ad quæ integro toto anno ſunt Stationes, & in tribus Romæ locis ſint quotidie indulgentiæ plenariæ.

19 In ſummario item Hiſpano idiomate confecto, in quo recenſentur indulgentiæ, quas poſſunt obtinere omnes, qui in Congregationem Virginis Annunciatæ admittuntur in Collegiis Societatis, aſſeritur, poſſe eos obtinere quotidie indulgentiam plenariam viſitando altaria, eo quòd eis conceſſum ſit, lucrari poſſe indulgentias Stationum Romæ, in hiſque quotidie eſſe indulgentiam plenariam: & omnibus feriis quartis per annum, in Eccleſia ſancti Laurentij extra muros, omnibuſque diebus Dominicis in Eccleſia S. Pauli Apoſtoli Romæ, conceſſam eſſe liberationem animæ à Purgatorio; idque totum exploraſſe, aſſeritur ibi, Doctorem Ferdinandum de Salazar iuſſu Pij IV.

20 Præterea in alio ſummario, cui titulus eſt. *Indulgencia plenaria cada dia por la Bulla de la ſanta Cruzada*, edito Compluti anno 1620. enumerantur plures indulgentiæ, quæ per Bullam conceduntur, eo argumento, quòd in Bulla conceditur viſitanti quinque Eccleſias, aut altaria, vt lucretur omnes indulgentias, quæ ſunt Romæ in diebus Stationum, ſed in his diebus Romæ ſunt plures indulgentiæ plenariæ, ergo. Statimque dies ibi præfiguntur: ſcilicèt in Eccleſia Sancti Petri ſeptem altaria, ad quæ, ait Sorbus, quotidie eſſe Stationem; in Eccleſia S. Pauli alia ſeptem altaria, vbi idem obtinetur, ac in Baſilica S. Petri; & prætereà in Eccleſia S. Sebaſtiani, vbi tot ſunt indulgentiæ, quot in vtraque Eccleſia prædicta. Rurſùs ibi ex Hieronymo Sorbo, & Emanuële Rodriguez, aſſeritur, Romæ tribus locis eſſe quotidie indulgentiam plenariam, ſcilicèt in Eccleſia S. Ioannis Lateranenſis, in ſacello S. Ioannis Baptiſtæ: aliam in ſacello S. Laurentij, quod Sancta Sanctorum nuncupatur; demùm in Eccleſia ſanctæ Crucis, in ſacello Sanctæ Helenæ. Denique ibidem affertur, in Eccleſia S. Ioannis Lateranenſis eſſe præfixam tabellam à temporibus antiquis, in qua S. Sylueſter Papa concedit omnibus illuc venientibus indulgentiam plenariam quocumque anni tempore; Quæ à pluribus fuit confirmata Pontificibus, & ab ipſis tot, tamque ingentes ſuperadditas eidem Eccleſiæ, vt Bonifacius Papa, qui eas confirmauit, aſſeruerit, enumerari non poſſe. In cæteris demùm Eccleſiis Romæ intra, & extra muros plurimas alias eſſe indulgentias (in præfato ſummario refertur) eaſque omnes, & ſingulas per Bullam obtineri.

21 Quamvis expediens ſit, viſitantem quotidie altaria habere intentionem lucrandi omnes indulgentias, quas potuerit obtinere (ſic enim obtinebit, quidquid poteſt, eſtò hæc, aut illa opinio ſit vera, necne, cum fructus viſitationis non pendeat ab opinionis veritate, vel falſitate) & quamvis laudanda ſit pietas eorum, qui intendunt excitare fidelium deuotionem, ne tantum indulgentiarum theſaurum vilipendant; tamen in publicandis indulgentiis cauta ſollicitudo eſt obſeruanda, ſic præcipiente Tridentino, & ratione docente, non opus eſſe ad animarum profectum ſpiritualem additione indulgentiarum, cum Pontifices ſatis, ſuperque prouiderint vtilitati fidelium, & inanis ſit multiplicatio, vbi de ea non conſtat poſt prudentem, exactamque rei veſtigationem.

22 Igitur præfata omnia ſatis manent impugnata ex dictis *num.* 17. & ex communi perſuaſione fidelium; & quidem vſus eſt valdè communis in templorum foribus appendere tabellam, in qua proponitur populo indulgentia plenaria per Bullam obtinenda, vt omnes conſcij illius conentur indulgentiam tantam lucrari; hoc autem non præſtatur ſingulis diebus; quod nequit reduci ad ignorantiam eorum, qui de his curant, cum ſint Parochi, & Prælati Monaſteriorum, & ab omnibus viris doctis inſpiciatur. Nec ad aliud exequendum moti ſunt ex eis ſummariis, & opinionibus contrariis quaſi non ſolido fundamento nitentibus.

23 Etenim in eis duo videntur ſupponi, & vtraque non vera. Aliud eſt, per Bullam concedi omnes indulgentias, quæ Romæ in diebus Stationum obtinentur, licèt non ſint indulgentiæ Stationum, ſed cōcomitanter, & materialiter illis ipſis diebus ſint conceſſæ in

eadem

Digitized by Google

eadem Eccleſia, ad quam fit Statio, vel in diuerſa. Quod ſuppoſitum eſt falſum: nam dumtaxat in Bulla conceduntur indulgentiæ Stationum, vt ex apertis Bullæ Latinæ verbis *ſuprà* allatis conſtat; iuxta quæ, verba Bullæ Hiſpanæ, in quæ illa vertuntur, ſunt explicanda, nec ampliari poſſunt vltra id, quod latina verba ſignificant. Imò nec ſi rectè perpendantur, aliud innuunt verba Bullæ vulgaris.

24 Aliud, quod ſupponi videtur, eſt, Romæ quotidie eſſe indulgentiam plenariam Stationis alicuius; Quod non eſſe verum, conuincitur ex rationibus adductis *num.* 17. Et præterea confundit opinio contraria Stationum indulgentias, & indulgentias alias non intuitu ſtationum, ſed aliis titulis Romæ conceſſas; quod patet, quia certum eſt, non eſſe Romæ indulgentiam plenariam Stationum quotidie in tribus locis, eſtò ſit indulgentia plenaria; nec omnibus Feriis quartis, & Dominicis per annum eſſe liberationem animæ conceſſam intuitu Stationum, & his ſimilia, quæ afferuntur. Etenim nec ab his, qui exactè res Romæ, eiuſque Eccleſias, & Stationes ſcripſerunt, hoc aſſeritur, nec poterat ignorari à Commiſſario, nec Pontifex id prætermiſiſſet in Bulla, aliaque huiuſmodi iam libata.

25 Præterea in eo ſummario, de quo *numer.* 10. refertur Emanuel Rodriguez *in explicat. Bul.* §. 8. *pag.* 61. pro aſſerto ibi expoſito. Eo autem loco nihil hic Author habet, quod confirmet illud, imò *pag. immediatè antecedenti*, *verſiculo Perſonalmente*, apertè contrarium denotat, indulgentias reſtringendo ad dies Stationum iuxta Bullam plumbeam. Antecedenter autem, non tàm ex ſuo, quàm ex aliquorum ſenſu contrarium docet, *fol.* 54. *num.* 4. Rursùs mihi perſuadeo, inutiliter adſtrui illam indulgentiam plenariam, de qua *num.* 20. reſpectu Sodalium Virginis Annuntiatæ in Hiſpania, vbi Bulla valet, nam ea indulgentia non poteſt obtineri à non habente Bullam, vt in calce illius ſummarij affirmatur; at, habita Bulla Cruciatæ, virtute illius obtinentur omnes indulgentiæ Stationum Romæ, viſitando quinque Eccleſias, ſeu altaria, ad quid ergo opus eſt ea indulgentiæ conceſſione, vbi Bulla valet? An, vt nouus titulus illam lucrandi detur? Sed ſufficientiſſimus ſanè titulus eſt ipſa Bulla Cruciatæ. Forſan, vt innoteſcat, quantis gratiis eiuſmodi Sodalitia gaudent, id fuit appoſitum, eſtò per id nihil addi ad conceſſionem Bullæ iudicaretur.

26 Onuphrius Panuinus *lib. de Station. Romæ*, ſolùm enumerat octoginta ſeptem dies Stationum, & quadraginta quatuor Eccleſias, ad quas fiunt Stationes. Sed hic equidem Scriptor rem non examinauit accurate. Tenendum ergo eſt, eſſe plures, ſcilicet quas *num.* 17. recenſuimus. Nec etenim Commiſſarius dies addidiſſet indulgentiæ plenariæ vſque ad nonaginta quatuor, nec aſſereret, cæteris anni diebus eſſe Romæ Stationes, niſi attento examine præuio, nec res adeò publica, ac Bulla Cruciatæ, toleraretur tranſcripta cum additionibus falſis indulgentiarum; cum præ manibus ita habeatur, vt nequeat præſumi, aliquid in ipſa contentum ad notitiam Romani Pontificis non fuiſſe delatum, ſi quid in tranſcripto Hiſpano minùs conſentaneum in re adeo graui circunferretur.

27 Aduerte in præſenti, Religioſos Ordinis D. Franciſci, & Societatis IESV cœteroſque qui cum eis in priuilegiis communicauerint) ad quos eſt extendendum, quidquid de priuilegiis Societatis decurſu huius Operis aſſeruimus, & aſſeremus) poſſe lucrari omnes indulgentias plenarias, & non plenarias, quæ ſunt Romæ in ſingulis Eccleſiis, quocumque tempore, & die, recitantes in ſuis Eccleſiis, quod Romæ iniungitur recitari. Quæ conceſſio comprehendit tam indulgentias Stationum, quàm cœteras, cum non reſtringatur ad primas. Ita habetur *in ſupplement. Minor. fol.* 97. *pag.* 2. *conceſſion.* 351. Et in Compendio priuilegiorum Societatis *verbo. Indulgentia.* §. 11. Vnde ſequitur, viſitatione quinque altarium obtinere noſtros Indulgentias Stationum. Imò cum non exigatur ad eas obtinendas, niſi id ipſum, quod Romæ ad eas lucrandas præſtatur, ſi ibi non ſit opus viſitatione tot altarium, nec hic erit id neceſſe, ſed ſufficiet exequi, quod Romæ exequuntur obtinentes eiuſmodi indulgentias. Nec Bulla Cruciatæ eſt opus, vt noſtri eas conſequantur, quia per Bullam non ſuſpenduntur, nec reualidantur priuilegia conceſſa ordinibus Mendicantibus, quoad eorum Religioſos, vt *diſp.* 29. conſtabit. Quare N. P. Mutius Vitelleſchus Præpoſitus Generalis Societatis Ieſu, litteris datis anno 1628. ad Prouinciam Caſtellanam, ſcripſit, noſtros poſſe abſque Bulla Cruciatæ indulgentias ipſius Bullæ nanciſci, vt ipſi declarauerat Vrbanus VIII. tunc temporis Eccleſiam gubernans.

CAPVT IV.

Quæ preces ſint fundendæ in viſitatione quinque Eccleſiarum, aut altarium, ad obtinendas Indulgentias Stationum.

28 VT hæ obtineantur indulgentiæ, exigitur à Pontifice, vt deuotè viſitentur Eccleſiæ, vel altaria, ibique preces

Digitized by Google

fundantur pro vnione Principum Chriſtianorum, & victoria contra infideles. Quæ oratio ita neceſſaria eſt, vt abſque ea indulgentiæ non obtineantur, nam, vt ſæpè repetiuimus, & docet P. Arriaga *tom.2. in* 1. 2. *diſput.*32. *ſect.*4. *num.*25. cum ponitur conditio prærequiſita ad vſum, ſeu effectum priuilegij, ſeu gratiæ, hæc non obtinetur, donec illa ponatur. Igitur *diſp. præcedenti à n.*7. ſtatuimus, non ſolam orationem vocalem, ſed & mentalem ſufficere; Eademque eſt ratio in præſenti indulgentia, ac in ea, quam *ibi* declarauimus, idemque quoad hoc tenor verborum in conceſſione. Præterea *num.* 12. *ibidem* aſſeruimus, ſufficere bis repetere orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam, quoties indefinitè exigitur oratio à concedente indulgentiam; vnde in quovis altari, vbi preces fundendæ ad Deum requiruntur, eiuſmodi Dominica oratio, ac ſalutatio Angelica bis repetita ſufficiet; imò ſemel recitari, eſſe ſufficiens, docuit Trullench *ibi* relatus, non tamen à nobis probatus omnino. Rursùs non ſatis eſſe ad obtinendas indulgentias Stationum viſitationem altarium, & orationem, ſi ea viſitatio ex voto, aut ex præcepto, vel ex alio capite deberetur, liquet ex dictis *eadem diſput. à num.* 13. Adhuc *in ſuperioribus* docuimus, non opus eſſe ad obtinendas indulgentias, cum oratur, exprimere finem, pro quo à Pontifice orari præcipitur; ſed ſufficere, eum implicitè, vel confuſè deſignare, ſeu orare pro eo, quod Pontifex, aut concedens indulgentiam intendit, ſeu pro eo, pro quo opus eſt orare ad eam lucrandam indulgentiam; quare idem dicendum eſt de oratione, quæ fit, dum viſitantur altaria.

29 Vt deuotè oretur, iniungit Pontifex, quod pertinet ad modum, ſicut Eccleſia præcipit, vt Horæ Canonicæ recitentur deuotè. Quare cenſeo, eam deuotionem, quæ ſufficit ad ſatisfaciendum præcepto recitandi Horas Canonicas, ſufficere ad apponendam orationem à Pontifice requiſitam, lucrandamque indulgentiam. Non enim videtur, re ipſa ampliùs requiſiuiſſe Pontificem ad obtinendum indulgentiam, quàm requirit Eccleſia ad ſatisfaciendum præcepto: Eſtò qui deuotiùs orauerit, plus mereatur ex opere operantis, ſicut qui deuotiùs Horas Canonicas recitat, plus ex opere operantis meretur. Imò licèt in oratione ob defectum voluntarium attentionis, aut ob aliam cauſam extrinſecam, miſceatur aliqua culpa venialis (quamvis enim quis non teneatur orare, ſi oret, tenetur ad orandum attentè) non propterea non obtinebitur indulgentia; ſicut ob ſimilem culpam in recitatione Officij Canonici interuenientem, non deſinit quis præcepto ſatisfacere. Præcepto autem ſatisfacit, qui recitat Officium Canonicum, etiam cum diſtractione interna voluntaria, vt docent Paludanus *in* 4. *diſt.*15. *quæſt.*5. *art.*2. *concl.*4. P. Coninch *de Sacramentis in* 3. *part. quæſt.* 83. *art.*6. *num.* 191. Durandus, D. Antonin. Syluest. Medina, Ioannes Valerus, & Roſella; & probabilem hanc ſententiam affirmant Victorellus, Diana, PP. Henriquez, & Layman; quos omnes refert idem Diana 1. *part. tract.*12. *reſol.*2. vbi plures etiam pro oppoſita ſententia, quæ tutior eſt, refert Authores. Quamvis autem iuxta ſententiam poſitam, quæ probabilis, ac tuta à me cenſetur, & iuxta diſcurſum factum ſufficiat, orare ante altaria etiam abſque attentione deuota, tamen conandum attentè incumbere eiuſmodi orationi, vt tutiùs in modo, & in ſubſtantia operis exerceatur medium à Pontifice iniunctum, maiuſque ſibi orans comparet meritum, & à culpis in pia opera irrepentibus abſtineat.

30 Denique & ſi Pontifex iniungat, preces fundendas eſſe ad Deum, non tollitur ideò, vt viſitans altaria ſolùm orationem Angelicam repetat ſine Dominica oratione, aut Litanias B. Virginis proferat, aut Roſarium eiuſdem. Etenim etiam ſic preces ad Deum funduntur, nam oratur Deus, dum à Deipara poſcitur, vt pro orante, vel pro fine intento apud Deum intercedat. Sic docet Cardinalis Lugo *tom. de pænit. diſp.* 27. *ſect.*7. *num.* 111. Vbi etiam tenet, ſufficere orationem mentalem, ſed tutius eſſe, aliquam vocalem cum illa intermiſcere. Orationes autem vocales, quæ recitandæ ſunt, non præfiguntur; vnde quas cuique ſua deuotio ſuggeſſerit, poterit ad Deum fundere; Congruentius tamen iudicabo, eas orationes vocales proferre, quæ Eccleſiæ vſu, praxique communi fidelium ſunt approbatæ.

31 Ad deuotionem, qua orandum eſt, dum Eccleſiæ, vel altaria viſitantur, ſpectat, ſitum corporis eſſe venerationi, & cultui reuerenter compoſitum. Si genibus flexis poſſit oratio fieri, hæc apta erit poſitio, non tamen neceſſaria; quævis enim ſufficiet, quæ præſentiam moralem manifeſtet; ita vt nec huc, nec illuc caput, oculi, corpuſvè vertantur; nec cum aliis miſceatur confabulatio; quod ad ſatisfaciendum præcepto audiendi Miſſam requirunt Authores, idque ſufficere, docent illi ipſi, qui non requirunt attentionem internam mentalem ad ſatisfaciendum præcepto recitandi Officium Canonicum; quamvis, qui oppoſitum circa illud Officium cenſent, etiam in auditione Miſſæ exigunt internam attentionē præter moralem præſentiam, qua, ſi interrogetur, quid ille faciat qui ſic eſt Eccleſiæ, & Miſſæ præſens, poſſit quicumque reſpon

reſpondere attendens ad eius externa ſigna, eum audire Miſſam. Quæ opinio de præſentia morali tuta eſt in praxi, & iuxta eam philoſophandum eſt in oratione, quæ fit, altaria viſitando, ſimulque aſſerendum, non eſſe opus, altaria actu intueri, vt de auditione Miſſæ affirmatur, cum cæcus, & quiuis alius, oculis clauſis, aut in terram demiſſis, poſſit altaria viſitare, ac orare, ſicque ſufficientiſſimè medium ad lucrandam indulgentiam apponere.

CAPVT V.

Quæ, & quot Eccleſiæ, ſeu altaria, ac quomodo ſint viſitanda, vt indulgentiæ Stationum obtineantur?

32 INiungitur in Bulla Cruciatæ, vt quinque Eccleſiæ, vel quinque altaria, aut vnum altare quinquies, ſi non fuerint quinque, viſitentur. Non eſt neceſſe, etiam ſi quinque Eccleſiæ in loco ſint, eas viſitare, ſed ſufficit, quinque altaria; nam diſiunctiuè aſſeritur in Bulla, quinque Eccleſias, vel quinque altaria, & vbi requiſitum eſt diſiunctiuum, quodcumque eligi valet. Nomine autem Eccleſiarum intelliguntur etiam Eremitoria, & Oratoria, in quibus Miſſa poteſt celebrari, vt diximus *diſp.* 15. *num.* 7. Et etiam Hoſpitalia, & quæcumque Templa Regularium, ac Capellæ; quæ omnia in fauorabilibus nomine Eccleſiæ comprehenduntur, vt agentes de immunitate Eccleſiaſtica docent Authores *in cap. Alma mater:* P. Suarez *de cenſur. diſp.* 34. *de interdicto ſect.* 1. *num.* 9. & alij paſſim. Quod extendunt Tuſchus *verbo Eccleſia, concluſ.* 8. *n.* 5. Alexander *conſilio* 145. *n.* 13. Etiam ſi Capellæ, & Eremitoria ſint in prædiis, agris, hortis, carceribus, aut ſuburbiis.

33 Nec obſtat, priuata Oratoria non eſſe in communem vſum deſtinata, iuxta formam in Tridentino præſcriptam *ſeſſ.* 22. *decret. de obſeruat. feſtor.* Tum quia Oratoria ſunt loca, & ſi priuata, tamen de licentia Prætorum deputata ad celebrandum, ac orandum, vt aduertunt Lapa *allegat.* 42. *num.* 2. Tuſchus *verbo Oratorium, concl.* 175. Pontifices autem in præſenti requirunt viſitationem Eccleſiarum, aut altarium, quatenus hæc ſunt domus Dei, & loca orationi deſtinata. Tum quia Oratoria iuxta probabiliſſimam ſententiam, quam ſequuntur plures, & affert Trullench *in Bull. lib.* 1. *§.* 3. *dub.* 2. *num.* 7. contra Emanuëlem Rodriguez, Iulium Clarum, & P. Thom. Sanchez, comprehenduntur ſub nomine Eccleſiæ quoad immunitatem, & quoad celebrationem tempore interdicti; Imò omnia priuilegia conceſſa Eccleſiis extendi ad Oratoria, docent Couarruvias, Innocentius, Sayrus, & alij, quos refert P. Quintanadueñas *tom.* 1. *ſingular. Appendicis ti act.* 6. *dub.* 1. *num.* 3. Dices, Oratoria non eſſe deputata in perpetuum cultui Dei, & orationi, cum poſſint tolli, aut mutari, eaque loca in vſus profanos conuerti. Contra, quia ſat eſt, eo tempore quo viſitantur, eſſe deſtinata orationi, & cultui diuino; ſicut ſunt Eccleſiæ, & Eremitoria, quæ etiam poſſunt dirui, aut labefactari temporis iniuria, eaque loca vſibus inſeruire profanis. Dices vlteriùs, in eis Oratoriis non eſſe ſeruatam Sacram Euchariſtiam. Contra, quia nec in Eremitoriis publicis communiter ſeruatur, nec hæc circumſtantia à Pontifice requiritur. Quare in die Paraſceues, in qua veſperi non aſſeruatur Euchariſtia, ſed ad aliquam interiorem capellam, ſi ea ſit, defertur, viſitando Eccleſiæ altaria, indulgentia plenaria Bullæ obtinetur.

34 Adde, ſufficere ad obtinendam hanc, & ſimiles indulgentias, viſitare Eccleſiam authoritate Epiſcopi fundatam, quamvis adhuc non ſit benedicta; quia abſolutè eſt Eccleſia, & fruitur priuilegiis, quæ ſunt Eccleſiis conceſſa, vt affirmant Sylueſter *verbo Immunitas* 1. *num.* 3. & alij ab ipſo relati, & infertur *ex leg. omnia priuilegia. Cod. de Epiſcop. & Cleric.* Idem dico de viſitatione Eccleſiæ interdictæ, violatæ, aut pollutæ; hæc enim impedimenta non vetant, orationem in illa fieri. Videatur P. Suarez *tom.* 1. *de Relig. tr.* 2. *lib.* 3. *cap.* 9. *à num.* 2. Cæterùm non è contra loca, quæ gaudent priuilegio immunitatis, comprehenduntur omnia ſub nomine Eccleſiæ; nam cæmeterium, v. g. Eccleſia non eſt. Quæ autem loca eo fruantur priuilegio, conſulantur Bonacina, Tuſchus, Iulius Clarus, Lapa, & alij allati à P. Quintanaduenas *ſuprà n.* 5. Et ego *Tomo de Iure Academico lib.* 3. *ex n.* 329.

35 Vt Eccleſia viſitetur, in eaque fundantur ad Deum preces, ſufficiens erit, quodvis illius altare viſitari, ita vt, qui quinque viſitat Eccleſias, in ſingulis oret ante altare, quod maluerit; non enim requiritur, vt altare præcipuum Eccleſiæ viſitet; quippè eatenùs viſitatur Eccleſia, quatenùs aliquod altare illius viſitatur; at quodvis altare eſt propriè, & abſolutè tale, ergo quodvis ſufficit viſitari. Neque etenim ideò viſitandum eſt altare præcipuum, ſeu maius, quia in eo eſt Euchariſtiæ Sacræ tabernaculum; tum quia in Eremitoriis, Capellis, Oratoriis non aſſeruatur communiter Euchariſtia, & tamen veniunt ſub nomine Eccleſiæ, & quinque ex illis viſitans, quinque Eccleſias

Digitized by Google

dicitur viſitare, vt *nuper* probauimus; tum quia cætera altaria verè ſunt talia, non ſecùs ac altare præcipuum, eſtò in eis Euchariſtia non cuſtodiatur. Hinc, qui viſitat non quinque Eccleſias, ſed quinque altaria, ad effectum lucrandi Indulgentias Stationum, aut ſimiles, ſi in Eccleſia ſint altaria plura, poteſt omittere viſitationem altaris præcipui, & quinque alia viſitare; ſic namque adimplet requiſitum, nempè viſitationem quinque altarium. Confirmatur. Cum iniungitur à Pontifice viſitandas eſſe quinque Eccleſias, aut quinque altaria, non additur, illa quinque altaria fore viſitanda in vna, eademque Eccleſia, ergo non eſt ad vnam reſtringendum, & conſequenter poterit quis ea viſitare in quinque Eccleſiis; ſaltemque poterit dici, viſitaſſe quinque altaria, ſi non dicatur, viſitaſſe quinque Eccleſias. Vndè etiam fit, poſſe quem viſitare in vna Eccleſia vnum, vel duo altaria, & cætera in alia, ita vt numerum quinque altarium adimpleat in duabus, tribus, vel pluribus Eccleſiis.

36 Altaria viſitanda ad obtinendam hanc indulgentiam ea ſunt, quæ approbata ſunt à Prælatis iuriſdictionem ad id habentibus ad Miſſæ celebrationem; his enim competit propriè nomen, & eſſentia altarium. Hinc altare propriè eſt, quod erigitur ad Miſſam celebrandam in nauibus, in prædiis, in Domibus priuatis, & huiuſmodi aliis; Ita Ludouicus à Cruce *in Bull. diſputation.* 1. *capit.* 8. *dubitation.* 13. *num.* 1. Et alij communiter. Vnde ſufficit viſitare altaria, quæ Prælati Religionum ex vi ſuorum priuilegiorum erigunt ad Miſſas celebrandas, cum authoritate Pontificis id præſtetur, ſtrictéque ea altaria ſint. Emanuël Rodriguez *tom.* 1. *qq. regul. q.* 28. *articul.* 1. affert priuilegia aliquarum Religionum in ordine ad erigenda altaria. Religioſis Societatis conceſſit Paulus III. in Bulla edita anno 1549. vt in locis remotiſſimis Infidelium, vbi Epiſcoporum copia non habetur, poſſint altaria conſecrare. Et poſteà Gregorius XIII. in Bullà edita anno 1579. quæ incipit, *Dilecte Fili*, conceſſit eiſdem vſum altaris portatilis in Miſſionibus, reſtituendo illud, quod vniuerſè à Tridentino fuerat ſublatum. Sic extat in Compendio priuilegiorum Societatis, *verbo Altare*. Requiritur tamen facultas, ac approbatio Prouincialis, quam tamen ſupponi, ſtatim ac deſignatur ab illo Miſſionarius, affirmat P. Quintanadueñas, *tom.* 1. *ſingular. Appendicis tractat.* 7. *dubitation.* 9. *numer.* 8. Vbi etiam citans Paſqualigium, Rodriguez, Ledeſmam, Marchinum, Cardinalem Lugo, & alios, ait, adhuc poſt Tridentinum poſſe Regulares quoſcumque vti altari portatili in quolibet decenti loco, niſi ab Epiſcopis prohibeantur. Standum eſt cuiuſque Religionis priuilegiis.

37 Nec intereſt, quòd in altari nunquam adhuc fuerit celebratum, ſi ad celebrationem deſtinatum eſt; ſufficiet enim, illud viſitare, cum ei conueniat ratio propria altaris. Imò addunt P. Henriquez *l. b.* 7. *de indulg. cap.* 10. Trullench *in Bull. lib.* 1. *§.* 6. *n.* 3. etiam ſi altare aram non habeat, dum ſit deſignatum ad Miſſæ celebrationem, quæ tamen abſque ara celebrari non poterit, eſſe propriè altare. Quod ſæpè continget in Eccleſiis, maximè pagorum, ſeu loci alicuius iam ab habitatoribus deſerti; quin propterea vllus dubitauerit, ſufficere, ſi in eis quinque altaria viſitentur; nec examinatur, vtrùm in eis ſit ara, necne? Quòd ſi aliquod remanſerit altare in aliqua priuata domo, vel alibi, in quo fuerit licentia celebrandi Miſſam, ſed iam non ſit, illud non eſt altare in acceptione, de qua in præſenti, licèt in vulgari acceptione vocentur altaria, quæcumque eriguntur, vt imago aliqua ſuprà illa apponatur; ſed hæc acceptio vtpotè ſolùm ſimilitudinaria, & ad libitum introducta, non admittitur in præſenti, vbi more Eccleſiaſtico loquimur. At ſi aliquod altare, vel Eccleſia fuerit deſtructa, & iterùm reædificatur, vel ſi paulatim labefactatur, paulatimque inuicem conſtruitur, cum ſic retineat eſſentiam Eccleſiæ, vel altaris, illa viſitare ſufficiet, quia eadem perſeuerare moraliter cenſentur. Ita cum pluribus Bonacina *de indulg. lib.* 6. *quæſt.* 1. *punct.* 8. *num.* 4.

38 Sed quid, ſi in Eccleſia nullum ſit altare, an ſufficiet illam viſitare, cum dixerimus *ſuperius*, eatenùs viſitari Eccleſiam, quatenùs aliquod illius altare viſitatur? Affirmat P. Quintanadueñas *eo tract.* 6. *dub. tat.* 3. *num.* 4. quia illa verè eſt Eccleſia. Fateor, id ita eſſe, poſſéque in illa Eccleſia preces fundi ad Deum, cuius cultui, ac obſequiis eſt deputata; ſed tamen hoc rectè cohæret cum tradita doctrina, nam caſus hic rarus eſt, & communiter in Eccleſiis ſunt altaria erecta, ac qui Eccleſiam viſitat non aliter id præſtat, niſi coram aliquo altari, aut orationem dirigendo ad aliquam imaginem; non enim viſitant fideles Eccleſiam, poſtes, aut parietes venerando, & coram illis orationes fundendo, ſed mentem corpus, aut oculos alicui præfigentes altari, vel Imagini.

39 Vt viſitationi altarium ſatisfiat, in Eccleſia, vbi quinque altaria ſunt, non ſatis eſt, viſitare quinquies vnum altare, ſed neceſſarium, vt omnia quinque viſitentur; quod ex verbis conceſſionis colligitur: Etenim inquit Pontifex, viſitandas eſſe quinque Eccleſias,

aut

aut altaria; vel ſi non ſint quinque altaria, vnum altare quinquies: ergo à cõtrario, ſi ſint quinque altaria in Eccleſia, quam quis viſitat, ea ſunt viſitanda, non verò quinquies vnum altare. Si autem in Eccleſia ſolùm ſint duo altaria, aut tria, poterunt hæc viſitari, & ſtatim repeti viſitatio ipſorum, donec numerus quinarius compleatur. Poſſe eo caſu vnum dumtaxat altare ex illis tribus viſitari quinquies, vt probabile, docent Diana 1. *part. tract.* 11. *reſol.* 102. Quintanadueñas *vbi ſuprà dub.* 4. *num.* 3. cum Nuño, & Cruce. Sed meliùs docet oppoſitum Trullench *ſuprà dub.* 2. Quippè æquè poſſent illi affirmare, etiam ſi ſint quinque altaria in Eccleſia, ſatis eſſe, quinquies vnum viſitare. Et quidem pari ratione, vt ſunt quinque viſitanda, quando ſunt quinque in Eccleſia, ita ſunt viſitanda tria, quando tria ſunt; cumque aſſeritur, vnum debere viſitari quinquies, ſi non ſint quinque, proportionate debet intelligi, vnum debere viſitari quater, aût ter, ſi non ſint tria, vel quatuor altaria, ſi verò ſint, vnum non eſſe viſitandum, niſi iis vicibus, quibus numerus ſuppleatur; & hanc fuiſſe Pontificis mentem, mihi abſque dubio perſuadeo.

40 Sed ex verbis Bullæ Hiſpanæ inſurgit ſcrupulus, aſſeritur enim in illa: *Viſitaren cinco Igleſias, ò cinco Altares, y ſino huuiere cinco Igleſias, ò cinco Altares, cinco vezes vna Igleſia, ò vn Altar.* Vnde videtur deduci, non eſſe ſatis, viſitare quinquies vnum altare, ſi in loco, in quo quis adeſt, ſit aliqua alia Eccleſia cum quinque altaribus, vel ſint quinque Eccleſiæ, etiam ſi in qualibet vnicum ſit altare: cum ſolùm in eorum defectum, concedatur, poſſe quinques altare vnum viſitari. Innuit idem, quamvis non adeò expreſſe, Bulla Latina ibi; *Quinque Eccleſias, ſeu altaria, ſeu in illorum defectum, quinquies vnum altare.*

41 Nihilominus tenendum eſt ſufficere viſitationem quinquies repetitam vnius altaris in Eccleſia, in qua vnicum eſt altare; & propotione ſeruata, ſi in ea Eccleſia ſint duo, aut tria altaria, ſatis eſſe, ea viſitare, donec numerus quinarius viſitationis expleatur; nec opus eſſe, eum, qui poteſt aliam Eccleſiam adire, in qua ſunt quinque altaria, vel alias quatuor Eccleſias præter eam, quam viſitat, eas viſitare; & conſequenter eum, qui nequit eas adire, à fortiori obtinere indulgentiam Stationum, viſitando quinquies vnum altare. Sic ſentiunt Nuñus *in* 3. *p. tom.* 2. *tract. de Bul.* §. 10. Diana 1. *p. tract.* 11. *reſol.* 102. & cæteri communiter id affirmant, vel ſupponunt. Probatur primò ex praxi communi, ac perſuaſione fidelium, qui in quavis Eccleſia, ad quam commodiùs accedunt, licèt aliæ ſint Eccleſiæ, & in illa ſolum vnum altare, cenſent, ſe obtinere Indulgentias Stationum, ſi illud quinquies viſitent, & id ita exequuntur; præcipueque Regulares, ſi in ſua Eccleſia non ſint quinque altaria, non propterea aliam adeunt, vt viſitent quinque altaria diſtincta; & Moniales, quæ non poſſunt aliam Eccleſiam adire, quamvis vnicum ſit in ſua Eccleſia altare, in eo conantur quinquies viſitato has lucrari indulgentias. Et ſanè impotentia adeundi aliam Eccleſiam (ſi ſemel requireretur à Pontifice quinque altaria viſitari, ſi in loco, aut vrbe ſint) non faueret ad effectum obtinendi indulgentiam; ſæpè namque repetiuimus, impotentiam adhuc inculpatam, exequendi aliquod requiſitum ad indulgentiam, minimè ſuffragari, niſi exprimatur à concedente illam.

42 Confirmatur ex doctrina Authorum communi, cenſentium, ſufficere ad lucrationem Indulgentiæ Stationum, ſi Oratorium priuatæ domus quinquies viſitetur, vel ſemel quinque Oratoria; & tamen Eccleſiæ communiter ſunt in locis, in quorum Domibus extant Oratoria. Probatur ſecundò, & ſimul reſpondetur ſcrupulo poſito *num.* 40. Nam ea verba Bullæ ſolum ſignificant, viſitandum eſſe quinquies altare vnum, ſi non ſint quinque altaria, non quidem in ea vrbe, aut loco, ſed in ea Eccleſia, quæcumque ſit, quam quis pro ſuo libito, deuotione, & commodo viſitat. Et verba Bullæ Latinæ, *ſeu in illorum defectum*, appellant manifeſtè ſupra vocem *altaria*, antecedenter immediatè poſitam. Verba autem Bullæ Hiſpanæ in eodem ſunt ſenſu accipienda, & diſtributiuè ſumenda, ita vt ſignificent, quòd, ſi quis velit viſitare Eccleſias, & quinque in loco, aut vrbe non ſint, poſſit viſitare quinquies vnam Eccleſiã; ſi verò velit viſitare altaria; & quinque non ſint in Eccleſia, quam viſitare intendit, poſſit altare vnum quinquies viſitare: Sic adſtruitur, veram eſſe fidelium perſuaſionem, & Regulares ac Moniales obtinere poſſe indulgentias Stationum, quamvis in ſuis Eccleſiis quinque non ſint altaria, nec coguntur fœminæ, quæ in vicinio habent Eccleſiam cum vnico altari, vel in domo priuata Oratorium, vagari, vt Eccleſiam, in qua ſint quinque altaria, viſitent; idemque de ſenibus, ac imbecillibus dicito. Sed nec cæteri iuxta dicta ad id tenentur. Huic annuit doctrinæ Baſilius Legionenſis *in manuſcripta explicat. Bul. cap.* 5.

43 Hic quæritur primò, quo tempore Eccleſiæ, ſeu altaria ſint viſitanda ad obtinendas Indulgentias Stationum? Reſpondeo cum Villalobos *tom.* 1. *tract.* 27. *clauſul.* 8. *numer.* 5. Mendoſio *de indulg. fol.* 69 Rodriguez, & Cruce, quos refert, & ſequitur P. Quintanadueñas *vbi ſuprà dubitat.* 6. qua-

libet hora à media nocte vſque ad aliam mediam noctem. Etenim non conceditur hæc indulgentia,vt ſolent aliæ à Veſperis diei antecedentis vſque ad occaſum Solis diei ſequentis, ſed conceditur, obtineri in diebus Stationum, quæ conceſſio ſic prolata ſonat à media nocte vſque ad mediam noctem;nec à nobis reſtringendum, aut limitandum eſt, quod à Pontifice nec reſtringitur, nec limitatur.

44 Etenim vox *dies* plures habet acceptiones;primò vulgarem, in qua ſumitur pro tempore, quo lux durat, ſeu ab aurora vſque ad noctem. Quæ acceptio deſumpta eſt à *capit.* 1. *Geneſ. Appellauitque lucem diem, & tenebras noctem*, & Ioannis 11. *Nonne duodecim ſunt horæ diei?* ſcilicèt vſualis, vt Interpretes exponunt. Secundò dies accipitur pro naturali viginti quatuor horis conſtante. Qui dies, licèt in Eccleſia aliquando vſurpetur ab Occaſu Solis vſque ad alium ipſius Occaſum; vel à veſpera vſque ad veſperam;tamen vſitatior modus accipiendi illum eſt à medio tempore noctis vſque ad ſequens medium noctis tempus, quod iuxta Hiſpana horologia eſt hora duodecima noctis, Romæ verò, & aliquibus locis hora vigeſima quarta. Iuxta hanc diei acceptionem diſponuntur in Eccleſia,& à fidelibus obſeruantur feſtorum dies,ieiunia, adimpletio votorum, ac iuramentorum, recitatio Officij Canonici, aut parui, vt præcepto ſatisfiat, & alia huiuſmodi. Eodem pacto accipitur in ordine ad quaſvis alias res, vt ad debitorum ſolutionem, contractus, ac cætera, quæ in certum diem deſtinata ſunt, vt docent Iuriſprudentes *in leg. more, ff. de feriis*, & cum pluribus obſeruat P. Quintanadueñas *in appendic. tom.* 1. *tract.* 1. *dubitat.* 3. id ſemper in fauorabilibus eſſe ſeruandum,affirmantibus.

45 Hinc cernitur, diem ſic eſſe ſumendum in noſtro caſu, in quo aſſeritur, *in diebus Stationum*; tum quia hæc eſt communior acceptio diei apud omnes, & in Eccleſia; & aliundè eſt materia fauorabilis; tum quia Romæ Stationum indulgentiæ pro tempore præfato ſunt conceſſæ, nec habemus aliam regulam fixam, quæ horam aliam deſignet, à qua poſſit obtineri quotidie hæc indulgentia; demùm quia in aliis deſignat expreſsè Pontifex horam, nempè à veſperis diei antecedentis vſque ad occaſum Solis diei ſequentis;ergo,quia,vt ſic intelligatur, opus eſt illud exprimere;at in præſenti non exprimit,igitur relinquit diem in acceptione communiori,naturali,& mathematica;cum aliundè non poſſit tempus lucrandi indulgentiam Stationum durare à veſperis diei antecedentis vſque ad Occaſum Solis diei ſequentis, cum tempus intermedium excedat vnum diem in quacumque acceptione dies ſumatur; indulgentiæ autem ſingulæ Stationum ſingulis diebus affiguntur, nec diem excedunt; vt ex verbis Bullæ colligitur, & praxis, ſenſuſque communis confirmant.

46 Quæritur ſecundò,an qui viſitat vnum altare quinquies, vel quinque altaria ex loco, in quo præſens moraliter eſt omnibus illis, indigeat in ſingulis viſitationibus motu corporis, ſurgendo, aut genuflectendo, vel caput inclinando, quidvè ſimile exequendo, vt indulgentias Stationum obtineat? Opus eſſe motu corporis, tenent Garnica *in expoſ. Bull. fol.* 39. Trullench *in Bull. lib.* 1. *§.* 6. *dubitat.* 2. *num.* 4. Contraria tamen ſententia eſt communiſſima, quam docent Graffis, PP. Azor, & Sa, quos refert, ac ſequitur Bonacina *de Sacrament. diſputat.* 6. *quæſt.* 1. *puncto* 5. *num.* 25. Vega *in ſumm. tom.* 2. *capit.* 7. Cruz *in Bull. diſputat.* 1. *capit.* 8. *dub.* 13. *num.* 4. Diana 1. *part. tract.* 11. *reſolut.* 102. P. Henriques *libr.* 7. *de indulg. capit.* 10. *num.* 1. Villalobos *tract.* 27. *clauſul.* 8. *num.* 6. Rodriguez *in Bull. in additionibus ad* §. 8. *numer.* 1. mutans ſententiam, quam docuerat. §. 8. *dubitat.* 7. *numer.* 12. Cardinalis Lugo *tom. de pænit. diſputat.* 27. *ſect.* 6. *numer.* 98. Vbi conſulit, vt aliquo geſtu,aut conuerſione capitis, vel corporis ſignificetur conuerſio animi ad ſingula altaria. Sed non eſt dubium;hoc eſſe tutius, ſemperque tutiora ſunt conſulenda non ſolùm in hoc, verùm in omnibus materiis. Aliud enim eſt, ſi inquirat quis, an poſſit hoc vel illud facere? aliud, ſi inquirat, quod erit tutius efficere? nam primæ quæſtioni ſatisfit per opinionem probabilem, aut probabiliorem, quamvis minùs tutam; ſecundæ verò ſatisfieri debet per ſententiam tutiorem; eſtò ſit minùs probabilis: Vt eſt ſententia prima circa hanc quæſtiunculam. Cardinali Lugo ſubſcribit omnino P. Quintanadueñas *eo tract.* 6. *appendis, dubitat.* 5. Ipſe etiam Trullench probabilem iudicat hanc ſententiam communem.

47 Amplectenda eſt hæc ſecunda ſententia. Etenim in Bulla non requiritur ad viſitationem præfatam motus vllus corporeus,& aliundè intelligitur abſque illo viſitatio quinque altarium, vel quinquies repetita,dum ea ſit mens,ac intentio orantis, dirigere nempè orationem ad diuerſa altaria, vel ad vnum quinquies,in qua animi,mentiſque directione ad altare conſiſtit viſitatio altaris, pluſquàm in inclinatione, ſeu conuerſione corporis ad illud; ergo non eſt neceſſarius ad eiuſmodi viſitationem motus corporeus,nec reſtringere debemus, vbi indultum non reſtringit. Etquidem tunc moraliter prudenterque iudicatur,aliquem viſitare altaria,

cum

Digitized by Google

cum moraliter eſt præſens omnibus, & ad ea dirigit orationem. Quòd ſi vnicum ſit altare, quæ ratio, aut conuenientia ſuadere poteſt, vt quis quinquies illud viſitans ſurgat quinquies, vel egrediatur ab Eccleſia, ſeu Oratorio, ac iterum redeat? Hoc profectè inane eſſet, & abſque vllo fructu ſpirituali, quare extra Pontificis mentem eſt cenſendum. Et hinc non ſubſiſtit conſilium Cardinalis Lugo, & P. Quintanadueñas; ſi enim cum vnicum eſt altare, non eſt opus motu corporis, vt quinquies viſitetur, ſed ſufficit, ſi quinquies ad ipſum oratio dirigatur; quæ maior eſt congruentia in eo, quòd præſens moraliter quinque altaribus in ſingulorum viſitatione aliquem motum corporis exerceat? Sanè tam præſens eſt moraliter (vt ſupponimus) eis quinque altaribus, ac vni, cum vnicum extat deinde ad vnum dirigit quinquies orationem, ſicut ibi dirigit ad quinque; ergo ſicut ſine conuerſione corporis, aut capitis intelligitur quinquies oratio conuerſa, ſeu directa ad vnum altare, ſic etiam ſine conuerſione corporis, aut capitis intelligetur oratio conuerſa, ſeu directa ad quinque altaria, directionem, ac conuerſionem præſtante animi intentione. Ipſe autem P. Quintanadueñas expreſſe aſſerit, cum vnicum eſt altare, cordis intentione fieri orationum diſtinctionem, nec eo caſu conſulit motum corporeum.

48 Emanuel Rodriguez *ſuprà* citatus tenuerat (quod poſtea retractauit) opus eſſe motu corporeo ad viſitationem altarium, vt indulgentia Stationum obtineretur; excepit tamen caſus, in quibus viſitans eſſet ægrotus, à locoque moueri nequiret, vel ſi quis viſitaret Oratorium, aut demùm ſi Eccleſia eſſet plena hominibus, nec poſſet viſitans loca mutare. In hoc videbatur ſupponere, opus eſſe non ſolùm motu corporis, (hic enim, etiam ſi Eccleſia eſſet hominibus referta, exerceri poſſet, inclinando nempè caput, vel corpus) ſed etiam motu locali, quod omnino eſt falſum, dum quis eſt præſens moraliter omnibus altaribus; quo caſu ipſe Author loquebatur; alioquin etiam ſi plena eſſet hominibus Eccleſia, non diceretur quis viſitare altaria; nam præſentia morali deficiente, eodem modo ſe ille haberet, ac ſi verſaretur in agro, aut in foro, cum tam non eſſet præſens moraliter in vno loco ac in alio. Deindè ſupponere videbatur, impotentiam adimplendi requiſitum poſſe efficere, vt abſque requiſito indulgentia obtineretur, quod eſſe falſiſſimum, ſæpiùs *in ſuperioribus* repetiuimus: Si ergo eſſet conditio neceſſaria motus corporeus, aut localis, abſque eo nullus obtineret indulgentiam; ſicut quia viſitatio altarium eſt conditio neceſſaria, non obtinet indulgentiam hanc ægrotans in lecto, etiam ſi ibi oret; Cum ergo à concedente indulgentiam non diſtinguitur inter potentem exequi requiſita, & non potentem, nulla prorsùs eſt inter eos diſtinctio facienda; ſed videndum tunc, an aliquod, de quo dubitatur, ſit requiſitum, necne; ſi enim ſit requiſitum, omnes tenentur illud apponere, vt lucrentur indulgentiam, ſi verò non ſit, nullus tenetur.

49 Quæritur tertiò, an cum Eccleſia eſt plena hominibus, ſufficiat, eam à foris viſitare, vt indulgentiæ Stationum obtineantur? Non ſufficere, ſi à foris non videat quinque altaria, tenent Trullench *ſuprà §. 6. dubitat.* 2. Ludouicus à Cruce citatus ab ipſo (pro oppoſita opinione relatus à P. Quintanadueñas *dub.* 5.) Nuñus, & Cardinalis Lugo; quorum aliqui cenſent, ad lucrandum Iubilæum; in quo ſolum exigitur Eccleſiæ viſitatio, ſufficere à foris eam viſitare. Ipſe autem Quintanadueñas cum Corduba, Villalobos, Bonacina, Graffis, PP. Suario, & Sa, affirmat, poſſe quem ab oſtio non ſolùm corde, & intentione, ſed etiam corporis, aut capitis inclinatione, vel motu versùs quinque altaria conuerti, cum ſciat, vbi ſit vnumquodque illorum. Fauet etiam huic aſſerto, Rodriguez *ſuprà num.* 12. Cæterùm Diana (cui conſentire videtur Nuñus) 1 *p. tract.* 11. *reſol.* 103. defendit, viſitare Eccleſiam à foris ſufficere quidem pro viſitatione vnius altaris, ideoque opus eſſe, alia quatuor altaria, vel Eccleſias viſitare.

50 Hæc Dianæ reſolutio non eſt vera, & inconſequens præterea ipſius doctrina videtur. Etenim *reſol.* 102. docet, non eſſe neceſſarium motum corporis, quando viſitantur quinque altaria, vel quinquies vnum altare; ergo, dum ait, ſufficere pro viſitatione vnius altaris, Eccleſiã ab oſtio viſitare, ſi quinquies quis illam ſic viſitet, etiam abſque motu corporis, ſufficiet, vt indulgentias Stationum lucretur; ſicut ſi in illa Eccleſia vnicum eſſet altare, ſufficeret iuxta doctrinam huius Authoris, illud quinquies, etiam abſque motu corporis, viſitare: Et in hoc caſu, ſi ille ab oſtio non ſit præſens moraliter niſi vni altari, reſpectu illius perindè ſe res habet, ac ſi vnicum eſſet altare in Eccleſia. Et ſicut poteſt quis ad obtinendas has indulgentias viſitare Eccleſiam, in qua vnicum eſt altare, quinquies ad ipſum orationem dirigendo, quantumvis queat aliam Eccleſiam adire, in qua ſint quinque altaria, ita etiam poteſt quinquies eam Eccleſiam hominibus plenam ab oſtio viſitare.

51 Itaque ſentio, ſi quis in caſu prædicto eſt præſens moraliter quinque altaribus, poſſe

poſſe ea à foribus viſitare; nec enim requiritur amplius, vt viſitet altare, quàm vt audiat Miſſam in altari, ſatisfaciatque præcepto; at ſatisfacit, ſi audiat Miſſam in altari, cui præſens eſt moraliter, ergo etiam ſatisfacit viſitationi altarium requiſitæ ad lucrandas Stationum indulgentias, ſi præſens moraliter altaribus ea viſitet. Vnde caſu, quo quinque altaribus ſic præſens ſit, non ſatisfaciet, ſi vnum quinquies viſitauerit, ſicut non ſatisfaceret, ſi intra ipſam Eccleſiam eſſet. Deindè ſi vni ſolummodò altari præſens ſit, tenendum eſt, quod *num. præcedenti* aſſerui; tutius tamen erit, alia quatuor altaria, vel Eccleſias viſitare. Demùm ſi nulli ſit præſens moraliter, ita vt nec ſatisfacere poſſet indè præcepto audiendi Miſſam, non poterit viſitationis requiſitum implere. Hinc ſi ianua Eccleſiæ ſit pœnitùs clauſa, nequibit altaria viſitare, cum ſic præſens moraliter non cenſeatur. Quando autem iudicetur quis præſens moraliter altari, facilè cognoſcere eſt; ſcilicèt cum attentis ſitu, loco, & circumſtantiis, poteſt dici, hic adſtat illi altari, ſeu illi eſt præſens. Exempli gratia; Si ianua Eccleſiæ ſit contra altare ſummum, etiam ſi quis aſſiſtat extra fores, poteſt aſſeri, moraliter eſſe præſentem ſummo altari, quare indè poſſet ſatisfacere præcepto audiendi ſacrum. Quòd ſi ianua Eccleſiæ eſſet in pariete collaterali, ſanè ſi quis eſſet extra Eccleſiam, non poſſet dici eſſe præſens altari ſummo, nec, ſi in eo celebraretur ſacrum, ſatisfaceret præcepto Eccleſiæ, illud exindè audiendo. Hinc philoſophari poteris, quando, & quomodo detur præſentia moralis ſufficiens tum ad auditionem Miſſæ, tum ad viſitandum altare, vel altaria, ad obtinendas Indulgentias Stationum, vel alium quemcumque Iubilæum, in quo Eccleſiæ viſitatio requiratur.

52 Quæritur vltimò, an ſufficiat ad lucrandas Stationum indulgentias viſitare Eccleſias, ſeu altaria cum temporis interruptione, ita vt vna hora diei viſitetur vnum altare, ſeu Eccleſia, poſtea verò in alia hora nec moraliter continuata viſitetur aliud, & ſic de ſingulis? P. Quintanadueñas *vbi ſuprà dubit. 5. numer. 6.* hoc attingit (nec vllum alium inueni, qui hanc quæſtiunculam excitaret) & ait, non eſſe opus, vt continuentur altarium viſitationes, ſed poſſe interrumpi quocumque temporis ſpatio, ita vt matutino tempore duo altaria poſſint viſitari, & veſpertino tria, aut è contra; vel vnum manè, cætera veſpere, ſiuè ſit in eadem, ſiuè in diuerſa Eccleſia. Etenim non exigitur à Pontifice, vt ad obtinendas indulgentias Stationum ſimul, & in eadem Eccleſia, quinque altaria viſitentur. Quod placet; nam à nobis reſtringendum non eſt, quod ab ipſo concedente indulgentias non reſtringitur, maximè cum ſit materia fauorabilis, liberum quem eſſe, vt ſimul, vel diuiſim viſitet Eccleſias, ſeu altaria; & aliundè viſitatio quinque altarium non ſit vnum opus moraliter, & per modum vnius ſumptum; ſicut in officio Canonico quælibet Horà eſt vnum opus, & quaſi indiuiſibile cenſetur, ita vt, ſi notabiliter interrumpatur, iuxta communem ſententiam neceſſe ſit, eam repetere; at quævis viſitatio vniuſcuiuſque altaris non habet connexionem, ſeu ordinem ad viſitationem alterius; ſed vnaquęque independenter ab aliis in ſe perficitur, & eſt adæquata viſitatio eius altaris; nec imperfecta cenſeretur, etiam ſi non viſitaretur aliud; ſicut cum in Iubilæo iniungitur viſitatio Eccleſiæ, per vnicam viſitationem ei requiſito ſatisfit, & non iudicaretur ea viſitatio imperfecta.

53 Cæterùm addit ipſe P. Quintanadueñas, poſſe quem diuerſis diebus viſitare altaria, ita vt vno die v. g. viſitet duo, alio autem die viſitet, tria & ſic lucrari indulgentias, non eas, quæ vtrique diei correſpondent, ſed eas, quæ vni diei, ac ſi illæ viſitationes vnico die fuiſſent peractæ. Penitùs in hoc mihi diſplicet hic Author. Primò, nam cum continuationem moralem non requirat, ſequeretur, poſſe quem viſitare duo altaria prima anni die, & tria quæ reſtãt vltima die anni, vel cum ſimili interruptione, ſicque adimplere requiſitam viſitationem, & lucrari indulgentias; ſi etenim non eſt neceſſarium, vt intra vnius diei ſpatium viſitatio completa apponatur, cum non ſit tempus determinatum ad eam ponendam, iuxta hunc ſentiendi modum, poterit differri pars illius, dum Bulla durat, vſque ad diem valdè diſtantem; quod ex ſe abſonum eſt, nec vlli, credo, facilè ſuadebitur.

54 Secundò; quia indulgentiæ Stationum iuxta dicta *in ſuperioribus* non ſunt æquales, ſed quibuſdam anni diebus indulgentia plenaria obtinetur, aliis verò partialis. Demus ergo, quem incepiſſe viſitare altaria die, qua ſolùm partialis indulgentia obtinebatur, & perfeciſſe viſitationem, die, qua plenaria obtinetur; Ait hic Author, ſolùm obtinere indulgentiam correſpondentem vni diei: inquiro, cui diei? an primo? an vltimo? Non primo, quia non perfecit requiſita ad indulgentias affixas illi diei, non vltimo, quia ſi intentionem non habuit primo die, vt ea viſitatio altarium tunc facta eſſet medium ad obtinendas indulgentias vltimi diei, & illa ſanè per accidens ſe habet, atque adeò non iudicatur is exequi requiſita hic, & nunc ad eas lucrandas. Sed nec, ſi habuerit intentionem, quidquam

Digitized by Google

quidquam prodeſt, quia hæc altarium viſitatio eodem die, quo obtinetur indulgentia, apponenda eſt; ex ipſa enim mente Pontificis vſu fidelium, & ratione liquet, alligatam eſſe diei viſitationem, ſicut & indulgentiam; cum enim ſingulis diebus correſpondeat diuerſa indulgentia Stationum, ſic & diuerſum requiſitum, ſiquidem Romæ Statio fit eodem die, quo obtinetur indulgentia; & Stationi correſpondet altarium viſitatio, atque adeò etiam eodem die eſt præſtanda integrè & adæquate, quaſi penſum diei. Et quidem ex oppoſito ſentiendi modo poſſent à paritate aliquæ conſequentiæ abſurdæ inferri; quas miſſas facio, ſatis enim ex libatis hic veritas claret.

DISPVTATIO XXI.

De Retentione Bullæ Cruciatæ, & inſcriptione nominis in ipſa.

Verba Bullæ Latinæ ſunt: *Item mandatur, vt ſummarium hoc per omnes Chriſti fideles ad prædictum bellum contribuentes, qui huiuſmodi gratiarum participes eſſe voluerint, recipiatur, & retineatur; ne circa conceſſas ſibi gratias errare, neuè alij illas ſibi vſurpare poſſint, & vnuſquiſque, qua facultate eiſdem gratiis, & facultatibus vtatur, docere valeat*: In Hiſpana autem Bulla aſſeritur. *Y declaramos, que los que la tomaren, ayan de recibir, y guardar eſte Sumario, y Bula, que va impreſſo de molde, y ſellado, y firmado de nueſtro nombre, y ſello; porque de otra manera no ganan, ni gozan de la dicha Bula, ni gracias della. Y por quanto vos N. diſteis : : : reales de plata, que es la limoſna, que auemos taſado, y declarado, y recibiſteis eſta dicha Bula, eſcrito en ella vueſtro nombre, declaramos, que aueis conſeguido, y ſe os conceden las dichas indulgencias, gracias, y facultades, y que podeis vſar, y gozar de todas ellas en la forma ſobredicha*: Licèt hæc verba in Bulla Hiſpana ſint in ipſius calce poſt alia, quæ adhuc non fuerunt à nobis expoſita; tamen, quia in Latina priùs extant, eius ſequentes ordinem, hoc loco ipſorum declarationem annectimus.

CAPVT I.

De retentione Summarij Bullæ Cruciatæ.

1 CONueniunt omnes Bullæ Cruciatæ Expoſitores, Anton. Gomez *ad clauſul.* 11. *numer.* 12. Villalob. *tract.* 27. *clauſul.* 12. *num.* 21. P. Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. c.* 20. *num.* 3. Rodriguez, Cruz, & Diana, quos refert, & ſequitur Trullench *lib.* 1. §. 1. *dub.* 4. non eſſe neceſſarium, vt quis ſecum Bullæ ſummarium afferat, eius priuilegiis fruiturus; ſed ſufficere, ſi apud ſe domi ſuæ, vel apud alium in cuſtodia illam habeat, ita vt moraliter ipſam retinere dicatur. Quòd ſi inculpabiliter eam amittat, non propterea non fruiturum eſſe illius indultis, eo quòd & contra æquitatem, & contra menten Pontificis eſſe videatur. Si verò culpa ſua graui quis Bullam rumperet, aut amitteret, tunc non poſſe gaudere illius priuilegiis, quia eo caſu moraliter non retineret Bullam; & à Pontifice præcipitur, vt retineatur; quod tamen præceptum non eo rigore eſt ſumendum, vt ſi inculpabiliter amittatur, tunc etiam vrgeat; nam per illum moralis dumtaxat diligentia in Bulla retinenda præfigitur.

2 Ex his reſpondent obiectiunculæ, nempè ad obtinendas alias indulgentias conceſſas imaginibus, aut granis, non opus eſſe, retinere ſumarium, in quo eiuſmodi indulgentiæ ſunt conſcriptæ; ergo nec debet eſſe opus, retinere ſummarium Bullæ, ad lucrandas indulgentias, & indulta Bullæ; reſpondent, inquam, id in præſenti opus eſſe, quia à Pontifice exigitur non verò in aliis indulgentiis. Et quidem olim non accipiebatur Bullæ ſummarium, ſed erogantes eleemoſynam conſcribebantur in Libro Depoſitarij; quod ſufficiebat, vt fruerentur Cruciatæ indultis; poſtea verò Pontifex iniunxit, vt ſummarium prædictum acciperetur, ac retineretur.

3 Doctrina adhuc poſita eſt communis, & tutior. Nihilominùs cenſeo, eo ipſo quòd quis Bullam acceperit, erogans pro ea eleemoſynam, licèt poſtea culpabiliter, aut inculpabiliter eam amittat, aut rumpat, poſſe adhuc omnibus eius priuilegiis frui. Iudicauit hoc probabile Baſilius Legionenſis *in explicatione manuſcripta Bullæ cap. vlt. numer. penult.* Debuiſſetque Trullench id reputare verum; nam *vbi ſuprà numer.* 2. ait: *Vnde conſtat, verbum retinere, in Bulla Latina poſitum, non præceptum, ſed conſilium continere.* Quòd ſi ſolummodò conſulit Pontifex, & non præcipit retentionem Bullæ, inconſequenter ait hic Author, non valere Bullam, ſi non retineatur ex negligentia graui, hæc enim negligentia contrariabitur conſilio, non præcepto, deficiente autem præcepto, deficit vnicum fundamentum doctrinæ *ſuperiùs* poſitæ, quam Trullench ſequitur. Nec poteſt ſaluari diſparitas ibi poſita inter amiſſionem inculpabilem, & culpabilem Bullæ, in ordine ad valorem illius, ſi ſemel concedatur, conſuli à Pontifice, non præcipi retentionem. Quippè valor

lor conceſſionis alicuius priuilegij non deficit ex defectu operis ex conſilio iniuncti in eadem conceſſione, quod & in noſtra Bulla in aliquibus caſibus vidimus *in ſuperioribus*, & mille exemplis oſtendi poſſet, & demum ex ſe manifeſtum apparet.

4 Hinc primam rationem efformo pro noſtra opinione. Retentio Bullæ non ex præcepto, ſed ex conſilio iniungitur à Pontifice; igitur etiam ſi non retineatur, quomodocumque retentio deficiat, poterit quis eius vti priuilegiis. Etenim non exequi opus ex conſilio iniunctum, valorem conceſſioni priuilegij non detrahit, quantumvis ea non executio ortum habeat ex negligentia, quæ in præſenti vocatur culpa, ſeu culpabilis non retentio. Cæterum retentionem Bullæ non eſſe iniunctam ex præcepto, ſed ex conſilio, & concedit vnus ex aduerſantibus Trullench, & infertur ex rationibus nunc pro concluſione noſtra adſtruendis.

5 Igitur ſecunda ratio ſit. Tam non retinet moraliter Bullam, qui inculpabiliter eam amiſit, ac non retinet, qui culpabiliter; ſed poteſt ille vti priuilegiis Bullæ, ergo & hic. Minor eſt doctrina communis; maior probatur; nam ad retentionem moralem opus eſt, vt res apud aliquem extet Domini nomine; vt ipſi aduerſarij probantes, non opus eſſe, vt quis Bullam ſecum habeat, id inde confirmant, quia vt aliæ res retineantur moraliter, vt fundus, domus, libri, ſat eſt ſi in alterius cuſtodia, Domini tamen nomine extent, hoc tamen eſt neceſſe; nec quis dicet, ſe retinere moraliter librum, qui etiam abſque ipſius culpa amiſſus, ruptus, aut combuſtus fuit; igitur nec moraliter retinetur Bulla etiam abſque culpa amiſſa, rupta, vel combuſta.

6 Tertiò. Finis præcipuus in acceptione Bullæ reſpectu diſtribuentis ille eſt, vt eleemoſyna erogetur; hac autem erogata, cætera, quæ exiguntur à Pontifice, ſeu ob quæ retentio mandatur, eodem modo poſſunt obtineri, ſiuè retineatur Bullæ ſummarium, ſiuè conſultò rumpatur, cur igitur Bullæ priuilegia non valeant? Etenim retentio mandatur, ne quis erret circa priuilegia, & indulta; quibus per Bullam vti poteſt, & ne alius ſibi eam Bullam vſurpet. Tunc ſic. Pone, quem conſultò ſuam Bullam rumpere, aut eius negligentia comburi nemo illa vti poterit. Imò & ſi amittatur, & quis præſumat vti illa, ſanè præſumens id delinquet grauiter, non verò propterea ille, cuius Bulla erat, non valebit vti ipſius indultis; ſicut valet; ſi idem contingat, inculpabiliter amiſſa Bulla; vel ſi ſuum nomen in ea non ſcripſiſſet, iuxta dicenda *c. ſeq.* & alius illam ſibi arriperet. Præterea vt non erret ille in facultatibus, ſufficit ſum matium alicuius anni præcedentis, cum in Bullæ Hiſpanæ ſubſtantia, indultis, & priuilegiis nihil mutetur, ſed Bulla præcedens transcribatur. Imò poteſt quis abſque ſummario rectè callere, quæcumque in Bulla continentur; ergo non adeò vrgent ea, ob quæ retineri Bulla mandatur, vt colligere liceat, eam retentionem eſſe ſimpliciter neceſſariam, ſed ſolùm ad melius eſſe iniungitur hoc conſilium.

7 Dices primò; à Pontifice mandari retentionem. Reſpondeo, ea verba inſinuare conſilium, non præceptum, vt colligitur ex dictis. Deindè eſtò eſſent præceptum, non tamen inde infertur, Bullam non fore valituram, niſi retineatur; ſicut mandatur à Pontifice, vt preces fundãtur ad Deum, quoties quis audit Miſſam ex Bullæ priuilegio in Oratorio priuato, & nihilominus, vt diximus *diſp.* 15. *num.* 17. Miſſæ præcepto ſatisfaciet, etiam ſi preces non fundat, ſolúmque erit culpa venialis, vtpotè tranſgreſſio præcepti in releui. Idem hic poſſet affirmari, quia attentis circunſtantiis, & rationibus expoſitis, res leuis eſt retentio Bullæ. Et quidem verba, quibus aliquid iniungitur, niſi clarè mentem Superioris manifeſtent, ſæpè indifferentia ſunt, vt conſilium, aut præceptum ſignificent, & ex materia ipſe, atque circunſtantiis colligitur quodnam illorum ſit. In præſenti autem verba retentionem deſignantia ſunt huiuſmodi, ſi quidem ipſe Trullench nobis contrarius conſilium in eis dumtaxat recognouit, & nos ex dictis, & dicendis reddimus id planius.

8 Dices ſecundò; ſequi ex doctrina tradita, nec etiam eſſe opus acceptione ſummarij Bullæ, ſed ſufficere erogationem eleemoſynæ pro illa. In primis inſto argumentum in aduerſarios, caſu quo Bulla inculpabiliter amittatur; ſi enim tunc abſque reali illius retentione, priuilegia proſunt, cur non proderunt abſque acceptione reali? Deinde non eſt recta argumentatio à neceſſitate acceptionis ad neceſſitatem retentionis; nec è contra à carentia neceſſitatis retentionis ad carentiam neceſſitatis acceptionis; tum in communi, quia ad obtinenda beneficia Eccleſiaſtica ſæpè neceſſarium eſt accipere à Pontifice Bullas, ſemel autem acceptis, & Beneficij tradita poſſeſſione, licèt Bullæ ex negligentia amitterentur, non propterea amitteretur Beneficium; quod pluribus aliis exemplis poſſet confirmari; tum in ſpeciali, quia in acceptione Bullæ Cruciatæ eſt peculiaris, ratio, quæ in retentione non militat; quippè non alio modo de facto conſtat, nec conuenientiùs conſtare poteſt, quota fuerit eleemoſyna aggregata in ſubſidium belli, niſi ex acceptione Bullarum: Depoſitario enim traditur numerus determinatus Bullarum, qui reddere debet

bet eleemoſynam illis correſpondentem, vel Bullas ipſas. Quòd ſi quis eleemoſynam præſtaret, & Bullam non acciperet, poſſet Depoſitarius eleemoſynam ſibi vſurpare, cum non poſſet ab eo poſci à miniſtris Regiis, dum ipſe Bullas quaſi non acceptas redderet. Hoc ampliùs cernere eſt, in Bullis Compoſitionum & defunctorum quæ ſanè debent accipi, nec poſteà debent retineri, cum id ad nullum finem ſit opus, nec à Pontifice, aut Commiſſario exigatur.

9 Vrges; ſaltem hinc ſequi poſſe fraudem; nam, ſi ſufficiat, accipere Bullam, eleemoſyna erogata, poterit quis eam acceptam ſtatim tradere ipſi Depoſitario, vt ex ea emolumentum ſibi adquirat. Sed inſto manifeſtè in Bullis Compoſitionum, & defunctorum, quarum retentio neceſſaria non eſt, & poſſet eadem fraus committi. In vtroque ergo caſu vterque peccaret, ſicut peccaret, qui Bullas aliorum nomine proprio non notatas ſurriperet, vt ab aliis eleemoſynam pro illis ſibi adquireret; At quia non omnibus fraudibus poteſt occurri, iis occurritur, quæ faciliùs, aut commodiùs vitari poſſunt, quæque faciliùs, aut communiùs poſſent committi; vt poſſet fraus *numero præcedenti* libata. Et fortaſsè, cum olim ſufficeret, erogantes eleemoſynam conſcribi in libro Depoſitarij, inter alias rationes, etiam hæc vitandi fraudes mouit ad ſummaria Bullæ typis excudenda, & erogantibus eleemoſynam deſignatam donanda.

10 Adhuc reſtat alia magis præcipua ratio, peculiaris in acceptione Bullæ; nempè Pontificis eſſe mentem, vt non alio modo valeat, niſi accipiatur, quocumque modo acceptio deſit; non tamen eſt eius mens, vt non alio modo valeat, niſi retineatur, quocumque modo retentio deficiat; ſi quidem iuxta aduerſarios, ſi inculpabiliter deficiat, nihilominùs valet; igitur diſparitas eſt inter acceptionem, & retentionem, nec ab vna ad aliam fit rectum argumentum. Quare in Bulla Hiſpana arctior eſt tranſcriptio, quam in Latina; & videtur mutata ſubſtantia, cum aſſeritur, Bullam non valere, niſi accipiatur, & ſeruetur; hoc enim in Latina non extat. Vndè non eneruatur reſolutio noſtra. Abſolutéque omnia priuilegia, quæ non ſunt viuæ vocis oracula, hoc ſpeciale habent, quòd accipi debeant, non retineri, quoad forum conſcientiæ.

11 Dices demum, amiſſa, aut rupta Bulla, ſi quis prohibeatur audire Miſſam tempore interdicti, niſi oſtendat priuilegium, vel Sacerdos electus ab illo nolit abſoluere, aut in articulo mortis, ignoretur, an habeat Bullam, vt applicetur ei indulgentia poſt loquelam amiſſam, non poterunt hæc præſtari; ergo opus eſt Bullæ retentione. Hæc ſanè probant, omnibus ſedulò eſſe curandum, Bullam diligenter aſſeruare, ne per accidens his bonis ſpiritualibus priuentur; non tamen ſuadent, abſolutè eum nequire frui eis priuilegiis; quod à paritate clarè conſtat; nam eadem omnino ſequuntur, ſi ille Bullam inculpatè amiſerit, & tamen eo caſu omnes fatentur, Bullam ei prodeſſe. Eadem etiam ſequuntur, ſi quis domi ſuæ in cuſtodia Bullam habeat, & iter aliquod peragat per loca, vbi ſit interdictum, aut in illis velit eligere Confeſſarium, aut in articulo mortis verſetur. Alia circa acceptionem Bullæ videantur *ſuprà diſputation.* 3.

CAPVT II.

De inſcriptione nominis in ſummario Bullæ Cruciatæ.

12 IN Bulla Latina non extat præceptum, aut conſilium de inſcribendo nomine accipientis Bullam in ipſa; in Bulla verò Hiſpana & relinquitur locus, vbi conſcribatur, & aſſeritur; *Recibiſteis eſta dicha Bula, eſcrito en ella vueſtro nombre*; Pariter etiam locus vacuus relinquitur, vt inſcribatur accipientis nomen in Bulla compoſitionis, lacticiniorum pro Eccleſiaſticis, & Defunctorum; atque in hac vltima etiam datur locus, in quo nomen defuncti, pro cuius anima accipitur, exaretur. Cæterùm hæc inſcriptio, vt omnes Authores *ſuprà* citati docent, non eſt neceſſaria ex præcepto; hoc enim nec ex verbis Commiſſarij poteſt colligi, nec in Bulla Latina aliquid de huiuſmodi inſcriptione extat, vnde ei non potuit addi præceptum; ſicque fidelibus perſuaſum eſt, qui aliquando nomina ſua in Bullis non ſcribunt. Optimum tamen conſilium eſſe, rectè monent prædicti Authores, nomen inſcribi; vt, caſu quo abſque vocis vſu quis eſſet in articulo mortis, clariùs conſtet, habere Bullam, vt ei indulgentia plenaria applicetur; &, ſi interdicti tempore obeat, ſepultura Eccleſiaſtica cum moderata pompa funerali donetur.

13 Poteſt quis Bullam pro alio accipere, etiam illo neſciente: ſed tunc, vt alius ille priuilegiis Bullæ potiatur, opus eſt, vt id ſciat, & conſentiat; non enim potiri eis valet, donec conſentiat, hocque modo concurrat acceptando Bullam. Ita P. Suarez *tom. 4. in 3. p. d. 52. ſec. 7. num.* 5. Qui addit, ad obtinendam indulgentiam, ſi quæ conceditur in ipſa acceptione Bullæ, ſat eſſe ratihabitionem poſteà ſubſequutam, vt notauit Corduba *q. 26.* quia iuxta iuris regulas ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur. Notat verò fructum indulgentiæ non comparari vſque ad

ad tempus ratihabitionis. Idque dumtaxàt affirmaſſe forſitan Sotum, cum aſſeruit, vt qui lucretur indulgentias, ſufficere, ſi alius pro illo Bullam accipiat, etiam ſi ipſe acceptionem ignoret, interpretatur *ibi* P. Suarez.

14 Sed quamvis in pluribus ratihabitio retrotrahatur, videtur, in præſenti non habere locum eám regulam iuris, quæ non militat in omni materia, & euentu. Quippè vt quis per aliquod medium requiſitum indulgentiam lucretur, opus eſt, vt ſæpè *in ſuperioribus* diximus, applicare illud medium ad indulgentiæ obtentionem, ita vt habeat intentionem lucrandi eam, at dum alius Bull. pro me ignorante acceptionem ſumpſit, non potui ego acceptionem illam applicare ad indulgentiam obtinendam; ergo per eam acceptionem iam tranſactam nequeo indulgentiam obtinere, nec mea ratihabitio ſubſequens poteſt facere, vt ea acceptio mihi ad eum finem proſit. Cæterùm ſtatim ac quis acceptat Bullam pro ſe ſumptam ab alio (ſi cætera requiſita adſint) obtinebit eam indulgentiam, ſi quæ in acceptione Bullæ conceditur; quia tunc iudicatur ille accipere; cum hæc acceptio non ſit exiſtimanda materialis, ſed formalis, & hæc non alia ſit, quam acceptio, ſeu acceptatio Bullæ facta ab eo, qui ea vſurus eſt, non verò facta ab eo, qui non eſt vſurus illa. Aſt, vt ex *ſuperioribus* conſtat, per ipſam acceptionem Bullæ nulla obtinetur indulgentia, niſi accedant alia media expoſita *ſuprà diſp.* 6.

15 Poteſt quis, erogata eleemoſyna, plures ſumere Bullas, animo eas pauperibus diſtribuendi, licèt non determinauerit, cum accepit, perſonas, quibus eſt donaturus illas. Quòd ſi determinet perſonam, pro qua Bullam accipit, & ea aut nolit acceptare, aut non indigeat eiuſmodi Bulla, eo quòd aliam iam habeat, poterit is, pro quo Bulla ab alio eſt accepta, eam alij concedere, vt poſſit eius priuilegiis potiri. Et hoc verum eſt, quamvis primus, qui accepit Bullam pro eo, ipſius nomen in illa inſcripſerit, parum enim ad hoc refert inſcriptio nominis vnius, aut alterius, vel ablatio illius, ſolum namque inſpicienda eſt applicatio. Nec committitur crimen falſi, in emendatione alicuius litteræ ob ignorantiam malè appoſitæ in Bullis Apoſtolicis, *cap. ex conſcientia, de crimine falſi*, Gerſon 2. *part. alphab.* 3. *num.* 118. Nauarrus, & alij, quod multò minùs committitur in Bulla Cruciatæ circa appoſitionem nominis propter dicta. Attamen ſi quis ſibi Bullam iam applicauit, non poterit alteri applicare camdem; nam tunc Pontifex cenſetur ipſi determinatè conceſſiſſe ea priuilegia, quæ nequit ipſe pro libito alteri concedere.

16 Diana 1. *part. tractat.* 11. *reſolut.* 95. citans pro ſe Vegam, & Medinam, docet; ſi Petrus ſumit Bullam pro Ioanne, qui iam aliam acceperat, non poſſe Petrum illam alteri applicare, quia realiter eam ſumpſit cum intentione applicandi ipſam Ioanni, & non alteri. Diſplicet prorſus; etenim ea intentio non ſolùm eſt de traditione Bullæ, ſed de vſu illius, quem Ioannes exerceat, at, non obſtante ea intentione, poteſt Ioannes non vti illa, ſed tradere alteri eam Bullam, igitur intentio illa nihil operatur, alioquin etiam operaretur, vt nullus alius poſſet vti eiuſmodi Bulla propter rationem eamdem aduerſantium, nempè quia fuerat intentio Petri, vt nullus alius, niſi Ioannes, ſeu vt Ioannes, & non alter illa vteretur. Præterea ea intentio effectum non ſortitur, donec Bulla acceptetur à Ioanne, habet namque implicitè imbibitam conditionem, ſi Ioannes acceptet; ea enim, ad quæ, opus eſt, vt duo concurrant, alterutro deficiente, non ſortiuntur effectum. Quare illa conditione non appoſita, liber manet Petrus ad applicandum alteri Bullam; ſicut qui offert alteri nummos, animo vero donandi, ſi non acceptentur, manet adhuc dominus eorum, poteſtque alteri donare. Itaque Bullæ applicatio quaſi effectiua in ſuſpenſo eſt, donec acceptetur, & propter conditionem imbibitam; & quia, dum offerens, & acceptans non concurrunt, non datur locus applicationi in exercitium redactæ, nec eſt, ad quem Bulla illa pertineat.

DISPVTATIO XXII.

De electione Confeſſarij approbati per Ordinarium, conceſſa per Bullam Cruciatæ.

Ait Bulla Latina: *Item quò omnes, & ſinguli prædicti puriùs ad Deum preces fundere, & efficaciùs diuinum auxilium implorare poſſint, conceditur, vt poſſint eligere Confeſſorem ſæcularem, vel cuiuſcumque etiam Mendicantium Ordinum regularem, ex his, qui ab Ordinario, & quoad regulares, qui ſemel tantum approbati fuerint, & ab eo quorumcumque peccatorum, & cenſurarum (etiam Sedi Apoſtolicæ, & in Bulla Cœnæ Domini reſeruatorum, & reſeruatarum) plenariam indulgentiam, & remiſſionem ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo: aliorum verò Sedi Apoſtolicæ non reſeruatorum, ac reſeruatarum, toties, quoties confitebuntur, abſolutionem, & remiſſionem, mediante ſalutari pœnitentia, ſecundùm culparum*

culparum indigentiam obtinere. Modo in caſibus, in quibus neceſſaria erit, per ipſos, vel dato impedimento, per hæredes, aut alios ſatisfactio fiat. In Bulla Hiſpana vertitur: *Iten, para que con mas puridad, y limpieza de ſus conciencias puedan hazer oracion, concede ſu Santidad à todos los ſuſodichos; que puedan eligir por Confeſſor à qualquier Presbytero Secular, ò Regular de los aprouados por el Ordinario, el qual los pueda abſoluer vna vez en la vida, y otra en el articulo de la muerte qualeſquier peccados y cenſuras, aunque ſean de los reſeruados, y reſeruadas à la Sede Apoſtolica, y de los declarados en la Bulla in Cœna Domini, excepto del crimen y delito de la heregia, y que conſigan, y ayan indulgencia plenaria dellos: Y de las cenſuras, y pecados no reſeruados à la Sede Apoſtolica los puedan abſoluer tantas, quantas vezes los confeſſaren con penitencias ſaludables conforme à las culpas. Y en caſo, que ſea neceſſario ſatisfacion, para conſeguir la dicha abſolucion, la hagan por ſus perſonas; y auiendo impedimento, la puedan hazer ſus herederos, ò otros por ellos.* Materia hic contenta latiſſima eſt nec minùs vtilis, quare diſputationibus quatuor ſequentibus erit à nobis examinanda, ac exponenda.

CAPVT I.

Aliqua circa Confeſſarium prælibantur.

1 SVPPONENDVM eſt, solum Sacerdotem eſſe miniſtrum Sacramenti pœnitentiæ, quod contra Vuiclephum, & alios hæreticos, Caluini, ac Lutheri ſectatores in Tridentino, & aliis Conciliis definitum eſt, vt videri poteſt apud Cardinalem Lugo *tom. de pœnit. d.* 18. *ſ.* 1. Vnde nec in caſu neceſſitatis laïcus, aut ſacris initiatus, ſed non Sacerdos, miniſter eſſe poteſt huius Sacramenti; quòd ſi in mortis articulo abſit Sacerdos, neceſſum non eſt confiteri cum non Sacerdote, eſtò, non in ordine ad abſolutionem, ſed ad humilitatem propriam exercendam, aliquando poſſet eſſe vtile, dum inde aliquod non ſequeretur incommodum in audiente. Videatur Leander de Sacramento *tom.* 1. *quæſtionum moralium, tract.* 5. *d.* 11. *q.* 3. *&* 4. Vbi de hac re plures citat, vt aſſolet, Authores. Quin in articulo mortis, etiam deficiente Sacerdote, Laïcum non poſſe validè ab excommunicatione abſoluere, mihi verius eſt cum PP. Vazquez, Suarez, Thoma Sanchez, Coninch, Layman, Nauarro, Couarruvias, & aliis, quos *vbi nuper* affert Cardinalis Lugo; licèt pro oppoſita ſententia tot ſint Authores *ibidem* relati, vt de eius probabilitate nequeat dubitari.

Mendo in Bull. Cruciat.

2 Cæterùm non omnis Sacerdos (excepto articulo mortis) huius Sacramenti validus eſt miniſter: nam requiritur in miniſtro poteſtas ordinis, quæ dicitur remota, & accipitur in ipſa receptione Ordinis Sacerdotalis, qua quis fit capax iuriſdictionis accipiendæ ad ligandum, & ſoluendum; & prætereà exigitur poteſtas iuriſdictionis, quæ nuncupatur proxima, ſiuè ſit ordinaria, ſiuè delegata, quæ non accipitur in Ordinis receptione, ſed aliundè aduenit, vt definitum eſt in Tridentino, *ſeſ.* 14. *c.* 7. De quo conſule inter alios Gaſparem Hurtado *de pœni. diſp.* 10. *diffic.* 2. Poteſt tamen quilibet Sacerdos à peccatis venialibus abſoluere; quibus conceſſa eſt hæc facultas, quia non alia prudentia, aut eruditio ad hoc eſt opus, niſi verborum abſolutionis ſcientia. Legatur P. Granado *in* 3. *p. tract.* 10. *diſp.* 4. *ſec.* 1. Imò praxis fidelium, & conſuetudo Eccleſiæ ſemper fuit, vt omnes Sacerdotes poſſint abſoluere à mortalibus ſemel iam ritè confeſſis, vt contra nonnullos docent Candidus, PP. Fagundez, Layman, & alij innumeri, quos ſectatur Bonacina *diſp.* 5. *quæſt.* 7. *punct.* 1. *num.* 8.

3 Addit P. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. d.* 31. *ſec.* 2. *n.* 8. quem non pauci ſequuntur, quemlibet Sacerdotem poſſe abſoluere eum, qui bona fide confitetur cum eo peccata venialia, & mortalia, nam, dum abſoluit à venialibus, à quibus poteſt, indirectè à mortalibus abſolutionem præſtat; dum tamen pœnitens certior factus de carentia iuriſdictionis in eo, qui ipſum abſoluit, à legitimo Confeſſario iterùm directè abſoluatur. Mihi quidem ſaltem tutior eſt ſententia oppoſita, quam cum aliquibus tuetur Candidus *diſquiſit.* 24. *art.* 66. *num.* 4. & conſulerem, vt Sacerdos ea peccata mortalia audiens, admoneret pœnitentem, ſe non habere iuriſdictionem ad abſoluendum ipſum. Poteſt tamen quilibet Sacerdos Regularis, etiam abſque licentia Prælati abſoluere à venialibus, & mortalibus iam ſemel ritè confeſſis, vt cum pluribus contra Manuale Prælatorum tenet Leander *vbi ſuprà q.* 15. Peccabit tamen in præſtanda abſolutione, ſi præceptum de non præſtanda ei fuerit impoſitum.

4 Hi autem, qui à venialibus, & à mortalibus ſemel ritè confeſſis poſſunt abſoluere, non id ex poteſtate ſola Ordinis habent, ſed ex poteſtate iuriſdictionis, cum abſolutio ſit actus iudicialis iuriſdictionem requirens, vt contra Caietanum, Sotum, Coriolanum, & Molfeſium, docent Cardinalis Lugo, Nauar. PP. Suarez, Vazq. Granado, & alij quàm plurimi. Quæ iuriſdictio omnibus Sacerdotibus præſtatur ab Eccleſia, ſeu quod idem eſt, à Summo Põtifice, cum non ſit alius, à quo eam accipiant, quidquid aliqui excogitauerint

abſque ſufficienti ratione: ita tuentur Medina *Cod. de pænit. quæſt.* 36. P. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 1. P. Valentia *in* 3. *p. d.* 7. *q.* 10. *puncto* 2. Nauar. Candidus; Bonacina PP. Suares, Auila, & alij.

5 In articulo mortis quicumque Sacerdos poteſt eſſe miniſter Sacramenti pœnitentiæ, & abſoluere à quibuſvis peccatis, & cenſuris, ne quis æternùm pereat. Ita definitum eſt in Tridentino *ſeſſ.* 14. *c.* 7. Quæ facultas eſt ex iure Eccleſiaſtico iuxta communiorem ſententiam; vt videri poteſt apud Cardinalem Lugo *vbi ſuprà n.* 16. Dixi, *quicumque Sacerdos*; nam id poteſt etiam ſuſpenſus, excommunicatus, hæreticus, degradatus; cum nullus excipiatur à Tridentino; de quo P. Vazquez *q.* 93. *art.* 1. *dub.* 4.

6 Præſente adhuc proprio, & legitimo Confeſſario, poſſe ſimplicem Sacerdotem abſoluere in articulo mortis à quibuſcumque peccatis, & cenſuris, tuentur apud Cardinalem Lugo *vbi ſuprà n.* 23. Nauarrus, Petrus Ledeſma, Rodriguez, Vega, PP. Henriquez, & Sa, item Villalobos, Barboſa, Valerus, Coriolanus. Conradus, Angles, Zerola, Finelius, Comitolus, Marchinus, & alij quos affert, & ſectatur Diana 1. *p. tr.* 5. *reſ.* 5. & 3. *p. tr.* 4. *reſ.* 57. & 4. *p. tr.* 4. *miſcellan. reſol.* 161. Ioannes Sancius *in ſelect. d.* 44. *num.* 6. Chapiauile *de caſibus reſeruat. c.* 7. *in fin.* Hæc ſententia valdè probabilis eſt, ſaltem ob authoritatem extrinſecam, & tuta in praxi: Quare rectè ſuggillatur communiter P. Luiſius Turrianus, qui eam improbabilem eſſe docuit, & damnatam à Gregorio XIII. quippè nec de damnatione conſtat authenticè; nec, ſi data fuit, damnatio eſt cenſenda, ſed quædam reſponſio Pontificis.

7 Nihilominùs mihi tutior, & probabilior eſt ſententia oppoſita; Quam defendunt ipſe Cardinalis Lugo, & apud ipſum Sotus, Syluester, Couarruu. Simancas, Zambranus. PP. Thom. Sanchez, Suarez, Vazquez, Molina, Valentia, Azor, Coninch, & alij plures, Item Ochagauia, Bonacina, PP. Granado, Fagundez, Gaſp. Hurtado, Caſtro Palao, Cardinalis Bellarminus, quos citat, & ſequitur Leander de Sacramento *vbi ſuprà q.* 18. Etenim in Tridentino nouum ius non eſt conſtitutum, ſed Eccleſiæ conſuetudo fuit confirmata, hæc autem non fuit, vt præſente proprio Sacerdote, ſimplex in articulo mortis abſolueret, quod latè, & eruditè demonſtrat Cardinalis Lugo, *loco citato.* An autem articulus mortis ſit extendendus ad periculum mortis, dicemus *inferius diſp.* 27. *cap.* 3.

8 In prima ſententia relata *num.* 6. poteſt quilibet, etiam Religioſus, confiteri cuilibet Sacerdoti in articulo mortis, etiam ſi habeat peccata reſeruata, & ab eis abſolui, quin poſteà, ſi ſuperuiuat, teneatur comparere coram Superiore (hoc enim independens omnino eſt à Bulla Cruciatæ) Quippè, ſi poſteà ad hoc teneretur, non poſſet, præſente Superiore, qui directè eum abſolueret, confiteri cum alio indirectè tantùm abſoluente à reſeruatis, hæc enim abſolutio ſolùm valida eſt, cum non datur commodè copia Superioris. Præterea, vt docet P. Suarez, & cum eo Cardinalis Lugo *d.* 15. *ſec.* 6. cùm conceditur abſolutio in articulo mortis à peccatis reſeruatis abſque cenſura, non poteſt concedi cum onere comparendi, alioquin teneretur quis ex neceſſitate ſimpliciter bis confiteri ſua peccata, nempè in eo articulo, in quo ſimpliciter eſt neceſſaria confeſſio, & poſteà, quod eſt contra inſtitutionem huius Sacramenti. (Secus contingit, quando quis in vita, abſente Superiore, vt celebret v. g. confitetur reſeruata; tunc enim datur onus comparendi, quippè ea confeſſio non fuit ſimpliciter neceſſaria, & ab Eccleſia præcepta, de quo *infrà.*) At in hac ſententia poteſtas conceditur cuilibet Sacerdoti ad abſoluendum à reſeruatis in mortis articulo, etiam præſente proprio Confeſſario, ergo ſine onere comparendi.

9 Quòd ſi cenſura reſeruata ſit annexa peccato, & ſit præſens proprius Confeſſor, non poteſt ab illa abſoluere ſimplex Sacerdos, aut alius non proprius. Etenim etiam ſi abeſſet Superior, & ex neceſſitate abſolueretur quis à cenſura à non habente alias facultatem abſoluendi ab illa, teneretur abſolutus poſteà comparere coram Superiore, quia ea cenſuræ abſolutio conceditur non aliter, niſi compareat poſteà, alias in illam reincidat abſolutus; proferens enim eam ſententiam habuit eiuſmodi intentionem, vltimum iudicium ſibi reſeruans, & ſanè ob contumaciam poſteà reincidet non comparens in eam ſententiam Eccleſiaſticam, quod infertur *ex cap. eos, qui, de ſentent. excommun. in* 6. niſi alia ſit intentio proferentis cenſuram, quæ ex prolatione colligatur. Hoc tamen, quod iudex Eccleſiaſticus poteſt præſtare reſpectu ſuæ ſententiæ, nequit reſpectu peccatorum, ſcilicet vt quis in illa reincidat, ſi ſemel directè eſt abſolutus ab eis, vt in hac prima ſententia ſtatuitur. Itaque ſi quis & peccata reſeruata, & cenſuram habeat, debebit priùs abſolui à Superiore, aut à delegato ipſius à cenſura, & poſteà à quolibet à peccatis.

10 In hac prima ſententia, quoad abſolutionem à peccatis in articulo mortis nihil operatur Bullæ priuilegium de abſolutione ab illis; cum poſſit quis non ſolùm ſemel, ſed quoties in articulum mortis eodem anno inciderit, abſolui à quibuſcumque peccatis etiam à ſimplici Sacerdote, & à fortiori

ab

ab approbato per Ordinarium, quin ad hoc egeat vllo priuilegio. Operatur tamen Bulla Cruciatæ quoad abſolutionem à cenſuris, à quibus non poterat quis abſolui, niſi à proprio Superiore, aut eo abſente, manebat cum onere comparendi; Virtute autem Bullæ, etiam præſente proprio Superiore, poterit abſolui à Confeſſario quolibet, ſeu ſimplici Sacerdote, qui in hac ſententia pro eo articulo eſt approbatus; & ſi abſente Superiore abſoluatur, non manebit ad comparendum coram illo adſtrictus.

11 In ſecunda ſententia poſita, *num.* 7. præſente proprio Confeſſario, aut Superiore, non poterit quis ab alio abſolui. Si verò non adſit proprius, & abſoluatur ab alio, etiam Religioſus à peccatis reſeruatis, non tenebitur poſteà coram Superiore comparere, aliàs teneretur ſimpliciter neceſſariò bis directè à peccatis abſolui; cum in eo caſu directè fuiſſet abſolutus à legitimo miniſtro Confeſſionis, cui poteſtas abſoluendi præſtita eſt ſine eo onere pœnitentis iuxta dicta, *num.*8. Secùs eſt de cenſuris reſeruatis, vt notauimus *num.*9. In hac ſententia Bullæ priuilegium operatur quoad abſolutionem tam à peccatis reſeruatis, quàm à cenſuris, quòd adhuc præſente proprio Superiore, cui ſunt reſeruata, poſſit quis (exceptis Religioſis quoad peccata ſuis Prælatis reſeruata, de quibus *inferiùs*) eligere Confeſſarium, qui eum ab illis abſoluat directè, dum ſit approbatus ab Ordinario, in præſentia enim ſuperioris in hac ſententia ſimplex Sacerdos non eſt approbatus, atque adeò nec per Bullam eligibilis.

12 Aduertunt tamen Authores, præſentem Superiorem, & nolentem in eo articulo abſoluere, cenſendum eſſe perindè ac abſentem. Deindè ſi infirmus nequit commodè eum arceſſere, vel adire, non teneri poſtulare facultatem per nuntium, litteras, aut per Confeſſarium, nec accipere Bullam Cruciatæ. Quod ſi ſuperueniat Superior, incepta cum alio confeſſione, quia iam hic per inceptionem accepit iuriſdictionem, poterit ipſam perficere, niſi pœnitens innodetur excommunicatione reſeruata, à qua prius debet à ſuperiore abſolui. Vide P.Th. Sanchez *lib.2. in Decal. cap.*13. *à num.* 8. Quando autem adeſt, qui ex priuilegio poteſt abſoluere, non poterit alius ſimile priuilegium non habens, non enim reputandus eſt tunc pœnitens carere copia Confeſſarij, quod contra PP.Suarez, & Henriquez oſtendit optimè Cardinalis Lugo *ſuprà num.* 34.

13 Si verò deſit proprius Confeſſarius in eo articulo, ait P.Suarez *d.*26. *ſec.*4. *num.* 4. ſeruandum eſſe neceſſariò ordinem, ita vt non poſſit abſoluere non approbatus, ſi adſit approbatus, licèt reſpectû eius moribundi, non ſit approbatus, ſed ſolùm reſpectu aliorum: Si adſit ſimplex Sacerdos toleratus, nequeat non toleratus excommunicatus, hunceque ordinem gradatim exponit. Sed in eo caſu omnes indifferenter poſſe abſoluere, rectiùs tenet cum Lugo Leander de Sacramento *quæſt.*21. tunc enim omnes carent iuriſdictione, & ſimplices Sacerdotes reputantur; & per Tridentinum omnibus indifferenter conceſſa eſt ea poteſtas, alias res eſſet ſcrupulis obnoxia, cum non facilè illi ſcirent, an v.g. irregularis eſſet præferendus excommunicato, aut ſuſpenſo, vel è contrà, & alias huiuſmodi comparationes. Nihilominùs ſi adſit Confeſſarius potens à mortalibus non reſeruatis abſoluere, licèt pœnitens habeat reſeruata, cum illo, & non cum ſimplici Sacerdote debet confiteri, quia iam adeſt proprius Sacerdos reſpectu non reſeruatorum, quæ tenetur confiteri, & quia dimidiare tunc confeſſionem nequit, debet & reſeruata confiteri.

14 Extra articulum mortis nullus Sacerdos poteſt abſoluere, niſi habeat iuriſdictionem ordinariam, aut delegatam. Iuriſdictionem ordinariam habet ille, qui paſtor eſt pœnitentis; aut ex officio poteſt eum abſoluere; nempè Summus Pontifex reſpectu omnium fidelium; Archiepiſcopus, & Epiſcopus, Prælativè exempti, ac Parochi reſpectu ſuorum ſubditorum, quos in ſententia probabili abſoluere queunt etiam extra ſuam diœceſim, cum non ſit hæc iuriſdictio contentioſa; imò delegati poſſunt vbicumque abſoluere ſubditos delegantis, dummodò non limitetur facultas ad locum. Item Prælati Regulares reſpectu ſuorum ſubditorum, nempè Generales, Prouinciales, & Superiores locales; non tamen horum Vicarius; In abſentia tamen Superioris, ſi idem munus, ac ille, poteſt exercere ex vi regulæ, aut Superiorum, ordinariam iuriſdictionem habebit. Conſule Rodriguez *tom.*3. *qq. reg. quæſt.* 76. *artic.*1. Leandrum *tom.* 1. *tract.* 5. *q.*35. Vbi ipſe ſedulus inquiſitor, & acris accuſator eorum, qui vel vnguem, numerum, aut litteram declinant in locis Authorum citandis, ſe ipſum citat *q.*18. in qua nihil prorsùs habet concernens cum dubio eius *quæſtionis* 35. Habet etiam iuriſdictionem ordinariam reſpectu ſubditorum Vicarius Epiſcopi, & reſpectu omnium Summus Pœnitentiarius, quia licèt in foro externo iuriſdictionem non habeat, habet eam ex officio in interno pœnitentiæ.

15 Iuriſdictionem hanc ordinariam, etiam Epiſcoporum, immediatè à Pontifice, non à Chriſto dimanare, latè probat, & verè, Pater Suarez *tom.*4. *in* 3. *part. d.*25. *ſ.*1. Aduerte verò hic, non eſſe proprium Confeſſorem,

Confeſſorem, ordinaria gaudentem iuriſdictione reſpectu Epiſcoporum, aut ſimilium Prælatorum, Archiepiſcopum, vel Patriarcham, ſed dumtaxat Summum Pontificem. Reſpectu item Cardinalium ſolus Pontifex eam habet. De Imperatoribus, & Regibus ſolere dici, habere exemptionem ab aliis Ordinariis, præterquàm à Pontifice, affert Cardinalis Lugo *de pænit. d.*19.*ſ.*1.*n.*5. Reſpectu eius, qui plura domicilia, vel quaſi domicilia habet, iuriſdictionem ordinariam retinet parochus, & Epiſcopus cuiuſvis domicilij ex illis reſpectu verò eius, qui nullum domicilium habet, ille, in cuius territorio is vagatur; reſpectu iter agentis loco Ordinarij ſuccedit is, apud quem actu verſatur, ibique eſt Ordinarius; de quo P. Suarez *vbi nuper ſ.*2. *n.* 9. non tamen eſt abſolutè Ordinarius. Ibique *à n.*12. notat, exceptionem habere à Parocho ordinario totam familiam, Summi Pontificis, qui, aut eius Summus Pœnitentiarius eſt Ordinarius illius; Item habent familiæ Cardinalium, qui ſunt quaſi Ordinarij earum, & poſſunt per ſe, vel per delegatum à ſe ſuos familiares, ac famulos abſoluere. Poſſunt etiam Epiſcopi ſuam familiam excipere à proprio Parocho, & alium eis Confeſſarium deſignare. Demùm conſuetudini ſtandum eſt, an Decani, Archidiaconi, aut ſimiles exempti ſint à Parocho quoad hanc iuriſdictionem.

16 Reſpectu Summi Pontificis nullus habet ordinariam iuriſdictionem, cum nullus ſit paſtor illius; at poteſt abſoluere eum quilibet electus ab ipſo, cui ſe poteſt in ordine ad confeſſionem reddere ſubditum, tribuens ei ſupra ſe iuriſdictionem; ſic enim inſtitutum à Chriſto iudicatur; dum non aliter poteſt Pontifex ſatisfacere præcepto diuino recuperandi gratiam, ſi fortè amittat, per confeſſionem; vel obtinendi abſolutionem à venialibus, quæ ei non eſt denegan-da, poſſibilis Epiſcopus poteſt eligere in Confeſſarium ſuum quemlibet Sacerdotem aliquo modo ſibi ſubditum, ipſe enim approbat quoad ſe, dum eligit, in ſua diœceſi; non vero poteſt non ſubditum non approbatum; vt ex decreto Gregorij XIII. allato à Leandro *quæſt.*28. conſtat. Cardinales ex conſuetudine, ac tacita Papæ licentia poſſunt eligere in ſuum Confeſſarium quemlibet Sacerdotem etiam ſimplicem alias iuriſdictione non gaudentem. Vt cum pluribus idem Leander tenet *quæſt.*33. Parochi autem non poſſunt eligere in ſuum Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem, etiam approbatum, ſed abſque iuriſdictione. Tamen eligendi à prædictis Cardinalibus debent eſſe approbati, vt ex Tridentino conſtat, ad hoc vt abſolutio præſtetur; eſtò non habeant aliundè iuriſdictionem (quæ ab approbatione ſeparabilis eſt) nam qui dedit ſupradictis poteſtatem eligendi eum in Confeſſarium, huic iuriſdictionem delegauit. Ratò autem continget; quem eſſe approbatum, & non habere iuriſdictionem ab illo, à quo fuit approbatus, reſpectu ſuorum ſubditorum; approbatio enim communiter cum iuriſdictione ſolet præſtari. Et licèt ad valorem Sacramenti poteſtas ordinis, & iuriſdictio ſufficiat, Eccleſia tamen in Tridentino *ſeſſ.*23. *cap.*15. *de reformat.* reddidit incapacem iuriſdictionis accipiendæ eum, qui non eſſet approbatus. De quo *infrà* redibit ſermo.

17 Prælati Regulares *num.*14. recenſiti poſſunt eligere ſibi quemvis Confeſſarium; ſi in Religione non ſit Conſtitutio approbata à Pontifice, aut ipſius priuilegium, ad hoc vt Prælatus inferior habeat Confeſſarium deſignatum à Prælato Superiore. An autem quoad peccata reſeruata poſſint eligere Confeſſarium, dicemus *diſputat.* 24. Illud tamen nota, Epiſcopom poſſe eligere Confeſsarium, qui ipſum abſoluat ab omnibus peccatis, à quibus ipſe poteſt ſubditos abſoluere; nam reſeruans peccata, & concedens poſteà Prælato inferiori abſolutionem eiuſmodi peccatorum, cenſetur auferre reſeruationem pro illa communitate, dum ad Prælatum recurrant; cum autem Epiſcopus ſit pars illius communitatis, non excluditur à remedio communi; atque adeò à peccatis reſeruatis Pontifici, à quibus, dum occulta ſunt, poteſt Epiſcopus abſoluere, poteſt & abſolui ab electo à ſe Confeſſario. Hæc enim regula ſemper tenet, dum non conſtat de contraria intentione reſeruantis, à quo abſolutio pendet. Reſpectu autem Epiſcopi ea non conſtat, ſed oppoſita; quam ex declaratione Cardinalium affert Eminentiſſimus Lugo, & P. Suarez *d.*30.*ſect.*2.

18 Iuriſdictionem delegatam ad miniſtrandum pœnitentiæ Sacramentum habent omnes illi, quibus conceditur ab habente iuriſdictionem ordinariam. Quare poſſunt delegare hanc iuriſdictionem reſpectiuè ad ſuas oues Summus Pontifex, Epiſcopus, eius Vicarius, Summus Pœnitentiarius, Parochus, & alij huiuſmodi, dum ſit approbatus is, cui delegatur iuriſdictio. A quo autem præſtanda ſit approbatio, conſtabit ex dicendis. Delegatus autem non poteſt iuriſdictionem delegare, quando in eius delegatione eius opera perſonalis intenditur, vt cum Pontifex concedit Religioſis facultatem abſoluendi; cum verò ratione officij commiſſi etiam per breue tempus delegatur iuriſdictio, poterit hæc ſubdelegari, ea enim fuit intentio delegantis;

Digitized by Google

delegantis; vt ſi Parochus ob abſentiam longam delegat Sacerdoti ſuam iuriſdictionem, ſeu Epiſcopus loco Parochi conſtituit ſubſtitutum, tunc hic, poterit ſubdelegatum deſignare.

19 Ad iuriſdictionem delegatam abſoluendi non ſufficit voluntas præſumpta ſuperioris de futuro; imò nec de præſenti, quaſi conditionata, quòd, ſi ſciret, ratum haberet; nec merè interna, ſed ſufficit externa præſumpta, manifeſtata per aliquod ſignum iudicio prudentis aptum. Videatur Pater Vazquez *quæſt.* 93. *articul.* 2. *dub.* 2. Qui verò per iuriſdictionem delegatam incipit Confeſſionem, etiam expirante tempore delegationis, vt Iubilæi, aut Bullæ, antequam finiatur, poteſt illam finire. Ita Acoſta *in Bull. quæſt.* 36. Pater Thomas Sanchez *lib.* 2. *in decal. capit.* 13. *numer.* 15. & cum eo plures. Niſi in caſu neceſſitatis non poteſt quis per dubiam iuriſdictionem abſoluere. Poteſt verò cum iuriſdictione delegata probabili; quia & ſi falſa ſit ſententia, cui accomodatur, Eccleſia iuriſdictionem præbet. Ita Bonacina *d.* 2. *de peccat. quæſt.* 4. *punct.* 9. *numer.* 19. P. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 8. *num.* 68. & alij innumeri.

20 Iuriſdictio delegata non expirat morte delegantis, ſeu amiſſione, vel amiſſione officij illius. Quod contra Nauarrum, & quoſdam alios tenent Sayrus, Graffis, PP. Suarez, Henriquez, Thom. Sanchez, quos ſequitur Cardinalis Lugo *d.* 19. *numer.* 37. Quia hæc iuriſdictio eſt gratioſa, factaque Confeſſario radicatur in illo, & perſeuerat. Poteſt autem is, qui conceſſit, dum gaudet iuriſdictione ordinaria, imò & ſucceſſor illius, eam reuocare, vel ſuſpendere. Hæc omnia abſque examine præmiſi, certa, vel mihi probabiliora ex Authoribus ſeligens, vt planior ſit aditus ad ea, quæ ſunt noſtri inſtituti; Aliqua quippè ſunt; quæ non poſſunt non ſupponi, extra rem autem eſſet ea diſcutere; quod & in aliis huius Bullæ punctis iam præſtitimus, & deinceps erit non ſemel opus præſtare.

21 Fine huius capitis noto, Confeſſarios Societatis IESV, dum approbati ſint, iuriſdictionem habere delegatam à Sede Apoſtolica ad abſoluendum quoſcumque Chriſti fideles, ex conceſſione Pauli III. vt conſtat ex compendio priuilegiorum Societatis, *verbo Confeſſarius* §. 1. *& ibidem* §. 2. ex conceſſione Greg. XIII. Confeſſarij Societatis ſemel approbati, quacumque iter fecerint, poſſunt confeſſiones audire, dummodò Parochi non repugnent, nec in loco, vbi audiunt, ſit Ordinarius, tunc enim debebunt ab eo licentiam, ſeu approbationem expoſcere, ſi in ea diœceſi non ſint approbati. Qui verò ad aliquam diœceſim mittuntur, in ea miniſteria Societatis in bonum animarum exerciturì, non priùs id præſtabunt, per eam excurrentes, quàm rectà ad Epiſcopum, aut eius Vicarium tendentes ei ſe offerant. Sed hoc vltimum priuilegium, & alia Sacrarum Religionum an ſint reuocata per Vrbanum VIII. *infrà* conſtabit.

CAPVT II.

De approbatione Confeſſarij per Bullam eligibilis.

22 CONfeſſarius per Bullam Cruciatæ eligibilis debet eſſe approbatus ab Ordinario, quæ autem approbatio, & à quo, requiratur, nequit exponi, niſi priùs tranſcurſim aliqua de approbatione Confeſſarij in communi non tam veſtigemus, quàm ex communiori, aut probabiliori Authorum placito depromamus. Supponendum eſt, quidquid ſit de iure antiquo, de quo nunc ad praxim non eſt curandum, iure nouo introducto per Tridentinum *ſeſſ.* 23. *capit.* 15. *de reformation.* nullum, etiam ſi Regularis ſit, poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, audire, niſi vel beneficium Parochiale habeat, vel ab Epiſcopis fuerit approbatus vt idoneus, ſiuè per examẽ, ſiuè alia via. Quare Concilium, quod præſtare id valebat, reddit incapacem iuriſdictionis accipiendæ quẽvis alium; ideóque confeſſio facta cum quovis alio non ſolùm erit illicita, ſed inualida, ac nulla. Itaque iuriſdictio, & approbatio non ſunt idem, ſed inter ſe diſtinguntur, & ſeparari queunt; Nam iuriſdictio facit ſubditos pœnitentes, in quos in iudicio fori pœnitentialis ea exercetur per ſententiam ſolutionis, aut ligaminis. Approbatio verò (idem eſt de collatione Beneficij parochialis) eſt publicum teſtimonium idoneitatis, ac aptitudinis ratione ſcientiæ, aliorumque requiſitorũ, vt probitatis vitæ, bonæ famæ, & ſimilium, vt iuriſdictio committatur. Poteſt autem Epiſcopus approbare aliquem, & negare iuriſdictionem, quæ ab ipſo dependet. At nequit iuriſdictionem committere ei, qui non fuerit approbatus, vel actu approbetur, cum iuriſdictio committitur. Vnde ſi Pontifex, aut alius Prælatus iuriſdictionem abſque approbatione concedat, illa quaſi in ſuſpenſo eſt, donec approbatio detur; vel conceditur conditionatè, ſi detur approbatio; aut in futurum, pro tempore, quo approbatio ſimul concurrat. Hinc expreſsè in Bulla Cruciatæ, cum iuriſdictio confertur ad abſoluendum aſſeritur, debere eſſe Confeſsarium approbatum ab Ordinario.

23 Hinc, quidquid aliter cenſuerint qui-

dam Salmanticenſes, quos ſuppreſſo nomine refert Leander de Sacramento *tom.* 1. *tract.* 5.*q.* 48. non ſunt cenſendi ipſo iure approbati, qui habent gradus Licenciati, aut Doctoris in aliqua Academia, ſiuè in iure Canonico, ſiuè in Theologia; quia Tridentinum voluit, hanc approbationem eſſe iuridicam, & ex poteſtate iuriſdictionis ortam, ab Epiſcopiſque conceſſam, quam Academiis non permiſit. Ita ſentiunt Tamburinus *de Iure Abbatum tom.* 2.*d.* 6. *q.* 17. Ioan. Bapt. Lezana *in ſum. c.* 19. *n.* 6. P. Suar. Filiucius, & alij, quos ſequitur & citat Leander *vbi nuper*. Nec oppoſitum defendi poteſt, cum fuerit deletum ex ſumma Hyeronimi Llamas iuſſu Quæſitorum fidei in Indice Expurgatorio anni 1640. Hinc etiam non cenſetur approbatus Epiſcopus conſecratus, qui nullum reipſa Epiſcopatum habuit, nec habet; nec item merus Cardinalis S. R. E. hi namque non excipiuntur per Tridentinum, & aliundè iuriſdictione ordinaria ad approbandum alios non gaudent, quare & ipſi indigent approbatione concedenda ab eo, qui eam habeat iuriſdictionem.

24 Ad audiendas confeſſiones Regularium non eſt opus approbatione Epiſcopi, aut Beneficio parochiali, vt conſtat ex Tridentino, quod ſolum ad audiendas confeſſiones ſæcularium eiuſmodi approbationem exigit, relinquens Superioribus Regularibus, vt ad audiendum confeſſiones ſubditorum idoneos exponant; quare hi exponere poſſunt Sacerdotes non approbatos ab Epiſcopo. Ita Nauarrus *in ſumm. cap.* 4. *num.* 7. & communis. Hoc tamen limitandum eſt, niſi Regularis virtute alicuius Iubilæi concedentis electionem Confeſſarij approbati velit eligere Confeſſarium, tunc enim Confeſſarius eligẽdus debet eſſe ab Ordinario approbatus; quippè qui vult vti priuilegio, eius debet conditiones aſſeruare; ille autem Regularis non ſtans ſtatutis ſui Ordinis in confeſſione peragenda cum deſignatis à Superiore Confeſſariis, ſed Iubilæo vtens, aut Bulla Cruciatæ in his, ad quæ Bulla Regularibus ſuffragatur, tenetur ſtare his, quæ in Iubilæo, aut Bulla deſignantur.

25 Cæterùm P. Layman *tract.* 6. *cap.* 11. affert plures Authores ſentientes, caſu quo Epiſcopus Regulares à ſuis Prælatis præſentatos, & manifeſtè idoneos, ſine cauſa reijciat, nec approbare velit, poſſe eos ad audiendas confeſſiones, etiam ſæcularium, exponi. Veram iudico ſententiam contrariam, quam defendunt P. Suarius, & Coninch ab eodem Layman adducti. Etenim Tridentinum eſt ius nouum derogans cuilibet iuri antiquo ſufficienterque exprimit derogationem priuilegij cuiuſcumque, quo olim Regulares gauderent (quale eſt illud, quod extat *in Clement Dudum*, §. *ſtatuimus*, *de ſepultur.*) dum aſſerit, nullum Regularem abſque Epiſcopi approbatione poſſe confeſſiones ſæcularium deinceps excipere; quæ expreſſio opponitur ei priuilegio, nec in ſuo robore manet, niſi illud derogatum eſſe cenſeatur. Semel enim admiſſo, eſſe conditionem neceſſariam, ſine qua non, approbationem Epiſcopi à Concilio requiſitam, ſiuè is neget eam abſque cauſa, ſiuè cum illa, inualida erit confeſſio peracta cum non approbato; ſicut eſſet peracta cum non habente iuriſdictionem, eſtò iuriſdictio fuiſſet abſque cauſa negata.

26 Parochus non ſolùm in ſua parochia, ſed in tota diœceſi, & vbique terrarum ſine approbatione noua poteſt confeſſiones audire. Ita defendunt Ochagauia *de Sacram. tract.* 2. *quæſt.* 40. *num.* 3. Arboled. *in practic. Sacrament. notab.* 3. *litt. B.* P. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. d.* 28. *ſect.* 4. *num.* 18. contra Nicolaum Garcia *tom.* 1. *de benef. p.* 5. *cap.* 8. *num.* 87. & alios paucos. Etenim Tridentinum indefinitè aſſerit, parochiale beneficium habentem poſſe confeſſiones audire, in quo ius nouum erga parochos non introducit, iuxta antiquum autem poterat parochus vbiuis audire confeſſiones, ergo & nunc poteſt. Et meritò, nam parochus eſt miniſter publicus Eccleſiæ, ab illaque approbatus; vnde etiam iuxta aduerſarios poteſt non ſolùm in ſua parochia, ſed in tota diœceſi confeſſiones audire, hoc ipſo quòd parochus ſit, quamuis diuerſam approbationem nõ habeat reſpectu diœceſis. Hoc autem non liceret, ſi extra diœceſim approbatione indigeret Et quidem habenti Beneficium parochiale non deeſt requiſitum à Tridentino poſitum, nec de eo dubitari poteſt, an indigeat Beneficio illo in omnibus diœceſibus, in quibus auditurus eſt confeſſiones, ſicut dubitatur de cæteris, an indigeant approbatione Epiſcopi ſingularum diœceſum, in quibus confeſſiones ſunt excepturi; nam hæc approbatio poteſt noua obtineri à diuerſis Epiſcopis, & ſimul à pluribus haberi reſpectu diœceſum ſuarum; Beneficium autem parochiale dumtaxat vnicum haberi poteſt. Hinc praxis eſt recepta, vt in confinio diœceſum Parochus vnius conuocet Parochos alterius, vt ipſum in excipiendis confeſſionibus cum earum eſt frequentia, iuuent, quin approbentur ab Ordinario eius diœceſis, ad quam vocantur. Solet afferri quædam Cardinalium declaratio in contrarium; ſed communiter, ac ſufficienter reſpondetur, eam non eſſe authenticam; & ſanè, cum praxis ſit oppoſita, conſtat, illam non innoteſcere, nec vt contrariam haberi. Hic nota cum Pater Henriquez *libr.* 7. *de indulgent. capit.* 12. *num.* 2. *litt. K.* nomine Parochorum

Digitized by Google

rochorum contineri eos, qui habent Vicariam perpetuam, aut Rectoriam parochiæ.

27 Licèt autem parochus noua approbatione non egeat, tamen extra ſuam parochiam, opus eſt, vt ei iuriſdictio conferatur vel ab Epiſcopo reſpectu diœceſis, vel ab alio Parocho reſpectu ſuæ parochiæ, vel à Pontifice per aliquod indultum. Etenim, vt *ſuprà* monuimus, quid diuerſum eſt approbatio, à iuriſdictione, & vtraque ſimpliciter eſt neceſſaria ad valorem confeſſionis; & cum ſint ſeparabiles, dum non coniunguntur, nihil operantur. Parochus ergo ratione Beneficij, quod eum indicat idoneum, teſtimonio Eccleſiæ annuente, non eget approbatione; at id beneficium iuriſdictionem illi non confert niſi in ſua parochia. Quare non rectè innuit oppoſitum Leander *tom. 1. de Sacrament. tractat. 5. quæſt.* 61. cum ad id non appareat fundamentum.

28 Ex his fit, habentem Beneficium parochiale vbique terrarum eſſe eligibilem per Bullam Cruciatæ; per hanc quippè à Pontifice confertur iuriſdictio approbato Confeſſori; parochus autem pro omnibus terris eſt approbatus Ita Diana 3. *part. tractat.* 4. *reſolut.* 146. Pater Henriquez *lib.* 6. *capit.* 6. *num.* 6. *&* 7. Pater Suarez *vbi ſuprà*; Bonacina, & Fagundez, quos refert Cardinalis Lugo *tom. de pœnitent. diſputat.* 21. *ſection.* 1. *num.* 12. Cardinalis Toletus, Vibaldus, Valerus, Boſſius, Petrus Ledeſma, Trullench, & alij, quos citat, & ſectatur Leander *vbi ſuprà quæſt.* 60. *& quæſtion.* 67. Tenuere oppoſitũ Gutierrez, & Nuñus à Lugo relati; ſed imbecilli fundamento innituntur; nempè quia per Bullam confertur iuriſdictio approbato ab Ordinario; non autem idem eſt, approbatum eſſe, ac eſſe parochum, cum hæc duo, vt condiſtincta, à Concilio ponantur; igitur, dum parochus non ſit approbatus extra ſuam parochiam, non poterit eligi per Bullam. Nam reſpondetur facilè, parochum in ipſa Beneficij collatione approbationem ab Ordinario, qui Beneficium contulit, accepiſſe; quare approbatus eſt ab Ordinario, imò & ab Eccleſia, cuius eſt miniſter publicus, idoneus ſcilicèt iudicatus ad eius oues paſcendas. Vnde; & ex dictis *ſuprà numer.* 26. obuiam itur Cardinali Lugo *vbi nuper numer.* 14. *& ſection.* 2. fatenti, poſſe Parochum eligi virtute Bullæ in tota diœceſi, non verò extra illam; & elucet diſparitas inter parochum, & alios ab vno Epiſcopo approbatos, non autem ab illo, ſub quo de facto exiſtunt, cum hi non ſint Eccleſiæ publici miniſtri, nec habeant conditionem à Tridentino requiſitam, vt *infrà* conſtabit.

29 Quod de Parochorum approbatione aſſeruimus, pariter dicendum eſt de his, qui iuriſdictionem ordinariam habent in ſæculares, quia ſub inferiori includitur, quod ſuperius eſt, & ſub Parocho, qui Parocho ſuperiores ſunt. Quoties ergò approbatus poteſt eligi ad confeſſionem cum eo peragendam, poſſunt hi eligi. At nunquam eligi poteſt non approbatus; quare & ſi Pontifex de potentia ſua abſoluta valeat iuriſdictionem delegare non approbato, tamen, dum id non exprimat, ſemper cenſendus eſt, approbato delegare. Et quidem ea approbatio requiritur ad excipiendas quorumcumque ſæcularium confeſſiones, etiam Sacerdotum, ſub quorum nomine includuntur etiam Prælati ſæculares exempti, qui nequeunt, niſi ab approbato abſolui, vt declarauit Gregorius XIII. Videatur Pater Suarius *ſuprà num.* 8.

30 Prælati Regulares approbatione indigent, vt confeſſiones ſæcularium audiant; cum eorum Prælatura non cenſeatur Beneficium parochiale iuxta Tridentini mentem, nec iudicentur miniſtri publici Eccleſiæ; quare voluit Concilium, eos Epiſcopis ſubeſſe in approbatione. Ita contra Valerum, & quoſdam Salmanticenſes allatos à P. Henriquez *lib.* 7. *de indulg. capit.* 12. *numer.* 3. *in gloſ. litt. K. & lib.* 6. *cap.* 6. *numer.* 2. *in gloſ. litt. E.* defendunt ipſe Henriquez; Rodrig. *in Bull.* §. 9. *dub.* 1. *n.* 4. Cardinalis Lugo *de pœnit. diſp.* 21. *numer.* 9. Suarez *ſuprà n.* 22. Boſſius, Diana, P. Granado, Hurtad. quos refert Leander *vbi ſuprà quæſt.* 62. Vnde prædicti Prælati, niſi approbentur, non ſunt per Bullam eligibiles, cum per eam ſolis approbatis iuriſdictio tribuatur. Quod tenent Candidus *diſquiſit.* 24. *articul.* 64. *numer.* 5. Pater Filiucius *tract.* 8. *numer.* 275. Boſſius, Petrus Ledeſm. P. Henriquez, Suarez, & Fagundez, quos citat, ac ſequitur Leander *quæſt.* 63. aduersùs Ludouicum de San Iuan, Llamas, & alios.

31 Cæterùm Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 2. *diſput.* 6. *quæſt.* 16. *numer.* 4. cum aliquibus docet, eiuſmodi Prælatos Regulares, adhuc non approbatos, poſſe audire confeſſiones eorum ſæcularium, qui Monaſteriis, ſeu Domibus Religioſis inſeruiunt, eo quòd id fuerit ipſius conceſſum à Pontifice per Conſtitutionem editam anno 1513. explicatque, Tridentinum intelligendum eſſe de approbatione requiſita ad audiendas confeſſiones ſæcularium, qui ſint extranei. Contraria ſententia eſt vera, quam docent P. Suarius *tom.* 4. *de Relig. tract,* 10. *lib.* 9. *cap.* 4. *num.* 18. Barboſa, Armendarez, citati à Leandro *quæſt.* 62. qui iudicat, vtramque opinionem eſſe probabilem. Hæc tamen ſecunda

ſententia

Digitized by Google

ſententia firmiùs ſuadetur ex eo, quòd prædicta Conſtitutio Pontificis ante Tridentinum prodiit, ideoque derogata per illud eſt cenſenda, vtpote per ius nouum, quod, intentum fuit, vim habere, non obſtantibus quibuſcumque contrariis, vt Tridentinum ipſum exprimit. Hinc fit, eos Prælatos, dum non ſint approbati ab Ordinario, non poſſe eligi per Bullam nec à domeſticis ſæcularibus.

32 Quando autem in Monaſterio datur parochia ſæcularium, & à Prælato Monaſterij non habente iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem eligitur Regularis, aut ſæcularis Sacerdos, qui Parochi, ſeu Vicarij munus gerat, conſulenda eſt praxis, conſuetudo, aut priuilegia, vnde dignoſcatur, an approbatione is Sacerdos indigeat. Quippè ex vno capite is habet Beneficium parochiale, quo Tridentino ſatisfit; ideoque non indigere approbatione, cenſuerunt Medina, Bañez Gallo, apud Henriquez *lib. 7. de indulg. capit. 12. numer. 2. litt. K.* aſſerentes, id eſſe de iure communi, & non derogatum per Concilium. Ex alio capite ſupponimus, illud Beneficium conferri à Prælato, qui non habeat iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, nec poſſit approbare in ordine ad ſæculares, reſpectu quorum reſeruatur à Concilio approbatio Epiſcopis; quorum nomine iuxta communem intelligentiã veniunt & hi qui iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudent. Quare ſtando rationi, hanc iudico ſententiam veram, quam cum aliquibus tenet Leander *quæſtion.* 64. Hinc hi Sacerdotes electi in eam parochiam, aut Vicariam, nequeunt per Bullam eligi ad confeſſiones, dum non approbentur. Poſſunt verò eligi ſtando primæ opinioni, quæ probabilitate extrinſeca non caret.

33 Eum, qui beneficium parochiale habuit; ſed iam non habet (idemque intellige de eo, qui habuit, & non habet aliam ſuperiorem dignitatem cum iuriſdictione ordinaria) non poſſe abſque approbatione noua confeſſiones audire, tuentur Viuald. *de confeſſ. numer.* 27. *concluſ.* 2. Floronus *de caſib. reſeruat.* 1. *parte capit.* 4. §. 12. *num.* 7. Pater Suarius *ſuprà ſection.* 4. *num.* 20. Cardinalis Lugo *de pænitent. diſputation.* 21. *num.* 8. Baboſa, Ludouicus à Cruce, Boſſius, Bonacina, P. Reginald. Granad. Henriq. Hurtado Trullench. Diana, quos refert Leander *vbi ſuprà quæſtion.* 65. Hæc ſententia eſt tutior.

34 Sed oppoſitam ſequor cum Ioanne à Cruce *part.* 2. *de pænitent. quæſtion.* 5. *dubitat.* 8. *concluſ.* 4. Rodriquez *in Bull. in addition.* §. 9. *num.* 4. Villalobos *tomo* 1. *tractat.* 27. *clauſul.* 9. §. 1. *num.* 4. Baſilio Legionenſ. *in Bull. manuſcript.* §. 7. Leandro *vbi ſuprà*, qui tamen limitationem adhibet, de qua *infrà.* Probatur, nam Tridentinum non aliud intendiſſe videtur, niſi quòd quis ſit approbatus, ſiuè per approbationem Epiſcopi, ſiuè per collationem Beneficij parochialis; at hæc collatio iam præextitit, eodemque modo ſe habet, licet ille Beneficium id relinquat; ſiuè conſeruet, ergo approbatio perſeuerat, nec eſt, vnde illam amiſerit. Limita tamen, niſi ei ablatum fuerit Beneficium ob crimina, aut dementiam, vel ſuperuenientem imperitiam, tunc enim approbatio in collatione Beneficij præſtita aufertur, & priuatur ille publico idoneitatis teſtimonio.

35 Sed ait P. Suarius, potuiſſe mutari mores, & idoneitatem in eo, qui Beneficium parochiale reliquit; ideóque noua indigere approbatione. Contra, quia dum Beneficium non fuit ab eo ablatum, non eſt, cur tollatur publicum teſtimonium idoneitatis in collatione Beneficij ab Eccleſia præſtitum, quod ipſe ſponte reliquit; nec eſt, quare ea mutatio præſumatur, ſicut non præſumeretur de eo, dum actu haberet id Beneficiũ, nec eo priuaretur, quantumvis etiam tunc potuiſſet ea eſſe mutatio. Addit Suarez, ſtandum eſſe verbis legis in his, quæ à iure poſitiuo dependent; Tridentinum autem loquitur de præſenti; exigens, quòd parochiale Beneficium habeat, aut ſit approbatus, qui excepturus eſt confeſſiones. Contra, nam etiam in noſtra ſententia ſtatur ſufficienter verbis Tridentini, in quibus id intendit, vt nullus confeſſiones audiat, de cuius idoneitate non conſtet aut per approbationem Epiſcopi, aut per publicum Eccleſiæ teſtimonium, quod præſtatur in ipſa collatione Beneficij parochialis, non in retentione illius, quare id publicum teſtimonium in noſtro caſu perſeuerat. Ex his fit; prædictos poſſe per Bullam eligi in Confeſſarios. Hæcque propoſitio vniuerſalis eſt vera; quicumque approbatus, ſeu non indigens noua approbatione, quamvis iuriſdictione careat, poteſt eligi per Bullam, in qua Pontifex iuriſdictionem approbato largitur. Ita Llamas 1. *p. method. cap.* 6. §. 5. Adrian. *de confeſſ. dub.* 8. Rodriguez, Gutierrez, Cruz, Trullench, & alij apud Leandrum *ſuprà, q.* 73. Quæ autem ſcientia, & ſufficentia requiratur, vt quis ab Epiſcopo approbetur, tractat. P. Suarez *vbi ſuprà diſput.* 28. *à ſectione* 1.

36 Non tamen ex doctrina tradita liceat inferre, Prælatos Regulares, qui in ordine ad ſuos ſubditos ex ipſo munere Prælaturæ cenſentur approbati; poſt illam relictam, aut finitam manere approbatos reſpectu eorumdem. Etenim nos philoſophati ſumus iuxta mentem Tridentini, quod circa Regulares

Digitized by Google

res nihil voluit immutare, nec exegit approbationem Epiſcopi, aut Beneficium parochiale in his, qui eſſent audituri confeſſiones Regularium, ſed ius antiquum commune illæſum reliquit Religionibus, vt nempè Superiores exponerent ſuis ſubditis Confeſſarios pro ſuo arbitrio. Stando autem ei iuri, iuxta quod philoſophandum eſt, ij, qui Prælaturam iam reliquerunt, non poſſunt audire confeſſiones vllius Regularis, niſi denuò à Superioribus in Confeſſores deſignentur.

37 Leander de Sacramento *vbi ſuprà quæſt.* 65. cenſet id, quod à nobis eſt traditum, niſi Epiſcopus auferat approbationem, aut ſuſpendat; additque, cum Epiſcopus tollit aliis Confeſſoribus licentiam audiendi confeſſiones, ſolùm tollere iuriſdictionem, non approbationem, ideóque eſſe eligibiles, ſi aliũde eis iuriſdictio concedatur, vt per Bullam Cruciatæ conceditur. In primis ſtandum eſt intentioni Epiſcoporum, qui poſſunt iuriſdictionem, non auferendo approbationem tollere. At, dum non conſtat, noluiſſe approbationem auferre, iudicandum eſt, voluiſſe ſanè tollere illam. Moueor ex praxi communi, qua Epiſcopi eiuſmodi licentiam auferentes, id præſtant, vt Confeſſarios in examen vocent, inſpiciantque, vtrùm ſint idonei ad confeſſiones excipiendas; quòd ſi iudicẽt idoneos, iterùm eis licentiam ablatam reſtituunt; quod eſt ſignum manifeſtum, in ablatione licentiæ fuiſſe ablatam approbationem; cum nouum examen in ordine ad nouam approbationem inſtituatur. Rursùs, cum aufertur prædicta licentia per Epiſcopos, ſolet auferri non ſolùm à Confeſſariis ſæcularibus, ſed etiam à Regularibus; at ab his vt plurimùm ſola approbatio aufertur, cum iuriſdictio vt plurimùm ratione ſuorum priuilegiorum eis à Pontifice dimanet; ſicut videre eſt in Confeſſariis Societatis IESV, & conſtat ex compẽdio priuilegiorum ipſius, verbo *Abſolutio*; atque adeò iuriſdictio immediatè nequeat per Epiſcopos ab eis tolli, niſi quatenùs ab eis tollitur fundamentum, aptitudo, ſeu capacitas, ad recipiendam iuriſdictionem, quæ capacitas eſt approbatio, cum iuriſdictio non niſi approbato præſtetur; igitur approbatio aufertur per Epiſcopos, cum per ipſos aufertur licentia excipiendi confeſſiones.

38 Nomine Epiſcoporum, qui poſſunt approbare Confeſſarios, intelliguntur Epiſcopi iuriſdictionem habentes, quia approbare, eſt actus iuriſdictionis. Vnde Epiſcopus electus, & non confirmatus, quia iuriſdictione adhuc non gaudet, approbare nequit; nec item Epiſcopus, & ſi conſecratus, ſine Epiſcopatu tamen, quales ſunt ſolùm titulares. At Epiſcopus electus, & confirmatus ex ſe poteſt approbare, quia poteſt exercere actus iuriſdictionis, licèt non poſſit actus Ordinis, donec ſit conſecratus. Quòd ſi conſuetudo ſit, vt ante conſecrationem non exerceat actus iuriſdictionis, conſuetudini ſtandum erit. Vicarius etiam Epiſcopi poteſt approbare, vtpotè vnum cum Epiſcopo tribunal conſtituens; idemque eſt, Epiſcopum per ſe ipſum approbare, ac per alium à ſe deſignatum; nec Tridẽtinum exigit, vt per ſe approbet; ſicut in pluribus aliis, quæ Epiſcopo committit, id videre eſt; ea enim etiam Vicarius, aut alius delegatus ab ipſo Epiſcopo præſtat, niſi ſint munia, quæ ipſe ſolus exercere poteſt; vel quæ in generali conceſſione præſtita Vicario veroſimiliter non intelliguntur, fuiſſe conceſſa. Hæc eſt doctrina communis.

39 Capitulum, Sede vacante, etiam approbare poteſt Confeſſarios, quia æquale eſt Epiſcopo, cui ſuccedit, in his, quæ ſunt iuriſdictionis. Ita docent Canoniſtæ *in cap. cum olim, de maioritate, & obedient*, Abbas *in cap. verum, de foro competenti*, P. Layman *tom.* 1. *tractat*.4. *cap*. 23. *numer*. 5. Quare hæc eſt praxis communis, quæ minimè ſuſtineretur, ſi eſſet contra Tridentinum, quod, cum concedat ius approbandi Epiſcopis ratione muneris, Capitulo etiam, Sede Vacante, in munere ſuccedenti conceſſiſſe videtur, vt tenet P. Suarez *ſuprà diſp*. 28. *ſec*. 5. *numer*. 2. Hinc exponendum eſt reſponſum quoddam Cardinalium circunferri ſolitum, pronuncians, vt nullus alius præter Epiſcopum poſſit ſe ad approbandum intromittere; ſcilicèt præter Epiſcopum, vel eum, qui munus Epiſcopi in actibus iuriſdictionis gerat.

40 Prælati exempti iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes etiam poſſunt approbare Confeſſarios. Quod ſuadetur primò ex praxi. Secundò, quia approbare eſt actus iuriſdictionis Epiſcopalis, at illi iuriſdictionem habent Epiſcopalem, ergo approbare queunt. Tertiò, nam alias inconueniens ſequeretur manifeſtum, cum enim illi immediatè Pontifici, & non alij Epiſcopo ſubijciantur, non eſſet Prælatus proprius, qui approbaret ſubditos eorum: nec ad Pontificem cogendi ſunt pro approbatione recurrere; nec Metropolitanus, niſi propter appellationem eſt adeundus, reſtat ergo, vt ab eis Prælatis exemptis approbatio concedatur. Quartò à paritate; nam Capitulum, Sede vacante, approbare poteſt, quia ſuccedit loco Epiſcopi in his, quæ ſunt iuriſdictionis, ſed hi Prælati loco Epiſcoporum à Pontifice conſtituuntur, igitur, & approbare poſſunt. Quintò, quia, vt docent Nauarrus, Suarez, & alij plures; poſſunt eiuſmodi Prælati diſpenſare in votis, quæ ſunt Epiſcopis reſeruata, ergo idem in præſenti eis eſt concedendum, quod Epiſco-

Digitized by Google

pis conceditur. Hinc obiter nota inconſequenter videri P. Suarium procedere, dum hanc doctrinam tuetur, quin indicet ſibi contrarium Tridentinum, eſtò Tridentini verba ſint, quòd Epiſcopis reſeruatio competat; & ipſemet defendit, eum, qui habuit, & non habet Beneficium parochiale, approbatione indigere, motus ex verbis Tridentini ſcrupuloſe defenſis, & quidem menti Concilij; non verbis in primo attendere voluit, in hoc autem ſecundo ad verba dumtaxat attendit, non ad mentem, vt *ſuperiùs* probaui.

41 Cæterùm non ſufficit petere approbationem ab Epiſcopo, niſi obtineatur, quia approbatio ipſa eſt conditio, & medium neceſſarium ad valorem Sacramenti; vnde & ſi negetur iniuſtè, non erit valida abſolutio præſtita ab eo, qui petiuit abſolutionem, & non impetrauit; ſicut ſi peccator attritus obiret, cui iniuſtè negaretur a Sacerdote abſolutio, non obtineret æternam ſalutem; nec infans obiens, cui baptiſmum quis iniuſtè negaret; eo quòd abſolutio in primo caſu, non elicita contritione, & baptiſmus in ſecundo medium neceſſarium ſunt ad Salutem. Et quidem lex etiam ſi quis vti malè ea poſſit (quod à legiſlatore non præſumitur) vniuerſalis eſſe debet; vndè, cum vniuerſaliter iudicio Epiſcoporum ſit reſeruata à Tridentino approbatio, dum ipſi nolint approbare, non poteſt cenſeri quis approbatus, nec capax conficiendi Sacramentum pœnitentiæ; Sanéque in ipſis Sacramentis; conſtat, conſenſum non exhibitum, & ſi exhiberi debeatur non operari tantum, quantum eſſet operaturus, ſi exhiberetur; nempe ſi deficiat intentio in baptizante, in abſoluente, in conſecrante, & aliis huiuſmodi; eſtò in aliquibus tantum valeat ille conſenſus, ac ſi foret exhibitus, ſcilicèt vbi id in iure exprimitur. Nec infrequens eſt, actionem iniurioſam alterius facere, vt quis aliquo bono careat. Legatur Medina *Cod. de confeſſione, quaſt.* 34. *ad* 2. Rursùs, ſi Epiſcopus iniuſtè approbaret aliquem inidoneum, quantum eſt ex parte approbationis, validum eſſet Sacramentum pœnitentiæ ab eo miniſtratum: igitur, vt ſeruetur æqualitas, ſi iniuſtè neget approbationem idoneo, non erit validum Sacramentum ab eo peractum.

42 Nauarrus *in ſum. cap.* 17. *à num.* 264. exiſtimat, Mendicantibus (idem eſt de his, qui eorum priuilegia communicant) ſufficere approbationem petitam, & non obtentam, adhuc poſt Tridentinum; eo quòd ex duobus Conciliis Generalibus in priuilegium habeant, ſitque inſertum id iure *in Clementin. Dudum, de ſepultur.* Quod priuilegium, vtpotè iuri communi æquale, non eſt cenſendum, fuiſſe à Tridentino reuocatum. Hæc opinio iudicatur à P. Suario *vbi ſuprà* practicè non probabilis; *ibidemque numer.* 13. ſectatur oppoſitam, quæ eſt communis, & vera; & eam tenent Vazquez 3. *part. quaſt.* 93. *art.* 3. *dubit.* 3. Cardinalis Lugo *de pœnit. diſp.* 21. *ſect.* 3. *num.* 52. Filiucius, Coninch, & alij, quos refert Diana *tom.* 2. *tr.* 2. *de dub. regul. reſol.* 24.

43 Etenim oppoſita opinio eſt contra fidelium ſenſum, Eccleſiæ praxim, & Tridentini mentem, cum enim Tridentinum appoſuit ea verba; *Nullus Sacerdos ſæcularis, vel Regularis*, &c. aliquid nouum ſtatuit circa Regulares, alias neutiquam eos expreſſiſſet; vnde hæc lex Tridentini correctoria eſt primæ legis: at per primam legem tenebantur Regulares præſentari Epiſcopo, ſolùmque eis concedebatur; vt ſi non admitterentur ab Epiſcopo, pro admiſſis cenſerentur; igitur hoc vltimum per Tridentinum corrigitur, ſatiſque exprimitur in verbis prædictis, vt quãtumvis eſſet ius commune, reuocatum exiſtimetur; alioquin non eſſet, in quo verificarentur ea verba Tridentini *Nullus ſacerdos Regularis*, cum ferè nullus, aut nullus priuilegio illo per conceſſionem, aut per communicationem non frueretur. Nec obſtat in hac reuocatione Tridentini non fieri mentionem illius primæ legis; nam ſatis exprimitur reuocatio, & lex poſterior vim habet corrigendi priorem, etſi eius mentionem non faciat, *cap.* 1. *&* 2. *de conſtitut. in* 6. Præterea nihil de iure antiquo corrigitur, cum in eo non eſſet quid ſtatutum circa approbationem Epiſcoporum; quippè ſolùm decernebatur, vt Mendicantes præſentarentur Epiſcopis, ad hoc vt eis concederent iuriſdictionem abſoluendi, quòd ſi eam negarent, pro admiſſis cenſebantur Mendicantes, quia eis Pontifex tunc iuriſdictionem largiebatur. Per Tridentinum autem nihil circa hoc eſt innouatum, ſed additum eſt, vt approbatione indigeant, ſupra quam iuriſdictio adueniat; in approbatione autem, nec per Tridentinum, nec per vllum aliud ius conceditur id priuilegium Mendicantibus, vt ſi Epiſcopus approbare nolit, cenſeantur pro approbatis; atque equidem eo priuilegio erat opus, vt approbati cenſerentur, ſicut erat opus priuilegio *ſuprà* dicto, vt cenſerentur iuriſdictione fungentes caſu quo Epiſcopus illam ipſis denegaret.

44 Epiſcopus tamen limitans, aut negans abſque iuſta cauſa Mendicantibus approbationem peccat contra ius, quod ipſi habent ad audiendas confeſſiones, vt tenent Suarez *ſuprà*, Cardinalis Lugo *ſuprà, num.* 54. P. Fagundez *lib.* 7. *de* 2. *præcepto Eccleſ. cap.* 2. *numer.* 14. Vazquez, & alij. Nec cauſa iuſta erit

Digitized by Google

erit reputanda, quòd ſint in Vrbe, aut diœceſi plures alij Confeſſarij, nam, cum ad quemvis euentum Regulares illud ius ex ſuis priuilegiis habeant, debet Epiſcopus illud ipſis illibatum ſeruare, *cap. quando ampliùs, de priuileg.*

45 Quamvis conducens, & vtile ſit, approbationis teſtimonium in ſcriptis habere, non tamen eſt neceſſarium, cum nullo iure ea adſcribatur neceſſitas. Approbatio autem valebit, & ſi propter pecuniam detur: nec ſit paritas ad oppoſitum ex collatione ſimoniaca Beneficij propter pecuniam, quæ inualida eſt, nam, vt docet P. Suarius *ſuprà num.* 10. inualiditas iſtius modi collationis conſtat ex iure; ſecùs inualiditas approbationis, & ſemper valor in actu eſſe præſumitur, quoties oppoſitum in iure non declaratur: & ſi enim Tridentinum aſſerat, approbationem gratis eſſe præſtandam, non tamen irritat approbationem non gratis præſtitam, quare peccabit ſecùs faciens, non verò valor approbationis irritabitur. Ita Barboſa, Fagundez, Boſſius, & alij, quos refert, & ſequitur Leander de Sacramento *tom.* 1. *tractatu* 5. *diſputat.* 11. *quæſt.* 80.

CAPVT III.

Quanam approbatio requiratur, vt Confeſſarius eligatur per Bullam Cruciatæ.

46 SIt noſtra concluſio, & fundamentum ad alias quæſtiones concernentes huic dirimendas. Ea approbatio requiritur, vt quis per Bullam in Confeſſarium eligatur, quæ à Tridentino requiritur, vt quis audiat confeſſiones, addita ſibi vndecumque iuriſdictione dumtaxàt. Hæc concluſio in quæſtionibus *infrà à cap.* 4. proponendis elucidabitur in ſpeciali, vbi Authores pro aſſertionibus ibi ſtatuendis, & earum contrarios referemus. Nunc verò in generali probatur. Bulla Cruciatæ nihil concedit ſpeciale circa approbationem, ſed ſolùm circa iuriſdictionem; ergo approbatio, quæ iuxta Tridentinum fuerit requiſita, eadem requiritur, vt quis in Confeſſarium per Bullam eligatur. Suadetur antecedens, tum quia non eſt credibile, Pontificem in Bulla voluiſſe quidquam derogare Tridentino, in cuius obſeruantiam toti incumbunt Pontifices. Deindè quia Bullæ verba id ſatis oſtendunt, aſſerendo, poſſe eam accipientes eligere ſibi Confeſſarium ex approbatis ab Ordinario, qui eos ab omnibus cenſuris, & peccatis abſoluat; vbi approbatio ſupponitur, vt ſtetur Tridentino, & nihil circa illam indulgetur, ſed circa abſolutionem, ad quam iuriſdictio præſtatur; in conceſſione autem amplæ iuriſdictionis verſatur priuilegium, non approbatione, quæ potiùs exprimitur, ne cuiquàm detur anſa cogitandi, per Bullam concedi, vt eligatur in Confeſſarium quilibet Sacerdos, etiam non approbatus.

47 Nec obſtat, ſi dicas; Bulla ſolum exigit, Confeſſarium eligendum eſſe approbatum, ergo etiam ſi quis non poſſet audire confeſsiones Salmanticæ ex vi Tridentini cum approbatione Epiſcopi Calagurritani, poterit cum ea eligi per Bullam, cum ille habeat iam illam conditionem requiſitam per Bullam, nempè eſſe approbatum. Contra namque eſt; etenim ſi ille iuxta Tridentinum ad audiendas confeſsiones Salmanticæ non eſt approbatus, & eſſet eligibilis per Bullam, iam per hanc Tridentino derogaretur. Prætereà ipſum Tridentinum vtitur eiſdem verbis, quibus Bulla, & ſolùm aſſerit, non poſſe vllum Sacerdotem audire confeſſiones, niſi ſit parochus, aut fuerit approbatus; igitur, ſi ex vi Tridentini approbatus in alia diœceſi non cenſetur approbatus Salmanticæ, nec habet id, quod requirit Tridentinum, nempè eſſe approbatum, non habebit id, quod requirit Bulla, ſcilicet eſſe approbatum, vt per illam eligi queat. Nec ego ſanè vllum reperio diſcrimen. Reſtat ergo videre cuius Epiſcopi approbatio ſufficiat, vt quis iuxta Tridentinum ſit capax iuriſdictionis, indeque conſtabit, quænam approbatio exigatur, vt per Bullam ſit eligibilis.

48 Extitit tempore præterito celebris ſententia docens, approbatum ab vno Ordinario poſſe vbique terrarum audire confeſſiones abſque noua approbatione, ſupponendo aliunde iuriſdictionem habere. Ita docuerunt Theologi ex ſacris familiis Prædicatorum, & S. Auguſtini, teſte Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 12. §. 4. qui eos ſectatur, item Valerus, Viualdus, Sà, & alij, quos refert Leander de Sacramento *tom.* 1. *tract.* 5. *quæſt.* 6. vbi etiam citat vt probabilem hanc ſententiam iudicantes Ledeſmam, & P. Santhez. Affert etiam Antonium Gomez *in Bull. ad clauſul.* 10. *num.* 8. Sed hic ſolum aſserit *ibi*, approbatum ab vno Ordinario poſse vbique eligi per Bullam; quod dumtaxàt ſuffragatur eorum ſententiæ, qui cenſent, id poſse per Bullam fieri, ſecus verò, ſi non ſit priuilegium Bullæ, aut ſimile aliud. Illam etiam ſententiam docent, loquendo de Regularibus, P. Ludouicus Celocius *lib.* 5. *de Hierarchia, c.* 25. Stephanus Bauni *in Theolog. mor. part.* 1. *tractat.* 4. *q.* 4. Præpoſitus *in* 3. *part. q.* 8. *de Sacram. pænit. dub.* 4. *num.* 21. P. Laurentius de Aluarado in allegatione, quam edidit anno 1647. ſuper lite quadam exorta in Prouincia Mexicana, *fol.* 18. *& ſeq.*

Digitized by Google

49 Non poſſe approbatum ab vno Ordinario vbique confeſſiones audire, docent Barboſa *de poteſtate Epiſcopi, part. 2. allegat. 25. num. 59.* Granado *in 3. p. tract. 10. diſp. 5. n. 12.* Sanchez, Ledeſma, Trullench, Suarez, Vazquez, Cardinalis Lugo, Torreblanca, Fagundez, quos refert, & ſequitur idem Leander. Item Gutierrez, Miranda, Rodriguez, quos citat, ac ſectatur P. Layman *tom. 2. lib. 5. tract. 6. cap. 11. num. 8.*

50 Hæc ſententia vera eſt, & ex mente Tridentini, quod ſanè voluit, vt quiſque Epiſcopus ſeorſim approbaret Confeſſarios, vt ſic ipſi conſtaret, quinam eſſent, qui in ſua diœceſi, aut reſpectu ſuarum ouium curam ſuſciperent medendi animabus, ne inidonei id exequerentur; nec alterius Epiſcopi iudicio, par erat, vt cæteri omnes Epiſcopi ſtarent; tum quia potuiſſet in approbatione præſtanda erraſſe; tum quia poſt approbationem potuiſſet approbatus reddi inidoneus: Quare ea iam eſt praxis communis, vt noua approbatio petatur in diuerſa diœceſi, etiam à Regularibus, qui à Pontifice iuriſdictionem habent. Præterea hæc ſententia iam eſt certior iudicanda poſt Decretum Vrbani VIII. editum anno 1628. allatum à Cardinali Lugo *tom. de pœnit. diſp. 21. num. 29.* & à Leandro *vbi ſuprà*, in quo reuocauit omnes licentias, & priuilegia cuiuſvis Ordinis, vel Congregationis, audiendi confeſſiones abſque præfata approbatione. Sed addit, priuilegium, quo gaudent Religioſi Societatis IESV, de quo *ſuprà num. 21.* audiendi confeſſiones in itinere in locis, vbi Epiſcopus, aut Vicarius non adeſt, etiam ſi in illa diœceſi non ſint approbati, non videri ablatum per hoc Vrbani Decretum, eo quòd non ſit ex illis, ad quæ alludit reuocatio. Res ſanè ſcrupulis obnoxia; vniuerſalis enim eſt reuocatio, & ex verbis Decreti non conſtat, mentem Pontificis ſolùm aliò tetendiſſe. Authoritas tamen extrinſeca Cardinalis Lugo in dubio non ventilato probabilem, & tutum reddit eius priuilegij vſum.

51 Suppoſita autem doctrina præcedenti, adhuc eſt lis valdè controuerſa inter Authores, à quonam Epiſcopo debeat approbatio præſtari? Triplex eſt ſententia. Prima docet, Confeſſarium debere eſſe approbatum ab Ordinario diœceſis, aut loci, in quo eſt auditurus confeſſiones. Secunda tenet, debere eſſe approbatum ab Ordinario pœnitentis. Tertia affirmat, approbationem requiri ab Ordinario ipſiuſmet Confeſſarij. Quare in hac duplici poſtrema ſententia non eſt attendendum ad locum, in quo confeſſiones audiuntur, cum v.g. Salmanticæ poſſit eſſe pœnitens diœceſis Toletanæ, & Confeſſarius, cuius Ordinarius ſit Epiſcopus Palentinus; ſed attendi debet ad Ordinarium Confeſſarij, aut pœnitentis. Quælibet ex his tribus ſententiis habet pro ſe non paucos patronos, & graues. Videantur Lopez *cap. 8. de Bull.* Rodriguez *in Bull. §. 9. dub. 2. num. 5.* Trullench *in Bull. lib. 1. §. 7. dub. 2.* P. Suarez *diſp. 28. ſec. 4.* Layman *tract. 6. cap. 11. num. 9.* Cardinalis Lugo *de pœnit. diſp. 2.* P. Buſembaum *in medulla Theolog. mor. lib. 6. tract. 4. cap. 2. dub. 2.* & quidem ſaltem ob extrinſecam authoritatem quævis ex tribus his ſententiis eſt practicè probabilis; & ex qualibet diuerſæ reſolutiones inferuntur. In præſenti autem materia erit eligibilis per Bullam, quicumque vnam ex illis approbationibus habuerit, dum ei ſententiæ ſe conformet. Nec peccabit, etiam ſi in hac materia Sacramenti pœnitentiæ opinionem minùs tutam, minúſque probabilem ſequatur, ſi tamen ſit practicè probabilis; vt *in materia de conſcientia* plurimi docent; & à paritate ſuadetur, quia tam requiritur iuriſdictio ad valorem Sacramenti, ac approbatio; & nihilominùs poteſt quis circa iuriſdictionem ſequi opinionem probabilem, licèt ſit minùs tuta, minúſque probabilis, quia, ſtante opinione probabili, Eccleſia confert iuriſdictionem, ergo ſimiliter poteſt circa approbationem ſequi opinionem minùs tutam, minúſque probabilem, qua ſtante, Eccleſia etiam conferet approbationem, cum non minus poſſit conferre approbationem, quàm iuriſdictionem. Id autem, quod de iuriſdictione aſſerimus, docent P. Thom. Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 1. cap. 9. num. 3.* & plures apud Dianam 3. *part. tract. de dubiis regul. reſolut. 3.* Leandrum de Sacramento *tom. 1. tract. 5. de pœnit. q. 79.*

52 Mihi tamen ſemper viſa eſt verior ſententia prima, docens, Confeſſarium debere eſſe approbatum ab Ordinario territorij, in quo confeſſiones audiuntur. Etenim ad eum Ordinarium ſpectat ſcire, ac inſpicere, quinam ſint Sacerdotes, qui in ſuo territorio Sacramentum pœnitentiæ miniſtrant, nec debet ipſe ſtare iudicio aliorum Epiſcoporum, quod videtur fuiſſe Tridentini mentem. Et ſanè, tam Confeſſarius, quàm pœnitens, & ſi alterius diœceſis ſint, ſubditi fiunt quoad hoc Epiſcopi, in cuius territorio verſantur, non ſecùs ac delinquentes ſubduntur ratione delicti iudici territorij. Opus autem eſt, vt ſi pœnitens ſit alterius diœceſis, Confeſſarius præter approbationem, habeat ex priuilegio, aut aliundè iuriſdictionem ad eum abſoluendum, nam Epiſcopus iuriſdictionem nequit tribuere, niſi in ſuos ſubditos ratione domicilij, vel quaſi domicilij; poteſt verò approbationem, quia eſſe quem approbatum, duntaxàt eſt teſtimonium habere idoneitatis in eo territorio,

Digitized by Google

territorio, non verò eſt facultas exercendi iuriſdictionem, nec ab approbatione vt approbatio eſt, actus iuriſdictionis dimanat; at à iuriſdictione præſtita ab Epiſcopo dimanat abſolutio, qui eſt actus iuriſdictionis, quare in non ſubditos nequit iuriſdictio præſtari. Per Bullam autem Pontifex eam concedit cuiuis Confeſſario, & Regularibus per ſua priuilegia, eo quòd omnes pœnitentes ſubditi ſint Pontificis.

53 Hæc noſtra ſententia confirmatur validè ex reſponſo Congregationis Concilij circumferri ſolito, ea etenim conſulenti ipſam de hoc cuidam Archiepiſcopo Valentino, ſic reſpondit, *Congregatio Concilij reſpondet, approbatum ab alio, quàm à Valentino Epiſcopo, in diœceſi Valentina non cenſeri approbatum ab Ordinario*, quæ verba in ipſis litteris Roma miſſis, ſe legiſſe teſtatur Rodriguez *ſuprà* §. 5. ergo mens Concilij Tridentini, cuius dubia ea Congregatio declarat, dum petit approbationem Epiſcopi; eſt, vt Epiſcopus ſit territorij, vel diœceſis, in qua confeſſiones audiuntur. Etenim exiſteret Valentiæ abſque domicilio, vel quaſi domicilio ciuis Salmantinus, & Sacerdos etiam Salmantinus ab Epiſcopo Salmanticenſi approbatus, non à Valentino, iuxta dictam declarationem, non cenſeretur ille Sacerdos approbatus, vt poſſet audire confeſſiones Valentinorum, imò nec illius ciuis Salmantini, quia in ea diœceſi approbatus non erat. Aliud eſſet, ſi in ea diœceſi eſſet approbatus, & haberet iuriſdictionem ab Epiſcopo Salmanticenſi, quamvis eam non haberet ab Archiepiſcopo Valentino, nec à Pontifice, poſſet Valentiæ abſoluere ciuem Salmanticenſem, quia iuriſdictio poteſt exerceri extra proprium territorium, quando non eſt in foro contentioſo, nec cum ſtrepitu. Vnde in hac ſententia Epiſcopus ipſe Salmantinus non poterit Valentiæ abſolui niſi à Confeſſario approbato ab Archiepiſcopo Valentino, poterit verò Confeſſario ſubdito ſuo, qui præcisè approbationem à Valentino habeat, conferre iuriſdictionem, vt ipſum abſoluat. Ex his, & ex dictis *ſuperiùs* ſequitur, iuxta ſententiam, quam ſequor, non poſſe eligi per Bullam, niſi Confeſſarium ab Ordinario loci, in quo confeſſiones audiuntur, approbatum.

54 Obſeruandum eſt in præſenti, ſi limitetur ab Epiſcopo approbatio pro tempore, aut loco, vel perſonis, limitationem tenere, quod ſi vltra illam quis confeſſiones audiat erit inualida abſolutio, non ſecùs ac ſi abſolutè negata eſſet, cum reſpectiuè negata fuerit; & verum hoc eſt, quantumvis limitatio eſſet iniuſta, ſicut ſi iniuſtè negata fuiſſet approbatio, vt *ſuperiùs* ſtabiliuimus.

55 Poſſe autem Epiſcopum eiuſmodi limitationem apponere, & praxi approbatum eſt, & tenent Nauarr. *in ſum. cap.* 4. *n.* 10. Diana, Suarius, Vazquez, & Fagundez, quos ſequitur, contra Vegam, ac Portel, Cardinalis Lugo *vbi ſuprà num.* 57. Et quidem poteſt ſufficiens ad limitationem cauſa intercedere; nempè ſi Confeſſarius non habeat ſufficientem grauitatem ad confeſſiones fœminarum, vel quod ſufficienti ſcientia non polleat, ad audiendum confeſſiones vbique, ſcilicèt in vrbe frequenti, vbi ſunt inſtitores, negotiatores, alijque id genus, ſufficiens autem ſit eius ſcientia ad audiendas in pago confeſſiones ruſticorum, aut alias huiuſmodi.

56 Obſeruandum eſt præterea, approbationem Parochi non poſſe tolli, aut ſuſpendi, niſi ei tollatur Beneficium Parochiale, aut ab eo ſuſpendatur, quia approbatio eius muneri eſt annexa, & ab Eccleſia immediatè procedit. Approbationes autem aliorum poſſunt reuocari, aut ſuſpendi, vt contra aliquos tuetur P. Suarez *diſp.* 28. *ſect.* 8. & Cardinalis Lugo *ſuprà num.* 63. Quod praxis confirmat, præcipuè cum nouus in diœceſi ſuccedit Epiſcopus, qui per examen Confeſſariorum ſuæ vult conſcientiæ tutiùs ſatisfacere. Et deindè probatur; nam approbatio ab Epiſcopi voluntate dependet; ergo ſicut poteſt illam abſolutè negare, ita & poteſt reuocare, aut ſuſpendere; maximè cum approbatio non ſit immutabilis; vtpotè innitens fundamento mutabili ſcientiæ, ac morum Confeſſarij, in quibus poteſt eſſe mutatio per vitia, negligentiam, aut obliuionem, potueritque ei per notabilem errorem fuiſſe præſtita approbatio. Præterea approbatio non eſt ſententia, ex qua ius accipit contra Epiſcopum approbatus (excipe Parochum, qui adquiſiuit ius Beneficij abſque cauſa non tollendi) nec Epiſcopus ſe obligauit ad non reuocandum approbationem. Qui tamen debet attentè procedere, nec facilè, & ſine cauſa approbationem reuocare, præcipuè ſi ipſe eam præſtiterit; & ſanè peccabit ſi iniuſtè reuocet, eo quòd iniuriam aliquam irrogat reſpectu honoris, & reſpectu Religionis (ſi ſit Regularis ille, cuius approbatio reuocatur) quæ priuilegio gaudet, ne ea reuocatio fiat.

57 P. Suarius exiſtimat probabile, reuocationem approbationis ſine cauſa eſſe nullam, quia eſt contra ius iam quaſi adquiſitum per approbationem, quæ eſt velut iuridica ſententia. Sed addit, rem eſſe ſcrupuloſam; & meritò, nam in foro externo iudicandum eſt, Epiſcopum habuiſſe cauſam ſufficientem reuocandi approbationem, licèt ea cauſa ignoretur; quomodo ergo poteſt quis tunc abſoluere tutò? Maximè cum cauſa poſſit eſſe non tam ſpectans ad eum, cuius approbatio reuocatur, quam ad regimen ſpirituale

Digitized by Google

diœceſis; vndè & ſi quis agnoſcat, ſe non præſtitiſſe reuocationi cauſam, tamen non ideò cauſam deeſſe, poteſt iudicare prudenter. Deindè approbatio non eſt ſententia, quæ tribuat ius approbato, aliàs nec ſequens Epiſcopus poſſet eam reuocare; ſed dumtaxàt eſt teſtimonium authenticum ab Epiſcopo conceſſum de idoneitate approbati, quod ipſe pro libito reuocare valet.

58 Notandum eſt tamen, ex Conſtitutione Pij V. & Vrbani VIII. quam affert Trullench *in Bull. lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 7. Regularem ab vno Epiſcopo indefinitè, & abſque limitatione temporis approbatum, ſua poſſe gaudere approbatione, dum ille Epiſcopus inibi durat (nam à ſucceſſore poteſt approbatio reuocari) ita vt eiuſmodi approbatio non ſuſpendatur per reuocationem generalem, quam ipſemet Epiſcopus promulgare poteſt. Nec ipſe Epiſcopus valet eam approbationem Regularis ſemel à ſe præſtitam reuocare aut ſuſpendere, niſi adſit vrgentiſſima cauſa, quæ iuridicè ſit probata.

59 Notandum eſt prætereà ex Nauarro, Couarrub. Molina, Th. Sanchez apud P. Layman *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 17. varias eſſe formulas approbationum, & diuerſimodè intelligendas. Scilicèt ſi Epiſcopus approbet cum hac clauſula, *ad noſtrum beneplacitum*, aut *donec voluero*, eo moriente, expirat approbatio, quia ea verba ſignificant perſeuerantiam voluntatis, quæ morte interrumpitur, argumento *leg.* 4. *ff. de locato*. Si verò approbet cum hac clauſula, *donec reuocauero*, aut *dum aliud decreuero*, eo moriente, non expirat approbatio; quia actus reuocationis eſt poſitiuus, & dum non fuit exercitus, nihil eſt, quod approbationem interrumpat. Si clauſula apponatur: *quandiu placuerit*, idem eſt dicendum, nempè obeunte Epiſcopo, non ceſſare approbationem, quia ea verba ſonant idem, ac, *quandiu placuerit Sedi noſtræ*; poteſtas autem Sedis non moritur, ſed tranſit ad ſucceſſores, *cap. ſi gratioſè, de reſcriptis*. Sed quid dicendum, ſi approbatio præſtita ſit cum ea clauſula prima, *ad noſtrum beneplacitum*, ſeu, *donec voluero*, & Epiſcopus non obeat, ſed ad aliam diœceſim transferatur? Exiſtimarem, tunc ſe habere, ac ſi indefinitè approbaſſet, durareque approbationem; ex vno enim capite approbatio non fuit reuocata, ex alio voluntas non eſt morte interrupta, nec cenſenda eſt ceſſaſſe, ſed potiùs ante finitum tempus iuriſdictionis eius Epiſcopi in illa diœceſi, fuiſſe ab ipſo prorogata non ſecùs, ac ſi de nouo indefinitè illam concederet; nam dum non adeſt reuocationis cauſa, nec ipſe Epiſcopus, ſi permaneret ampliùs in ea diœceſi, eam approbationem eſſet reuocaturus, fundamentum datur ſufficiens ad iudicandum, eum abſolutè eam approbationem confirmare. Quòd ſi eſſet illam reuocaturus caſu, quo ibidem permaneret, oportebit, vt eam reuocet ante finitum tempus ſuę iuriſdictionis, ne rem ſub dubio relinquat. Fateor tamen adhuc, tutius eſſe, nouam approbationem à ſucceſſore expoſcere.

CAPVT IV.

An approbatus in vna diœceſi poſſit per Bullam Cruciatæ eligi in alia, in qua non eſt approbatus.

60 Qvamuis ex vniuerſali concluſione, quam *cap. præcedenti* ſtabiliuimus, pateant reſolutiones ad aliqua dubia ſingularia, tamen ea in ſpeciali proponemus, vtpotè ad praxim vtilia, vt & veritas magis eluceat, & probabilitas ſimul aliarum opinionum clareat, Confeſſariuſque vitam tutam, quâ incedat, eligat. Quæ de Bulla Cruciata dixerimus, idem de Iubilæo concedente poteſtatem eligendi Confeſſarium eſt aſſerendum; quod etiam notauerim, quia ex Authoribus in his quæſtionibus citandis aliqui non exprimunt, niſi Iubilęum, alij non niſi Bullam.

61 Igitur approbatum in vna diœceſi poſſe virtute Bullæ eligi in alia, in qua non eſt approbatus, defendunt Sotus, Ægidius, Nuñus, Medina, P. Henriquez apud Candidum, Corduba, Petrus Ledeſm. Valerus, P. Reginaldus apud Boſſium *de Iubil. ſec.* 3. §. 7. *numer.* 215. Anton. Gomez, Llamas, Suarius, Coninch, Filiucius, Fagundez, & alij, quos referunt, & ſequuntur Diana *tom.* 1. *tract.* 11. *reſol.* 7. P. Quintanadueñas *in libello de Iubil. pag.* 231. Oppoſitam ſententiam negantem tuentur Cardinalis Lugo *tom. de pœnit. diſp.* 21. *ſect.* 1. Canus, Torreblanca, Sa, Layman, apud Leandr. de Sacramento *tom.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 11. *quæſt.* 70. Acoſta, Emanuël Rodrig. Quaranta, Gutierrez, & Vazquez, quos citat Quintanadueñas *vbi nuper*, Leander verò vtramque opinionem iudicat æquè probabilem.

62 Prima ſententia affirmatiua ſaltem ob authoritatem extrinſecam cenſenda eſt probabilis, & in praxi tuta. Secunda verò negans eſt vera, & probatur: Circa approbationem nihil ſpeciale conceditur in Bulla Cruciatæ, ſed ſtatur Tridentino, at iuxtà Tridentinum approbatus in vna diœceſi nequit audire cōfeſſiones in alia, niſi in ea de nouo approbetur, nec ibi eſt capax iuriſdictionis, donec approbationē obtineat; ergo approbatus in vna diœceſi non eſt eligibilis per Bullam in alia, nec eſt in ea capax iuriſdictionis, quam Pontifex in Bulla concedit, donec ibi approbetur. Conſequentia eſt plana; major & minor probatæ,

Digitized by Google

probatæ, ac confirmatæ ſatis *cap. præcedenti* manent. Confirmatur. Regulares habent iuriſdictionem abſoluendi vbique à Pontifice dimanantem, & tamen approbati in vna diœceſi indigent adhuc approbatione in alia, vt ea iuriſdictione vtantur; ergo nullus Confeſſarius approbatus in vna diœceſi poteſt in alia vti iuriſdictione in Bulla à Pontifice conceſſa, niſi in ea ſit approbatus: quod enim circa iuriſdictionem Bulla præſtat, præſtant Regularibus ſua priuilegia, licet non extendantur ad tot peccata, cenſuras, & vota. Si dicas priuilegia Regularium exigere approbationem Ordinarij loci, in quo confeſſiones audiuntur. Bene, idem ego dico de Bulla motus rationibus *in ſuperiori capite* allatis. Et quidem priuilegia Regularium circa iuriſdictionem exigunt eos eſſe approbatos ab Ordinario, & quamvis nihil aliud reſtrictionis addatur, tamen intelligitur, eam approbationem debere talem eſſe, qualis à Tridentino requiritur, ne cenſeatur, Pontificem ſtatuere aliquid præter, aut contra mentem illius; igitur pariter, quamvis Bulla non reſtringat, approbationem debere eſſe huius, aut illius Epiſcopi, ſed indefinitè ſolum exigat, Confeſſarium eſſe approbatum, intelligenda eſt de approbatione, quæ iuxta Tridentinum eſt neceſſaria.

63 Hinc fundamentum ſententiæ oppoſitæ diuellitur, ſcilicet ſolum à Bulla requiri, Confeſſarium eſſe approbatum, nec reſtringendum eſſe à nobis, quando ipſa non reſtringit. Etenim Bulla intelligenda eſt, ſicut Tridentinum, cum eodem modo loquantur, & tamen non ideò, quia Tridentinum ſolùm exigit approbationem, iudicatur reſtrictio, ſi affirmetur, approbatum in vna diœceſi iuxta Tridentinum non eſſe approbatum in alia; ergo nec iudicanda eſt reſtrictio, ſi in præſenti idem aſſeramus. Et ſanè etiam cum lex non reſtringit, nos reſtringere debemus, ſi ex non reſtrictione ſequatur abſurdum; hic autem plura abſurda ſequi contra mentem Pontificum, contra Tridentini obſeruantiam, declarationes Cardinalium, & alia huiuſmodi, ſat *in ſuperioribus* fuit oſtenſum.

64 Sed aiunt aduerſantes, ideò reſpectu aliorum, qui non eliguntur per Bullam requiri nouam approbationem in diuerſa diœceſi, quia ſimul cum approbatione præſtatur iuriſdictio; at per Bullam iuriſdictio præſtatur; ergo Confeſſarius virtute illius electus nouâ non indiget approbatione. Nego majorem; quia etiam ſi ſimul cum approbatione nõ cõcedatur iuriſdictio, ea approbatio in diuerſa diœceſi eſt neceſſaria; quod conſtat primò, quia Regulares indigent nouâ approbatione ad audiendum confeſſiones in diœceſi diuerſa ab illa, in qua ſunt approbati, eſtò iuriſdictio eis non concedatur ab Epiſcopo, ſed à Pontifice in ſuis priuilegiis. Secundò, quia ſi Epiſcopus non præſtiturus eſſet approbationem nouam præter iuriſdictionem, ſeu independenter à iuriſdictione, non eſſet illi opus examinare Confeſſarium, cum poſſet ſupponere eum idoneum ratione approbationis alterius diœceſis, & committere iuriſdictionem; cum examen ad approbationem dirigatur: quòd ſi Epiſcopus examinat, vt approbet, ideò eſt, quia eius requiritur approbatio, & non ſola iuriſdictio. Tertiò, quia adhuc poſt examen, & approbationem, poteſt Epiſcopus iuriſdictionem negare; ergo non præcisè exigitur approbatio, quia iuriſdictio ſimul cum illa confertur; per accidens enim ſimul dantur, cum ſeparabilis ſit ab approbatione iuriſdictio; qui igitur iuriſdictione caret; hanc, & approbationem ſolet ſimul ab Ordinario expoſcere; qui autem iuriſdictionem aliundè poteſt habere, approbationem tenetur poſtulare.

65 Aiunt præterea contrarij. Quilibet poteſt, etiam abſque Bulla Cruciatæ, eligere Confeſſarium approbatum in ea diœceſi, in qua verſatur; ergo, vt Bulla aliquid concedat, dicendum eſt, poſſe eligere quemvis vbicumque approbatum. Diſtinguo antecedens, poteſt abſque Bulla eligere, &c. ad tot caſus, cenſuras, & votorum commutationes, ad quot poteſt per Bullam eligere; nego, ad pauciores effectus, reſtrictioremque peccatorum abſolutionem, concedo; & nego conſequentiam. Iterúmque ſubdiſtinguo partem antecedentis conceſſam; Poteſt eligere quemvis, ſi habeat ſimul approbationem, & iuriſdictionem, concedo; ſi ſolùm habeat approbationem, non verò iuriſdictionem, nego. Itaque plurimum Bulla concedit, etiam ſi nihil circa approbationem concedat: Etenim concedit electionem Confeſſarij, dum ſit approbatus, etiam ſi iuriſdictione careat, eoquòd fuerit ei præſtita ab Ordinario approbatio, non iuriſdictio. Deindè concedit Confeſſario electo iuriſdictionem ad abſoluendum à peccatis, & cenſuris pluribus à quibus aliàs abſoluere nequiret, quamvis eſſet approbatus, iuriſdictionemque ab Epiſcopo accepiſſet; facultatem præterea concedit commutandi vota, quæ, niſi per Bullam nequiret commutare, aliaque huiuſmodi. Videantur Nauarrus *in cap. placuit de pœnitent. diſt. 6. num.* 8. P. Henriquez *lib. 6. capit. 6. num.* 3. Gutierrez, Ludouicus à Cruce, Rodriguez, Boſſius, Llamas, Adrianus, Trullench, quos refert Leander *vbi ſuprà, quæſtion.* 73.

66 Aiunt demùm; à Tridentino æquiparatur approbatio Epiſcopi Beneficio parochiale, ideóque ſolùm prohibetur ab ipſo, quem

quemquam audire confeſſiones, niſi aut ſit approbatus ab Epiſcopo, aut Beneficium parochiale habeat; at habens Beneficium parochiale poteſt vbique eligi per Bullam Cruciatæ, ergo & approbatus abſolutè à quolibet Epiſcopo poteſt vbique per Bullam eligi, cum æquiparatorum eadem ſit ratio. Ex hoc argumento etiam valebat inferri, quemlibet ſemel approbatum poſſe vbique confeſſiones audire, ſi aliunde ſola iuriſdictio ei concederetur, vt Regularibus communiter conceſſa eſt à Pontificibus; adeóque etiam, ſi priuilegium Bullæ non detur, eam ſufficere approbationem, ſicut in parocho ſufficit Beneficium parochiale, vt vbique parochus confeſſiones audiat, dummodò ei iuriſdictio præſtetur. Quod equidem contra mentem Tridentini, conſtitutionem Vrbani VIII. & declarationem Cardinalium aperto Marte pugnat; Videantur dicta *cap. præcedenti.* Hinc nego maiorem argumenti. Etenim, & ſi verum ſit, Concilium aſſerere, nullum poſſe audire confeſſiones, niſi ſit approbatus, aut Beneficium parochiale habeat, non tamen proptereà æquiparat approbationem vtriuſque, ſi approbatio ſit præſtita ab vno dumtaxat Epiſcopo, ſecùs eſſet, ſi approbatio eſſet præſtita ab omnibus Epiſcopis; eſſet enim tunc quaſi facta ab Eccleſia approbatio, ſicuti eſt approbatio parochi, quæ ab Eccleſia præſtari cenſetur, eo quòd ſit eius miniſter publicus. Ob hanc igitur rationem poteſt parochus vbique per Bullam eligi, quia ad omnia loca eſt approbatus; & alij Sacerdotes non parochi non ſunt miniſtri publici ſpecialiter ab Eccleſia deputati, nec approbationem ab Eccleſia ſortiuntur, ſed ab Epiſcopo, qui pro ſua dumtaxàt diœceſi approbare poteſt. Itaque Tridentinum ſolùm apponit requiſitum omnino neceſſarium, vt confeſſiones validè audiantur, non tamen negat, parochum plus habere, quàm ſimpliciter approbatum ab Epiſcopo, plúſque illius approbationem, quàm huius extendi.

CAPVT V.

An approbatus ad audiendas virorum confeſſiones poſſit à fœminis, eligi per Bullam Cruciatæ?

67 Faciliùs, & breuiùs ab hac, & ſequentibus quæſtiunculis nos expediemus, quia proportione ſeruata, ſunt eadem fundamenta pro vtraque parte, quæ in præcedenti *nuper* quæſtione propoſuimus. Supponunt hic omnes, eum, qui approbatus non eſt ad audiendas confeſſiones fœminarum, ſed dumtaxat virorum, ob leuitatis defectum, morumque fragilitatem, non poſſe à fœminis per Bullam eligi, eo quòd iudicatus ſit inidoneus, ac inhabilis, cui iuriſdictio ad audiendas confeſſiones fœminarum conferatur. Quippè approbatio non ſolùm eſt teſtimonium authenticum ſcientiæ, verùm etiam & prudentiæ, ac grauitatis morum; poteſt enim contingere, vt Sacerdos, aliàs perdoctus, ſit approbatione indignus ob vitia, vitæque prauam opinionem. Et in ſpeciali apertiùs hoc cernitur, ſi contigiſſet, Sacerdotem conuictum fuiſſe de ſollicitatione fœminarum in confeſſione; tunc enim ineptus iudicaretur ad audiendas earum confeſſiones, ſaltem dum non conſtaret de diuturna eius pœnitentia, vitæque probatæ contraria fama, primam penitùs abolente. Itaque quæſtio præſens alio tendit; ſcilicèt quia ſolent aliqui Epiſcopi approbare Sacerdotes ſolùm ad confeſſiones virorum audiendas, vſquedum quadrageſimum ætatis annum attingant, aut adimpleant, quin ob leuitatem morum id limitent, ſed vt maior ſit decentia fœminas audiendi, ac alloquendi, etiam in confeſſione, minuſque periculum; ſi quidem ætas quadraginta annorum exigit ex ſe in Sacerdote grauiorem colloquendi cum fœminis modum; minuſque ex ſe periculum adſit, quò maior eſt ætas. In quo ſanè Epiſcopi inſiſtunt conſuetudini antiquæ Eccleſiæ, decretiſque Pontificum, qui adeò conati ſunt inter Clericos, & fœminas vitare commercium; pluresque limitationes, & moderationes appoſuerunt etiam ad opera pia, ac neceſſaria, quæ Clerici cum fœminis eſſent executuri. Videatur totus titulus *de cohabitione Clericorum in Decretalibus.* Aduertendum tamen eſt, limitationem approbationis quoad viros ſolum oriri ex præfata conſuetudine Eccleſiæ, & ſtylo approbandi ab Epiſcopis vſitato, & non ex inhabilitate ob defectum, & leuitatem morum, dum non conſtet, ob hanc fuiſſe approbationem limitatam: Minimè, namque debet de vllo præſumi, aut iudicari ea vitæ leuitate laborare, ob quam indignus reddatur approbatione ad audiendas fœminarum confeſſiones, niſi conſtet, eam mouiſſe Epiſcopum ad limitandam approbationem. Deindè obiter eſt notandum, ſufficere, ſi Sacerdos pertingat quadrageſimum ætatis annum, vt confeſſiones fœminarum audiat, ſi approbatus antecedenter ſit ad eas audiendas, cum ad ætatem quadraginta annorum peruenerit. Etenim in fauorabilibus annus inceptus pro completo habetur; fauorabile autem eſt, poſſe quem audire confeſſiones cuiuslibet vtriuſque ſexus, ſicut è contrario odioſa eſt limitatio approbationis quoad viros, vſquedum ad quadrageſimum ætatis annum perueniatur, ideóque eſt reſtringenda; niſi fortè Epiſcopus exprimat,

debere

Digitized by Google

debere eſſe expletum annum quadrageſimum, aut conſuetudo alicuius diœceſis ſic interpretetur eam limitationem; cum enim, vt ſæpè dixi, approbatio pendeat ab Epiſcopi placito, dum ipſe ſuam voluntatem exprimit, non eſt locus ampliationi. Si autem non expreſſerit, conſuetudo tamen ſic interpretata ſit, cum hæc vim legis habeat, perindè ſe res habet, ac ſi placitum Epiſcopi daretur expreſſum.

68 His ſuppoſitis, in quæſtione propoſita duplex extat opinio; alia affirmans; alia negans. Pro affirmante ſunt Barboſa *de poteſtat. Epiſcop. part.* 2. *allegat.* 25. *numer.* 17. Nuñus, Ægidius, Petrus Fay, Henriquez, Fagundez, & alij apud Leandrum de Sacramento *tom.* 1. *tractat.* 5. *quæſtion.* 68. Trullench *in Bull. lib.* 1. §. 7. *capit.* 1. *dubitation.* 2. Probabileque id aſſertum reputant Thom. Sanchez, & Diana relati à Trullench; necnon Boſſius, Cardinalis Lugo, & alij, quos citat Leander. Pro negante opinione ſunt Cardinalis Lugo *tom. de pænitent. diſp.* 21. *n.* 17. Philippus à Cruce *tractat.* 1. *de Iubilao*, §. 20. Homobonus, Ioannes à Cruce. Rodriguez, Villalobos, Suarez apud Dianam 1. *part. tract.* 11. *reſolut.* 9. Boſſius, Molfeſius, Naldus apud Leandrum *vbi nuper*, qui vtramque opinionem æquè probabilem reputat, & plus in affirmantem inclinat.

69 Negari nequit, opinionem affirmantem eſſe tutam in praxi, ac probabilem ſaltem ob authoritatem extrinſecam, cui fas erit cuilibet conformari. Cæterùm iudicio meo approbatus dumtaxat ad virorum confeſſiones nequit à fœminis eligi in Confeſſarium. Ratio eſt eadem, quam in ſuperioribus adduximus; nempè per Bullam Cruciatæ nihil ſpeciale circa approbationem concedi, ſed omnino ſtandum eſſe Tridentino; at independenter à Bulla approbatus ſolùm ad viros non eſt capax iuxta Tridentinum, vt iuriſdictio ad fœminas in confeſſione audiendas ei conferatur; ergo nec eſt capax, vt eligatur per Bullam à fœminis, & à Pontifice ei conferatur iuriſdictio.

70 Dices; vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; ſed Bulla non diſtinguit, an Confeſſarius eligendus debeat eſſe approbatus ad has, vel ad illas perſonas, ſed dumtaxàt aſſerit, debere eſſe approbatum ergo ſufficit eſſe approbatũ ad aliquas perſonas, vt ab omnibus eligatur per Bullam. Reſpondeo, ſat à nobis *cap.* 3. fuiſſe oſtenſum, Bullam Cruciatæ loqui in eodem ſenſu, ac Tridentinum; quamobrem, cum exigit, eſſe approbatum Confeſſarium, loquitur cum proportione, & reſpectu ad perſonas, quæ eum poſſunt eligere, in ordine ad quas debet eſſe approbatus; nam alia approbatio impertinenter ſe habet reſpectu earum.

71 Inſtabis; Concilium ipſum non diſtinguit, debere Confeſſarium eſſe approbatum in ordine ad has, vel illas perſonas, ergo nec nos diſtinguere debemus, ſed potiùs aſſerere ſat eſſe iuxta Tridentinum, ſi detur quævis approbatio, & aliundè iuriſdictio adueniat. Benè, ergo non eſt opus, reſtringere hanc quæſtionem ad Bullam, vel Iubilæum, ſed inquirere, an approbatus ad ſolas virorum confeſſiones, poſſit confeſſiones fœminarum excipere, ſi aliundè ei iuriſdictio adueniat, etiã ſi nec per Bullã Cruciatæ, nec per Iubilęũ ei iuriſdictio cõferatur? Vnde ſaltem hoc inferam, Bullam ei nihil circa approbationẽ concedere, ſed ſolùm circa iuriſdictionem. Verùm iam ſupra oſtendi, Tridentinum non poſſe ſic intelligi, ſed approbationem relinquere iudicio Epiſcoporum, vt eam pro libito concedant, negent, aut limitent; quorum negatio, aut limitatio, adhuc ſi iniuſta eſſet, vim eſt habitura. Deindè, ſi Tridentinum ſolùm exigeret approbationem vtcumque, fruſtra omnino, & ſuperuacaneè Epiſcopi aliqui limitarent approbationem Regularibus, quos, ſciunt, per ſua priuilegia à Pontifice iuriſdictionem accipere; nam in opinione arguentium, hi iuxta Tridentinum ſufficentem approbationem tunc haberent, vt ſimul cum ea iuriſdictione à Pontifice accepta confeſſiones fœminarum exciperent. At iudico, Regulares cum ea limitatione approbatos nunquam id præſtare; nec ſe id tutò exequi poſſe, exiſtimant ipſi.

72 Rursùs arguo contra aduerſarios, & concluſionem confirmo. Si quis ſolùm defectu ætatis ad virorum confeſſiones approbatus, poſſet eligi per Bullam à fœminis, poſſet etiam eligi ab his ille, qui ob leuitatem, & defectum morum haberet approbationem limitatam ad viros; ſed ille nequit à fœminis eligi, vt ipſi aduerſantes tradunt, & *numer.* 67. ſuppoſuimus; igitur nec poteſt eligi, qui ſolùm defectu ætatis ad viros eſt approbatus. Probo maiorem eadem ratione, qua aduerſantes vtuntur; nam, vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; ſed neque lex Tridentini, nec priuilegium Bullæ diſtinguit, an approbatus debeat eſſe ad has perſonas vel illas, hac de cauſa, vel illa, hoc titulo, aut alio; igitur, cum ille ſit abſolutè approbatus, quod præciſe requiritur à Tridentino, & à Bulla; poterit à fœminis in Confeſſarium eligi.

73 Inquies, illum expreſſe fuiſſe iudicatum inidoneum, & inhabilem ab Epiſcopo, cui committatur iuriſdictio ad audiendas confeſſiones fœminarum. Contra, etiam

Digitized by Google

is, qui defectu ætatis approbatur dumtaxat ad viros, iudicatur expreſſè ab Epiſcopo inidoneus, cui conferatur iuriſdictio ad audiendum fœminarum confeſſiones; ſi enim idoneum ad has iudicaret, ſanè ad eas etiam approbaret. Et licet ſit diſſimilis cauſa, ratio, ſeu motiuum ad limitandum approbationem, tamen quælibet ex illis rationibus, ſiuè defectus ætatis, ſiuè leuitas morum, ſeu alia ſimilis, eſt ſufficiens ac adæquata, & ſimilem effectum habet. Quod pluribus exemplis ſuaderi poteſt, nam eadem facultas, ſeu fauor poteſt duobus negari, qui abſque eo fauore, aut facultate nequeunt rem exequi, & vni quidem valet negari, quia indignus eſt ea facultate, homoque vitæ impuræ; alij verò ob alias cauſas, nempè vt arctior diſciplina ſeruetur, vel ob quid ſimile; & tamen quoad effectum impotentiæ moralis exequendi rem illam, perindè ſe habet vna, ac alia ratio. Quare fateor, aduerſarios conſequentiùs proceſſuros, ſi paritatem à me factam concederent; ſed tamen negant illam, quia abſurdam reputant ſequelam; & ſanè cum non appareat ſolida diſparitas, negare etiam deberent aſſertum, ex quo ea infertur ſequela.

78 Pro praxi aduerto, quotieſcumque agimus de electione Confeſſarij ſeu ad peccata, ſeu ad cenſuras, vel ad commutationem votorum, cæteraque, ad quæ conceditur in Bulla electio Confeſſarij, non eſſe neceſſariam electionem formalem pœnitentis, vt ſic loquar, ita vt ipſe aſſerat; *Te eligo in Confeſſarium, vt me abſoluas, aut mea vota commutes*; Sufficit namque, pœnitentem habere Bullam Cruciatæ, & Confeſſarium eſſe conſcium, vt poſſit præſtare, quidquid per Bullam Confeſſario electo conceditur; Ea enim iudicatur electio ſufficiens, qua pœnitens Bullam habens accedit ad Confeſſarium, vt ea munia præſtet, alias ruſtici, & indocti, qui peccata aut cenſuras reſeruatas habent, aut vota commutari exigunt; nec poſſent abſolui, nec eis vota commutari, cum ipſi nunquam de ea electione formali cogitent; imò docti viri habentes Bullam non exprimunt eam electionem formaliter, ſed tantùm curant, vt Confeſſarius ſciat; ipſos habere Bullam; quòd ſi illum eſſe conſcium huius agnoſcant, nihil aliud repetunt, ſed ſimpliciter ſua peccata confitentur, aut vota commutanda proponunt. Nec obſtat, ſi dicas, eos ruſticos accedentes ad Confeſſarium ſolùm intendere, vt is illos abſoluat, ſi facultatem, & iuriſdictionem habeat. Etenim ipſi volunt gaudere priuilegiis Bullæ, quam habent; & ea habita, per ipſam datur facultas Confeſſario ad eiuſmodi munia, quare hoc ipſo, quòd ad illum accedant, iam habet facultatem ad abſoluendum, & commutandum vota, aliaque huiuſmodi; ipſa enim acceſſio, ſeu aditus ad Confeſſarium, eſt electio illius; nec aliam requiri, vſus comprobat Eccleſiæ; oppoſitumque eſſet ſcrupulorum origo, plurimque ignorantes beneficio Bullæ fraudarentur; vel opus eſſet Confeſſariis, inquirere à pœnitentibus, an ipſos eligerent in Confeſſarios, quæ interrogatio, eſſet inanis, cum pœnitentes ſupponant, idem eſſe, adire Confeſſarium, ac eum eligere.

79 Ex doctrina tradita *in hoc capite* infertur manifeſtè (quod etiam ad praxim notauerim) ſi contingat, aliquem approbari cum limitatione ad hos viros, non ad illos, ad has fœminas, non ad illas, v. g. ad ſcholares, non ad inſtitores; ad pueros, non ad puberes; ad fœminas præter meretrices publicas, idem eſſe dicendum, ac in noſtra concluſione diximus ob eaſdem prorſus rationes. Imò efficaciùs etiam in doctrina aduerſantium hoc ſuadetur; nam ſi quis defectu ſcientiæ ſolùm ad pueros, vel ad alios viros negotiis ſæcularibus non irretitos approbaretur, nec ipſi aduerſantes concederent, poſſe ab aliis per Bullam eligi, quod *capite ſequenti* ampliùs conſtabit.

CAPVT VI.

An approbatus pro vno loco poſſit per Bullam Cruciatæ eligi in tota diœceſi?

80 NOn poſſe eligi, cenſent Pater Filiucius *tom. 1. tract. 7. capit. 9. num. 62.* Petrus Fay, Acoſta, Nuñus, Rodriguez, & alij apud Leandrum de Sacramento, *tom. 1. tractat. 5. diſput. 11. quæſt. 69.* Affirmant verò Pater Henriquez *libr. 3. de pænitent. cap. 6. numer.* 8. Medina, & alij, quos ſequitur Diana *part. 1. tractat. 11. reſol. 10.* Fernandez *in examin. Theologia moral. part. 3. cap. 9. §. 8. num.* 6. Quorum quidam expreſſè limitant aſſertum alij; verò id ſupponere videntur, ſcilicèt niſi approbatio ſit limitata ex defectu ſcientiæ; vt ſi Sacerdos eſſet approbatus pro quodam pago viginti ruſticorum dumtaxat, eo quòd ad eos abſoluendos non eſt opus tanta doctrina, ac ad abſoluenda in vrbe ampliſſima varia genera perſonarum, ad quarum abſolutionem non eſſet in prædicto Sacerdote ſcientia; ſanè hic iudicatur inidoneus, cui conferatur iuriſdictio in alio loco, niſi in eo, ad quem eſt approbatus.

81 Tuta, & probabilis eſt hæc ſecunda ſententia affirmans, ob authoritatem Doctorum, qui eam ſequuntur. Attamen veriorem iudico

Digitized by Google

iudico ſententiam negantem, motus eiſdem fundamentis, proportionatè applicatis, quibus *capit. præcedenti* probaui, approbatum ad certum genus perſonarum non poſſe per Bullam eligi ab aliis perſonis. Recolantur, & adaptentur præſenti dubio, ne ea repepetendo actum agamus. Fundamenta item contraria manent ibidem ſoluta; ſimilia namque ſunt illis, quibus vtuntur Authores ſententiæ oppoſitæ *ibi* declaratæ. Et quidem incredibile apparet, Pontificem in Bulla conceſſiſſe, vt Sacerdos ignorans cōfeſſiones poſſet audire, qui nec valeret animabus mederi, nec pœnitentium peccata dignoſcere, eoſque ſoluere, aut ligare. Et quiſnam tutus in conſcientia maneret, ſi conſcientiam ſuam pluribus implexam dubiis, peccatis, votis, contractibus illicitis, ſimoniis, vſuris, furtis, aliiſque huiuſmodi, Sacerdoti imperito aperuiſſet, ab eoque abſolutionem impetraſſet? Nullum ſanè credam; quod inde prouenit, quia ipſa ratio, & lumen mentis Chriſtianæ docet, eum Sacerdotem omnino eſſe ineptum ad ſimiles confeſſiones audiendas. Quis autem aſſerat, hominem ineptum eligi poſſe in Confeſſarium? Et ne maior corporum, quàm animarum habeatur ratio? Corpori namque curando eligitur medicus gnarus; animæ verò ſanandæ medicus ignarus eligi poterit? Proh diſpendium Sacramentorum!

82 Hinc vehementer miror, Leandrum *vbi ſuprà* aſſerere, poſſe eligi in toto Epiſcopatu illum, qui dumtaxat pro vno loco fuit approbatus ex defectu ſcientiæ. Et quidem pariter dicere valebat, illum in toto terrarum orbe poſſe eligi. Quòd ſi animaduertatur rectè, idem ſonat hæc concluſio, ac ſi aſſereret; hic & nunc poteſt homo innumeris illaqueatus vitiis, cenſuris, contractibus, & ſimilibus, eligere in Confeſſarium Sacerdotem omnium earum rerum ignarum, inſcium, ac illiteratum; eo quòd pro decem ruſticis ſimplicibus cuiuſdam pagi fuerit approbatus; hæc enim propoſitio particularis continetur in vniuerſali edocta abſolutè à Leandro; quo quid abſurdius? Refert ipſe pro ſua opinione aliquos Authores, ſed nullum eorum hoc tenuiſſe, mihi perſuadebo; quin Pater Henriquez ab ipſo pro ſe citatus oppoſitum expreſsè docet, *vbi ſuprà numer. 8. in fin.* Nec ratio, qua mouetur, vim vllam habet; ſcilicèt quia ille Sacerdos verè, & in rigorè eſt approbatus; ſed Pontifex in Bulla non exigit, quòd Sacerdos eligendus ſit illimitatè approbatus, ſed tantùm, quòd ſit approbatus ab Ordinario, ergo ille eſt per Bullam eligibilis. Etenim maior eſt falſa abſolutè ſumpta, quia ille non eſt approbatus niſi pro perſonis eius determinati loci, non pro aliis, imò pro aliis eſt reprobatus, & iudicatus indoneus, ac ineptus, cum ob ineptitudinem fuerit limitata approbatio. Deindè minoris falſitatem pluribus *ſuperiùs* oſtendimus; ex maiori ergo, & minori falſis præclara inferetur conſequentia.

83 Ex hac noſtra reſolutione infero primò, ſi Sacerdos defectu ſcientiæ ſit approbatus ſolùm pro pago ruſticorum, ſi ad eum locum accedat alius, ad cuius conſcientiam extricandam non eſt ſcientia in approbato, non poſſe hunc eligi ab illo in Confeſſarium quia res ſe habet, ac ſi ille approbatus deueniſſet ad locum, cuius incola eſt ille pœnitens; materialiterque, cenſendum eſt, acceſſum ad eum locum ſe habere, in ordine ad hoc, quòd approbatus pro illo loco poſſit eius confeſſionem audire. Deindè, cum approbatio limitatur ad eum locum, ſanè id præſtatur cum ordine, & reſpectu ad perſonas eius loci; hoc enim oſtendit limitatio facta propter defectum ſcientiæ non ſufficientis niſi ad ruſticorum confeſſiones; ergo cum ille accedens ad eum locum non ſit incola, nec ruſticus, vt ſupponimus, extra eos eſt, pro quibus fuit approbatio conceſſa.

84 Infero ſecundò, ſi ruſticus alterius pagi illuc accederet, adhuc non poſſe eligere ſibi in Confeſsarium eum Sacerdotem, quia pro illo non eſt approbatus, dum limitatio ita præſtita ſit, vt ſolùm pro incolis eius pagi fuerit approbatio conceſsa; alias etiam poſset aſſeri, eum Sacerdotem audire valere confeſſiones ruſticorum in quocumque pago; (cuius oppoſitum noſtra concluſio tenet) ſi enim poteſt audire ruſticos aliorum pagorum in ſuo loco, quantumvis approbatio limitata ſit pro ruſticis incolis ſui pagi, ergo quantumvis detur hæc limitatio, poterit in aliis pagis ruſticos incolas eorum audire; cum ſcientia eadem ſufficiat ad illos omnes.

85 Infero tertiò, eum Sacerdotem, de quo agimus, ſi in alio loco ſit, in quo non eſt approbatus, non poſse audire confeſſionem incolæ loci, pro quo eſt approbatus; quia limitatio eò tendit, eamque vim habet, vt non poſſit exercere iuriſdictionem alio in loco, quàm in illo determinato; & vt exerceat, debet eſse approbatus pro illo loco, in quo exercet actu iuriſdictionem. Quæ illatio eſt conformis doctrinæ *ſuperiùs* à nobis traditæ; quòd approbatus in diœceſi Salmantina nequit in Valliſoletana Salmantinum pœnitentem abſoluere; eadem enim eſt proportionatè ratio.

86 Infero demùm, ſi quis pro vno loco dumtaxat ſit approbatus, non ex defectu ſcientiæ, ſed aliam ob cauſam, poſse in eo loco eligi ab omnibus, qui illuc acceſserint cum

Digitized by Google

cum limitatio tunc non ſit cum reſpectu ad perſonas eius loci, ſed dumtaxat ad locum ipſum. Pone, aliquem ab Epiſcopo approbari ſolùm pro hac vrbe Salmanticenſi, hic poterit eligi à quibuſcumque aduenis, ea enim limitatio ſanè reſpicit ſolummodò locum; cum is, qui poteſt aptè audire confeſſiones omnium Salmanticæ commorantium, multò meliùs poſſit audire confeſſiones ruſticorum, & aliorum huc deuenientium, nec teneatur interrogare quemlibet pœnitentem, vtrùm ſit huius incola vrbis. Quod etiam eſt conforme doctrinæ certæ tradenti, approbatum pro diœceſi Salmantina poſse per Bullam eligi à quibuſvis ex aliis diœceſibus ad hanc accedentibus.

CAPVT VII.

An approbatus pro determinato tempore poſſit, eo tranſacto eligi per Bullam Cruciatæ? Vbi de his, qui fuerunt, & non ſunt parochi.

87 PArtem negatiuam tenet Ledeſma *in ſum. capit.* 13. *de pœnit. dubit.* 10. & iuxta ſua principia idem debet conſequenter tenere Cardinalis Lugo. Affirmatiuam tuetur Acoſta *in Bull. quæſt.* 39, At Leander de Sacramento *vbi ſuprà quæſt.* 71. tuetur, tunc eſſe eligibilem virtute Bullæ huiuſmodi approbatum, cum ſolo ductu voluntatis Ordinarij abſque vlla alia cauſa fuit limitata approbatio ad tempus determinatum, ſecùs verò ſi aliam ob cauſam fuit limitatio appoſita. In primis hæc ſententia Leandri & eſt parum conſequens ad eius principia, & inter ſe pugnantia continet. Etenim etiam ſi propter aliam rationem, & non ſolùm ductu voluntatis fuiſſet limitata approbatio, tenebatur hic Author aſſerere, poſſe eligi per Bullam eiuſmodi approbatum, tum quia abſolutè fuerat approbatus, & Bulla nihil ampliùs exigit, nec diſtinguit, an debeat eſſe approbatus pro hoc, vel illo tempore, ſicut non diſtinguit, an debeat eſſe approbatus pro hoc, aut illo loco, pro his aut illis perſonis; quæ eſt ratio mouens Leandrum ad aſſerta *ſuperiùs* poſita, & impugnata; Tum quia ipſe tuetur, vt vidimus, approbatum cum limitatione pro determinato loco, etiam ſi limitatio non fuerit appoſita ſolo ductu voluntatis Ordinarij, ſed ob defectum ſcientiæ, adhuc virtute Bullæ poſſe eligi; ergo ſimiliter, etiam ſi limitatio approbationis pro certo tempore non fuerit appoſita ob ſolum placitum Ordinarij, ſed vt iterùm examen fiat ſufficientiæ in doctrina, & moribus, poterit eligi ille Sacerdos, tranſacto eo tempore, ſi conſequentia in aſſertis huius Authoris ſeruetur.

88 Dicet, in caſu *præcedentis capitis* eum Sacerdotem nunc temporis eſſe approbatum, licèt non pro hoc loco; at in præſenti caſu non eſſe approbatum nunc temporis; Bulla autem concedit electionem eius, qui ſit approbatus nunc temporis. Contra primò; quia ſicut Bulla non exprimit, ſacerdotem debere eſſe aprobatum pro hoc loco, vnde ait Leander, ſufficere, eſſe approbatum pro alio loco; ita nec exprimit, debere eſſe approbatum pro hoc tempore, vnde etiam ſufficiet, eſſe approbatum pro alio tempore; paritas enim æqua eſt. Contra ſecundò, quia ſi limitatio ſit appoſita ſolo ductu voluntatis, ait ipſe, poſſe, tranſacto tempore, eligi eum Sacerdotem, ergo Bulla non exigit, vt tunc temporis ſit Sacerdos approbatus, cum elapſo tempore approbationis, non detur, ſed data fuerit approbatio, quæ vtpotè à placito Ordinarij dependens, ceſſat, cum ipſi placet, quamuis placitum ſit iniuſtum, vt vidimus *in ſuperioribus*. Quare non poteſt effugi vis huius ratiocinij, aſſerendo, approbationem, adhuc tranſacto tempore, durare, ſi ſolo ductu voluntatis Ordinarij fuit limitata ad certum tempus. Quid? quòd nunquam præſumendum eſt, defuiſſe iuſtam cauſam limitationis, cum in dubiis præſumptio ſtet pro Prælato, & quamvis exteriùs clarè appareat nullam cauſam interueniſſe, poteſt Ordinarius habere, aliquam, quam non vult exprimere. Vnde, niſi ipſe apertè dixiſſet, abſque vlla cauſa limitare approbationem ſolúmque id præſtare ſuæ voluntatis ductu, hic ſolus interuenire non eſt cenſendus.

89 Deinde implicantia inter ſe continet hic modus opinandi; nam non alia ratione nequit eligi per Bullam in Confeſſarium is, qui approbatus fuit pro certo tempore, eo tranſacto, limitatione illa appoſita, ob aliquam cauſam, & non ſolo ductu voluntatis Ordinarij, niſi quia, tranſacto eo tempore, ille Sacerdos non eſt approbatus, & Bulla exigit approbatum; quomodo ergo, eodem tempore tranſacto, cum limitatio nullam habuit cauſam, dicitur ab hoc Authore, manere eum approbatum, ita vt poſſit eligi per Bullam exigentem approbationem? Vel ſi tuetur, Bullam non exigere approbationem pro nunc temporis, quo pacto defendit, in vno caſu poſſe eligi, in alio non poſſe, maximè ſuppoſitis eius principiis? Ego quidem non video horum cohærentiam, nec tutò conformarer in praxi huic opinioni.

90 Tenendum ergo eſt, approbatum pro determinato tempore, licèt limitatio appoſita fuerit ſolo ductu voluntatis Ordinarij, eo tempore tranſacto, non eſſe eligibilem per Bullam. Etenim tunc iam non eſt approbatus; nec ſeorſim à Bulla eſt ille capax iuriſdictionis

Digitized by Google

iuriſdictionis aliundè prouenientis, ſtando ordinationi Tridentini; Bulla autem nihil, vt ſæpè repetiuimus, circa approbationem concedit. Deindè iam oſtendimus, Ordinarium poſſe limitare, & reuocare approbationem, ſicut & negare, cum à Tridentino ei fuerit commiſſa approbandi tota poteſtas; ſicut ergo, negata approbatione, etiam abſque cauſa, non eſſet Sacerdos, cui negata fuit, eligibilis per Bullam, ita nec limitata approbatione pro certo tempore, eo tranſacto; & ſicut illa negatio, etiam abſque cauſa, vim haberet, nec ille approbatus cenſeretur, ita & limitatio, adhuc abſque cauſa, vim retinet, nec is manebit approbatus, atque adeò nec eligibilis per Bullam. Fundamentum autem contrarium, nempe quòd Bulla non diſtinguat, approbationem debere eſſe hanc, vel illam, iam iteratò à nobis fuit eneruatum.

91 Nec ſequitur ex hac doctrina, eum, qui fuit parochus, & iam non eſt, non poſſe eligi per Bullam; contrarium quippè docuimus, & probauimus *ſuprà à num.* 34. Quare in hoc non tranſactum eſt tempus approbationis, ſicut in caſu huius quæſtionis ſupponebamus, quin potiùs ſemper durat. Quare prædictus eligi poterit per Bullam, quamvis iuriſdictione careat, nam Bulla præſtat iuriſdictionem, & poteſt eligi virtute illius, quicumque fuerit approbatus, quantumvis iuriſdictione carens. Sed intelligenda eſt hæc doctrina de parocho, qui ſpontè dimiſit parochiale Beneficium, non de eo, cui ob cauſam ſuperuenientem culpabilem, aut quia redditus eſt ineptus, Beneficium auferretur; nam tunc & approbatio aufertur; & in hoc non militat ratio, qua probauimus, eum qui ſpontè Beneficium dimiſit, adhuc approbatum manere, ſed potiùs oppoſita.

CAPVT VIII.

An approbatus, ſi abſque cauſa reprobetur, ſeu reuocetur eius approbatio, ſit per Bullam Cruciatæ eligibilis?

92 SVpponit quæſtio, eum, qui cum ſufficienti cauſa eſt reprobatus, ſeu cui reuocata eſt approbatio, non poſſe per Bullam eligi in Confeſſarium, quod ſatis *ſuprà* ſtabiliuimus. Supponendum eſt rursùs, debere conſtare manifeſtè, non fuiſſe cauſam reprobationis, ſiuè reuocationis; dum enim ſic non conſtat, præſumptio ſtat pro Prælato; nec facilè, vt *ſuperiùs* attigi, poteſt hoc conſtare, niſi ipſe Prælatus id manifeſtet, cum potuerit ipſe cauſas reuocationis huiuſmodi habere, quas tamen non vult propalare, & fortaſsè non conuenit, illas fieri manifeſtas.

93 Hoc ſuppoſito, negat, eum eſſe eligibilem per Bullam Ioannes de Cruce *in ſum. part.* 2. *de pœnit. quæſt.* 5. *dub.* 4. *concluſione* 4. & alij ſuppreſſo nomine citati à Leandro *vbi ſuprà*, *q.* 72. Ipſe tamen Cruz iudicat probabilem ſententiam affirmantem. Quam tuentur Leander, & Acoſta *in Bulla, quæſt.* 40. Cæterùm Diana 1. *part. tractat.* 11. *reſolut.* 12. vtramque opinionem proponit, & nulli adhæret, quamvis affirmanti ſententiæ debere ſubſcribere, iuxta ea, quæ tradit 3. *part. tract.* 2. *de dubiis Regular. reſol.* 22. notauit Leander.

94 Sequor ſententiam negantem, & quamvis non inficier ſuam probabilitatem extrinſecam opinioni oppoſitæ, tamen ſcrupulis obnoxiam iudico, & parum tutam, ex eo quòd non facilè poterit conſtare, an abſque cauſa fuerit approbatio reuocata. Probatur noſtra ſententia; nam ille, cui reuocata eſt approbatio, iam non eſt approbatus, ſicut non eſt ille, qui fuit approbatus pro determinato tempore, eo tranſacto, de quo *capite præcedenti*; ergo non eſt eligibilis per Bullam, quæ exigit approbatum. Deindè ille non eſt capax ex vi Tridentini, cui conferatur iuriſdictio, Bulla autem non concedit iuriſdictionem niſi capaci iuxta Tridentinum, vt ſæpè tradidimus. Quod autem abſque cauſa fuerit reuocata approbatio, nihil obeſt, cum iuxta dicta, ita pendeat à voluntate, ac iuriſdictione Ordinarij approbatio, vt vim habeat eius negatio, limitatio, vel reuocatio etiam iniuſta. Hincque aduerſus contrarios argumentor; Tam tenet reuocatio approbationis, cum eſt iniuſta, ac cum eſt iuſta; ſed cum eſt iuſta, nequit iuxta ipſos eligi per Bullam is, cui reuocata eſt approbatio; ergo neque, cum eſt iniuſta. Imò conſequentiùs ad ſua principia aſſererent, poſſe eligi per Bullam eum, cui reuocata eſſet approbatio etiam cum cauſa, cum Bullam non diſtinguat, & ille fuerit abſolutè approbatus, quod ſolùm in Bulla exigitur; ſicut ob hanc rationem tuentur, eſſe eligibilem eum, qui etiam cum cauſa, nempè ex defectu ſcientiæ, fuit approbatus pro vno loco, eſſe, inquam, eligibilem in alio; & eum, qui fuit approbatus pro determinato tempore, eo tranſacto, aliaque huiuſmodi, quæ manent & relata, & impugnata *ſuperiùs*.

95 Sed opponunt. Ille Sacerdos fuit iam ab Ordinario reputatus idoneus ad audiendas confeſſiones; ergo licèt actu non ſit approbatus, eſt eligibilis per Bullam, quæ non exigit actualem approbationem. Confirmant quia illa reprobatio, ſeu reuocatio eſt, quaſi ablatio iuris adquiſiti ab approbato, ergo non ſolùm eſt iniuſta, ſed nulla. Sanè hæc confirmatio contradictorium intendit, ac argumen

Digitized by Google

argumentum; nam conatur ſuadere, approbationem actu durare; argumentum verò contendit, abſque approbatione actuali eſſe eiuſmodi Sacerdotem eligibilem per Bullam. Nunc reſpondeo, Bullam exigere actualem approbationem, ſicut exigit Tridentinum, vt ſæpè aſſerui. Ad confirmationem verò, conſtat ex adhuc dictis, reuocationem, & limitationem etiam abſque cauſa non eſſe nullam, ſed validam, nec vllum ius acquiri ab approbato aduersùs Ordinarium, ſed in eius eſſe poteſtate, approbationem negare, reuocare, ſeu limitare. Quod ſi iniuſte præſtet, peccabit, ſed eius actio tenebit.

CAPVT IX.

An, & quomodo Regulares approbati ſint eligibiles per Bullam Cruciatæ ad confeſſiones audiendas.

96 QVicumque Regularis Ordinum Mendicantium ab Ordinario approbatus (idem dicito conſequenter de Regularibus non mendicantibus, qui Mendicantium participant priuilegia) poteſt eligi in Confeſſarium virtute Bullæ, vt in eius clauſula exprimitur. Quòd ſi Regularis non Mendicantis Ordinis eſſet, qui non participaret priuilegia Regionum Mendicantium non poſſet per Bullam eligi; nam hæc ſolùm concedit, poſſe eligi, *ſæcularem, vel cuiuſcumque etiam Ordinum Mendicantium Regularem.* Et quamvis, Bulla Hiſpana ſolùm vertat, *à qualquier Presbytero ſecular, ò Regular de los aprobados*; quin addat, Regularem debere eſſe Mendicantem, non tollitur Bullæ Latinæ vis; ſed ideò non fuit id ſuperadditum, quia de facto communiter omnes Ordines non Mendicantes communicant priuilegia Mendicantium, quare ſaluatur veritas eius propoſitionis, quòd quivis Regularis approbatus eſt eligibilis; oportuitque non addere, debere eſſe Regularem Ordinum Mendicantium in Bulla Hiſpana, ne indocti putarent, ſe non poſſe eligere Regularem non Mendicantem, cum ignorent doctrinam de participatione priuilegiorum; & præterea anxij vagarentur inquirendo, quinam eſſent Ordines Mendicantes, quinam non Mendicantes. Non tamen ideò ſuperfluit additamentum Bullæ Latinæ; tum quia ſi de nouo inſtitueretur Ordo non Mendicans, qui non participaret priuilegia Mendicantium, eius Religioſi non eſſent virtute Bullæ eligibiles, tuncque id deberet in Bulla Hiſpana exprimi, tum vt agnoſcatur fauor Sedis Apoſtolicæ erga Ordines Mendicantes, quibus directè hoc conceditur, vt poſſint eligi in Confeſſarios eorum Religioſi approbati; ex conſequenti autem Ordinibus non Mendicantibus, ſi participent priuilegia Mendicantium. Vel potius dic, in expreſſione Ordinum Mendicantium attendiſſe Pontifices ad eorum munus, quod eſt, tum propriæ, tum proximorum ſaluti ſpirituali incumbere, iuxta ſui inſtituti finem præcipuum; quare hi potiùs, quàm non Mendicantes, in confeſſionibus audiendis ſe debent exercere, tum in aliquo Sacro Ordine ex illis non ſit ſtatutum contrarium. At non Mendicantes, quamvis etiam valdè laudabiliter, ac fructuoſe ſaluti ſpirituali proximorum, eorumque confeſſionibus incumbunt, attamen abſque adeò ſtricto debito, & obligatione, cum finis præcipuus ſuæ profeſſionis ſit, vel propriæ animarum ſaluti ſanctiſſime vacare, vel vtilitati alicui corporali proximorum ad pietatem, ac miſericordiam pertinenti, ſimul inſiſtere.

97 Sunt autem eligibiles per Bullam Regulares, *qui ſemel tantum approbati fuerint*; vt ait clauſula præfixa, quam exponimus. Quod additum fuit, vt notat rectè Trullench *in Bull. lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 7.* vt illæſum Regularibus ſeruaretur priuilegium de quo egimus *ſuprà*, ratione cuius ſemel approbati ab vno Epiſcopo, nequeunt ab eodem in ipſamet diœceſi, aut loco, pro quo approbati ſunt, reprobari, niſi adſit vrgentiſſima cauſa in ſpeciali iuridice probata. Quare eorum approbatio non reuocatur per reuocationem generalem ab eodem Epiſcopo factam. Hinc ſi quotannis Epiſcopus reuocaret omnes approbationes, Sacerdos ſæcularis non eſſet eligibilis per Bullam, donec iterùm approbaretur, ſic verò Regularis, vtpotè cuius approbatio non eſſet reuocata. Vnde confirmo doctrinam *in ſuperioribus* traditam; Nam Regularis ſemel ſic approbatus eſt eligibilis per Bullam, non verò Sacerdos ſæcularis, vt expreſsè in ipſa aſſeritur ibi, *& quoad Regulares, qui ſemel approbati fuerint*; ergo contra ipſam Bullæ mentem contenditur, quoſcumque approbatos poſſe eligi per Bullam, etiam tranſacto tempore approbationis, vel poſt reuocatam approbationem, & in caſibus huiuſmodi.

98 At ſi approbatio Regularis fuiſset in ſpeciali ex vrgentiſſima cauſa reuocata, non eſſet eligibilis per Bullam; quia debet intelligi ea clauſula, *qui ſemel approbati fuerint*, tum etiam negatiuè, ſcilicèt & ſi non fuerit reuocata approbatio cum iuſtiſſima cauſa, quo caſu non eſt credibile, voluiſſe Pontificem eum poſſe eligi; tum quia Bulla non concedit quidquam circa approbationem, ſed contendit, & Tridentinum ſeruari, & priuilegia poſt illud à Sede Apoſtolica emanantia illæſa cuſtodiri: Priuilegia autem Regularium non ſe extendunt ad caſum propoſitum,

Digitized by Google

tum, vt nempè confeſſiones audire poſſit Regularis, cui ablata eſt approbatio ex cauſa valdè vrgenti in ſpeciali iuridicè probata, vt *ſuprà* notaui; ergo nec Bulla concedit, in eo caſu Regularem eſſe eligibilem.

99 Cæterùm in eadem adhuc diœceſi poteſt Regularis à ſuccedente Epiſcopo iterùm examinari, & ſi minùs idoneus fuerit, reprobari, quod conſtat ex conſtitutione Vrbani VIII. edita die 30. Ianuarij, anno 1629. quam afferunt Barboſa *lib. 1. de vniuerſo iure cap. 43. numer. 212.* & Trullench *in Bull. lib.1.§. 7. cap. 1. dub. 7. numer. 9.* Quòd ſi ad aliam diœceſim pergat Regularis, nouâ indiget approbatione; tum quia Epiſcopus alterius diœceſis ſolùm habet iuriſdictionem approbandi in ordine ad ſuos ſubditos; tum quia, ſi in eadem diœceſi poteſt iterum examinari à ſuccedente Epiſcopo, in alia diœceſi, par eſt, vt examinetur, vt Epiſcopus alterius diœceſis ſuæ conſcientiæ ſatisfaciat, quæ eſt ratio, ob quam Vrbanus conceſſit, vt à ſuccedente Epiſcopo in eadem diœceſi poſſet examinari. De approbatione Regularium recolantur dicta *ſuprà à num.* 41. & latè de illa tractans Trullench *vbi nuper.*

100 Adhuc tamen circa ea verba Bullæ concedentis electionem Confeſſarij, & addentis; *& quoad Regulares, qui ſemel approbati fuerint*, vellem habere ducem, vt affirmarem, etiam in noſtra ſententia tuente, non ſufficere approbationem in vna diœceſi, vt Confeſſarius eligatur in alia, excipiendos fore Regulares, eoſque poſſe eligi. Nec eſſet innixura hæc aſſertio fundamento communi à nobis reprobato, quòd Bulla non exigit niſi approbatum ab Ordinario, ſed in verbis *nuper* relatis, quæ non reſtringunt approbationem, & aliquid circa illam videntur concedere, etiam ſi nihil concedant ſæcularibus circa eamdem. Et quidem, dum ſemel fauorabilis conceſſio oſtenditur, quin vlla reſtrictio apponatur, videtur, eſſe ſufficiens fundamentum, vt extendatur, quatenus patitur vis verborum, plus autem patitur, quàm id, quod *n.* 97. expoſuimus. Nihilominùs, tutiùs ſtatur dictis, & fauor ſaluatur in confirmatione priuilegij, quod Regulares habent, à nobis adducti; & ſic nihil contra Tridentinum conceditur, ſeruato tamen priuilegio prædicto, quod non eſſe reuocatum per reductionem priuilegiorum Regularium ad terminos Concilij Tridentini, declarauit Congregatio Concilij Eminentiſſimorum Cardinalium tempore Sixti V. vt refert Rodriguez *in Bull. §.9. numer. 32. & 1. tom. qq. Regul. quæſt. 59. art. 4.* In qua declaratione etiam extat, Regulares in vna diœceſi approbatos poſſe ab Epiſcopo ſuccedente iterùm examinari, & reprobari. Et fruſtra contendit Rodriguez, hinc excipiendos fore Regulares Ordinis Prædicatorum, & Minorum; quippè eorum priuilegia, etiam ſi inſerta fuerint iuri communi, reuocata ſunt per Tridentinum, vt oſtendimus *loco citato*, Trullench. *vbi ſuprà* rectè probat.

101 Notandumque eſt, illud priuilegium Regularium, nempe quod ſemel approbati nequeant ab eodem Epiſcopo reprobari, vim dumtaxat habere, quando indefinitè, & ſine limitatione approbati ſunt; ſi enim cum limitatione ad tempus approbentur, eo tempore tranſacto, iudicandi ſunt reprobati, ſeu meliùs, non approbati; ideóque tunc eligi non poterunt per Bullam; nec item qui approbati ſunt ad viros tantummodò, aut pro certo loco, poterunt iuxta noſtram ſententiam à fœminis, aut alio in loco eligi; quia limitatio ſuam vim retinet, nec conceſſum eſt Regularibus, vt approbatio eis abſque limitatione indulgeatur. Quare praxis eſt in aliquibus diœceſibus, vt Regulares, niſi quadrageſimum ætatis annum attigerint, ſolùm ad confeſſiones virorum approbentur.

102 Vlteriùs eſt notandum, ſi accidat, Epiſcopum Salmantinum, v. g. promoueri ad Epiſcopatum Giennenſem, & Regularis Salmanticæ ab illo approbatus ad Giennenſem eat diœceſim, noua hunc ipſius indigere approbatione, vt ibi confeſſiones excipiat; nam priuilegium *ſuprà* poſitum dumtaxat operatur in eadem diœceſi, & reſpectu eiuſdem Epiſcopi, non verò in diuerſa diœceſi, licèt ſit idem Epiſcopus; per accidens enim ſe habet, quòd eumdem Epiſcopum, à quo in alia diœceſi fuit approbatus, ibi reperiat, quare debet ab eo poſcere approbationem, non ſecùs, ac ſi eſſet diuerſus Epiſcopus.

103 Hic inquiritur primò, an Regularis approbatus ab Ordinario, ſed prohibitus à ſuo Superiore audire confeſſiones, poſſit per Bullam Cruciatæ eligi? (Idemque eſt, an abſque Bulla poſſit audire confeſſiones eorum, qui ad abſolutionem Bulla non indigent?) Cum autem dicimus, prohibitum eſſe à Superiore, ibi etiam includimus, ſi non habeat licentiam Superioris, qua indiget. In qua quæſtione, cenſent, eum validè audire confeſſiones, Salas, Pitigianus, Villalobos, Nuñus, & alij, quos citat, & ſectatur Diana *1. part. tract. 11. reſol. 13. & in addition. 3. part. in fin. reſol. 7.* At id negant Rodriguez *tom. 1. qq. Regul. quæſt. 60. articul. 3.* & alij apud eumdem Dianam. Ex his verò, qui affirmant, ſuum ita limitant plures aſſertum, eum Regularem non poſſe, nec validè, abſoluere à caſibus, à quibus iuriſdictio ei conceditur ratione ſuorum priuilegiorum. Ita P. Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 10. numer. 19.* Trullench, Graffis, Miranda, & alij, quos affert Leander *vbi ſuprà quæſt.* 75.

Mendo in Bull. Cruciat. P 104 Ego

Digitized by Google

104 Ego cenſeo, ſub aliquibus diſtinctionibus rem eſſe decidendam. Nempè ſi Regularis iuriſdictionem à Pontifice habeat immediatè (& quam non communicent illi Superiores, qui licentiam audiendi confeſſiones negant) & item approbationem Epiſcopi, ſeu ab hoc cum approbatione iuriſdictionem acceperit, ſanè validè audiet confeſſiones, & à fortiori per Bullam erit eligibilis. Etenim nihil ampliùs deſideratur ad valorem Sacramenti, prout nunc eſt ſermo, niſi iuriſdictio, & approbatio, atque aliundè prohibitio Superioris, aut negatio licentiæ non aufert approbationem, ac iuriſdictionem, quæ à maiori Superiore eſt ei Regulari conceſſa, vtpotè quia nequit minor Superior auferre, quod maior Superior concedit, ergo validè ille confeſſiones audire valet, & item per Bullam erit eligibilis.

105 At ſi ipſemet Superior, qui prohibet, eſt, qui communicat iuriſdictionem, ea conditione conceſſam à Pontifice, vt mediis Superioribus, communicetur ſubditis, tunc Regularis approbatus præciſè, non valebit confeſſiones audire, quia iuriſdictione caret; tamen poterit eligi per Bullam, quæ iuriſdictionem approbato præſtat, eſt autem ille Regularis, vt ſupponimus, ab Ordinario approbatus. Quòd ſi ab Ordinario approbationem, & iuriſdictionem acceperit, poterit independenter à Bulla, audire confeſſiones, & abſoluere ab his peccatis, ac cenſuris, à quibus vt abſoluat, iuriſdictionem accepit. Non tamen poterit abſoluere ab illis, à quibus ſpecialiter poſſet ratione priuilegiorum ſuæ Religionis, cum hæc non fuerint ei communicata.

106 Dices; Religioſus non habet velle, aut nolle, *cap. Nullus, cap. Quorumdam, de election. in 6.* ergo in nullo caſu abſque licentia ſui Prælati, ſeu ipſo prohibente, eſt dominus ſuarum actionum; ita vt poſſit iuriſdictionem in confeſſione exercere. Reſpondeo, Religioſum dici, non habere nolle, aut velle, quia debet ſuum velle, & ſuum nolle ſubijcere Superiori, ita vt illicitè, aut imperfectè operetur, ſi non ſubijciatur; non verò ita, vt inualidè operetur, quando facultas Superioris non eſt neceſſaria ad valorem operis; In caſibus autem ſub diſtinctione poſitis, facultas ea non requiritur ad valorem confeſſionis, ad quem ſufficit iuriſdictio, & approbatio. Conſequenterque ad hanc reſolutionem, in iiſdem caſibus reſpectiuè poterit Regularis audire confeſſiones, aut eligi per Bullam, quamvis ſit à ſuo Superiore ſuſpenſus; nam Superior nequit ſuſpendere approbationem ab Epiſcopo præſtitam, nec iuriſdictionem ab illo, aut à Pontifice conceſſam, cum non ſit Superior eorum, & ij Regularibus poſſint concedere iuriſdictionem, & approbationem. Sic tuentur Ledeſma *in ſum. capit. 13. de pœnitent. dubit. 12.* Villalobs, Ludouicus, à Cruce, Acoſta, Diana, Nauarrus, Trullench, quos ſequitur Leander de Sacramento *ſupra quæſt. 77.* aduerſus Sylueſtrum, Rodriguez, Medinam, P. Fagundez & alios ab eodem relatos.

106 In noſtra Societate Iesv omnia priuilegia, & facultates à Pontificibus conceſſæ communicari debent à noſtro Patre Generali, qui quaſdam communicat omnibus Confeſſariis approbatis, alias verò Superioribus ſolis, vel etiam his, quibus Superiores eas communicauerint. Quare iuxta doctrinam traditam *nuper n.* 104. de Religioſis Societatis eſt philoſophandum, præcognoſcendo, quinam Superiores, & quas facultates prohibeant. Videatur in Compendio priuilegiorum Societatis *verbum Abſolutio, Commutatio, Diſpenſatio*, vnde res tota innoteſcet.

107 Inquiritur ſecundò, an is Regularis prohibitus à ſuo Superiore audire confeſſiones, aut ſuſpenſus, de quo validè diximus audire confeſſiones, aut eligi poſſe per Bullam, peccet, dum eas confeſſiones audit? Et quo peccato? Mortaliter eum peccare, docent Boſſius *de Iubil. ſec. 3. caſu 2. §. 5. numer.* 178. citans Sotum, Tamburinum, Enriquez, & alios; non peccare mortaliter, niſi aliàs ſtatuta Religionis obligent ad mortale, tuentur Cano *relect. de pœnitent part. 5.* Leander *vbi ſuprà quæſt. 76.* & alij, quos refert, ac ſequitur Diana 1. *part. tract.* 11. *reſolut.* 13. Accedo huic ſecundæ ſententiæ, ſed addo, inſpiciendam fore qualitatem prohibitionis à Superiore poſitæ: etenim licèt Ordinis Conſtitutiones non obligent ad mortale, poteſt Superior aliquid iubere, ſeu prohibere ſub mortali, quòd ſi non exprimat præceptum ſanctæ obedientiæ, & aliundè non ſit Conſtitutio in hac materia obligans ſub mortali, non peccabit ille Confeſſor niſi venialiter contra votum obedientiæ. Cum autem Prælatus ſubditum ſuſpendit, videndum eſt ex praxi, aut Conſtitutionibus, an præceptum obligans ad mortale impoſuerit; cum enim ſuſpenſio cenſura ſit, & tranſgreſſio cenſuræ communiter ſit peccatum graue (excepta tranſgreſſione, qua incurritur excommunicatio minor) videtur, Regularem ſuſpenſum à ſuo Superiore à munere audiendi confeſſiones, grauiter peccare, ſi eas audiat. Aliud erit, dum ſuſpenſio non appoſita fuerit, vt cenſura, ſed in pœnam alicuius culpæ ſuſpenderit Superior ſubditum, hoc eſt, nudè præceperit, ne confeſſiones audiat, vel etiam ne celebret ſacrum pro aliquo tempore, quæ pœna vocari poteſt ſuſpenſio, non tamen in eo ſenſu rigoroſo, quo vſurpatur ſuſpenſio pro cenſura.

108 Ratio

Digitized by Google

108 Ratio autem, cur in euentibus prædictis non peccet Religioſus mortaliter, eſt, quia in materia obedientiæ præciſè ſumpta, dum non datur præceptum in virtute ſanctæ Obedientiæ, aut cenſura, vel ſtatutum obligans ſub mortali, non reperitur in tranſgreſſione culpa mortalis, quia grauitas materiæ non deſumitur ex rebus, ſicut contingit in materia paupertatis, & caſtitatis, ſed ex qualitate præcepti, aut prohibitionis; quod mille exemplis probari poteſt.

CAPVT X.

Reſolutiones aliquæ ex doctrina tradita de approbatione Confeſſarij per Bullam Cruciatæ eligibilis.

109 EX adhuc dictis infero primò, eum, qui ſecutus fuerit quamcumque opinionem probabilem circa approbationem poſitis *ſuperiùs*, etiam ſi opinio ſit minùs tuta, & ſi re ipſa eſſet falſa, adhuc valide abſoluere, quia in eis caſibus Eccleſia dat approbationem, ſicut in ſimilibus dat iuriſdictionem, quando adeſt opinio probabilis; vt tenent P. Salas *de legib. diſput.* 12. *ſect.* 6. *numer.* 24. Vazquez 1. 2. *tom.* 2. *diſp.* 156. *numer.* 27. Bonacina, Thom. Sanchez, & plures relati à Leandro de Sacramento, *tom.* 1. *tract.* 5. *diſput.* 11. *quæſt.* 79. Imò tenendum eſt, eum non peccare mortaliter contra charitatem, aut iuſtitiam ob periculum grauis detrimenti, vt volunt Sancius *in ſelect. diſp.* 44. *à num.* 19. & quidam alij; non enim datur vllum periculum detrimenti, cum confeſſio, ac abſolutio ſint validæ. Et quidem quod de iuriſdictione aſſeritur, ſtante opinione probabili, eadem ſtante, dicendum eſt de approbatione; Etenim tam iuriſdictio, quàm approbatio eſſentialiliter ſunt requiſitæ in miniſtro Sacramenti pœnitentiæ ad huius valorem; nec vlla poteſt eſſe ratio, cur Eccleſia ſuppleat iuriſdictionem, & non approbationem. Dices, eam eſſe diſparitatem, quòd iuriſdictio poteſt committi abſque inconuenienti cuilibet, qui aliundè ſupponitur idoneus, & approbatus; non verò poteſt abſque detrimento dari approbatio inidoneo. Contra, quia ſupponimus, eſſe opinionem probabilem, eum eſſe idoneum, & approbatum, atque adeò nullum ſequitur inconueniens. Sanéque iudicandum eſt, Eccleſiam, vt piam matrem fidelium nolle, in animarum vergere periculum, quod tuta conſcientia perficitur; cum tutum ſit, ſequi opinionem probabilem. Videatur Pater Breſſerus *de conſcientia lib.* 3. P. Nicolaus Baldellus *in Theologia morali*, *lib.* 4. Caſpenſis, Caſtro Palao, & alij paſſim *in eo tractatu*; de Mendo *in Bull. Cruciat.* *conſcientia.* P. Franciſcus Amicus *t.* 3. *diſp.* 15. *numer.* 76. Heronymus de la Rua *tom.* 2. *controuerſiar. ſexta controuerſia ſcholaſtica*, *dubit.* 6. Auerſa *in* 1. 2. *quæſt.* 18. *ſect.* 17. Pat. Franciſcus de Lugo *in ſuo Decurſu prauio ad Theologiam moralem* 1. *part. cap.* 3. P. Baptiſta Fragoſus *in Regimine Reipublicæ Chriſtianæ*, *part.* 1. *lib.* 4. *diſp.* 10. §. 3. P. Arriaga *tom.* 1. *in* 1. 2. *à diſput.* 23. P. Franciſcus de Ouiedo *in* 1. 2. *tract.* 5. *controuerſ.* 3. Qui poſt plures de hac re agentes recentiùs in lucem prodierunt.

110 Infero ſecundò, ſi quis conformetur cum opinione (quam falſam reor) aſſerente, ſi Epiſcopus abſque cauſa non admittat Regulares ad examen, vel poſt illud iniuſtè deneget licentiam audiendi confeſſiones, eos adhuc manere approbatos; pro qua opinione plurimos recenſet Authores Leander *vbi ſuprà quæſt.* 83 ſi quis, inquam, conformetur, poſſe per Bullam eligere eos Regulares in Confeſſarios quod ex principiis, & fundamentis præiactis manifeſtè ſequitur, quin vlteriori probatione indigeat.

111 Infero tertiò, poſſe eligi per Bullam Regularem approbatum ab Epiſcopo, etiam ſi à ſuo ſuperiore non fuerit præſentatus. Etenim licèt P. Henriquez *lib.* 3. *de pænit. cap.* 6. *numer.* 6. aſſerat, Epiſcopos non aliter approbare Religioſos, niſi hi fuerint à ſuis Superioribus expoſiti, iuxta *Clementin. Dudum* §. *ſtatuimus*, *de ſepultur.* & Rodriguez iudicet 1. *tom. quæſt.* 60. *art.* 3. approbationem Epiſcopi abſque præſentatione Superioris Regularis eſſe inualidam, cuius oppoſitum ipſe docet *in explicat. Bull. in addition. ad* §. 9. *numer.* 13. Verumtamen cum P. Suar. *tom.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 28. *ſect.* 5. *numer.* 15. tenendum eſt, non aliter requiri eam priſtinam ſolemnitatem contentam in *ea Clementina Dudum*, quàm iuxta id, quod requirit Tridentinum, hoc autem non exigit præſentationem Superioris, ſed dumtaxat approbationem Epiſcopi. Quod probabiliſſimum eſſe, ait Trullench *in Bull. lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 6. *n.* 8. quamvis antecedenter *dub.* 5. *n.* 4. contrarium abſolutè docuerit.

112 Infero quartò, eum, qui Vicarius fuit Parochi, expleto munere ſuo, niſi ſit aliundè approbatus, non poſſe eligi per Bullam, quia licèt Parochus poſſit eligi, etiam poſtquam ſponte Beneficium parochiale dimiſit, tamen non eadem in Vicario militat ratio, is enim non habet, vt ille, approbationem ab Eccleſia, vt miniſter publicus illius, ſolúmque, dum vices Parochi gerit, miniſter Eccleſiæ ad tempus iudicatur; ſecùs ille qui ex ſe miniſter eſt perpetuus ipſius. Nec ſanè licèt parocho delegare munus ſuum Vicario pro tota vita, ſed ad tempus aliquod, iuſta de cauſa, vt monent

monent communiter Authores, & recentiùs P. Stephanus Bauni *in Theologia morali tract. 9.quæſt.*18.

105 Infero quintò, non poſſe per Bullam eligi Sacerdotem, qui licet ſit approbatus ab Ordinario, tamen manifeſtè eſt inidoneus,& de eius conſtat ineptitudine.Ita Trullench *ſupra dub.*3.*numer.*8. cum Ledeſma *cap.* 13. *de pœnit.concluſ.* 1. *dub.* 15. Etenim ea approbatio iam non ſufficit, ſi poſt illam redditus eſt is Sacerdos inidoneus; non ſecus, ac non ſufficeret, ſi in amentiam deueniſſet; ſi autem ab initio inidoneus erat, cenſenda eſt approbatio ſubreptitiè, & doloſè accepta, imò ſi ſcienter Ordinarius eam præſtitiſſet, non ſolùm iniuſtè, ſed inualidè egiſſet: quippè cum ei non ſit conceſſa iuriſdictio ad approbandum in deſtructionem, ſed in ædificationem, eam neutiquam habet ad approbandum inidoneum, ſicut non habet ad approbandum amentem, in quo infringuntur aliquæ paritates, quæ poſſunt opponi. Itaque inidoneus eſt incapax approbationis, vtpote quæ ſupponit neceſſario idoneitatem;quæ ergo circa incapacem præſtantur, inutilia ſunt prorsùs.

106 Quòd ſi de idoneitate ſit dubium, & non conſtet de ineptitudine, eligi poterit ille per Bullam, nam eo caſu præſumptio ſtat tum pro Ordinario,qui illum approbauit,tum pro opinione, & fama ipſius. Vnde etiam, ſi quis bona fide inidoneum eligeret, ſed approbatum, validè iuxta Trullench, cum illo confiteretur cum pœnitens non teneatur inueſtigare ſcientiam Confeſſarij,nec ab eo amplius exigatur, quàm quòd cum Confeſſario approbato confeſſionem peragat. Cæterùm ſi poſt confeſſionem certior redderetur ineptitudinis eiuſmodi Confeſſarij, ego quidem ei ſuaderem,vt iterum cum alio confeſſionem repeteret, non ſecùs ac ſi cum amente, cuius amentiam ignorabat, confeſsus fuiſset. Dum autem in bona fide perſiſtit, vel videtur, Eccleſiam ſupplerè defectum approbationis in illo Sacerdote; vel ſaltem in ſequenti confeſſione indirectè abſoluetur validè ab ijs peccatis,quæ cum illo fuit confeſsus, ſi inualida fuit confeſſio;ad quòd valdè propendeo,cum non videam titulum, quare Eccleſia ſuppleat approbationem, nec cernam opinionem probabiliter docentem, eum eſse approbatum; nec bona fides dumtaxat ad id ſufficiat; ſicut non ſufficit in caſu, quo quis bona fide confeſsus fuiſset cum Sacerdote pœnitùs amente,aut cum Sacerdote ſimplici, quem iudicabat eſse approbatum.

107 Infero ſextò contra Trullench, & alios ab eodem relatos *vbi ſuprà numer.* 15. non poſse Parochum iuriſdictionem præſtare ad audiendas confeſſiones ſuarum ouium Sacerdoti approbato ſolùm in alia diœceſi, nec poſse eum per Bullam eligi. Satis enim probauimus *in ſuperioribus*, approbationem, cui annectenda eſt iuriſdictio ſeu per Bullam, ſeu alia quavis conceſſione, aut delegatione, debere eſse præſtitam ab Ordinario diœceſis,in qua iuriſdictio exercetur. Cæterùm non tollimus probabilitatem, extrinſecam ſaltem opinioni contrariæ,tam reſpectu Bullæ,quàm reſpectu Parochi, cui tutò quis conformari queat;cum reſpectu Parochi eam opinionem tueantur Nauarrus, & P. Henriquez citati à Trullench *numer.* 15. & reſpectu Bullæ alij graues Authores à nobis *ſuperiùs* allati. An autem poſſint Epiſcopi prohibere Parochis, ne iuriſdictionem ſuam aliis delegent, eaque prohibitione poſita, ſit irrita delegatio, necne, & an præterea ea iuriſdictio delegata ab excommunicato, aut ſuſpenſo valida ſit, videantur Trullench à *numer.*16. Pater Suarez, Coninch, Sotus, Henriquez, & alij ab eo *ibidem* allati;extra rem noſtram enim ſunt quæſtiones huiuſmodi.

108 Infero ſeptimò contra Emanuelem Rodriguez *in explicat. Bull.* §. 9. *dub.* 5. *n.* 8. approbatum à Vicario Matritenſi non poſſe eligi per Bullam in toto Archiepiſcopatu Toletano; nam Vicarius ille ſolùm confert approbationem pro determinatis locis, in quos dumtaxat iuriſdictionem exercere valet, approbatum autem pro vno loco non poſſe in alio eligi per Bullam, iam *ſuperiùs* tradidimus, vbi dilutæ manent rationes oppoſitæ, & quæ ab Emanuele pro ſua opinione afferuntur. Et quidem noto inconſequentiam huius Authoris, qui paulò antè *dub.*3.defendit,non poſſe eligi per Bullam Sacerdotem ſæcularem approbatum in alia diœceſi, vel ab alio Ordinario. Pariter enim in caſu huius illationis philoſophari debebat, nam licet eadem ſit diœceſis,ſi tamen duo,aut plures ſint in illa Ordinarij,quorum vnus ſolùm ſit Ordinarius cuiuſdam territorij, & non totius diœceſis,ſanè reſpectu alterius territorij, cuius non eſt Ordinarius, eodem modo ſe habet, ac Epiſcopus vnius diœceſis reſpectu alterius diœceſis, cuius non eſt Epiſcopus; ergo ſi approbatio Epiſcopi non extenditur ad aliam diœceſim, vt in ea poſſit approbatus ab eo eligi per Bullam, multò minùs extendetur approbatio Vicarij ad aliud territorium, cuius Vicarius non eſt, vt in eo poſſit eligi per Bullam approbatus ab ipſo. Niſi caſu quo Archiepiſcopus Toletanus v. g. velit, quòd ſufficiat approbatio Vicarij Matritenſis pro tota diœceſi; De quo praxi eſt ſtandum; Noſtra enim deciſio tendit ad rem ſecundum ſe inſpectam.

109 Infero nonò, non poſſe eligi per Bullam eos Sacerdotes, qui in Theologia gradum etiam Doctoratus habent,ſeu illius ſunt Profeſſores,

Digitized by Google

Profeſſores, ſi approbati non ſint ab Ordinario; nam vt *ſuprà* ſtabiliuimus, hi non ſunt ipſo iure approbati, approbationeque Ordinarij indigent ad audiendas confeſſiones, vt ex motu proprio Pij V. conſtat; quare oppoſitum, pro quo nonnulli Authores referuntur à Leandro de Sacramento *vbi ſuprà quaſt.* 50. non iudico probabile. Bulla autem exigit, vt Confeſſor eligendus ſit approbatus, quare hi eligibiles non ſunt. Itaque approbari prius debent ab Epiſcopo; a quo iuxta communiorem ſententiam poſſunt ante approbationem examinari, quidquid dicat cum aliquibus P. Fagundez *præcept.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *numer.* 67. Citatur pro hac opinione Patris Fagundez à Leandro *quaſt.* 49. Emanuel Rodriguez *in explicat. Bull.* §. 9. *numer.* 4. Sed meo iudicio pro illa non eſt. Etenim poſtquam aliquas rationes adduxerat, quibus videbatur probari, eiuſmodi Profeſſores Theologiæ, Graduque inſignitos non indigere approbatione, demùm concludit, affirmando, eos debere approbari, ſed non obligari ad examen ſubeundum. Quod quidem non ſonat, Epiſcopum nequire eos examinare, ſed propter publicum teſtimonium ſcientiæ, ac ſufficientiæ eorum, non eſſe obligatum Ordinarium ad eos examinandum, ſicut obligatur ad examinandum eos, de quorum idoneitate certior non eſt, ne inſufficientes approbet; & conſequenter eos non eſſe obligatos ad examen; cum quo ſtat, Epiſcopum poſſe eos examinare, nam obligatus non eſt ad non examinandum illos, cum hæc obligatio ex nullo capite, aut iure conſtet, ſi quidem gradus in Theologia, ſeu munus profitendi illam, non obligant Epiſcopum ad prætermittendum examen, ſed ſolùm ſunt ſufficiens titulus, vel ratio, vt ſine ſuæ conſcientiæ diſpendio, aut periculo, eos approbet abſque examine. Imò aliquando poteſt contingere, vt teneatur Epiſcopus aliquem ex his examinare, ſi ſcilicet is Theologiam moralem non ita rectè calleat, ſicut Scholaſticam; vel Gradum acceperit in aliqua Academia, aut alio in loco, in quo gradus Theologiæ ſoleant præſtari etiam non nimium perdoctis; vel poſt acceptum gradum ineptior fuerit redditus ratione ſuæ ignauiæ, aut obliuionis. Vide pulchrà allata à Me *tomo de Iure Academico lib.* 1. *num.* 376.

110 Infero decimò, non poſſe eligi in Confeſſarium Sacerdotem approbatum ab Epiſcopo excomunicato non tolerato, aut ſuſpenſo ab officio, ac iuriſdictione. Etenim ille Sacerdos reipſa non eſt approbatus, cum approbatio iuxta dicta *in ſuperioribus* ſit actus iuriſdictionis, Epiſcopus autem huiuſmodi iuriſdictionem exercere nequeat, atque adeo nec approbare. Ita P. Suarez *diſp.* 28. *ſect.* 5. Victoria *de confeſ. numer.* 152. Sotus, Syluester, Gutierrez, & alij. Non tamen inficior, opinionem oppoſitam eſſe in praxi probabilem ob authoritatem, cum eam teneant Baſilius de Leon *lib.* 5. *de matrim. cap.* 17. §. *vnic. n.* 14. Nauarrus; Henriquez, Fagundez, Tabiena, & alij non pauci.

111 Infero vndecimò contra Ludouicum à Cruce *in exp. Bull. diſp.* 1. *c.* 2. *dub.* 10. *n.* 2. Henriquez & Boſ. etiam ſi non ſit facilis recurſus ad Epiſcopum, deturque magna frequentia pœnitentium, nec poſſit eis Parochus ſatisfacere, adhuc non poſſe eligi in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem à Parocho duntaxat approbatum; quia Parochus non habet à Tridentino facultatem approbandi, ſed ſolùm Epiſcopus; vnde ille ſimplex Sacerdos abſolutè approbatus non eſt; minuſque incommodum eſt, quòd tunc aliqui non ſuſcipiant, Sacramentum pœnitentiæ, quam quod aditus pateat huiuſmodi approbationibus, quem ſuo decreto occludere conatur Tridentinum ob vrgentiſſimas cauſas. Nec infrequens eſt, in locis remotis ob defectum Confeſſarij plures ad Pœnitentiam non accedere, quoties vellent, non tamen ideò concedenda eſt eis facultas eligendi alium Confeſſarium, niſi eum, qui habeat requiſita à Tridentino. Et aduerte, ab Alexandro VII. anno 1665. fuiſſe damnatam propoſitionem aſſerentem, poſſe Parochum eligere ſibi in Confeſſarium, ſimplicem ſacerdotem. Eſt propoſitio 16. inter damnatas.

112 Infero duodecimò, poſſe eligi per Bullam eum, qui approbatus eſt ab Epiſcopo, licèt is interiùs iudicet, eum non eſſe idoneum, ideóque eum non internè, ſed externis verbis approbauerit. Etenim ille abſolutè eſt approbatus modo humano, nempè externo; nec de interno iudicio Epiſcopi curandum eſt à cæteris, nec illud perſcrutandum; cum ergo hic quoad pœnitentes habeat idem, quod quilibet alius approbatus, non eſt, cur eligi nequeat. Et quidem alias occaſio præſtaretur innumeris ſcrupulis, an ſcilicèt hic, & ille approbatus interiùs ab Epiſcopo fuerint idonei iudicati. Præterea de interiori iudicio Epiſcopi non poteſt conſtare, ſed ſolùm eſſe aliqua ſuſpicio, quæ inſufficiens eſt ad præſens. Si autem Epiſcopus aſſereret, ſe eum iudicaſſe inidoneum, & revera non approbaſſe, eo aſſerto reuocata maneret illa approbatio externa, atque adeò ex hoc capite eligi non poſſet. Suppono tamen, in hoc caſu eum Sacerdotem non eſſe manifeſtè inidoneum, quippè ſi eſſet, iam *ſuprà* affirmauimus, non poſſe eligi per Bullam. Prædictam approbationem ſufficere, docent P. Tho. Sanch. *lib.* 3. *de matrim. diſp.* 22. *numer.* 25. Baſilius Legionenſis *lib.* 5.

de matrim. cap. 19. *numer.* 14. Cardinalis Lugo *tom. de pœnit. diſp.* 21. *numer.* 25. alijque plures.

113 Oppoſitum cenſent Boſſius *de Iubileo ſect.* 3. *caſu* 2. §. 1. *num.* 3. Bonacina, & Barboſa relati à Leandro *ſuprà quæſt.* 74. Mouentur, quia Tridentinum requirit, vt quis poſſit confeſſiones excipere, vt *idoneus iudicetur, & approbationem obtineat*, at ille Sacerdos non iudicatur idoneus, ergo non poteſt confeſſiones excipere, & conſequenter nec eligi per Bullam. Reſpondeo, iudicium de idoneitate non aliter conſtare, niſi per ipſam approbationem, quæ illud ſupponit; & cum Sacerdotem quoad nos iudicatum fuiſſe idoneum, ſicut & alios, qui verè idonei approbantur, non enim aliud argumentum eſt de idoneitate horum, quàm approbatio; de idoneitate, inquam, provt ab Epiſcopo in examen adducta, ac approbata. Quare Tridentinum non exigit, vt pœnitentes inueſtigent, vtrùm approbatus fuerit ab Epiſcopo iudicatus idoneus, ſed ſolùm vt non niſi cum approbato confiteantur. Epiſcopo ſanè incumbit, iudicare idoneum illum, quem approbat, ſicut & gratis approbationem præſtare; at ſi hanc præſtet non gratis, nec iudicans eum idoneum, peccabit ipſe, ſed approbatio tenebit; dummodò, vt *ſuprà* aſſerui, ille Sacerdos non ſit conſtanter inidoneus.

CAPVT XI.

Aliæ reſolutiones ex doctrina tradita de approbatione Confeſſarij per Bullam eligibilis.

114 INfero duodecimò poſſe virtute Bullæ Cruciatæ eligi in Confeſſarium eum Sacerdotem, quem Epiſcopus approbauit vniuerſaliter ad adminiſtranda omnia Sacramenta. Etenim hic approbatus eſt ad confeſſiones audiendas, cum ſub approbatione ad omnia contineatur approbatio ad vnum ex Sacramentis, quod eſt Pœnitentia; vt docent P. Reginaldus *lib.* 1. *n.* 71. P. Henriquez, Fagundez, & communis. Per Bullam autem poteſt eligi approbatus; imò ſi Epiſcopus in approbatione ſolùm aſſeruiſſet, ſe approbare Sacerdotem ad adminiſtranda Sacramenta, quin expreſſiſſet *ad omnia*, poſſet ille per Bullã eligi, quia per eum tenorem verborum ſaltem comprehenditur approbatio ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ adminiſtranda. ex communi acceptione fundata in eo, quòd hæc duo Sacramenta ſunt communiora, & ad quæ frequentiùs, ac ſpecialiùs exigitur approbatio ab Epiſcopo. Vtrùm autem ſub his vocibus comprehendatur approbatio ad alia Sacramenta, eo quòd vox indefinita æquiualeat vniuerſali, iuxtà *cap. ſi Romanorum*, §. *dicendo, diſt.* 19. videatur Leander de Sacramento *tom.* 1. *de Sacram. tr.* 5. *diſp.* 11. *quæſt.* 93.

115 Infero decimotertiò, poſſe eligi per Bullam approbatum ab Epiſcopo per approbationem tacitam, aut ratihabitionem de præſenti; vt ſi quis Sacerdos, Epiſcopo vidente, audiat confeſſiones, nec ab Epiſcopo contradicatur ei. Etenim hic verè cenſendus eſt approbatus; ergo eligi poteſt. Approbatum autem eum eſſe, cenſent Coriolanus 1. *p. ſec.* 2. *art.* 10. P. Granado *in* 3. *part. tract.* 10. *diſp.* 3. *num.* 5. Sotus, Syluester, & alii, quos refert, ac ſectatur Diana 3. *part. tract.* 4. *reſolut.* 68. Quippè Epiſcopus tenetur contradicere in exceptione earum confeſſionum, cum ad ipſum pertineat; cum ergo taceat in eo, præſenſque ſit, planè conſentit, tacitéque approbat. Quidquid contra ſentiant Nuñus *in addition. quæſt.* 8. *art.* 5. *dub.* 4. *diffic.* 1. Tabiena, & alij. Duo tamen aduerte. Primum eum Sacerdotem initio inualidè incipere auditionem confeſſionum, & grauiter peccare, quia initio adhuc non eſt approbatus, & abſque approbatione nequit confeſſiones excipere; poſt verò per conſenſum tacitum Epiſcopi validè perficitur confeſſio. Hinc, qui ſciat, illum non eſſe approbatum, initio nequibit eum eligere in Confeſſarium, poterit verò poſt conſenſum tacitum Epiſcopi, quem animaduertet, qui videat eum Sacerdotem coram Epiſcopo audientem confeſſiones. Secundum; hanc doctrinam fore limitandam, niſi Epiſcopus ignoret, vtrùm ille Sacerdos ſit approbatus, necne; imò ſibi perſuadeat, eum eſſe approbatum; quod ita eſſe, debent iudicare adſtantes, niſi eis conſtet, Epiſcopum ſcire, eum Sacerdotem non eſſe approbatum. Quare ad praxim ſic ſe quis gerere debet; ſi videat Sacerdotem confeſſiones audientem coram Epiſcopo, & de approbatione illius nihil ipſe dubitet, poteſt cum eo confiteri; Si verò ſciat, eum non eſſe approbatum antecedenter, idque non latere Epiſcopum, valet etiam eum eligere in Confeſſarium. Quòd ſi dubitet, aut ignoret, an Epiſcopus certior ſit factus de carentia eiuſmodi approbationis, non poterit eum Sacerdotem eligere, quia difficile eſt, vt Epiſcopo conſtet, quinam in particulari in ſua diœceſi ſint approbati, quinam approbati non ſint, nullo excepto: Quare cum videt aliquem confeſſiones audientem, cenſebit Epiſcopus, eum eſſe approbatum; indéque eius ratihabitio, aut approbatio tacita nequit præſumi; cum potiùs præſumendùm ſit, eo caſu Epiſcopum, ſi noſceret, eum Sacerdotem abſque approbatione audire confeſſiones, contradicturum fore, & graui pœnâ mulctaturum eum; hoc enim verò ſimilius eſt,

Digitized by Google

eſt, & aliis caſibus, qui accidere ſolent, magis conforme; quare ex communiore procedendi in ſimilibus tenore eſt philoſophandum.

116 Infero decimoquartò cum P. Fagund. *præcep. 2. lib. 7. c. 2. n. 71.* Bonac. Cardinali Toleto, & aliis, eum Sacerdotem, de quo in illatione antecedenti, poſt eas confeſſiones, quas Epiſcopus videt, non poſſe per Bullam poſteà in Confeſſarium eligi, eo quòd poſteà non maneat approbatus; nequit autem non approbatus eligi. Quippe ea approbatio tacita fuit limitata, non ſecùs ac ſi petita fuiſſet, & conceſſa approbatio expreſsè pro eo dumtaxat tempore; quo caſu iuxta dicta *ſuperiùs* à nobis non extenditur ad aliud tempus eiuſmodi approbatio. Quòd autem ea tacita approbatio ſolum æquiualeat approbationi expreſsæ limitatæ, indè colligitur, quod non eſt fundamentum ad extendendam eam ampliùs, nec tacita pro tunc approbatio eſt indefinita, aut ſignificatiua approbationis pro ſequenti tempore; cum potiùs potuerit eſſe ratio ſpecialis, cur tunc conſenſerit Epiſcopus in approbationem, quæ ratio non militet deinceps; & ſaltem non conſtat, Epiſcopi voluntatem in ſequens tempus extendi.

117 Addo tamen, non ita ſtrictè intelligendam fore limitationem eiuſmodi licentiæ, ſeu approbationis tacitæ, vt ille Sacerdos ſtatim, ac diſcedat ab eius præſentia Epiſcopus, deſiſtere à confeſſionibus teneatur; poterit namque eas proſequi pro toto eo tractu temporis continuo, quo in eo loco aſſiſtit: etenim diſcedens indè Epiſcopus, cernenſque eum Sacerdotem paratum ad audiendas confeſſiones pro tunc, & pœnitentes circum ipſum ſtantes, vt ad Sacramentum Pœnitentiæ ab illo admittantur, tacitè conſenſit in approbationem pro omnibus illis, & pro eo tempore continuo, quo in eo loco aſſiſteret ille Sacerdos; alias debuiſset illum admonere, ne vlteriùs progrederetur in eo miniſterio. Quod ſanè videtur conforme communi perſuaſioni, & iudicio, quod quiuis homo prudens tunc efformaret.

118 Infero decimo quintò non eſſe eligibilem per Bullam Cruciatæ Sacerdotem ſimplicem, quem Epiſcopus in ſuum Confeſſarium elegit: Etenim hic ſolùm reſpectu Epiſcopi, non reſpectu aliorum eſt approbatus; Diximus autem *ſuperiùs*, non eſſe eligibilem per Bullam approbatum limitatè ad aliquas perſonas niſi ab eiſdem. Et licèt plus ſit, approbare aliquem factis, quam verbis; argumento *leg. Paulus, in fin. ff. rem ratam haberi*; hoc tamen ſolum conuincit, illud factum Epiſcopi, ſeu electionem ab ipſo factam, eſſe approbationem eiuſmodi Sacerdotis reſpectu ipſiuſmet Epiſcopi, non reſpectu aliorum: Nec approbare Sacerdotem ad audiendas confeſſiones Epiſcopi, eſt, approbare, ad audiendos cæteros; cum poſſit quis inidoneus eſſe ad cæteros, idoneus ad Epiſcopum, cuius vita nullis debet eſſe inquinata maculis, quas quilibet Sacerdos non poſſit ſufficienter per abſolutionem abſtergere. Tenent aſſertum huius illationis Angelus, Boſsius, & alij, quos citat, & ſequitur Leander de Sacramento *vbi ſuprà, quæſt.* 100. Partem autem oppoſitam ſolùm ſpeculatiuè probabilem eſſe, nonnulli aſſeuerarunt.

119 Infero decimoſextò, poſſe eligi per Bullam approbatum per Ordinariū Salmanticenſem v. g. ab exiſtente Salmanticæ, & ſi ille Sacerdos approbatus poſt approbationem extra Salmanticam commoratus diu fuerit, cum ad hanc diœceſim iterum redeat; nam approbatio per non vſum, ſeu per abſentiam non expirat, iterúmque ille rediens fit ſubditus Epiſcopi Salmantini, à quo, aut ab eius prædeceſſoribus fuit approbatus; non autem exigitur ampliùs, quàm approbatio Ordinarij loci, in quo quis de facto commoratur, quocumque tempore fuerit ea approbatio conceſſa, dum tamen poſt conceſsionem non fuerint omnes approbationes in diœceſi Salmantina reuocatæ. Ita Cardinalis Lugo *tom. de pœnit. diſp. 21. num.* 44. Imò iuxta dictà *ſuperiùs*, ſi Regularis eſt ille, qui iterùm redit Salmanticam, & reuocatio fuerit generalis, factaque ab eodem Ordinario, qui eum antecedenter approbauit, eius approbatio neutiquam manet reuocata; quare poterit per Bullam in Confeſſarium eligi.

120 Infero decimo ſeptimò, poſse eligi in Confeſsarium virtute Bullæ Sacerdotem approbatum, quamvis non ſit probis moribus præditus. Etenim, eſtò Epiſcopus in approbatione debeat attendere ad probitatem morum, improbitas autem horum non irritat approbationem, quæ præcipuè tendit ad ſufficientiam in ſcientia, hæc autem ſtat cum moribus prauis; poteſtque Confeſsarius corrigere pœnitentem, opportunaque eius vulneribus medicamenta applicare, quamvis ipſe medicus ſe ipſum non curet; Quod non rarò contingere, credibile eſt. An autem poſſit quis alio ex capite petere à Confeſsario, quem ſcit eſse in mortali, vt eius Confeſſionem excipiat, occaſionem præbens, vt ſacrilegium pattet adminiſtrans in lethali Sacramentum Pœnitentiæ, non eſt noſtri inſtituti, diſquirere. Communiter hoc Authores pertractant, dum agunt de miniſtro huius Sacramenti, & item tractantes de ſcandalo; quæſtionemque excitant tum de parocho, qui ratione ſui muneris eſt obligatus ad audiendas Confeſſiones ſuarum ouium, tum de

Digitized by Google

aliis Confeſsariis. Ad praxim tamen animaduertè, raro accidere, vt non poſſit eligi per Bullam, aut aliundè, Confeſsarius, ex eo, quòd in lethali exiſtat; quippè & ſi ille diu pravus fuerit, poteſt iam pœnituiſse; cumque breui tempore potuerit ille per pœnitentiam ad gratiam reſtitui, non eſt, cur præſumatur, id non fuiſse ita præſtitum, cum non debeat iudicari: aliter eum ad Sacramentum pœnitentiæ miniſtrandum accedere; niſi euidens, aut certum ſit oppoſitum ex ſufficientibus ſignis, ac cauſis.

121 Infero decimo octauò, eamdem approbationem, quæ requiritur ad eligendum Sacerdotem in Confeſsarium virtute Bullæ, requiri etiam ad alia priuilegia Bullæ fruenda, ad quorum conſecutionem ipſa Bulla exigit, intercedere operam Confeſsarij; vt cum indulget priuilegium edendi carnes temporibus prohibitis de conſilio vtriuſque medici, & applicationem indulgentiæ plenariæ faciendam per Confeſsarium, hic Confeſsarius, vnuſque ex illis medicis, nempè ſpiritualis, qui etiam eſt Confeſsarius, debet eſse approbatus; ſine approbatione namque non eſt Confeſsarius; approbationem autem debere eſſe eamdem, inde colligitur, quia alia approbatio, v. g. facta ab alio Ordinario alterius diœceſis, aut pro alio loco, aut tempore, & ſimilibus, hic & nunc nulla eſt; & hic & nunc ratione illius Sacerdos non eſt approbatus, & conſequenter nec Confeſſarius, prout à Bulla requiritur. Attamen eædem opiniones, quas tutas in praxi, ac probabiles iudicauimus circa Confeſſarij electionem, tutæ, ac probabiles ſunt in ordine ad præfata munera exercenda, cum eadem prorſus ratio, ac diſpoſitio militet vtrobique, proportione ſeruata.

122 Infero demùm, contra doctrinam traditam de approbatione Confeſſarij requiſita ad excipiendas Confeſſiones, nihil prorsùs vnquam dictum fuiſſe, aut edoctum, aut executioni mandatum à Religioſis Societatis Iesv apud Indos in Diœceſi Angelipolitana, nec in vlla alia. Etenim aduerſus eos peruulgata ſunt aliqua, omnino diſſona veritati, cum oppoſita eſſent manifeſtè certa. Et ea fuit ſagax in peruulgandis illis induſtria, vt quaſi conſtantiſſima eſſent, fuerit eis adhibita fides à permultis Viris, tum doctrina, tum dignitate præſtantibus. Verùm cum ſit res facti, videatur in Bullario nouiſſimo Proceſſus in Curia Romana factus circa illa omnia; quem ad verbum ego tranſcripſi in mea *Statera opinionum benignarum diſſertat.* 13. *num.* 293. Ei Proceſſui danda fides, cæteris neganda; Et quidquid aduerſus præfatos Religioſos in hac materia fuerit peruulgatum, tanquam omnino falſum, æterno debet ſilentio comprimi. Ex eo Proceſſu expreſsè, clarè, & ſine tergiuerſatione conſtat, Religioſos Societatis Iesv inibi nunquam prætendiſſe, poſſe audire Confeſsiones, aut concionari; abſque licentia Ordinarij diœceſis, actu præſentis, aut anteceſsoris; & præterea nunquam ea miniſteria de facto exercuiſse abſque prædicta licentia. Vnde Fr. Ioannes Baptiſta Lezana *tom.* 4. *in Conſult. Theologicis, & Canonicis, conſult.* 3. oſtendit, quam iuſtè Societatis Religioſi in Indiis ſe habuerint in iis omnibus, quæ pro ipſis in Proceſsu prædicto approbantur. Veritas poteſt aliquamdiu obſcurari, ſed tandem pateſcit.

DISPVTATIO XXIII.

De electione Confeſſarij ſæcularis ad abſolutionem à peccatis non reſeruatis, & reſeruatis conceſſa per Bullam Cruciatæ.

Verba Bullæ Cruciatæ tam Latinæ, quàm Hiſpanæ, appoſuimus in prœmio diſputationis præcedentis, in quibus continetur indultum in præſenti declarandum.

CAPVT I.

Exponitur in communi, quid Bulla Cruciata concedat circa abſolutionem à peccatis.

1 De Regularibus non eſt ſermo in tota hac diſputatione, de illis enim in ſequenti latè diſſeremus. Deindè in hoc capite dumtaxàt exponimus ſenſum conceſsionis Bullæ Cruciatæ circa abſolutionem à peccatis; nam in ſequentibus fusè declarauimus, quænam ſint in particulari peccata, à quibus abſolui per Bullam indulgetur. Demum, licèt in hac clauſula Bullæ mixta ſit conceſsio poteſtatis ad abſoluendum à cenſuris, tamen de hac ſeorſim agemus *diſputation.* 25. quamvis plura dicenda in hac diſputatione pariter cenſuris adaptentur, & aliquid de illis obiter fortè ſimus libaturi.

2 Igitur Confeſsarius electus per Bullam poteſt ſemel in vita (ſcilicèt eo anno, quo Bulla durat; nam ſequenti anno per aliam Bullam iterùm idem ſemel præſtari poterit) abſoluere pœnitentem ab omnibus peccatis quomodocumque reſeruatis Apoſtolicæ ſedi, ſiuè in iure, ſiuè per aliquod ſpeciale decretum, ſiuè demùm in Bulla Cœnæ. Idem poterit præſtare ſemel in articulo mortis; ſi is eo anno accidat. Idem etiam, ſi ſecundam Bullam quis eodem anno accipiat, poterit præſtare Confeſsarius iterùm ſemel in vita, iterúmque ſemel in articulo mortis, quod latiùs

Digitized by Google

latiùs *diſp.*28. exponetur. A peccatis autem non reſeruatis Sedi Apoſtolicæ poterit ille Confeſſarius abſoluere pœnitentem, qui Bullam habet, toties quoties. Si verò peccatum, aut cenſura exigat ſatisfactionem parti præſtandam, cauet Pontifex in hac Bullæ clauſula, vt non aliter Confeſſarius pœnitentem abſoluat, niſi hic ſatisfactionem præſtet per ſe, aut per ſuos hæredes, ſi ipſe non poſſit.

3 A peccatis reſeruatis Epiſcopo poteſt quis per Bullam abſolui toties quoties in illa inciderit. Idem dic de cenſuris. Conſtat ex verbis Bullæ, in quibus reſtrictio præfigitur ad abſoluendum à peccatis Sedi Apoſtolicæ dumtaxàt reſeruatis: Ab omnibus autem aliis non reſeruatis (nempè non reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, de quibus immediatè antè erat ſermo) conceditur priuilegium abſoluendi toties quoties; at peccata ſoli Epiſcopo reſeruata non ſunt reſeruata Sedi Apoſtolicæ; ergo ab eis poteſt quis toties quoties per Bullam abſolui. Idem aſſerito de quibuſcumque peccatis ſæcularium cuiuis Prælato reſeruatis.

4 Excipitur in priuilegio abſoluendi à reſeruatis Pontifici abſolutio ab hæreſi (de qua *inferiùs* ſermo redibit) Quæ exceptio non extat in Bulla Latina, ſed ſolùm in Hiſpana; eo quòd poſt expeditam primò Bullam Latinam, vt nunc extat, ab antiquis Pontificibus, quam ſequentes Pontifices immutatam renouant, & confirmant, quin aliam de nouo conficiant, Gregorius XIII. in motu proprio, qui affertur à Rodriguez *in explic. Bull. in addit. ad* §.9. *num.*66. declarauit, non intelligi, conceſſam eſſe per Bullam facultatem abſoluendi ab hæreſi: in qua mente omnes perſiſtent Pontifices, vt ſic fides intemerata ſeruetur, poſſintque Sacræ Fidei Quæſitores cum maiori Eccleſiæ vtilitate ſuum munus obire, reſeruata ipſis abſolutione hæreſis externæ.

5 Abſolutio cæterùm, quæ conceditur in præſenti, non ſolùm eſt de peccatis commiſſis poſt acceptionem Bullæ, vt voluit Sotus *de iuſt. lib.*8. *q.*4. *art.*3. Sed etiam de commiſſis ante acceptionem, vt tenent plures, quos refert, & ſequitur P.Thom. Sanch. *in ſum. tom.*1. *lib.*4.*c.*53.*n.*26. Villalob. *in ſum. tom.* 1. *tract.*27.*clauſ.*9. §.2.*n.*6. Ledeſma, Bonac. Molfeſ. & alij, quos citat, & ſectatur Diana 1.*part. tract.*11. *reſol.*17. Et probatur primò ex communi omnium perſuaſione, & ex praxi; quis enim vnquam diſtinxit in confeſſione peccata commiſſa ante acceptionem Bullæ à commiſſis poſt acceptionem? Secundò, nam verba Bullæ, quibus abſolutio conceditur, non diſtinguunt hæc peccata ab illis, nec reſtringunt, ſed generalia ſunt, ergo nec nos reſtringere, aut diſtinguere debemus, & omnia peccata ſub illa verborum generalitate comprehenduntur. Tertiò quia iuxta omnes per Iubilæum abſolui quis poteſt à peccatis commiſſis ante tempus Iubilæi, aliàs inutile eſſet indultum abſoluendi in Iubilæo conceſſum; ergo & per Bullam poteſt quis abſolui à peccatis ante tempus acceptionis ipſius patratis, cum Bulla non ſit minus priuilegium quoad abſolutionem quàm eſt id, quod communiter in Iubilæo continetur. Et quidem Bulla, ſtatim ac accipitur, operatur; ſi ergo quis eo ipſo die, quo eam accepit, velit eligere Confeſſarium, qui eum abſoluat, non eſt, vnde negetur, poſſe id præſtare; tunc autem abſoluendus eſſet à peccatis commiſſis ante Bullæ acceptionem. Hanc doctrinam, rectè notat Diana *ſuprà*, extendi ad commutationem votorum, quæ ante acceptionem Bullæ fuerunt emiſſa. Item extendenda eſt ad cenſuras ante eiuſmodi acceptionem incurſas.

6 Similiter per Bullam poteſt quis abſolui à peccatis, quæ committit ex confidentia abſolutionis per Bullam, ſeu ſpe illius, quantumvis non eſſet ea commiſſurus, niſi confideret, fore per Bullam abſoluendum. Sic contra Couarruu. *lib.* 2. *variar. cap.* 2. *num.* 26. docent Sanctarellus *de Iubilæo cap.*8. *dub.* 10. Pat. Filiucius *tom.*1. *tr.*8. *cap.*10. *num.*162. & alij communiter. Quippè verba Bullæ ſunt generalia, & non reſtringunt, nec excipiunt prædicta peccata. Aliundè exceptio firmat regulam in contrarium; At in Bulla, ſemel, & iterum continetur exceptio operantium ex confidentia ipſius Bullæ, tum circa malè ablata ab incertis dominis, tum circa indulgentiam applicandam in articulo mortis; igitur in præſenti, vbi exceptio non eſt, firmatur aſſertum noſtrum.

7 Cæterum conceſſio abſolutionis à reſeruatis ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis, non eſt ita intelligenda, vt ſi ſemel quis abſoluatur ab vno, vel duobus reſeruatis, poſteáque aliud peccatum reſeruatum committat diuerſi generis, poſſit etiam ab hoc abſolui, & ſic de aliis, dummodò ſint peccata diuerſæ rationis; Etenim ſolummodò intelligitur conceſſio pro vna vice, ita vt in ea poſſit quis abſolui ab omnibus reſeruatis, ſiuè ſint eiuſdem, ſiuè diuerſæ ſpeciei. Hoc enim ſonat eiuſmodi conceſſio, nec aliud in ea concipitur; aliàs ſi conceſſio foret de abſolutione pro ſingulis peccatis reſeruatis, ſanè ſi quis plura peccata eiuſdem rationis patraſſet reſeruata, non poſſet ab illis omnibus abſolui nec ſemel, fruſtraneumque indè redderetur priuilegium. Confeſſarius autem, qui per Bullam eligitur, non debet ita vnus, ac idem eſſe, vt ſemel hoc electo, non poſſit ad

Digitized by Google

ad aliam confeſſionem alius eligi; poſſunt enim plures eligi per Bullam, cum hoc non reſtringatur; idque nullus addubitat, quare ita vſu fidelium exercetur: Et ſane aliter plures defraudarentur hoc priuilegio electionis, cum non poſſint ſemper cum eodem Confeſſario Pœnitentiæ Sacramentum ſuſcipere, vel iuſte, ac rationabiliter nolint cum eodem confiteri.

8 Obiter *ſuprà* notaui, ea verba *ſemel in vita*, non intelligenda eſſe iuxta vulgariſſimam vſurpationem, in qua, cum aſſeritur *ſemel in vita*, intelligitur ſemel in toto vitæ decurſu: Quare exponenda ſunt de vna vice pro anno durationis Bullæ; per aliam verò Bullam anni ſequentis, cùm idem concedatur, etiam alia vice poterit quis à reſeruatis abſolui. Quod conſtat ex praxi, omniumque perſuaſione; & præterea quia Bulla non concedit abſolutionem pro tempore, quo ipſa non durat; ſi autem ea conceſſio intelligeretur de vna vice in toto vitæ decurſu, fieret, vt poſſet quis ea vice abſolui virtute Bullæ, multo tempore poſt illam tranſactam, etiam ſi aliam Bullam non accepiſſet, vt ſic illud priuilegium ſortiretur effectum; Quod abſurdum vt vitetur, aſſeri debet, vocem *ſemel in vita* intelligi, in anno durationis Bullæ. Rursùs Bulla ſequens idem priuilegium concedit, at ſi quis per Bullam anni antecedentis abſolutus fuiſſet à reſeruatis Pontifici, & iam iterum in toto vitæ decurſu nequiret per Bullam abſolui, inane eſſet idem priuilegium ipſi accipienti hanc Bullam. Itaque vox ea *ſemel in vita* appoſita eſt, vt condiſtinctè intelligatur concedi abſolutio ab ea, quæ conceditur, ſi eodem anno quis incidat in mortis articulum.

9 Mortis verò articulus iuxta explicationem *infrà diſp.* 27. *cap.* 3. dandam ſumitur in præſenti confusè, & promiſcuè pro articulo vero mortis, & pro mortis periculo, vnde animaduertes, quomodo quotannis poſſit hoc priuilegium Bullæ operari, quia ſcilicèt poteſt quis quotannis in periculum mortis incidere, etiam ſi nequeat in articulum mortis, ſaltem verum, hic enim ſemel dumtaxat cuilibet contingit. Indè etiam apparet, quo pacto duplex Bulla ſumpta eodem anno poſſit etiam ſuum effectum ſortiri quoad hoc priuilegium, ſi ſcilicet quis eodem anno bis in periculum mortis deueniat.

10 Notandum eſt, Regulares iuxta ſua priuilegia poſſe abſoluere à peccatis, & cenſuris reſeruatis pluribus, non tamen cum ea extenſione, quæ in Bulla Cruciatæ continetur; quibus priuilegiis vti poterunt, cum pœnitens Bullam non habet. In noſtra Societate ampliſſima ſunt priuilegia à Summis Pontificibus conceſſa, quæ videri poſſunt in Compendio priuilegiorum Societatis, *verbo Abſolutio*.

11 Notandum eſt præterea, hæreſim, cuius exceptio eſt in hac bullæ clauſula eſſe externam, eo modo exteriùs prodeuntem, quo *infrà* aſſeremus; nam peccatum hæreſis merè internæ reſeruatum non eſt, poteſtque quilibet Confeſſarius approbatus iuriſdictionem communem habens abſque vllo priuilegio ab eo pœnitentem abſoluere. Ea autem hæreſis interna intelligitur, quæ non accedit ad hæreſim eo pacto externam, vt reſeruata intelligatur eius abſolutio. An autem peccata, aliundè reſeruata Pontifici, ſi occulta ſint, reſeruentur dumtaxàt Epiſcopo, proptereáque poſſit quis toties quoties ab illis abſolui; an rursùs in articulo mortis per Bullam concedatur priuilegium ſpeciale, & quomodo, circa abſolutionem à peccatis, ac cenſuris, quod non habeat quilibet Sacerdos de iure communi etiam in eo articulo; aliaque huiuſmodi attinentia ad huius clauſulæ expoſitionem, in ſequentibus ſuo ordine declarabimus.

CAPVT II.

De reſeruatione peccatorum aliqua prælibantur.

12 VT dilucidè conſtet priuilegium abſoluendi à peccatis reſeruatis in Bulla conceſſum, indeque innoteſcat, quænam ſint peccata reſeruata, quænam ſecùs, vt abſolutio vel ſolùm ſemel, vel toties quoties impertiatur, operæ pretium eſt, aliqua de reſeruatione præmittere, non quidem ea ex profeſſo diſcutiendo, cum hoc ad nos non pertineat, ſed ad tractatum de pœnitentia, verùm in ſummam reducendo ſelectiora, & veriora noſtro iudicio ex his, quæ Authores afferunt; ne, eis prætermiſſis, ſubobſcura permaneant quæ in hac clauſula continentur. Inſuper, vt Confeſſarij præ oculis habeant peccata reſeruata, vt dignoſcant, à quibus, & quomodo abſoluere valeant, breui ea poſteà recenſebimus.

13 Reſeruare abſolutionem ſibi, eſt, tollere facultatem abſoluendi cuiuis alij, qui Superior reſeruantis non ſit, ſi Superiorem habeat. Vnde Pontifex reſeruans ſibi abſolutionem alicuius peccati, vel cenſuræ (idem dic de reſeruatione commutationis, aut diſpenſationis voti) aufert ab omnibus, nullo excepto, facultatem abſoluendi. Epiſcopus autem ſibi reſeruans abſolutionem, tollit quidem prædictam facultatem ab omnibus, à quibus poteſt eam tollere, at quia non poteſt tollere à Superiore ſuo, nempè à Pontifice, & ab eius Nuntio, ſeu Legato à latere, ideò, præter Epiſcopum, poteſt Pontifex, & Nuntius

Digitized by Google

Nuntius abſoluere à peccatis, & cenſuris reſeruatis Epiſcopo. Hinc per Bullam Cruciatæ, in qua Pontifex immediatè iuriſdictionem concedit, poteſt quiuis Confeſſor approbatus abſoluere à reſeruatis Epiſcopo; neque enim valet Epiſcopus ita ſibi reſeruare abſolutionem, vt nullus Confeſſarius etiam virtute Bullæ poſſit abſoluere, ſicut non valet ita ſibi reſeruare, vt nec Pontifex poſſit abſoluere, nec præſtare iuriſdictionem ad abſoluendum; hanc autem in Bulla Cruciatæ præſtat cuiuis Confeſſori approbato.

14 Ex natura reſeruationis prouenit, vt non poſſit quis reſeruare peccata, niſi eorum, qui ſibi ſubditi ſunt vel abſolutè, vel quia fiunt ſubditi ratione ſuſceptionis Sacramenti Pœnitentiæ, dum ſcilicèt confitentur cum Confeſſario accipiente iuriſdictionem ab eo, qui reſeruat. Explico rem. Non poſſe abſoluere à reſeruatis, ſemper prouenit ex defectu iuriſdictionis; hoc autem ipſum dupliciter valet contingere; primò ſi is qui caret iuriſdictione, proptereà careat, quia iuriſdictionem omnem, quam habet, accipit à reſeruante; Vt ſi Epiſcopus reſeruet ſibi peccatum, non poſſunt abſoluere ab eo Confeſſarij, quibus ipſe præſtitit licentiam, & iuriſdictionem ad audiendas confeſſiones ſuorum ſubditorum, ſeu in ſua diœceſi. Secundò, ſi is, qui caret iuriſdictione ad abſoluendum à reſeruatis, non proptereà careat, quia iuriſdictionem reliquam, quam habet, acceperit à reſeruante, ſed quia is, qui eam ipſi conceſſit, non potuit concedere iuriſdictionem ad abſoluendum ab eis reſeruatis, vel aliundè ei eſt denegata iuriſdictio; vt cum Superior Religionis reſeruat ſibi peccatum ſubditorum, ſæcularis Confeſſarius nequit eum abſoluere, quia Epiſcopus, qui ei conceſſit iuriſdictionem, non potuit eam ad hoc concedere; imò & ſi Pontifex iuriſdictionem, quam ſolent Epiſcopi præſtare, conceſſiſſet; noluit eam ad hoc extendere; nec ipſe Epiſcopus poteſt ab eis peccatis abſoluere, quia Pontifex aufert ab eo iuriſdictionem, volens, vt Superiores Regulares totum hoc momentum perficiant.

15 Poteſtatem reſeruandi abſolutionem à peccatis eſſe in Eccleſia, contra Lutherum, Caluinum, & Vuiclephum, de fide eſt, & definitum in Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.*7. *& can.* 11. Etenim, cum à Superioribus ad inferiores iuriſdictio deriuetur, poteſt ab eis limitari, quæ limitatio eſt reſeruatio eorum caſuum, à quibus abſoluendi poteſtas, & iuriſdictio non conceditur. Hinc conſtat, poſſe Pontificem pro tota Eccleſia, Epiſcopum pro ſua diœceſi, Prælatum Regularem pro ſuis ſubditis caſus, ſeu peccata, & cenſuras reſeruare. Circa limitationes autem, quibus in Religionibus poſſunt caſûs reſeruari, videatur ſequens diſputatio. Parochum poſſe reſeruare ſibi caſus, quando ſuam iuriſdictionem delegat, probabile eſt. Ita Ochagauia *tract.*2. *de confeſſ. quæſt.*29. P.Suar. *tom.*4. *in p.*3. *diſp.*29. *ſect.*1. *n.*4. *&* 7. Quod tamen in vſu non eſt.

16 Peccata impuberum etiam ſubduntur reſeruationi Prælatorum, quia reſeruatio non eſt pœna, ſed lex determinans caſum, in quo pro opportuniori remedio ad Prælatum recurratur. Ita cum Cardinali Lugo, Lazario, Florono, & Homobono tenet Leander de Sacramento *tom.* 1. *de Sacram. tract.* 5. *diſp.* 12. *quæſt.*5. Et ſi non expediat, peccata venialia, & mortalia iam ritè confeſſa reſeruari, poſſe tamen à Pontifice, probabilius eſt & docent Candidus *diſq.*14. *art.* 68. *dub.*4. P. Fagundez *præcept.*2. *lib.*8. *cap.*1. *numer.*18. & alij; Non expedit quidem, quia ſunt materia libera confeſſionis; poſſunt verò reſeruari à Pontifice, nam ab eo dimanat iuriſdictio abſoluendi ab illis, quæ ideò poteſt ab eodem coarctari; & quia hæc iuriſdictio abſoluendi à venialibus non dimanat ab Epiſcopo, (& ideo Sacerdos ſimplex abſque approbatione, & iuriſdictione ab Epiſcopo collata poteſt ab eis abſoluere, & à mortalibus iam ritè confeſſis) nec ab aliis prælatis idcirco nequeunt ea peccata ſibi reſeruare. Idem dicito de abſolutione ab excommunicatione minori in ſententia aſſerente, poſſe ſimplicem Sacerdotem ab illa abſoluere; oppoſitum eſt mihi probabilius cum P.Layman *tr.*5. *part.*1. *cap.*3. *num.*6.

17 Merè interna peccata reſeruari queunt quia iuriſdictio ad abſoluendum à merè internis, à Superioribus Eccleſiæ Prælatis dimanat, atque adeò poteſt ab eiſdem coarctari. Ita Bonacina *diſp.*5. *quæſt.*7. *punct.*5. P Filiucius *tract.*7. *cap.*10. *num.*271. Attamen communiter non expedit, ea reſeruari, quare rarò id præſtatur, & de facto nulla eſſe reſeruata cenſeo cum P. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 6. Quare non ſunt audiendi quidam affirmantes, hæreſim internam eſſe de facto reſeruatam. Valent prætereà reſeruari peccata mortalia dubia, ſeu de quibus dubitatur, an fuerint mortalia; cum enim ſit obligatio confitendi illa, requiritur etiam iuriſdictio ad abſoluendum ab illis, vnde ea iuriſdictio à concedente poteſt denegari. Sic Boſſius *de Iubil. ſect.*4. *caſ.*13. *num.* 2. P.Gaſpar Hurtad. *de pænit. diſp.* 11. *diff.*6. Non tamen continentur hæc peccata dubia ſub reſeruatione vtpotè odioſa, niſi exprimantur. vt Clemens VIII. in quodam Decreto expreſſit, reſeruari peccata in Bulla Cœnæ contenta, non tantum clara, verùm & dubia; cuius Decreti meminit Boſſius *vbi nuper.* Si quis confiteatur peccatum

peccatum dubium, & abſoluatur ab inferiore, poſt verò ipſi conſtet, fuiſſe certum, eſtò illud peccatum certum ſit reſeruatum, non tenetur pro abſolutione ad Superiorem recurrere, vt rectè probat Cardinalis Lugo *de pœnit. diſp.* 20. *à num.* 20.

18 Poſſe Prælatos reſeruare ſibi peccata, quin his ſit annexa cenſura, certum eſt ex ratione *ſuperiùs* libata, & in Religionibus plura peccata de facto abſque cenſura vlla reſeruantur Superiori. Nullum autem peccatum, cui cenſura non ſit annexa, eſſe de facto Summo Pontifici reſeruatum, docent Trullench *in expoſ. Bull. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 1. *num.* 3. & ſententia communior; quare ipſe Trullench & P. Henriquez *lib.* 3. *de pœnit. cap.* 10. *n.* 5. explicant vnum, vel alterum caſum, qui ſolet adduci, in quo peccatum abſque cenſura à Pontifice reſeruatur. Cæterùm quando Prælatus reſeruat peccatum cum cenſura (niſi ex verbis conſtet, ſolam cenſuram reſeruari) tam cenſura, quàm peccatum ei reſeruatur, nec ablata cenſura poteſt inferior à peccato abſoluere; tum quia hæc eſt Prælatorum intentio; tum quia, cum poſſint vtrumque reſeruare, & vtrumque in reſeruatione exprimant, debet vtrumque cenſeri reſeruatum. Hæc ſententia eſt communior; Ita D. Thom. Sotus, Vazquez, & alij, quos refert, & ſectatur Leander *vbi ſuprà q.* 14.

19 Conſuetudine receptum eſt, vt conceſſa facultate ad abſoluendum à cenſura reſeruata, etiam à peccato abſolui queat, & è contrà. Ita cum pluribus P. Fagundez 2. *præcept. lib.* 8. *cap.* 1. Quando propter ignorantiam excommunicationis ea non incurritur, peccatum cum ipſa excommunicatione reſeruatum, manet abſque reſeruatione. Sic P. Th. Sanchez *lib.* 2. *ſum. cap.* 8. *num.* 5. Abſolutionem adhuc indirectam ab aliquo peccato poteſt ſibi Pontifex reſeruare, vtpotè à quo omnis iuriſdictio dimanat; non verò poſſunt alij Prælati inferiores, qui nequeunt tollere iuriſdictionem ad abſoluendum à venialibus, cum qua abſolutione præſtita in caſu neceſſitatis, directè reſpectu venialium, indirectè præſtaretur reſpectu mortalium reſeruatorum. Ita Cardinalis Lugo *tom. de pœnit. d.* 20. *num.* 28.

20 Si abſque cauſa reſeruaret Pontifex caſus, valida eſſet reſeruatio tam reſpectu Confeſſariorum ordinariam iuriſdictionem habentium, ac reſpectu habentium delegatam; quia eo reſeruante, limitanteque iuriſdictionem, non eſſet, vnde hæc proueniret; peccaret tamen, non relinquens in ſubditis poteſtatem neceſſariam. Si autem Epiſcopus abſque cauſa reſeruaret, probabile eſt, nec licitam, nec validam eſſe reſeruationem reſpectu eorum, qui illam à Pontifice, aut à iure habent, vt ſunt parochi, & Regulares; validam autem eſſe reſpectu Confeſſariorum, qui ab Epiſcopo iuriſdictionem delegatam accipiunt, quia hi non aliundè eam iuriſdictionem ab ipſis per reſeruationem ablatam haberent; vt docet Ochagauia *de Sacram. tr.* 2. *q.* 21. *num.* 2. cum aliis.

21 Prælati, qui poſſunt ſibi caſus reſeruare, poſſunt & aliis, ita vt committant abſolutionem ſolùm vni, aut duobus, vel tribus à ſe deſignatis; liberum enim eſt illis iuriſdictionem quibuſdam coarctare, quibuſdam concedere, vt tenet P. Suarez *ſuprà diſp.* 28. *ſect.* 1. *num.* 8. Prælati ſæculares (de Regularibus *inferiùs* tractabo) poſſunt eligere Confeſſarium, qui abſoluat eos à peccatis, quæ ipſi reſeruauerunt, imò & à peccatis, aut cenſuris reſeruatis à Superiori Prælato, à quibus prædicti Prælati poſſunt ſuos ſubditos abſoluere. Sic plures, quos refert, & ſequitur Diana 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 142. Vbi idem tenet de Vicario Epiſcopi potente conſtituere Confeſſarios, qui abſoluant à reſeruatis.

22 Ignorans reſeruationem peccati, adhuc nequit niſi à reſeruante, aut Prælato Superiori, vel de eius licentia abſolui; nam reſeruatio eſt medicina, non pœna, ideóque ſcientiam non prærequirit, & ita habet praxis Religionum. Vide ſummam Dianæ verbo *Ignorantia*, *num.* 8. Si pœnitens ignorans, ſe caſum reſeruatum habere, aut non eſſe facultatem abſoluendi in Confeſſario; bona fide cum illo confiteatur, remanere abſolutum, probabile eſt; tunc enim cenſetur, Eccleſiam conferre iuriſdictionem ad vitanda pericula. Id abſolutè ſentit Præpoſitus *in* 3. *p. q.* 9. *dub.* 7. *num.* 58. Non poteſt quis abſoluere à reſeruatis cum præſumpta ratihabitione de futuro obtinenda à Superiore, quia Sacramentum pœnitentiæ nequit in valore pendere ab euentu futuro, nec eſt, vt aliqui actus ciuiles, qui ab initio irriti, poſſunt poſtea per iuris fictionem reualidari. Sic P. Coninch *de Sacram. d ſp.* 8. *dub.* 4. *à num.* 34. Habentem peccata reſeruata in vna diœceſi non poſſe data opera ad aliam diœceſim, in qua non ſunt reſeruata, pergere, & ibi abſolui, declaratum fuiſſe in ſacra Congregatione Cardinalium die 19. Nouembris 1616. affirmat Zambellus *verbo Caſus num.* 26. Contrarium videtur probabile, ſi tamen Confeſſarius habet facultatem abſoluendi à reſeruatis in ſua diœceſi, nam id plures docent, quos affert, & ſequitur Leander *ſuprà quæſt.* 25. quoad autem data opera ille pergat ad aliam diœceſim, non obſtat, cum ſuo iure vtatur. Et quidem tunc ille iudicatur eſſe eius diœceſis, in qua iudicio ſe ſubmittit, & abſoluitur ſecundum

conſuetudinem

Digitized by Google

conſuetudinem eius diœceſis. Fateor, hanc doctrinam à prædictis Authoribus tradi de peregrinis bona fide, & non data opera, in aliena diœceſi confitentibus peccata, quæ in ſua erant reſeruata, eſtò non ſint in illa; ſed non improbabiliter fieri poteſt prędicta extenſio. Quin & Confeſſorem non habentem poteſtatem ad abſoluendum à reſeruatis in hac diœceſi poſſe in illa abſoluere à peccatis reſeruatis in alia, docet Rodriguez *in ſum. c.* 55. *concl.* 2. cum pluribus, quia pœnitens, qui hic confitetur, iudicatur incola huius loci, & iuxta forum huius abſoluitur, in hoc autem loco, ſupponitur non eſſe ea peccata reſeruata.

23 Ob hanc rationem pœnitens exterus, qui in hoc loco peccata hic reſeruata commiſit, quamvis non ſint reſeruata in loco, à quo diſceſſit, nequit abſolui, niſi ab habente poteſtatem circa reſeruata. Sic Caietan. *in ſum. verbo Abſolutio* 2. Probabile tamen eſt oppoſitum, quod tuentur Vega, Graffis, Petrus de Ledeſma, & P. Fagundez, quos refert, ſed impugnat Leander *vbi ſuprà quæſt.* 27.

CAPVT III.

Nonnulla attinguntur circa abſolutionem à peccatis reſeruatis.

24 PEr Bullam Cruciatæ, per Iubilæum, & de licentia eius, cui ſunt peccata reſeruata, poteſt quis ab eis abſolui; ſi tamen virtute Bullæ abſoluatur, ſtandum eſt dictis *c.* 1. An autem poſſit Superior abſoluere pœnitentem à reſeruatis & pro non reſeruatis mittere illum ad alium Confeſſarium, ſub quæſtione eſt: probabilius cenſeo cum P. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. diſp.* 31. *ſect.* 1. non poſſe. At oppoſitum eſt probabile, ſcilicèt poſſe validè, ſed non licitè. Videatur Bonacina *diſp.* 5. *q.* 7. *punct.* 5. §. 3. Imò licitè poſſe ex vrgentiſſima cauſa, vt docet P. Granad. *in* 3. *p. tr.* 10. *diſp.* 8. *à num.* 2. Et tunc non tenetur pœnitens confiteri inferiori Sacerdoti peccata reſeruata, quæ confeſſus eſt Superiori verè, & legitimè. Ita Ioannes de Cruce *in ſum. p.* 2. *de pænit. q.* 3. *dub.* 5. *concl.* 3. At Sacerdos inferior non poteſt abſque graui cauſa abſoluere pœnitentem à reſeruatis cum onere comparendi coram Superiore; poteſt autem, ſi neceſſitas vrgeat. Sic D. Thom. *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 4. *q.* 2. *ad* 2. Probabilius autem eſt ſubditum habentem reſeruata, & ex neceſſitate confitentem cum Sacerdote inferiori, non teneri propalare in confeſſione reſeruata peccata, quorum ille iudex non eſt, ſed dumtaxàt non reſeruata, à quibus directè abſoluatur, & à reſeruatis indirectè. Ita Cardinalis Lugo *de Euchariſt. diſputation.* 14. *à num.* 86. *Mendo in Bull. Cruciat.*

25 Pœnitens abſolutus per Superiorem à reſeruatis, ſi inculpabiliter aliqua omiſiſſet, poteſt poſteà ab his abſolui per quemlibet Confeſſarium, eo quòd Superior tunc intenderit abſoluere, quantum poterat, vt docet Candidus *diſquiſit.* 24. *art.* 69. *dub.* 56. *num.* 61. atque adeò tunc tollit reſeruationem Superior, cum abſoluit; imò eam tollit, quando abſoluit ſubditum, qui propter obliuionem nullum peccatum reſeruatum ei confeſſus eſt, quare valebit tunc ab alio abſolui. Sic P. Reginald. *lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 99. Oppoſitum tamen eſt tutius. Dum autem quis tempore Iubilæi, aut virtute Bullæ confitetur, & obliuiſcitur peccatorum reſeruatorum, poteſt tranſacto tempore Iubilæi, aut Bullæ, à quovis Confeſſario abſolui, quando eorum recordetur; nám iam reſeruatio manet ablata. Sic cum pluribus Leander de Sacramento *tom.* 1. *de Sacram: tract.* 5. *diſp.* 12. *quæſt.* 36. Quod ſi incipiente tempore Iubilæi quis cõfeſſus eſt reſeruata, vt abſoluatur virtute illius, cum animo illum lucrandi, ſi poſteà non lucretur defectu mediorum, quæ non apponit, adhuc non indiget iterùm confitendi Superiori, vel de eius licentia, prædicta peccata, eoquòd directè, & validè, & abſque conditione pendenti ab euentu futuro, fuerit iam ab eis abſolutus, ea namque conditio in Sacramento pœnitentiæ reperiri nequit. Ita P. Thom. Sanchez *lib.* 4. *ſum. capit.* 54. *à numer.* 42.

26 Quin imò eiuſmodi, qui ſic confeſſus eſt, ſi oblitus ſit alicuius peccati reſeruati, poteſt poſteà à quolibet Confeſſario abſolui, nam ablata fuit reſeruatio. Sic Leo *de Iubilæo part.* 2. *numer.* 203. Sanchez *vbi nuper.* Vbi etiam docet idem de cenſuris, à quibus quis abſolutus fuerit virtute Iubilæi, quem poſteà non obtinuit; ſcilicèt abſolutum ab illis poſteà non reincidere in ipſas, quia abſolutio præſtita eſt abſolutè, & non ad reincidentiam. Cæterùm ſi quis lucrans Iubilæum non confeſſus eſt, quia non reperit in ſe peccati mortalis conſcientiam, & poſt tranſactum Iubilæi tempus recordetur reſeruatorũ, quæ ante Iubilæum commiſerat, poterit poſteà à quocumque Confeſſario ab illis abſolui, dummodo obtinuerit Iubilæum exequens omnia requiſita ad illum, quia obtinuit tunc priuilegium, vt abſolueretur à reſeruatis, & ad lucrandum Iubilæum non eſt opus confeſſione, quando non datur conſcientia peccati mortalis. Sic Sanctarellus *de Iubilæo cap.* 13. *dub.* 2. cum aliis: idemque dicendum eſt: ſi quis etiam memor reſeruatorum, contritus de illis, nullam confeſſionem fecit, quia non habuit copiam Confeſſarij tempore Iubilæi, ad quem lucrandum cætera media adhibuit. Ita Alphonſus de Leone, & Zanardus apud

Digitized by Google

Dian. 3.*part. tract*.4.*reſol*.150. Fateor, oppoſitum eſſe tutius, ſed probabiliter hi Authores philoſophantur.

27 Si quis confiteatur Superiori peccata reſeruata, confeſſio tamen ex defectu doloris, aut examinis ſit nulla, ſatisfaciat reſeruationi, & poteſt cuilibet Confeſſario poſteà confiteri, vt cum pluribus tenet P. Henriquez *lib.6. cap.*16. *n.*5. *& lib.*7. *cap.*11. *num.*4. Qui idem docet, ſi quis inualidè tempore Iubilæi reſeruata confiteatur, quare, eo tempore tranſacto, poterit abſolui à quovis Confeſſario; hoc cenſeo probabile, ſed oppoſitum verius.

28 Tam qui peccata reſeruant, quàm qui iuriſdictionem ordinariam ad abſoluendum ab illis habent, poſſunt eam delegare, vt tenet communis. Cum verò poſcit Confeſſarius à Prælato, vt ſibi eam deleget, poteſt quidem, ea facultate obtenta, abſoluere alium ſubditum à reſeruatis, non verò poteſt vi illius abſolui ipſe ab alio Confeſſario, nam facultas fuit ei conceſſa, vt abſolueret, non, vt abſolueretur; ſecùs eſſet, ſi Superior dediſſet ei petenti facultatem eligendi Confeſſarium pro vna perſona indeterminatè, tunc enim ipſe includeretur, quod ex mente, ac verbis Prælati colligendum eſt. Sic Cardinalis Lugo *de pœnit. diſp.* 20. *num.* 119. Qui in ſequentibus etiam docet, Confeſſarium, qui obtinuit à Prælato facultatem abſoluendi ſubditum à reſeruatis abſque limitatione, poſſe eum abſoluere etiam à reſeruatis commiſſis poſt obtentam facultatem ante confeſſionem, ſecùs verò, ſi limitatam facultatem impetrauit ſolummodò ad vnum, aut duo peccata antecedenter patrata. Idem tenet caſu, quo pœnitens ipſe obtinuerit facultatem, vt abſoluatur pro vna vice à reſeruatis, poſſe ſcilicèt abſolui à reſeruatis, quæ poſt obtentam licentiam commiſerit ante confeſſionem, etiam ſi ea patrauerit in confidentiam eiuſmodi licentiæ. Ibidem tuetur, ſi quis in fine Iubilæi accedat ad confeſſionem, quam non poteſt perficere intra tempus Iubilæi (idem dicito in fine anni durationis Bullæ, teneri Confeſſarium intra tempus Iubilæi abſoluere à cenſuris reſeruatis, auferre reſeruationem peccatorum, & commutare vota, dilata abſolutione Sacramentali vſque ad tempus commodum. At probabile eſt, Confeſſarium, & ſi id præſtare queat, non tamen teneri, ſed incepta tunc confeſſione, differre omnia, vſque dum finiatur confeſſio poſt Iubilæi, vel Bullæ tempus; nam cæpta cauſa, donec finiatur, durat delegati poteſtas. Ita P. Sa *verbo Indulgentia, n.*14. & plures alij. Qua ratione probabile etiam eſt, eum pœnitentem poſſe tunc abſolui, quando finitur confeſſio, à reſeruatis commiſſis poſt elapſum tempus Iubilæi, vel Bullæ. Sic Bartholomæus à S. Fauſto *de Iubil. lib.* 4. *q.*133.

29 Tempore Iubilæi duplici hebdomada durantis, ſi quis vſque ad Sabbatum ſecundæ hebdomadæ acceſſerit abſque animo lucrandi Iubilæum, poteſt tunc lucrari, & abſolui à reſeruatis, nam Confeſſarius valet commutare ieiunia, & media non adhibita in alia opera pia ab ipſo præſtanda. Ita cum aliquibus Diana 3.*part. tract*.4. *reſol*.152. Cæterùm confeſſionem, & communionem iuxta formulam nouam Iubilæi non poſſe commutari, docet Cardinalis Lugo *de pœnit. diſp.* 27. *num.* 119. quare, ſi die vltimo, quo quis erat confeſſurus, & ſumpturus Euchariſtiam non poſſet id præſtare, eo quòd aquam hauſiſſet, non poſset lucrari Iubilæum, nec à reſeruatis abſolui. Oppoſitum eſt probabile, quia non id videtur negari in Bulla nouiſſima Iubilæi. Sic Leander *tract*.5.*diſput*.14.*reſol.* 95. Probabilius eſt, non poſſe quemvis Iubilæum lucrari in vtraque hebdomada, abſoluique à reſeruatis, vt tenet P. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.6. cap.*16. *num.*17. & plurimi; probabile tamen eſt oppoſitum, vt docet cum pluribus Diana 5.*part. tract*.12. *reſol.* 28. *&* 2. *part. tract.* 17. *reſol*.49. In ipſa verò hebdomada, peracta iam confeſſione, non poteſt quis iterum abſolui à reſeruatis, quæ poſt confeſſionem commiſerit. Ita Boſſius *de Iubil. ſect.*1. *caſu* 15.

30 Poteſt quis, exiſtente impedimento, quo nequit adire Pontificem pro abſolutione à reſeruatis, abſolui ab Epiſcopo, ita tamen, vt ceſſante impedimento, teneatur adire, aliàs reincidet in eaſdem cenſuras, niſi ſit impedimentum pueritiæ, qua adhuc ceſſante, adire non tenetur; Infertur *ex cap. Mulieres*, *& aliis de ſent. excom. in* 6. Hi autem, qui impediti ſunt, ſi adire queant Nuntium, aut legatum Pontificis, non poſſunt ab Epiſcopo abſolui. Ita Bonacin. *de cenſur. diſp.* 1.*q*.3.*punct.* 2. *num.* 4. Probabile tamen eſt, poſſe, vt defendit P. Auila *de cenſur.* 2. *part. capit*.7. *dubit*.6. Quòd ſi impeditus nequeat Epiſcopum adire, poſſe cum prædicto onere abſolui à parocho, aut ab alio Confeſſore, probabiliter tuetur P. Granado *in* 3. *part. tr.* 10. *diſp*.7.*num.* 12. Sed verius eſt oppoſitum, quia Pontifex ſolùm ad Epiſcopos indulget in caſu prædicto recurſum, vt docet Cardinalis Lugo *diſp.*20. *de pœnit. num.* 225. Qui *num.*149. rectè probat, caſu quo idem peccatum pluribus reſeruationibus ſit adſtrictum, ſi ſint reſeruationes eiuſdem Prælati, aut eius ſucceſſoris, omnes vnam cenſeri; quapropter vna ablata, omnes auferuntur. Si verò ſint diuerſorum Superiorum, non poſſe abſolui à peccato, aut cenſura ſic reſeruata cum ſola licentia Prælati minoris; ſic verò cum licentia

Digitized by Google

licentia Prælati maioris. Ita cum aliis P. Buſembaum *in medul. Theolog. moral. lib.6. tract.* 4. *cap.*2. *dub.*4. Hinc per Bullam Cruciatæ poteſt quis abſolui à reſeruatis Pontifici, etiam ſi ab Epiſcopo reſeruata ſint, quia Pontifex, qui eſt Supremus Prælatus, facultatem præſtat, & cum eam præſtat, tollit omnem aliam reſeruationem.

31 Non reſeruatur peccatum ex eo, quòd irregularitas in iure fuerit ei impoſita, quare poteſt quis abſolui ab eo peccato, quin tamen irregularitas tollatur, vt ait Villalob. 1. *p. tr.*9. *diffic.* 57. *n.*6. Qui etiam *diffic.* 58. *n.*6. rectè docet cum aliis, in dubio an peccatum ſit reſeruatum, necne, cenſendum fore non eſſe reſeruatum. Et abſolutè ſemper ſtrictè interpretandam eſſe reſeruationem, & nunquam à paritate rationis ampliandam, vt potè odioſam, tuentur bene Capiauila *tract. de reſeruatis à fol.*52. Trullench *in expoſit. Bul. lib.*1. §.7. *cap.*2. *dub.*2. Vnde excommunicatio reſeruata contra facientes aliquid non extenditur contra mandantes; Item lata contra legentes libros hæreticos non ampliatur contra audientes ipſos, imò nec contra audientes conciones hæreticorum. Præterea reſeruato aliquo actu exteriori, vt homicidio v.g. intelligitur cum effectu. Reſeruato autem rursùs aliquo peccato, intelligi debet non merè internum. Si verò reſeruatio feratur aduersùs eos, qui aliquid ſcienter faciunt, non comprehendit eos, qui ex ignorantia faciunt; Si aduersùs eos, qui præſumunt aliquid facere, non includit, niſi eos, qui ex affectu ſuperbiæ id præſtant. Attamen ſi feratur contra conſulentes, quamvis effectus non ſequatur, ſubiacent reſeruationi, quia ſuum munus perfectè obierunt; ſicut conſulentes duellum excommunicati manent, quamvis duellum non ſequatur.

32 Peregrini, & vagi reſeruationibus appoſitis in loco, vbi verſantur, ſubiacent, & ibi abſolui queunt ab habentibus iuriſdictionem in diœceſi, in qua confeſſionem peragunt. Ita Caietanus *in ſum. verbo Abſolutio* 2. Hæc de reſeruatione, & abſolutione à reſeruatis attigiſſe ab Authoribus deprompta, ſat ſit, vt dicenda rectiùs intelligantur.

CAPVT IV.

De peccatis Epiſcopo reſeruatis.

33 AD *diſp.* 25. in qua de cenſuris agemus, à quibus per Bullam Cruciatæ poteſt abſolui, remitto peccata, quæ Pontifici tum in iure, tum in Bulla Cœnæ Domini ſunt reſeruata, cum enim conſtet ex dictis *cap.* 2. nulla de facto eſſe reſeruata, quibus cenſura non ſit annexa, dum ibi recenſeamus cenſuras, conſtabit de peccatis reſeruatis. In communi tamen de abſolutione ab illis, virtute Bullæ, decurſu huius diſputationis pertractabimus. A peccatis præterea Epiſcopo reſeruatis poſſe quem virtute Bullæ toties quoties abſolui, *cap.* 1. ſtatuimus.

34 Olim à iure reſeruatos fuiſſe, aut ſolere reſeruari quinque vel ſex caſus Epiſcopis affirmat Trullench *in expoſ. Bull. lib.*1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 2. Eoſque contineri *in extrauaganti ſuper Cathedram, de ſepulturis.* Sed ſanè ipſe eam Extrauagantem non legit, in ea namque nullus caſus exprimitur, ſed in illius gloſſa *verbo A iure* recenſentur nouem caſus, qui à iure Epiſcopis reſeruabantur. Primus, vbi ſolemnis pœnitentia erat imponenda; *cap. In capite* 50. *diſt.* 1. *cap.* 26. *quæſt.* 6. Secundus, vbicumque erat arduum & graue factum, difficile, & ambiguum; *cap. De concilij,* 18. *diſtinct. cap. De perſona,* 65. *diſt. cap. vlt.* 26. *quæſt.*6. Tertius, reſtitutio malè ablatorum in magna quantitate; *c.* 1. 82. *diſt.* Quartus, vbicumque abſolutio ab excommunicatione reſeruata Epiſcopo erat neceſſaria; *cap. De cætero, de ſentent. excommun.* Quintus, publica blaſphemia Dei, & Sanctorum; *cap.* 2. *de maledic.* Sextus, incendium domorum. Septimus, truncatio membrorum; *cap. ſi quis membrorum, cum ſequenti,* 23. *q. vlt.* Octauus, homicidium. Nonus, vbi ſtatutum ſynodale, vel conſuetudo aliquos caſus Epiſcopo reſeruaret.

35 Ait Trullench, prædictos caſus non eſſe iam reſeruatos, tum per contrarium vſum Epiſcoporum, tum quia Extrauagantis præfata decreta reuocata ſunt per Clementinam *Dudum, de ſepulturis,* aſſeritque, ita doceri à P. Suarez *tom.*3. *in* 3. *part. diſp.*29. *ſect.* 3. *num.*6. In his omnibus fallitur hic Author; nam in primis P. Suarez *eo loco* nihil de his agit. Deinde, cum in ea Extrauaganti non ſint reſeruati prædicti caſus, ſed in aliis iuribus, etiam ſi fuiſſet reuocata, non propterea ea reſeruatio reuocata fuiſſet. Demùm, quia tam longè abeſt, vt fuerint reuocata decreta præfatæ Extrauagantis in Clementina *Dudum*, vt potiùs fuerint confirmata, & innouata. Etenim, cum Bonifacius VIII. eam Extrauagantem edidiſſet, & poſtmodùm Bonifacius XI. aliam Decretalem illius reuocatoriam promulgaſſet, demùm Clemens V. in Concilio Vienneſi Bonifacij Octaui Extrauagantem denuò innouauit, inſerens eam de verbo ad verbum in prædicta Clementina *Dudum*, & caſſauit Decretalem reuocatoriam Bonifacij XI. Nec potuiſſet Trullench de hoc dubitare, ſi Clementinam præfatam legiſſet.

36 Cæterùm, & ſi à iure poſſint caſus

Mendo in Bull. Cruciat.

Q 2 Epiſcopo

Epiſcopo reſeruari, & de facto fuerint reſeruati, attamen id iam eſt abrogatum per conſuetudinem contrariam non ſtandi eiuſmodi reſeruationi, & per conſenſum ipſorum Epiſcoporum, qui reſeruant ſibi caſus, quos iudicant grauiores, quorum aliqui continentur in ſupradictis, non verò alij; ſi autem non annuerent conſuetudini præfatæ, liberum eſſet illis, recenſere omnes prædictos caſus, & ſuperaddere alios, quos expedire cenſerent. Aliis duobus modis poſſunt eſſe caſus Epiſcopis reſeruati, ſcilicèt per ſtatutum ſynodale, aut per proprium, & perſonale ſtatutum; ac per conſuetudinem approbatam.

37 Neutiquam dantur caſus ſic reſeruati determinate, & firmiter, qui communes ſint omnibus diœceſibus, ſed in vnaquaque aliqui reſeruantur, tum plures, tum pauciores; tum ijdem, tum diuerſi, Quare debet Confeſſarius explorare, quinam ſint reſeruati in diœceſi, in qua verſatur; & an præter eos, quos Epiſcopus per ſtatutum proprium ſibi reſeruat, alij ſint per conſuetudinem, aut ſtatutum ſynodale reſeruati; &, vtrùm excommunicationem ſibi annexam habeant, necne? Cum enim tot ſint diœceſes, & quiſque Epiſcopus poſſit addere, aut tollere reſeruationes, nequeunt in præſenti recenſeri. Communiter autem in omnibus diœceſibus reſeruati ſunt aliqui caſus; ſolentque frequentiùs reſeruari grauiora peccata, quæ in aliorum damnum vergunt, vt inceſtus, ſacrilegium, crimen incendiarij, hiſque ſimilia. Oportet aũtem, parochos in ſuis Eccleſiis in loco publico, vt in ſacriſtiis, Summarium caſuum Epiſcopo reſeruatorum figere, vt omnibus innoteſcant, & Confeſſarij ab illis non abſoluant niſi de licentia Epiſcopi, vel virtute Bullæ; ſolent enim ignorari. Quare, cum pœnitens confitetur aliquod peccatum Epiſcopo reſeruatum, interrogandus eſt, vtrùm Bullam Cruciatæ habeat? quòd ſi non habeat, poſcenda eſt ab Epiſcopo facultas ad abſoluendum illum, aut ad ipſum Epiſcopum eſt remittendus pœnitens, vt abſoluatur.

38 Vrgente neceſſitate extra articulum mortis, poteſt habens caſum reſeruatum abſolui à quolibet Confeſſario approbato, quamvis peccatum cenſuram annexam habeat, de conſenſu interpretatiuo Epiſcopi, quando commodè adiri non poteſt; ſicut poteſt per Epiſcopum abſolui à caſu reſeruato Pontifici in ſimili neceſſitatis grauis circunſtantia; non enim magis inuitus in eo euentu debet eſſe Epiſcopus, quàm Pontifex; nec vrgentior ratio eſt in vno, quàm in alio. Attamen in vtroque obligatus eſt pœnitens ad præſentandum ſe Pontifici (de quo *ſuperiùs*) vel Epiſcopo, vt directè ab illo abſoluatur. Cauſæ autem, quæ vrgentes, ſeu graues cenſentur, vt poſſit ea abſolutio præſtari, ſunt, ſi adſit periculum ſcandali, aut infamiæ, ſi ſit neceſſitas ex præcepto, aut ſtatuto ſumendi Euchariſtiam; ſi quis celebraturus ſit ex neceſſitate, vel quia aliter ſcandalum ſequetur, vel quia in itinere non eſt alius, à quo ipſe, aut itinerantes Miſſam die feſto audiant. aliam cauſam addit Trullench *ſuprà num.* 5. ſcilicèt vtilitatem maximam, celebrandi in feſtis, in quibus ex deuotione ſpeciali id ſolet præſtare. Id etiam docet P. Henriquez *lib.6. cap.*12. *num.*5. *& cap.*15. *num.*1. citans Ledeſmam, & alios *in gloſſa littera T.* & addit, minorem cauſam eſſe neceſſariam, vt quis indirectè à reſeruatis abſoluatur, quàm vt habens conſcientiam peccati mortalis celebret, aut communicet, eliciens contritionem, quando non adeſt copia Confeſſarij.

39 Verumtamen licèt hic ſentiendi modus circa præfatam cauſam ſpecialis deuotionis ſit ob authoritatem probabilis, mihi adhuc non arridet; quia, ſi neceſſitas, ſcandalum, periculum, & infamiæ ceſſent, quare abſoluat eum pœnitentem ille, qui ab omnibus eum nequit abſoluere culpis? aut vnde colligitur, deuotionem illius eſſe cauſam ſufficientem, vt ea confeſſio, alias illicita, honeſtetur? Deindè ego non inuenio diſcrimen inter eum, qui habet peccata reſeruata, quando non adeſt copia reſeruantis, & inter eum, qui habet conſcientiam peccati mortalis, quando Confeſſarij copia non adeſt; ſed in hoc euentu fatetur Henriquez, non poſſe eum celebrare, aut communicare ſolùm ob cauſam ſpecialis deuotionis; ergo nec in illo alio euentu poteſt, cum etiam detrimentum vtilitatis, quam ex celebratione, aut communione experitur, ſequatur in vno caſu pariter ac in alio. Diſcrimen verò non dari, ſuadetur, quia ſicut vnus non habet copiam Confeſſarij, eſtò haberet copiam alicuius ſimplicis Sacerdotis, ita nec alius habet copiam Confeſſarij, cum ille Confeſſarius reſpectu ipſius ſit velut ſimplex Sacerdos, cum careat iuriſdictione ad abſoluendum ipſum à peccatis reſeruatis. Nam, ſi ſufficeret, poſſe illum Confeſſarium abſoluere à peccatis non reſeruatis, à quibus directè abſolueret, & indirectè à reſeruatis, etiam ſufficeret in eo caſu ſpecialis deuotionis, poſſe ſimplicem Sacerdotem abſoluere pœnitentem à peccatis venialibus directè, vt abſolueret à mortalibus, quamvis non reſeruatis, indirectè. Quis autem dicat, omni alia præciſâ neceſſitate, poſſe pœnitentem, titulo communicandi ob ſpecialem deuotionem, abſolui à ſimplici Sacerdote à peccatis venialibus, & mortalibus?

40 Id obſerua, eum, qui abſoluitur, vrgente neceſſitate, à caſibus reſeruatis Epiſcopo cum onere comparendi coram illo, aut obtinendi

Digitized by Google

obtinendi facultatem per ſe, vel per alium, vt abſoluatur, poſſe accipere Bullam, & virtute illius abſolui directè, atque adeò deobligari à comparendo, aut à poſcendo prædictam facultatem. Idemque aſſeuerandum eſt de eo, qui abſolutus eſt à caſu reſeruato Pontifici cum onere adeũdi illum, cum commodè poſſit, tunc enim poteſt Bullam accipere, & virtute illius abſolui, niſi intra annum durationis Bullæ ſemel, & iterum iam fuerit abſolutus per Bullam primam, & ſecundam, quam valet ad hunc accipere effectum. At abſolutus in articulo mortis, an teneatur, ſi ſuperuiuat, comparare coram Epiſcopo, aut Pontifice, iuxta proportionem reſeruationis, *inferiùs* diſcutiemus.

41 Mortuo Epiſcopo, aut ad alium Epiſcopatum aſſumpto, an perſeueret reſeruatio, diſputant Authores. Non perſeuerare, docet Pater Sa, *verbo Abſolutio*, *num.*20. Contrarium tuetur Capiauila *de caſibus*, *fol.* 51. cui ſubſcribit Trullench *vbi ſuprà num.*6. ex eo quòd ſtatutum, mortuo ſtatuente, adhuc durat. Sed hæc ratio ſaltem non probat, ſi peccata non ſint reſeruata per ſtatutum ſynodale, aut per ius generale diœceſis, vel per conſuetudinem; cum potuerint reſeruari per voluntatem præciſam, ſed rationabilem, Epiſcopi, quæ vim ſtatuti non retinet. Ob aliam rationem mihi probabilior apparet hæc ſententia, nempè quia Capitulum, ſede vacante, vel ſucceſſor in Epiſcopatu cenſetur approbare eam reſeruationem; atque adeò ea eſt praxis communis, vt non iterum, quolibet decedente, vel ſuccedente Epiſcopo reſeruatio promulgetur, & tamen ea perſeuerare cenſeatur. Aliter hoc poſſet ſuaderi, quia Epiſcopus cum præbet licentiam & iuriſdictionem ad abſoluendum, non præbet illam ad abſoluendum à reſeruatis; quare ille Confeſſarius caret iuriſdictione reſpectu eorum; donec ergo illi iuriſdictio præſtetur etiam mortuo Epiſcopo, nequibit ab eis abſoluere. Sed video imbecillitatem huius probationis; quia ei iuriſdictio collata fuit ad omnia non reſeruata; dum igitur aliundè non probetur, ea peccata manere reſeruata, cadent ſub iuriſdictione illius; aliàs diceretur, eum non gaudere iuriſdictione ad abſoluendum ab aliquibus peccatis adhuc non reſeruatis; cum tamen reſpectu non reſeruatorum non fuerit ei limitata facultas.

42 Adde, mihi ferè compertum eſſe, in ſingulis diœceſibus, maximè in noſtra Hiſpania, eſſe peccata reſeruata aut per ſtatutum ſynodale, aut per ius generale, eo quòd conſuetudo approbauerit reſeruationem ab Epiſcopis factam. Quare ab eis non curatur de inſtauranda reſeruatione, & hæc conſtans, firma, ac eadem ſucceſſu temporum remanet, vt in aliquibus diœceſibus ſedulus obſeruaui. Vnde non tolli reſeruationem per mortem, aut promotionem Epiſcopi, eſt tenendum.

43 Reſtat explorare, an Regulares virtute ſuorum priuilegiorum poſſint abſoluere à reſeruatis Epiſcopo? Ratio dubitandi eſt, quia poſſunt virtute illorum abſoluere à reſeruatis Pontifici, exceptis his, quæ continentur in Bulla Cœnæ; imò poſſunt ab aliquibus ex his. Et formula, qua eis hoc conceditur, eſt, vt poſſint abſoluere pœnitentes ab omnibus peccatis etiam Apoſtolicæ Sedi reſeruatis, vbi vox *etiam* denotat, à fortiori poſſe abſoluere à reſeruatis inferioribus Prælatis, ſicut virtute Bullæ, diximus *cap.*1. poſſe quemvis Confeſſarium approbatum abſoluere toties quoties ab his peccatis Epiſcopo reſeruatis, quamvis non exprimantur in Bulla; ex eo quòd conceditur in illa iuriſdictio ad abſoluendum ab omnibus peccatis Epiſcopo reſeruatis.

44 Accedit, quòd id expreſsè conceſſum eſt Confeſſariis Societatis Iesv (& conſequenter eo gaudebunt cæteri Regulares communicantes Societatis priuilegia) vt conſtat ex Compendio priuilegiorum Societatis, *verbo Abſolutio* §.1. Vbi additur: *Et quamvis aliqui Ordinarij prætendunt, prædictam facultatem quoad caſus per illos reſeruatos nihil operari, imò ei eſſe derogatum à Gregorio XIII. iuxta ea, quæ in quadam epiſtola ad vnum ex eis miſſa, &c. Nihilhominùs declarauit idem Gregorius XIII. die* 10. *Maij*, *anno* 1583. *non eſſe intentionis ſuæ, quòd per talem epiſtolam ſit derogata dicta Societatis facultas, eamque quatenus opus ſit, de nouo confirmauit.* Et quamvis hæc confirmatio fuerit data viuæ vocis oraculo; & omnia viuæ vocis oracula fuerint reuocata per Vrbanum VIII. attamen ea conceſſio prima iuriſdictionis abſoluendi à reſeruatis præſtita fuit Societati per litteras Apoſtolicas Pauli III. vt *ibidem* affertur quæ litteræ non fuerunt reuocatæ per eam Epiſtolam Gregorij, vt ipſe declarans ſuam mentem, & intentionem, affirmauit, quare & ſi ab Vrbano fuerit reuocata confirmatio facta à Gregorio, non verò conceſſio præſtita à Paulo; & per hanc præfata conceditur poteſtas. Verum ſanè eſt, Gregorium reuocaſſe priuilegia aliarum Religionum in ordine ad abſoluendum à reſeruatis Epiſcopo ſeu potiùs declaraſſe, non fuiſſe eis conceſſum tale priuilegium, vt patet ex ea Epiſtola quam ſcripſit Eminentiſſimus Cardinalis Sancti Sixti ibi: *Hac de re vbi Congregatio egiſſet deinde ad S. D. N. retuliſſet, illius Sanctitas etiam de ſententia Congregationis cenſuit, ex facultatibus per Mare magnum, aliavè priuilegia Regularibus conceſſa factam eis non eſſe poteſtatem abſoluendi in caſibus, ſibi ab Epiſcopo reſeruatis.*

∽ *Mendo in Bull. Cruciat.*

Digitized by Google

45 Attamen Regulares contendere poſſent, hanc declarationem Pontificis non eſſe authenticè manifeſtam, cum vni Epiſcopo ea epiſtola fuerit reſcripta. Deindè Pontificem, non definiendo, rem declaraſſe, ſed vt Interpretem doctum illius dubij ſe habuiſſe, & interpretationem fuiſſe doctrinalem, non iuridicam, vt à legiſlatore præſtitam. Id tamen notauerim, manente in ſua vi hac declaratione, videri, priuilegium Societatis non communicandum fore cæteris Religionibus, cum ſolùm Societatem Pontifex exceperit, & in ſpecie non videatur Pontifex conceſſurus, etiam per communicationem generalis conceſſionis, id priuilegium, quod eis non fuiſſe conceſſum in Bullis adeò fauorabilibus, & amplis Pontifex Gregorius XIII. cenſuit; & cum ipſe declarauit, intentionis ſuæ non eſſe, vt Societas non gauderet eo Pauli III. priuilegio, videtur, ſimul aſſeruiſſe, eſſe ſuæ intentionis, vt cæteræ Religiones illo non fruerentur, ſiquidem exceptio firmat regulam in contrarium.

46 Ante decretum ſpeciale Vrbani VIII. cenſeo potuiſſe Regulares virtute ſuorum priuilegiorum abſoluere à reſeruatis Epiſcopo, quod ſatis conſtat ex dictis, nec hoc priuilegium abſoluendi ſuſpendi per Bullam Cruciatæ conſtabit *ex diſput.* 29. Cæterùm de iure communi, niſi darentur priuilegia, non potuiſſent Regulares ab eis culpis abſoluere; *Clementina Religioſi de priuileg.* Sanchez *in ſelect. diſp.* 48. *num.* 15. Pater Suarez *tom. de pœnitent. diſput.* 3. *ſect.* 2. Ludouicus à Cruce *in expoſ. Bull. diſp.* 1. *cap.* 3. *dub.* 5.

47 Iam verò Regulares non poſſe abſoluere à peccatis Epiſcopo reſeruatis, nec item à reſeruatis Pontifici in Bulla Cœnæ, aliqui docent. Sciendum namque eſt ex Ludouico à Cruce *vbi nuper*, & ex Trullench *in Bull. libr.* 1. §. 9. *dubit.* 3. *numer.* 11. Congregationem Regularium de viuæ vocis oraculo Clementis VIII. daclaraſſe, ac prohibuiſſe, ne Religioſi cuiuſcumque Ordinis & inſtituti, etiam Societatis IESV, adhuc prætextu cuiuſcumque priuilegij, abſoluere poſſent à caſibus Sedi Apoſtolicæ, aut locorum Ordinariis reſeruatis, niſi de eorum licentia reſpectiuè, præter quam in articulo mortis, ſub pœna excommunicationis, & priuationis officiorum. Poſteà verò anno 1602. Eadem Sacra Congregatio idipſum confirmauit, minuens appoſitam pœnam inhabilitatis ad excipiendas confeſſiones, quam pœnam abſtulit. Poſtmodùm eadem Congregatio iuſſu Pauli V, anno 1617. id rursùs innouauit reſpectu omnium Confeſſariorum Regularium, ac ſæcularium, licet hoc decretum ſolùm ad Italiæ Confeſſarios reſpexiſſe, rectè ex eiuſdem verbis obſeruarit Villalobos, 1. *part. tr.* 9. *diffic.* 67.

48 At quod nunc vrget ampliùs, eadem Sacra Congregatio ex præcepto Vrbani VIII. die 17. Nouembris, anno 1628. declarauit, prædicta omnia decreta vim fere habitura tàm intrà, quàm extrà Italiam, prohibens expreſsè, ne Regulares virtute cuiuſvis priuilegij abſoluere valeant pœnitentes à caſibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinariis locorum reſeruatis. Cui diſpoſitioni ſtandum omninò eſſe, cocludit Trullench *ibidem*.

49 Attamen oppoſitum videtur tenendum cum P. Quintanadueñas *to.* 1. *ſingulariū, tractat.* 3. *ſingulari* 15. & 16. & aſſerendum, Regulares poſſe abſoluere à reſeruatis Epiſcopo. Probatur primò, quia Vrbani VIII. decretum ſolùm reuocauit priuilegia abſoluendi poſt Tridentinum conceſſa, & concedenda; hoc autem priuilegium ante Tridentinum fuit conceſſum Regularibus, ergo non reuocatur. Major, & minor conſtant tum ex tempore, quo conceſsum eſt eiuſmodi priuilegium; tum ex verbis Decreti reuocatorij; quæ ab eo Authore aſſeruntur, & expenduntur. Secundò, quia priuilegium abſoluendi à peccatis Epiſcopo reſeruatis eſt inſertum iuri communi; quod autem ei iuri eſt inſertum, non derogatur, niſi fiat expreſſa mentio eiuſmodi priuilegij, qualis non fit in Decreto Vrbani; igitur per illud non reuocatur. Majorem, & minorem tenent cõmuniter Authores citati ab eodem Quintanadueñas; quem referens non impugnat P. Buſembaum *in medull. Theolog. mor. lib.* 6. *tractat.* 4. *cap.* 2. *dub.* 4. *ad fin.*

50 Accedit pro Societate IESV priuilegium quoddam omnes ſcrupulos in hac parte tollens. Scilicèt Gregorius XIII. in Bulla prima ipſius, quæ incipit, *Æquum reputamus*, quam affert P. Franciſcus Amicus *tom.* 5. *de iuſt. & iur. diſp.* 9. *ſect.* 10. *num.* 148. Diana *tom.* 7. *tract.* 10. *miſcellaneo, reſolut.* 29. conceſſit Societati, vt nullius priuilegij, aut indulti reuocatio præjudicet iuribus ipſius Societatis, niſi ſit illi inſinuata, & intimata per trinas diſtinctas litteras eumdem tenorem continentes, tribus diſtinctis vicibus, vt hanc conceſſionem intelligunt Antonius de Amatis, & Flauius Cherubinus apud ipſum Dianam. Vnde hi docent, derogationem priuilegiorum in ampliſſima forma non præjudicare priuilegiis Societatis, quia non cenſetur reuocatum priuilegium, dum non ſeruatur forma, quæ ad eius reuocationem requiritur, & ſic deciſum fuiſſe in Rota Prouinciæ Marchiæ, affirmant.

51 Intimatio autem fieri debet vel immediatè ipſi Præpoſito Generali Societatis, qui eam reuocationem per totam Religionẽ

evulget

Digitized by Google

evulget; vel nomine Pontificis facienda eſt ab Ordinariis ad Superiores Societatis. Nec ſufficit, ſi fiat in locis publicis, vt in Eccleſiis Cathedralibus, quia ea intimatio non fit Societati, vt Bulla exprimit; nec ſufficit, ſi fiat per verba, aut vna vice; cum requiratur, fieri per litteras, & tribus vicibus. Et quamvis Gregorius XIII. non potuerit limitare poteſtatem ſucceſſorum, ideóque hi valeant eius Bullam reuocare, dum verò per externa ſigna ſufficienter manifeſtatiua reuocationis, id non præſtent, non cenſenda ſunt reuocata Societatis priuilegia; ſic verò, ſi ſufficientibus verbis denotetur, derogari huic Gregorij conceſſioni. Et circa id vide Bullam Vrbani VIII. tranſcriptam *inferius in Tractatu Appendice, diſp.* 4. *cap.* 12.

52 Iam ex his probatur aſſertum, Reuocatio priuilegij abſoluendi pœnitentes à reſeruatis Epiſcopo non eſt intimata Societati tribus vicibus per litteras diſtinctas eumdem tenorem continentes, imò nec ſemel eſt intimata, vt omnes noſtri fatentur, cum nullus eam audiuerit. Deindè in reuocatione Vrbani VIII. non reperiuntur verba ſufficienter ſignificatiua reuocationis noſtri priuilegij, cum nec illud exprimatur, nec detur alia clauſula ſpecialis ſuperaddita communibus, quæ ſolent apponi in litteris reuocatoriis, ſaltem in forma ampliſſima conceſſis, vt liquet ex ipſo Vrbani Decreto; igitur priuilegium Societatis abſoluendi à reſeruatis Epiſcopo neutiquam eſt reuocatum. Aduerte primò, Vrbanum VIII. anno 1629. qui ſubſequens fuit ad annum, quo primum Decretum expediuit, reſpectu Indiarum confirmaſſe aliqua Religionum priuilegia, quæ videbantur per illud Decretum reuocata. De quo P. Aluarado *in allegat. ſuper lite orta in Regno Mexicano, fol.* 23. Aduerte ſecundò, ipſum Vrbanum VIII. præcepiſſe, omnia priuilegia, exemptiones, ac indulta omnium Religionum in Hiſpania obſeruari illæſa; vt conſtat ex Epiſtola Eminentiſſimi Cardinalis Bandini Præſidis Sacræ Congregationis Regularium, typis data Madridij anno 1629. qui etiam fuit ſubſequens ad annum, quo primum Vrbani Decretum prodit; vnde hoc videtur, locum non habere, ſaltem in Hiſpania. Hæc omnia locum habebunt, vbi non ſit publicata, ac intimata alia ſequens Bulla eiuſdem Vrbani VIII. reuocatoria illius indulti de triplici intimatione.

53 Hic aduerte primò, nomine caſus Epiſcopo reſeruati ſolere intelligi ſolum peccatum, non verò cenſuram reſeruatam Epiſco, vt notant Trullench *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 1. *num.* 1. Nauarrus, Diana, Thomas del Bene, Megala, quos refert, & ſequitur Pater Quintanadueñas *ſuprà ſingulari* 17. *num.* 8. Quod ſuadent; quia cenſura non eſt caſus, ſed pœna caſus; ideóque Pontifex diſtinguit inter hæc duo, & concedit in præſenti clauſula Latina facultatem ad abſoluendum *à caſibus, & cenſuris.* Vnde inferunt, cum prohibetur abſolutio ſolùm à caſibus reſeruatis, non prohiberi à cenſuris reſeruatis; & cum conceditur facultas abſoluendi à caſibus reſeruatis, non concedi à reſeruatis cenſuris. Inferunt etiam; inter caſus non contineri vota, & iuramenta quoad commutationem, & diſpenſationem; ideóque non concedi facultatem commutandi, & diſpenſandi, dum conceditur facultas abſoluendi.

54 Hoc vltimum iudico verum, maximè cum abſolutionis facultas non poſsit extendi, niſi ad abſoluendum; à votis autem, & iuramentis, non dicitur propriè, & iuxta vſum communem loquendi, abſolui; ſed ea commutari, aut in eis diſpenſari. Deindè menti Superioris, eiuſque verbis, & communi modo accipiendi illa, eſt ſtandum; nam ſi Prælatus aſſerat, ſe tribuere vices ſuas Confeſſario, ſanè tam à cenſuris, quàm peccatis reſeruatis poterit Confeſſarius abſoluere. Si verò dicat, ſe præſtare facultatem ad abſoluendum à caſibus ſibi reſeruatis, introſpiciendus eſt ſtylus, ac conſuetudo interpretandi eam conceſſionem; mihi enim profectò videtur, ſaltem in Religionibus mentem Prælatorum eſſe tunc, vt Confeſſarius abſoluat à peccatis, & cenſuris reſeruatis; nec longè abſum, vt mihi idem perſuadeam de Epiſcoporum mente. Quippè, & ſi in rigoroſa nominum acceptione locum habeat ea diſtinctio caſus, & cenſuræ, tamen in vulgari vſu ſub appellatione caſus vtrumque continetur, & præterea, cum datur peccatum reſeruatum cum cenſura pariter reſeruata, complexum ex vtroque dicitur vnus caſus. Quin nomine caſus aliquando etiam vota, & iuramenta comprehenduntur; quare credam, Epiſcopum, cum aliquibus concedit facultatem ad omnes ſuos caſus, vt ſolent Epiſcopi concedere Religioſis Societatis in Miſsionibus per diœceſes exiſtentibus, tribuere illis facultatem ad abſoluendum à peccatis, & cenſuris ipſis reſeruatis, & ad commutandum vota; imò & ad reualidanda matrimonia, quorum reualidatio ad Epiſcopum ſpectat; & hæc ſanè eſt perſuaſio communis, & praxis. Etenim vox *caſus* ſumitur vel pro peccato, eo quòd caſus à cadendo deriuetur; vel pro euentu aliquo; quæ etiam eſt vulgaris acceptio; & in hac ſecunda acceptione concedit Epiſcopus ſuas vices ad omnes caſus, vel euentus, in quibus eius iuriſdictio eſt neceſſaria.

55 Hinc ad fundamenta contraria facilè reſpon

Digitized by Google

reſpondeo; cenſuram eſſe pœnam caſus, non caſum, in prima acceptione acceptum; eſſe verò caſum in ſecunda etiam vulgari, & communi, licet minùs propria, ſi attendatur ad etymologiam nominis. Rursùs aſſero, Pontificem expreſſiſſe *à caſibus, & cenſuris*, tum vt omnis ambiguitas tolleretur, re magis declarata; tum ſumpta voce *caſus* in prima acceptione.

56 Aduertendum eſt demùm, reſeruationem factam ab Epiſcopis non comprehendere Regulares; quare ſi hi incidant in peccata; alias Epiſcopo reſeruata, independenter à priuilegiis poſſunt à ſuis Confeſſariis abſolui, quippè Regulares exempti ſunt à iuriſdictione Epiſcopi, & quamvis ab eo in aliquibus dependeant, quæ ſunt in iure, & Tridentino ſtatuta, non tamen in hoc. Videantur Rodriguez, & Miranda apud Molfeſium *tract. 7. capit. 71. num. 19.* Pater Quitanadueñas *vbi ſuprà num. 8.*

CAPVT V.

An à peccatis Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ſi occulta ſint poſſit abſoluere Epiſcopus; & virtute Bullæ Cruciatæ quilibet Confeſſor toties quoties?

57 Occultum accipitur in quæſtione præſenti pro eo, quod à publico in iure diſtinguitur; nec publicum eſt, etiam ſi probabile ſit per teſtes, ſed quod eſt manifeſtum, ac notorium, vel deductum ad forum contentioſum: Tunc autem deductum eſt, quando iam iudici eſt delatum, & parti intimatum, iuxta Sayrum *in Theſauro l. 4. capit. 17. num. 21.* P. Henriquez *lib. 14. de irregularit. capit. 20. num. 4.* Imò Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſcopi, allegat. 39. à num. 39.* requirit, vt lis ſit conteſtata, ad hoc vt dicatur ad forum contentioſum deducta, quod non reprobat Pater Caſtro Palao *de legib. tract. 3. diſp. 6. punct. 15. §. 1 num. 1.*

58 In Tridentino igitur *ſeſ. 24. de reform. cap. 6.* aſſeritur: *Liceat Epiſcopis &c. & in quibuſcumque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos, in diœceſi ſua per ſe ipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſoluere; impoſita pænitentia ſalutari. Idem & in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ eis tantum, non eorum Vicariis, ſit permiſſum.* Itaque Epiſcopi poſſunt abſoluere à reſeruatis Pontifici, dummodò ſint occulta, & non publica. De abſolutione ab hæreſi *inferiùs* agemus. Sed obiter hic nota in confirmationem eorum, quæ diximus *numer. 54.* contra Trullench, & P. Quintanadueñas, in præfatis Tridentini verbis, cum conceditur facultas abſoluendi à caſibus reſeruatis, nomine caſuum intelligi etiam cenſuras reſeruatas, vt ipſe Trullench intelligit imò Pontifici, vt diximus *ſuperiùs*, & Trullench etiam ſentit, nulla ſunt peccata de facto reſeruata niſi ratione cenſuræ, vnde cenſuræ dumtaxat reſeruatæ ſunt, & hæ vocantur caſus in præſenti.

59 Si delictum in vno loco adductum ſit ad forum contentioſum, non verò in alio, cenſet Trullench *in Bull. lib. 1. §. 7. capit. 2. dubitation. 6. numer. 1.* non ideò cenſendum eſſe publicum in eo alio loco Pater Thom. Sanchez, *lib. 2. oper. mor. capit. 11. numer 11.* cenſet idem; quod tamen limitandum eſt, niſi in eo alio loco ſit publicum alia via, hoc eſt, notorietate facti, ita vt magna pars loci, vrbis, aut Communitatis illud viderit, aut audiuerit; vnde aiunt Sayrus *in theſaur. lib. 1. capit. 12. num. 19.* & alij, citati à Trullench, non ſufficere ad notorietatem, quatuor, aut ſex homines ſcire delictum in magna ciuitate. Hoc relinquitur arbitrio prudentum, tunc enim publicum erit, cum delinquens facilè agnoſci poſſit ab omnibus, aut ferè omnibus ex notitia, quæ habetur delicti. Similiter tenet Trullench valdè probabiliter cum Patre Auila, Sanchez, & aliis contra Patrem Suarium, in ordine ad præſens, ſeu ad abſolutionem, non cenſendum fore delictum publicum in vno loco, ex eo, quòd ſit publicum in alio, ſi non ſit ſpes; quòd facilè ab hoc loco ad illum delicti ſit peruentura notitia. Vnde Durandus *in 4. diſtinct. 18. quæſt. 5. in fin.* docuit, excommunicatum in vno loco non debere cenſeri excommunicatum in alio.

60 Iam ergo dubitatur, an virtute Bullæ Cruciatæ poſſit quis abſolui à caſibus reſeruatis Pontifici occultis, non ſolùm ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis, ſed toties quoties, vt poteſt ab Epiſcopo abſolui? Negant Bañez *2. 2. quæſt. 64. art. vlt. ad fin.* Pater Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 14. numer. 7. ad fin.* Ludouicus à Cruce *in expoſ. Bull. diſp. 1. cap. 3. dub. 13. n. 3.* Affirmant Trullench *vbi ſuprà n. 4.* cum P. Th. Sanch. quos videtur ſequi Diana *1. part. tract. 11. reſol. 28.*

61 Huic ſententiæ affirmanti ſubſcribo. Probatur. Virtute Bullæ poteſt quis toties quoties abſolui à peccatis, quæ non ſunt Pontifici reſeruata; ſed eiuſmodi peccata occulta (idem dico de cenſuris) non ſunt Pontifici reſeruata, ſed Epiſcopis; ergo poteſt toties quoties ab illis abſolui. Suadetur minor, nam reſeruatio ablata eſt per Tridentinum, dum Epiſcopis conceſſa eſt poteſtas abſoluendi ab illis peccatis; ſicut ſi peccata eſſent aliqua Epiſcopis reſeruata, & in aliquo Concilio, aut ſynodo concederetur omnibus Parochis facultas

Digitized by Google

facultas ad abſoluendum ab illis, poſſet ſanè ab eis abſoluere, quiſquis valeret abſoluere à peccatis, à quibus Parochi abſoluere poſſent.

62 Sed ait P. Henriquez, hanc poteſtatem conceſſam eſſe Epiſcopis in Tridentino, ex ſpeciali iure ac delegatione, & ex priuilegio, quod innuitur eis verbis Tridentini; *Liceat Epiſcopis*, virtute autem Bullæ ſolùm poteſt quis abſolui toties quoties à caſibus, à quibus iure ordinario Epiſcopi queunt abſoluere. Contra primò, quia ipſe Henriquez ait loquens de Tridentino in hac conceſſione: *Reſtituit Epiſcopis ſublatam olim iuriſdictionem, quam habebant iure communi, aut diuino.* Ergo hæc poteſtas conuenit Epiſcopis iure communi, ac ordinario, non ex priuilegio; non enim priuilegium cenſetur iuriſdictionis reſtitutio. Pone, iuriſdictionem Parochi limitari à Pontifice, aut Epiſcopo, & poſtea tolli limitationem, diceturne, parochum habere poteſtatem ad abſoluendum ex priuilegio, aut ex delegatione? Minimè quidem, ſed ablatum eſſe impedimentum, quo iuriſdictio competens ei de iure communi ligabatur. Contra ſecundo, quia poteſtas hæc abſoluendi annexa eſt dignitati Epiſcopali ex iure ipſo, vt tenēt plures apud P. Henriquez *vbi nuper in gloſ. lit. K.* eſtò poſſit à Pontifice limitari; igitur, dum non limitatur, aut tollitur limitatio, ſi erat appoſita, non competit Epiſcopis ex delegatione, aut priuilegio. Idem dicerem de poteſtate abſoluendi à caſibus publicis, qui nunc reſeruantur Pontifici; ſi per reſeruationem non eſſet Epiſcoporum iuriſdictio limitata; quippè, vt docent Sotus, & plures allati *in ea gloſſa* Patris Henriquez, Epiſcopus poteſt in ſua diœceſi quoad abſolutionem, quod Pontifex in tota Eccleſia.

63 Contra tertiò, quia ſi hæc poteſtas abſoluendi ab eiuſmodi caſibus occultatis eſſet perſonalis, & exigeret induſtriam perſonæ, non poſſet delegari ab Epiſcopo; poteſtates enim merè perſonales delegari nequeunt; At poteſt delegari, vt fatentur Duardus, Suarez, Thom. Sanch. Fagundez, & Layman, quos refert, & ſequitur Diana 7. *part. tr.* 1. *reſol.* 13. P. Granado *controu.* 1. *de Fid. diſput.*14. *ſect.*2. *numer.* 7. & praxis ſuadet, cum Confeſſarij petant, & obtineant facultatem ab Epiſcopo, vt poſſint abſoluere à caſibus occultis, alias Pontifici reſeruatis, igitur ea poteſtas non eſt perſonalis, ſed ex iure communi; ſi enim ex priuilegio eſſet, perſonalis foret iudicanda. Nec obſtant ea Tridentini verba, *liceat Epiſcopis*; quia vox *liceat*, non ſignificat ex ſe conceſſionem per modum priuilegij, ſed indifferens eſt ad ſignificandum poteſtatem aut ex priuilegio, aut ex iure communi; quare rectè dices, licet Parochis abſoluere ſuos ſubditos à peccatis non reſeruatis Epiſcopo; & ea poteſtas non eſt ex priuilegio.

64 Dices, ex Bulla Cruciatæ non conſtare, virtute illius poſſe quem abſolui ab his caſibus occultis. Id nego; quia ex Bulla conſtat, poſſe quem abſolui toties quoties à caſibus non reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, vnde cum hi caſus occulti non ſint reſeruati Apoſtolicæ Sedi, poterit quis ab illis toties quoties abſolui.

CAPVT VI.

Illationes ex doctrina tradita de poteſtate abſoluendi toties quoties virtute Bullæ Cruciatæ à caſibus reſeruatis Pontifici, ſi ſint occulti.

65 INfertur ex doctrina poſita primò, ſi in aliquo loco, vbi Bulla Cruciatæ valeret, nō eſſet receptum Tridentinū, per Bullam non poſſe quem ibi toties quoties abſolui à caſibus Pontifici reſeruatis, adhuc occultis; quia ibi reſeruatio non eſſet ablata reſpectu Epiſcoporum, nec hi poſſent ab eis caſibus abſoluere; vbi enim Tridentinum non eſt acceptatum quoad leges oneroſas, neque acceptatum eſt cenſendum quoad fauorabiles. Ita Gauantus *in manuali Epiſcop. verbo Abſolutio, num.* 6. Alzedus *in praxi part.* 2. *capit.* 6. *num.*29. Daluinus *de poteſtat. Epiſcop. capit.* 26. *numer.* 19. Trullench *in Decalog. tom.* 1. *lib.*1. *cap.* 3. *dub.* 4. *num.* 2. P. Suarez, Caſtro Palao, Amicus, Caſpenſis, & alij, quos refert, & ſequitur Diana *part.*7. *tract.* 1. *reſol.* 2. In quo tractatu luculenter, vt aſſolet, de poteſtate Epiſcopi in Tridentino contenta pertractat, plures caſus ſingulares inueſtigans.

66 Infertur ſecundò, poſſe quem abſolui virtute Bullæ toties quoties à cenſura reſeruata Pontifici occulta extra forum pœnitentiæ, dum ſit intra forum conſcientiæ; tum quia, vt dicemus *in inferioribus*, abſolutio à cenſuris, quæ virtute Bullæ poteſt præſtari, valet extra forum Pœnitentiæ impertiri; tum quia id etiam poſſunt Epiſcopi, vt tenent P. Suarez *de cenſur. diſput.*41. *ſ.* 2. *num.*11. Pharaonius *in prompt. tractat.* 1. *ſect.* 18. *caſ.* 31. Claudius Solerti *de poteſt. Confeſſ. cap.* 30. §. 1. *numer.* 6. Lazarius *de Monitoriis, ſect.* 4 *q.* 15. *num.* 9. Nauarr. Thom. Sanchez, & Gauantus apud Dianam *ſuprà reſolut.*10. Etenim licèt in Tridentino aſſeratur, hanc poteſtatem abſoluendi eſſe pro foro conſcientiæ; attamen forum conſcientiæ non eſt idem, ac forum pœnitentiæ, vt communiter notant Authores; & quidem forum conſcientiæ diſtinguitur à foro exempto, quare pro hoc foro

Digitized by Google

non valet abſolutio præſtita pro foro conſcientiæ dumtaxat.

67 Infertur tertiò, poſſe abſolui virtute Bullæ toties quoties a prædictis caſibus occultis vagabundos, præterea habitantes dimidia parte anni in Hiſpania v.g. licet alia dimidia parte habeant ex æquo domicilium in Gallia; rurſus peregrinos, vt ſunt ſcholaſtici, ac mercatores, dum ad Hiſpaniam v.g. ex Gallia venirent, poſſe, inquam, in Hiſpania abſolui; quia licet non poſſent in Gallia, vbi non eſt receptum Tridentinum, abſolui à ſuis Epiſcopis, poſſunt tamen abſolui ab Epiſcopis Hiſpaniæ, quippe quovis modo ex dictis ſunt ſubditi Epiſcoporum Hiſpaniæ in ordine ad abſolutionem; vt tuentur Machadus *de perfect. Confeſſ. tom.2. lib.4. part.6. tractat.12. docum.3. num.2.* Pater Thom. Sanchez *lib.3. de matrim. diſputat.24. num.5. & diſput. 25. num.4.* P. Suarez 5. *tom. in 3. part. diſp.41. ſect.2. à num.10.* Ergo iuxta doctrinam poſſunt etiam ijdem in Hiſpania abſolui toties quoties virtute Bullæ, licet nequeant abſolui in Gallia, quamvis Bullam Cruciatæ in Hiſpania acceperint, quia in Gallia ea peccata manent reſeruata Pontifici, & non eſt ablata reſeruatio; quare ſolùm poterunt hi in Gallia per Bullam ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis ab eis caſibus abſolui.

68 Infertur quartò, poſſe quem virtute Bullæ toties quoties à caſibus præfatis abſolui, non ſolùm, quando ita ſunt occulti, vt à nemine probari queant, ſed etiam, quando noti ſunt paucis, ita vt nec vulgares ſint, nec in iudicium deducti. Etenim ab his poteſt Epiſcopus abſoluere, & in Tridentino ſumitur occultum in præſenti, prout opponitur publico, & notorio, ſicut in iure accipi ſolet, vt probat Abbas *in cap. Quæſitum, de pœnitent. & remiſ. in cap. fin. de temp. ordin.* Quare ab occultis hoc modo ſumptis poteſtatem abſoluendi Epiſcopum habere, docent Stephanus Daluin. *de poteſt. Epiſc. cap.26. num.3. & 9.* Marcellus Vulpe *in praxi cap.44. n.10.* Marchinus *de Sacrament. Ordin. part. 9. diffic.2.* Bartholomæus à Vechis *in praxi Nouit. diſp.9. dub.16. num.3.* P. Azor, Leſſius, Suarez, & alij, quos referunt, ac ſectantur Diana *ſuprà reſol.15.* Boſſius *de Iubil. ſect.1. caſ.10. §.3. n.26.* Iam autem tradidimus *ſuprà*, poſſe virtute Bullæ abſolui quem toties quoties à caſibus, à quibus poteſt ab Epiſcopo abſolui virtute decreti prædicti Concilij Tridentini.

69 Infertur quintò, poſſe per Bullam quem abſolui ab eiuſmodi caſibus in loco, vbi non ſunt publici, ſed occulti; nec ſpes eſt vt ibi publicentur, etiam ſi in alio loco publici ſint. Etenim valdè probabile, & tutum in praxi eſt, poſſe Epiſcopum vigore Tridentini ibi abſoluere ab eis caſibus, vt occultis; idque affirmant P. Auilà *de cenſur. part.2. cap.7. diſp.1. dub.11. concluſ.3.* Duardus *in Bulla Cœnæ lib.3. §.2. q.11. n.10.* Th. Sanch. Fagund. Ioannes Machado allati à Diana *cap.7. tr.1. reſol.16.*

70 Infertur ſextò, poſſe virtute Bullæ quem abſolui toties quoties à delictis, alias non publicis, etiam ſi deducta ſint ad forum contentioſum, dummodò à iudicio homo ille liber per ſententiam abſolutoriam euaſerit; quia illud delictum adhuc manet occultum, & ideò poſſe ab eo abſoluere Epiſcopum, docent P. Henriquez *lib.14. cap.27. num.8.* Sebaſtianus à Bononia *tract. de elect. dub.17. numer.12.* Caſpenſis *in curſu Theolog. tom.2. tr.25. diſp.5. ſect.17. num.178.* Trullench, Suarez, Caſtro Palao, & alij apud Dianam *vbi ſuprà reſ.18.* Qui id verum putat, etiam ſi delinquens meuis deprauatis obtinuerit ſententiam abſolutoriam; & etiam ſi non abſoluatur definitiuè, ita vt ſuper eodem crimine nequeat iterum in iudicium adduci, ſed tantùm abſoluatur ab inſtantia, ſeu ab obſeruatione iudicij per ſententiam interlocutoriam, ita vt poſſit iterùm ſuper eodem crimine conueniri; nam adhuc remanet crimen occultum, & per hanc ſententiam aufertur infamia orta ex deductione delicti ad forum contentioſum, & iudicium terminatum eſt, ac res in priſtinum ſtatum redacta, vt tenet Pat. Thom. Sanch. *lib.8. de matrim. diſp.34. num.57.* Aliud erit, ſi reus educatur è carcere cum onere ſe præſentandi Iudici, cum iuſſus fuerit ita vt nulla ſententia fuerit prolata; tunc enim delictum non cenſetur occultum. Ita Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part.2. allegat.39. num.35.* Garia *de benefic. part.7. capit.11. n.47.*

71 Infertur ſeptimò, probabile eſſe, poſſe quem abſolui virtute Bullæ toties quoties à delictis, ratione quorum in foro contentioſo eſt punitus, poſtquam iam pœnam tolerauit; quia probabile eſt, poſſe Epiſcopum tunc abſoluere ab eiuſmodi delictis Pontifici reſeruatis, virtute decreti illius Tridentini; ſic enim id cenſent Caſpenſis *tom.2. tractat. 25. diſputat.5. ſection.17. num.11.* Marchinus *de Sacramento Ordin. tr.1. part.9. diffic.4. num.11.* Boſſius *de Iubilæo ſect.1. caſ.10. §.3. n.46.* & alij, quos refert Dian. *part.4. tr.2. reſ.67.* Et ipſe id probabile iudicat. *part.7. tr.1. reſ.19.* Vbi pro ſententia tum affirmante, tum negante affert Sanctarellum, in quo ſanè fuit error alicuius amanuenſis; Fundantur in eo, quòd Tridentini intentio, dum prohibuit abſolutionem à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis publicis, & in forum contentioſum deductis, fuit, conſulere authoritati Iudicis, ad quem ſpectat, de his delictis cognoſcere, & item vt ſcandalum publicum caueatur, non concedere poteſtatem ad abſoluendum à delictis publicis:

Digitized by Google

publicis: At in caſu illationis vtrumque euitatur damnum, cum nihil detrahatur authoritati iudicis, qui iam ſuum munus perfecit, delictumque puniuit; & aliundè ſcandalum publicum ceſſat, cum ſatisfecerit Reipublicæ reus tolerans humiliter pœnam; ergo nihil obſtat intentioni Concilij, quominùs poſſit Epiſcopus tunc abſoluere. Quare id ſæpè contigiſſe, ex P. Auila affert Diana. Mihi quidem oppoſita ſententia verior eſt, quam tenent Bonacina *de cenſur. diſput.* 7. *quæſt.* 5. *punct.* 1. *numer.* 6. P. Caſtro Palao *tom.* 1. *ſum. tract.* 4. *diſput.* 4. *punct.* 3. §. 1. *numer.* 17. P. Suarez *de cenſur. diſput.* 41. *ſect.* 2. *n.* 5. Verùm probabilem, & in praxi tutam cenſeo opinionem *nuper* expoſitam, ſaltem ob authoritatem extrinſecam.

CAPVT VII.

Aliæ illationes ex eadem doctrina de poteſtate abſoluendi virtute Bullæ. Cruciatæ toties quoties à caſibus Pontifici reſeruatis, ſi ſint occulti.

72 INfertur octàuò, poſſe quem virtute Bullæ toties quoties abſolui à caſibus reſeruatis Sedi Apoſtolicæ occultis, etiam ſi reſeruatio appoſita fuerit poſt Tridentinum, aut in poſterum apponatur. Probatur, quia ab his caſibus virtute Tridentini poteſt abſoluere Epiſcopus, quamvis in reſeruatione facta poſt Tridentinum ponatur clauſula derogatoria facultatum abſoluendi ab eiuſmodi caſibus, dummodò non ſit expreſſe, aut ſufficienter derogatoria præfati Decreti Tridentini. Ita docent P. Suar. *de pœnitent diſp.* 30. *ſect.* 2. *à numer.* 12. Mazuchellus *tractat. de caſib. reſeru. diſputat. à cap.* 2. *diff.* 1. *num.* 24. Peregrinus *tract. de duello q.* 33. *n.* 5. Bonac. Boſſius, & Gauantus, quibus ſubſcribit Diana *part.* 7. *tract.* 1. *reſol.* 20.

73 Etenim, licèt Concilium loqueretur de caſibus præteriti temporis, cum habeat vim legis, extenditur etiam ad futuros, iuxta *cap. fin. de conſuetud.* Nec diſtinguit quidem Tridentinum inter reſeruationes præteritas, & futuras, vnde generaliter eſt intelligendum, *leg. De pretio, ff. de publ. in rem. act.* Et in Concilio apponitur regula generalis, & eadem militat ratio in reſeruatis, ac in reſeruandis. Quare reſpóderi rectè ſolet ad quamdam declarationem Gregorij XIII. quæ in contrarium affertur, eam eſſe intelligendam, cum in noua reſeruatione apponitur clauſula derogatoria expreſſe, aut ſufficienter Decreti Tridentini, & præterea non conſtare authenticè de eiuſmodi declaratione. Et ſanè Pontifices omnia Decreta Tridentini ſarta tecta eſſe conantur, vnde nunquam eis derogare velle ſunt cenſendi, dum expreſſe id non præſtent, aut verbis id ſufficienter declarantibus.

74 Infertur conſequenter nono, poſſe quem toties quoties per Bullam abſolui ab excommunicatione contracta ob delictum occultum duelli, eſtò ea fuerit reſeruata poſt Tridentinum in Bulla Clementis VIII. Etenim etiam Epiſcopus poteſt ab ea excommunicatione abſoluere, cum in præfata Bulla non fiat ſpecialis mentio derogatoria Tridentini, quod requiritur, vt derogetur eius Decretis iuxta dicta; quod etiam monent Rodriguez *in quæſtion. Regular. tom.* 1. *quæſt.* 8. *artic.* 10. & communiter Doctores, vt videre eſt apud Couarruu. *lib.* 4. *variar. cap.* 16. *num.* 6.

75 Infertur ſimiliter decimò, poſſe abſolutionem præſtari virtute Bullæ toties quoties ab excommunicatione occulta contracta ob ingreſſum in Monaſteria Monialium, & lata in Bulla Pij V. & Gregorij XIII. quia ab ea poteſt abſoluere Epiſcopus, cum in his Bullis Pontificum ſibi reſeruantium illam cenſuram non contineatur clauſula derogatoria Tridentini. Sic tuentur Boſſius *de Iubilæo ſect.* 1. *caſ.* 10. §. 5. *numer.* 154. Bonacina, & alij quos ſectatur Diana *ſuprà reſol.* 22. Qui addit, poſſe ſimiliter Epiſcopos vigore Concilij abſoluere à ſuſpenſione, quã contrahunt Religioſi admittentes fœminas intra clauſtra, ſi ſit occultum delictum; & reſpondet cuidam declarationi Sacræ Congregationis Cardinalium, quæ ſolet afferri contra reſolutionem huius illationis, de ea authenticè non conſtare.

76 Infertur vltimò, poſſe quem abſolui toties quoties à caſibus in Bulla Cœnæ contentis (excepta hæreſi, de qua ſtatim) ſi ſint occulti, & ab omnibus aliis reſeruatis Pontifici in iure, vel qui in Decretis, aut Bullis ſpecialibus ſunt reſeruati, & deinceps reſeruabuntur, dummodò vt *ſuprà* monui, non apponatur clauſula derogatoria Decreti Tridentini, & dum caſus ſint occulti. Hæc illatio ex adhuc dictis manifeſta eſt. Ad caſus in his omnibus illationibus appoſitos aduertat Confeſſarius, vt in praxi noſcat, quid poſſit. Deindè aduertendum eſt, in opinione iudicante, irregularitatem eſſe cenſuram, & per Bullam Cruciatæ poſſe quem abſolui ab irregularitate, quæ purè pœna eſt, & non ſimul inhabilitas, ſanè poſſe abſolui ab irregularitatibus, quæ purè pœnæ ſunt, à quibus poteſt Epiſcopus abſoluere vigore præfati Decreti Tridentini; quæ videri poſſunt apud Dianam *ſuprà à reſol.* 25. & hæc doctrina eſt illis valdè notanda. Ego verò ſententiam contrariam *in inferioribus* ſequar.

CAP. VIII.

Digitized by Google

CAPVT VIII.

De exceptione hæreſis, à qua virtute Bullæ Cruciatæ non poteſt abſolui.

77 HÆreſis alia eſt merè interna, quæ intellectu, & voluntate conſummatur, quin exteriùs prodeat; & hæc nec eſt reſeruata, nec annexam ſibi excommunicationem habet, & ideò ab ea quilibet Confeſſor approbatus abſoluere poteſt cum iuriſdictione ordinaria. Alia eſt externa, quæ prodit, exteriùs per verba, aut nutus: Et hæc vel poteſt eſſe publica, vel occulta, eo modo, quo *ſuperiùs* occultum, & publicum explanauimus. Ab hac igitur hæreſi externa, ſiue publica ſit, ſiuè occulta, nulla datur in Bulla Cruciatæ iuriſdictio ad abſoluendum, nec toties quoties, nec ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis. In Bulla Latina non extat hæc exceptio, quia ea Bulla conſeruatur, immutatis verbis, poſtquam vltimò expedita fuit iuxta dicta *diſp.* 1. & quovis ſexennio eademmet confirmatur: Sed Gregorius XIII. in motu proprio, declarauit, ſuam, & ſuccedentium Pontificum mentem eſſe, vt cum Bullam Cruciatæ concederent, aut confirmarent, nullo modo tribuerent facultatem, ſeu iuriſdictionem ad abſoluendum ab hæreſi, quinimò hanc pœnitùs fore excipiendam. Cui menti, & decreto inhærentes Pontifices ſequentes Bullam Cruciatæ confirmarunt, ac renouarunt; Quare exceptio hæreſis ſe habet, ac ſi in Bulla Latina eſſet inſerta, vt omnes pro cõperto cenſent; & in Bulla Hiſpana exprimitur ibi. *Excepto del crimen, y delito de la heregia.* Maneat ergo firmum, virtute Bullæ Cruciatæ nullam præſtari poteſtatem, ſeu iuriſdictionem ad abſoluendum ab hæreſi externa.

78 Sed objicies, contendendo, poſſe abſolui ab hæreſi externa occulta, argumentum animaduerſione dignum. Epiſcopus poteſt vigore Decreti Tridentini abſoluere ab hæreſi occulta; ſed per Bullam Cruciatæ poteſt quis abſolui ab omnibus peccatis, & cenſuris, à quibus poteſt Epiſcopus abſoluere vigore Tridentini; ergo per Bullam poteſt abſolui ab hæreſi occulta. Conſequentia eſt legitima: Minor fuit *ſuprà* ſtabilita. Maior, nempe Epiſcopum poſſe ab hæreſi occulta abſoluere, defenditur à Lorca, Gutierrez, Simancas, Bañez, P. Henriquez, P. Sa, quos refert, & ſequitur P. Granado *de fide controuerſ.* 1. *diſp.* 14. *ſect.* 2. Item à Viualdo, Aragon, Rodriguez Petro de Ledeſma, Vega Rutilio, Benzonio, Puteano, Portel, Souſa, Nuño, Duuallio, Tejeda, P. Fagundez, Petro Hurtado, quos citat Cardinalis Lugo *tom. de fide, diſput.* 23. *ſect.* 3. §. 1. Præterea à P. Hurtado affertur reſponſum præſtitum à Congregatione Cardinalium Domino Chriſtophoro Vela Archiepiſcopo Burgenſi, approbans hanc Epiſcoporum poteſtatem. Demum ipſe refert, Archiepiſcopum Toletanum Illuſtriſſimum Don Gaſparem de Quiroga ſic etiam declaraſſe in ſynodo Toletana, cum tamen eſſet Inquiſitor Generalis; & pertineat crimen hæreſis ad Inquiſitores Fidei.

79 Confirmatur diſcurſus. Saltem negari nequit, eſſe probabilem, & tutam practicè ſententiam hanc de poteſtate Epiſcoporum ad abſoluendum ab hæreſi occulta; tum ob authoritatem tot, tam grauiumque Authorum, quorum plures ſcripſerunt poſt reuocationes eiuſmodi poteſtatis, quas, aſſerunt Authores contrariæ ſententiæ, factas fuiſſe à Põtificibus; tum ob rationes, quibus fulcitur præfata ſententia, reſpondentibus ipſius aſſeclis ad eas reuocationes, quæ & ex Bulla Cœnæ deſumuntur, & ex declarationibus nouis pontificum. Sed, ſtante eius ſententiæ probabilitate tuta in praxi, eadem tuta probabilitate ſequitur, poſſe quemvis Confeſſarium approbatum virtute Bullæ Cruciatæ abſoluere ab hæreſi occulta; igitur ſaltem tutum in praxi, ac probabile eſt, id poſſe præſtari.

80 In primis negata maiori diſcurſus facti, corruit illatio; Negant autem illam Garcia, P. Suarez, Thom. Sanchez, & Molina, quos affert Granado *vbi ſuprà*; Rurſus Nauarrus, Peña, Maiolus, Cardinalis Toletus Felicianus Bartholomæus ab Angelo, Paulus Fuſcus, Antonius, Paramus, Vgolinus, Filiarcus, Barboſa, Ricciulus, Villalobos Ricius, Gratianus, Bellochius, Sanctarellus, Ragutius, Scorcia, Nauarius, Syluius, Faber, Homobonus, Megala, Flotonus, Torreblanca, Valerus, Farinacius, Bonacina, Marcus, Antonius Genuenſis, P. Caſtro Palao, quos, refert, & ſequitur Cardinalis Lugo *eo tomo de fide, vbi ſuprà*; Prætere à Boſſius *de Iubilao ſect.* 1. *caſu* 10 §. 2. *à n.* 10. Diana 7. *part. tract.* 2. *reſol.* 23. & apud ipſum Trullench, Marchinus, & Caſpenſis.

81 Validiſſimis fundamentis hæc pars negatiua ſtabilitur; tum quia declarata eſt in ſuprema Cardinalium Romana Inquiſitione, vt Cardinalis Lugo teſtatur. Tum quia eam declaraſſe Pontifices Pium V. & Gregorium XIII. affirmat Nauarrus; eamdemque ſtatuiſſe Clementem VIII. ait P. Azor, *lib.* 8. *inſtitut. moral. cap.* 10. *quaſt.* 10. Tum demùm quia in Bulla Cœnæ ita reſeruatur hæreſis, vt ab ea non liceat abſoluere etiam *per cuiuſvis Concilij decreta*; quibus verbis manifeſtè quoad hoc derogatur Decreto Tridentini, & poteſtas in eo conceſſa Epiſcopis limitatur.

82 Aſt

Digitized by Google

82 Aſt ego probabilitatem primæ ſententiæ inficiari non poſſum (de veritate metaphyſica non diſputo, nec ſpectat ad præſens) cum etiam aliqui ex Authoribus mordicus ſententiam negatiuam defendentibus fateantur, affirmatiuam eſſe valdè probabilem; P. Thomas Sanchez aſſerit, videri probabiliſſimam; Cardinalis Lugo ait, poſſe Epiſcopos eam amplecti, ſi non credant, voluiſſe Pontificem poteſtatem in Tridentino contentam reuocare; Diana 1. *part. tract.* 5. *reſol.* 2., in vltimis verbis ait ſolùm, partem negatiuam eſſe probabiliorem, licèt 7. *part. vbi ſuprà* mordicus ſe docere hanc partem negatiuam, aſſeueret. Sed adhuc admiſſo, poſſe Epiſcopum abſoluere ab hæreſi occulta, id negandum eſt præſtari poſſe virtute Bullæ Cruciatæ, vt omnes eius Expoſitores negant, Trullench *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 7. *n.* 7. Antonius Gom. *in explic. Bullæ ad decimam clauſulam num.* 49. & alij.

83 Iam ergo ad diſcurſum factum *num.* 78. Omiſſa maiori, diſtinguo minorem: Per Bullam Cruciatæ poteſt quis abſolui ab omnibus peccatis, & cenſuris, à quibus poteſt Epiſcopus abſoluere; niſi aliter in ipſa Bulla Cruciatæ exprimatur, concedo; ſi aliter exprimatur, nego, & nego conſequentiam. Etenim Gregorius XIII. in ſuo Motu proprio, qui incipit, *Officij noſtri partes*, expedito die 22. Septembris, anno 1576. à generali facultate abſoluendi, quæ indulgetur in Bulla Cruciatæ, excepit facultatem abſoluendi ab hæreſi, præcipiens, vt tranſumpto per Confeſſarium Cruciatæ facto eadem fides adhibeatur, quæ ipſis litteris Pontificiis debet adhiberi: Commiſſarius autem breuibus verbis tranſumptum appoſuit in Bulla Hiſpana ibi: *Excepto el crimen, y delito de la heregia.* Hinc virtute Bullæ poterit quis abſolui à cæteris caſibus, à quibus poteſt Epiſcopus abſoluere, quia non excipiuntur in ipſa Bulla; non verò ab hæreſi, quia expreſsè excipitur.

84 Sed replicas; Exceptio hæc in Bulla Cruciatæ facta debet intelligi de hæreſi publica, à qua non conceditur facultas abſoluendi, nec ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis, vt conceditur ad abſoluendum ab aliis caſibus reſeruatis Pontifici, etiam in Bulla Cœnæ. Poſtquam enim conceſſa fuit iuriſdictio abſoluendi toties quoties à peccatis, & cenſuris non reſeruatis, additur conceſſio iuriſdictionis ad abſoluendum ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis à peccatis, & cenſuris Pontifici reſeruatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis, quæ intelligi debent publica, iuxta doctrinam *in ſuperioribus* à nobis traditam, ſi quidem, ſi ſint occulta, non manent reſeruata Pontifici, ſed Epiſcopo, & ab eis toties quoties poteſt quis abſolui per Bullam: Ab hac igitur conceſſione reſpectu caſuum reſeruatorum, qui publici ſunt, excipitur hæreſis, non verò excipitur à facultate abſoluendi toties quoties à peccatis occultis, quæ non ſunt reſeruata Pontifici, ſed Epiſcopo; quare ab hæreſi occulta poterit quis abſolui toties quoties virtute Bullæ Cruciatæ, ſicut ab Epiſcopo poteſt abſolui vigore Tridentini *ſeſſ.* 24. *de Reformat. cap.* 6. Vbi poſt conceſſionem facultatis abſoluendi à caſibus occultis additur: *Idem etiam in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ eis tantùm, non eorum Vicario ſit conceſſum.* In Bulla autem Cruciatæ exceptionem hæreſis adiungi caſibus publicis, à quibus non poteſt abſolui niſi ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis, ex contextu cernitur, ibi: *El qual los pueda abſoluer vna vez en la vida, y otra en el articulo de la muerte de qualeſquier peccados, y cenſuras, aunque ſean de los reſeruados, y reſeruadas à la Sede Apoſtolica, y de los declarados en la Bulla*, In Cœna Domini, *excepto del delito, y crimen de la heregia.*

85 Reſpondeo, exceptionem cadere ſupra omnem poteſtatem abſoluendi, nam tota poteſtas in vna, & eadem clauſula conceditur, vt ex ipſis verbis conſtat. Nam, licèt exceptio hæreſis ponatur in ſupradicta poteſtate abſoluendi ſemel in vita, & ſemel in morte à caſibus reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, & poſt modùm non ponatur in ſequenti clauſula, in qua conceditur iuriſdictio ad abſoluendum toties quoties à non reſeruatis, ibi; *Y de las cenſuras, y pecados no reſeruados à la Sede Apoſtolica los puedan abſoluer tantas, quantas vezes los confeſſaren*, Attamen exceptio prima cadit etiam ſupra hanc poteſtatem ſuperadditam; Quippè, ſi nec ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis conceditur facultas ad abſoluendum ab hæreſi publica, nec concedetur ad abſoluendum toties quoties ab hæreſi occulta; Conſtat hoc ex *ſuprà* dictis, quia ab omnibus aliis caſibus, à quibus, ſi occulti ſint, poteſt quis abſolui toties quoties per Bullam, poteſt, ſi publici ſint, abſolui per eamdem Bullam ſemel in vita, & ſemel in morte; ergo, ſi ab hæreſi publica non poteſt abſolui per Bullam ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis, non poterit per Bullam abſolui ab hæreſi occulta toties quoties.

86 Hinc illa exceptio hæreſis eſt tam publicæ, quàm occultæ: tum ob dicta *nuper*; tum qui ea eſt mens Pontificum, vt praxis communis oſtendit. Confirmari poſſet hæc doctrina ratione, quam affert Trullench *vbi ſuprà*; ſcilicèt in conceſſione generali abſoluendi etiam à caſibus in Bulla Cœnæ contentis non includi facultatem abſoluendi ab hæreſi, niſi hæc facultas exprimatur, eo quòd hic ſit ſtylus, & vſus Curiæ Romanæ, vt docet

docet Mandoſius *in praxi ſignaturæ gratiæ, verbo Abſolutio ab hæreſi*; ergo in ea conceſſione generali Bullæ Cruciatæ, cum non exprimatur facultas abſoluendi ab hæreſi, quin potiùs excipiatur, non indulgetur facultas eiuſmodi. Imò ob alias rationes, præter ſtylum Curiæ, contendit Trullench. in conceſſione illa generali non includi poteſtatem abſoluendi ab hæreſi, affertque pro hoc aſſerto Garciam, Henriquez, Barboſam, Suarium, Lopez, Sanchez, Candelabrum aureum, Couarruvias, Azor, & Ludouicum à Cruce. Sed his non egemus, nec immoror in veritate huius aſſerti veſtiganda, vtpotè quæ ad præſens non refert; quippè non debent reſtringi conceſſiones generales, vbi ipſæ non reſtringunt, vel aliundè de mente concedentium non conſtat; quare non poſſum aſſentiri propoſitioni generali huius Authoris abſolutè prolatæ.

87 Aliter adhuc poſſet quis reſpondere argumento ſuperiori; ſcilicèt virtute Bullæ poſſe abſolui toties quoties ab omnibus caſibus, à quibus poſſunt Epiſcopi iure ordinario, licèt autem poſſint eo iure abſoluere à cæteris caſibus occultis, non tamen ab hæreſi, quod indicatur in decreto præfato Tridentini, ſi quidem, cum non limitatum fuerit illis, vt ſuam poteſtatem, ac iuriſdictionem delegent Vicario, vt abſoluat à cæteris caſibus, limitatur tamen, ne eam delegent Vicario ad abſoluendum ab hæreſi, nec hanc facultatem conceſſam eſſe Vicario, vult Concilium. Vnde videtur, ex priuilegio ſpeciali concedi Epiſcopis, ideóque non poſſe virtute Bullæ ab hæreſi occulta abſolui, quia adhuc, vt occulta, reſeruata eſt Pontifici, & ſolùm ex priuilegio conceditur facultas Epiſcopis, vt abſoluant ab illa.

88 Verumtamen inſiſtendum eſt primæ ſolutioni; nam in hac ſunt aliqua, quæ negari poſſent, ſcilicèt facultatem, ſeu poteſtatem conceſſam in perpetuum Epiſcopis non eſſe ordinariam reſpectu abſolutionis ab hæreſi occulta; contrarium enim tuetur Diana cum pluribus 7. *part. tract.* 2. *reſolut.* 13. ſtando Decreto Tridentini, iuxta quod, licèt Epiſcopus nequeat deſignare Vicarium, qui generaliter à criminibus hæreſis occultæ abſoluat, ſicut poteſt deſignare, vt abſoluat à cæteris caſibus occultis, attamen poteſt deſignare in quovis caſu particulari aliquem, qui ab hæreſi occulta abſoluat. Deindè poſſet negari, hæreſim occultam manere Pontifici reſeruatam, ſi ab ea poſſunt Epiſcopi poteſtate ordinaria abſoluere, iuxta doctrinam traditam *ſuprà cap.* 5. Ad calcem aduerte, omnino noſtram aſſertionem eſſe docendam. Etenim, vt obſeruat P. Henriquez *lib.* 6. *de pœnit. cap.* 16. *num.* 2. *in gloſſ. litt. I.* duo concionatores, qui temerè in ſuggeſtu docuerunt Cordubæ, & Turbitaniæ, ſeu Murciæ, poſſe virtute Bullæ Cruciatæ ab hæreſi abſolui, coacti ſunt, publicè doctrinam retractare à Quæſitoribus Fidei. Quæ retractatio abſque diſtinctione cadit ſupra hæreſim publicam, & occultam.

CAPVT IX.

Quid intelligatur nomine hæreſis: à qua virtute Bullæ Cruciatæ non poteſt abſolui?

89 HÆreſis definitur communiter *Error pertinax hominis Chriſtiani fidei ex parte contrarius*: requiritur pertinacia, nempè ſcientia, quòd ille error ſit contra aliquem fidei articulum; vnde errans in aliquo ex ignorantia etiam craſſa, eſtò peccet, quia ignorat id, quod ſcire tenebatur, hæreticus non eſt hæreſi formali, ſed materiali. Cum autem in Bulla ſit exceptio hæreſis, de formali eſt ſermo, vt ex ſe conſtat, & omnibus in confeſſo eſt. Exigitur etiam, vt hic error ſit in homine baptizato; qui enim baptizatus non eſt, infidelis, gentilis, ſeu paganus manet, nec eſt intra Eccleſiam, quare ab ea nequit puniri, & ſi baptizetur, cum per baptiſmum omnia peccata antecedentia remittantur, nec opus habet abſolutione, nec ad confeſſionem adducere debet peccata, quæ nondum Chriſtianus commiſit. Demum error ſolum ex parte contrarius fidei eſt hæreſis, nam, ſi tota fides negetur, eſt apoſtaſia à fide. Cum autem excipitur abſolutio ab hæreſi, à fortiori excipitur abſolutio ab apoſtaſia; grauius enim eſt in eodem genere, eſſe quem apoſtatam, quam hæreticum.

90 Hæreſis, vt *nuper* libaui, alia eſt formalis, alia materialis, & impropria; & quia materialis non eſt hæreſis propriè, ideò cum excipitur, & reſeruatur hæreſis, de ſola propria, non de impropria eſt ſermo. Quæ autem ignorantia faciet, vt hæreſis ſit dumtaxàt materialis, & non formalis, communiter Authores *in tract. de fide diſputant.* Videatur inter alios P. Thom. Sanchez *lib.* 1. *oper. mor. cap.* 7. *à num.* 10. Ad hæreſim materialem reductiuè pertinet hæreſis purè externa, nutibus, ſeu verbis ſignificata ob aliquem metum, aut affectum pravum, retenta interius in intellectu fide, qua quis credit omnia, quæ ab Eccleſia credi præcipiuntur. Ab hæreſi materiali, & purè externa poteſt quilibet Sacerdos approbatus abſoluere, quia nec eſt hæreticus propriè, nec excommunicatus, qui in illam incidit, vt defendunt Sylueſter, Nauarrus, Sayrus, Barboſa, Ludouicus à Cruce, P. Th. Sanchez, Azor, & alij, quos ſequitur Trullench *in expoſ. Bull. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 7.

num.

Digitized by Google

*num.*4. Qui autem exteriùs negat fidem, reputatur hæreticus, quia Eccleſia non iudicat de occultis, & ideò cognitio, & punitio eius criminis ad Quæſitores fidei ſpectat. Si verò negans ſolùm externè fidem ſit idololatra, incurrit excommunicationem latam à Ioanne XXII. in Extrauaganti, *Super illius ſpecula*, quæ affertur in Directorio Inquiſitorum *part.*2. *q.*43. A qua excommunicatione, quia reſeruata non eſt, quilibet approbatus abſoluere valet.

91 Hæreſis formalis, quæ ſimul eſt externa, ac interna, alia eſt publica; alia occulta; quid autem nomine occulti, & publici in delictis intelligatur, ſatis *ſuprà* expoſuimus. Vt autem hæreſis ſit externa, neceſſum eſt, vt aliquo verbo, ſigno, aut nutu externo ſufficienter ſignificatiuo exprimatur, ita vt probari poſſit ex eo, hominem ſic loquentem, aut id ſignum, ſeu nutum exprimentem eſſe hæreticum. Nec opus eſt, vt de facto aliquis verbum audiat, aut ſignum videat, licèt enim nullus ſit præſens, hæreſis ea iudicatur, & eſt externa, atque ex ſe probabilis, ſi interfuiſſent aliqui; eſto probari nequeat per accidens, quia nullus interfuit; quare ab hac hæreſi per Bullam Cruciatæ nequit abſolui. Itaque hæreſis in Bulla excepta eſt hæreſis formalis externa publica, & occulta.

CAPVT X.

An virtute Bullæ Cruciatæ poſſit abſolui, excepta hæreſi formali externa, ab aliis criminibus, quorum cognitio ad Quæſitores Fidei ſpectat, & in edictis Sanctæ Inquiſitionis continentur?

92 PRæter crimen hæreſis, plura alia ad Quæſitores Fidei ſpectant, vt ea cognoſcant, & puniant, quæ in Edictis publicè legi ſolitis continentur, in quibus ſimul præcipitur, vt quicumque certior ſit alicuius ex eis delictis, denuntiet delinquentem coram ipſis, aut ipſorum Miniſtris ad id deputatis, quales ſolent eſſe Sanctæ Inquiſitionis Commiſſarij in locis vbi ſacrum Fidei Tribunal non eſt. Ea autem crimina ſunt ſortilegium, maleficium, ſuperſtitio, magia, adoratio dæmonum, blaſphemia hæreticalis lectio librorum hæreticorum, defenſio eorum, ſollicitatio in Confeſſione, & alia huiuſmodi. Ab his criminibus ſi patrentur cum errore pertinaci in intellectu fidei contrario, certum eſt, non poſſe virtute Bullæ Cruciatæ abſolui, quia inuoluunt hæreſim formalem. Quare, quæſtio eſt, an virtute huius Bullæ poſſit ab eis abſolui, quando delinquens non eſt formaliter hæreticus, nec errorem pertinacem in intellectu habuit, dum delinqueret, quin potiùs firmiter toti fidei adhæſit, ſed aliqua paſſione tractus, vt iracundia, libidine, auaritia, aut ſimili in eas culpas dilapſus eſt?

93 Negant, virtute Bullæ Cruciatæ poſſe abſolutionem ab eis delictis præſtari, Ledeſma *in ſum. tom.* 2. *tract.* 1. *cap.* 6. *in fin.* Fernandez, Alterius, Turrianus, Azor, & alij, quorum meminit Diana 1. *part. tract.* 5. *reſolut.* 7. Iudicantque hi; nomine hæreſis in Bulla Cruciatæ exceptæ includi præfata crimina, ideoque non poſſe pro abſolutione ab illis Bullam ſuffragari.

94 Affirmant verò P. Henriquez *lib.* 6. *de pœnit. cap.* 16. *num.* 2. vbi poſtquam excepit hæreſim exteriorem, ait, à cæteris caſibus in Bulla Cœnæ contentis Bullam Cruciatæ concedere abſolutionem, & addit *in gloſſa lit. L. Quare de ſe videtur, abſolui poſſe etiam ſchiſmaticos, fautorem hæreticorum, qui non eſt hæreticus, quia exceptio firmat regulam in contrarium.* Pro eadem ſententia referuntur à Diana *vbi nuper* Portel, Duardus, Farinacius, Acoſta, Suarez, & Thom. Sanchez, docentes, poſſe virtute Bullæ Cruciatæ abſolui ab omnibus caſibus contentis in primo canone Bullæ Cœnæ, excepta hæreſi. Idem tenet Giptius *in tractat. de caſib. reſeru. cap.* 6. *numer.* 84. Prætereà poſſe Confeſſarium virtute Bullæ abſoluere fœminam ſollicitatam quæ non denuntiauit, ſi poſteà denuntiet; tuentur Ortiz *in ſum. cap.* 24. *num.* 11. Seraphin. de Freitas *in addit. ad tractat. de Confeſſar. ſollicit. q.* 21. *num.* 41. Rursùs, virtute Bullæ poſſe abſolui eos, qui legunt libros magicos, monent Raphaël de la Torre *in* 2. 2. *tom.* 2. *q.* 96. *art.* 4. *diſp.* 5. *in fin.* P. Martinus Delrius *in diſquiſit. magic. part.* 3. *lib.* 5. *ſect.* 17.

95 Denique Trullench *in decalog. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 6. *num.* 4. *& in expoſit. Bullæ lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 7. *num.* 13. cum Ludouico à Cruce, docet, per Bullam abſolui poſſe defenſores, receptatores, & fautores hæreticorum; item legentes, tenentes, & imprimentes hæreticorum libros dum Inquiſitoribus eos tradant. Et reſpondet Emanuëli Rodriguez contrarium ſentienti, ac affirmanti, ſe vidiſſe in ſcriniis Sanctæ Inquiſitionis Vlyſipone Motum proprium Pauli IV. eam abſolutionem prohibentis; reſpondet inquam, ex eodem Motu proprio colligi, ſub excommunicatione reſeruata Pontifici, vel Inquiſitori Generali prohiberi, ne abſoluantur à Confeſſariis habentes libros hæreticorum, aut alios à Quæſitoribus Fidei prohibitos, niſi priùs eos ipſis Quæſitoribus tradiderint; nec aliud in eo Motu proprio iniungi.

96 Mouentur omnes præfati Authores ex eo, quia in Bulla Cruciatæ ſolùm excipitur hæreſis externa formalis; ſed prædicta crimina non ſunt hæreſis formalis, nec committentes

Digitized by Google

committentes ea ſunt formaliter hæretici, ergo poteſt per Bullam abſolutio ab eis criminibus præſtari, cum exceptio firmet regulam in contrarium. Confirmatur; nam, cum excipitur hæreſis; non eſt ratio, cur amplietur exceptio ad delicta, quæ hæreſis non ſunt, maximè cum exceptio ſit odioſa, & non ampliãda. Nec ex eo, quòd Inquiſitores fidei de eis criminibus agnoſcant, & ab eis abſoluant, probatur, non poſſe abſolui virtute Bullæ; nam olim etiam de crimine ſodomiæ agnoſcebant, imò nunc in Luſitania de eo ab ipſis agnoſci, audiui, & nihilominùs nullus dixit, non poſſe ab eo per Bullam abſolui. Quippè plura ad eos priuatiuè poſſunt ſpectare circa cognitionem, & punitionem, quin circa abſolutionem priuatiuè ſpectent. Et ſanè per abſolutionem virtute Bullæ impertitam à prædictis criminibus, cum ſolùm pro foro interno proſit; nihil ordini iudiciali, cognitioni cauſarum, & punitioni delictorum derogatur.

97 Ex dictis inferunt relati Authores, à criminibus, quæ non ſunt reſeruata Pontifici nec in Bulla Cœnæ, nec alibi, etiam ſi eorum cognitio, ac punitio ad Quæſitores Fidei pertineat, abſolui poſſe toties quoties virtute Bullæ Cruciatæ, vt à maleficiis, ſortilegiis, ſollicitatione in Confeſſione, blaſphemiis hæreticalibus, & ſimilibus. Quæ autem crimina non ſint reſeruata Pontifici conſtabit ex *diſp.* 25.

98 Inferunt ſecundò, ab his criminibus (dum in Bulla Cœnæ non contineantur) poſſe Regulares abſoluere virtute ſuorum priuilegiorum; quod expreſsè tuentur Portel in *addit. ad dub. Regul. verbo. Sollicitare fœminas, num.* 24. Seraphinus de Freitas *in addit. ad tract. de Confeſ. ſollicit. quæſt.* 21. *numer.* 31. Etenim ea priuilegia concedunt ipſius facultatem ad abſoluendũ à reſeruatis Pontifici, vt ex tenore ipſorum liquet, & approbatur à Diana *vbi ſuprà reſol.* 8. Sed, cui licet, quod eſt plus, licet, quod eſt minus, vt eſt in iure principium; pluſque eſt, abſoluere à reſeruatis Pontifici, quàm ab his, quæ ſunt reſeruata Inquiſitoribus; ergo Regulares poſſunt abſoluere à præfatis criminibus, excepta hæreſi, eſtò Inquiſitoribus ſint reſeruata; cum habeant iuriſdictionem delegatam à Pontifice, qui iure ordinario poteſt abſoluere ab omnibus culpis; ſicut ergo Pontifex poteſt eo iure abſoluere ab ijs, quæ ſunt reſeruata Inquiſitoribus, ita Regulares habentes eius iuriſdictionem delegatã, poterunt abſoluere; ſicut Confeſſor quilibet approbatus virtute Bullæ habet à Pontifice iuriſdictionem delegatam ad abſoluendum ab eis delictis iuxta ſententiam poſitam; Quod ergo in ordine ad hoc concedit Bulla Cruciatæ cuiuis Confeſſario approbato, concedunt Regularibus ſua priuilegia; maximè cum hæc non ſint derogata per eam reſeruationem Inquiſitorum, ſicut non eſt derogata Bulla; nec niſi à Pontifice poſſunt Pontificis priuilegia reuocari, ipſe autem Pontifex non reuocauit, vt ex dictis *in ſuperioribus* conſtat, nec reuocatio oſtenditur.

99 Antonius Diana in dubiis propoſitis tantummodò retulit ſententias aliorum, & ſuum noluit ſenſum proferre, imò aſſeruit, ſe nihil de ſuo dicere, aut ponere (quaſi non ſufficienter eius mens aperiatur in propoſitione ſententiarum, cum hanc ſecundam affirmantem ex profeſſo illuſtret, & probet; primam verò negantem perfunctoriè libet) fortaſſe exiſtimans, obſequium ſe præſtare Dominis Fidei Quæſitoribus. Sed ego nec credam, nec patiar, id minui à me obſequium (vtpotè qui ſpeciali titulo teneor, ad eorum authoritatem, ac iuriſdictionem venerandam, ac defendendam) ſi aſſentiam ſententiæ, quam tot, tam grauesque Authores docent, & aliundè ratio facta, quæ valida eſt, confirmat; cum præterea, vt attigi, nihil indè ordini iudiciali ſacri fidei Tribunalis detrahatur; & obuiam eatur pluribus animarum detrimentis. Etenim cum pro ſua fragilitate homines aliquando dilabantur in crimina prædicta, forſitan pudore, ac metu frænati, ſi adire Quæſitores fidei pro abſolutione cogantur, à ſuo miſero ſtatu non reſipiſcent, quod damnum ceſſat, ſi promptiorem, ac faciliorem conſcientiæ medelam habeant, tum Bullæ priuilegiis gaudentes, tum adeuntes Regulares Confeſſarios, qui ſimilibus ad hoc priuilegiis fruantur. Hinc igitur ſententiam hanc affirmantem, vt practicè tutam, & veritati conformem amplector. Eſſe autem practicè tutam ipſe Diana fatetur eo ipſo, quòd affert pro ea tot Authores, qui ſaltem ſua authoritate eam reddunt probabilem, atque adeò poteſt Confeſſarius ei ſe conformare, & operari tutò abſoluendo virtute Bullæ, aut priuilegij pœnitentem à criminibus prædictis.

CAPVT XI.

Quid ſpeciale indulgeat Bulla Cruciatæ, dum concedit facultatem ad abſoluendum à reſeruatis Sedi Apoſtolicæ in articulo mortis?

100 Ratio dubitandi eſt, quia in articulo mortis quilibet Confeſſarius poteſt abſoluere à quibuſcumque peccatis, & cenſuris; quid ergo concedit Bulla in præſenti. Solutionem huius dubij habes iam *ſupra diſp.* 22. *numer.* 6. Vbi egimus de miniſtro Pœnitentiæ in articulo mortis, & expoſuimus, & ſi poſſit quis abſolui in eo articulo à quolibet Confeſſario, tamen ſi cenſuræ reſeruatæ

Digitized by Google

reſeruatæ ſint, manere abſolutum cum onere comparendi coram proprio Superiore, quod onus tollitur, ſi virtute Bullæ abſoluatur tunc à reſeruatis cenſuris. Præterea circa peccata reſeruata, aſſeruimus, duplicem eſſe ſententiam, aliam tuentem, teneri quem confiteri cum legitimo Superiore, aut de eius licentia, ſi præſens ſit, peccata ei reſeruata; aliam tuentem, non teneri. Bulla autem concedit, quòd, adhuc prima ſententia ſtante, poſſit quis a peccatis reſeruatis ſemel in articulo mortis à quovis Confeſſario abſolui. Recolantur *eo loco* dicta.

101 Itaque, ſi quis in articulo mortis virtute Bullæ ſemel, vel ſi duplicem Bullam acceperit, bis abſoluatur à quibuſcumque peccatis, & cenſuris reſeruatis, excepta hæreſi, non tenebitur, etiam ſi ſuperuiuat, aut ſi occaſio commoda detur tunc, comparere coram legitimo Superiore. Ab hæreſi autem poteſt in eo articulo abſolui, non quidem virtute Bullæ, ſed iure communi; poſt verò, ſi ſuperſit occaſio, tenetur comparere coram Pontifice, aut Quæſitoribus Fidei; vel ſi hæreſis ſit occulta, coram Epiſcopo, dum conformetur ſententiæ affirmanti, adhuc poſſe Epiſcopum abſoluere ab hæreſi externa occulta, de quo egimus *ſuperiùs*. Etenim hæreſi annexa eſt cenſura reſeruata, & ratione huius comparere tenetur iuxta dicta *n. præcedenti*.

102 Quòd ſi abſolutus à cenſura cum onere comparẽdi, ſiuè in articulo mortis, ſiuè extra illum, poſtea non compareat, in eamdem reincidit cenſuram. vt docent P. Th. Sanchez *lib. 2. ſum. cap.* 13. *numer.* 31. Cardinalis Lugo, P. Vazquez, Gaſpar Hurtad. & Granado quos refert, & ſequitur Leander de Sacramento *tom.* 1. *tract.* 5. *diſput.* 12. *quæſt.* 70. Id enim habetur *in cap. eos, qui de ſententia excommun. in 6.* Quòd ſi ignorauit ille ante abſolutionem onus comparendi, & poſt abſolutionem certior de illo reddatur, non teneri comparere, tuentur P. Vazq. & Ægidius, quos refert, & ſequitur Gaſp. Hurt. *diſp.* 11. *diffic.* 12. Sed eſtò ſit id probabile, verius, & tutius eſt oppoſitum, quod docet Cardinalis Lugo *tom. de pænit. diſp.* 15. *à numer.* 119. Nam per ipſam Confeſſionem, & abſolutionis petitionem contraxit pœnitens obligationem comparendi, propter pactum ibidem implicitum, ſine quo non eſſet valida abſolutio.

103 Hic nota, articulum mortis ſumi pro eodem, ac periculum mortis, vt *infrà* exponam *diſp.* 27. *cap.* 3. Et adde ex Hieronymo Llamas 1. *par.* 7. §. 11. abſolutionem à reſeruatis, quæ in articulo mortis poteſt impertiri, poſſe etiam, cum in periculoſa ægritudine timetur amiſſio loquelæ, aut vſus rationis. Imò addit Leander *vbi ſuprà quæſt.* 69. *cum Mendo in Bull. Cruciat.* Zerol. Zambran. & P. Thom. Sanch. iudicandum eſſe articulum mortis quoad effectum abſolutionis, ſi timeatur perpetua amiſſio vſus rationis, licèt mors non timeatur. Ibidem etiam cum Diana arbitratur, abſolutionem poſſe præſtari à prima die infirmitatis periculoſæ, ob periculum amittendi vſum rationis, aut mortis ex ſubita aliqua praua morbi qualitate properandæ. Ego quidem cenſeo, hoc relinquendum iudicio Confeſſarij prudentis, medicique corporalis; illud tamen omnino fore cauendum, ne detur periculum probabile mortis, aut amiſſionis vſus rationis, quin æger abſoluatur; & in dubio periculi fore abſoluendum, vt quomodocumque imminens proximè vitetur animæ detrimentum.

104 Nota etiam, abſolutum à peccatis reſeruatis in articulo mortis, dum non ſit eis annexa cenſura, non teneri poſteà comparere coram legitimo Confeſſario, ſeu Superiore; vt docent P. Suarez, Th. Sanchez, Granado, Hẽriquez, Ægidius, Petrus, Hurtado, Nauarrus, Ioannes Sãchez, Corduba, & alij communiter, vt videre eſt apud Leandrum *vbi ſuprà quæſt.* 71. Etenim in ſententia tuente, teneri quem tunc confiteri cum legitimo Confeſſario, aut Superiore, vel de eius licentia, ſi tamen præſens ſit, ea peccata reſeruata, non poterit alius Sacerdos eum abſoluere, atque adeo non datur locus oneri comparendi. (Quod procedit in caſu, quo quis abſoluatur non virtute Bullæ, aut Iubilæi, in quo caſu eſt nobis ſermo in hac obſeruatione.) Si verò tunc non ſit præſens legitimus Superior, & ab alio abſoluatur; & etiam in ſententia defendente, adhuc coram legitimo Superiore poſſe quem in eo articulo ab alio Confeſſario abſolui, in vtroque euentu neceſſitas nulla eſt comparendi. Quippè à Pontifice dimanat facultas abſoluendi à peccatis reſeruatis in articulo mortis, vt conſtat ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. & aliundè non eſt impoſitum onus comparendi in abſolutione à peccatis reſeruatis facta in articulo mortis, vt impoſitum eſt in abſolutione à cenſuris tunc impertita; ergo abſolutus à peccatis reſeruatis abſque cenſura non tenetur poſtea comparere, etiam ſi ſuperſtes euadat, aut occaſio commoda detur. Etenim exceptio firmat regulam in contrarium; cum autem excipiatur cenſura reſeruata, à qua non poſſit abſolui niſi cum onere comparendi, peccatum reſeruatum non ſubire tale onus, eſt aſſeuerandum, cum nullibi conſtet, fuiſſe id onus impoſitum.

105 Confirmatur. Si onus comparendi reſpectu cenſuræ reſeruatæ non fuiſſet in iure appoſitum; non teneretur qui abſolutus ab ea in articulo mortis comparere poſtea

Digitized by Google

coram legitimo Superiore; Sed onus comparendi non eſt in iure, nec à Pontifice appoſitum reſpectu peccati reſeruati, à quo in articulo mortis quis abſoluitur; igitur poſteà ad comparendum non obligatur. Maior quæ ſola indiget probatione, ſuadetur; nam id eſt vnicum, vel ſanè præcipuum, & conuincens fundamentum, quo aſſeratur, abſolutum in eo articulo à cenſura reſeruata teneri poſtmodùm comparere; quo ceſſante, non video, vnde tale onus probari poſset.

106 Hinc rectè aduertit Leander *vbi ſuprà quæſt.* 72. cum Cardinali Lugo, non poſſe licitè, nec validè vllum Superiorem, qui ſit inferior Pontifice, ita reſeruare ſibi peccata, vt etiam in articulo mortis debeat abſolui cum onere comparendi; nam facultas abſoluendi à reſeruatis in articulo mortis procedit à Pontifice, vnde nequit limitari ab inferiori Prælato. Et propter eamdem rationem non potuiſſent Prælati inferiores apponere onus comparendi in abſolutione à cenſuris ſibi reſeruatis præſtita in articulo mortis, niſi ipſe Pontifex tale onus impoſuiſſet in abſolutione à cenſura non ſolùm ſibi reſeruata, ſed etiam ſi reſeruata ſit Prælato inferiori; quippè etiam à Pontifice procedit facultas abſoluendi à cenſuris reſeruatis in eo articulo, quam facultatem ipſe Pontifex limitatam conceſſit, imponens onus comparendi.

107 Onus autem comparendi non eo tendit, vt à cenſura quis abſoluatur à Superiore, cui erat reſeruata; cum enim pœnitens ritè, & directè abſolutus fuerit ab ea cenſura, eſtò cum onere prædicto, noua abſolutione non indiget; attamen ei oneri ſatisfacere debet, vt videat Prælatus, vtrùm oporteat, ei nouam iniungere ſatisfactionem, aut aliquam medelam ſpiritualem applicare; Et quidem, ſi hoc onus non adimpleat, in eamdem reincidet excommunicationem, vt dixi. In peccatis verò reſeruatis, à quibus quis in articulo mortis abſoluitur, non datur onus comparendi, vt dixi *n.* 104.

108 Pro praxi aduertat Confeſſarius abſoluens in articulo mortis à cenſuris reſeruatis, ſe effecturum, vt abſoluendus præſtet iuramentum de obediendo mandatis Eccleſiæ, aut iudicis proprij; dum tamen cenſura, à qua abſoluitur, propter magna crimina fuerit impoſita. Et hoc iuramentum non ſolùm à viris, verùm & à fœminis eſt præſtandum, non tamen à pueris ante pubertatem, ſeu ante decimumquartum ætatis annum; *capit. ex tenore de ſentent. excommunicat.* Gloſſa *ibi, verbo debeat*; Caietanus, Sylueſter, & alij, quos refert Trullench *in expoſit. Bull. lib.* 1. §.7. *capit.* 2. *dub.* 5. *num.* 8.

109 Prætereà, ſi detur pars læſa, debet Confeſſarius vnam ex tribus cautionibus poſcere ab abſoluendo, nempè vel pignoratitiam, vel fideiuſſoriam, vel demùm iuratoriam; arbitrioque prudentis Confeſſarij relinquitur, quam ex his ſit poſtulaturus, attenta occaſione, qualitate, & capacitate abſoluendi in eo periculo, aut articulo mortis conſtituti. Videatur Nauarrus *capit.* 1. *de pœnitent. diſtinct.* 6. Attamen iuramentum poſitum *numer. præcedenti*, & hæc cautio non ſunt ita de eſſentia abſolutionis, vt hæc non valeat, niſi illa dentur; etenim valida erit abſolutio, etiam ſi Confeſſarius omittat, vel obliuiſcatur petitionem iuramenti, vt docent Ludouicus à Cruce *in expoſit. Bull. diſputatione* 1. *capit.* 4. *dubitatione* 7. *numer.* 1. & alij plures, quos ſequitur Trullench *vbi nuper*; & etiam erit valida abſolutio, etiam ſi cautio non petatur; vt tenent Pater Henriquez *lib.* 6. *de pœnitent. capit.* 10. *num.* 11. Armilla *verbo Abſolutio*, §.50. Sylueſter *verbo Abſolutio* 3. §. 3. & alij; quia Eccleſia noluit, fructum abſolutionis dependere tunc à negligentia Confeſſarij. Vnam autem ex præfatis cautionibus requirimus, quia eæ ſunt in iure. Videatur Pater Petrus de Oñate *tomo* 2. *de contractibus, diſputatione* 41. *ſect.* 9. *numer.* 155.

110 Obiter animaduerte, Caietanum *verbo Abſolutio, capit.* 4. *& verbo Excommunicatio capit.* 77. Sylueſtrum *verbo Abſolutio* 1. *num.* 10. iudicaſſe, Confeſſarium abſoluentem in articulo mortis à cenſura reſeruata in Bulla Cœnæ, ſi ex negligentia omittat poſcere cautionem præfatam, incidere in excommunicationem. Sed rectiùs Pater Henriquez *vbi nuper* tuetur, non incidere; quia, vt notat *in gloſſa littera H.* ea excommunicatio, de qua Sylueſter, & Caietanus, ſolùm imponitur tentanti abſoluere prætextu priuilegij conceſſi à Sixto IV. contra intentionem eius, de quo videri poteſt Nauarrus citatus *ibidem*.

111 Caſus autem, ſeu ea crimina magna, quibus annexa eſt cenſura, à qua dum abſoluitur in articulo mortis, petendum eſt iuramentum, ſeu cautio iuratoria, ſex communiter enumerantur, vtpotè in iure expreſſa; Scilicèt dum abſoluitur excommunicatus notorius; ſecundò incendiarius, poſtquam declaratus eſt; tertiò mutilator; quartò manifeſtus raptor, aut Eccleſiæ violator; quintò vſurarius publicus; ſextò, qui publicè iniuriatur perſonis Eccleſiaſticis. Videantur Couarruvias *in capit. Alma mater*, 1. *part.* §. 11. *num.* 7. Corduba *lib.* 5. *quæſtione* 43. Decius *in capit. quæſtioni, de appellation.* Sylueſter *verbo Confeſſor* 4. §. 7.

112 Debet autem Confeſſarius, ſi non abſoluat virtute Bullæ Cruciatæ à cenſuris

reſeruatis

Digitized by Google

reſeruatis in articulo mortis, admonere pœnitentem de onere comparendi, quod ei incumbit, ſi detur occaſio, vt notauit Henriquez *vbi ſuprà*. Alia de abſolutione à cenſuris dicemus *infrà diſp.* 25. Hæc verò libauimus ob connexionem, quam habent cum ſuperioribus.

CAPVT XII.

De forma abſolutionis à peccatis, & cenſuris virtute Bullæ Cruciatæ præſtandæ, quæ in Bulla Hiſpana tranſumpto continetur.

113 IN Bulla Latina nulla exprimitur formula abſoluendi, at in Hiſpana aſſeritur. *Forma de abſolucion, que vna vez en la vida, y otra en el articulo de la muerte ſe pueda hazer por virtud deſta Bula à qualquier perſona, que la tomare. Miſereatur tui omnipotens Deus, &c. Por la autoridad de Dios todo poderoſo, y de los Bienauenturados Apoſtoles San Pedro, y San Pablo, y de nueſtro muy Santo Padre, eſpecialmente à ti concedida, y à mi cometida, yo te abſueluo de toda cenſura de excomunion mayor, ò menor, ſuſpenſion, ò entredicho, à iure, vel ab homine, y de todas las otras cenſuras, y penas, en que por qualquier cauſa, ayas incurrido, aunque la abſolucion dellas ſea reſeruada à la Santa Sede Apoſtolica, ſegun por eſta te es concedido, y reſtituyo te à la vnion, y communion de los Fieles Chriſtianos. Y aſſi miſmo te abſueluo de todos tus peccados, crimines, y exceſos, que à mi agora has confeſſado, y de los que confeſſarias, ſi a tu memoria occurrieſſen, aunque ſean tales, que la abſolucion dellos à la Santa Sede Apoſtolica, como dicho es, pertenezca, y otorgo te plenaria indulgencia, y remiſſion cumplida de todos tus peccados, aora, y en qualquier tiempo confeſſados, oluidados, ò ignorados, y de las penas, que por ellos eras obligado à padecer en el Purgatorio. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.*

114 Hæc forma abſolutionis non eſt neceſſariò ſeruanda, imò in praxi ſeruari non ſolet, ſed forma communi abſoluendi omnes communiter vtuntur, qua prolata, eodem modo abſolutus manet pœnitens, ac ſi in forma exprimeretur, quidquid in prædicta Bullæ forma continetur. Confeſſor autem abſoluens noſcere debet, ſe virtute Bullæ abſoluere, hoc enim eſt, noſcere, qua iuriſdictione fruatur, vt ſic licitè, & validè abſoluat, ſi ſint in confeſſione caſus, qui ea iuriſdictione à Pontifice in Bulla conceſſa indigeant; iuriſdictio autem habet ſe ex parte abſoluentis, non ex parte abſolutionis, quatenùs neceſse ſit, exprimi ipſam iuriſdictionem in forma abſoluendi. Itaque ea forma in Bulla præfigitur, tum vt Confeſſarius calleat in praxi, à quibus caſibus queat ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis abſoluere, & ſi velit, ea vtatur; tum ad ſolatium fidelium accipientium Bullam, vt clariùs videant, à quibus caſibus poſſint abſolui, exciteunturque ad accipiendam Bullam ſingulis annis, vt eius ampliſſimis priuilegiis, ac indulgentiis gaudeant.

115 Abſolutio ab homine, quæ in hac forma exprimitur, quomodo ſit intelligenda, exponetur *inferiùs diſputatione* 25. Poſt verba abſolutionis ab excommunicatione maiori, & minori, ſuſpenſione, & interdicto, additur, *y de todas las otras cenſuras, y penas;* Vnde poſſet aliquis inferre, alias eſſe cenſuras præter nuper dictas. Attamen credam, ea verba ſuperaddita fuiſſe ad maiorem claritatem, explicationemque; quaſi dicatur, nullam prorsùs eſſe cenſuram, ſeu pœnam Eccleſiaſticam, à qua non abſoluatur pœnitens. Vel dicito, cum ſub quæſtione ſit, an irregularitas, quæ eſt purè pœna, ſit cenſura, necne, vt vidimus *capit.* 1. voluiſſe Commiſſarium Generalem Cruciatæ, qui præfatam abſolutionis formam ſubtexuit, relinquendo eam controuerſiam in ſua probabilitate, oſtendere, abſolutionem cadere ſupra irregularitates contractas, quæ ſint purè pœnæ, caſu quo cenſuræ iudicentur.

116 Id, quod ſubiungitur in hac forma abſolutionis, nempè reſtituo te vnioni, & communioni fidelium Chriſtianorum, etiam eſt declaratio, ac explicatio verborum, quæ priùs ſunt prolata, nam abſolui quem à cenſura, eſt, reſtitui communioni fidelium, cum per cenſuram eſſet extra illam, vt *diſputatione* 25. *capit.* 1. libabimus. Idem dicito de aliis verbis ſequentibus, ſcilicèt, abſoluo te ab omnibus peccatis, criminibus, & exceſſibus quæ voces multiplicantur, vt vis abſolutionis ampliùs innoteſcat, cum ſanè ſub nomine peccatorum crimina, & exceſſus comprehendantur; quare in abſolutione, qua communiter vtimur, ſolùm proferimus. Abſoluo te à peccatis, quantumvis maxima crimina, ac exceſſus fuerit confeſſus pœnitens.

117 Annectitur adhuc in præfata forma, abſolui pœnitentem non ſolùm à peccatis, quæ tunc eſt confeſſus, ſed ab eis, quæ patrauit, & ob obliuionem confeſſus non eſt, quæ tamen confiteretur, ſi eius memoriæ occurriſſent. Circa quod aduerte, & ſi Confeſſarius ſit iudex non potens proferre ſententiam abſque cognitione cauſæ, tamen poſſe abſoluere à peccatis, quorum inculpatè obliuiſcitur pœnitens, qui aliunde dolet de omnibus culpis à ſe commiſſis: Etenim ea abſolutio præſtita in illo Sacramento licita,

licita, & valida eſt, Sacramentumque conficitur formaliter integrum, & perfectè validum, & non informe, quare per abſolutionem confertur gratia Sacramentalis pœnitenti, cum nullum obicem ei apponat: igitur cum gratia ſanctificans nequeat, ſaltem ex natura rei, eſſe ſimul cum peccato mortali, fit, vt omnia peccata lethalia expellat, atque adeò pœnitens abſolutus maneat ab omnibus, etiam ſi aliqua propter obliuionem non fuerit confeſſus. Et cum datur iuriſdictio in confeſſario ad abſoluendum à peccatis, quorum oblitus eſt pœnitens, abſoluere dicitur directè ab omnibus peccatis. Cum autem non datur iuriſdictio in Confeſſario ad abſoluendum ab aliquibus ex peccatis, quæ de facto confitetur pœnitens, vel quorum obliuiſcitur, & aliunde ob neceſſitatem vrgentem validè miniſtrat Confeſſarius Sacramentum pœnitentiæ, tunc dicitur abſoluere indirectè à peccatis, reſpectu quorum iuriſdictione caret. Etenim cum per eam abſolutionem gratia conferatur, & hæc expellat etiam ea peccata, ad quæ iuriſdictionem non habebat Confeſſor, indirectè aſſeritur abſoluere ab eis peccatis, quatenùs directè, pro iuriſdictione, quâ fungitur, abſoluit ab aliis, & gratia tribuitur per abſolutionem expellens cuncta peccata lethalia.

118 Demùm in prædicta forma abſolutionis applicatur indulgentia plenaria; quæ applicatio poteſt fieri extra confeſſionem. Sed de hac applicatione agemus ex profeſſo *infrà diſputation.* 27. Quomodo autem ſit intelligendum id, quod vltimò apponitur, nempè hanc indulgentiam eſſe remiſſionem omnium peccatorum, quæ pœnitens tunc, vel quovis tempore eſt confeſſus, vel quæ oblitus eſt, aut ignorauit, & omnium pœnarum, quibus ob ea peccata erat obnoxius, ſatis conſtat ex dictis *ſuperiùs diſputation.* 6.

119 Sed, quia aſſeruimus, non eſſe opus vti formulâ prædictâ abſolutionis, non abs re erit, breuiter attingere aliqua circa formam abſolutionis tam præſtandæ virtute Bullæ Cruciatæ, aut Iubilæi, vel priuilegij alicuius, quàm abſolutæ impertiendæ quovis tempore à quolibet Confeſſario; licèt enim in iuriſdictione poſſit eſſe inæqualitas, ac diuerſitas, tamen abſolutionis forma eadem eſt reſpectu omnium; cum ſub eadem forma poſſit pœnitens abſolui à pluribus vel paucioribus peccatis, & cenſuris, necnon à grauioribus, aut minùs grauibus; ab his ſcilicèt, quibus innexus fuerit, quæcumque illa ſint.

120 Omiſſis formis abſolutionis, quas aliqui antiqui aſſerebant, conſtat ex Concilio Florentino ſub Eugenio IV. & ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *capit.* 3. ac ex D. Thoma, 3. *part. quæſtion.* 84. *articul.* 3. & ex communi, formam abſolutionis eſſe: *Ego te abſoluo ab omnibus peccatis tuis; in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Quin eſſentia abſolutionis permanet, & ſi non addatur pronomen *Ego*, quia inuoluitur, & includitur in ea prima perſona verbi *Abſoluo*, vt vulgare eſt inter Grammaticos Ita Cardinalis Caietanus *in ſumm. verbo Abſolutio*; Sotus *lection.* 4. *de pœnitent.* Candidus *diſquiſit.* 24. *articul.* 7. *numer.* 2. P. Vazquez *in* 3. *part. quæſtion.* 84. *articul.* 3. *dubitation.* 4. P. Buſembaum *in medulla Theolog. moral. tract.* 4. *cap.* 1. *dub.* 1. & innumeri alij. Imò ob rationem dictam, non erit peccatum mortale, omittere illud pronomen *Ego*; vt in ſimili de forma Baptiſmi tenet Bonacina *de Sacrament. diſputation.* 2. *quæſtion.* 2. *punct.* 4. *numer.* 16. ſecutus Sotum, Henriquez, & alios. Eſt tamen de eſſentia abſolutionis pronomen *Te*, quod non includitur in verbo *Abſoluo*, & per illud explicatur perſona, quæ abſoluitur. Sic P. Suarez *de pœnitent. diſputation.* 19. *ſection.* 1. *numer.* 24. & alij, quos refert, & ſequitur Leander de Sacramento *tom.* 1. *de Sacrament. diſputation.* 2. *quæſtion.* 4. Notandum verò, Cardinalem Lugo addere, ſatis eſſe ad formam Sacramenti, etiam omiſsâ particulâ *Te*, ſi adjungatur, *à peccatis tuis*, quia implicitè continetur illud *Te* ſub voce *Tuis*, ſufficienterque perſona, quæ abſoluitur, declaratur.

121 Nec opus eſt ad eſſentiam abſolutionis adiungere illam particulam *ab omnibus*, ſed ſufficit, *à peccatis tuis*, vt praxis plurium Cōfeſſariorum, qui docti ſunt, oſtendit; cum vnum peccatum abſque alio, ſaltem de facto, & ex natura rei non remittatur, atque adeò omnia debeant remitti, & aliàs ea particula à Conciliis non apponitur. Ita Ioannes Sanchez *in ſelect. diſp.* 6. *num.* 15. & plures ex citatis *ſuprà.* Hinc cernitur, non eſſe vllum peccatum, eam particulam omittere, vtpotè ſuperfluam, vt tuentur Moure 3. *part. exam. Theolog. capit.* 6. §. 7. P. Gaſpard Hurtad. *de pœnitent. diſputat.* 5. *diffic.* 4. & quam plurimi, qui in forma abſolutionis, quam præſcribunt eam particulam non apponunt.

122 Non prætereà neceſſaria ſunt ad eſſentiam formæ abſolutionis ea verba *A peccatis tuis*; vt docent D. Thomas 3. *part. quæſtion.* 84. *articul.* 3. Caietanus, *ibi*, Pater Fagundez *in* 2. *precept. capit.* 9. *numer.* 19 Nauarrus, Valentia, Suarez, & alij. Etenim ea verba includuntur in illis, *Abſoluo te.* Ideò non erit peccatum mortale, ea omittere, ſic verò veniale, ſi abſque rationabili cauſa omittantur, vtpotè quia receditur à forma communiter in Eccleſia præſcripta. Sic Pater Granado, Bonacina, & alij, quos ſequitur Leander

Digitized by Google

Leander *vbi ſuprà quæſtion.* 8. Cauendum autem eſt, ne ſit in omiſſione prædictorum verborum ſcandalum, aut contemptus, quæ ſi adſint, erit peccatum lethale omiſſio. Leander addit *quæſtion.* 9. nec eſſe mortale, omittere ea verba in articulo mortis, eo quòd longè probabilius ſit, non pertinere ad eſſentiam abſolutionis; quod, & ſi ſpeculatiuè verum appareat, practicè tamen contrarium conſulo, vt omnimodæ ſecuritati animæ moribundi proſpiciatur; & Pater Granado cenſet, eſſe lethale, tunc ea omittere, quia, cùm graues Authores cenſeant, ea pertinere ad eſſentiam abſolutionis, non eſt exponendus pœnitens periculo non recipiendi validè Sacramentum pœnitentiæ, adeò in eo articulo neceſſarium.

123 Rursùs neceſſaria non ſunt ad eſſentiam abſolutionis ea verba, *In nomine Patris,* &c. vtpotè nec à Chriſto D. præſcripta, nec ab Eccleſia poſita, vt eſſentialia. Sic D. Thomas *ſuprà*, & communior. Imò in Indice expurgatorio à Sanctæ Fidei Inquiſitore Generali edito pro Hiſpanis anno 1640. contraria ſententia præcipitur deleri in ſumma Hieronymi Llamas, quare nequit tutò defendi. Hinc non erit peccatum mortale, ſed ad ſummum veniale ea verba omittere, iuxta *nuper* dicta de verbis *A peccatis tuis.* Nec peccatum eſt, omittere verba illa, quæ ſolent ante abſolutionem præmitti, *Miſereatur tui*, &c. Quare multi docti ea omittunt; & non eſſe peccatum adhuc veniale, docet P. Fagundez *vbi ſuprà*, *num.* 2. *&* 15. quia non pertinent adhuc ad integritatem abſolutionis, nec à Conciliis præſcripta ſunt. Ob eamdem rationem nullum eſt peccatum omittere ea verba præmitti ſolita, *Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat*, &c. maximè, quando pœnitens crebrò confitetur, ne prolixior reddatur abſolutio; ſufficit enim tunc dicere: *Ego te abſoluo à cenſuris ſi fortè incurriſti, & à peccatis tuis, in nomine Patris*, &c. Videatur Leander *vbi ſuprà quæſtion.* 14. Vbi *quæſtion. ſequenti* etiam rectè oſtendit, non eſſe peccatum, omittere ea verba poſt abſolutionem ſolita proferri, *Paſſio Domini noſtri*, &c.

124 Itaque eſſentia abſolutionis conſiſtit in his verbis, *Abſoluo te*; per quæ quis à cenſuris, & peccatis abſolutus manet. Laudabile autem eſt, & æquum, vti communi forma; *Miſereatur tui*, *&c. Dominus noſter Ieſus Chriſtus*, *&c. Paſſio Domini noſtri*, &c. Niſi fortè aſſiduè quis confiteatur, maximè ſi nuper confeſſus, iterùm redeat, vt aliquod peccatum omiſſum exponat, tunc enim, vt praxis fert, ſat eſt, dicere; *Ego te abſoluo à peccatis tuis. In nomine*, &c. Expedit tamen, ſemper adiungere, *Paſſio Domini noſtri*, &c. per hæc namque verba applicantur in ſatisfactionem omnia opera bona pœnitentis. In quo duo ſunt commoda, alterum, vt pœnitens plùs ſatisfaciat pro peccatis, mediis ſuis bonis operibus, quàm aliàs eſſet ſatisfacturus, ſi ea opera loco etiam pœnitentiæ Sacramentalis ex intentione Confeſſarij apponantur; alterum, poſſe minui pœnitentiam, quæ apponitur, vel ſaltem Confeſſarium non debere ſcrupulis pungi, vtrùm ſufficientem impoſuerit ſatisfactionem, necne?

125 Ad calcem aliqua aut certa, aut ſaltem probabiliora accipe. Abſolutio non eſt valida, ſi mentaliter, aut ſcriptò proferatur, ſed opus eſt, vocè humana proferri. Non eſt ſufficiens hæc forma abſolutionis; *Abſoluat te Deus.* Probabile eſt, eſſe validam hanc formam, *Volo, abſoluaris.* Vel, *Placet, te abſolui*; Vel, *Sacramentum abſolutionis tibi impendo.* Vel, *Remitto tibi peccata*; Vel, *Condono te.* Sed peccatum mortale erit, illis vti; quamvis in vltimis duobus probabile ſit, non eſſe niſi veniale, quia mutatio eſt minor; & accidentalis. Erit valida hæc abſolutio, *Abſoluo te*, &c. *ſi reliquiſti talem occaſionem peccandi*, dum conditio fuerit appoſita, ſecùs aliter. Si dubitetur, an ſint peccata; quæ pœnitens confitetur, nec certa materia apponatur, validè, & licitè impenditur abſolutio, ſi conditio apponatur in mente, aut in verbis, *ſi hæc ſunt peccata*; Curandum autem eſt, vt certa materia exprimatur, ne locus ſit huic modo abſoluendi; nec vnquam abſolutione dubia eſt vtendum. Valida item erit abſolutio cum conditione de præſenti, dum verificetur, vt *ſi poſſum, ego te abſoluo*; & rationabili vrgente cauſa, poteſt apponi ea conditio. Non autem eſt valida abſolutio cum conditione de futuro, vt *ſi reſtitueris, te abſoluo.* Nec eſt valida abſolutio collata abſenti, nec per litteras, nec per nuntium, etiam ſi Confeſſor videat domum, intra quam moribundus iacet, opus enim eſt, eum præſentem habere. De his, & aliis ad abſolutionem pertinentibus conſule omnes Authores *de Sacramento pœnitentiæ* agentes, præcipuè Cardinalem Lugo, Caietanum, Ochagauiam, Suarez, Vazquez, Bonacinam, Layman, Leandrum, Toletum, Moure, Villalobos, Nauarrum, Henriquez, Reginaldum, Azor Caſtro Palao, Bernal, Maſcarennas, Eſcobar, Buſembaum, Leandrum à Sacramento, & alios innumeros.

* * *

DISPVTATIO XXIV.

An Regulares poſſint eligere Confeſſarium virtute Bullæ Cruciatæ?

Electio Confeſſarij approbati per Bullam Cruciatæ conceſſa, quam expoſuimus *in præcedentibus*, an etiam Regularibus indulgeatur, operæ pretium eſt veſtigare, loquimurque de electione Confeſſarij in ordine ad abſolutionem à cenſuris, ac peccatis ſiuè reſeruatis, ſiuè non reſeruatis, de vtriſque enim ſeorſim ſermonem inſtituemus; in ordine namque ad commutationem votorum, *diſputatione ſequenti* conſtabit, poſſe Regulares Bullâ vti. Et quia quæſtio præſens vtilis valdè eſt, & nouis quotidie difficultatibus implexa, ex profeſſo eam diſcutiemus, vt dilucidè pateat reſolutio dubij in titulo huius diſputationis præfixo.

CAPVT I.

Qui, & quæ peccata poſſint reſeruare Superioribus Regularibus.

1 De peccatis, quorum abſolutio reſeruatur Superioribus Regularibus, vt eam præſtent, aut alij Confeſſario vices ſuas committant, vt id exequatur, eſt ſermo. Poteſtatem reſeruandi caſus iure communi competere eiuſmodi Superioribus, nullus dubitabit. Quippè in Tridentino *ſeſ.* 14. *de Sacramento Pœnitentiæ cap.* 7. *aſſeritur: Licitam fuiſſe, & eſſe Epiſcopis omnibus in ſua diœceſi hanc reſeruationem, pro illis in ſubditos tradita ſupra reliquos inferiores Sacerdotes authoritate.* Vbi Cardinales declarant, idem poſſe Prælatos Regulares in ſuos ſubditos, eo quòd habeant quoad hæc, & ſimilia in ſuos iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & actio reſeruationis non pendeat per ſe à poteſtate Ordinis Epiſcopalis. Quin habere Superiores Regulares reſpectu ſubditorum iuriſdictionem tàm in foro conſcientiæ, quàm in contentioſo, liquet ex Bullis Summorum Pontificum pro vnoquoque Religioſo Ordine expeditis; & in noſtra Societate Ieſu id fit manifeſtum ex Bullis Apoſtolicis Pauli III. Iulij III. & Gregorij XIII. ideò Societatis Superiores vſi ſunt hac iuriſdictione reſeruandi caſus, vtpotè maximè expediente ad rectam noſtri inſtituti normam, de quo P. Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 5.

2 Hanc illimitatam Superiorum Regularium poteſtatem ad peccata reſeruanda iure communi eis competentem limitauit Clemens VIII. in Bulla, cuius compendium affert Stephanus Quaranta *in ſumma Bullarij verbo Caſus reſeruati, fol.* 192. *& verbo Monaſteria fol.* 424. & in libro ordinationum Præpoſitorum Generalium Societatis IESV *c.* 5. Quod breue verbatim hic apponemus, vt aliqua deinceps circa ipſum exponamus.

3 *Sanctiſſimus Dominus noſter, qui iam pridem accuratè perpendit, & re ipſa comperit, quòd reſeruatio facultatis abſoluendi religioſos pœnitentes à peccatis quibuſdam grauioribus niſi Superiores admodùm prudenter ac moderatè illa vtantur, nonnullos infirmiores, qui interdùm Superiori ſuo conſcientiæ maculas detegere formidant, adducere poſſet in æternæ damnationis periculum, & ſpiritualis remedij deſperationem, ideò, vt huic malo ſua ſanctitas opportunè proſpiceret, decreuit: Vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum abſolutiones ſibi reſeruet, exceptis his, quæ ſequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout ſubditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerit.*

Veneficia, incantationes, ſortilegia.

Apoſtaſia à Religione, ſiuè habitu dimiſſo, ſiuè retento, quando eò peruenerit, vt extra ſepta Monaſterij, ſeu Conuentus egreſſio fiat.

Nocturna, ac furtiua è Monaſterio, ſeu conuentu egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta.

Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale.

Iuramentum falſum in iudicio regulari ſeu legitimo.

Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum, poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſequuto.

Falſificatio manus, aut ſigilli Officialium Monaſterij, aut conuentus.

Furtum de rebus Monaſterij, ſeu conuentus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.

Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus.

Occiſio, aut vulneratio, ſeu grauis percuſſio cuiuſque perſonæ.

Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores.

Si quod aliud præterea peccatum graue pro Religionis conſeruatione, aut pro conſcientiæ puritate reſeruandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia matura diſcuſſione, & conſenſu.

Non liceat Superioribus Regularium confeſſiones ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſeruatum admiſerint, aut ipſimet ſubditi ſpontè, aut proprio motu id ab eis petierint.

Superiores in ſingulis domibus deputent duos, tres, aut quatuor Confeſſarios pro ſubditorum numero majori, vel minori; ijque ſint docti, prudentes,

Digitized by Google

prudentes, & charitate præditi, qui à non reſeruatis eos abſoluant, & quibus etiam reſeruatorum abſolutiò committatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere committi, ipſe in primis Confeſſarius iudicauerit.

Tam Superiores pro tempore exiſtentes, quam Confeſſarij, qui poſteà ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentiſſimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur. Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graues quibuſdam peccatis etiam non reſeruatis à Confeſſariis imponendas, quæ ſubditos ab huiuſmodi perpetrandis cohibere poſſint:

Atque ita per quoſcumque Regularium Superiores, quicumque illi ſint, obſeruari mandauit; Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac cuiuſvis Concilij, etiam Generalibus, decretis, nec non conſuetudinibus, etiam ab immemoriali tempore obſeruatis, aut Regulis in Generalibus, aut Prouincialibus Capitulis editis, ſtatutis, & conſtitutionibus, etiam Apoſtolica authoritate confirmatis, priuilegiis, indultis, & conceſſionibus quibuſcumque (quorum tenores hic pro expreſſis haberi voluit) cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die 26. May, anno 1594.

Andreas Sorbolengus Secretarius.

Immediatéque in locis prædictis additur; Sanctitas ſua declarauit, & declarat; Vt ſi eiuſmodi Regularium Confeſſariis caſus alicuius reſeruati facultatem petentibus Superior dare noluerit, poſſint nihilominùs Confeſſarij illa vice pœnitentes abſoluere, etiam non obtenta facultate Superioris.

4 Conſtat ex præfata Bulla, nullum peccatum fuiſſe de facto reſeruatum à Clemente VIII. ſed deſignata dumtaxàt, quæ poſſet quilibet reſeruare Superior, vel omnia ſimul vel aliqua. In Societate noſtra vndecim caſus ibi contenti ſunt reſeruati, vt conſtat ex Decreto 40. Congregationis quintæ, vbi proponitur: *Vt præter reſeruatos caſus* (hoc eſt, aſſignatos ad reſeruationem) *Omnibus Regularibus à Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente VIII. reſeruentur in Societate infraſcripti.* Vbi vox *præter* incluſiuè præfigitur, nempè includendo eos vndecim caſus cum aliis infraſcriptis, qui à Congregatione fuere reſeruati. Etenim, quando dictionem *præter* ſequitur propoſitio affirmatiua, in qua non continetur, quod ſub ea dictione comprehenditur, tunc includitur in affirmatione propoſitionis, quod ſub dictione *præter* exiſtit. Ita ſumitur in iure, Gloſſa, *verbo commodum §. cum autem, inſtit. de adoption.* Gloſſa *in leg. Sed hæ, §. peti, verbo præter ſatisfactionem, ff. de procuratoribus; leg. 1. de pignoratitia actione, ibi gloſſ. fin. l. Seio, §. vxori, ff. de annuis legatis.* Quare, cum in verbis relatis dictionem *præter* ſequatur affirmatiua propoſitio, & caſus vndecim antecedentes, qui ſubſunt dictioni huic non contineantur in ſequentibus de nouo reſeruatis, ſanè in reſeruatione cadente ſuper ſequentes, etiam includuntur. Et quidem, ſi Congregatio non reſeruaret in prædictis verbis eos vndecim caſus, nullus ſenſus poſſet aptari eiſdem verbis, vt conſideranti patebit. Vt autem omnis dubitatio tolleretur, in Nona Congregatione Generali, *Decreto* 43. aſſeritur; *Quoniam modus loquendi, quo vſa eſt Congregatio V. Decreto 67. M. S. dubium aliquibus inieciſſe videbatur. An caſus, qui in Decreto Clementis VIII. enumerantur, reſeruati eſſent in Societate? Declarauit Congregatio, tales omnes caſus eſſe, & fuiſſe ſemper ex illo tempore in Societate reſeruatos, &c.* Quod etiam *in Canone* 5. eiuſdem Nonæ Congregationis generalis ſic exprimitur; *Intelligant noſtri, caſus omnes in Decreto Clementis VIII. reſeruari permiſſos, eſſe, & hactenùs fuiſſe in Societate reſeruatos.*

5 Conſtat etiam ex tenore Bullæ Clementis, cauſam finalem expreſſam expeditionis ipſius fuiſſe, vitare nimietatem peccatorum reſeruatorum, & abuſum circa reſeruationem, & abſolutionem ab illis, vt docet Pater Thom. Sanchez *lib. 6. ſummæ cap. 1. num.* 16. Ea igitur cauſa, ac ratio eſt velut anima huius decreti, quare omnes partes illius ligat, ac comprehendit, iuxta doctrinam communem de cauſa finali à legiſlatore expreſſa ligante ſibi omnes legis partes, ita vt iuxta eam tota ſit deciſio intelligenda, & extendenda; vt docent Molina *de primog. capit.* 5. *à num.* 34. Reginaldus *conſil.* 140. *num.* 76. Burgos de Paz *conſil.* 32. *num.* 6. & alij quàmplures.

6 Fit inde, omnia peccata, quæ ante hoc decretum à Superioribus erant reſeruata, dum ex vndecim à Clemente deſignatis non eſſent. à reſeruatione immunia manſiſſe; in quovis enim attingeretur nimietas, & excederetur mediocritas à Pontifice reſpectu Superiorum intenta. Superioribus itaque præcepto Pontificio prohibetur reſeruatio aliorum peccatorum, quippè taxatur illis numerus reſeruandorum, ita vt ad alia reſeruanda nequeant extendi. Imò non ſolùm prohibetur, verum & aufertur Superioribus facultas, qua ad reſeruationem ante hoc decretum potiebantur. Etenim, cum ea iuriſdictio ſit ex iure humano Eccleſiaſtico, à Pontifice Summo trahens originem, dum ipſe Pontifex pronuntiat; *Nemo ex Regularium Superioribus peccatorum abſolutiones ſibi reſeruet, exceptis iis, &c.* aufert ab illis iuriſdictionem ad reſeruandum alia; vt quando aſſerit, nemo abſoluat ab hæreſi externa, niſi Fidei Quæſitores, à cæteris omnibus aufert

Digitized by Google

aufert iuriſdictionem abſoluendi ab illa. Et quidem, ſi Superiores adhuc gauderent iuriſdictione reſeruandi alia peccata, non obtineretur finis mediocritatis ſeruandæ, vitandæque nimietatis à Pontifice intentus. Nec eſt, vnde Superioribus ea facultas dimanet, cum Pontifex tollat iuriſdictionem, addendo. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibbus Apoſtolicis &c.* quæ erant capita, vnde eis poſſet prouenire iuriſdictio.

7 At, ſi à Capitulis ante hoc decretum Clementis reſeruata erant aliqua peccata tũ ex vndecim aſſignatis (& de his vndecim idem dic de Superioribus) aut alia grauia, eiſque vndecim affinia, quæ poſſe à Capitulis, non verò à Superioribus, reſeruari, Pontifex concedit, ſane eorum reſeruatio non ceſſauit, nec noua indigent reſeruatione; quia per legitimam poteſtatem fuere reſeruata, nec excedunt mediocritatem à Pontifice ſtatutam, vnde ex vi huius decreti nec eſt prohibita, nec ablata eorum reſeruatio. Quòd ſi alia peccata ab vndecim prædictis diuerſa, nec adeò grauia, ac Pontifex deſignat, erant reſeruata à Capitulis, ſanè eiuſmodi reſeruatio ceſſauit ob ſimilem rationem ei, quam *numero præcedenti* quoad Superiores expendimus.

8 Quare nec quælibet, nec multa peccata à Capitulis, ſeu Congregationibus reſeruari queunt; quod conſtat ex illis verbis: *Si quod aliud peccatum graue præterea reſeruandum videbitur*: vbi expendendæ ſunt illæ voces; *ſi quod aliud*, nam in primis non vtitur Pontifex numero plurali, nec ait: *ſi qua alia peccata*; vt ipſe loquendi modus innueret, pluralitatem aut nimietatem in reſeruationibus eſſe fugiendam. Deinde vox *aliud* ibi appoſita, eſt relatiua, & reſpectum importat ad antecedentia vndecim peccata, & cum hæc materia ſit odioſa, reſtringi debet ea dictio ad ſignificationem propriam, & ſtrictam, quam in iure habet; quippè in odioſis legalis, ac ciuilis verborum vſus, & proprietas attenditur: in iure autem relatiuum *aliud* dicit ſimilitudinem cum ſuo antecedenti, ſeu eſt dictio implicatiua ſimilitudinis; ſic *in l. fugitiui, C. de ſeruis fugitiuis*, enuntiatur, ſi ſeruus fugit ad Barbaros, amputetur ei pes, vel alia pœna afficiatur; ibique gloſſa communiter recepta exponit; *alia pœna, id eſt, ſimili*: Tuncque ſolùm non implicat ea dictio ſimilitudinem, quando ei ſuperadditur aliquid, quod cum antecedenti non compatitur, in eoque dictio neutiquam eſt relatiua; vt, cum narratur *Lucæ* 23. Chriſtum D. ductum fuiſſe ad crucifigendum, additurque. *Ducebantur autem cum eo, & alÿ duo nequam*, quæ vltima particula non compatibilis cum Chriſto oſtendit illos duos alios non eſſe ſimiles ipſi. Cœterùm in præſenti Pontificis decreto vox, *ſi quod aliud peccatum*, & relatiua eſt ad peccata antecedentia vndecim, & importat peccata alia, quæ reſeruari conceduntur, debere eſſe ſimilia illis, ac affinia, tum in materia tum in grauitate; nam dictionem *aliud* enuntiare, eſt, antecedentis qualitatem repetere, vt docent Gutierrez *de iuram. 1. p. cap. 14. num. 13. in fin.* Ruffinus *conſ. 181. num. 2.* Villalobos *in communibus, litt. A.* Antoninus Gabriel *tom. 2. commun. fol. 36.* alijque innumeri. Ideò P. Suarez *tom. 4. de relig. l. 8. cap. 5. num. 5.* notâuit, peccata in Societate Iesv reſeruata à quinta Congregatione Generali, ſi rectè inſpiciantur, eſſe valde ſimilia ijs, quæ Pontifex aſſignauit reſeruabilia; vt inde validam eſſe eam reſeruationem, conſtet.

9 Si ergo in peccatis ea conditio ſimilitudinis, aut affinitatis in grauitate deficiat, ſunt extra mediocritatem à Pontifice intentam, & nimietate laborant, quàm ille exterminat, quare eorum reſeruatio eſt prohibita, quin & inualida, nam à Pontifice aufertur Capitulis, ſeu Congregationibus iuriſdictio ad reſeruationem eiuſmodi. Quippè iuriſdictio à Pontifice ſortitur originem, ergo ceſſarat, vbi ipſe pronuntiat, non fieri reſeruationem niſi cum prædictis conditionibus, hoc ipſo quòd conditiones non adſint. Aptentur hic dicta *nuper numer. 6.* Et quamvis præſumendum ſit, Capitula quoad hoc non excedere mediocritatem aſſignatam, ſi tamen conſtaret de exceſſu tum in qualitate peccatorum, quæ reſeruarentur, tum in eo, quòd abſque matura conſideratione, ac conſenſu (quæ maturitas, ac conſenſus etiam pro conditione neceſſaria ad reſeruationem iniungitur à Clemente VIII.) inualida reſeruatio foret.

10 Aduertendum tamen eſt, non reſtringi à Pontifice, quòd peccata reſeruent Capitula pro toto Ordine, quare, ſi res poſtulet, poſſunt ea reſeruare pro aliqua Prouincia, aut pro aliqua Domo, imò pro aliquo Religioſo particulari; quia in iure de toto ad partem valet argumentum; gloſſa, *verbo argumentum in leg. 1. ff. de collationib.* In toto namque pars continetur, *gloſſa, verbo prodeſſe in leg. ſi vnus, §. ſi cum mihi, ff. de pactis, l. ſi quis cum totum, & ibi additio marginalis, ff. de exceptione rei iudicatæ.* Eſtque totius ad partem eadem ratio, *leg. idcirco, ff. rem ratam haberi.* Quippè quod iuris eſt in toto quoad totum, idem iuris quoad partem, *§. nihil, inſtit. de fideicom. hæreditat. & ibi gloſ.* Aduertendum eſt etiam, eis Capitulis, ſeu Congregationibus Prouincialibus, quæ ante hoc Clementis decretum caruerunt poteſtate reſeruandi peccata, non fuiſſe per illud conceſſam ipſis, ſed potius his, quæ ea poteſtate gaudebant, hæc reſtringitur à Pontifice, non vlla de

nouo

Digitized by Google

nouo ſuperadditur. In quovis ergo ſacro ordine ex ſtatutis propriis conſtabit, vtrùm poteſtas reſeruandi ſit penes ſuum Capitulum, aut Congregationem Prouincialem.

CAPVT II.

Illationes ex cauſa finali expreſſa in Decreto Clementis VIII. circa reſeruationem peccatorum in Religionibus.

11 INfero primò, non poſſe Capitula, nec Superiores reſeruare abſolutionem à cenſuris impoſitis ſupra peccata, quæ reſeruare nequeunt (quippe nulli eſt dubium poſſe reſeruare cenſuras impoſitas peccatis, quæ reſeruare valent, cum hæc ſit legitima reſeruatio, nec Pontificis menti, ac fini contraria.) Huius illationis doctrinam tenent P. Th. Sanchez *lib.6. ſummæ cap.1. num. 6.* & plures viri doctiſſimi, quos ſuppreſſo nomine referunt PP. Suarez, & Fagundez *infrà* afferendi: Probatur. Ratio motiua Pontificis in hoc decreto prohibente reſeruationem peccatorum, præter ea, quæ in ipſo deſignantur, fuit, ne ſubditis infirmioribus formidantibus detegere maculas ſuæ conſcientiæ coram Superiore anſa præberetur incidendi in periculum damnationis, ac deſperationis remedij ſalutis; ſed eadem anſa præbetur, ſi Superiores, aut Capitula poſſint reſeruare cenſuras impoſitas peccatis prohibitis reſeruari, cum eodem modo in eo caſu teneantur ſubditi coram Superiore comparere, vt abſoluantur; ergo ex mente Pontificis & eadem ratio militat, & alias eius decretum redderetur fruſtraneum. Quid namque profuiſſet, prohibere reſeruationem peccatorum, ſi liberum foret reſeruare cenſuras, ratione quarum peccata manerent reſeruata; quamvis enim hæc reſeruatio peccatorum non eſſet ratione ſui, ſed per accidens, tamen cum ſubditus nequiret ab eis abſolui, dum à Superiore non abſolueretur à cenſura, eodem modo illum adire teneretur, ac ſi peccata ratione ſui eſſent reſeruata; vnde non vitarentur damna, ob quæ Pontifex hoc edidit decretum.

12 Confirmatur, quia hoc decretum ſubditis Regularibus eſt fauorabile, in eorum ſalutem animæ, bonumque ſpirituale, ac in remedium formidinis adeundi Superiores expeditum, ergo extendendum eſt, ac ampliandum. Et adhuc ſi Superioribus ſit odioſum, non ita reſtringenda ſunt odia, vt eneruent, ac fruſtrent efficaciam, vim, ac finem adæquatum legis, vt eneruarent in præſenti, ſi prædictæ cenſuræ poſſent reſeruari. Quare praxis ea eſt, vt non reſeruentur. Hincque ſi aliquando cenſuræ à Superioribus reſeruantur, id ſit vel quia pariter reſeruantur peccata, vtpote reſeruationis capacia iuxta præſens decretum; aut quia peccata, queis cenſuræ imponuntur poſſent abſolutè reſeruari, ſtando huic decreto.

13 In ſententiam oppoſitam inclinat P. Suarez *tom. 4. de relig. l.8. c.18. n.17.* quem ſequitur P. Filliucius; At P. Fagundez *l.8. ſecundi præcepti Eccleſ. c.4. num* 5. refert ſententiam Suarij, & nihil in oppoſitum affert; probabilémque reputat P. Sanchez *ſuprà n.16.* Arguitur pro ea primò; A diuerſis non fit illatio, ſed peccatum, & cenſura ſunt res diuerſæ, ergo à peccatis non fit illatio ad cenſuras; cum igitur Pontifex prohibuerit dumtaxàt peccatorum reſeruationem, præter aſſignata in decreto, non rectè infertur, reſeruationem cenſurarum fuiſſe ab illo prohibitam; eſtò per accidens peccata maneant reſeruata, cenſuris reſeruatis. Reſpondeo, non fieri rectam illationem ab omnino diuerſis nulla inter ſe connexione copulatis, ſic verò à diuerſis inter ſe neceſſaria connexione coniunctis; reſeruata etenim cenſura, manet peccatum reſeruatum eodem modo quoad incommoda, quæ Pontifex vitare conatur. Et ſanè à diuerſis in lege ſit extenſio ab vno ad aliud, quando & eſt eadem ratio, & ex mente legiſlatoris, motiuoque illius extenſio manifeſtè deducitur, vt in præſenti contingit.

14 Arguitur ſecundò. Omnis reſeruatio eſt odioſa, ac reſtringenda, in odioſiſque non fit extenſio de vno ad aliud, etiam ſi par in vtroque ſit ratio; & reſeruatio prohibita peccatorum eſt Superioribus odioſa, & contraria iuri communi, cuius vi ante hanc prohibitionem poterant ea reſeruare peccata, igitur non eſt ad cenſuras extendenda. Reſpondeo, hoc Papæ decretum non eſſe per ſe primò odioſum, ſed per ſe primò fauorabile, nempè in ſubditorum bonum editum quamvis ſit aliquo modo Superioribus odioſum, quod odium Pontifex fauori ſubditorum poſtpoſuit; quare non eſt ita reſtringendum odium, vt ſimul reſtringatur fauor ſuper ſe primò intentus, ſed potiùs è contra, extendendus eſt fauor, licèt indè ſequatur, odium non reſtringi; Cum enim vnum ex his duobus neceſſariò ſit efficiendum, nec in præſenti ſit compoſſibilis reſtrictio odij cum extenſione fauoris, id equidem debet præſtari, ad quod primò, & per ſe Pontifex attendit, nempè fauoris extenſio; Ex verbis autem proœmialibus decreti liquet, Pontificem ſubditis, non Superioribus, voluiſſe fauere, illorumque bono conſulere.

15 Argui poteſt tertio. Poteſt contingere, vt ad rectam gubernationem Domus, vel Prouinciæ opus ſit, reſeruare cẽſuras, reſpectu peccato

Digitized by Google

peccatorum, quæ ſaltem à Capitulis poſſent reſeruari, damnumque ſequatur ex dilatione, ſi Capitulum, aut Congregatio expectetur; ergo tunc Superiores, qui nequeunt ea reſeruare peccata, poterunt reſeruare cenſuras; nec credendum eſt; Pontificem voluiſſe rectæ gubernationi nocere. Reſpondeo, ex duobus damnis minus eſſe eligendũ; minúſq; eſſe; non reſeruari eas cenſuras propter dicta, quàm aliquod incommodum ſequi, quod ſanè non poteſt eſſe adeò graue; quare Pontifex maius optauit præcauere malum, & etiam ad rectam gubernationem ſpectat à nimiis reſeruationibus abſtinere, quare in eadem materia ſunt ambo incommoda. Deindè poſſunt Superiores præceptis, ac cenſuris non reſeruatis ſubditos ab eis culpis cohibere, pœnitentiiſque grauibus, ſi delinquant, refrænare. Prætereà communiter in Sacris Ordinibus ſunt frequentia Capitula Prouincialia, quæ vt in plurimum poſſunt reſeruare peccata. In Religionibus autem, in quorum Capitulis, aut Congregationibus Prouincialibus facultas reſeruandi non adeſt, ſanè in Generalibus Congregationibus bono communi proſpicitur per reſeruationem peccatorum, ac cenſurarum; accidentariumque nimis eſt, quod in argumento expenditur; nec debuit propter id, liberum relinqui Superioribus, reſeruare eas cenſuras, cum indè clariora damna per ſe ſequerentur, aut ſequi poſſent iuxta dicta. Hinc etiam, ſi in aliqua Religione nullus Superior præter Generalem gaudeat facultate reſeruandi ea vndecim peccatorum genera à Clemente deſignata (non enim eis Superioribus in hoc decreto facultas, quâ carebant, conceditur, vt in ſimili dicebam *n.*10.) ſufficienter iudicatur prouiſum bono communi, rectæque gubernationi, ſi Generalis reſeruet prædicta peccata, etſi cæteri Superiores id præſtare non valeant.

16 Infero ſecundò eſtò poſſint ab aliis Prælatis, ſaltem à Pontifice, reſeruari peccata venialia, & mortalia ſemel ritè confeſſa, non tamen poſſe à Superioribus Regularibus, nec à Capitulis; quia non ſunt ſimilia in grauitate his, quæ appoſuit Pontifex vt reſeruabilia, nimietaſque eſſet eorum reſeruatio, quam vitare ipſe contendit.

17 Infero tertiò, & ſi ab aliis peccata merè interna ſint reſeruabilia, non tamen in Religione à Superioribus, vel Capitulis; quia norma reſeruationis ſumenda eſt ab eis peccatis; quæ Pontifex expreſſit, in quibus nullum eſt merè internum, quaſi hoc ſollerter ſit cautum à Clemente, ne vllum peccatum, quod in opus externum non prodeat, reſeruetur, quare exceſſus, ac nimietas eſſet in eiuſmodi reſeruatione contra mentem Pontificis; indéque praxis eſt, vt nulla peccata merè interna reſeruentur. Addo, ſi peccata reſeruentur, quæ prodeunt in actum externum, ſolùm intelligi de actionibus externis grauibus, non de leuibus, quantumvis ab affectu interno mortali oriantur; nam licèt illæ actiones ab actu interno denominentur mortales, tamen ex ſe tales non ſunt; & ſicut internus actus non reſeruatur, ita nec, quando non procedit in actum externum habentem ex ſe grauem malitiam, & indecentiam. Immeritóque P. Luiſius Turian. *in ſelect. p.*2.*d.*31.*dub.*61. aſſeruit, hoc aſſertum non eſſe tutum nec probabile; ita enim illud defendunt Cardinalis Lugo, *tom. de pœnit. d.* 20.*num.*15. afferens pro ſe PP. Suar. Granad. & Henriq. huic opinioni fauentes. Item Nauar. Graffis, Homobonus, Miranda, Bonacina, quos ſectatur Leander de Sacram. *tom.*1 *tract.* 5. *d.* 12. *q.* 9.

18 Quæ doctrina eſt tenenda, etiam quando habentes iuriſdictionem ad reſeruandum peccata merè interna, aut externa venialia, reſeruarent aliquod peccatum graue prodiens in actum externum, ſi nihil aliud exprimerent; tunc enim eſſet ratio ad limitandum, ſeu exponendum eorum animum de actu externo graui; quippè peccata merè interna nulla de facto reſeruantur, peccata verò venialia reſeruari non poſſe, tenent plures; & ſolùm à Pontifice eſſe reſeruabilia, tuentur alij; prætereà, cum reſeruatio ſit odioſa, debet reſtringi, maximè cum onus tantùm non niſi ſuper peccatum ex ſe graue impoſitum fuiſſe, ſit cenſendum. Cæterùm Capitula, & Regulares Superiores non habent poſt decretum Clementis iuriſdictionem reſeruandi peccata mortalia prodeuntia in actum externum leuem; vt eſt verbum turpe ex ſe leue, aut detractio leuis, ortæ ex animo lethaliter peccaminoſo contra caſtitatem; aut charitatem; Etenim vt conſtat ex dictis, nequeunt reſeruari peccata mortalia merè interna, nec vlla venialia, ergo nec mortalia interna, prodeuntia in actum externum venialem ex ſe, & attentis circumſtantiis externis; nam actus externus ex ſe leuis poteſt fieri à circunſtantiis externis, quibus afficitur, grauis.

19 Infero quartò, non poſſe Superiores Regulares, nec eorum Capitula reſeruare peccata dubia; ſiuè dubium ſit, an fuerint commiſſa, ſiuè ſit, an fuerint mortalia ob defectum deliberationis, aut ſimilem. Quippè hic eſſet exceſſus, ac nimietas contra Pontificis motiuum in hoc decreto expreſſum; & cum in eo etiam alia peccata grauia, & certa à reſeruatione excludãtur, dum non ſint in ipſo contenta, aut ſimilia, multò magis excludẽtur dubia peccata, attendenſque Pontifex fauori ſubditorum, ſanè eos ab hoc liberauit onere,

vtporè

Digitized by Google

vtpotè grauiſſimo, & plurimis obnoxio damnis, cum frequenter poſſint hæc dubia, & anxietates accidere etiam inter viros maximè timoratos. Hinc praxis Religionum eſt, vt niſi peccata ſint certa, reſeruata non cenſeantur.

20 Imò generaliter loquendo, quotieſcumque reſeruatur peccatum à quolibet Prælato, dum aliud non exprimitur, exponendum eſt de certo, ita vt dubium non comprehendatur, quia reſeruatio, vtpotè odioſa, eſt reſtringenda, & ſtrictè interpretanda. Sic defendunt Boſſius *de Iubil. ſ.* 4. *caſu* 13. P. Suarez *tom.* 5. *de cenſur. d.* 40. *ſ.* 6. *num.* 5. PP. Henriquez, Filiucius, & Hurtado, Ochagauia, Cardinalis Lugo, quos citat, ac ſequitur Leander *ſuprà quæſt.* 11. Portel, Homobonus, & Merolla ſubſcripti à Diana *part.* 4. *tract.* 3. *reſ.* 4. contra Cordubam *in reg. Sancti Franciſci cap.* 7. *quæſt.* 4. *punct.* 1. Armillam *verbo caſus num.* 13. At Martinus Frias *tract. de modo audiendi confeſſiones part.* 2. *cap.* 8. *caſ.* 2. aſſeruit, cum pœnitens habet peccata reſeruata dubia, ſalubrius eſſe, eum ad Superiorem remittere, vel conſulere peritiores, quàm abſoluere. Sed nec ſalubris eſt ea remiſſio, imò potiùs occaſio ruinæ; nec conſilio eſt opus; cum tot, tam graueſque Authores optimo innixi fundamento, abſolui poſſe conſulant, ac ſentiant.

21 Hic nota, hucuſque dicta, & deinceps in tota hac diſputatione dicenda, eſſe intelligenda, ſtando Decreto præfato Clementis VIII. Si enim poſt illud in aliquo Sacro Ordine obtenta eſt diſpenſatio, ſeu priuilegium (quin poſt obtentionem ſit reuocatum) aliter ſe habendi in his, quæ à Clemente præcipiuntur, equidem in eo Ordine iuxta eam diſpenſationem poterunt Capitula, aut Superiores validè operari, ſubditique tenebuntur eorum ſtatutis, aut præceptis obedire. Nota etiam, plura ex his, quæ diximus *diſputatione præcedenti*, aptanda eſſe reſeruationi, quæ in Religionibus fit, dum non ſint contraria his, quæ in hac diſputatione declaramus, vt ſpecialia ipſarum Religionum. Demùm aduerte, peccata, & cenſuras, quæ à Sede Apoſtolica, ſeu à Pontifice ſunt reſeruata, etiam comprehendere omnes Regulares: ita vt ab eis nequeant abſolui niſi à reſeruante, vel ex delegatione, aut priuilegio ipſius, quod an ſit conceſſum Religioni, inſpici debet, vt iuxta illud abſolutio præſtetur. Cum autem *in hac diſputatione* loquimur de peccatis reſeruatis Regularium, non de reſeruatis Pontifici agimus, ſed de reſeruatis Superioribus Regularibus, quæ quia ſpecialiter reſeruantur, dicuntur abſolutè peccata Regularium reſeruata. In qua acceptione è contra inter peccata mortalia non reſeruata (cum ſermo eſt de Regularibus) includuntur etiam peccata Pontifici reſeruata, prout hæ reſeruationes contraponuntur. Hinc, cum inquiritur an Regulares poſſint vti Bulla Cruciatæ quoad abſolutionem à reſeruatis, quæſtio eſt de reſeruatis ſuo Superiori Regulari; cum autem quæritur, an vti poſſint Bulla quoad electionem Confeſſarij in ordine ad mortalia non reſeruata; quæſtio de mortalibus non reſeruatis Superiori Regulari, etiam ſi ſint reſeruata Pontifici. Hoc eſto dictum, vt clariùs diſcutienda hæc materia intelligatur.

Mendo in Bull. Cruciat.

CAPVT III.

Explicantur caſus reſeruabiles à Superioribus Regularium, in Decreto Clementis VIII. contenti.

22 CОntinet primus caſus *Veneficia, incantationes, ſortilegia.* Vox veneficij comprehendit quodcumque opus dæmonis ope factum, in quo inuocatur auxilium dæmonis ad damnum, vel commodum alterius, aut proprium, cultum ei aliquem præſtando, pactoque explicitè, aut implicitè interueniente; vt, ſi quis ea ope vtatur ad ligandum alium, ne poſſit vxorem cognoſcere, aut ad ſoluendum illum. Veneficium eſt opus ſuperſtitioſum ab arte Magia procedens contra virtutem Religionis, & primum decalogi præceptum. Videatur P. Suar. *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *cap.* 18. In ſtricta autem ſignificatione veneficium eſt, quaſi crimen veneni, opus nempè auxilio dæmonis factum, non ad commodum, ſed ad damnum alterius. Et licèt omnia veneficia eadem afficiantur malitia contra Religionem, crediderim, ſolùm proponi à Pontifice, vt reſeruabile, peccatum veneficij in ſtricta acceptione vſurpati; cum verba reſeruationis, vtpotè odioſa, in ſignificatione ſtricta ſint accipienda. Includit ergo hic caſus tum veneficij applicationem, tum vſum illius ſcienter excitum, vtens enim, & applicans à dæmone beneficium expectant, ſeu eius auxilium inuocant, vt tenet Pater Suarez *ſuprà* cum S. Thoma *in* 4. *diſt.* 34. *art.* 3. *ad* 3. At ſi quis magum conſuluit, veneficij autem remedio non eſt vſus, non incidit in caſum præſentem, quia conſultatio non fuit veneficium.

23 Incantatio eſt expreſſa, aut tacita inuocatio dæmonis ad aliquid exequendum, aut cognoſcendum, pacto interueniente, quòd aliquid in cultum illius præſtabitur, ſi v. g. reuelet aliquid ignoratum, aut remedium ad valetudinem adipiſcendam exhibeat; idque fit, quando aliquid ſupra vires naturæ intenditur, aut obtinetur; Signa autem incantationum reperies apud P. Fagúdez *præcept.* 2.

Digitized by Google

l.8.c.4.num.12. Qui ergo incantationibus vtitur,incidit in caſum præſentem. Imò ſæpè huic culpæ immiſcetur hæreſis, ſi credat incantator, dæmonem eſſe honore diuinitatis dignum; fidem Catholicam, quam ei ſpondet negare, non eſſe veram, & alia huiuſmodi. Curatio per enſalmos (vt vocant,) non eſt exiſtimata incantatio, valdéque frequens eſt in aliquibus terris, verba quædam pronuntiando, & crucis ſigna efficiendo. Et licèt ſub incantatione non includatur, ſemper monerem, abſtineri ab illa, veritus, in ea pactum aliquod tacitum cum dæmone latere. Videatur Emanuël à Valle *in lib. contra enſalmorum curationem.*

24 Sortilegia ſunt diuinationes per ſortes alicuius rei occultæ cum pacto expreſſo, aut tacito dæmonis; vt cum per ſortes quis annuntiat futura, vel hoc præ illo eſſe eligendum. At non eſt ſortilegium,ſed tentatio Dei, aut ſacrilegij ſpecies, vti temerè ſortibus conſultoriis abſque graui neceſſitate, debita reuerentia, inſtinctúque Dei, quare hoc non includitur in hoc caſu.

25 Secundus caſus in Decreto appoſitus eſt; *Apoſtaſia à Religione, ſiuè habitu dimiſſo; ſiuè retento, quando eo peruenerit, vt extra ſepta monaſterij, ſeu conuentus egreſſio fiat.* Sumitur in præſenti apoſtaſia, ſicut in iure, pro egreſſione à Religione abſque animo regrediendi ad illam, ſed potiùs viuendi in ſæculo. Si igitur extra ſepta monaſterij, ſeu vltimos parietes illud circumdantes, egreſſio non peruenerit,licèt animus fuerit egrediendi,& non regrediendi,non includitur in hoc caſu. Nec item egreſſio extra monaſterium animo vagandi per aliquod tempus, & iterum regrediendi ad Religionem, quia ſecundum ius commune ea non eſt apoſtaſia à Religione; vt docent Tabiena *verbo Apoſtaſia, num.*14. Syluester *eodem verbo num.* 9. P.Leſſius *de iuſtit. l.2.c.41. dub.*15. *num.*109. P. Fagundez *2. præcep. l.8. c.5. num.3. & 15.* Nec includitur egreſſio extra Monaſterium animo ingrediendi Religionem etiam laxiorem, quia ſecundum ius commune hæc non eſt apoſtaſia; quare propter eam non incurritur excommunicatio in iure contra apoſtatas lata, vt contra Nauarrum,Caietan. & Syluestr. tuentur Angelus, Ioannes Andr. Panormit. PP. Sa, & Leſſius, quos affert, & ſequitur P.Fagund. *vbi nuper num.*3. Nec obſtat Tridentinum *ſeſſ.*25. *c.4. de regularibus*, aſſerens,egredientes è monaſterio abſque licentia Superiorum quovis prætextu, tanquam apoſtatas, fore puniendos; Nam ex hoc non infertur, eos eſſe apoſtatas in foro conſcientiæ (de quo caſus præſens eſt intelligendus) ſed in foro externo puniendos eſſe, ac ſi forent verè apoſtatæ. Imò quibus in caſibus iuxta mentem Concilij etiam in foro externo non ſint apoſtatæ reputandi, legatur P. Fagundez *ſuprà*, Nauarrus, Rodriguez, Aragon, Sotus, & Cenedo ab ipſo allati. Quando autem egredientes è Monaſterio, licèt non ſint verè apoſtatæ, excommunicationis ſententiam incurrant, non eſt huius loci; videantur Authores prædicti. Priuilegia verò Societatis IESV in apoſtatas,ac in egredientes ex illa animo ingrediendi alium ſacrum Ordinem, reperientur *in Compend. priuileg. Societ. verbo Apoſtata.*

26 Tertius caſus eſt, *Nocturna, ac furtiua è Monaſterio, ſeu conuentu egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta.* Vndè hic non comprehenditur egreſſio diurna, quantúmvis furtiua. Includitur autem egreſſio nocturna furtiua etiam ipſius Superioris; licèt enim ille poſſit ſubditis præſtare licentiam ad egrediendum noctu, non verò ad egreſſum iniquum, quare nec ipſe poteſt eum exequi, & ſubditus,qui licentiam obtineret ad egreſſum iniquum, in hunc caſum incurreret, eaque licentia eſſet nulla, atque adeò egreſſio foret furtiua. Secùs erit, ſi obtenta licentia ad finem bonum,quis, dum egreditur, malum exequatur; idemque dicendum de Superiore ad opus licitum egrediente, ſimulque prauum operante.

27 Quartus caſus eſt. *Proprietas contra votum Paupertatis, quæ ſit peccatum mortale.* Cui adiungo caſum octauum; *Furtum de rebus Monaſterij, ſeu Conuentus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.* Hi enim caſus valdè affines, diuerſi tamen ſunt; licèt namque eademmet actio poſſit eſſe furtum, & etiam contra votum paupertatis, vt ſi quis ſurripiat ſibi quantitatem grauem à Monaſterio, tamen poſſunt ad inuicem ſeparari; quippè ſi Religioſus accipiat abſque licentia quantitatem grauem à ſæculari nolente,vt eius dominium tranſeat ad monaſterium, ſed vt religioſus in ſuos vſus conſumat, hic eam ſibi vſurpans, & approprians committit culpam proprietatis contra paupertatis votum, non verò furtum. Quod ſi idem religioſus iuuaret aliquem furantem res monaſterij, quin ſibi aliquid ex illis vſurparet, furtum committeret, quin proprietarius eſſet.

28 Furtum à Pontifice deſignatum de rebus eſt monaſterij; quare ibi non includitur furtum de rebus, quæ monaſterij non ſunt,etiam ſi ſint in monaſterio. At res intelliguntur monaſterij,quæ ſinguli religioſi habent, licet vſui communi non ſint deputatæ; Item ea, quæ pertinent ad Prouinciam, aut Congregationem in communi, nam ea ſunt omnium Monaſteriorum, aut Domuum collectiuè. Attamen ſi quis damnificaret res monaſterij per actionem iniuſtam etiam ſi graue

Digitized by Google

graue eſſet damnum, dum nihil furaretur, non incideret in hos caſus, quia ea actio furtum non erat, nec proprietas. Idem dico de detentione iniuſta rei alienæ, non vſurpatæ, aut appropriatæ, nam ea non eſſet proprietas, nec furtum. Pariter, ſi quis erroneè exiſtimaret, ſe abſque licentia de re graui Monaſterij diſpoſuiſſe, & tamen licentiam haberet, quamvis ibi eſſet actio formaliter malitia furti affecta, tamen ſub hoc caſu reſeruabili non comprehenderetur, quia realiter non eſſet furtum, hic verò ſolum continetur furtum, quod eſt tale à parte rei, & non per reſpectum ad conſcientiam erroneam; quod & ex mente Pontificis verba, in propria ſignificatione proferentis conſtat, & ex natura odioſa reſeruationis, quæ ſtrictè eſt interpretanda. Sic qui accepit aliquid, exiſtimans falsò, inuitum eſſe dominum, furtum non committit *l. inter omnes, §. rectè, ff. de furt. §. placuit, inſtit. eodem tit.*

29 Furtum tamen erit acceptio iniuſta non ſolùm rei, ſed vſus, vel poſſeſſionis rei, ad quem vſum habet ius monaſterium, quantumvis non haberet ius ad proprietatem; nam etiam ius, ac poſſeſſio ſunt pretio æſtimabilia. At quodvis furtum, aut proprietas contra paupertatis votum, vt includantur ſub his caſibus, debent eſſe mortalia in ratione talium; vnde non includentur, ſi ex ſe leuia ſint, aliundè verò ex circunſtantiis ſcandali, aut ſimilibus, grauia. Igitur in his caſibus continentur furtum de rebus monaſterij, acceptio, donatio, conſumptio, vſurpatio rei pretio æſtimabilis, aut pecuniæ in quantitate ſufficiente ad peccatum lethale abſque licentia Superioris expreſſa, vel tacita virtuali, aut interpretatiua præſumpta. Etenim licentiam iure optimo præſumptam, nempè dum prudenter, ac rationabiliter præſumitur. Superiorem annuere, etiam ſi non ſit eius conſenſus expreſſus, ſufficere ad operandum in his abſque peccato, tenent S. Thomas, S. Bonauent. Turrecremata, Angelus, Tabiena, Roſella, Syluester, Armilla, Medidina, Bañez Aragon, Nauarra, Cordoua, Lopez, Graffis, Nauarrus, Ledeſma, Viualdus, Rodriguez, Gerſon, Zechius, Cardinalis Toletus, PP. Valentia, Sà, Leſſius, Azor, Molina, quos refert, & ſequitur P. Thom. Sanch *l. 7. ſum. c. 19. num. 4.*

30 Tunc autem præſumitur probabiliter ea voluntas Superioris, quando ex vno capite non præcepit in virtute obedientiæ, ne vllus aliquid accipiat, vel expendat ſine expreſſa licentia ipſius, & experientia, conſtat, non ſolùm illum ſolitum eſſe eas licentias concedere, ſed etiam non ferre notabiliter ægrè, vt non petantur. Hinc in Religionibus vbi ægrè notabiliter id fertur, licentia non rectè iure præſumitur. Quando autem Superior videt acceptionem, vel donationem, & tacet, licentiam præbere eſt cenſendus, niſi fortè præ verecundia, aut timore taceat inuitus. Opus autem eſt, vt licentia ſit Superiori voluntaria, non extorta per metum grauem. Ea autem, quæ extorquetur importunitate precum frequentium, valida eſt, vt tenet P. Suarez *tom. 4. de relig. c. 8. num. 3.* Imò & ſi peccaret quis extorquendo licentiam per metum leuem, aut per dolum, fingendo rationes, vt moueretur Superior ad conceſſionem, aut à Superiore aliàs non conceſſuro, niſi timeret perturbationem, & querelas graues, tamen non incideret in caſum à Clemente VIII. propoſitum; quia abſolutè in his euentibus voluntas Superioris concurrebat, ita vt ſubditus in pœnas inflictas aduersùs proprietarios non incidat, ergo nec in reſeruationem, quæ etiam, vt pœna aduersùs proprietatis peccatum pronuntiatur. Idem dico, & ob eamdem rationem de illicita licentia præſtita ad expendendum aliquam materiam grauem in vſus turpes, quare ea expenſio non includitur in hoc caſu Pontificis. Quid? quod eſt probabilis ſententia, eam conſumptionem in vſu turpi cum licentia non eſſe peccatum proprietatis, ſed auaritiæ; ſic enim id aſſerunt Graffis, Syluest. Tabien. & alij, quos ſequuntur P. Leſſius *de inſtit. l. 2. c. 41. dub. 9. num. 79.* P. Azor *l. 12. c. 12. q. 5.* Idem etiam aſſero de eo, qui rem cum licentia habitam abſcondit, ne ei à Superiore auferatur, & de eo, qui non eſt animo prompto, vt Superior liberè diſponat de his, quæ in ſuo vſu habet; quippè eſtò vterque ſit interiùs proprietarius, non verò exteriùs, nec puniri poteſt vt abſque licentia vſurpans materiam grauem.

31 Furtum autem, ac proprietas à Clemente propoſita in his caſibus debent eſſe grauia mortaliter. Quod vt liqueat, aduerte, furtum poſſe eſſe peccatum graue ex circunſtantia, & non ex materia, vt ſi quis à paupere victum vnius diei furetur, à ſartore acum, cuius defectu ceſſauit à quæſtu, à ſcriba calamum, ſi alius non reperiatur, & his ſimilia. Hoc ergo furtum (etiam ſi in aliqua Religione eſſet quodvis furtum reſeruatum, vt eſt in Societate IESV) non eſſet peccatum reſeruatum, quia ratione furti eſſet ſolùm peccatum veniale, cum materia eſſet leuis, iuxta doctrinam P. Thomæ Sanchez *in ſum. lib. 7. cap. 10. n. 5.* docentem reſeruationem furti intelligendam eſſe de materia ex ſe ſufficienti, ſecluſis circunſtantiis; In euentibus, autem prædictis illud furtum eſt graue peccatum ob circunſtantiam damnificationis, quæ non reſeruatur, dum reſeruatur furtum. Nec indè infertur è contra, eſſe furtum reſeruatum,

Digitized by Google

ſi quis religioſus à patre diuite octo drachmas ſurriperet, quæ videtur materia grauis; nam furtum, quod non eſt mortale, non eſt reſeruatum, furtum ergo illud non eſſet peccatum mortale ratione circunſtantiæ perſonæ, cum non peccetur lethaliter, cæteris paribus, auferendo à patre, quod ablatum ab alio inferret culpam lethalem. Nec animus furandi grauis lethaliter, ſi furtum ſit res exigua, facit eſſe peccatum reſeruatum ob dicta *ſuprà n.*18.

32 Furtum rei modicæ repetitum (idem eſt de acceptione, aut donatione abſque licentia) ita vt tandem conſtituat materiam grauem, iunctis inter ſe his materiis, quæ diuerſis vicibus ſunt ſurreptæ, quantumvis in vltima actione complente eam materiam detur peccatum mortale, non tamen cadent ſub hac reſeruatione; Etenim ea materia per vltimam actionem ablata eſt leuis, deindè peccatum mortale, iuxta doctrinam Authorum illud in ea conſtituentium, ex damnificatione reſultante oritur, quæ damnificatio, vt ex P.Sanchez *nuper* diximus, non eſt reſeruata in caſibus, quos nunc exponimus; nec diſparitas poteſt reperiri inter euentum poſitum *n.præcedenti*, & hunc, quoad damnum illatum. Imò probabile valdè eſt, in ea actione vltima non dari peccatum mortale, ſiuè reſpectu eiuſdem domini plures quantitates modicæ ſint ablatæ diuerſis vicibus, ſiuè à pluribus dominis, quando quis caruit voluntate accedendi ad quantitatem grauem; Ita ſentiunt. Angelus *in moral. c.* 5. Graffis *p.*1. *lib.*2. *c.*93. *n.*9. Cardinalis Toletus *lib.*5. *ſum. c.*16. *n penult*. P. Leſſius *de iuſt. lib.*2. *c.*12. *dub.*7. *n.*37. & alij. Retentio verò eius quantitatis erit peccatum graue, non verò ſub prædictis reſeruationibus incluſum; quia retentio non eſt furtum; deindè potuit Religioſus plures quantitates modicas repetitis vicibus donaſſe, accepiſſe, aut conſumpſiſſe, quin demùm proprietarius ſit ſimul, & ſemel materiæ grauis. At ſi eas materias ſimul adhuc, vt proprias retineret abſque licentia, proprietatis peccatum in hac reſeruatione incluſum patraret eo quòd vſurparet ſibi res valoris grauis ſimul conſeruatas. Attamen ſi paulatim accepit abſque licentia, nec ſibi appropriauit, ſed vt proprias Monaſterij, vel domus, eas res habet, ſicut & cætera alia, proprietatis peccatum reſeruationi huic obnoxium non committet.

33 Quantitatem ex ſe grauem ad furtum lethale, ſecluſis circunſtantiis, & inuito domino, duas drachmas argenteas eſſe in Hiſpania, cenſuerunt Couarru. *lib.* 1. *variar. cap.* 3. *num.* 12. Corduba, & Nauarrus. Ad quatuor extendit P.Suar. *lib.*8. *de paupertate, cap.*6. *num.* 10. At ad vnum Scutum aureum Nauarr. *lib.*3. *de reſt. cap.*1. *num.* 9. Sanè hæc vltima opinio ſatis ampla eſt, anſamque furandi præſtare videtur: conſiderare oportet, eatenùs eſſe æſtimabilem pecuniam, quatenùs cum ea res ad victum, & veſtitum neceſſaria emuntur, ac ſuppeditantur; hinc, quia temporibus Nauarri pretia rerum erant viliora, duæ drachmæ viſæ ſunt grauis materia; poſt verò pretiis creſcentibus, rigida omnibus apparuit ſententia. Idem ergo de taxa à P.Suario præfixa aſſeri poteſt; poſt ipſum enim gliſcentibus in dies vectigalibus rerum pretia adeò creuerunt, vt non poſſint quatuor drachmis comparari ea, quæ Nauarri ſæculo duabus comparabantur. Hinc tenendum cenſeo, nunc non infra octo drachmas æreas eſſe materiam grauem furti; & ſic non pauci viri timorati, ac docti de hoc conſulti ſenſere.

34 Vnde, vt ſub prædictis reſeruationibus includatur furtum, aut proprietas, debet octo attingere drachmas; eſtò ob aliquam circunſtantiam poſſit eſſe peccatum mortale, licèt ad eam quantitatem non accedat, aſt ſub reſeruatione non comprehendetur iuxta dicta. Nec quis exiſtimet, maiorem quantitatem requiri, vt religioſus lethaliter peccet, eò quòd comparetur ad Religionem, vt filius ad matrem, inter filios autem, & parentes, ſecluſis circunſtantiis aliis, maior quantitas ablata requiritur, vt ſit peccatum lethale; atque adeò indè maiorem quantitatem arripi à Domo, vel Monaſterio, opus eſſe videatur. Etenim reſpondeo, quando parentes inopia laborant, filiiſque neceſſaria prouident, ablationem quantitatis maioris, ac eſt deſignata, imò forſan ob circunſtantiam, quantitatis minoris, eſſe peccatum lethale. Religio autem, aut Communitas & prouidet neceſſaria ſubditis, & hi ſunt plures, illaque eſt parens profitens paupertatem religioſam, & ſtrictam. Et quod amplius eſt; ſubditi non ſunt verè filij, ſed per iuris fictionem in ordine ad alia, non verò vt poſſint impunè, cum paupertatem profiteantur, furari ab ea maiorem quãtitatem. Ideò ſolent Superiores declarare, vt in Societate præſtitit N. P. Generalis, ſe inuitos eſſe quoad quantitatem, quæ furtum conſtituit reſpectu, cuiuſque & grauitatem eſſe eamdem, ac ſi ab aliis ea quantitas ſurriperetur.

35 Ex tradita doctrina colliges, etiam ſi ſit peccatum mortale cuiuſque, cum plures concurrunt ad furtum quantitatis grauis, ſingulis verò modica quantitas contingit, vnus tamen ſine aliis ad inuicem non furaretur, tamen non eſſe furtum in hac reſeruatione incluſum, quia quivis non committit furtum materiæ ex ſe gravis, ſed leuis.

Vide

Digitized by Google

Vide dicta *numero* 31. Cœterum de rebus eſculentis, ſiuè fiat furtum ſimul, ſiuè repetitis vicibus, vel ſi fiat ab vno, aut à pluribus (idemque eſt de acceptione earum ſine licentia) vſu receptum eſt, vt maior quantitas requiratur ad peccatum mortale, & conſequenter, vt ſub reſeruatione cadat; & in hoc ſanè Religio reputat, quaſi filios, ſubditos ſuos. Poſſet autem ex circunſtantia neceſſitatis eſſe peccatum mortale furtum eiuſdem quantitatis in rebus eſculentis, ſed non eſſet ſub reſeruatione, cum ex ſe ea materia non eſſet grauis. Iudicio autem prudentum eſt ſtandum in quantitate deſignanda, quæ forſan ad duplicatam quantitatẽ poterit extendi, nempe ad ſexdecim drachmas. At furtum eſculentorum, vt vendantur, vel donentur, erit graue, & ſub reſeruatione, ſi ad octo drachmas perueniat; ad hunc enim finem nec vſus eſt contrarius, nec religioſi reputantur, tanquam filij naturales.

36 Vt autem in hac materia poſſit decidi de caſibus occurrentibus, operæ precium erit, aliquos proponere. Donare rem, aut accipere dumtaxat ad vſum abſque licentia, tunc erit peccatum lethale in præſenti reſeruatione contenta, cum vſus æquiualet quantitati graui, ſecùs, ſi non æquiualet. Nolle accipere, quod à ſæculari donatur, aliquando erit peccatum contra charitatem; deficiente cauſa non acceptionis, eo quod impediatur illud bonum Monaſterio, aut Collegio, cuius fieret, ſed non contineretur ſub peccatis hic à Clemente recenſitis. Mutuare, aut accipere mutuum, non ſecuto indè damno lucri euenturi Communitati ex pecunia mutuata, non eſt furtum, nec item proprietas, ſi nihil indè ſibi vſurpet Religioſus; vel vſus non æquiualeat quantitati graui. Deponere, aut in depoſito retinere quantitatem quamvis, manente dominio, & adminiſtratione erga dominum rei depoſitæ, non eſt peccatum, ſaltem furti, aut proprietatis (vt præſcindam à circunſtantia regulæ, ſi ſit contraria.) Inire contractum ſocietatis cum pecuniis habitis licitè, ſed abſque licentia inito contractu, ex eoque lucrum graue accipere, peccatum eſt hac reſeruatione comprehenſum. Imò & ſi nullum ſit lucrum, & in contractu non detur ſecuritas principalis, peccatum mortale erit, quia exponitur pecunia, cuius proprietatem habet Communitas, periculo; ſed non cadet ſub reſeruatione donec res pereat,

37 Vlteriùs, qui habet licentiam emendi librum, & aliud quid permanens emit, non peccat contra votum paupertatis, quia commodum idem ſequitur Communitati; nec cenſetur inuitus Superior; ſecùs eſſe, ſi emeret eſculenta, quæ conſumeret, tunc enim defraudaretur Domus proprietate rei, ad quam præſtiterat Superior licentiam, ideóque hic eſſet inuitus; quare, ſi res eſſet grauis in æſtimatione, peccatum daretur reſeruationi obnoxium. Permutare vnam rem cum alia æqualis valoris non eſt peccatum contra votum paupertatis, ſecùs erit, ſi excedat in valore notabili quantitatem ex ſe grauem conſtituente. Petere, aut accipere aliquid abſque licentia animo obtinendi eam, non eſt materia reſeruationis, nam furtum non eſt, nec proprietas, ſicut nec petere ab aliquo, vt deponat pecuniam apud alium, aut apud ipſum religioſum, vt ipſe religioſus accipiat ex ea, cum ſe ferat occaſio, quæ ſibi opus fuerint, obtenta tunc à Superiore licentia; dum tamen maneat in domino facultas reuocandi eam donationem quaſi conditionatam. Nec prætereа vllum peccatum eſt in elargitione eleemoſynæ, quã religioſus iter faciens præſtat pauperibus occurrentibus, dum moderatè id efficiat. Quòd ſi pauper ſit in extrema neceſſitate, poterit Religioſus ex conſenſu Superioris iure optimo præſumpto, eleemoſynam elargiri ex bonis Monaſterij, aut Domus, vel ex his, quæ ad ſuum habet vſum; imò poterit, licentia petita, atque negata. In graui neceſſitate pauperis, non eſſe furtum vſurpationem eleemoſynæ, vt ei ſuccurratur, tenent Angelus *verbo furtum* §.37. Syluester *ibi q.9. dicto* 2. Nauarra *de reſtit.l.*3.*c.*1. P. Sa, *verbo furtum n.*1. P. Leſſius, & alij. Imò dato, quod iuxta communiorem ſententiam furtum eſſet, eo quòd Monaſterium, à quo eleemoſyna ſurripiebatur, eſſet inuitum, adhuc videtur non eſſe ſub reſeruatione, quia circunſtantia grauis neceſſitatis facit, vt nec Superior ſit rationabiliter inuitus adeò, ac ſi aliud fuiſſet furtum commiſſum, & quòd illa actio habeat minus de malitia furti, ad quod non eſt extendenda reſeruatio, ſed reſtringenda vt odioſa. Et ſaltem primæ ſententiæ poterit ſe conformare ordinarius Confeſſor, quin egeat facultate Superioris ad abſoluendum ab illo.

38 In Societate IESV, licèt poſt vota ſimplicia biennij, dum non emittitur profeſſio ſolemnis, dominium retineatur rerum ſuarum ab vnoquoque (nempè hæreditatis, aut facultatum, quibus in ſæculo gauderet) nullus tamen vti poteſt illis abſque licentia, cum per votum paupertatis ab ſe abdicauerit etiam vſum facti, qui eſt ſecundùm ſe æſtimabilis; atque adeò hic vſus abſque licentia, æquiualens quantitati graui, eſſet peccatũ reſeruatum. Et quidem circa ea bona variæ ſunt conſtitutiones in Societate, & iuxta illas in hac materia eſt philoſophandum. Cœterùm de caſibus, quæ Religioſis Societatis occurrere queunt, videantur PP. Suarez, & Th. Sanchez *locis ſuperiùs relatis*.

Digitized by Google

CAPVT IV.

Alij caſus reſeruabiles à Superioribus Regularium in Decreto Clementis VIII. contenti exponuntur.

39 QVintus caſus eſt, *Iuramentum falſum in iudicio regulari, ſeu legitimo.* Eſt autem iudicium legitimum, quod eſt forenſe, & ſecundùm leges, vel Canones ſub iudice proprio inter duas perſonas peragitur, iuxta *gloſ. in cap. forum, de verbor. obligat.* Hinc, ſi Regularis à iudice non competente, vel à competente ſine debita iuſtificatione interrogetur, aut in caſu, in quo ſecundùm probabilem ſententiam poteſt negare veritatem, etiam ſi falſò iuret, non erit materia huius reſeruationis, quia vel non eſt legitimum iudicium, vel non eſt legitima interrogatio, vel iuxta eam ſententiam non tenetur ille reſpondere veritatem; Et cum reſeruatio hæc ſit odioſa, ſolùm debet extendi ad iudicium, in quo quis veritatem aperire tenetur. Hinc etiam non includetur in hac reſeruatione periurium ante iudicem arbitrum, vel in iudiciis priuatis ex conuentione partium, quia hæc non ſunt iudicia forenſia, & legitima. Ita P. Suar. *tom. 3. de Relig. lib. 2. c.* 18. *n.* 7. Idem eſt, ſi Religioſus in tribunali abſque licentia Superioris compareat, aut teſtificetur, veritatéque neget cum iuramento. Quòd ſi etiam in iudicio legitimo exteriùs veritatem neget, interiùs verò intentionem iurandi excludat, non dabitur materia reſeruationis, quamvis detur peccatum, quia iuxta doctrinam communiorem non eſt eſſentialiter iuramentum, quod fit ſine animo iurandi.

40 Similiter ſi quis iuret rem dubiam vt certam, non incidet in hanc reſeruationem quia illud iuramentum rei dubię non eſt periurium, ſed periculum periurij. Vnde nō omnia iuramenta, quæ ſolent periuria vocari, hîc comprehenduntur, ſed illa, quæ propriè ſunt inuocatio diuini teſtimonij in confirmationem falſitatis; quippè periurium ſtrictè ſumptum opponitur iuramento vero, ac religioſo, quod eſt inuocatio diuini teſtimonij in confirmationem veritatis, vt liquet ex doctrina D. Th. 2. 2. *q.* 98. *art.* 1. Idem dico de iuramentis incautè prolatis; hæc enim, ſicut præcedentia, non habent pro fundamento mendacium, & eatenùs inficiuntur malitia, quatenus exponitur quis periculo peierandi. Quare non eſſe propriè periuria, ſentiunt P. Vazq. 1. 2. *d.* 127. *c.* 3. P. Luiſius de Torr. 2. 2. *d.* 58. *d.* 2. P. Laym. *lib.* 4. *tr.* 3. *c.* 14. *n.* 4. contra P. Th. Sanch. qui *lib.* 3. *mor. c.* 4. *n.* 14. oppoſitum ſentit, atque pro ſe affert Abulenſem, Angelum, Syluest. Sot. Nauarr. & PP. Suar. Valent. ac Leſſium. Imo & ſi demus, hæc iuramenta eſſe eiuſdem malitiæ ſpecificæ cum periuriis ſtrictis, tamen non comprehenduntur ſub hac reſeruatione, quia non accedunt ad proprietatem periurij, quod tunc cōmittitur, cum quis ſciens, aliquid eſſe mendacium, cum iuramento id affirmat, & cum materia ſit odioſa hæc præſens reſeruatoria, & ſit quaſi pœnalis, reſtringenda eſt, ſicut reſtringuntur cenſuræ ob eam ipſam rationem; quare ſi impoſita eſſet cenſura periuriis, non incurreretur per iuramenta dubia, aut incauta, vnde pariter de reſeruatione aſſeuerandum eſt, non cadere ſupra illa.

41 Nec præterea ſunt materia reſeruationis periuria, indirectè ſolum volita in cauſa, vt cum quis ex conſuetudine continuò iurat, quin deliberet, an ſit verum, vel falſum, indeque ſæpè vnum, ſæpè aliud iurat, negligitque eam frænare conſuetudinem. Etenim cum hi ſint actus indeliberati, in ſe formaliter peccata lethalia non ſunt, ſed in cauſa; cauſa autem non cadit ſub hac reſeruatione. Quæ doctrina traditur à P. Suar. *lib.* 3. *de iuram. cap.* 8. *num.* 6. & valdè notanda eſt ad quæ vis alia peccata, quæ ſolùm in cauſa malitiam lethalem habent, & cauſa non eſt reſeruata; ſicut in his non eſt reſeruata cauſa, ſcilicèt negligentia deponendi conſuetudinem iurandi. Adhuc materia reſeruationis non eſt, ſi quis in iudicio aliquid implere iurauit cum animo vero adimplendi, ſi poſtea non adimpleat; quia illud iuramentum in ſui prolatione fuit verum, poſtea verò iuramentum non datur.

42 Iuramenta amphibologica, quando iuſtè fiunt, non poſſunt cadere ſub reſeruatione, quia peccata non ſunt. Sed nec cadunt, quando abſque ſufficienti cauſa proferuntur, licèt in eis grauiter peccetur: quippè in plurium Doctorum opinione ibi non eſt mendacium, & conſequenter nec iuramentum falſum; Et licèt ſit mendacium, dum per ea verba profertur, aut dum cauſa ſufficiens non intercedit, tamen ſi intercederet, aut aliis verbis proferretur, quod intenditur ſignificari, non eſſet mendacium; reſeruatio igitur, vt odioſa, reſtringenda eſt ad iuramentum cum mendacio, quod ita eſt intrinſecè malum, vt nunquam poſſit honeſtari. Et quidem, cùm ſic iurans applicet animam ad affirmandum id, quod in ſua mente habet, excludit animum iurandi id, de quo interrogatur; deficiente autem animo iurandi, & ſi mendacium iuretur, ſub reſeruatione non includitur, vt aſſerui *num.* 39.

43 Demùm non eſt materia præſentis reſeruationis iuramentum, quo quis iurat vt verum id, quod erroneè iudicatur falſum ab ipſo, ſi realiter verum ſit. Etenim licèt ibi detur falſitas

falſitas formalis; non verò datur realis;reſeruatio autem, vt pœnalis, ac odioſa reſtringenda eſt ad falſitatem formalem, & realem, nec per primam ſolam incurritur, alias ampliaretur reſeruatio ad id, quod re ipſa falſum non eſt. Et quidem iam diximus, non eſſe materiam reſeruationis quid exterius in ſe non graue per ſolum reſpectu ad actum interiorem;cum ergo exteriùs non ſit falſitas, & actus interior non reſeruetur in præſenti, ſit, vt illud iuramentum in hac reſeruatione non includatur. Quod variis exemplis confirmatur. Qui occidit equum, putans eſſe hominem, formaliter homicida eſt,& tamen quia occiſus realiter non erat homo, non incurrit occiſor pœnam irregularitatis. Qui exiſtimans, ſe proferre aliquam hæreſim, pronuntiaret, Deum eſſe trinum, & vnum,licèt eſſet hæreticus formaliter, tamen non incurreret in excommunicationis pœnam, & alias in hæreticos prolatas. Qui exiſtimans, pallium eſſe alienum, cum eſſet ſuum, illud arripuit furti pœna non mulctatur. Idem ergo hic contingit.

44 Sextus caſus eſt, *Procuratio, auxilium ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecuto.* Communis Authorum ſententia,quam refert Couarruuias *in Clementina, ſi furioſus*, 2. *part.* §.3. eſt,fœtum maſculum animari quadrageſimo die à conceptu, fœminem verò octogeſimo. Si ergo conſtet, fœtum eſſe animatum, & procuratio, auxilium, aut conſilium ad abortum faciendum præſtetur, materia eſt huius reſeruationis. Quòd ſi quis v.g. conſulat abortum die quinquageſimo à conceptu, cum ignorat, an ſit animatus fœtus, eoquòd neſciat, an maſculus, vel fœmineus,ſit, quid erit dicendum? Cenſerem, non includi ſub hac reſeruatione, quia, cum iuxta ſæpè repetita ſit odioſa, ac reſtringenda, non debet extendi ad caſum, in quo dubitatur de animatione fœtus; maximè cum vel abortum, vel partum poſſit facilè ille conſulens ignorare poſteà, vnde ſibi non conſtet, an fœtus maſculus fuerit, an fœmineus, vt inde colligat, vtrum tempore conſilij fuerit animatus; nec præterea ipſe expectare debeat tempus partus,aut abortus,vt à peccato praui conſilij abſoluatur.

45 Septimus caſus eſt, *Falſificatio manus, aut ſigilli Officialium Monaſterij, aut Conuentus.* Officiales ſunt Superiores, Secretarij,Procuratores,ſeu ij,qui habent munus perſonarum, aut rerum Monaſterij, Prouinciæ, aut Congregationis, Falſificatio autem hic contenta eſt ea, quæ in dannum Religionis, aut Monaſterij graue vergit, non verò, quæ iocoſa ſit,aut ad res leues; Actualiſque debet eſſe, vt verba reſeruationis de ea ſtrictè verificentur,quare non verificantur in mandato, aut conſilio falſificationis, nec in voluntate illius, imò in effectione ſigilli ſimilis ſigillo officialium, ad ſigillandum litteras, aut teſtimonium, ſi de facto non ſigillentur. Quare falſificatio ad executionem redacta in præſenti dumtaxat includitur, ſiuè ſit falſificatio ſigilli, ſiuè manus. Falſificari autem manus poteſt dupliciter; vel ſubſcriptionem nominis Officialis alicuius in litteris, aut ſcriptura apponendo; vel falſificando præcisè litteram,cum hæc ſufficit, etiam abſque ſubſcriptione, ad damnum inferendum; vt ſi quis in libris, in quibus procurator ſcribit ſua manu datum, & acceptum, manum Procuratoris falſificaret, aliquid graue inſerens. Attamen, ſi Superior carens Bullario ſuæ Religionis ſigillo Generalis ſignato, habens verò ipſum Bullarium typis excuſum, acciperet aliundè, vt ab aliqua epiſtola, ſigillum verum Generalis, & transferret in Bullarium, vt ſic in iudicio poſſet illud præſentare, ſanè in hunc non incideret caſum, quia & ſigillum,& Bullarium erant vera, ſolùmque fuit applicatio falſa. Imò ibi non interceſſit materia grauis, ſed quædam quaſi amphibologia realis, qua ſine damno tertij vteretur Superior iuſta de cauſa.

46 Nonus caſus eſt (nam de octauo egimus *num.*26.) *Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus.* Nomine lapſus carnis intelliguntur omnes ſpecies luxuriæ, quæ ſeptem ſolent annumerari; ſimplex fornicatio,adulterium,inceſtus,ſtuprum,raptus,ſacrilegium, & vitium contra naturam,ſub quo continentur pollutio voluntaria, ſodomia, & beſtialitas. Et quidem pollutio voluntaria in præſenti comprehenditur, & ſi habeatur ſine recuperandę ſanitatis,vel ſimilis,quantumvis non ſit ob cauſam veneream;vt ſic enim etiam eſt illicita, & contra caſtitatem. Lapſus autem carnis debet eſſe in præſenti voluntarius directè & in ſe, & non ſufficit indirectè, & in cauſa, vt in ſimili dicebamus *num.*41. vnde ſit paritas. Et quidem, cum reſeruationem debeamus reſtringere, ſolùm in præſenti includi eſt cenſendus lapſus carnis, qui ex propoſito habetur, ac ex voluntate directa; voluntarium enim indirectum, & in cauſa,non eſt in ſe ipſo obiectiuè voluntarium,iuxta doctrinam P.Suar. *lib.*2.*d.*1.*ſ.*5 *num.*12. & minùs culpabile eſt, quam voluntarium directum circa obiectum prauum, vt docet D. Th.1.2. *q.*76. *art.*4. Hinc non ſunt materia huius reſeruationis lapſus carnis in ebrietate contingentes, licèt quis præuiderit,eos ſibi in ebrietate contingere, nec pollutio in ſe non volita, nec per ſe intenta, licèt ſequatur ad cauſam, in qua præuidetur, in ſe turpem, & ordinatam ad rem veneream, vt in oſculis, ac

tactibus,

Digitized by Google

tactibus, qui in hac reſeruatione Clementis VIII. non comprehenduntur.

47 Exigitur autem à Pontifice ad hanc reſeruationem, vt lapſus carnis ſit opere conſummatus, ſcilicèt in ſua ſpecie; v.g. in ſpecie fornicationis, vt actus venereus cum pollutione fuerit habitus, nempè viri, nam fœminæ pollutio non requiritur ad conſummationem actus; quare tactus, oſcula, verba libidinoſa, aliaque obſcæna ſigna, cum non ſint actus conſummatus, ſed inchoatus, aut incœptus, ad conſummationem tendens, aut diſponens, ſub hac reſeruatione non includuntur. Similiter in ſpecie peccati contra naturam pollutio voluntaria huic ſubiacet reſeruationi, non verò diſtillatio voluntaria, etiam animo libidinoſo procurata, quia non eſt actus conſummatus in ea ſpecie. Præterea coitus cum fœmina, ſi abſque pollutione contingat, quantumvis hæc procurata fuerit, eſt extra hanc reſeruationem, ob rationem *nuper* dictam, Rursùs conſilium, auxilium, fauor ad actus libidinoſos conſummatos ab alio conſequendos non comprehenduntur in præſenti, quia & ſi habeant malitiam ſpecificam reductiuè, quam illi actus habent, tamen in præſenti, vt ex verbis Pontificis conſtat, non manent obnoxiæ reſeruationi hæ circunſtantiæ ſcandali, ſuaſionis, & ſimiles, ſicut nec periculum incidendi in lapſum carnis conſummatum, quãtumvis ſit voluntarium, & proximum. Hinc etiam, ſi quis turpiter alium tangens, eius pollutionem procuraret, eaque ſequeretur, quin tamen ſe ipſum pollueret, non ſubiaceret reſeruationi præſenti; nam in ipſo non dabatur lapſus carnis proprius conſummatus in aliqua ſpecie luxuriæ; ſolùm autem proponitur reſeruabilis eiuſmodi lapſus proprius.

48 Decimus caſus eſt, *Occiſio, aut vulneratio, ſeu grauis percuſſio cuiuſque perſonæ.* Grauitas autem percuſſionis deſumenda eſt ex ipſo obiecto, non ex circunſtantia perſonæ; quare ſi leuis ſit in ſe percuſſio, etiam ſi ratione grauitatis perſonæ percuſſæ ſit lethale peccatum, tamen non includetur in hac reſeruatione; ſed oportet, vt in ea comprehendatur, eſſe percuſſionem ex ſe grauem; quod eadem ratione probãdum eſt, quo *ſuprà* quid ſimile probauimus in furto *n.* 31. Debetque ea percuſſio grauis eſſe directè volita in ſe, nec ſufficit, eſſe præuiſam in cauſa, iuxta dicta *n.*41. Percuſſio autem ex ſe leuis (quamvis ex circunſtantiis ſoleat eſſe grauis) iuxta Nauarrum *in ſum. c.* 27. *n.*91. eſt percuſſio pugni, palmæ, digiti, pedis, baculi, lapidis, cum hæ percuſſiones non relinquunt in percuſſo maculam, aut ſuggillationem carnis; neque membrum abſcindunt, aut effringunt, neque dentes, aut euulſio non ſunt notabilis capillorum. Et quidem hæc percuſſio ex animo damnificandi proueniat, eſt opus, quippè, ſi caſu, aut ioco, aut ex iuſta, ac licita correctione eueniat, mortale peccatum non eſt, adeòque nec in præſenti reſeruabile.

49 Vndecimus, & vltimus caſus in Bulla Clementis præfixus eſt, *Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores.* Iuxta P. Suarez *tom.* 4. *de relig. lib.* 2. *cap.* 18. *numer.* 13. non ſolùm impedimentum, ſed retardatio debet eſſe malitioſa, ſeu contra voluntatem Superioris; vnde ſi fide bona, licèt imprudenter, retardentur, impediantur, aut aperiantur literæ, non dabitur culpa, de qua in præſenti; Et quidem vox *malitioſum* adiectiua modificat non tantum impedimentum, ſed etiam retardationẽ, & apertionem earum litterarum ratione illius particulæ diſiunctiuæ *ſeu*, quæ accipitur pro coniuncta *leg. ſi quis ita* 32. *& ibi gloſſa, ff. de auro, & argento legato*; *inſtit. de interdictis, in principio.* Duo hic obſerua; alterum, Superiores in præſenti debere eſſe tales reſpectu illius, cuius literæ aperiuntur, aut retardantur, vnde ſi literæ ſint alicuius ſubditi Domus, vel Monaſterij Salmanticenſis, mittanturque aut ſcribantur Superiori Domus, vel cænobij Madridienſis, retardatio, apertio, aut impedimentum malitioſum earum, non ſubiacebit huic reſeruationi, quia ille non eſt Superior ſcribentis eiuſmodi literas. Alterum, non ſubiacere reſeruationi apertionem, retardationem, imò & ruptionem literarum Superioris ad inferiores, & contra, ſi quis probabiliter timet, in illis fieri aduersùs ſe aliquam iniuſtitiam, quantumvis promiſerit, etiam cum iuramento, ſe illas fore daturum; quippè ex communi Doctorum ſenſu in hoc caſu nec reſeruatio nec vinculum iuramenti obligat, nec peccatum intercedit.

CAPVT V.

Declarantur præcepta impoſita à Clemente VIII. circa abſolutionem à caſibus reſeruabilibus per Superiores Regularium, & per Capitula.

50 POſtquam Clemens VIII. præfixit caſus, quos reſeruare poſſent Prælati Religionum; ac imperauit, ne alij reſeruarentur niſi in Capitulis Generalibus, aut Prouincialibus modo *ſuperiùs* expoſito; iniungit aliqua præcepta, quæ obſeruanda ſunt tam reſpectu caſuum, quos ipſe propoſuit, ac reſeruari conceſſit, quam reſpectu aliorum, qui in Capitulis ſpecialiter, præter eos vndecim, reſeruarentur. Primò præcipit Pontifex, ne Superiores confeſſiones ſubditorum audiant, niſi hi vel peccatum reſeruatum patrauerint,

Digitized by Google

uerint, vel ſpontè ſua cum eis voluerint confiteri; quod præceptum ſub mortali obligat, vtpotè in re grauiſſima iniunctum. At ſi in aliqua Religioſa Domo ſolus Superior ſit, cui poſſint ſubditi confiteri ob Confeſſorum inopiam, ſi ſubditi non renuant, poterit Superior eorum excipere confeſſiones, renuentibus verò permittere tenetur, vt cum aliis confiteantur, deſignans eis Confeſſarios idoneos.

51 Secundò præcipit Pontifex, vt in quovis Monaſterio, ſeu Collegio deſignentur Confeſſarij docti, prudentes, ac charitate præditi, qui Religioſos à non reſeruatis abſoluant, & quibus à Superiore committatur abſolutio à reſeruatis in caſibus, in quibus ipſi in primis Confeſſarij committendam ſibi fore iudicauerint. Numerus autem Confeſſorum deſignandus à Superiore iuxta numerum ſubditorum debet eſſet maior, aut minor, quod prudentum relinquitur arbitrio, qui iudicabunt, quot ſint opus, vt commodè omnes ſubditi confiteantur. Iudico tamen (ſi inopia Confeſſorum id fieri non permittat) ad minùs eſſe duos deſignandos, licèt vnus commodè poſſet omnium confeſſiones audire; nam Pontifex degſinat, *duos, ter, aut quatuor Confeſſarios pro ſubditorum numero maiori, vel minori*; cum potuiſſet præſcribere, *vnum, duos, ter.* &c. Non ignarus, pleraque eſſe Monaſteria, in quibus adeò pauci ſunt ſubditi, vt vnus Confeſſor commodè poſſet eorum confeſſiones excipere. Quare credam, Pontificem attendiſſe non ſolùm ad hoc, vt commodè ſubditi confiterentur, ſed vt liberè poſſent eligere Confeſſorem, non adſtricti ad confeſſiones cum vno perficiendas. Sed ſi vnus dumtaxat poſſit eſſe in Monaſterio Confeſſor, & ſubditi renuant cum illo, & cum Superiore confiteri, non tenebitur hic alium extra Monaſterium deſignare, quia Pontifex ſolùm præcipit, vt in Domibus eos Confeſſarios deſignent, nempè Religioſos earum Domorum; quod ſi in eis non ſint, qui deſignentur, non violatur præceptum Pontificis, cum hac ſanè moderatione intelligendum. Ex quo non fit paritas ad hoc, vt ſi ſolus Superior poſſit eſſe Confeſſarius, & renuant ſubditi, non teneatur alios Confeſſarios extra Monaſterium deſignare; tum quia diuerſum eſt hoc præceptum, & abſque limitatione iniunctum, ne Superior excipiat ſubditorum confeſſiones; tum quia hoc eſſet in animarum diſpendium, ſi ſubditi cogerentur Superioribus confiteri; poſſet namque timor, & pudor eos cohibere, quominùs omnes ſuos defectus, ac culpas eis aperirent; cui malo mederi Pontifex fuit conatus in præſenti.

52 Fit exindè, hoc ipſo quòd non deſignarentur in Monaſteriis, aut Collegiis Confeſſarij à Clemente præfixi, reſeruationem pro eo tempore eſſe impeditam, ſeu nullum tunc eſſe peccatum reſeruatum; quia ſicut Pontifex limitauit numerum peccatorum, quæ poſſent reſeruari, & vlterior reſeruatio eſſet inualida, ſic limitauit tenorem, & formam reſeruandi, & abſoluendi, qua non ſeruata, nulla itidem eſſet reſeruatio; in primo enim exceſſum in numero, in ſecundo exceſſum in modo eradicare contendit.

53 Confeſſarij iis debent eſſe qualitatibus prædití, quas Pontifex requirit; Et vbi Confeſſor licentiam à Superiore petit ad abſoluendum à reſeruatis, iudicans, ſibi debere committi abſolutionem, quamvis Superior cenſeat, oppoſitum, tenetur ex vi huius decreti Pontificij ſtare iudicio Confeſſarij, eamque præſtare licentiam; quòd ſi renuat, poterit Confeſſarius abſoluere ab eis culpis. Quin ſi contenderet Superior, ſibi reſeruandum eſſe iudicium de præſtanda facultate ad abſoluendum, vel non præſtanda, impediretur reſeruatio, & poſſent Confeſſarij indiſtinctè à peccatis omnibus abſoluere; etiam ſi reſeruatio à Capitulo Generali proueniſſet; nam non aliter ea vim obtinet niſi iuxta limites à Pontifice præfixos, vt ſuauiter procedatur; & his non ſeruatis, ruit, aut impeditur reſeruatio. Cæterùm Superior poteſt audire confeſſiones ſubditorum, ſi reſeruata habeant peccata (quod ab ipſo Pontifice indulgetur) tunc ſcilicèt, quando iudicio Confaſſarij abſolutio peccati reſeruati ei debet remitti; ſecùs verò cum Confeſſarius iudicat oppoſitum. Quare doctrina communis, quòd in aliquibus caſibus ex lege charitatis tenetur Superior ſibi abſolutionem reſeruare, vel ſaltem non aſtringitur eam alij committere, intelligenda eſt, quando aliàs haberet notitiam caſus reſeruati, ad cuius abſolutionem poſcitur ab eo per Confeſſarium facultas, nec fideret multùm doctrinæ, & prudentiæ Confeſſarij; quo caſu non obligat Pontifex, vt ſtetur iudicio, Confeſſarij, cum ſupponat, hunc eſſe adeò doctum, prudentem, zeloque boni communis ardentem, vt meritò debeat ei committi abſolutio peccati, cuius qualitatẽ Superior ignorat. Dum enim Superiori non conſtat de peccato, & circunſtantiis, non poteſt eſſe certus, illum eſſe caſum, in quo ex lege charitatis tenetur ſibi abſolutionem reſeruare, ſed dubius; at certus eſt de præcepto Pontificis imperantis, ſtandum eſſe iudicio Confeſſarij, quare præceptum certum dubiæ obligationi eſt præferendum.

54 Confeſſarius verò tenetur ſub peccato mortali non decipere Superiorem, nam hæc fraus eſſet in materia graui; cum Superior aliquando teneatur non concedere facultatem ad abſolutionem, aliquando poſſit concedere,

concedere, vel negare; demùm aliquando concedere teneatur, ſi ergo ſubditus ſemper aſſereret, ſibi debere committi facultatem, cum non deberetur, peccaret decipiendo in re grauiſſima Superiorem, & bono ſubditi non prouideret; vnde ante petitionem facultatis Confeſſarius expendere debet qualitatem culpæ, & ſi talis ſit, quam iudicet a ſolo Superiore debere abſolui, vel cum eius ſpeciali inſtructione in ordine ad medelam, tenetur Confeſſarius poſcere à pœnitente facultem declarandi ſpeciem peccati Superiori, & eo renuente, concedere eiuſmodi facultatem, non tenetur Confeſſarius adire Superiorem, ſed tenebitur ipſe pœnitens. At, ſi caſus eſſet, in quo poſſet Superior concedere, vel negare licentiam abſoluendi, peccaret Confeſſarius, ſi aſſereret Superiori, debere ſibi eam facultatem committi; quare tunc illam debet abſque eo addito ſimpliciter poſcere, nec tenetur ſpeciem peccati declarare; ſufficiet enim, ſi affirmet Confeſſarius, peccatum eſſe eiuſmodi, vt poſſit Superior concedere, vel negare facultatem. Quòd ſi Superior, qui habet ius, ne per fraudem à ſe licentia extorquatur, velit noſcere qualitatem culpæ, vt certior fiat, an ex lege charitatis, ac pro bono communi teneatur non committere facultatem abſoluendi, debet Confeſſarius petere à pœnitente licentiam declarandi peccati ſpeciem, ſaluo ſigillo confeſſionis, & notitia perſonæ. Denique in caſu, quo attentis circunſtantiis, iudicat Confeſſarius, ſibi debere committi licentiam, tenetur Superior eius ſtare iudicio; & ſuæ conſcientiæ ſatisfacit, licèt realiter à Confeſſario deciperetur; poſſunt enim eſſe circunſtantiæ tales, quas non oporteat, Superiorem cognoſcere, ipſeque ita debet iudicare, vt abſque periculi errandi timore vices ſuas Confeſſario committat.

55 Ex his colligo, ſi Confeſſarius aſſerat, ſibi debere committi facultatem abſoluendi in caſu, quo Superior teneretur non committere, illicitam, & inualidam fore abſolutionem, & pœnitentem, ſi noſcat rem, teneri iterùm ea peccata confiteri; Quippè facultas illa ad abſoluendum fuit ſubreptitia, fraude extorta, & omnino inuoluntaria Superiori non præſtituro facultatem, ſi rem nouiſſet; quare abſque iuriſdictione fuit collata abſolutio, cum nullus in hoc caſu iuriſdictionem re ipſa conceſſerit Confeſſario ad abſoluendum ab eo peccato in eiuſmodi circunſtantiis, nec Pontifex fraudi, atque dolo fauere intendit. Si autem ſit caſus, in quo Superior poſſet concedere, vel negare facultatem, & Confeſſarius affirmet, ſibi debere committi, illicitè abſoluet, ſed validè: Illicitè quidem, quia Superiorem decepit; validè verò; nam Superior cenſendus eſt præſtitiſſe facultatem, in quantum poterat præſtare, poterat autem in præſenti; & forſan præſtitiſſet, ſi rem clare præcognoſceret; quare debemus interpretari, eum ſuæ voluntatis ſufficientem concurſum præbuiſſe, ita vt inuoluntaria facultas non exiſtimetur. Quippè in dubio præſumendum eſt pro valore actus; & quæ præſumptioni innituntur in foro externo, in vtroquo foro ſunt obſeruanda, dum de contraria veritate non conſtet.

56 Adhuc, ſi Confeſſarius ex ignorantia, etiam culpabili, iudicet, ſibi committendam fore abſoluendi poteſtatem, ideòque ei à Superiore committatur, quicumque ſit caſus, in quo committitur, erit valida abſolutio; quia in hoc caſu Superior obedit Pontificis præcepto, & Pontifex in hoc non fauet dolo, aut fraudi; veréque, ac realiter Superior facultatem præſtat, & in pœnitente eſt bona fides, quare nullum eſt caput abſolutionem reddens inualidam. Imò ſi in hoc caſu negaret Superior facultatem, poſſet abſque illa Confeſſarius abſoluere pœnitentem, vt conceditur à Pontifice in caſu, quo Superior eam deneget, aſſerente Confeſſario, ſibi debere committi; etenim tunc Superior violat præceptum Pontificis, & cum hoc violatur, Pontifex concedit, vt præſtetur ea vice abſolutio; & aliunde non eſt, cur ſit inualida; erit tamen illicita, quoniam Confeſſarius debuit ignorantiam præcauere, cuius culpa transfunditur in actus ab illa prouenientes. In aliis autem caſibus, in quibus Superior non tenetur facultatem concedere, ſi eam neget, inualidè Confeſſarius abſoluet, vtpotè iuriſdictione carens. Quòd ſi Superior differat conceſſionem licentiæ in caſu, quo tenetur concedere, non poterit Confeſſarius abſoluere, donec abſolutè neget, quia Pontifex dumtaxat committit ei abſolutionem, dum negat Superior, At ſi malitioſa fuerit dilatio, negationi æquiualebit, ideòque poterit abſolutionem impertiri Confeſſarius, quin conceſſionem abſolutam expectet.

57 Obſeruandum eſt tamen, obligationem Superioris in ordine ad præſtandam facultatem abſoluendi, quando id Confeſſarius iudicauerit, tunc ſolùm vrgere, quando id iudicat Confeſſarius, qui ſit è deputatis ad audiendas confeſſiones ſubditorum; nam Pontifex ſolummodò ei committit hoc iudicium, dum immediatè ad præceptum, quod iniungit, deputandi Confeſsarios, eos, ait, debere eſse ſapientia, charitate, & prudentia præditos, vt abſoluant à non reſeruatis, & abſolutio reſeruatorum eiſdem committatur, eorumque ſtetur iudicio. Vnde ſi ſubditus confugiat ad alium Sacerdotem ex domeſticis, vel externis, qui facultatem abſoluendi ipſum

Digitized by Google

ipſum à Superiore depoſcat, quantumvis ille Sacerdos aſſeueret, debere ſibi committi facultatem, ſanè non debetur, poteſtque Superior eam denegare; & denegata facultate, inualida erit abſolutio, ſi ab eo præſtetur. Confeſſarij autem in vnoquoq; Monaſterio, vel collegio deſignandi ſunt iuxta cuiuſque Sacri Ordinis ſtatuta, vel à Superiore immediata, vel à Prouinciali, aut Generali; hoc enim Clemens VIII. non innouauit.

58 Præcipit demùm ipſe Clemens, ne vllo pacto Superiores pro tempore exiſtentes, aut Confeſſarij, ſi deindè in Superiores eligantur, vtantur notitiâ, quam in cõfeſſione perceperunt, in ordine ad gubernationem externam. Quod obſeruari debet accuratiſſimè, tum vt perfectiùs confeſſionis ſigillum retineatur, tum vt vitetur ruina animarum imminens ex oppoſito; cum à confeſſione ſuorum defectuum poſſent ſubditi abhorrere, ſi ex notitiâ confeſſionis exterior gubernatio dirigeretur. Cum autem Superior & in confeſſione, & extra confeſſionem noſcit ſubditi crimen, notitiâ habitâ extra confeſſionem poterit vti ad correctionem externam, ita tamen vt ſubdito conſtet, eum dirigi ex notitiâ habitâ extra confeſſionem, ne falsò exiſtimet, ſecus rem ſe habere, indeque ſcandalum patiatur, querelas fundat, & à confeſſione retrahatur. Quomodo autem poſſit ei hoc conſtare ſine præjudicio denuntiantis, & abſque aliorum detrimento, prudentis Superioris erit inſpicere. Plura circa id vide apud me *in ſtatera opinionum benignarum, diſſertat.* 10. *ex num.* 131. Ad calcem decreti præſentis permittit Pontifex Superioribus, vt deſignent pœnitentias aliquas, quas Confeſſarij imponant pro peccatis aliquibus, etiam non reſeruatis, vt ſic ſubditi ab eis perpetrandis cohibeantur. Confeſſarij verò eas imponere pœnitentias tenebuntur ſecúſque facientes non peccabunt grauiter, niſi mandatum Superioris obliget ad mortale; & quamvis mortaliter peccent, ſi præcepto non obediant, validè abſoluent; quia illud præceptum non tollit iuriſdictionem, etiam ſi non adimpleatur; nec ea eſt mens Superiorum, vt non ſit valida abſolutio, niſi ea pœnitentia iniungatur, etiam quando ipſi iuriſdictionem delegant, aut communicant; cum enim id non præſtant, nequeunt valorem impedire.

* * *

CAPVT VI.

De obligatione Superiorum, quando petitur ab eis facultas ad abſoluendum à peccatis reſeruatis.

59 PRæſtrinximus aliqua *ſuperiori capite*, dum præcepta Pontificis expoſuimus, circa Superiorem, & Confeſſarium, quæ in hoc, & ſequenti illuſtrari oportet. Ex doctrina P. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. d.* 30. *ſect.* 4. tenendum eſt, in aliquibus caſibus teneri Superiorem ex iuſtitia concedere facultatem ad abſoluendum ſubditum à peccatis reſeruatis, ſcilicèt ſi hic timeat, aliquod damnum exterius ſibi prouenturum ex confeſſione cum ipſo Superiore, aut ipſe Superior non vigeat doctrina ſufficienti; in his nempè, & ſimilibus euentibus non poteſt Superior negare ſubdito vſum Sacramenti, & aliàs nequit eum cogere, vt exponat ſe periculo nocumenti grauis, ergo ex iuſtitia facultatem prædictam concedere tenetur. Et quidem, etiam quando cauſæ vrgentes adeò non ſunt, nec abſolutè tenetur Superior ad eam licentiam præſtandam, debet eſſe facilis in conceſſione illius, nec ſcrupuloſius inquiſitor peccati; plerumque enim notitia illius nihil conducit ad remedium pœnitentis; cui ſufficit onus expectandi per ſe, aut per alium licentiam, quin nouo onere prematur, dum rigidus, aut ſcrupuloſè nimius Superior in hac materia oſtenditur. Credamque, majora ex rigore nimio, quam ex clementia profuſa, nocumenta animabus ſubditorum imminere. Quare prouideant earum bono Superiores, ſuauiſſimè ſe in hoc habentes.

60 Communiter nihilominùs ex iuſtitia non tenetur Superior facultatem eiuſmodi præbere, quia illi caſus communiter non eueniunt; & legitimus iudex nulli iniuriam facit, dum per ſe ſubditi cauſam vult iudicare; ideóque in Tridentino *ſeſſ.* 14. *c.* 7. *de Sacram. pœnitentia*, iniungitur Confeſſoribus ordinariis, vt nitantur ſuadere pœnitentibus, vt ad Superiores, ac legitimos iudices pro beneficio abſolutionis in caſibus reſeruatis accedant. Vnde conſtat, non habere ſubditos ius, vt à Superiore committatur facultàs abſoluendi ipſos, atque adeò poſſe negari, quin contra ius aliquod eatur. Addit ibidem *num.* 8. P. Suarius, aliquando Superiorem teneri ex charitate, & debito ſui muneris ſub graui obligatione negare hanc abſoluendi licentiam; ſcilicèt ſi ſic euitãdum ſit graue aliorum nocumentum, & pernicies. Quod latè explicat, ac probare contendit. Hanc doctrinam *cap. præcedenti* ſuppoſuimus, vt philoſopharemur indè in aliquibus caſibus, quid iuris

Digitized by Google

iuris eſſet, cum Superior teneretur negare eam facultatem. Sed videtur hic caſus eſſe metaphyſicus; cum etenim remediũ illi damno, ſeu pernicici ſit applicandum ſub ſigillo confeſſionis, & minime in gubernatione externa, cur non poterit Superior totam rem committere Confeſſario docto, ac prudenti, zeloque boni communis prædito? Nec apparet aliquid à Superiore præſtandum, quod ab illo præſtari nequeat; vnde non eſt, cur hoc obligationis onus Superioribus ſupperaddatur: quòd ſi talis caſus daretur, in quo ſolus Superior, ſaluo ſemper ſigillo poſſet vitare imminens nocumentum, ſententia P. Suarij erit amplectenda.

60 Communius tamen eſt, Superiorem ex charitate, & debito ſui muneris teneri ad concedendam eam facultatem, ſi timeatur, vt *ſuprà* dixi, damnum pœnitentis; quæ eſt doctrina omnium cum S. Thoma. *opuſc.* 19. *contra impugnantes Religionem*; *& in* 4. *d.* 17. *quæſt.* 3. *art.* 3. *& quæſt.* 4. *ad* 6. vt nempe ſi timeatur, ſubditum eſſe facturum ſacrilegam confeſſionem, aut nimis dilaturum confeſſionem rectam, aut indè deſperatum in peccandi licentiam ruiturum, vel deſerturum ſtatum Religioſum. Quippè poteſtas reſeruandi non eſt præſtita in deſtructionem, ſed in ædificationem; & Superior eſt paſtor, qui tenetur impedire ouium ſuarum nocumenta; reſeruatio autem in bonum ſubditi dirigitur, quare non debet in eius damnum retorqueri. Imò cum non id imminet damnum, & liber manet Superior ad concedendum, vel negandum prædictam facultatem, oportet, eam concedere, & nunquam abſque ſpeciali aliqua ratione negare, ſed illicò eſt æquum, vt eam Confeſſori committat. Nec opus eſt, inquirat ſpeciem, & circunſtantias peccati, maximè cum petens ab ipſo vices abſoluendi eſt Confeſſor ordinarius Domus, aut vir doctus, ac prudens, cui fidere poteſt, caſu quo peccati qualitas oporteret Superiori manifeſtari, fore ab ipſo manifeſtandam. Poteſt tamen abſolutè inquirere Superior qualitatem culpæ (in qua inquiſitione caueant Superiores, ne dumtaxat curioſitatis ſtudio moueantur,) & concedere facultatem cum aliqua conditione, eaque non appoſitâ, ſibi reſeruare; ſicut enim poteſt negera, ita & conditione aliqua adiuncta concedere, vt v.g. abſoluatur à peccato, dum non detur complex in illo; dum non frequenter fuerit relapſus; dum manifeſtet bona Monaſterij, ſi ſurripuit, & ſimilia. At ſi pœnitens poſt tentatã varia media à Cõfeſſario nolit illi ante obtentã facultatem à Superiore manifeſt[illegible]e ſpecies ſuorum peccatorum, tunc Superior conceſſurus, eſt facultatem, vt abſoluatur, ne in perniciem animæ ruat. Hoc igitur præ oculis ſemper Superiores habeant, ex ſuauitate, ac facilitate in hac materia nullum, vel ferè nullũ ſibi ſcrupulum poſſe remanere, etiam ſi indè aliquod ſequatur inconueniens, quod nón præponderat incommodis ex oppoſito rigore imminentibus; quo ſi vtantur, difficileſque ſe ſubditis prębeant; pluribus manent ſcrupulis obnoxij, vtinam non plurium damnorum rei.

CAPVT VII.

De obligatione Confeſſarij, caſu quo ſit poſcenda facultas à Superiore ad abſoluendum à reſeruatis.

61 Confeſſor ordinarius à Superioribus pro ſubditis deſignatus tenetur ſub peccato mortali adire Superiorem pro licentia ad abſoluendum ſubditum, qui ſe illi manifeſtauit, à caſu reſeruato. Etenim tunc datur grauis neceſſitas ſpiritualis proximi, cui ex charitate, & ex vi ſui muneris ſuccurrere tenetur ordinarius Confeſſor, qui eſt, quaſi proprius Sacerdos, & quaſi parochus; & iuxta decretum Clementis VIII. deputatur ad abſoluendum à non reſeruatis, & vt ei committatur facultas, reſeruatis abſoluendi; nullaque alia via commodiùs animæ ſubditi proſpicitur, quàm ſi ipſe Confeſſor ordinarius facultatem expoſcat, cum faciliùs ei ſit à ſuperiore concedenda, quam alij Confeſſario extraordinario; imo teneatur ſuperior modo *in ſuperioribus* dicto, eius ſtare iudicio. Durumquę eſſet, ſubditum, qui iam ſe illi manifeſtauit, alium adire. Per accidens tamen aliquando non tenebitur Confeſſor ordinarius licentiam petere, ſi iudicet, omnibus conſideratis, vtilius fore pœnitenti, ſuperiorem, aut alium Confeſſarium adire. Quod ſi pœnitens renuat, & obdurationis in eo periculum immineat, tenebitur Confeſſarius ipſe à ſuperiore eam facultatem expoſcere. Non tamen tenetur, antequam pœnitens eis manifeſtet peccatum, ac circunſtantias, vt indè ei conſtet, an ſit peccatum, quod opus ſit, à ſuperiore abſolui; & ſi illud Confeſſarius ignoret, exponitur periculo decipiendi ſuperiorem.

62 Quando neceſſitas non vrget, nequit Confeſſor abſoluere pœnitentem, nec indirectè, à peccatis reſeruatis, nec ab excommunicatione reſeruata; cum enim ad integritatem ſacramenti pœnitentiæ ſpectet; vt reus de omnibus ſuis peccatis ſe accuſet coram legitimo iudice, qui in hoc caſu non eſt ille Confeſſarius, ſed ſuperior, qui integram poteſt cognoſcere cauſam, hinc eſt, vt nullum ſit caput, vnde poſſit Confeſſarius abſoluere. Quod clarè colligitur ex Tridentino loquendo generaliter dę quorumcumque peccatis

reſeruatis

Digitized by Google

reſeruatis *ſeſ.14.cap.7.de Sacram.pœnit.* Et tenent communiter Authores, Sotus, Adrianus. Canus. Llamas, Philiarcus, PP.Suarez, Coninch & alij, quos affert, & ſequitur P.Layman *tr.6. de pœnit. c.12.quæſt.5.*

64 Quod ſi inſtet neceſſitas celebrandi, aut accipiendi Euchariſtam, omittique nequeat abſque graui nota, Superiorque adiri nequeat, vel ſi in eis circunſtantiis adeatur, ſit periculum manifeſtationis perſonæ, in cuius notitiam peruenire poteſt, Confeſſor ordinarius valebit abſoluere pœnitentem indirectè à peccatis reſeruatis, & directè à non reſeruatis cum onere comparendi rursùs ante ipſum, vt obtenta facultate, directè abſoluat eumdem à reſeruatis. Sic cenſent communiter Doctores loquentes in communi de abſolutione à peccatis reſeruatis Epiſcopo, quando adiri non poteſt, & neceſſitas vrget; Ricardus *in 4.diſt.17.artic.2.quæſt.8. ad 2.* Sotus *in 4.diſt.18. quæſt.2. artic.5.* Llamas *1.p.c.7.§.11.* Nauarrus *in c.conſideret, §. cautus num. 13.de pœnit.diſt.15.* Philiarcus *tom.1.par.2.lib.2.c.26.* Emanuel Rodrig. *t.1.reg.quæſt.11.articul.5.* P.Suarez *tom.4.in 3.p.d.31.ſec.3.* P. Coninch *d.8.n.83.* P.Layman *vbi ſuprà q.5. dub.2.num.10.*

65 Ratio eſt, quia ex vno capite ad reuerentiam ſacræ Euchariſtiæ attinet, vt eam ſuſcepturus, ſi cõſcius ſit peccati mortalis, abſolutionem ab illo petat; ex alio magna eſt neceſſitas euitandi infamiam propriam; ergo vt vtrumque obtineatur, poterit Confeſſarius in caſu prædicto abſoluere pœnitentem à reſeruatis indirectè, & directè à non reſeruatis; neque enim alio modo poteſt vtrumque obtineri, & nec decet, abſque abſolutione Euchariſtiam accipere, nec quis tenetur eiuſmodi infamiam pati, cum ſit licitum iure naturæ propriæ conſulere famæ. Confirmatur; quia non pauci Authores tutati ſunt, in caſu poſito poſſe quem contritum, & non confeſſum Euchariſtiam ſumere, igitur & abſolui indirectè à reſeruatis, dum directè à reſeruatis abſoluitur. Idem dico, etiam ſi peccatum habeat annexam excommunicationem reſeruatam; ſicque tuentur Llamas *ſuprà*, P.Coninch *numer.107.* P.Layman *ſuprà numer.10.* P. Henriquez *lib. 6. cap. 15.* & P.Suarez *vbi nuper.* Etenim excommunicatio ſolo iure Eccleſiaſtico arcet à celebratione, & receptione Euchariſtiæ; quod ius non obligat in caſu vrgentis neceſſitatis, in quo ad euitandam infamiam maior eſt obligatio ſumendi Euchariſtiam, aut celebrandi; & hac ſtante, vrget præceptum diuinum confeſſionis, vt quis à mortalibus abſoluatur.

66 Imò ſi in caſu vrgentis neceſſitatis abſolueretur pœnitens indirectè à peccatis reſeruatis, & directè à non reſeruatis, bona fide ab eo in confeſſione prolatis, & per inſcitiam, aut obliuionem Confeſſarij non abſolueretur ab excommunicatione etiam non reſeruata, adhuc tamen ea peccatorum abſolutio valida eſſet. Ita Caietanus *in ſum. verbo Abſolutionis impedimenta*, Nauarrus *in c. fratres à num. 4. de pœnit.diſt.5.* Medina *in ſum.l.1. §. 3.* P.Coninch *diſp.14. dub.5.* P. Auila *de cenſur.part.2.c.6.diſput.3. dub.4.* Hic aduerte, ſtandum eſſe conſtitutionibus cuiuſque Religionis, ſi in aliquo euentu concedant abſolutionem directam à reſeruatis cum onere comparendi, vt iter agentibus conceditur in Societate IESV à Propoſito Generali, cum limitationibus ab ipſo appoſitis.

67 Cœterùm cum in caſu prædicto duæ ſint opiniones; alia, poſſe eum pœnitentem contritum abſque confeſſione Euchariſtiam accipere; alia, non poſſe, ſed teneri iure diuino confiteri; ſanè Confeſſarius ſequens hanc ſecundam ſententiam, tenebitur abſoluere illum modo prædicto; ſi enim nullus Confeſſarius, maximeque ordinarius deputatus ad cõfeſſiones Religioſorum audiendas, non teneretur abſoluere, nec pœnitens teneretur confiteri; igitur, dum Confeſſarius iudicat, pœnitentem teneri ad confeſſionem, & ipſe abſoluere tenebitur; niſi deponat hanc opinionem, aut oppoſitæ probabili ſe conformet, ne in abſolutionis denegatione delinquat.

68 Iam igitur petita à Confeſſario facultate, ſi Superior illam neget in caſu, quo Confeſſarius ſyncerè iudicat, debere ſibi committi; poterit ipſe Confeſſarius directè, & abſque onere comparendi iuxta decretum Clementis pœnitentem abſoluere pro illa vice; hoc eſt, pro ea vice, in qua Confeſſarius cenſuit, facultatem ſibi fore concedendam. Vnde à contrario infertur (cum exceptio firmet regulam in contrarium) aliis vicibus, in quibus non cenſet id Confeſſarius, ſi Superior deneget facultatem, non poſſe abſolui pœnitentem, cum tunc non ſit in Confeſſario iuriſdictio. Nec hæc rectè colligitur ab aliquibus apud P.Suarez *tom.4.de relig.l.2.c.19.num.20.* ex motu proprio Pij V. ſacro Prædicatorum Ordini conceſſo, in quo, poſtquam Pontifex declarat, eos non poſſe per Bullam Cruciatæ eligere Confeſſorem, à quo abſoluantur, ſed licentiam requiri Prælatorum, ſubiungit; *Eiſdem tamen Prælatis in vſu huius poteſtatis cum ſubditis benignos, & faciles ſe exhibeant, præcipimus.* Etenim ex his ſolùm infertur, Prælatos ſub præcepto teneri ad exhibendum ſe faciles, ac benignos; non verò colligitur, præſtari iuriſdictionem Confeſſariis, vt abſoluere queant, ſi difficiles ſe Superiores exhibeant; nec eſt ſimilis verborum tenor, ac eſt in Decreto Clementis, in quo pro illa vice expoſita *ſuprà* iuriſdictio confertur, non pro aliis;

Digitized by Google

aliis; & ſanè huic Decreto ſtandum eſt, vt poſteriori, & mentem Pij V. ſi dubia iudicetur, declaranti.

69 Obſeruandum autem eſt in præſenti, Confeſſarium, cui pœnitens non manifeſtat ſpeciem, & circũſtantias peccati ante petitionem facultatis, licèt iuxta *ſuprà* dicta non teneatur adire Superiorem, tamen adire poſſe, & non teneri ad non adeundum; quia expers erit periculi decipiendi Superiorem, ſi interrogatus ab eo de qualitate peccati, reſpondeat, ſe ignorare illam; & rursùs ſi inſtet Superior agnoſcere volens culpæ grauitatẽ, ipſe Confeſſarius id pœnitenti manifeſtet, vt rem totam aperiat. Quòd ſi pœnitens adhuc nolit aperire, pro munere charitatis, & officij ſui, debet Confeſſarius, ſi timet periculum animæ in ſubdito, de eius licentia adire Superiorem, & obdurationem, ſeu reſiſtentiam pœnitentis propõnere, vt eius bono ſpirituali conſulatur. At ſi Confeſſarius ignorans peccati qualitatem, petat à Superiore licentiam, & obtineat, dumque confeſſionem audit, animaduertat, peccatum eſſe huiuſmodi (quod rarò continget) quod debeat ipſi Superiori à pœnitente manifeſtari, ab illoque abſolui, debebit eum hortari, vt Superiorem pro abſolutione adeat; ſibique imputet pœnitens, quòd poſtquam iam illud ſemel manifeſtauit Confeſſario, iterùm Superiori eſt manifeſtaturus, ſi quidem poterat ante petitionem facultatis declarare qualitatem culpæ, & non declarauit. Si tamen adhuc nollet pœnitens Superiorem adire, proſpiciendum eſt eius bono ſpirituali, ne in deſperationem, aut in liberiorem peccandi licentiam incidat, Superiorque vices ſuas Confeſſario committere debebit, cum, iuxta dicta *cap. præcedenti.*, vix ſit caſus, cuius damno non poſſit occurrere Confeſſarius, ſicut poteſt Superior, maximè, ſi ab hoc vel in communi, vel in ſpeciali inſtruatur.

70 Confeſſor extraordinarius (nempè aliquis Sacerdos, qui non ſit ordinarius Confeſſor Monaſterij, vel Collegij, à Superioribus deputatus) non tenetur adire Superiorem ad facultatem petendam pro abſolutione alicuius ſubditi, cum ad id nec ex lege charitatis, nec ex munere ſuo obligetur; imò exponatur periculo patiendi repulſam, maximè ſi iuuenis adhuc ſit, & Superior parùm benignus. Tenebitur tamen petere eam licẽtiam ex lege charitatis, ſi ſciat, pœnitentem adijſſe priùs Confeſſorem ordinarium, eumque iniuſtè repuliſſe ipſum, noluiſſeque adire Superiorem; vel ſi pœnitens ob iuſtas cauſas Confeſſori ordinario nolit ſe manifeſtare; quod, ſaluo ſigilli periculo, poterit repreſentare Superiori, vt ab eo licentiam obtineat. Attamen, etiam quando non tenetur, par eſt, vt Superiorem adeat, à quo licentiam conſequatur (quod ſemper ſperandum eſt) pœnitentem liberabit à pudore, quem in noua manifeſtatione ſuæ fragilitatis patietur.

71 In caſibus autem, in quibus Confeſſor extraordinarius tenetur à Superiore poſcere facultatem, ſi inſtet neceſſitas abſoluendi, & Superior nequeat adiri (qui eſt caſus poſitus ſuprà *n.* 63.) vel ſi, quamvis non teneretur facultatem poſcere, pœnitens tamen iuſtè excuſaretur à recurſu ad Confeſſorem ordinarium, poſſet eum abſoluere directè à peccatis mortalibus ſemel ritè confeſſis, & à venialibus, & indirectè à reſeruatis, imò etiam ſi haberet peccatũ, cui eſſet excommunicatio annexa reſeruata, à qua ille nequiret abſoluere, maneret pœnitens à peccatis, non ab excommunicatione, abſolutus iuxta dicta *n.*64. Etenim vrgente neceſſitate ad vitandam infamiam, poteſt ille Confeſſor extraordinarius præſtare, quod tunc poſſet ordinarius Confeſſor; eadem quippè lex charitatis æquè ad vtrumque impellit, proximique damnum, nota, & ſcandalum pariter vtrobique vitari intenditur; ergo ſicut Confeſſor ordinarius, licèt iuriſdictionem non habeat ad abſoluendum à reſeruatis, poteſt tamen directè abſoluere à mortalibus non reſeruatis, ad quæ iuriſdictionem habet, & indirectè à reſeruatis, ita Confeſſor extraordinarius poterit abſoluere à venialibus, & mortalibus ſemel iam ritè confeſſis, ad quæ iuriſdictione fungitur, & indirectè à reſeruatis, & à mortalibus non reſeruatis, quamvis iuriſdictione non fungatur. Confirmo. Pone, pœnitentem ſolùm habere peccata venialia, & vnum mortale reſeruatum; Reſpectu venialium pares ſunt in iuriſdictione Confeſſor ordinarius, & extraordinarius; reſpectu reſeruati pares sũt in carentia iuriſdictionis, igitur eodem poteſt modo abſoluere vterque. Conſequenter iuxta aſſerta *num.*66. hic Confeſſor extraordinarius non ſolùm poterit, ſed tenebitur tunc abſoluere pœnitentem, niſi primæ ſententiæ *ibi* relatæ conformetur.

72 Dices, ergo pariter quilibet ſimplex Sacerdos extra articulum mortis poterit in neceſſitatibus vrgentibus abſoluere indirectè à peccatis mortalibus, etiam reſeruatis Pontifici, dum tamen directè abſoluat, vt poteſt, à venialibus. In primis hæc ſequela non militat ſolùm contra dicta de Confeſſore extraordinario, ſed pariter contra aſſerta de ordinario, à quo paritatem traximus, & de quo probabiliſſima eſt ſententia, pluribuſque Authoribus fulcita relatis *numer.* 63. Deindè ea ſequela eſt ſatis probabilis, vt videre eſt apud P. Suarium *d.*31. *ſeſ.*3. *num.*10. & P. Coninch *d.*8. *dub.*13. *num.*107. Sed vſus Eccleſiæ ideò videtur contrarius, quia hic caſus reſpectu

ſæcularium

Digitized by Google

ſæcularium ferè metaphyſicus eſt; cum occurrant frequenter Confeſſarij, qui poſſint abſoluere directè, ſintque plura priuilegia tam in Religioſis;quàm media Bull. Cruciatæ, vt à reſeruatis Pontifici præſtetur abſolutio;& ſi occulta ſint, poſſit Epiſcopus pro abſolutione adiri, vel ſi nequit, & imminet infamia,etiam abſolutio indirecta ab illis queat concedi, vt diximus *eo n.*63 Præterea inter ſæculares non facilè reperietur caſus, in quo immineat infamia pœnitentis, grauiſque ipſius nota, & nullus præter ſimplicem Sacerdotem abſoluere potens adſit. Quòd ſi caſus eſſet, non dubitarem admittere ſequelam, tum à paritate abſolutionis indirectæ, quam poteſt præſtare carens iuriſdictione ad abſoluendum à reſeruatis Epiſcopo,cum adiri non poteſt (quæ ſententia eſt valdè communis,vt oſtendi *num.*63.) nec facilè diſparitas reperietur,tum ſit æqua ratio in vtroque;tum ob rationem qua moti eam abſolutionem indirectam admittimus in Confeſſariis reſpectu reſeruatorum,quibus pœnitens Regularis innodetur; quæ ratio etiam in caſu poſito vrget.

73 Nec abſurdum reputes, in euentibus prædictis teneri pœnitentem bis ſua peccata, à quibus ſemel indirectè eſt abſoluendus, in confeſſione aperire; nempè ante petitionem facultatis à Superiore obtinendæ, dum vrget neceſſitas, & iterùm poſt facultatem obtentam, vt directè abſoluatur. Quippè id, quòd communiter vt certum defenditur,neminem adſtringi ad aperiendum bis ſua peccata in confeſſione, intelligi debet, per ſe loquendo, & apponendo ea peccata, vt materiam neceſſariã directæ abſolutionis in vtraque confeſſione; Non verò excluditur indè, quòd per accidens aliquando neceſſe ſit, bis peccata in confeſſione propalare, ſemel, vt cognoſcat Confeſſarius ſtatum pœnitentis, indirectéque abſolutio ſupra illa cadat, & iterùm vt materiam neceſſariam abſolutionis directæ. Quæ eſt ſententia communis D. Thomæ *in* 4. *diſt.* 17. *q.*3.*art.* 2. *ad* 4. Ricardi, Soti, Maioris, PP. Suarez, & Henriquez, quos affert, atque ſectatur P. Layman *tract.* 6. *de pœnit. cap.* 12. alijque paſſim. Quid? quòd *ſuprà diſp.*23.*numer.*24 *in fin.* diximus, confitentem ex neceſſitate ſua peccata cum Sacerdote inferiori,ſi habeat reſeruata,à quibus is nequit abſoluere,non teneri ad propalandum illa.

Mendo in Bull. Cruciat.

CAPVT VIII.

De obligatione pœnitentis Regularis habentis caſum reſeruatum ſuo Superiori.

74 POEnitens Regularis in caſum incidens reſeruatum tenetur vel cum ſuo Superiore confiteri, aut licentiam, vt abſoluatur, ab ipſo, poſcere immediatè, aut mediatè. Si immediatè poſcat, debet eum non fallere;quippè ſi habens duo, aut tria reſeruata planè aſſereret Superiori, ſe aliquo ſcrupulo circa peccata, dubium de illis, vexari; vel ſi ad abſolutionem vnius dumtaxat facultatem efflagitaret, non poſſet tutò abſolui, niſi Superior (& quidem prudenter, ſic enim acceſſus immediatus ad eum facilis redderetur,) reſponderet, ſe omnes vices ſuas committere determinato Confeſſori, aut eligendo à pœnitente, vt eum abſolueret. Quòd ſi per Confeſſarium poſtulet facultatẽ, oportet, ei ſpeciem peccati priùs exponere, vt ſic munus ſuum rectè peragat; imò ſi Superior nolit facultatem præſtare, ignorata qualitate peccati, tenetur pœnitens eam Confeſſori patefacere. Imò,iuxta P.Suarium *tom.*4. *in* 3. *par. d.* 30. *ſec.* 4. *numer.*8 ſi ex peccato poteſt timeri ſcandalum, aut damnum aliorum, debet hoc manifeſtare pœnitens, vt ſaluo confeſſionis ſigillo; Confeſſarius per ſe, aut Superiori deferens, oportuno remedio prouideat. Debet præterea pœnitens non habere animum abſolutum non confitendi Superiori ſuo,quantumvis facultatem neget, vt cum alio confiteatur, cum iure diuino teneatur ſuo paſtori confiteri; non tamen peccabit, ſi inſiſtat propoſito obtinendi ab illo facultatem negatam, vt docet P. Suarez *vbi nuper num.*10.

75 Quando autem Superiori licitè negat facultatem, vtendo iure ſuo, & munere ſuo fungendo;& inſtat neceſſitas in pœnitente celebrandi, aut communicandi Euchariſtiam, infamiaque, aut ſcandalum timeatur ſi id non præſtet,poſſe præſtare cum ſola contritione, abſque confeſſione, eo quòd tunc non cenſeatur eſſe copia Confeſſoris, tenent aliqui, quos refert P. Suar. *tom.*4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 19. *num.*22. Ipſe verò, rigidè quidem, tuetur, non ſolùm in caſu prædicto, verùm etiam ſi Superior peccet mortaliter contra charitatem negando facultatem; eo quòd ob nimiam auſteritatem conſtituat ſubditum in periculo ſacrilegæ confeſſionis, vel in auerſione à confeſſione, teneri adhuc pœnitentem, ſua deuicta verecundia, atque repugnantia, integrè cum Superiore confiteri. Hanc ſententiam ſolùm cenſeo veram in caſu, quo Superior negans licentiam

Digitized by Google

teneatur eam negare; nam tunc pœnitens nullo poteſt titulo, aut iure vti, quominùs Superiorem non adeat, & cum eo confiteatur ad abſolutionem obtinendam. Cæterùm in aliis caſibus, primò dicendum eſt, æquius eſſe, confiteri cum eo, qui ab aliis peccatis non reſeruatis poteſt eum abſoluere (ille enim abſoluet ipſum indirectè à reſeruatis,) quàm accedere ad Euchariſtiam dumtaxàt contritum, & non confeſſum; ſic enim & reuerentia Sacramento exhibetur, & tutior eſt infuſio gratiæ, cum facilius ſit, attritionem, quæ ſufficit ad confeſſionem, quàm contritionem elicere.

76 At poſſe tunc pœnitentem abſolui indirectè à reſeruatis, & directè à non reſeruatis, ſuadetur, quia nullo iure diuino, nec humano vrgetur quis ad duriſſimam executionem comparendi immediatè coram Superiore, dum habet ius ad reſiſtendum negationi facultatis, quam licitè poterat indulgere Superior, ſicut ſi non inſtaret neceſſitas accedendi ad Euchariſtiam, poterat perſeuerare in conatu obtinendi facultatem, nec præceptum reſeruationis obligabat ipſum, vt ſe Superiori manifeſtaret, at præceptum vitandi ſcandali media celebratione, aut ſumptione Euchariſtiç non addit vim præcepto reſeruationis, ergo, nec vrgente illo præcepto, tenetur immediatè ſe ſiſtere Superiori. Et quidem in hoc caſu præceptum confitendi oritur ex præcepto vitandi ſcandali, ſi enim abeſſet ſcandalum, non teneretur ille ad Euchariſtiam accedere, & conſequenter nec cõfiteri; at huic præceptò ſufficienter ſatisfacit pœnitens in caſu poſito, ſi per alium coram Superiore compareat, cum non magis vrgeat, quam ipſum præceptum reſeruationis, cui ſatisfit per illam præſentationem ſui per alium; ergo non tenetur immediatè ſe ſiſtere Superiori, & cum eo confiteri. Etenim præceptum confeſſionis obligat eum tunc iuxta ſtatum, in quo eum inuenit, at inuenit in ſtatu, in quo moraliter non eſt ei copia Confeſſarij proprij, idem enim eſt, non eſſe Confeſſarium moraliter, ac adeſſe durum, & rigidum, à charitate grauiter deficientem; igitur, ſicut poſſet confiteri alteri, inſtante neceſſitate, dum ille alter aliquam iuriſdictionem haberet, caſu, quo non eſſet copia Confeſſarij proprij, ita poteſt in præſenti caſu.

77 Circa Regulares, dum iter faciunt, & extra proprium Monaſterium, aut Domum ſunt, quid debeant præſtare, ſi in peccata reſeruata dilabantur, conſulenda ſunt priuilegia, Conſtitutiones, ſeu praxis cuiuſque ſacri Ordinis, & quiſque, quæ ad ſe attinent, cognoſcere debet, ne erret in abſolutione obtinenda propter ignorantiam, cum eius dicto poſſit ſtare Confeſſor extraneus, qui non tenetur ſingulorum Ordinum praxim, & ſtatuta callere.

78 Religioſi Societatis IESV iter agentes, ſi ad aliquod Collegium accedant, in quo per ſpatium circiter vnius menſis verſaturi ſunt, ſi in caſum reſeruatum incidant, debent ſe ſiſtere Superiori illius Collegij, & ab illo, ſeu de licentia illius abſolui, ſine obligatione iterùm comparendi coram ſuo proprio ſuperiore. Spatium autem circiter vnius menſis ſunt viginti ſex, aut viginti ſeptem dies. Quòd ſi Religioſus non ſit verſaturus in eo Collegio totidem dies, poteſt à Confeſſore Ordinario Collegij abſque alia licentia directè abſolui vel ſi non adſit Confeſſor à ſuperiore deputatus, eoquòd in Collegio non verſetur, inſtetque neceſſitas celebrandi, aut ſimilis, poterit à quovis alio Confeſſore directè à reſeruatis abſolui; in his tamen caſibus manet cum onere comparendi coràm proprio ſuperiore, ad quem eſt iturus, aut rediturus, cui iterùm confiteatur, aut alij de eius licentia. Hoc tamen locum non habet, ſi malitioſè iter aggrediatur, præcisè vt abſoluatur à reſeruatis, aut ſi aliàs iter facturus differat ex induſtria confeſſionem; aut ſi confiteatur externo, ſi adſit Confeſſor domeſticus. Quomodo autem quis poſt confeſſionem factam, & ſemel abſolutionem directè obtentam, poſſit obligari ad iterandam confeſſionem, latè exagitant P. Suar. *tom.4. in 3. part. de 30. ſ.5.* P. Vazquez *3.p.quæſt.93. art.1.dub.6.* Cardinalis Lugo *tom.de pœnit.d.15.num.*100. Cum quo aſſerendum eſt, id fieri cum tacito conſenſu pœnitentis; non enim à Superioribus datur ea facultas, niſi cum quodam quaſi pacto, quo pœnitens, ſi ea vtatur facultate ſe obligat ad comparendum coram Superiore; cui obligationi non ſatisfacit, niſi compareat; & cum abſolutio ſit reſeruata Superiori, poteſt hic non aliter præbere facultatem ad abſoluendum, niſi pœnitens hanc admittat obligationem.

79 Et quamvis ipſe ignorans pactum bona fide confiteatur, poſtea conſcius eiuſmodi obligationis tenetur comparere, quia hoc ipſo quòd abſolutionem obtinuit, obligationem contraxit propter pactum implicitum, ſi quidem, cum habuit voluntatem efficacem validè confitendi, ſimul habuit voluntatem omnium eorum, quæ ad confeſsionem validè exequendam requirebantur. Hic aduerte ad praxim, ſi quis iter agens, reſeruata habens, confiteatur cum extraneo, qui ſciat onus comparendi, poſſe aſserere, ſe habere facultatem, vt ab eo abſoluatur; habet enim, dum firmiter ſtatuat cõparere: quòd ſi Confeſsor ignoret onus, imò & reſeruationem peccatorum, non tenetur pœnitens declarare, peccata eſse reſeruata, ſeque obligatum ad

Digitized by Google

ad poſtea conparendum;cum hæ non ſint circumſtantiæ neceſsario exponendæ, nec grauitatem peccato ſuperaddant;ſufficietque habere propoſitum coram Superiore comparendi,

CAPVT IX.

Quis in Religione habeat poteſtatem ordinariam abſoluendi Regulares à reſeruatis, & eximendi à reſeruatione?

80 SIcut Superiores, ſeu Capitula, aut Congregationes reſeruare poſſunt peccata, ita & aliqua reſeruare Generali, aut Prouinciali, alia verò ſuperioribus immediatis, ſicut etiam & cenſuras. Communius tamen eſt, vt ſuperior immediatus Monaſterij, Domus, aut Collegij ordinariam abſoluendi poteſtatem à reſeruatis habeat. Quod ſi ipſe abſit, is ſuccedit in ea poteſtate, qui loco illius à Religione conſtituitur, ita vt ei iuriſdictio ordinaria præſtetur. Quantum verò temporis abeſſe debeat, vt alius vices illius gerens poſſit à reſeruatis per ſe,vel per alium abſoluere, ex conſtitutionibus cuiuſque ſacri Ordinis debet dignoſci.

81 An autem ſuperior Regularis poſſit audire tantum peccata reſeruata, & abſoluere ab illis, poſtea verò pœnitens de cæteris non reſeruatis debeat confiteri ordinario Confeſſori,aperiendo tamen ſimul reſeruata, quæ Superiori aperuerat?quęſtio eſt communis peccatis ſæcularium reſeruatis Epiſcopo, aut Pontifici. In qua affirmatiua ſententia vel vt verior,vel vt probabilis,defenditur à Cardinali Caietan. D.Anton.Henrico, vtroque Soto,Paludano,Ledeſma, Ioanne de la Cruz, quos refert Cardinalis Lugo *tom. de pœnit. d. 20. ſect. 6.* Ipſe verò cum Adriano, Syluestr. Victoria,Viguerio, Cano,P.Suar.& Vazquez,tenet negatiuam ſententiam,aſſeritque per ſe loquendo, non poſſe confeſſionem dimidiari; niſi detur cauſa rationabilis; & neceſſitas vrgens, quam *ibidem* explicat. *numer.* 78. Vtraque hæc ſententia probabilis eſt, tutaque in praxi;ſed ſecunda tutior,& mihi verior. Imò addo,rarum eſſe caſum, in quo neceſſitas obliget ad dimidiandam confeſſionem; ſi enim ſuperiori non vacet, integram eam audire, nec pœnitens poſſit expectare, Superior debet alij ſuas vices committere,vt integram confeſſionem audiat, & à reſeruatis pœnitentem abſoluat; cùm iuxta dicta *in ſuperioribus* rarus ſit euentus, in quo teneatur ſuperior non concedere facultatem ad abſoluendum à reſeruatis, nec poſſit id committere Confeſſario docto, experto, ac timorato. Attigimus hanc quæſtionem *diſputat.* 23. *num.* 24.

82 Iam verò difficultas eſt, quiſnam poſſit ſubditum eximere à reſeruatione? Dupliciter poteſt conſiderari eiuſmodi exemptio; primo modo latè, ſecundò autem ſtrictè. Exemptio lato modo eſt facultas præſtita ſubdito, vt abſoluatur à reſeruatis; & hæc item dupliciter contingere valet; primò, poſtquam quis iam in reſeruata incidit, ſi Superior ei dicat, facultatem tibi præſto, vt abſoluaris à quibuſcumque peccatis,etiam ſi reſeruata ſint; aut omnes meas vices pro nunc tuo Confeſſario communico; quæ facultas, quamvis à ſubdito non petatur, & ignoret Superior, vtrùm neceſſaria ſit, necne, aliquando prudenter conceditur, & æquum eſſet, vt omnes Superiores id exequerentur cum his,qui ſunt in periculo mortis;vt ſi Confeſſor ſequatur opinionem tutiorem,quòd etiam tunc opus eſt licentia Superioris,qui facilè conueniri poteſt, ad abſoluendum à reſeruatis, non indigeat petitione illius, ſi fortè æger reſeruatis innodetur. Non autem prudenter operaretur Superior, ſi inconſultò, & abſque aliqua rationabili cauſa,cuilibet eam licentiam vltrò concederet.

83 Rursùs ſecundò id contingere poteſt, ſi Superior concedat alicui, vt poſtquàm in futurum in aliqua reſeruata inciderit, dum ſibi ſubditus eſt, abſoluatur ab eis per Confeſſorem ordinarium, aut per alium, quem ipſe elegerit. Quæ facultas magis expoſita eſt periculo imprudentiæ; imò ex ea poſſet timeri occaſio, aut libertas peccandi in ſubdito, fræno reſeruationis, quoad neceſſitatem ſiſtendi ſe Superiori,ablato;quare communiter eam non præbent, imò nec poſſunt præbere Superiores, quia præter imprudentiam peccarent grauiter,ſi prædictum inſtaret periculum. In aliquo autem euentu raro,an ſit expediens, eam largiri facultatem, attentè ipſi perſpicient;non enim facilè euentum reperias, Facultatem autem tam ad hoc, quàm ad primum, de quo *num. præcedenti*, ijdemmet poſſunt præſtare, qui eam concedere queunt poſt commiſſa delicta reſeruata,, & poſt petitam facultatem ab ipſis; Iuriſdictio enim ad vtrumque eſt eadem; & qui poteſt poſt patratam culpam, licentiam abſoluendi ab illa concedere, poteſt, & antequam patretur; & præterea idem qui valet eiuſmodi licentiam præſtare ad abſoluendum à iam commiſſis, ſi ab ipſo petatur, valet etiam, ſi non petatur. Quod certiſſimum eſt, & patet in Pontifice concedente Bullam Cruciatæ ad abſolutionem non petitam ab ipſo à peccatis reſeruatis ſibi, ſiuè commiſſis ante conceſſionem Bullæ, ſiuè poſt conceſſionem. Cœterùm hæc exemptio à reſeruatione, vt dixi, latiſſima eſt; non enim

Digitized by Google

tollit reſeruatinnem, ſed ea ſuppoſita, concedit facultatem, vt quis abſoluatur à peccatis ſub ea reſeruatione comprehenſis, ſicut facultas, quæ conceditur ſæculari accipienti Bullam, non tollit reſeruationem peccatorum, ſed ea ſuppoſita, indulget illi, vt abſoluatur ab eis; & in hoc lato ſenſu poſſet dici exemptio à reſeruatione. Aliquid autem ibi ineſt, ratione cuius poſſit aliquo modo exemptio nuncupari; nempè quòd in ordine ad hoc, vt pœnitens abſoluatur à reſeruatis, conceſſa illa facultate, eodem pacto ſe habet, ac ſi exemptus eſſet à reſeruatione, ſeu ac ſi non eſſent peccata reſeruata, cum poſſit ab illis, non ſecùs ac à non reſeruatis, abſolui per Confeſſorem ordinarium, aut electum per ſe, iuxta facultatis conceſſæ qualitatem.

84 Secundò modo ſtrictè conſideratur exemptio, cum potens eximere, abſolutè aliquem eximit à reſeruatione, ita vt reſpectu illius peccata non ſint reſeruata; habeatque ſe eximens, ac ſi diceret; hæc peccata mihi reſeruo reſpectu omnium, præter hunc, vel illum, quem nolo comprehendere. Et quamvis reipſa idem, aut ferè idem ſit in ordine ad effectum hæc exemptio, & exemptio *ſuprà* dicta, latè talis; cum in vtraque hoc ſit commune quòd poteſt quis abſolui à Confeſſore ordinario, aut ab electo, ab eis peccatis; tamen differunt in eo, quòd hæc exemptio relinquit peccata in eodem ſtatu, ac in ſe erant in ordine ad abſolutionem, ſeu relinquit exemptum cum eadem libertate quam prius habebat, confitendi ſua peccata, & obtinendi abſolutionem ab illis; & prætereà niſi de nouo reſpectu exempti reſeruentur ea peccata, non indiget facultate Superioris ad abſolutionem: Prima vero exemptio lata non relinquit peccata in ſtatu non reſeruationis, imò ſupponit reſeruata, tribuitque vt abſoluatur pœnitens ab eis; & ea facultas poteſt reuocari à concedente, antequam effectum obtineat, & tunc non reſeruantur de nouo peccata, & tamen nequiret abſolutio ei præſtari ſine licentia ſuperioris; quod oſtendit, per eam exemptionem non auferri reſeruationem; aliàs reuocata ea, opus eſſet noua reſeruatione, vel poſſet adhuc abſolui pœnitens à reſeruatis; quippè reuocatio eius exēptionis, ſeu facultatis non eſt formaliter reſeruatio peccati; cum poſſint Superiores reuocare facultatem, quam ſemel præſtiterunt, & non poſſint reſeruare peccata, ad quorum reſeruationem opus eſt authoritate Capituli, aut Congregationis. Ex his cernitur, diuerſas eſſe formaliter, & eſſentialiter prædictas exemptiones latam, & ſtrictam.

85 Ille autem poteſt ſtrictè eximere Regularem à reſeruatione, qui poteſt reſeruare ſibi peccata, eiuſdem enim eſt poteſtatis vtrumque; ſicut legiſlator, qui poteſt legem condere, poteſt & ab illius obligatione eximere. Sed tamen poterit contingere, vt non omnis, qui valeret reſeruare peccatum, valeat eximere ſubditum à reſeruatione; nempè Superiores immediati Monaſteriorum, attento iure communi, reſeruare queunt peccata à Clemente VIII. deſignata: At ſi reſeruaſſet ea Generalis, Prouincialis, aut Capitulum, non poſſent illi immediati Superiores eximere ſubditum à reſeruatione, quando enim duo Superiores, alius inferior, alius maior poſſunt eamdem legem ferre, ſeu ſtatutum, vel aliquam licentiam concedere, ſi Prælatos ſuperior ferat, aut concedat, nequit inferior reuocare, aut ſuſpendere. Tunc ergo poterunt Superiores eximere aliquem à reſeruatione, cum ipſimet, & non alius ſupra ipſos, reſeruationem appoſuerunt. Iuxta dicta autem *numer.* 81. attenta conſideratione opus eſt, vt prudenter, & licitè Superiores eximant à reſeruatione ſubditos.

86 Hic aduerte primò, ea quæ diximus *in hoc capite*, communia eſſe Prælatis ſæcularibus reſeruandi poteſtatem habentibus, cum proportione ſeruata, eodem modo ſe habeant reſpectu ſuorum ſubditorum, ac Superiores Regulares reſpectu Regulariũ. Aduertè ſecundò, eoſdem, qui poſſunt eximere ſubditos à reſeruatione, poſſe tollere abſolutè reſeruationem reſpectu omnium ſubditorum; pariterque philoſophandum eſt de ablatione reſeruationis, ac de exemptione ab illa. Debet nihilominùs hoc intelligi de ablatione reſeruationis in futurum; nam, ſi ſemel quis in peccata incidit, quæ erant reſeruata, cum ea patrauit, non poteſt Superior facere, quòd reſeruata non fuerint; ſolùm quippè valet facultatem largiri, vt lapſus in illa abſoluatur.

87 In Societate Iesv Superiores locales immediati, nec item Prouinciales, aut Congregationes Prouinciales, neutiquam poſſunt eximere ſubditos à reſeruatione, aut reſeruationem penitùs tollere à peccatis quia reſeruata fuere à quinta Congregatione Generali Decreto 40. Et à Congregatione *nona* Generali *Decreto* 43. *& Canone* 5. Congregatio autem Generalis ſupra omnes illos eſt. At N P. Generalis poteſt eximere, quem maluerit, à reſeruatione, primo modo ex *ſuprà* poſitis, præſtando ſcilicèt facultatem, vt abſoluatur à reſeruatis. Poteſt præterea diſpenſare in Decretis Congregationum Generalium, quando ab ipſis non prohibetur ei diſpenſatio; & cum in præſenti non prohibeatur, poſſet ſua abſoluta poteſtate vtens, aliquem, aut aliquos eximere ſtrictè à reſeruatione, diſpenſando in Decreto prædicto. Cæterùm

cum

Digitized by Google

cum hæc poteſtas à Congregatione Generali ei relinquatur in ædificationem, non in deſtructionem, inde eſt, vt ſi in prædicto Decreto vellet abſque cauſa diſpenſare, maximè cum pluribus, eos à reſeruatione eximendo, diſpenſatio eſſet nulla, & etiam exemptio, vt potè abſque poteſtate præſtita, cum poteſtas Congregationis Generalis non maneat penès illum, niſi ad ædificationem, non ad ruinam.

88 Nec probatur, nequire N.P. Generalem diſpenſare in prædicto Decreto, eximendo cum cauſa rationabili, ſi detur, aliquem à reſeruatione, ex eo, quòd iuxta Breue Clementis VIII. præter caſus aſſignatos ab ipſo, non poteſt vllus Superior, nec Generalis reſeruare alia peccata, vnde nec noſter; ſed duntaxàt reſeruare illa valet noſtra Congregatio, ſicut de facto reſeruauit tum caſus à Clemente præfixos, tum alios: ergo non poterit Generalis tollere reſeruationem, aut eximere aliquem ab illa, ſi quidem eam non poteſt ponere, reſpectu caſuum, qui in Breui Clementis non ſunt contenti. Quippè reſpondeo, & ſi ſit verum, eum, qui poteſt reſeruare, poſſe eximere à reſeruatione, non tamen è contra eſt verum, non poſſe eximere à reſeruatione, niſi eum, qui poteſt reſeruare. Sicut & ſi ſola Congregatio poſſit edere Decreta, & Canones, & non Generalis, tamen hic poteſt in illis diſpenſare, quia ad hoc ei poteſtas à Congregatione manet: Similiter ergo in præſenti diſpenſando in illo Decreto 40. quintæ Congregationis, & in aliis Nonæ Congregationis, poterit eximere aliquem à reſeruatione, licèt non potuerit edere illa Decreta, nec omnes eos caſus ibi contentos reſeruare. Et quidem Clemens VIII. ſolùm prohibuit Superioribus, ne alios caſus præter aſſignatos ab ipſo reſeruarent, non verò, quòd ſi à Capitulo, vel Congregatione alij caſus reſeruarentur, non poſſent Generales eximere aliquem à reſeruatione, diſpenſando in ſtatuto, aut Decreto Capituli, vel Congregationis, dummodò diſpenſatio in aliis ſimilibus Decretis, aut ſtatutis liceret Generalibus iuxta ſuorum Ordinum Conſtitutiones, in hoc namque nihil immutauit, aut prohibuit Clemens; quare etſi N.P. Generalis nequierit caſus ſuperadditos reſeruare, poterit eximere aliquem ſubditum à reſeruatione, per poteſtatem, quæ eſt in ipſa Cōgregatione Generali, & penès ipſum manet in ordine ad diſpenſandum in Decretis, cum cauſa vrget; niſi poteſtas ei denegetur; non verò denegatur in præſenti.

CAPVT X.

An reſeruatio caſuum in Religione liget ipſos Superiores?

89 QVando Prælatus Superior reſeruat caſus pro omnibus ſuis ſubditis, certum eſt Prælatos inferiores ligari reſeruatione, nam in illos pariter iuriſdictio datur, & exercetur; ſicut cum Pontifex ſibi peccata reſeruat, reſeruatione ligantur omnes inferiores Prælati. Deinde ipſemet Superior, qui reſeruat caſus, non ligatur ſua reſeruatione, quia, ſicut nullus poteſt ſe ipſum excommunicare, eo quòd requiratur diſtinctio perſonarum inter excommunicantem, & excommunicatum; ita nec ſua reſeruare peccata, quia diſtinctio perſonarum exigitur inter reſeruantem, & eum, cuius peccata reſeruantur. Etenim Prælatus inferior non poteſt ſua peccata reſeruare Prælato ſuperiori, vt nemo poteſt peccata reſeruare Pontifici, niſi ipſe Pontifex, quia hoc eſſet, iuriſdictionem Prælati ſuperioris, aut Pontificis ſibi arrogare; quorum eſt, ſibi ipſis poſſe reſeruare peccata. Prætereà nequit ille Prælatus ſibi ipſi ſua reſeruare peccata, hoc enim eſt & impoſſibile, & ridiculum; cum ergo nōn reſtet, cui reſeruet, fit non ligari ſua propria reſeruatione. Nec obſtat, legiſlatorem propria lege obligari; nam in legis prolatione aliter ſe res habet, conſideraturque duplex vis, alia coactiua, alia directiua; & quamuis per primam nequeat adſtringi legiſlator, poteſt per ſecundam, quin in hoc ſit impoſſibilitas, aut abſurdum; non tamen ex eo probatur, poſſe quem excommunicare ſe ipſum, vel abſoluere; vnde nec probatur, poſſe ſua reſeruatione ligari, quia ad hoc opus eſt diſtinctio perſonarum, veluti ad excommunicationem, quæ diſtinctio neceſſaria non eſt, vt obligetur per legem vi directiua, quatenùs expedit caput conformari membris in obſeruatione legum, ipſiſque exemplo præire; de quo videantur Authores cōmuniter *in tr. de legibus.*

90 Ex his cernitur, in noſtra Societate Ieſu Prouinciales, & Superiores locales ligatos eſſe reſeruatione caſuum, non ſecùs ac cæteros ſubditos; Etenim Congregatio Generalis, cuius Decreta non expirant, & eſt ſupra omnes prædictos, innixa poteſtati, quam Clemens VIII. Capitulis, & Congregationibus præſtat reſeruandi caſus, de facto pro omnibus eos reſeruauit. Quod quidem indubium eſt, ſicque & manifeſta ipſa reſeruationis forma declarat, & perſuaſio communis omnium, & praxis. Quare, eo ſuppoſito, prouiſum eſt in Societate de modo, quo Superiores eſſent abſoluendi à reſeruatis, tàm Prouinciales, quàm

Digitized by Google

quàm Superiores locales, ſi fortè (quod Deus au rtat) pro humana fragilitate in peccatum inciderent reſeruatum.

91 Aliquis tamen forſan addubitet, an N. P. Generalis ligetur prædicta reſeruatione? eademque dubitatio vertitur circa quemvis Generalem aliorum Sacrorum Ordinum, ſi in eis reſeruentur aliqua peccata à Capitulo Generali, & præterea Capitulum Generale ſit ſuprà Generalem, ſicut eſt in Societate Congregatio Generalis, etenim ſi non ſit ſuprà ipſum, certum erit, non ligari reſeruatione poſita à tali Capitulo; cum actus reſeruandi ſit proprius iuriſdictionis, neque atque exerceri circa eum, circa quem non datur vlla iuriſdictio, aut poteſtas. Loquimur ergo in caſu, quo Capitulum Generale ſit, veluti noſtra Congregatio Generalis, Superior Generali.

92 Tenendum eſt, Generalem non ligari reſeruatione facta à Capitulo, aut Congregatione. Probatur; quia in reſeruatione caſuum neceſſariò eſt aſſignandus aliquis Superior, ad quem pro abſolutione accedat, qui in aliquem ex illis inciderit. vel qui ei facultatem præbeat, vt abſoluatur. At Generalis non habet intra Religionem Superiorem aliquem, ad quem accedat, cum ſit ſupremum omnium caput, igitur nequit reſeruatione ligari. Etenim non poſſunt eius peccata reſeruari Prælato extra Religionem, nempè Pontifici (nullum enim alium Superiorem habet, niſi Vicarium Chriſti in terris) nam, vt dixi, nequit inferior reſeruare peccata Superiori; hoc namque eſſet, rerum ordinem inuertere, & quaſi committere ſuas vices Superiori; Deindè intra Religionem non habet Superiorem Generalis; ergo non adeſt, cui eius peccata reſeruari queant. Confirmatur, ligari aliquem reſeruatione, eſt carere aliqua iuriſdictione, & indigere alio, qui iuriſdictionem in ipſum habens, poſſit eum abſoluere; At Generalis nulla caret iuriſdictione abſoluendi in Religione, nec aliquis eſt, qui iuriſdictionem ordinariam abſoluendi illum in Religione habeat independentem ab ipſo, & quæ ſit iuriſdictio Superioris ad inferiorem; ergo nulla reſeruatione intra Religionem ligatur.

93 Dices, Congregatio Generalis, dum durat, eſt ſuperior Generali, ergo poteſt aliquem caſum illius reſeruare, deſignando Confeſſarium, à quo teneatur abſolui, ſi in eum caſum inciderit; tuncque ille Confeſſarius iuriſdictionem delegatam haberet à Cõgregatione, vt poſſet abſoluere Generalem. Fateor hoc verum eſſe; ſed diſſoluta Cõgregatione nullus manet ſuperior, atque adeò liber à reſeruatione Generalis remaneret; quippè tunc tota poteſtas ſuprema manet apud Generalem, & non apud vllum alium; nec datur ſucceſſor, aut vices gerens ipſius Cõgregationis, cui ſubdatur Generalis. Quare, ſicut Pontifex non eſt capax reſeruationis paſſiuæ, quia ipſe eſt ſupremum caput Eccleſiæ, & primum reſeruans; ſic etiam diſſoluta Congregatione, Generalis non eſt capax reſeruationis paſſiuæ, quia eſt ſupremum Religionis caput intra Religionem, & quaſi primum reſeruans.

94 Vrges etiam poſt diſſolutam Congregationem Generalem manet cæteri Superiores, & ſubditi ligati reſeruatione, ergo etiam maneret ligatus Generalis, ſi caſus illius reſeruaretur, & cõmitteretur alicui Confeſſori, & in defectum huius, aliis. Concedo antecedens, & nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia diſſoluta Congregatione ſucceſſor poteſtatis ipſius manet, nempè Generalis, reſpectu omnium Religioſorum, qui ad abſolutionem pro caſibus reſeruatis ad ipſum, aut ad Superiores inferiores deputatos ab ipſo, debent accedere; At tunc reſpectu Generalis non manet aliquis Superior, cui ipſe obedire teneatur, & per conſequens liber à reſeruatione ſit. Nihilominus videtur, poſſe excogitari caſum, in quo Generalis ligatus reſeruatione maneret; ſcilicet ſi Congregatio Generalis non ſolùm pro tempore, quo durat, ſed in futurum reſeruaret ei caſus, deſignando illi Confeſſarium, v. g. vnum ex Aſſiſtentibus, à quo abſolueretur, ſi in illos incideret quovis tempore (quod non ita factum eſſe in Societate, conſtat ex ipſis Decretis Congregationũ) Quippè, eſſe diſſolutam Congregationem, parum ad hoc refert, ſicut parum refert, ad hoc vt reſeruatio perſeueret reſpectu cæterorum; quorum reſpectu peccata ſunt reſeruata ex vi reſeruationis factæ in Congregatione iam præterita; non ex vi reſeruationis factæ à Generali, qui nec eos caſus reſeruat, nec poteſt plures ex illis, vtpotè ſuperadditos deſignatis à Clemente VIII. reſeruare, ergo, ſicut manet reſeruatio reſpectu aliorum, ſic poſſet reſpectu Generalis, ſi id intendiſſet aut præſtitiſſet Congregatio; & eo in euentu licèt Generalis non haberet actu Superiorem ſui, in ſe ipſo durantem, ſic verò in effectu, & obligatione, ſicut durat Congregatio reſpectu ſubditorum; quoniam in ſuis Decretis ſemper eſt ſuperſtes, & eis tenentur tam Generalis, quàm cæteri obedire.

95 Roboratur hæc cogitatio; nam, & ſi diſſoluta fuerit Congregatio, ſi ipſa prohibuerit Generali aliquem actum, aut vſum poteſtatis, Generalis nequit eum exercere actum, aut vſum; & in hoc inſtantur quævis argumenta contraria; igitur ſimiliter, ſi reſeruet eius peccata, prohibendo abſolutionem, niſi præſtetur à deſignato ab ipſa, non poterit abſolui, niſi ab eo. Et ſanè, ſi Congregatio, dum

Digitized by Google

dum durat, poteſt eius peccata reſeruare, non eſt, cur nequeat in poſterum reſeruare; cum non obſtet, nullum manere Superiorem Generalis, diſſoluta Congregatione, ſi quidem, & ſi non maneat, tenetur ſtare Decretis per illam factis. Adhuc tamen in contrarium eſt, quòd, ſicut Generalis poſſet eximere alios à reſeruatione, eoquòd diſpenſare queat in Decretis Congregationis Generalis, dum non prohibeatur ei diſpenſatio, poſſet diſpenſare in eo Decreto facto reſpectu ipſius, atque adeò liber à reſeruatione manere; quare inane, & fruſtraneum eſſet Decretum. Sed his etiam poteſt iri obuiam: Etenim ſi Congregatio Generalis caſus illius reſeruaret, prohiberetque, ne in hac reſeruatione diſpenſaret, non poſſet ſanè eximere ſe à reſeruatione. Nec dici poteſt, non poſſe prohiberi, vt ſecum præſtet, quod cum alijs præſtare poteſt, nam hoc eſt de iure communi; Etenim pariter eſt de iure communi, vt poſſit quis abſolui à reſeruatis à Confeſſario à ſe electo, ſi poſſit concedere licentiam alijs, vt ab jiſdem reſeruatis abſoluantur à Confeſſario, quem maluerint, & tamen in Societate Superiores locales non niſi à Prouinciali, aut à Confeſſore Ordinario per illum deſignato, & hic non niſi à Generali, aut à deputato per illum queunt abſolui, adhuc ab jiſdemmet peccatis, à quibus, poſſunt præſtare licentiam, vt abſoluantur ſubditi, iuxta communiorem inter noſtros ſententiam quæ iam in Congregatione Generali & ſtabilita dum deſignatus eſt confeſſor, qui abſoluat. Quare præter ius commune priuilegia Religionum vim habent, vt ſcilicèt in diſpoſitione Sacramenti pœnitentiæ ſubiaceant ſuis Superioribus Regulares.

96 His tamen non obſtantibus, inſiſtendum eſt dictis *num.* 93. initio; nempè non poſſe Generalem ligari reſeruatione; nam Generalis, diſſoluta Congregatione, manet cum pleniſſima, totaque poteſtate, nec pro tunc Superiorem habet; & licèt teneatur alijs legibus, & ſtatutis, ſiuè Decretis Congregationum, tamen obligatur per vim directiuã, ſicut cæteri legiſlatores; at nequit obligari à reſeruatione, quia eſſet, vt *ſuprà* dixi, carere aliqua poteſtate, ac iuriſdictione, quod eſt contra pleniſſimam poteſtatem, quæ in Generali remanet. Et ſanè ſemper per electionẽ Canonicam in Generalem eligitur, qui fræno reſeruationis nequaquam indigeat, vt toti Religioni virtutum exemplo præluceat.

CAPVT XI.

Quis poſſit abſoluere Superiores Regulare à reſeruatis.

97 SI ipſe Superior peccata reſeruauit, cum ea reſeruatione non ligetur, poterit indubiè ab eis peccatis abſolui per eumdem Confeſſarium, per quem à cæteris non reſeruatis abſoluitur. Difficultas ergo eſt, cum peccata etiam reſpectu ipſius Superioris ſunt reſeruata. Et hæc adhuc in duplici ſunt differentia; alia ſunt, à quibus ipſe ſuperior non poſſet ſubditos, ſi in illa incidiſſent, abſoluere nec facultatem ad abſoluendum præbere; v. g. aliqua reſeruata Pontifici; ab his ſolus Pontifex eos poterit abſoluere, & proportionatè ſi ſint reſeruata alij Prælato ſuperiori ſolus ille Prælatus, aut de eius licentia, vel alius eo Prælato maior, poterunt abſolutionem impertiri, Alia ſunt reſeruata pro tota Communitate, ſed poteſt Prælatus facultatem præbere ſubditis, vt ab illis abſoluantur, & per ſe ipſum abſoluere; v. g. in Religione ſi ſint à Capitulo reſeruata peccata aliqua Superiori, ipſe Superior abſoluere poteſt, aut de eius licentia alius; Prætereà peccatorum, quæ, ſunt reſeruata Pontifici, ſi occulta ſint, abſolutionem præſtare Epiſcopus valet, De his ergo peccatis eſt difficultas, an ſuperior poſſit abſolui, à quo maluerit, ſicut poteſt, cui maluerit, ſuas vices committere, vt ſubditos ab illis abſoluat?

98 Loquendo de Epiſcopis, & de alijs Prælatis ſæcularibus, poſſe ſuo Confeſſario committere facultatem, vt à reſeruatis eos abſoluat, eſt communis ſententia; & per declarationem Congregationis Cardinalium conſtans, quam affert P. Suarez. *de cenſur. d.* 41. *ſ.* 2. *num.* 9. Defenditurque à Sayro, Riccio, Naldo, quos affert, & ſectatur Diana 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 142. Bonacina, Maiolus, Farinacius, Marzilla, Nuñus, P. Henriquez, & P. Sa, quos citat, & ſequitur Leander de Sacramento *tom.* 1. *tract.* 5. *d.* 12. *quæſt.* 22. P. Thom. Sanchez *lib.* 2. *ſum. cap.* 11. *num.* 11. *& l.* 8. *de matrim. d.* 3. *n.* 3. P. Layman, *l.* 5. *tr.* 6. *c.* 10. *n.* 17. Cardinalis Lugo, *tom. de pœnit. d.* 20. *ſ.* 5. *tr.* 9. Villalob. *diffic.* 60. *n.* 8. Contrariam ſententiam tutati ſunt Marius Alterius, & Vega apud Leandrum, & Dianam.

99 Imò & Vicarium Epiſcopi, qui poteſtatem habet ſubdelegandi, non ſolùm poſſe conſtituere ſibi Confeſſarium, qui ipſum à non reſeruatis abſoluat, verùm & à reſeruatis, defendũt Cardinalis Lugo, *vbi nuper*; & Leander *q.* 23. atque apud ipſum Vgolinus, Floronus, ac Diana; quamuis id neget Graffis *in appendic. ad deciſ. aurear. lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 22.

100 De

Digitized by Google

100 De Prælatis Regularibus ait Leander q.23. nonnullos Authores partem negantem, alios verò affirmantem tueri, & vtroſque probabiliter; probabilius autem eſſe, poſſe abſolui illos à ſuo Confeſſario, dummodò voluntas Capituli, aut Generalis reſeruantis non fuerit contraria, nam eo caſu erit ſtandum eiuſmodi voluntati. Idem docent P. Fagundez *in 4. præcep. Eccl. lib. 1. cap. 10. n. 6.* Zacharius Paſquatigius à *deciſ. 96. vſque ad 99.* in qua addit, idem poſſe Vicarios Abbatum, Priorum, aliorumque ſuperiorum localium, in horum abſentia, affertque pro hac ſententia Megalam Leonem, & Coroianum. Docet eamdem Cardinalis Lugo *ſuprà*, & addit *num. 67.* de iure communi poſse ſuperiores (vbi non datur in reſeruante voluntas contraria) eligere ſibi Confeſsarium etiam extra caſum neceſſitatis, non ſolùm in ſuo Ordine, verùm & extra illum, qui eos abſoluat à non reſeruatis, & reſeruatis; pro qua concluſione refert Graffium Mirand. Villalobos, & Dianam. Demùm hanc ſententiã tuetur P. Quintanadueñas *t. 1. ſingul. tr. ſingul. 23.*

101 Hæc doctrina tam circa Prælatos ſæculares quàm Regulares, cum limitatione appoſita & communis, & veriſſima eſt; quam rectè tradit P. Suar. *de pænit. diſput. 27. ſect. 2. num. 10.* Fundamentum eſt ipſum ius commune. Nam in primis *in cap. Ne pro dilatione. final. de pænitent. & remiſſ.* aſſeritur; *Ne pro dilatione pænitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Epiſcopis, & aliis Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, vt etiam præter ſui ſuperioris licentiam, prouidum, & diſcretum ſibi poſſint eligere Confeſſarium.* Vbi benè notat P. Quintanadueñas, n õ limitari, vt Confeſſarius electus ſit intra, aut extra Religionem; nec quòd ſolùm à reſeruatis abſoluat; nec demùm, quòd opus ſit, abſentem eſſe Prælatum ſuperiorem, vt inferior Prælatus eum eligat Confeſſorem, à quo abſoluatur.

102 Deindè quamvis in *prædicto cap. final.* non fiat mentio de abſolutione à reſeruatis, tamen mens Pontificis fuit, Prælatis proſpicere, & eis in omnibus fauere, vt eligentes Confeſſarium poſſent idem reſpectu ſui, quod poſſunt reſpectu ſubditorum; Quam Pontificis mentem hic agnouerũt Paludanus, Gabriel, Angelus, Antonius Gomez, S. Antonius, & plures alij, quos referunt, P. Thom. Sanchez, & P. Layman *vbi ſuprà.* Et ſanè cum Pontifex non limitet, nec reſtringat, non eſt, cur nos limitemus, aut reſtringamus.

103 P. Suarez affirmat, hæc vera eſſe, niſi in caſu, quo Prælatus inferior Regularis habeat deſignatum Confeſſorem à Prælato ſuperiori; tũc enim ſtandum eſſe, ait, Religionum ſtatutis, eo quòd per generale ius prædictum non derogentur ſpecialia iura ſpectantia ad Religionem, argumento *cap. 2. de pænit. & remiſſ. in 6.* maximè ſi poſt præfatum commune ius priuilegia Religionum fuerint conceſſa, aut confirmata.

104 Non placet hæc opinatio Cardinali Lugo, quia ex ea, iudicat, inferri, poſſe in Societate noſtra Superiores locales eligere ſibi Confeſſarium ad reſeruata (quod non poſſe, acriter defendit,) Etenim Superioribus localibus non erat ante octauam Congregationem Generalem, deſignatus Confeſſarius à Prouinciali; eſtò ſoleret deſignari Prouincialibus à Generali. Deindè in nulla Conſtitutione Societatis, nec in Decreto vllo Congregationum extat aliquid explicitè, nec implicitè contra illud ius commune. Et licèt Præpoſitus Generalis iniunxerit, debere Superiores locales recurrere ad Prouincialem pro abſolutione à caſibus reſeruatis, tamen cum Generalis nequeat reſeruare caſus, ſaltem eos, qui in Decreto Clementis VIII. nõ deſignantur, nec reſeruationem factam a Congregatione generali reſtringere, non videtur, poſſe Generalem derogare illud ius commune; eſſet enim hoc, reſeruare caſus Superiorum localium, ſi ab eis auferret facultatem eligendi Confeſſarium iure communi ſibi conceſſam.

105 Quare cenſet, in Societate non derogari illi iuri communi, ſed tamen ius commune non indulgere Prælatis abſolutionem à caſibus reſeruatis per confeſsarium electum, & dumtaxat à non reſeruatis fuiſse conceſsam abſolutionem. Mouetur, quia illud indultum iuris communis reſpexit præcipuè Epiſcopos, qui non habebant caſus reſeruatos, niſi Sedi Apoſtolicæ; at poſt illud indultum, antè Tridentinum, non poterant abſolui à reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, niſi per Pontificem, & poſt Tridentinum nequeunt abſolui à caſibus reſeruatis ei Sedi, ſi publici ſint; igitur illud indultum non erat ad electionem Confeſſarij, qui eos à reſeruatis abſolueret. Deindè Superiores locales, ſi incidant in caſus reſeruatos Prælato maiori, vel in Bulla Cœnæ contentos, nequeunt ex vi illius iuris communis ab his abſolui, ergo non datur eis facultas ad eiuſmodi abſolutionem, ſed tota poteſtas penes reſeruantem retinetur. Confirmat ex *cap. ſi Epiſcopos, de pænit. & remiſſ.* vbi plures cum P. Suario fatentur, data licentia eligendi Confeſſarium, non intelligi datam ad caſus reſeruatos. Affirmat autem, poſt Tridentinum poſſe Epiſcopos eligere Confeſſarium, qui eos abſoluat à reſeruatis Pontifici occultis, à quibus ipſi queunt abſoluere, ſed hoc non prouenire ex vi iuris communis; ſed quia Pontifex reſeruans ſibi eos caſus, & poſtea concedens Prælato inferiori, nempe Epiſcopis, abſolutionem ab

illis,

Digitized by Google

illis, cenſetur auferre reſeruationem pro tota illa Communitate ei prælato ſubiecta, dum ad talem prælatum pro abſolutione recurrat; cum autem ſit pars Communitatis ipſe prælatus, non cenſeri debet excluſus à remedio illo communi; dum aliud non conſtet de contraria voluntate reſeruantis. Hinc idem cenſet de prælatis Religionum, in quibus non conſtat, fuiſſe contrariam voluntatem in reſeruante; In Societate autem, ait, conſtare de ea ex perpetuo vſu, & perſuaſione communi, quæ ex praxi, optima legum interprete, deſumitur; quare non poſſunt Superiores locales ob hanc rationem eligere ſibi Confeſſarium quoad reſeruata.

106 Hæc ſingularis cogitatio Cardinalis Lugo, quatenùs contendit, ius commune non indulgere prælatis, poſſe abſolui à caſibus reſeruatis à Confeſſario à ſe electo, ab illis ſcilicèt, à quibus ipſi abſoluere queunt, neutiquam videtur veritati conformis. Et primò ipſe Cardinalis *paulò inferiùs n.* 67. contrarius ſibi eſt; nam dubitans ibi, vtrùm prælatus Regularis poſſit confiteri Sacerdoti alterius Ordinis, ait, hoc non eſſe negandum, loquendo de iure communi, ita tamen, vt, ſi voluntas Superioris, aut Capituli reſeruātis fuit, vt externo non confiteretur de reſeruatis, non poſſit de his cum illo confiteri. Ecce ſententiam, quam ipſe paulò ante impugnauerat. Simul aduerte, iam ipſum fateri iuxta ius commune poſſe Prælatum Regularem eligere ad reſeruata quemlibet Confeſſarium etiā externum, niſi id ius commune per voluntatem Capituli, aut Superioris reſeruantis ſit derogatum, iuxta priuilegia, in quibus Religioni conceditur, vt poſſit decernere; quę eius gubernationi congruunt, quamvis ſint iuri communi contraria; vel iuxta priuilegia, quibus ipſa decreta, ſeu ſtatuta Religionum confirmantur. Non igitur rectè negat Cardinalis Lugo, ſtando præcisè iuri communi, poſſe Prælatum Regularem eligere Confeſſarium ad reſeruata, dum docet, ius commune ſolùm loqui de abſolutione à non reſeruatis.

107 Præterea, rationes, quibus mouetur, vim non habent. Etenim fateor, per illa indulta iuris communis non conceſſam fuiſſe facultatem Epiſcopis, vt ipſi abſoluerentur à peccatis reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, cum ea indulta præceſſerint Tridentinum. Sed quid inde? Nam ante Tridentinum non poterant Epiſcopi abſoluere ſuos ſubditos à reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, nec dare licentiam, vt aliquis ab eis abſolueretur; non ergo mirum, ſi nec ipſi poſſent ab eis abſolui. Hoc autem præter quæſtionem præſentem eſt; inquirimus enim, an Prælatus, quicumque ſit, poſſit alij committere facultatem, vt abſoluat ipſum à reſeruatis, à quibus ipſe poteſt ſuos ſubiectos abſoluere, aut præbere licentiam, vt abſoluantur? reſpondemúſque, poſſe, attento iure communi, quomodo ergo contra hoc facit, quòd non poſſit committere facultatem, vt abſoluatur à caſibus, à quibus nec ipſe poteſt ſubditos abſoluere? hæc ſanè alia quæſtio eſt, & in ea veriſſimum, attento iure communi, non poſſe; quod ſolummodò conuincit ratio mouens Cardinalem Lugo.

108 Eodem prorsùs vitio laborat extenſio, quam facit ad Prælatos Regulares. Quippe certum etiam eſt, attento iure communi, eos non poſſe abſolui à Confeſſario per ipſos electo à peccatis reſeruatis in Bulla Cœnæ, aut à reſeruatis ſoli Prælato Superiori ipſorum; ſed nec ipſi poſſunt abſoluere ſubditos ab huiuſmodi peccatis; non igitur indè probatur, nō valere abſolui à peccatis aliis reſeruatis, à quibus ipſi alios abſoluere queunt; quæ eſt præſens difficultas. Nullus enim adhuc contendit, ius commune concedere Prælatis, vt poſſint eligere Confeſſarium, qui eos abſoluat à peccatis, à quibus ipſi abſoluere nequeunt, nec facultatem largiri, vt alius abſoluat. Argumenta autem Cardinalis Lugo ſolum hoc conuincunt, vnde exiſtimationem communem de iure communi non eneruant.

109 Nec obſtat, quod ex P. Suario interpretante *caput ſi Epiſcopus, de pœnit. & remiſ.* affert. Nam, eſtò data licentia eligendi Confeſſarium præcisè, non intelligatur data ad caſus reſeruatos (in quo tamen ad formam, & circunſtantias conceſſionis eſt attendendum,) tamen in præſenti ius commune non concedit vtcumque Prælatis facultatem eligendi Confeſſarium, ſed in ordine ad ea omnia peccata, à quibus ipſi poſſunt abſoluere; & cum aliqua ex his, à quibus poſſunt, ſint reſeruata, ſequitur, poſſe eligere ſibi Confeſſarium quoad ea reſeruata. Hæc conceſſio conſtat tum ex notatis *ſuprà num.* 100. *& ſequenti*; tum quia in cæteris illud eſt ius commune, nempè poſſe Superiorem ſecum præſtare, quæ poteſt cum ſubditis, vt videre eſt in omnibus facultatibus, quas ſubditis concedit; igitur pariter & in hoc idem poteſt. Quæ enim eſt ratio diſparitatis? Dices, quòd Superiores reſeruantes, aut Capitula id negant, Benè; ergo ſi non negent, poteſt pariter circa confeſſionem Prælatus idem quoad ſe, quod poteſt quoad alios circa alias res; vnde non poſſe abſolui à reſeruatis, proueniet ex ſpeciali ſtatuto Religionis, non ex eo, quòd independenter ab illo non poſſet; ſi quidem eo ablato ſtatuto, nulla reperitur diſparitas.

110 Deinde ſic argumentor. Iuxta *cap. finale de pœnit. & remiſ.* poteſt quilibet Prælatus eligere ſibi Confeſſarium; at non prohibetur ex vllo titulo eligere illum ad reſeruata, niſi

niſi ſit ſtatutum contrarium in Religione; igitur attento præciſè iure communi, & independenter à ſtatutis Religionum, poteſt quilibet Prælatus eligere Confeſſarium ad reſeruata. Conſequentia eſt optima; maior conſtat ex verbis *eius capitis allatis n.* 100. Minor verò plana fiet, petendo, qui titulus, ratio, aut caput ſit, vndè prohibeatur? Sanè nullum oſtenditur. Maneat igitur, de iure communi poſſe quemvis Prælatum, etiam Regularem, facultatem cuivis Confeſſario præbere, vt ipſum à reſeruatis abſoluat, à quibus ipſe ſubditos abſoluere valet: Sed ea limitatione, niſi in Religione aliud ſit ſtatutum, nam vel per ſtatutum eiuſmodi à Pontifice explicitè, aut implicitè confirmatum illud ius commune derogatum eſt; vel illud ius commune eſt quaſi conditionatum, nempè ſi poſt in Religione aliud non ſtatuatur, quaſi nolens rectæ gubernationi illius obſtare, nec voluntatem liberam reſeruantis reſtringere, vt equidem non reſtringit; ſiquidem, vt benè aſſeruit Cardinalis Lugo, per ius illius *capitis finalis* nequibant Prælati abſolui à caſibus Pontifici reſeruatis, quia illud ius non tollebat à pontifice liberam poteſtatem reſeruandi ſibi peccata, quæ mallet; imò nec tollebat aliis Prælatis ſuperioribus, vt ſibi valerent peccata reſeruare, qua reſeruatione poſita, non poſſent Prælati inferiores ſibi eligere Confeſſarium; dum tamen ſibi Prælati Superiores non reſeruarent peccata, ſed reſeruarent illa Superiori inferiori, hic tunc per illud ius commune poſſet eligere ſibi Confeſſarium quoad reſeruata ſibi, etiam ſi ipſe non eſſet, qui reſeruauit; ſi enim ipſe eſſet, ſub reſeruatione non comprehenderetur, vel poſſet ipſe à ſe tollere reſeruationem; verùm iuxta dicta, verius eſt, non fore ipſum tunc comprehendendum, cum reſeruatio diſtinctionem perſonarum requirat.

111 Dices primò, *in eo cap. finali*, concedi facultatem Prælatis ad eligendum Confeſſarium, quin aliud ſuperaddatur; ergo ſicut non indè infertur, eam concedi, vt eligant ad reſeruata pontifici, ita nec inferri poteſt, concedi, vt eligant ad reſeruata in Religione. Nego conſequentiam, nam in *eo cap.* intendit pontifex, vt idem poſſint circa ſe prælati, quod poſſunt circa ſubditos; tum quia hoc eſt conformius facultati, qua in cæteris omnibus frui poſſunt, indulgendo ſibi, quod ſubditis indulgere queunt; tum quia ratio motiua, ex qua deſumendus eſt indulti ſenſus, hoc perſuadet, ea enim eſt, *Ne pro dilatione pænitentiæ periculum immineat animarum*, in qua expendo primùm, de reſeruatis eſſe ſermonem, pro quorum abſolutione, ſi ab alio prælato ſuperiori eſſet expectanda, differretur pœnitentia, periclitareturque anima: ſi enim non eſſent peccata reſeruata eiuſmodi, quid opus eſſet differre pœnitentiam; atque adeò, ſi non differretur, nullum inſtaret periculum. Si aſſeras, olim non potuiſſe prælatos inferiores vlli confiteri de quovis peccato abſque Superioris prælati licentia, Contra eſt, nam hoc non videtur, facilè credi poſſe, eſſet enim indiſcreta prohibitio; Deindè ſi ita contigiſſet, ſanè omnia peccata inferioris prælati eſſent reſeruata Superiori, quod adhuc minùs vero ſimile eſt; tunc verò habeo intentum, nempè *in eo c.* concedi facultatem ad reſeruata. Expendo ſecundò, eam rationem imminentiæ periculi animarum eodem modo militare reſpectu ſubditorum, ſi differant pœnitentiam, ac reſpectu prælatorum; ſed hoc non obſtante, non conceditur ſubditis, vt poſſint abſolui à reſeruatis pontifici de licentia prælati; ergo nec prælatis conceditur, vt ipſi ab eis peccatis queant abſolui per Confeſſarium à ſe electum; Conceditur igitur eis, vt abſolui poſſint ab eis peccatis, quorum confeſſionis dilatio idem animæ periculum afferret eis, ac ſubditis; ob quod vitandũ ſubditis conceditur, vt de licentia prælati poſſint abſolui. Et quidem cum peccata reſeruata Sedi Apoſtolicæ, & prælatis Superioribus ſint magis enormia, & rarius committantur, minus periculi in dilatione pœnitentiæ, ſeu non frequens periculum timeri poteſt; aliundéque oportet, à talibus culpis frænari omnes dilatione abſolutionis ab ipſo pontifice, ſeu prælato impetrandæ; quòd non æquè militat in caſibus, qui minori reſeruatione afficiuntur.

112 Dices ſecundò; ſi in *eo c. fin.* conceditur facultas prælatis, vt eligant Confeſſarium quoad reſeruata, id præſtare poterunt, quantumvis in ſua Religione ſtatutum ſit contrarium; hoc autem eſt contra ipſam noſtram ſententiam. Et probatur, nam *in eo cap. fin.* indulgetur Prælatis vt eligant Confeſſarium *etiam præter ſui Superioris licentiam*, Reſpondeo, aliud eſſe licentiam ſuperioris, aliud verò ſtatutum Religionis; ſi hoc ſecundum detur, non poterit Prælatus eligere Confeſſarium ad reſeruata, quia per ius commune non derogantur ſpecialia iura Religionum, vt *ſuprà* dicebamus; nec intenditur per illud rectæ gubernationi earum obſiſtere. Quòd ſi nõ detur ſtatutum, aut conſuetudo contraria in Religione, tunc præter licentiam ſuperioris Prælati poterit Prælatus inferior Confeſſarium eligere; ſi ſcilicèt ille ſuperior Prælatus non fuerit reſeruans, ſed reſeruatio peccatorum à Capitulo, aut Congregatione dimanauerit; Nam ſi Prælatus ille qui reſeruauerit, licentiam neget, tunc nequibit inferior Prælatus eligere Confeſſarium quoad reſeruata; & etiam non poterit tunc ratione ſtatuti,

Digitized by Google

ſtatuti, quo explicitè, aut implicitè præcipitur (de quo *infrà* latiùs) ſubditos ſubeſſe diſpoſitioni Prælatorum quoad Pœnitentiæ Sacramentum. Deindè melius forſan reſpondeo, Prælatum inferiorem non poſſe eligere Confeſſarium, quoad reſeruata contra voluntatem Superioris Prælati, quod eſt noſtra doctrina; poſſe verò præter licentiam illius; hoc eſt, non petendo licentiam ab illo, vt eum eligat. Itaque ante declarationem factam *in hoc capite* licebat inferioribus Prælatis ſaltem de licentia Prælati Superioris eligere ſibi Confeſſarium; conceditur ergo eis in illa declaratione, vt poſſint eligere, etiam non expectata, aut petita eiuſmodi licentia.

113 Iam verò ex dictis conſtat, etiam ſi per ius commune poſſint Prelati eligere Confeſſarium quoad reſeruata, attamen non poſſe, ſi contraria ſit conſtitutio in ſacris Ordinibus, aut contraria voluntas reſeruantis. Hinc, & ſi in Societate IESV, vt rectè notat Cardinalis Lugo, non ſit vlla conſtitutio. Decretum, aut Canon eam electionem prohibens, tamen videtur, voluntatem Congregationis quintæ Generalis, ſeu totius Societatis ibi congregatæ, quæ caſus reſeruauit, fuiſſe, vt Superiores locales, & Prouinciales nequirent eligere Confeſſarium ad reſeruata; quæ voluntas, etſi non ſit ibidem expreſſa, praxis, tamen, aut conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, cenſeri poteſt, eam voluntatem declaraſſe, interpretataque fuiſſe, Societatis Congregatæ voluntatem eam eſſe, vt illi Superiores non poſſent ad reſeruata eligere Confeſſarium. Vnde fateor, N. P. Generalem qui non potuit eos caſus, ſaltem omnes, reſeruare, nec potuiſſe reſeruationem reſtringere, ſolúmque declaraſſe, quid iuris ſit in Societate, manifeſtumque feciſſe Superioribus, eis iniungens, vt id obſeruarent, non quaſi à ſe dimanans, præceptum, ſed à Congregatione Generali, quam ſic praxis, & conſuetudo fuit interpretata. Et cum hæc ordinatio Generalis à ſequentibus Congregationibus Generalibus, non fuerit in dubium adducta, nec controuerſa, iudicandum eſt, ipſo fuiſse ſilentio confirmatam.

114 Et quidem Societas, cum ſit quædam perfecta communitas, & communitas eiuſmodi ſufficiens ſit ad condendas leges pro ſe ipſa, & introducenda conſuetudinem, quæ ſit ius non ſcriptum, quo gubernetur, potuit introducere conſuetudinem præfatam, vt nequirent Superiores eligere ſibi Confeſsarium quoad reſeruata, quæ rationabilis eſset, quantumvis in aliis Communitatibus conſuetudo oppoſita. & ius commune vigeret; qua Societatis conſuetudine, & praxi ſtante, non aliter res ſe habet, quàm ſi daretur ſtatutum circa id expreſsum, & ſcriptum; cum ea conſuetudo ſit quoddam ſtatutum, ſeu ius non ſcriptum. Et ſicut in vna Prouincia, vt in Aſturica, poteſt habere vim conſuetudo veſcendi lacticinij, etiam abſque Bulla Cruciatæ, tempore Quadrageſimæ, quamvis in alij Prouinciis contraria ſit conſuetudo, imò & ius commune, ſit contrarium, ita poteſt in Societate noſtra hæc conſuetudo vigeret rationabiliter introducta, eſtò ius commune ſit contrarium, & in aliis Communitatibus ſit contrarius vſus. Quare poteſtas Superiorum, quam limitari poſse per ſtatuta ſpecialia Ordinum, eſt certiſſimum, cum tota ea poteſtas ab ipſo Ordine, cui conceſsa eſt à Pontifice, immediatè dimanet, ſeu confirmet, vel auferatur, limitatur per hanc Ordinis noſtri conſuetudinem.

115 Cæterum videre eſt, hoc iure, aut conſuetudine, ad quænam peccata reſeruata negetur Superioribus in Societate, vt eligant Confeſsarium? In duplici namque differentia ſunt caſus reſeruati; alij, quos Superior poteſt committere, vt quilibet alius ſubditus; alij verò, in quos incidere poteſt, vt Superior eſt, ſcilicèt ſuo abutens munere, vt ſi bona domus, quorum adminiſtrationem habet, diſperdat; ſi clauibus ianuarum, quas noctu ſeruandas in ſuo cubili accipit, vtatur ad egrediendum domo noctu, ſine peccandi contra caſtitatem, & ſimilia. Igitur in vnoquoque Sacro Ordine ſtandum eſt conſuetudini, & ſtatutis circa prædicta. In noſtra autem Societate, tuetur Pater Quintanadueñas, *tomo 1. ſingulari tractat. 3. ſingulari 23. numer. 4. & 5.* Superiores poſse eligere confeſſarium, qui eos abſoluat à caſibus reſeruatis primi generis, in quos nempè dilabuntur, vt poſsent dilabi ſubditi; nō verò poſse, vt abſoluantur à caſibus reſeruatis ſecundi generis, in quos incidunt, vt Superiores ſunt; ſed pro abſolutione horum debere à Prouinciali petere facultatem, per ſe, aut per alium, cum commodum ſit; & periculum notæ abſit; idéque philoſophandum eſt de Prouinciali reſpectu Confeſsarij ſibi à Generali pro reſeruatis deſignati, quem nō tenebitur adire pro abſolutione à reſeruatis, ſi in quæ incideret, non vt Superior eſt; ſed vt quivis alius particularis, Quam doctrinam, ait, non auſurum ſe docere, niſi poſt conſultos pios, ac doctos viros Societatis, & poſt cōfirmationem illius traditam à N. P. Claudio Aquauiua Præpoſito Generali Societatis IESV in litteris datis ad Prouinciam Bæticam anno 1584. in quibus, cum interrogatus fuiſset, an, qui officium Rectoris finiuit, peccata reſeruata, ſi quæ, cū erat Superior, patrauit teneretur Prouinciali confiteri, vel alij de eius licentia; an poſset ſuo Superiori locali, ſub quo manebat, reſpondit, poſse abſolui à Superiore locali, cuius

ſubditus iam erat, ſi ea peccata commiſit, vt particularis, & vt quiuis alius committere potuiſſet; ſi verò commiſiſſet illa vt Superior, teneri ad ſiſtendum ſe Prouinciali; ſcilicet per ſe vel alium.

116 Hinc infert, eum, qui abſque ſui officij abuſu committit peccatum reſeruatum, dum Superior eſt, poſſe ſibi eligere Confeſſarium, à quo abſoluatur, quin ad Prouincialem recurrat; nam eiuſmodi peccati abſolutio non eſt reſeruata Prouinciali, aliàs ſi munus Superioris abſoluiſſet, & adhuc non fuiſſet ab eo peccato abſolutus, non poſſet ab illo abſolui, niſi per Prouincialem, aut de eius licentia; ſi quidem reſeruatio non eſſet ablata ex eo, quòd officium Superioris foret finitum, ſicut, quia peccata, quæ quis committeret vt ſuperior, abutens ſuo munere, ſunt reſeruata Prouinciali, adhuc peracto Superioris officio, ſi ab illis non fuit abſolutus; maneat Prouinciali reſeruata, & ab eo, vel de eius licentia debet abſolui. At N P. Claudius, cui, vt Generali, innoteſcebat melius, quàm vlli alij praxis, conſuetudo, ac ius Societatis, declarauit; poſt abſolutum officium Superioris, poſſe eum abſolui à Superiore ſuo locali à reſeruatis, quæ, vt particularis commiſit, dum eſſet ſuperior, & ſuper his non teneri ad comparendum coram Prouinciali, igitur nec tenebatur, cum actu Superior erat, ſi ea peccata commiſit, cum nec tunc Prouinciali reſeruata eſſent.

117 Inſuper adiungit idem Author *in fine tomi, pag.* 377 *in additiuncula*, quam, ait, incuriâ Amanuenſis, aut Typographi ſuo proprio loco fuiſſe omiſſam, non obſtare conſtitutionem Societatis, quæ præfigit, vt omnes (quo verbo etiam Superiores comprehenduntur,) aſſignato ſibi Confeſſario, vel alij, qui iuxta ordinem, quem quiſque præſcriptum habet à Superiore, confiteantur. Quippè Superior iuxta duplex peccatorum genus, quæ committere vt particularis, & vt Superior valet, duplicem induit perſonam, ſcilicèt particularis & Superioris; Igitur, prout particularis eſt & Superior ſimul, ſibi vt particulari, vt Superior eſt, concedit facultatem eligendi Confeſſarium pro reſeruatis, quæ vt particularis commiſit, ſicut eam concedere poteſt cuilibet ſubdito particulari, & ſicut eam duplicem agit perſonam, cum diſpenſat ſecum in Horarum recitatione, aut ieiunio, in caſibus, in quibus cum ſubditis diſpenſare poteſt; ſicut etiam Pontifex, & Epiſcopus, cum ſibi ipſis indulgentias concedunt, eam duplicem perſonam induunt. Si verò vt ſuperior peccata commiſit, quia etiam vt ſic eſt particularis, ac ſubditus Prouincialis, eius indiget licentia, vt à reſeruatis abſoluatur. Vnde non recedit à conſtitutione noſtra: nam ſemper habet facultatem ſpecialem Superioris ad abſolutionem cuiuſvis peccati reſeruati, vel à ſe ipſo, vt à ſuperiore conceſſam, reſpectu peccatorum, quæ committit vt particularis; vel à Prouinciali, reſpectu peccatorum, quæ committit vt Superior.

118 Pergit vlteriùs, ac aſſerit, ſic intelligendum eſſe Gregorium XIII. qui in Bulla, quæ incipit. *Decet Romanum*, decreuit, nulli perſonarum Societatis (vbi nec Superiores excludit) licere Confeſſarium eligere, niſi intra numerũ eorum, qui deputati ſunt in Collegio, ſeu domo ad confeſſiones Religioſorum audiendas, niſi ratione itineris, aut alia de cauſa cum licentia Superiorum. Etenim hæc Bulla expedita fuit anno 1575. Epiſtola verò N.P. Claudii ſcripta eſt anno 1584. quare eam Bulla priùs fuerat edita, eique ſatisfieri, iudicauit N.P. Claudius, ſi quod ipſe ſcripſit, executioni mandaretur. Imò forſan quis addat, per eam Bullam, non tolli à Superioribus facultatem, imò firmari, iuſta de cauſa concedendi facultatem ad eligendum Confeſſarium; eamque in ea epiſtola conceſſiſſe N.P. Generalem, vt potuit; quamvis per Bullam non liceret illud ſuperioribus. Sed rectius aſſeritur; nihil de nouo conceſſum à N. P. Claudio, ſed rem fuiſſe declaratam, quod ex eius verbis conſtat, quæ conceſſionem aliquam non innuunt; & ſanè, ſi conceſſio noua fuiſſet, reſpectu totius Societatis eſſet facta, cum à Prouincia Bætica nec petita fuiſſet, nec eſſet ratio ſpecialis conceſſionis faciendæ ei ſoli Prouinciæ, quæ tantùm poſtulauit declarationem illius dubij tunc occurrentis. Non autem fuiſſe factam eam conceſſionem, ſi in præfata epiſtola contineretur, toti Societati, conſtat, quia non fuit aliis Prouinciis manifeſtata; non autem alicui intelligitur conceſſum, quod nulla via ipſi innoteſcere, à concedente curatur.

119 Lato calamo opinionem huius Authoris & retuli, & expoſui, quia res tanti momenti, ſingulariterque declarata non perfunctoriam manum expoſcebat. Meum autem iudicium de præfata opinione P. Quintanadueñas, eſt; Si Congregatio aliqua Generalis, aut N. P. Generalis eam non improbet, ſed omittat, tutò in praxi poterit quis eam ſequi; ſecùs verò, ſi improbet, & alienam eſſe à mente Societatis declaret. Quippè penes Congregationem, & Præpoſitum Generalem eſt, vt dubia incidentia circa praxim, conſuetudinẽ ac ſtatuta Societatis declarent; Si ergo eam opinionem à veritate deuiam pronuntient, manifeſtatur indè clarè, eſſe in Societate voluntatem, quam conſuetudo interpretata eſt, ne ſuperiores pro reſeruato quolibet eligant Confeſſarium; quâ voluntate manifeſtata, nequeunt, illum eligere, iuxta dicta *num.* 112.

Quòd

Digitized by Google

Quòd ſi non reclament, nec quidquam deinceps iniungant, ſignum eſt, non dari in Societate eam voluntatem pro omnibus reſeruatis, ſed cum diſtinctione appoſita in opinione prædicta. Etenim eam non peruenire ad notitiam plurium, maximè ſuperiorum, nec vero ſimile eſt; aliũde cum in Societate adeò ſedula cura apponatur, vt confeſſiones non niſi ritè, & iuxta ipſius conſtitutiones, ordinationes, & praxim, permittantur, ſanè, ſi ea opinio non ſ[...]ta, minimè à Superioribus, maximè à N.P. Generali, omittetur.

120 Inſpecta autem ſecundùm ſe hac opinione, nec probabilitate, nec difficultate caret. Non probabilitate, tũ extrinſeca huius Authoris, & eorum, quos conſuluit, & doctrina, probitateque pollentes enuntiat; tum intrinſeca, quia ratio deſũpta ex declaratione epiſtolæ relatæ, & ius commune, quod non conſtat, derogatum eſſe in noſtra Societate circa illud genus reſeruatorum, non leuiter prædictam ſententiam confirmant. Sed nec difficultate caret; tum quia, licèt non ſit facile, quidquam de praxi decernere, cum in materia adeò graui, ſecretumque ſibi vendicante, non poſſit vſus innoteſcere, crediderim tamen, oppoſitam eſſe praxim, ſaltem in perſuaſione communiori; qua doctiores viri oppoſitam ſententiam docendam eſſe, adhuc cenſuerunt. Sed forſan ignorabant illud N. P. Claudij reſponſum, vtpotè quod non fuit ad cæteras Prouincias Societatis, præter Bæticam, delatum. Tum quia adhuc in ipſo reſponſo non eſt dilucida hæc reſolutio; cum poſſet aliquis aſſerere, eum, qui, vt particularis, commiſit peccata reſeruata, dum Superior erat, poſtea functum ſuo munere, non teneri ad comparendum prouinciali, quia iam Superior nouus, ſub quo eſt, habet erga illum iuriſdictionem, vt nunc particularis eſt, & ea peccata non aliter commiſit, ac ſi nũc, vt particularis eſt, commiſiſſet; & aliundè, cum ab eis non fuerit abſolutus antecedenter, manét in eo vt peccata particularis, ac ſubditi huius noui Superioris; quare hic poteſt eum abſoluere, quin prouincialis facultate ſit opus, non ſecùs ac poteſt abſoluere peccata reſeruata aliorum ſubditorum; nam peccata, quæ fiunt vt à particulari, conſideranda ſunt in eo ſtatu, & tempore, quo per abſolutionem remittuntur, non verò in eo, in quo commiſſa fuerunt. Sicuti ſi aliquod peccatum reſeruatum eſset pontifici in diœceſi Toletana, & non in Salmantina, qui illud Toleti commiſit, ibique, niſi à pontifice, nequit abſolui, ſi veniat Salmanticam, poterit ibi à quolibet abſolui; Sic igitur ea peccata, quę Superior, vt particularis commiſit, reſeruata in Societate, dum eſt Superior, non poſſunt tolli per abſolutionem pręſtitam ab alio, niſi à prouinciali, aut de eius licentia, quia ei ideò eſt reſeruata abſolutio eorum, quod ille ſuperior non habeat alium ſuperiorem localem, à quo abſoluatur: at ſi ſuperioris munus relinquat (ſicut ſi in exemplo appoſito ille Toletanam diœceſim exeat) abſolui poterit à quovis alio ſuperiori locali, ſub quo fuerit, non vt hoſpes, ſed vt domeſticus, quia abſolutio tũc non eſt reſeruata Prouinciali, cum ſit iam alius, qui abſoluere poſſit. Idem mihi apparebat aſſerendum de peccatis, quæ ipſe commiſit, dum erat ſuperior, vt ſuperior, niſi obſtaret reſpõſum N.P. Claudij, ex quo colligitur, ea peccata reſeruata eſſe Prouinciali pro quolibet tempore; nam licèt quis officio Superioris fuerit perfunctus, adhuc ea peccata habent circunſtantiam Superioris, & conſiderantur vt ſuperioris; vt talis autem ille non niſi à Prouinciali, vel de eius licentia abſolui poteſt. Iam verò in Congregatione octaua Generali *canone* 7. & 8. ſtatutum eſt, vt Prouincialis à ſuo ſocio poſſit abſolui ſine recurſu ad Generalem, & quivis Rector à Confeſſario, ſibi deſignato à Prouinciali, ſine alio recurſu ad ipſum Prouincialem. Sed adhuc ſuum locum habent dicta *ſuperiùs.*

CAPVT XII.

An Regulares virtute Bullæ Cruciatæ abſolui poſſint à peccatis reſeruatis Superiori ſuo.

121 Omnia, quę *in hac diſputatione* adhuc expoſuimus, nec inutilia, nec præter rem ſunt cẽſenda, cum gradum fecerimus ad declaranda clariùs, quæ ſequuntur; propoſitis nempè materia, & limitatione reſeruationis, necnon facultate ordinaria abſoluendi ab illis, obligationeque, & modo vtendi illa, immediatè deuenimus ad explorandum, vtrùm ſit aliqua facultas extraordinaria ad abſoluendum ab eiuſmodi peccatis, ſcilicèt per Bullam Cruciatæ, aut per Iubilæum. Et primùm de Bulla nobis eſt agendum.

122 Sit ergo noſtra concluſio; certiſſimè tenenda, Regulares virtute Bullæ Cruciatæ non poſſe eligere Confeſſarium, qui eos à peccatis reſeruatis abſoluat, nec abſolui poſſe virtute illius à Confeſſore ordinario Monaſterij, vel Collegij. Hanc concluſionem docent Ledeſma, Corduba, Garcia, Paſarellus, Llamas, Vechius, Coriolanus, Miranda, Portel, Acoſta, Emanuel Rodriguez, quos afferunt, & ſectantur Cardinalis Lugo *tom. de pœnit. d.* 20. *ſec.* 9. *numer.* 153. P. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 9. *lib.* 2. *cap.* 16. Diana 1. *part. tr.* 11. *reſol.* 14. & *tom.* 3. *tr.* 4. *miſcellan. reſol.* 43. Item Viualdus, Barth. à Medina. Chiapiauille, Vega, Candidus, Barth. à S. Fauſto. PP.

PP. Henriquez, & Hurtado de Mendoza, ac alij, quos adducit, & ſequitur Leander de Sacramento *tom. 1. tract. 5. d. 12. q. 58.* Gauantus *in Enchiridio Epiſc. verbo, Regularium iura ſub Epiſcopis. num.* 84. & communis Authorum recentium.

123 Fundamentum huius concluſionis à modernis Authoribus allatum & eſt conuincens, & adeò irrefragabile, vt contrariam ſententiam penitùs improbabilem relinquat, eaque in praxi minimè exerceri nequeat; quare nullatenus poterit quis illi fidere, nec ſe conformare, vt aiunt plerique ex prædictis Authoribus, & innumeri viri docti plurium annorum ſpatio à me conſulti ſenſerunt. Imò vt innuit Cardinalis Lugo, majori nota, quam improbabilitatis, eſſet oppoſita ſententia inurenda. Deſumitur autem fundamentum ex Bulla Vrbani VIII. expreſſè mentem Sedis Apoſtolicæ declarantis, nempè per Bullam non poſſe in ordine ad abſolutionem à reſeruatis Regulares eligere Confeſſarium, nec animum illius ſanctæ Sedis eſſe, cum Bullam Cruciatæ concedit, vt Regulares ea poſſint ad eum effectum vti, acriterque & ægrè ferentis, aliquos contrarium docuiſſe. Quæ omnia vt præ oculis habeantur, operæ pretium duxi, ipſam Bullam verbatim tranſcribere, quam afferunt Diana *in addit. 3. part. reſolut. 9.* Tamburinus *de iure Abbatum tom. 2. d. 13. q. 12.*

Vrbanus Papa Octauus ad perpetuam rei memoriam.

In ſpecula militantis Eccleſiæ, nullo licèt meritorum ſuffragio, diuina diſpoſitione conſtituti, & attentè conſiderantes, ſacros Regularium Ordines tantas Eccleſiæ Dei vtilitates omni tempore attuliſſe, vt ad eas conſeruandas, & inſtaurandas Romani Pontifices prædeceſſores noſtri magnam iure optimo diligentiam ſemper adhibuerint, dignum, quin potiùs debitum, reputamus, vt eorumdem Pontificum veſtigiis inhærentes, ad eas paſtoralis vigilantiæ partes iugiter intendamus, vt in eiſdem Ordinibus diſciplinæ regularis obſeruantia ſarta tecta conſeruetur; & ſi quæ illi obeſſe dignoſcuntur, opportunæ Conſtitutionis miniſterio ſalubriter remoueantur. Aliàs ſi quidem fælicis recordationis Clementi Papæ VIII. prædeceſſori noſtro per Procuratorem Generalem Ordinis Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo nuncupati, expoſito, quòd, cum in Bulla Cruciatæ ſanctæ, & aliis priuilegiis ab Apoſtolica Sede concedi ſolitis detur facultas eligendi Confeſſarium idoneum, ab Ordinario approbatum, qui poſſit Chriſti fideles abſoluere à caſibus Ordinario, & Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, Religioſi prædicto Ordinis, ſeu eorum nonnulli etiam prædictis facultatibus vti præſumebant in detrimentum eorum Regularis diſciplinæ. Quare idem Clemens prædeceſſor ſua perpetua valitura conſtitutione declarauit facultatem, & conceſſionem S. Cruciatæ, & aliorum indultorum prædictorum, quantum ad prædictum articulum eligendi Confeſſarium, & abſoluendi à caſibus reſeruatis, non habere locum cum fratribus, & Sororibus Monialibus quorumcumque Ordinum, & Congregationum cuiuſvis inſtituti, Mendicantium, & non mendicantium, tàm in Prouincia Hiſpaniæ, quàm extra eam vbilibet conſtitutis, neque eis ſuffragari; ſed eiuſdem Clementis prædicti intentum fuiſſe, quòd ijdem fratres, & Moniales, quantùm ad Sacramentum pœnitentiæ, ſeu Confeſſionis adminiſtrationem, diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubiecti eſſent, prout in dicti Clementis prædeceſſoris in ſimili forma Breuis deſuper ſub die XXIII. Nouembris. MDIC. Pontificatus ſui anno VIII. expeditis litteris, quarum tenorem præſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Nihilominùs ſicut nobis, non ſine animi noſtri moleſtia, innotuit, nonnulli Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſores prætextu Bullæ eiuſdem Sanctæ Cruciatæ, ac dictorum indultorum, Confeſſarium huiuſmodi, qui eos, vt præfertur, abſoluat, eligere poſſe prætendant, & forſan eligant etiam ad præſens, poſtquam litteræ noſtræ ſub die XIV. Iunij. MDCXXIV. Pontificatus noſtri anno primo ſuper facultate eiſdem Regularibus Confeſſarium ad effectum huiuſmodi eligendi, ad quinquennium tunc proximum conceſſa, emanatæ, pridem ab anno, & vltra expirauerunt, in maximum ſtatus, & obſeruantiæ regularis præiudicium. Nos præmiſſis, quantum nobis ex alto conceditur, obuiare, ac fælici tàm eorumdem Fratrum Prædicatorum, & B. Mariæ de Monte Carmelo Religioſorum, quàm omnium, & quorumcumque aliorum cuiuſlibet Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti, etiam ſpeciali mentione, & nota digni, vtriuſque ſexus tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium ſtatui, atque directioni, & aliorum Chriſti fidelium ſaluti conſulere volentes, præfataque Clementis declarationi inhærentes, illamque tenore præſentium innouantes, ac quatenùs opus ſit ampliantes, Motu proprio, & ex certa ſcientia ac matura deliberatione noſtris, de qua Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, conceſſionem S. Cruciatæ, quæ reſpectu facultatis huiuſmodi etiã laicis, & Clericis ſæcularibus cuiuſcumque ſtatus, gradus, qualitatis, & conditionis, etiam ſpeciali nota digna, quoad caſus reſeruatos, etiam in Bulla Cœnæ Domini (hæreſi excepta) contentos, non niſi in foro conſcientiæ, non autem in foro externo ſuffragatur, aliorumque indultorum huiuſmodi, quantum ad prædictum articulum eligendi Confeſſarium, & abſoluendi à prædictis caſibus reſeruatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, cum Fratribus & Monialibus prædictis Fratrum Prædicatorum, & aliorum quorumcumque Ordinum, & Congregationum, Societatiſque & inſtituti prædictorum Mendicantium, & non Mendicantium,

tium,

Digitized by Google

tium, tàm Prouinciæ Hiſpaniæ, quàm extra eam, vbilibèt conſtitutorum, locum minimè habuiſſe, neque habere, nec illis vllo modo ſuffragari potuiſſe, neque poſſe, excepto dumtaxàt illo quinquennio, quo litteræ noſtræ huiuſmodi, vt præfertur, durauerunt, ſi quidem die XIII. Menſis Iuny, MDXXIX. proximè præteriti iam expirauerunt; ſed noſtræ intentionis fuiſſe, & eſſe, quòd ijdem Fratres, & Moniales, quantum ad Sacramenti Pœnitentiæ, & Confeſſionis adminiſtrationem ordinariæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, & Sedi Apoſtolicæ quoad ſibi reſeruata, ſubiecti ſint, earumdem tenore præſentium perpetuò declaramus. Decernentes, præſentes noſtras litteras de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis intentionis vitio, ſeu noſtræ, aut alio quocumque defectu à quoquam impugnari non poſſe. Sicque & non aliter in omnibus, & ſingulis præmiſſis per quoſcumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, ac Sedis Apoſtolicæ nuntios, ac Cruciatæ Commiſſarios, & quoſvis alios quavis authoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate interpretari, ac iudicari debere irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac omnibus & ſingulis illis, quæ in prædictis Clementis litteris conceſſa ſunt non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque quibus omnibus, & ſingulis illorum omnium, & ſingulorum tenores, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxàt ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Vt autem præſentium tenor omnibus innoteſcat, volumus, eas in valuis Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & in acie Campi Floræ de Vrbe, vt moris eſt, publicari, ipſaſque ſic publicatas, omnes, & ſingulos vbique exiſtentes ita afficere, ac ſi omnibus perſonaliter intimatæ eſſent; quódque præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorsùs fides vbique adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ, apud S. Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris, die XIX. Iuny MDCXXX. Pontificatus noſtri anno VII.

124 Nihil in probationem noſtræ concluſionis, poteſt adduci, quod adeò euidenter, ac ſine tergiuerſatione rem penitùs demonſtret. Itaque à voluntate Pontificis pendet omninò iuriſdictio, & poteſtas ad abſoluendum à reſeruatis; hoc quis Catholicus neget? ſed Pontifex voluntatem ſuam, & Sedis Apoſtolicæ, perpetuò duraturam, clariſſimè manifeſtat, & affirmat, talem iuriſdictionem ſe non præbere per Bullam, cum ipſemet ſit, qui Bullam Cruciatæ concedit; hoc conſtàt apertiſſimè ex nuper allata Bulla; igitur per Bullam Cruciatæ non præſtat Pontifex poteſtatem, & iuriſdictionem ad abſoluendum Regulares à reſeruatis. Vel hæc conſequentia, poſitis præmiſſis, eſt indubitabilis; vel nulla erit, de qua dubitari rectè non poſſit:

125 Etenim nullus inficiabitur. Pontificem à cuius voluntate pendet conceſſio poteſtatis, ac iuriſdictionis, poſſe illam & negare, & concedere, eaque negata, inualida, & irrita erit abſolutio. Pone ergo, Pontificem negare eam iuriſdictionem: Quibus verbis, quo tenore, quibus clauſulis poterat negare clariùs expreſſiùs, euidentiùs, quàm verbis in Bulla *ſuprà* poſita contentis? Sanè ego nullas alias reperio; igitur vel de facto hanc iuriſdictionem negatam eſſe à Pontifice debemus fateri, vel non poſſe ab illo negari, quis temerarius affirmare tenebitur.

126 Et quidem, cum Pontifex ſuum, & Sedis Apoſtolicæ animum declaret, ſi per conceſſionem Bullæ Cruciatæ præſtaret Regularibus facultatem eligendi Confeſſarium quoad reſeruata, hæ duæ propoſitiones contradictoriæ ſtrictiſſimè eſſent veræ: Pontifex, cum expedit Bullam Cruciatæ, concedit Regularibus facultatem eligendi Confeſſarium quoad reſeruata; Pontifex, cum expedit Bullam Cruciatæ, non concedit Regularibus facultatem eligendi Confeſſarium quoad reſeruata. Prima propoſitio eſt, ſententia formaliſſimè oppoſita noſtræ. Secunda verò extat expreſſa propriis terminis in Bulla *nuper* allata. Cum ergo nequeat vtraque eſſe vera, dicet aliquis, falſam eſſe eam, quæ ab ipſo Pontifice motu proprio, certa ſcientia, de plenitudine poteſtatis ſublàta omnibus, etiam S. R. E. Cardinalibus Legatis à latere, Nuntiis, Commiſſariis Cruciatæ interpretandi facultate, expreſsè, clarè & ſine vlla ambage traditur, & quæ eſt totius Bullæ Vrbani ſcopus, & materia?

127 Pone, Pontificem in ipſo contextu Bullæ Cruciatæ, ſicut excipit à priuilegio edendi oua, & lacticinia tempore prohibito Regulares, ſic etiam excipere à priuilegio eligendi Confeſſarium pro reſeruatis; Sanè nullus vnquam dubitaret, non poſſe tunc eum eligi à Regularibus, ſicuti nullus dubitat, eos nō poſſe veſci ouis, & lacticiniis eo tēpore prohibito. At idem prorsùs eſt, ſi ab eo priuilegio excipiuntur, vt de facto excipiuntur, ſimul ac conceditur Bulla Cruciatæ, licèt non in eadem exceptio præfigatur, cum in alia Bulla, nempè in appoſita *ſuprà*, excipiantur, & idem animus, ac voluntas perſeueret, cum de nouo Bulla Cruciatæ confertur,

Digitized by Google

reſque ſe habet, ac ſi tunc ſimul Bulla prædicta Vrbani expediretur, vt ex ipſa conſtat; quid ergo refert, quòd ea exceptio, ſi ſimul apponitur in eadem Bulla, vel in diuerſa exprimatur. Confirmatur. Nemo auſus eſt dicere, poſſe per Bullam abſolui ab hæreſi externa occulta; & tamen exceptio, ne abſoluatur ab hæreſi (cum concedatur poteſtas ad abſoluendum ab omnibus reſeruatis) non extat in Bulla Latina Cruciatæ, vt legenti illam *ſuprà diſp.* 1. patebit, & tamen, quia Pontifex Gregorius XIII. in motu proprio, qui affertur à Rodriguez *in addit. ad Bullam* §.9. *n.* 66. declarauit non intelligi conceſſam per Bullam Cruciatæ facultatem abſoluendi ab hæreſi intelligitur in nulla ex ſequentibus Bullis Cruciatæ conceſſa eiuſmodi facultas; igitur pariter, cum declarauerit Vrbanus VIII. non concedi per Bullam Cruciatæ facultatem abſoluendi Regulares à reſeruatis, intelligitur in nulla Bulla conceſſa ea facultas, ſed in conceſſione noua cuiuſlibet excepta, ſicut intelligitur excepta facultas ad abſoluendum ab hæreſi. Adeò hæc paritas vrget, vt qui aſſereret, non excipi per ſequentes Bullas Cruciatæ facultatem abſoluendi Regulares à reſeruatis, deberet aſſerere, nec excipi facultatem abſoluendi ab hæreſi, quod nullus dicere audebit. Idem argumentum, ac paritas fit de poteſtate abſoluendi ab omnibus eis peccatis, quorum abſolutio priuatiuè ſpectat ad Inquiſitores fidei; & tamen poteſtatis exceptio non extat in Bulla Latina Cruciatæ. Id intellige, ſi ſint alia peccata, præter hæreſim, à quibus per Bullam abſolui nequeat de quo *ſuperius*.

128 Nec refert, Commiſſarium Generalem Cruciatæ appoſuiſſe exceptionem hæreſis in Bulla communi viuorum Hiſpana, & non appoſuiſſe exceptionem poteſtatis abſoluendi Regulares à reſeruatis. Primò, quia etiam hanc potuiſſet meritò apponere, nec aliquid probatur ex eo, quod non appoſuerit; cum ei ablata ſit facultas interpretandi in hoc puncto Pontificis animum, & mentem, vt conſtat ex Bulla Vrbani relata. Secundò, quia non omnia quæ à Pontificibus ſunt declarata, exprimuntur in Bulla Cruciatæ, cuius tenor ſemper iam idem tranſcribitur, quin aliquid mutetur, aut ſuperaddatur; prolixumque eſſet, ſuperaddere, quæcumque poſt conceſſionem Cruciatæ declarantur; Quare hoc relinquitur notitiæ, & ſcientiæ Confeſſariorum, qui res adeò claras ignorare nequeunt, aut ſaltem non debent. Itaque aliqua ſunt peccata, in aliquorum ſententia, à quibus per Bullam non poteſt abſolui, quia abſolutio ſpectat priuatiuè ad Fidei Quæſitores, & tamen non ſunt hæreſis, quæ à Commiſſario dumtaxat excipitur. Et quidem hæreſim expreſsè excepit, quia omnibus viis curatur, fidem Catholicam illibatam ſeruari; & peccata contra illam arceri penitùs ab hominum animis, ſublata eis ſpe abſolutionis, niſi per Inquiſitores fidei, quod vt omnibus, etiam è medio vulgo, conſtet, exceptio hæreſis exprimitur, vt terror omnibus in illam incidendi incutiatur.

129 Prætereà Commiſſarius forſan hanc exceptionem poteſtatis abſoluendi Regulares à reſeruatis non ſuperaddidit tranſumpto Bullæ Cruciatæ, ſi adhuc contendit obtinere à Pontifice, vt reuocetur Bulla Vrbani relata. Quippè Leander de Sacramento *vbi ſuprà ad finem*, affirmat, conſultum à ſe illuſtriſſimum Magiſtrum Fr. Franciſcum Arauio Antiſtitem Segouienſem reſpondiſſe, per Commiſſarium Generalem fuiſſe ſupplicatum de præfata Bulla Vrbani, iuſſu noſtri Regis Philippi IV. Quæ ſupplicatio, ſi data fuerit, valide noſtram concluſionem probat; nec enim ſupplicatum eſſet, niſi intelligeretur penitùs ablata poteſtas ad abſoluendum Regulares à reſeruatis virtute Bullæ Cruciatæ.

130 Malè tamen Leander, ſuppoſita ea ſupplicatione, ait, ſe non renuere concedere oppoſitam ſententiam eſſe probabilem ob authoritatem extrinſecam plurium, qui eam olim tuebantur, cum durante ſupplicatione, non reddita fuerit improbabilis per Bullam Vrbani, ſicut reddita fuiſſet, ſi non foret ſupplicatio interpoſita. Leui, & inani fundamento innititur; nam in primis de ea ſupplicatione non conſtat, nec ab aliquo, niſi ab ipſo adhuc fuerat audita; Bulla autem Vrbani iam publicata, ac recepta, non deberet eſſe quaſi in ſuſpenſo ob ſecretam ſupplicationem Commiſſarij ſaltem non publicatam. Deindè ſemel publicata, & acceptata Vrbani VIII. Bulla, eſtò publicè poſceret Commiſſarius à Pontifice, vt eam reuocaret, ſaltem teneret ſuam vim, donec effectus reuocationis ſequeretur. Si enim Superior mihi poſcenti licentiam ad erogandum munuſculum, ſeu ſupplicanti, vt reuocaret mandatum de non erogando illo, adhuc non conceſſiſſet nec reuocaſſet, quis aſſerat, me poſſe interim donare illud? Vel ſi Epiſcopus ſuſpendat licentias omnium Clericorum ſæcularium ad audiendas confeſſiones, etiam ſi à Clero ei ſupplicetur, vt reuocet ſuſpenſionem, audebitne aliquis ante reuocationem audire Confeſſiones ex vi licentiæ Epiſcopi? Idem in noſtro caſu contingit. Cum enim à Pontificis voluntate dependeat conceſſio poteſtatis abſoluendi Regulares à reſeruatis, & niſi ipſe concedat, non detur ea poteſtas, quid intereſt, quòd Commiſſarius ſupplicauerit de Bulla, in qua oſtendit Pontifex, ſuam voluntatem eſſe, non concedere illam poteſtatem

Digitized by Google

ſtatem ? an ideò conceſſa intelligetur ? Inquiro namque, cum poſita prædicta ſupplicatione, adhuc nequeant Regulares abſolui à reſeruatis ſine poteſtate actiua abſoluendi illos; quis hanc poteſtatem conceſſit ? Non Pontifex, ſi quidem negauit; imò quia negauit eam, aſſeritur, Commiſſarium ſupplicaſſe; igitur talis non extat poteſtas. Scio, Conſtitutiones Pontificum ſolere in Curia Regia ſeruari, ab eiſque ſupplicari, & interim non obligare. At hoc ita contingit, dum adhuc publicatæ, intimatæ, & acceptatæ non ſunt. Secùs eſt in noſtro caſu, in quo poſt publicationem, & vim obligandi exercitam, interpoſita eſſe dicitur ſupplicatio, quæ non ſuſpendit obligationem; ſicut cum lex editur, ſi ante acceptionem ſupplicetur, ſuſpenditur obligatio; ſi autem poſtquam iam acceptata ſeruatur, ſupplicetur, non propterea interim obligatio impendenti manet.

131 Adhuc; prædicta ſupplicatio, ſi data fuit, aliquibus iam abhinc annis fuit interpoſita, & tamen non ideò Pontifex Bullam Vrbani relatam reuocauit, nec aliquod Decretum in contrarium edidit; ſignum igitur euidens eſt, ſupplicationem non fuiſſe auditam, & Pontificem in ſuo animo perſtitiſſe, quin aliquid mutare voluerit. Nec enim tam longo tempore res tanti ponderis, à qua poteſtas abſoluendi Regulares pendebat, indeciſam manſiſſe, credibile cuiquam apparebit; cum Bulla Vrbani expedita fuerit anno 1630. & Leander ſuum opus *de Sacramentis* ediderit anno 1642. & iam aliqui fuerint anni deinceps elapſi. Nec obſtaret, inuitum eſſe Commiſſarium imò & Regulares, quibus reuocatur priuilegium eligendi Confeſſarium (ſi quod aliquando per Bullam habuerunt) ſeu quibus non conceditur tale priuilegium; Etenim reuocatio priuilegij tenet, etiam inuito priuilegiato, & non conceſſio eſt firma, etiam ſi ſit inuitus, cui negatur. Quod eſt apertiſſimum.

132 Trullench *in Bullæ Cruciatæ expoſitione, in editione prima*, tenuerat ſententiam contrariam; poſtquam autem Bullam Vrbani meliùs conſiderauit, *in ſecunda editione lib. 1. §. 7. capit. 1. dubitat. 9. num.* 27. affirmat, nullum poſſe ſequi eam opinionem, pro qua iam aliqua argumenta adduxerat *infrà* à nobis ſoluenda, & eam approbauerat, quia non mutauit concluſionem, quam in prima editione ediderat, ſed in ſecunda editione poſt tranſcriptam eam concluſionem, ſuperaddidit, ſuppoſita Vrbani VIII. conſtitutione, iam practicè non poſſe executioni mandari talem ſententiam. Duo tamen addit; alterum, hoc eſſe intelligendum, ſaltem viuente Vrbano, quam limitationem etiam Diana *vbi ſuprà* appoſuerat, vbi videtur vterque innuere, mortuo Vrbano (qui euentus iam acceſſit) non adeò certam eſſe noſtram concluſionem, ac erat, ipſo viuente: Quod ſtatim impugnabo manifeſtè. Alterum, *n.* 19. (licèt dicta eo numero poſteà *num.* 27. vim non habere, fateatur) aſſeruit, oppoſitam ſententiam alicui fortè videri probabilitate non carere, vbi illa non eſſet à Superioribus notificata, & intimata ſubditis, & ab his acceptata.

133 Ab hoc ſecundo incipiendo, nulla equidem talis notificatio, & acceptatio requiritur. Quippè, vt *nuper* dicebam, etiam inuitis ſubditis, hæc reuocatio poteſtatis, aut non conceſſio illius ſuam vim integram retinet, aliàs conceſſæ intelligerentur à Pontifice, & Prælatis facultates, & priuilegia nulla reuocari poſsent, eo ipſo quòd ſubditi inuiti eſsent quoad acceptandam reuocationem, ſeu ſuſtinendam negationem conceſſionis; neque penderet à voluntate Prælati conceſſio, aut negatio, ſi eis poſitis, ſtandum eſset voluntati ſubditorum. Hæc ſunt abſurdiſſima, & falſa. Deindè Vrbanus, vt conſtat ex præfata ipſius Bulla, vult, vt ſua conſtitutio Romæ vt aſſolet, publicata, vim vbique gentium habeat, non ſecùs ac ſi ſingulis Regularibus intimata eſſet; non ergo requiritur alia intimatio, aut notificatio; ſed ſufficit illius notitia, quæ ſanè iam ad omnes peruenit, cum frequentiſſimè de ea ſit ſermo; & in libris circumferatur, imò in pluribus Religioſorum Domibus in loco publico ſit defixa, vt me ipſum vidiſſe teſtor.

134 At, vt redeamus ad primum, quod Trullench, & Diana inſinuant, ſolidè illud euertamus. Hæc Vrbani conſtitutio eſt perpetua, non igitur illo expirante, expirat. Antecedens ſuadetur ex verbis ipſius Bullæ *ſuprà* appoſitæ; tum quia aſſerit, Bullæ Cruciatæ priuilegium, de quo in præſenti eſt ſermo, cum Regularibus locum non habere, nec habuiſſe, nec eis ſuffragari poſſe, nec potuiſſe, perpetuò declarare: vbi vox *perpetuò* clarè oſtendit durationem perpetuam huius conſtitutionis intentam fuiſſe à Pontifice; Et cum etiam affirmet tempore antecedenti, ſcilicèt antè, & poſt mortem Clementis VIII. locum non habuiſſe priuilegium Cruciatæ, manifeſtat, morte Pontificum non expirare hanc conſtitutionem, quam priùs Clemens Pontifex edidit, & Vrbanus innouauit, ſi enim expiraſset, locum habuiſset priuilegium Bullæ; igitur nec morte ipſius Vrbani expirat. Tum quia innouat Clementis præfatam conſtitutionem, quam *perpetuam valituram* eſse, & fuiſse exprimit; ergo hæc conſtitutio temporanea non eſt; nec vitæ Vrbani alligata; ſed ſicut aliæ Pontificum, & ipſius Vrbani, Bullę durant in perpetuum ita & hęc.

135 Robo

Digitized by Google

135 Roboratur; quia hæc Vrbani VIII. conſtitutio, ſicut aliæ in ſimili forma expeditæ à Sede Apoſtolica dimanant, eiuſque mentem aperiunt, quod ita exprimitur in aliquibus Decretis, quæ affert Cardinalis Lugo, & Leander *vbi ſuprà q. 61.* circa hanc materiam, de qua in præſenti agimus, expeditis; at Sedes Apoſtolica non expirat, igitur, etiam expirante Vrbano, eius conſtitutio perſeuerat illæſa.

136 Vtque omninò tollatur effugium aſſerentium, per ſequentes Bullas Cruciatæ vel ipſius Vrbani, vel ſaltem ſequētium Summorum Pontificum, reuocari prædictā ipſius Vrbani conſtitutionem, iterùm recolantur, quæ *nuper* dicebamus, ex verbis ipſius Vrbani arguentes, quæ pariter etiam probāt, non fuiſſe eius conſtitutionem derogatam per Bullas Cruciatæ ſequentes. Deindè hoc ipſum pluribus oſtenditur. In primis namque non poteſt rationabiliter præſumi, eſſe in aliquo Pōtifice voluntatem reuocandi prædictam conſtitutionem, & concedendi per Bullam Cruciatæ indultum Regularibus vt à reſeruatis queant abſolui; cum enim contrariam voluntatē clarè in Vrbano inſpiciamus, ipſeq; aſſerat, nunquam habuiſſe, nec habere locum Bullam Cruciatæ in ordine ad hoc cum Regularibus, clarè noſcitur, eam voluntatem in Pontificibus eſſe, & forè conſtantem, & iuxta illam Bullas Cruciatæ eos expedire. Confirmatur. Cauſa finalis mouens Vrbanum ad editionem ſuæ Conſtitutionis, vt in ipſa exprimitur, fuit, vitare detrimenta diſciplinæ regularis, & conſulere obſeruantiæ; at hæc cauſa ſemper viget, & vrget, ergo & conſtitutio; perperamque, & abſque rationis apparentia præſumi poteſt contraria voluntas in Pōtificibus ſequentibus, cum nequeat de eis præſumi, velle dare locum detrimento diſciplinæ, & obſeruantiæ Regularis, quod detrimentū Vrbanus intendit vitare, vtpotè emanaturum ex contraria conceſſione, & ex indulto generali, quod omnes Regulares vti poſſent Bulla Cruciatæ in ordine ad eligendū Confeſſarium, qui eos à reſeruatis abſolueret.

137 Accedit in titulo Bullæ relatæ Vrbani VIII. inſcribi *ad perpetuam rei memoriam*; quæ verba profectò indicant, conſtitutionem fore perpetuam, non temporaneam, idque intendiſſe Pontificem, vt ſic maneret perpetuò confirmatum, ac approbatum, & inuiolabili robore munitum; vnde per generales clauſulas Bullæ minimè poteſt derogari; Et quidem inaniter prædicta verba, & illa, *perpetuâ valiturâ conſtitutione*, de quibus *ſuprà*, apponerentur, ſi poſt breuiſſimum, tempus noua Bullæ Cruciatæ conceſſione, quæ quolibet ſexennio à Pontifice obtinetur, eſſet prædicta conſtitutio reuocanda.

138 Confirmatur rursùs ex Cardinali Lugo *ſuprà num. 161. & ſequentibus*; Primò: quia conceſſa Bulla Cruciatæ, vbi indulgetur, ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis, poſſe abſolutionem præſtari à caſibus in Bulla Cœnæ contentis, & poſteà die Iouis Sancti quotannis legitur hæc Bulla, in qua reſeruantur Pontifici caſus in illa contenti, ablata à cæteris abſoluendi facultate per quodcūmque priuilegium, quin in ea indulgeatur, vt per Bullam Cruciatæ ſemel poſſit abſolutio præſtari; & tamen non reuocatur priuilegium illud Bullæ Cruciatæ, per has clauſulas Bullæ Cœnæ poſterioris; ex eo; quia nequit iudicari, aut præſumi, velle Pontificem, reuocare id ipſum, quod paulò antè conceſſit, ſciens, publicandam eſſe Bullam Cœnæ poſt Bullam Cruciatæ: ergo ſimiliter, poſita prædicta conſtitutione Vrbani VIII. qua declarat, Bullam Cruciatæ non concedi in ordine ad effectum, vt Regulares abſoluantur, à reſeruatis, ſciens, poſteà concedendam eſſe Bullam Cruciatæ cum clauſula generali indulgente facultatem eligendi Confeſſarium, qui abſoluat à reſeruatis; poſteà cum Bulla Cruciatæ conceditur, ea conſtitutio, & Decretum Vrbani non reuocatur. Expendatur paritas, quæ vel vtrumque conuincit; vel nullum; at nullus dicet, per Bullam Cœnæ reuocari Bullæ Cruciatæ priuilegium, ergo nec poterit dicere, per Bullam Cruciatæ reuocari conſtitutionem Vrbani: cum tam ſint in Bulla Cœnæ clauſulæ generales, ac ſunt in Bulla Cruciatæ: & tam Bulla Cœnæ ſit poſterior ad Cruciatam, ac eſt Cruciata ad Bullam præfatam Vrbani, & ſicut in Bulla Cruciatæ aſſeritur, poſſe per eam abſolui à caſibus in Bulla Cœnæ contentis; ideóque per Bullæ Cœnæ clauſulas generales non derogatur; ita in relata Vrbani conſtitutione aſſeueratur, Bullam Cruciatæ non habere locum cum Regularibus in ordine ad effectus ſupradictos, quare nec reuocatur per clauſulas generales Bullæ Cruciatæ.

139 Vlteriùs, quia Gregorius XIII. in Breui quodam expoſuit, Bullam Cruciatæ non concedere poteſtatem abſoluendi ab hæreſi, ideò ea poteſtas per Bullas ſequentes, à nullo cenſetur, fuiſſe conceſſa à Pontificibus, quamvis in Bulla Latina non ſit expreſſa exceptio hæreſis, & in ea concedatur poteſtas ad abſoluendum ab omnibus peccatis, quin vllum excipiatur; & Pontifices ſemper iudicantur eam voluntatem Gregorij conſeruare, & de facto conſeruant, vt videre eſt, in Bulla Vrbani *ſuprà* tranſcripta; in qua, dum refert, quæ concedantur per Bullam Cruciatæ, excipit abſolutionem ab hæreſi: ergo ſimiliter, facta declara

Digitized by Google

declaratione à Pontifice ſemel per Bullam ſpecialem, quòd Regularibus non ſuffragatur Bulla Cruciatæ ad eligendum Confeſſarium; à quo à reſeruatis abſoluantur, omnes Pontifices iuxta eam declarationem concedunt Bullam Cruciatæ, & illam voluntatem conſeruant. Non apparet vlla diſparitas.

140 Denique per Iubilæum anni ſancti reuocantur generaliter omnes facultates abſoluendi, ac omnes indulgentiæ, ſaltem viuorum; & nihilominùs non reuocatur facultas abſoluendi per Bullam, nec theſaurus indulgentiarum in illa conceſſus, quia Pontifex præuidens Iubilæum anni ſancti eſſe futurum intra ſexennium, pro quo Bullam Cruciatæ expedit, adhuc pro illis ſex annis prædictam Cruciatam concedit, & ideò non intelligitur, velle per clauſulas generales Iubilæi, quem largitur, reuocare, quod ipſe, vel eius anteceſſor, præuidens quid futurum eſſet, in conceſſione Cruciatæ indulſerat: igitur prorsùs ſimiliter, licèt per Bullæ Cruciatæ clauſulas generales reuocentur alia indulta, non tamẽ ea conſtitutio Sedis Apoſtolicæ ab Vrbano edita, cum illam ediderit; præuidens, illicò à ſe concedendam Bullam Cruciatæ cum clauſulis generalibus concedentibus indultum eligendi Confeſſarium ad reſeruatorum abſolutionem: nec intelligitur, Pontificem vllum ſequentem velle per has reuocare id quod prædeceſſor præuidens id ipſum conſtituit, declarauit, & fore perpetuam valituram conſtitutionem, totis animis intendit, ſollicitus de Religionum Sacrarum ſpirituali bono, & auidus arcendi ab ipſis detrimentum, & perniciem regularis diſciplinæ; ſi generaliter omnibus Regularibus liceret per Bullam à reſeruatis abſolui; cum hoc ipſo quòd reſeruata ſint in Ordine Religioſo peccata, intendatur à Superioribus per reſeruationem arcere ſudditos à patratione earum culparum; qui finis non obtinebitur, ſi Bulla Cruciatæ vti poſſint, vt abſoluantur; atque adeò ferè idem erit in ordine ad effectum intentũm à Superioribus, nulla eſſe peccata reſeruata, & per Bullam poſſe eligi Confeſſarium, qui ab eis abſoluat, cum facillimè Bullam quicumque poſſit accipere, & habere.

141 Nec paritates poſitas eneruabis, ſi dicas, id eſſe ſpeciale in Bulla Cruciatæ, quòd per modum contractus oneroſi conceditur, ideóque non poſſe limitari, aut reuocari, niſi cauſa vrgente, ac præſtita ſatisfactione. Quippè id dumtaxàt probat, caſu quo Pontifex concedens Bullam Cruciatæ, ſimul præſtaret Regularibus indultum eligendi confeſſarium ad reſeruata, poſtea non poſſe reuocari, durante anno Bullæ. At minimè probat, Pontificem, cum concedit Bullam, non poſſe tunc limitare poteſtatem abſoluendi, quam præſtat: tunc enim poteſt concedere, vel negare, quod ab eius voluntate dependet, ſicut concedit tunc indultum edendi oua, & lacticinia tempore Quadrageſimæ ſæcularibus; & negat Regularibus: in quorum neutro iniuriam alicui facit: qui enim accipit Bullam, eleemoſynam præſtat, vt fruatur priuilegijs de facto à Pontifice conceſſis, quorum eſt capax; poteſtque accipere, aut non accipere Bullam pro libito; aſt, ſi accipiat, non fruetur niſi his indultis, quæ in expeditione illius fuere à Põtifice conceſſa; quæ quidem non ſemper eadem fuerunt: nam, vt *diſp.* 1. diximus, ampliora priuilegia conceſsa ſunt tempore ſuccedente à Pontificibus, quàm olim concedebantur in conceſſione Cruciatæ. Iam ergo *toto hoc capite* planum fecimus, Pontificem, cũ concedit Bullam Cruciatæ, non indulgere Regularibus facultatem eligendi Confeſsarium, qui eos à reſeruatis abſoluat; ſed potiùs nolle, vt Bulla quoad hoc eis ſuffragetur: igitur quoad Bulla præſtetur per modũ contractus oneroſi, nihil penitùs ad rẽ præſentẽ facit; cum nos non aſſeramus, eam reuocari, ſed in ea non concedi præfatum indultum.

142 Conſultò ommitto alias Pontificum Bullas, & Decreta quibus idem ſtatuitur, ac declaratur aut reſpectu omnium Regularium, aut reſpectu diuerſarum Religionum. Videat, qui velit, apud Cardinalem Lugo, P. Suarium, & Leandrum de Sacramento *locis ſuprà relatis*, otioſum quippè eſset ea tranſcribere, nec ſanè neceſsarium, cum Bulla allata Vrbani, ſatis expenſa, ſufficientiſſima, & euidens probatio ſit noſtræ concluſionis; & quem ea omnino non conuicerit, nec reliquæ omnes Bullæ, ac Decreta Pontificum, nec vllæ rationes conuincent. Ideò nullo alio fundamento cõcluſionem ſtabilire decreui; nec plurium Authorum, qui etiam ante Bullam Vrbani, noſtram concluſionem defendebant, probationibus vti.

CAPVT XIII.

Reiicitur opinio affirmans, poſſe Regulares per Bullam Cruciatæ abſolui à reſeruatis.

142 OLim ante Vrbani Conſtitutionem graues, & docti Authores cenſuerunt, poſſe Regulares per Bullam Cruciatæ abſolui à reſeruatis. Ita Baſilius Poncius, Ioannes Sanchez, Ioannes de Cruce, Valerus, Clarus, Rius Mendoza, Seraphinus de Freitas, & plures eruditiſſimi Salmanticenſes Magiſtri, quos refert Leander *tom.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 12. *quæſt.* 58. probabilemque iudicauit, Villalobos, Eoſdem citat Cardinalis Lugo *tom. de pænitent. diſp.* 20. *ſec.* 9. ſimulque pro ea afferunt Ioannem Ægidium Trullench, qui

Digitized by Google

qui in prima editione Bullæ à ſe expoſitæ hanc ſententiam tenuit; ſed in ſecunda mutauit coactus conſtitutione relata Vrbani. Alios etiam Authores ſuppreſſo nomine pro hac opinione refert P. Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 2. cap. 16. num. 2.*

143 Poſt Bullam Vrbani VIII. eam opinionem tenent Authores à me referendi *inferiùs in appendice diſp. 5. cap. 6. ad finem.* Et aliquam probabilitatem ei tribuunt Ludouicus à Cruce, & Petrus de Leone citati à Diana, & Leandro *vbi ſuprà*; ipſeque Leander, Diana, & Trullench inſinuant aliquam adhuc probabilitatem in hac opinione; ſed eos impugnaui *cap. præcedenti.*

144 Pro ea ſic primò arguitur. In Bulla Cruciatæ conceditur generaliter omnibus facultas eligendi Confeſſarium, qui eos à reſeruatis abſoluat: ergo, & Regularibus. Confirmatur: in ipſa Bulla derogantur, & ſuſpenduntur omnia priuilegia contraria: igitur, & Conſtitutio Vrbani. Iam ad hoc argumentum, eiuſque confirmationem *ſuprà* reſpondimus, nec opus eſt, aliquid ſuperaddere. Id dumtaxàt adjungo, eademmet priuilegia, quæ per Bullam ſuſpenduntur, ea accepta, reualidari, vnde ſi Regularis acciperet Bullam, nequiret contendere, priuilegium Vrbani in fauorem Religionum expeditum, reuocatum manere, ſi autem Bullam non acciperet, non haberet titulum, quo præſumeret poſſe eligere Confeſſarium; vnde nec ante acceptionem Bullæ, nec poſt illam eligere Confeſſarium valeret. Et ſanè tunc priori priuilegio per poſterius derogatur, cum non adeſt voluntas expreſſa in concedente poſteriùs priuilegium, ne prius derogetur, adeſt autem in præſenti, vt *ſuprà* oſtendimus.

145 Secundò; Bulla Cruciatæ eſt priuilegium Regi Hiſpaniarum conceſſum: at Pontifices dum non exprimunt derogationem, non derogant priuilegiis, quæ Regibus, aut ad eorum inſtantiam concedunt, vt pluribus intendit probare Seraphinus de Freitas à Cardinali Lugo *num.* 190. allatus; ergo Bulla Cruciatæ vniuerſaliter loquendo non derogatur quoad Regulares per quamvis conſtitutionem, niſi exprimatur. Confirmatur, quia Bulla eſt contractus quaſi oneroſus, ſeu remuneratorius, priuilegia autem ex pacto oneroſo non reuocantur per poſteriores Conſtitutiones. Reſpondeo, ſatis exprimi voluntatem Pontificum nolentium, vt conceſſio Bullæ non ſit pro Regularibus in ordine ad electionem Confeſſarij pro abſolutione à reſeruatis; Nec in præſenti eſt vlla reuocatio facultatis iam conceſſæ (vnde ſunt de ſubiecto non ſupponente argumentum, & confirmatio, & huic etiam *cap. præcedenti* ſatiſfactum eſt) ſed eſt conceſſio priuilegiorum Bullæ cum limitatione, ne Regularibus ad præfatum effectum proſit; Pontifex autem, cum concedit priuilegium, ſiuè ſit ad inſtantiam Regum, ſiuè ex pacto oneroſo, & remuneratorio, poteſt illud limitare; non enim tenetur concedere, quidquid poteſt de plenitudine poteſtatis; imò oportet, limitationes adiungere, cum ex vniuerſaliſſima conceſſione poſſunt damna timeri, vt in præſenti poſſent, ſi attendatur ad commodum reſeruationis, quæ diſciplinam regularem conſeruat, & confirmat.

146 Tertiò, Commiſſarius Generalis Cruciatæ ſæpè declarauit, Bullam prodeſſe Regularibus quoad abſolutionem à reſeruatis; imò id promulgauit Commiſſarius Luſitaniæ per edictum publicum die 7. Martij anno 1630. Commiſſarius autem habet à Pontifice facultatem explicandi dubia, quæ circa Bullam occurrerint. Reſpondeo, Commiſſarium nunquam poſt Vrbani VIII. conſtitutionem id declaraſſe; & hæc edita eſt poſt illud edictum Commiſſarij Luſitaniæ, nempè die 19. Iunij; atque, vt ait Cardinalis Lugo, fortaſſe Vrbanus ſuam edidit Conſtitutionem ob illud edictum. Cum autem in hac Conſtitutione tollatur facultas à Commiſſario interpretandi aliter, quod in ipſa continetur, fit, Commiſſarium nec declaraſſe poſt ipſam, nec potuiſſe declarare, Bullam prodeſſe Regularibus in ordine ad abſolutionem à reſeruatis.

147 Sed dicet aliquis; ante conſtitutionem Vrbani VIII. etiam Clementẽ VIII. litteris expeditis in forma Breuis, quas affert Cardinal. Lugo *n.* 155. declarauerat, Bullam Cruciatæ non prodeſſe Religioſis Ordinum Mendicantium quoad electionem Confeſſarij, qui eos à reſeruatis abſolueret; quam declarationem extendit Paulus V. etiam ad Regulares Ordinum nõ Mendicantium in Breui dato die 24. Decembris anno 1608. & item ipſe Clemens iam extenderat, vt conſtat ex Vrbani conſtitutione. Et tamen poſt has Conſtitutiones, & Declarationes non pauci cenſuerunt, poſſe Regulares per Bullam eligere Confeſſarium in ordine ad abſolutionem à reſeruatis; quorum authoritate probabilis erat ſaltem extrinſecè opinio contraria; igitur eamdem habet probabilitatem poſt Conſtitutionem Vrbani; quæ ſolùm innouat, vt ex eius contextu cernitur, declarationem Clementis, nec magis ampliat, quàm ipſe Clemens, cuius decretum innouat, & Paulus V. ampliauerat. Reſpõdeo, Vrbanum VIII. in præfata ſua Conſtitutione declarare Bullam Cruciatæ non ſolùm non habere locum, ſed nec habuiſſe, nec potuiſſe ſuffragari vllis Regularibus quoad abſolutionẽ à reſeruatis poſt Conſti

Digitized by Google

Conſtitutionem Clementis VIII. Vnde etſi poſt eam, aliqui ſecùs docuiſſent, & eſtò tunc authoritas extrinſeca præberet probabilitatem, & hæc item, vel etiam, ſi mauis, error communis cum titulo colorato, præſtaret iuriſdictionem, at, nunc poſtquam Vrbanus apertè declarauit, eam opinionem eſſe falſam, & fuiſſe, non manet æqua probabilitas, nec cætera ſunt paria; cum ante Vrbani declarationem, non alia præextiterit, adeò generaliter manifeſtans, nullam Regulari potuiſſe Bullam ſuffragari in ordine ad effectum ſupradictum. Deindè fortaſsè illæ Pontificum prædeceſſorum Vrbani declarationes non adeò omnibus innotuerant, vt hæc innoteſcit; nec res adeò dilucidè, ac nunc, patefiebat.

148 Quintò per Bullam Cruciatæ reuocatur, quidquid contrarium eſt fini ipſius; contraria autem eſt Vrbani cõſtitutio, vtpotè qua extãte, plurimi Regulares non accipient Bullam Cruciatæ, nec ſubſidium eleemoſynæ præſtabunt ad belli expeditionem aduerſùs Infideles, alias præſtituri, ſi per Bullam poſſent à reſeruatis abſolui. Reſpondeo per Bullam reuocari ea, quæ ſunt contraria conceſſis in ipſa Bulla, non verò quæ ſunt contraria his, quæ in illa non conceduntur; non autem conceditur in ea Regularibus indultum eligendi Confeſſarium quoad reſeruata. Formaq; prædicta arguendi nihil conuincit, non enim conceduntur per Bullam ea omnia, quibus conceſſis, plures acciperent Bullam. Sic plures Regulares eam ſumerent, ſi eis indulgeretur priuilegium edendi oua, & lacticinia tempore Quadrageſimæ, & tamen excipiuntur ab hoc indulto conceſſo ſæcularibus, nec propterea vllus indè arguit, eam exceptionem eſſe nullam, quia contrariatur fini Bullæ. Similis ergo eſt exceptio in indulto eligendi Confeſſarium quoad reſeruata, quæ exceptio etſi non ſit expreſſa in ipſa Bulla, perindè ſe omninò habet, ac ſi eſſet expreſſa, vt *capite præterito* oſtendimus. Itaque Pontifex non tenetur ea omnia concedere, quibus conceſſis augeretur belli ſubſidium, imò debet non concedere ea, quæ maius detrimentum ſaluti publicæ eſſent allatura, quàm è contrario vtilitatem, ita vt incommoda commodis præualeant. Hinc eſtò olim etiam pro Regularibus conceſſum fuerit indultum eligendi Confeſſarium quoad abſolutionem à reſeruatis, cum non introſpiciebantur incommoda indè emanatura, poſteà verò eis introſpectis, & rationis trutina ponderatis, indultum illud negatum eſt. Sic Pontifices allati à Cardinali Lugo *num.* 166. ſignificarunt eis verbis: *Cum ratio doceat, & experimento compertum ſit, Religionibus valdè pernicioſum exiſtere, vt eorum Religioſis licitum ſit, Confeſſarium ſibi eligere, &c.* Propter eamdem rationem, licèt poſſint ex reſeruatione peccatorum aliqua incommoda timeri, nempe quod præ pudore ſiſtendi ſe Superioribus, ac Prælatis, ſeu præ difficultate petendi eorum vices, aliqui nimium fragiles aut confeſſiones omittant, aut ſacrilegè confiteantur; tamen; quia in non reſeruatione majora multò incommoda cernũtur, æquo iure tùm in vniuerſali Eccleſia, tùm in vnaquaq; diœceſi, tùm demùm in pluribus Religionibus, peccata reſeruantur. Quippè ratio, & æquitas ſuadent, ex duobus, ex quorum quolibet aliqua damna timentur, illud præcaueri (cum vtrumq; non poteſt) ex quo minora incommoda ſequuntur. Adde ad argumenti reſponſionem, plurimos Regulares accipere Bullã Cruciatæ in ordine ad lucrandas indulgentias, & ſi ſexagenarij ſint, ad edenda oua, & lacticinia tẽpore Quadrageſimæ, & ad alia, quibus gaudere poſſunt; ſicut licèt non ſexagenarij nequeant vti indulto edendi oua, & lacticinia, non propterea Bullam plurimi non accipiunt. Et ſanè, vt à priori hoc, & ſimilia argumenta eneruentur aduertendũ eſt, illa eſſe de ſubjecto non ſupponente; quia reuocatio cadit ſupra id, quod conceſſum fuit; non autem conceditur, cum Bulla expeditur, facultas eligendi Confeſſarium quoad reſeruata reſpectu Regularium; ſicut non conceditur eis indultum edendi lacticinia tempore Quadrageſimæ, & ſicut nulli conceditur poteſtas diſpenſandi in votis, aut irregularitatibus, aut in gradibus dirimentibus, aut impedientibus matrimonium; & ſicuti de his eſſent inania argumenta, contendentia, poſſe per Bullam præſtari, ita & ſunt de indulto *ſuprà* dicto eligendi quoad reſeruata Confeſſarium.

149 Sextò ſi Prçlatus cõcedat licentiam, vt ſubditus vtatur omnibus Bullæ facultatibus, quin vllam excipiat, poterit ſubditus virtute Bullę à reſeruatis abſolui; ergo in ipſa Bulla iã continebatur facultas abſoluẽdi à reſeruatis; Prælatus namque illam de nouo Bullæ non addidit; nec poſset vti ſubditus ea, niſi contineretur ibi à Pontifice cõceſsa, igitur non excipiuntur in Bulla Regulares ab indulto eligẽdi Confeſsarium, ſi enim exciperentur, non poſsent eum eligere, quantũvis Superior largiretur facultatem ad vtendum omnibus Bullæ priuilegiis, ſicut licèt eam facultatem ſubdito concedat, non poteſt hic veſci ouis, & lacticiniis tempore Quadrageſimæ, eo quòd ab indulto veſcendi illis Regulares excipiantur.

150 Reſpondeat aliquis, in ipſa Bulla cõtineri indultum eligendi Confeſsarium pro reſeruatis, dummodò Superior licentiam præſtet ad vtendum eo indulto, quæ eſt conditio ſine qua non, & eſsentialis. Quod indè conſtat, quia in Conſtitutionibus, quibus Põtifices declarant, Bullam quoad illud effectũ non prodeſse Regularibus, ſimul affirmãt,

Mendo in Bull. Cruciat.

X vt

vt Superiorum diſpoſitioni quoad eum effe-ctum ſubjaceant, vnde nolunt Bullam prodeſſe, dum aliter Prælati non diſponant; ſi enim diſponant, alicui, vel aliquibus, ſeu omnibus prodeſſe (vt forſan accidit in aliqua, aut aliquibus Religionibus) Pontifices non limitant eo caſu indultum. Quippè ſufficienter cenſentur prouidiſſe bono Religionis, & ſarta tecta ſeruaſſe eius priuilegia, dum declararunt non prodeſſe Bullam quoad abſolutionem à reſeruatis, niſi Superiores aliter diſponant; dum enim hi diſponunt prodeſſe, penès ipſos ſtabit, ſi damna indè ſequantur. Et ſicut poſſent Superiores, aut eorum Capitula nullum peccatum reſeruare, & liberam confitendi licentiam præbere, vel poſt reſeruata antecedenter peccata reſeruationem tollere, ſeu facultatem eligendi Confeſſarium concedere quoad abſolutionem ab illis, ita & poſſunt facultatem largiri vtendi omnibus facultatibus Bullæ, & non magis in hoc, quàm in illo erit penès Pontifices, ſed penès ipſos Superiores, ſi diſciplina regularis laxetur. Pontifices namque ſufficienter bono ſpirituali ſacrorum Ordinum prouident, dum remedia opportuna parant, quibus diſciplina regularis vigere poſſit, ſtatuta, ac regulæ ſeruari, priuilegia illæſa manere, & Superiores opportunè ſubditos gubernare. Quibus omnibus ſatisfit, ablata facultate vtendi Bulla Cruciatæ quoad abſolutionem à reſeruatis independenter à licentia Superioris. Hinc iam apparet reſponſio ad paritatem in argumento adductam, nam indultum veſcendi ouis, & lacticiniis tempore Quadrageſimæ non negatur Regularibus dependenter à ſuis Superioribus, ſed abſolutè, ſecus indultum eligendi Cõfeſſarium quoad abſolutionem à reſeruatis. Abſolutè tamen, dicito, etiam in caſu argumenti, propter dicta in ipſo, non poſſe per Bullam abſolui Regularem à reſeruatis, etſi Superior concedens facultatem ad vtendum Bulla, ſimul intendat, ſubditum poſſe à reſeruatis abſolui, ſanè tunc poterit abſolui, non per Bullam, ſed per illam Superioris licentiam ſibi manifeſtatã. Quod fortè accidit, ſi in aliqua Religione, accepta Bulla, ſubditi à reſeruatis abſoluuntur, conſentientes enim Prælati, licentiam præſtant, abuſuſque locutionis erit, aſſerere, eos Regulares poſſe abſolui per Bullam, indè proueniens, quòd abſolui poſſint per licentiam concomitantem, quæ præſtita eſt expreſsè, aut ſufficienter cum licentia ſpeciali, aut generali ſumendi Bullam.

151 Aduerte tamen adhuc ſtando primæ reſponſioni, non eo ipſo quòd Superior concedat facultatem accipiendi Bullam Cruciatæ, aut eleemoſynam taxatam pro illa erogandi, concedere licentiam, vt ſubditus Bullam accipiens vtatur indulto eligendi Confeſſarium quoad reſeruata (niſi is eſſet Religionis, aut talis Superioris ſtylus ſufficienter declaratus) quin potiùs non concedere eam licentiam, cum minimè concederet, ſi expreſsè, & in ſpecie ab eo poſceretur; cum aliundè, dum aliud non declarat, velit, ſubditum manere diſpoſitioni Religionis quoad prædictum effectum, omnino ſubiectum. Nec aliud iudicant Superiores, cum eam facultatem accipiendi Bullam concedunt, imò nec ſubditi aliud cenſent; cum ſibi conceditur, niſi quòd facultas pręſtatur ad accipiendam Bullam, cuius priuilegijs vti poſſint, eo excepto, quod ad abſolutionem à reſeruatis attinet. In generali quippè conceſſione non intelligitur conceſſum id, quod in ſpecie verò ſimiliter concedendum non eſſet, iuxta iuris principia. Id autem de quo agimus, certiſſimè non eſſet concedendũ; cum aliũdè adeò præcaueatur, ne ſubditi virtute Bullæ Cruciatæ abſoluantur à reſeruatis, hocque Superiorum animo, ac cordi ſit infixum; cupiantque, tum ſubditos gratiis, & priuilegiis eius Bullæ vti, tum maximoperè Vrbani VIII. conſtitutionem ad vngem obſeruari. Et quia ne ſuſpicantur, ſubditos aliud intendere, ideò cum facultatem ad accipiendam Bullam præſtant, non exprimunt, quod ſupponunt, nempè ſe non præbere licentiam ad vtendum indulto eligendi Confeſſarium quoad reſeruata.

CAPVT XIV.

Reſpondetur vltimo argumento contendenti, poſſe Regulares per Bullam Cruciatæ abſolui à reſeruatis. Vbi an poſſint per Iubilæum.

152 VLtimò arguitur. Quoties Pontifices Iubilæum extraordinarium concedunt cum facultate eligendi Confeſſarium, qui etiam à reſeruatis abſoluat, poſſunt Regulares lucrantes Iubilæum Confeſſarium eligere quoad abſolutionem à quibuſcumque peccatis, etiã reſeruatis ſuo Superiori; At nihil ampliùs videtur per Iubilæum eiuſmodi, quã per Bullam Cruciatæ concedi; ergo etiam Regulares accipientes Bullam poterunt eligere Confeſſarium quoad prædictum effectum. Reſpondeo concedendo majorem, & negando minorem. Etenim, vt ſatis oſtendimus, Pontifices declararunt, ſuam mentẽ nec fuiſſe, nec eſſe, quòd Bulla Cruciatæ profit Regularibus quoad electionem Confeſſarij, qui eos à reſeruatis abſoluat. Secùs contingit in conceſſione præfati Iubilæi, in quo expreſsè concedit Pontifex, vt quoad prædictum effectum poſſint Regulares Iubilæum obtinere; quod quidem indulget conſcius priuilegiorum ipſarum Religionum; iudicanſque conſentaneũ, vt tunc non ſubjaceant Regulares diſpoſitioni

ſitioni ſuorum Ordinum quoad confeſſiones. Etenim non relaxatur diſciplina religioſa ex eo, quòd ſemel aliquando ea electio Confeſſarij Regularibus liceat, vt relaxaretur, ſi continuò per Bullam Cruciatæ liceret. Imò oportet, quandoque fragilitati aliquorum ſuccurrere, ne in deſperationis incidant laqueos, aut liberiori licentia in peccata præcipitentur, ſemel in animum non manifeſtandi, præ pudore, conſcientiæ maculas ſuis ſuperioribus miſerè incidentes. Et ſanè, cum cauſæ grauiores. Eccleſiæque neceſſitas vrgent, æquum eſt, vt poteſtas Pontificia liberaliori manu theſauros ſuos aperiat, fidelibus omnibus communicet.

153 Itaque virtute Iubilæi poſſunt quilibet Regulares vtriuſque ſexus, cuiuſcumque inſtituti, non obſtantibus ſuarum Religionum Conſtitutionibus, & priuilegiis, eligere Confeſſarium, à quo etiam à reſeruatis abſoluantur, Ita docent Bonacina, Boſſius, Peyrinus, Diana, & alij quos refert, ac ſequitur P. Quintanadueñas *in libello de duarum hebdomadum Iubilæo cap. 19.* Cardinalis Lugo *de pænit. d. 20. ſec. 9. numer.* 186. & plures, quos citat, ac ſectatur Leander de Sacramento *tom. 1. tr. 5. d. 14. quæſt. 85. & 86.* Quod & praxis communis Regularium confirmat.

154 Conſtat hoc ex verbis Iubilæi. quæ affert *loco nuper relato* Cardinalis Lugo. Et clariùs ex aliis verbis, quæ non affert, & in Iubilæo duarum hebdomadum quem conceſſit Vrbanus VIII. anno 1636. extant, vt tranſcribit P. Quintanadueñas *ſuprà*, & hæc ſunt; *Cupientes autem, omnes Chriſti fideles participes fieri huius precioſiſſimi theſauri, vniuerſis, & ſingulis vtriuſque ſexus, tam laicis, quàm Eccleſiaſticis, ſæcularibus, & Regularibus cuiuſvis Ordinis, Congregationis, & inſtituti licentiam concedimus & facultatem damus, vt ſibi ad hunc effectum eligere poſſint quemcumque presbyterum Confeſſarium, tam ſæcularem, quam cuiuſvis Ordinis Regularem, ex approbatis à locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, ſuſpenſionis, & aliis Eccleſiaſticis ſententiis, & cenſuris, à iure, vel ab homine, quavis cauſa latis, ſeu inflictis; necnon ab omnibus peccatis, exceſſibus, criminibus, & delictis, quantumvis grauibus, & enormibus, etiam locorum Ordinarij, ſiuè nobis, & Sedi Apoſtolicæ, etiam in litteris die cœnæ Domini legi ſolitis, contentis, & aliàs per quaſcumque noſtras, aut Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones, quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis quomodocumque reſeruatis, in foro conſcientiæ, & hac vice tantum (non tamen à crimine hæreſis) abſoluere, & liberare valeant.*

155 Idem Vrbanus VIII. anno 1541. aliũ Iubilęum extraordinarium ſpatio trium menſium obtinendum conceſſit, in quo hæc verba, ad præſens attinentia inſtitutum, extant. *Inſuper omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus vtriuſque ſexus tã laicis, quàm Eccleſiaſticis ſæcularibus, & Regularibus, cuiuſvis Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, tam in vrbe prædicta quàm extra eam vbique locorum, vt præfertur, degentibus, qui Eccleſias prædictas, ſeu earum altaria ter continuis, ſeu interpolatis diebus intra dictorum trium menſium ſpatium viſitauerint, & inibi, vt ſuprà, orauerint, necnon feria quarta, ſexta, & ſabbatho alicuius hebdomadæ intra dictum temporis ſpatium decurrendæ, ieiunauerint, licentiam concedimus, & facultatem, vt ſibi ad hunc effectum eligere poſſint quemcumque presbyterum Confeſſarium tàm ſæcularem, quam cuiuſvis Ordinis Regularem, ex, vt præmittitur, approbatis à locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus, excommunicationis, ſuſpenſionis, &c.* Eodemque tenore proſequitur, ac *numero præcedenti.* Hos extraordinarios Iubilæos in pluribus Eccleſiæ, & boni publici neceſſitatibus olim Pontifices, conceſſerunt, & ferè in eadem forma, *nuper* relata. Sixtus V. anno 1585. Clemens VIII. anno 1591. Paulus V. anno 1605. Gregorius XV. anno 1621. Et frequentiùs Vrbanus VIII. poſtquam eum conceſſit primo ſui Pontificatus anno, ſcilicet 1624. poſteà illum indulſit anno 1628. prætereà 1629. rursùs 1631. deindè 1636. ac demùm 1641.

Mendo in Bull. Cruciat.

156 Eumdem Iubilæum, ampliata facultate ad abſoluendum (non enim excepit in tota latitudine crimen hæreſis) conceſſit S. D. N. Innocentius Decimus anno 1644. Quare ex formulis prædictis conſtat, longè aliter rem ſe habere, ac in Bulla Cruciatæ; paritatemque ab vno ad aliud nullius eſſe momenti.

157 Cœterùm opus eſt, Confeſſarium eligendum à Regulari virtute Iubilæi eſſe approbatũ ab Ordinario; nec ſufficit eſſe approbatum à Superiore Religionis; quia expreſsè id expoſcitur in formis relatis Iubilæi, ea ſanè expreſſione, & claritate, vt niſi violẽter aliud intelligi nequeat. Vult enim Pontifex, Regularem, qui virtute Iubilæi eligit Confeſſariũ, quin ſtet diſpoſitioni Superiorum in ſuſceptione Sacramenti pœnitentiæ pro eâ vice, non ſtare eorum diſpoſitioni in approbatione Confeſſarij eligendi, ſed diſpoſitioni Ordinarij. Quare hoc aſſertum tuentur Valerus *verbo abſolutio, diff. 1. n. 21.* P. Suarez *tom. 4. in 3. par. d. 28. ſec. 6. num.* 11. Polachus, Lezana, Naldus, Boſſius, Fauſtus, PP. Henriquez, Filiucius, Reginaldus, & Fagundez relati à Leandro de Sacramento *t. 1. tr. 5. d. 14. q. 84.* Oppoſitum tamen, nempè ſufficere approbationem proprij Superioris Regularis, tutum eſt in praxi ob authoritatem; quippè id docet Bonacina, Zerola, Sorbus, Coriolanus, Homo

Digitized by Google

mo bonus, Zanardus, Sanctarellus, Alphonſus de Leone, Graffis, Bottonus, Ioannes de la Cruz, Lauorius, quos refert, ac ſequitur Leander *vbi nuper*. Et, vt tutum, tuetur Diana 5.*part.tract.*11.*reſol.*57.

Approbatio autem Ordinarij ea ipſa requiritur, quæ in Tridentino: nam circa approbationem nihil concedit Iubilæus; ſed circa iuriſdictionem; vt in ſimili dicebamus de Bulla Cruciatæ *diſput.* 22. *à cap.*2. Vnde etiam, cum ibi expoſuerimus, Ordinarium debere eſſe loci, in quo confeſſio fit, idem hic aſſeuerandum eſt: & itidem *ibidem* aſſerta circa alias circunſtantias, nempè approbatum ad viros non poſſe eligi pro fœminis, & alia huiuſmodi; etenim cuncta *ibi* dicta de approbatione pariter in præſenti militant: ideóque omnes Authores eodem modo circa hoc de Bulla Cruciatæ, & de Iubileo philoſophantur. Hinc cum oppoſitæ ſententiæ, ſaltem ob authoritatem extrinſecam, ſint probabiles, & in praxi tutæ, poterit quis ſe eis conformare, & tam ſæcularis, quàm Regularis virtute Iubilæi eligere Confeſſarium, v.g. approbatum ab aliquo Ordinario, non à proprio; pro viris, non pro fœminis, poterit fœmina eligere, & ſimilia.

157 Nec licentia Superioris eſt neceſſaria Religioſo, vt eligat Confeſſarium virtute Iubilæi ad quævis peccata, extra ſuam Religionem, ſiuè ſæcularem; ſiuè Regularẽ: quia non reſtringere debemus id, cum Põtifices in forma conceſſionis non reſtringunt; quin potiùs eo verborum tenore (vt ex eo *ſuprà* illato liquet,) vtantur, quo manifeſtent, ſe eximere pro ea vice Regulares à diſpoſitione ſuorum Superiorum quoad confeſſionem: cũ eis metipſis abſque limitatione concedatur abſolutè, & expreſsè ſicut conceditur ſæcularibus, (conceſſio enim cadit ſupra vtroſque indiuiſim,) vt eligant ſibi Confeſſarium ſæcularem, aut Regularem. Hanc aſſertionem tenent apud Leandrum *vbi ſuprà quæſt* 85. Leo, Boſſius, & Diana. Quare Authores *ibi* allati ab eodem pro contraria ſententia tantùm contendunt, ſuam ſententiam eſſe veram, ſi in Iubilæo non ſit clauſula derogatoria priuilegiorum Religionis: non autem poteſt dubitari, inſpectis verbis Iubilæi, derogari priuilegiis pro ea vice; vnde Authores præfati, nempè Molfeſius, Polachus, & P. Filiucius non ſunt contrarij. Nec limitatio Leandri, nempe eſſe verum noſtrum aſſertum, ſi in Iubilæo detur facultas generalis eligendi Confeſſarium, opportuna eſt: cum in Iubilæis, vt in ipſis videre eſt, ea facultas detur. Agimus autem de Iubilæis in forma conſueta præſtitis, & præſtandis: nam, ſi forma mutetur, appoſitè ad nouam formam erit philoſophandum. At ſi huc inſpexit Leander, etiam potuiſſet alias limitationes apponere; quæ poſſent contingere, iuxta varios modos poſſibiles concedendi Iubilæum.

158. Ex dictis duo conſectaria ſunt: aliud poſſe Moniales virtute Iubilæi ſine licentia ſui Superioris, aut Ordinarij, eligere quemcumque Confeſſarium: eadem eſt enim ratio de illis ac de aliis Regularibus, & Pontifices concedunt in Iubilæis facultatem eligendi quévis Confeſſarium ſine limitatione omnibus Regularibus vtriuſque ſexus. Vnde non video, quo fundamento ſolido contrarium doceant Fauſtus, Molfeſius, Leo, Ioannes Suarez, in quorum ſententiam inclinat Diana. 3. *par.tr.*4.*reſol.*154. niſi eos interpretemur eodẽ modo ac in aſſerto *numeri præcedentis*. Aduerſus eos verò nobiſcum conſentiunt Leander *vbi ſuprà quæſt.*86. Bonacina, Boſſius, Peyrinis, quos refert Diana 5. *par.tr.*23.*reſol.*10. vbi videtur mutaſſe ſententiam.

159 Aliud eſt poſſe Regulares vtriuſque ſexus, non ſolùm abſque ſuorum licentia Superiorum; ſed etiam eis inuitis, ac repugnantibus eligere Confeſſarium virtute Iubilæi: illi enim ius non habent impediendi hanc electionem quæ à Pontifice qui omniũ ſupremus eſt prælatus, conceditur; quare peccarent grauiter, ſi impedirent executionem huius facultatis, cum materia ſit grauis, & maximi momenti ad animarum ſalutem. Et quidem Superior ius non habet impediendi ſubdito vſũ facultatis, quàm à Superiore maiore habet, & independenter omnino à Superiore immediato ſibi eſt conceſsa: & pro qualitate materiæ peccatum erit graue, vel leue.

160 Nec ſolùm quoad facultatem eligendi Confeſsarium qui eos à peccatis, & cenſuris abſoluat, poſsunt Regulares vti Iubilæo; ſed in ordine ad omnia, quæ in illo indiuiſim conceduntur ſæcularibus, ac Regularibus, quorũ ipſi ſunt capaces. Quæ autem ea ſint, exprimitur in ipſa forma Iubilæi, & benè exponitur à P. Quintanadueñas *in libello de illo*, & ab aliis Authoribus quos obiter citauimus. Ea autem, vt extra rem noſtram, omittimus.

161 Iubilæus anni ſancti, qui nunc vigeſimo quinto quoque anno obtinetur, (cuius originem, & temporis variationem reperies apud prædictum P. Quintanadueñas *dub.* 1.) non concedit ſpecialem facultatem abſoluendi; ſed ſolummodò indulgentias. Huius extat conceſſio *in extrauaganti Antiquorum*, *in extrauaganti Vnigenitus*, *& in extrauaganti Quemadmodum*, *de pænitent. & remiſſionibus*. Item Vrbani VIII. Bulla conceſſionis affertur à P. Quintanadueñas *vbi nuper dub.* 2. Cui ſimiles eſſe formas Iubilæi illius anni ſancti ab aliis Pontificibus expeditas, affirmat. In his autem omnibus conceſſionibus nulla extat facultas abſoluendi. Item nec extat in aliis

Digitized by Google

Iubilæis(qui non ſtrictè ſic appellantur, cum ſtrictè ſolùm ſint indulgentiæ plenariæ,) vt in Iubilæo S. Mariæ de Portiuncula, Quadraginta Horarum, Communionis Generalis, Miſſionum, viſitationis alicuius Eccleſiæ deſtinato die, & aliis huiuſmodi; qui poſſunt videri apud eumdem relatum Authorem *eo t. 1. ſingularium, à tract. 1. appendicis*, latè illos declarantem.

CAPVT XV.

Confirmatur adhuc, non poſſe Regulares per Bullam Cruciatæ eligere Confeſſarium quoad reſeruata. Vbi de Religioſis Societatis IESV.

162 Sic adhuc confirmo concluſionem. In Societate Iesv ob ſpecialia Decreta, & Bullas Pontificum, firmum, ratumque fuit, non prodeſſe Religioſis ipſius Bullam Cruciatæ quoad abſolutionem à reſeruatis, quod conſtans adeò eſt, vt nec vnus quidem Author ex tot, qui ex ea quotidie in lucem prodeunt, contrarium ſcripſerit, nec vir in ea doctus ſenſerit, docuerit, aut conſuluerit. At tantam vim habet Vrbani VIII. conſtitutio reſpectu omnium Regularium, ac ſpeciales Bullæ & Decreta reſpectu Religioſorum Societatis Iesv: ergo nullus Regularis eſt, cui proſit Bulla Cruciatæ quoad abſolutionem à reſeruatis. Conſequentia eſt recta. Maior indubia. Minor probatur; quia Decreta, & Bullæ ſpeciales reſpectu Societatis nihil aliud exprimunt, ac declarant, imò nec poſſunt, niſi quod exprimit, ac declarat Vrbani conſtitutio reſpectu omnium Regularium; nempè non fuiſſe, nec eſſe è mente Pontificum, & Sedis Apoſtolicæ, vt Bulla Cruciatæ proſit Religioſis Societatis quoad abſolutionem à reſeruatis, ſemperque intẽdiſſe, vt Superiorum diſpoſitioni quoad hoc ſubiaceant, nolleque in hac parte Religionis priuilegiis derogare; nullaque poteſtate aliter id interpretandum fore, irritumque eſſe, quidquid ſecùs fuerit attentatum. Nihil ſanè aliud continent ea Decreta, & Bullæ; imò nec excogitabile eſt, quo pacto clarius, ac expreſſius hoc queat manifeſtari; hæc tamen omnia in Conſtitutione Vrbani extant: non ergo maior vlla vis viget in illis, quàm in hac Conſtitutione præfata; cum item quæcumque effugia apparentia excogitentur, pariter in vtraſque militare, quiſque cognoſcet.

163 Itaque in Societate Iesv ita cautum eſt, ne Regulares ipſius Bulla Cruciatæ poſſint vti quoad abſolutionem à reſeruatis, vt, quantumvis in communi Religioſis Mendicantibus indulgeretur, poſſe per Bullam Cruciatæ eligere Confeſſarium quoad abſolutionem à reſeruatis, adhuc ipſi non poſſent, niſi in illo indulto exprimerentur, aut reuocaretur Decretum Pontificium circa hanc prohibitionem editum. Etenim Gregorius XIII. anno 1575. die tertia Maij Bullam expediuit, quæ in Bullario noſtro extat *fol. 141.* Et in ea declarat: *Non eſſe nec fore vnquam mentis noſtræ, aut Sedis Apoſtolicæ, vt perſonæ Societatis abſque expreſſa Superiorum eiuſdem Societatis licentia vtantur facultatibus, quæ in Iubilæis, Bullis Cruciatæ, confeſſionalibus, aut aliis quibuſlibet Apoſtolicis indultis, ſiuè Communitatibus, ſiuè priuatis perſonis, aut piis locis, aut quomodocumque aliter hactenùs conceſſæ ſunt, aut in poſterum concedentur; etiam ſi in illis expreſsè indulgeatur, vt omnes Regulares, etiam Mendicantes, huiuſmodi facultatibus vti poſſint.*

164 Præterea Clemens VIII. in Bulla; quæ incipit: *Romanus Pontifex*, promulgata die 14. Iunij, anno 1595. ait: *Hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione, ſancimus, nulli Religioſorum eiuſdem Societatis licere, facultatibus Cruciatæ huiuſmodi in quacumque mundi parte publicatæ, vel publicandæ, quo ad eligendum Confeſſarium, & obtinendum abſolutionem à caſibus reſeruatis vti, neque eis quoad hanc eligendi Confeſſarium, & obtinendi abſolutionem, prædictam facultatem Cruciatæ huiuſmodi ſuffragari; ſicque per quoſcumque iudices ordinarios, & delegatos, ablata eis aliter iudicandi, & interpretandi facultate iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, quidquid ſecùs ſuper iis à quoquam quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.*

165 Idem declarauit Gregorius XV. per ſuas litteras in forma Breuis expeditas, quarum mentionem facit Vrbanus VIII. in Bulla à ſe expedita, vltimo die Martij, anno 1629. in qua deinceps hęc habet: *Nihilominùs quia nonnulli exiſtimant, clauſulis literrarum dictæ Cruciatæ cuicumque ipſius Societatis priuilegio derogari, & propterea ipſis Religioſis huiuſmodi facultatibus vti licitũ eſſe, ſpeciali ad hoc noſtro, & Apoſtolicæ Sedis opportuno remedio neceſſe ſit. Nos pro noſtri Paſtoralis muneris debito, ea, quæ ipſius Societatis quieto, & pacifico ſtatui, ac debitæ Superioribus obediẽtiæ conſeruandæ, opportuna eſſe cognoſcimus, ſalubriter prouidere volẽtes, motu proprio, & ex certa ſcientia, maturaque deliberatione noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione, ſancimus, nulli Religioſorum eiuſdem Societatis licere, facultatibus Cruciatæ huiuſmodi in quacumque mundi parte publicatæ, vel publicandæ, quoad eligendũ Confeſſariũ, & obtinendam abſolutionem à reſeruatis, vti; neque eis, quoad hanc eligendi Confeſſarium, & obtinendam abſolutionem prædictam, facultates Cruciatæ huiuſmodi ſuffragari; minuſque præſentes litteras quibuſcumque eiuſdem Cruciatæ conceſſionibus, extenſionibus, prorogationibus, & confirmationibus factis, &*

Mendo in Bull. Cruciat.

& pro tempore quomodelibet faciendis (ſcilicèt à nobis) comprehendi, ſicque per quoſcumque iudices ordinarios, & delegatos ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

166 Et quidem, eſtò in aliis ſacris Ordinibus annuerint, aut tacitè conſenſerint Superiores, Bullam Cruciatæ prodeſſe ſuis ſubditis; tamen in Societate ſemper totis animis conati ſunt, ne vllo modo proſit quoad electionem Confeſſarij pro reſeruatis; ſicut videre eſt in praxi Superiorum immediatorum, in Epiſtola P. Claudij Aquauiua Præpoſiti Generalis Societatis Iesv ſcripta ad Prouinciales earum Prouinciarum, in quibus Bulla Cruciatæ viget; data Romæ die 19. Iulij, anno 1613. & in pluribus, quas P. Mutius Vitelleſchi eiuſdem Societatis Præpoſitus Generalis poſteà ſcripſit; & in Decreto V. ſextæ Congregationis Generalis. Quod & ab initio Societatis obſeruatum eſt: ideóque P. Henriq. *tom. 1. lib. 7. de indulg. c. 22.* §. 4. affirmat Societatem Iesv ſemper illæſum conſeruare priuilegium, ne quis virtute Bullæ ſine Superioris licentia poſſit eligere Confeſſarium.

167 Cæterùm per Iubilæos extraordinarios, in quibus conceditur facultas eligendi Confeſſarium quoad abſolutionem etiam à reſeruatis, tàm ſæcularibus, quàm Regularibus quibuſcumque vtriuſque ſexus, & ſimul derogatur priuilegiis quibuſvis Religionum (vt contingit communiter in Iubilæis ob ingentem Eccleſiæ vtilitatem, ac neceſſitatem expeditis quales ſunt Iubilæi duplicis hebdomadæ) poſſunt Religioſi Societatis eligere quemvis Confeſſarium approbatum, ſæcularem, aut Regularem, qui eos etiam à reſeruatis abſoluat; quia in ea derogatione priuilegiorum, pro ea vice derogatur Conſtitutioni Gregorij XIII. At ſi in Iubilæis non exprimatur ea derogatio in generali, aut in ſpeciali, nequibunt virtute illorum eligere Confeſſarium quoad reſeruata, etiam ſi Regulares Mendicantes poſſint, eo quòd illis expreſsè id in Iubilæis indulgeatur. Quippè ita decernit Gregorius idem *ſuprà* allatus; cuius declaratio, ac decretum, dum non extat clauſula derogatoria ipſius, in ſua vi, & robore permanet. Sed quia poſt me lectum, aliqui duram cenſuerunt meam ſententiam *in capitibus præcedentibus* firmatam, iterùm de ea redibit ſermo inferiùs *in tractatu appendice, diſput. ... cap. 6.*

CAPVT XIX.

An nouitij, & item Regulares Ordinum Militarium poſſint per Bullam Cruciatæ eligere Confeſſarium, qui eos à reſeruatis abſoluat.

168 Dico primò, Nouitios cuiuſcumque ſacri Ordinis abſque licentia Superiorum poſſe per Bullam Cruciatæ eligere Confeſſarium, qui eos abſoluat à peccatis omnibus, à quibus per eam poteſt abſolui. Ita tenent P. Suarez *tom. 4. de Religione tract. 9. lib. 2. c. 16. n.* 10. Fernandez, Ledeſma, Acoſta, Villalobos, quos refert, ac ſequitur Diana 1. *p. tr. 11. reſ.* 15. Ludouicus à Cruce *in Bull. d.* 1. *cap.* 1. *dub.* 14. Trullench *in Bull. lib.* 1. §. 7. *c.* 1. *dub.* 9.

169 Ratio aſſerti eſt, quia Nouitij in fauorabilibus nomine Religioſorum comprehenduntur, non verò in odioſis, & in oneribus, quale eſt, non poſſe eligere Confeſſariũ. Prætereà reſeruatio peccatorum in Religione eſt odioſa, vnde Nouitios non comprehẽdit, nec cenſenda ſunt ea peccata reſpectu ipſorum reſeruata, indeque à reſeruatis in Religione per Confeſſarium à ſe electum poſsũt abſolui. Reſeruationem autem non ſe extendere ad Nouitios, affirmant Miranda *in manuali Prælator. tom.* 3. *q.* 34. *art.* 19. P. Layman *tom.* 2. *tr.* 5. *c.* 4. *n.* 4. Confirmatur; quia independenter à Bulla poſſunt Nouitij non aliter ac ſæculares, abſolui à quovis Confeſſario ſæculari, vel Regulari, vt tenent Villalob. Rodrig. Candidus, Veg. Lopez, PP. Azor & Sà, ac alij plures, quos refert, & ſequitur Leand. de Sacram. *tom.* 1. *tr.* 5. *d.* 12. *q.* 64. Vbi notat Dianam malè citantem Layman nempè *in c.* 6. quare ipſe citat *in c.* 2. & vterq; non benè; quia *c.* 4. *n.* 4. id exagitat. Et prætereà non verè pro oppoſita ſententia eum aſſerunt cum Tamburino, Vechio, & aliis. Quippè P. Layman ſolùm aſſerit, Superiores Regulares reſpectu Nouitiorum habere quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem, poſſeque eorum reſeruare peccata, & caſu, quo reſeruent, non poſſe abſolui ab aliis. Quod tamen non tollit, vt virtute Bullæ poſſint abſolui, quia Pontificum Decreta fauorem Bullę negantia Regularibus intelligẽda ſunt non de Nouitiis, qui in odioſis non veniunt nomine Regulariũ. Nec tollit, poſſe abſolui à quolibet Confeſſario, caſu quo Superior nulla reſeruauerit peccata pro Nouitiis, vt communiter accidit. Quare Pater Layman non aptè pro ſententia contraria affertur, cum ſolùm loquatur ea limitatione, quam iudico veram; Etenim & poteſtas reſeruandi nequit negari Superioribus, ſaltem aliqua peccatorum genera, reſpectu eorum, in quos iuriſdictione gaudent, vt gaudent in Nouitios,

Digitized by Google

Nouitios, quos excommunicare, & punire poſſunt, cum ſint exempti ab Epiſcopis, & ſubiecti Superioribus Religionis: Et poſita reſeruatione, nequeat Nouitius abſolui niſi ab ipſo Superiore, aut ab eo, qui habeat iuriſdictionem à Pontifice per Bullam Cruciatæ, aut per aliud priuilegium; vel à Nuntio Pontificis; qui ſunt Ordinarij Superiores omnium exemptorum, atque adeò poteſt Nuntius Apoſtolicus, v. g. Hiſpaniæ, quatenùs vices Pontificis gerit, facultatem concedere pro foro externo, & interno, vt quilibet Regularis abſoluatur à cenſuris, & peccatis reſeruatis. Et quamvis id non præſtent frequenter, ſed ſumma cum conſideratione, & ſecretò, relinquentes Superioribus Regularibus liberam ſubditorum diſpoſitionem, tamen poſſunt præſtare, & aliquando vt audiui, præſtant. Idem poterunt Legati à latere extraordinarij, ſi iuriſdictionem in exemptos à Pontifice acceperint, vt mihi perſuaſum eſt, accipere communiter; cum pluribus facultatibus communiter potiantur, quam Nuntij Ordinarij. Pro libito tamen Pontificum eſt, has vel illas eis committere.

170 Dico ſecundò, Bullam Cruciatæ non prodeſſe Regularibus Ordinum Militarium quoad abſolutionem à caſibus reſeruatis, ſi qui ſint in eis Ordinibus. Probatur. Conſtitutio Vrbani VIII. de qua *ſuperiùs* loquitur de Regularibus Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium, etiam ſpeciali nota dignis. At prædicti ſunt propriè, & ſtrictè Regulares, nec excipiuntur in ea conſtitutione prohibente vſum Bullæ Cruciatæ quoad caſus reſeruatos, igitur quoad abſolutionem ab eis non prodeſt Cruciata eiuſmodi Regularibus. Dixi, *ſi qui ſint in eis Ordinibus*, quia nullos reſeruatos eſſe, mihi affirmarunt aliqui ex ipſis, notitia conſpicua ſtatutorum eiuſmodi Ordinum pollentes.

171 Trullench *vbi ſuprà dub. 2. n. 2.* affirmat, eiuſmodi Regularibus Bullam prodeſſe quoad prædictum effectum, eo quòd non ſint Mendicantes, & pro ſe refert P. Henriq. *lib. 7. de indulg. c. 22. n. 4. litt. Y.* Sed hic nihil in ſpeciali agit de Religioſis Ordinum Militarium, dumtaxàt enim illud docet in Generali de Regularibus Ordinum non Mendicãtium, quod docuit ante Conſtitutiones Pontificum declarantium, Bullam non prodeſſe Regularibus Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium; poſt quas declarationes, neſcio, quo pacto Trullench id affirmauerit: Et quidem, ſicut retractauit opinionem contrariam generaliter loquentem de omnibus Regularibus, motus conſtitutione Vrbani, ita & hoc aſſertum retractare potuiſſet; cum non minùs hoc quam illud ei conſtitutioni contrarietur. Ait in Bulla Cruciatæ in prohibitione, per quam Regulares nequeunt gaudere indulto edendi oua, & lacticinia tempore Quadrageſimæ, non includuntur Regulares Militarium Ordinum, ergo nec in præſenti. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt plana; quia in illa prohibitione edendi oua, ac lacticinia expreſsè excipiuntur Regulares Militiarum, vt expoſuimus *d. 18. c. 3.* At in conſtitutione Vrbani VIII. non excipiuntur, imò comprehenduntur; in Bulla autem ipſa Cruciatæ in indulto eligẽdi Confeſſarium quoad reſeruata non magis excipiuntur Religioſi Militares, quam Regulares cæteri. Imò exceptio eorum in eo caſu ſpeciali prohibitionis ouorum, ac lacticiniorum firmat Regulam in contrarium; nempè firmat, comprehendi Regulares Ordinum Militarium cum cæteris omnibus Regularibus, vbi expreſsè non excipiuntur. Confirmatur. Si in prohibitione, qua Regularibus negatur indultum veſcendi ouis, ac lacticiniis, non exciperentur Regulares Ordinum Militarium, ſanè non eſſet, vnde poſſent eis veſci tempore Quadrageſimæ; igitur, ſi in prohibitione, qua Regularibus negatur indultum eligẽdi Confeſſarium quoad reſeruata, non excipiuntur, nequibunt Confeſſarium eligere quoad reſeruata. Ratio à priori eſt, quia ea exceptio Religioſorũ Ordinum Militarium ſolùm eſt pro ea ſpeciali materia, vt ex contextu Bullæ Cruciatæ conſtat, non verò eſt generalis, ita vt quandocumque ſit ſermo de Regularibus, illi intelligantur excepti, hoc enim nulli nititur fundamento.

CAPVT XX.

An Regulares virtute Bullæ poſſint à reſeruatis Abſolui à Confeſſariis per Superiores deputatis ad Confeſſiones ordinarias?

172 Ægidius Trullench *in Bull. lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 9. num. 26.* affirmat Villalobos aſſerere *tr. 27. clauſ. 9. §. 2. n. 13.* poſſe Regulares etiam poſt Clementis VIII. Decretum, ab Vrbano VIII. confirmatum, abſolui à reſeruatis virtute Bullæ per Confeſſarios deputatos, ac approbatos à ſuis Superioribus. Miror, Ægidium non benè legiſſe Villalobos, qui quidem, poſtquam retulerat plures Authores id ſentientes, præcipuè Magiſtros Salmantinos ſuper hoc conſultos, ipſe tamen ſuam ſententiam profert, non ſequendam fore huiuſmodi opinionem, ſed oppoſitam, tum quia tutior eſt, tum quia ipſe audiuit à viro grauiſſimo ſui Ordinis, ipſum, dum Romæ exiſteret, comperiſſe, oppoſitum fuiſſe tunc à Pontifice declaratum; idque etiã à ſuo Capitulo generali Segouię celebrato anno 1621. fuiſſe ſtabilitum reſpectu ſuorum Fratrum, ac Monialium. Et addit *n. 14.*

Digitized by Google

ſi Superiores prohibeant hoc, minimè poſse fieri. At ſi virtute Bullæ abſoluiè poſsent abſolui à reſeruatis Regulares, per Confeſsarios deputatos, non obſtaret prohibitio Superiorum, nam ſi non prohibent, etiam poterunt ab illis per alios quoſcumque Confeſsarios abſolui. Cæterùm ea prohibitio, dum de oppoſito non conſtet, ſupponenda eſt iuxta dicta *ſuperius*.

173 Vlteriùs Villalobos non eſt locutus poſt conſtitutionem Vrbani VIII. confirmantem, & innouantem; imò & ampliantem in fauorem priuilegiorum Religionum decretum Clementis VIII. nam Vrbanus eam edidit anno 1630. hic verò Author quartam ſui operis editionem dedit in lucem anno 1627. Nihilominùs Dian. 1. *part. tract.* 11. *reſol.* 14. ait, opinionem prædictam eſſe probabilem, & tutam in praxi. Sed certum habeo, id ſcriptum fuiſse ab eo ante conſtitutionem Vrbani: tum quia tertia editio primæ partis huius Authoris prælo mandata fuit Cæſarauguſtæ, anno 1632. Et cum conſtitutio Vrbani data fuerit die 19. Iun. anno 1630, non apparet credibile, Dianam poſt hoc tempus vſque ad proximum ſequens anni 1632. ſuam primam partem perfeciſse, approbatamque edidiſse in lucem, ita vt iam hoc anno 1632. tertia editio prodiret, quod abſque dubio conſtat ex licentia ſui Generalis initio tomi præfixa, quæ præſtita fuit die 9. Septembris, anno 1628. poſt approbatum Opus. Tum quia 3. *part. in addit. reſol.* 9. vbi Vrbani conſtitutionem trāſcribit, abſolutè docet, non poſse practicè exerceri oppoſitam ſententiam de abſolutione Regularium per Bullam à reſeruatis, quin excipiat, poſse per Confeſsarios à ſuperioribus deputatos, vnde clarè ſentit, negari ab Vrbano abſolutionis poteſtatem per quoſlibet Confeſsarios virtute Bullæ exercendam.

174 Fundamentum autem, quod Villalobos affert, opinionis affirmantis, poſse per Confeſsarios approbatos, & deputatos à Superioribus Regularem abſolui à reſeruatis virtute Cruciatæ eſt, quia abſolui poſse per Cruciatam omnibus fidelibus conceditur. Fūdamentum ad rem penitùs diſparatum: quia ſuppoſito, non poſse Regulares eligere Confeſsarium, quod omnibus fidelibus conceditur, inueſtigatur, an poſſint abſolui à reſeruatis per Confeſsarium non electum; ſed à ſuperiore pro ſubditis deſtinatum; ad quod aſseuerandum, quænam eſt ea probatio? Sanè ea, ſi vim haberet, eodem modo conuinceret poſse abſolui à quouis Confeſsario, etiam à ſuperioribus non deſignato. Igitur ſatis oſtendimus in ea conceſſione Bullæ non comprehendi Regulares, nec eis indultum, quod cæteris, præſtari.

175 Ait deinde Villalobos non obſtare ſuæ opinioni Bullam Pij V. conceſsam Ordini ſacro Prædicatorum, nec Bullam Clementis VIII. præſtitam patribus Carmelitis excalceatis, eo quòd in eis ſolùm derogetur poteſtati eligendi Confeſsarium pro reſeruatis extra ſuos Ordines, vt ex verbis Clementis conuincere intendunt Authores prædictæ opinionis, ibi: *Et illorum prætextu eligunt Confeſſarium aliquando præter eos, qui à ſuis Prælatis eorum confeſſionibus deputati ſunt, quod aliquando in ſpeciale eorum vergit detrimentum.* Ex quo procemio, aſserit Trullench, intentionem legiſlatoris, eiuſque decretum eſse limitandum, quod ex pluribus iuriſprudentiæ Authoribus confirmat.

176 Sed in primis reſponderi poſset, adhuc nihil colligi ex prædictis verbis, eo quòd ex eis ſolùm inferatur, poſse abſolui à Confeſsarijs per ſuperiores deputatis: at Confeſſores ordinarij non ſunt deputati à ſuperioribus ad abſolutionem reſeruatorum: deputati enim ad eam ij ſolùm cenſentur, qui à ſuperioribus facultatem obtinent ad abſoluendum ab ipſis. Quare reprehendit Pōtifex eos, qui eligunt Confeſsarium ad reſeruata, præter eum, qui ad ea deputatur à ſuperiore, cum committit ſuas vices. Sicut ſi ſuperior approbaret, & deputaret quemdam Confeſsarium ad venialia, alium ad mortalia peccata; qui haberet mortalia, & primum eligeret, ſanè eligeret alium, præter deputatum a ſuperiore, eo modo, quo à ſuperiore deputatur.

177 Deinde meliùs reſpondeo, in Conſtitutionibus Vrbani VIII. imò & Clementis VIII. & Pauli V. editis pro omnibus Regularibus Mendicantibus, & non Mendicantibus, motu proprio; & non ad inſtantiam alicuius (cùm enim priuilegium, aut declaratio ad inſtantiam alicuius conceditur, animus petentis introſpicitur: & præterea quæ ad inſtantiam Religionis conceduntur, niſi intimētur, vim non habent: ſecùs quæ ex motu proprio Pontificis dimanant) abſolutè negatur facultas abſoluendi à reſeruatis Regulares, ita vt nullus per Bullam eòs queat abſoluere, ſiuè ſit ordinarius Confeſsor, ſiuè extraordinarius, nec vllum ſimile præfato procemium apponitur; ſed expreſsè declaratur à Pontificibus, quoad abſolutionem à reſeruatis manere Regulares omnimodò ſubiectos diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, qui certè nolunt, Confeſsarios à ſe deputatos, abſque ſua licentia abſoluere à reſeruatis. In Bullis autem ſupradictis fortè non id tanta extenſione declaratum fuit à Pio V. & Clemente VIII. quia Religiones ſacræ Prædicatorum, & Carmelitarum non id popoſcerunt; conantes dumtaxàt, ne extra ipſos Confeſsarij eligerentur, vel intra, ij, qui non eſſent deputati à ſuperioribus.

178 Adhuc

178 Adhuc maiori aliqua vi poteſt fundari ea opinio in eo, quòd Vrbanus declarat, Bullam non prodeſſe Regularibus quoad articulum *eligendi Confeſſarium*, *& abſoluendi à reſeruatis*; quæ clauſula collectiuè debet ſumi, ita vt ſolum prohibeatur electio Confeſſarij, qui electus ſimul abſoluat à reſeruatis; non verò diſtributiuè, ita vt prohibeatur tum Confeſſarij electio, tum à reſeruatis abſolutio: ergo non prohibetur abſolutio à reſeruatis præſtita per Confeſſarium non electum; ſed à ſuperioribus deputatum: in hoc enim non verificatur, quod à Pontifice prohibetur, nempè electio, & abſolutio: non quippè vera redditur propoſitio copulatiua, niſi vtraque pars ſit vera; eſtò ſit vna, vel altera. Confimatur. Nam *cap. ſequenti* dicemus poſſe Regularem virtute Bullæ Cruciatæ eligere Cōfeſſarium, qui eum abſoluat à non reſeruatis, eo quòd prohibitio Pōtificis vtrumque ſimul reſpiciat, & electionem Confeſſarij, & abſolutionem à reſeruatis, nō verò vnūquodque: ergo, dum quis non eligat Confeſſarium, poterit abſolui à reſeruatis: ſicut è contrà, dum non abſoluatur à reſeruatis, poteſt eligere Confeſſarium.

179 Reſpondeo tamen primò, Confeſſarium à ſuperiore deputatum, non eſſe deſignatum ad reſeruata, in ordine ad quæ habet ſe, vt cæteri Confeſſarij non deputati à ſuperiori: vnde hoc ipſo, quòd quis virtute Bullæ poſſet abſolui per illum à reſeruatis, ſanè ſimul eum eligeret in ordine ad hunc effectum, cum in ordine ad hunc non eſſet à Superiore deputatus; ac conſequenter verificaretur vtraque pars collectiuè ſumpta à Pontifice prohibita, nempè electio, & abſolutio. Quare per Bullam nequit quis Regularis abſolui à reſeruatis, quin ſimul eo ipſo eligat Confeſſarium: inſeparabile eſt enim vtrumque, eo ipſo quòd nullus ſit ad hoc deſtinatus, ſeu nullus ſit ordinarius Confeſſor ad reſeruata. Secùs contingit in abſolutione à non reſeruatis, quæ poteſt dari, quin præſtetur abſolutio à reſeruatis: tuncque, etſi eligatur Confeſſor, ſeparabitur electio ab abſolutione à reſeruatis, & non verificabitur collectiuè vtraque pars prohibitionis factæ à Pōtifice, ſcilicet electio Confeſſarij, & à reſeruatis abſolutio; ſed ſolùm prima, qua ſola non contrauenitur prohibitioni. Non enim aſſerit Pontifex, nulli Regulari prodeſſe Bullam Cruciatæ quoad electionem Confeſſarij, nec quoad abſolutionem à reſeruatis; ſed non prodeſſe quoad vnum, & aliud, quod longè diuerſum eſt. Sicut ſi dicerem: Deus non largitur hominibus dona in hac vita temporalia, & dona æterna in cœlo, non negarem, dare his bona temporalia in hac vita, nempè reprobis; & dona æterna in cœlo, ſcilicet iuſtis; ſolùm enim intenderem, Deum ſimul (exempli gratia id appoſui, non doctrinæ) non præſtare ei, cui commoda in hac vita contulit, præmium in æterna fœlicitate. Si autem aſſererem: Deus peccatori nec cōplacet, nec confert præmiū aliquod; vtrūque ſanè negarem. Non itaque vtrumq; hoc modo à Pōtifice prohibetur; ſed primo modo vtrūq; ſimul.

180 Reſpondeo ſecundò efficaciùs: Pontificem ita prohibere abſolutionem à reſeruatis, vt velit, Regulares quoad eam diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubiacere: non autem ſubiacerent, ſi à Confeſſoribus ordinarijs abſolui poſſent à reſeruatis: nam Superiores nolunt, vt ab eis abſoluant, abſque ſpeciali ſua facultate, nec deſignant eos ad abſoluendā reſeruata. Pontificem autem velle, Regulares quoad hoc ſuis Superioribus ſubiacere, in ſua ipſa conſtitutione *ſuperiùs* poſita manifeſtè exprimit, ac declarat: quare eadem certitudine, qua affirmaui, non poſſe Regulares virtute Bullæ Cruciatæ eligere Confeſſarium quoad reſeruata, nunc affirmo, non poſſe abſolui ab eis per Confeſſores Ordinarios Monaſterij, vel Collegij: vtrumque enim negat Vrbanus VII.

181 Ex eo etiam eſt falſa opinio oppoſita, quod aſſerit, virtute Bullæ poſſe quem abſolui à Confeſſarijs approbatis à ſuo Superiore. Quippè, vt *ſuperiùs* notaui, & *diſp.* 22. *c.* 2. aſſerui, licèt ſufficiat approbatio Superioris Regularis, reſpectu ſuorum ſubditorum, nec opus ſit, Confeſſarium illorum eſſe approbatum ab Epiſcopo: tamen quando Regulares virtute Bullæ, aut Iubilæi abſolui volunt, neceſſum eſt vt Confeſſarius abſoluens ſit approbatus ab Epiſcopo, ſiuè Ordinario: ſic enim in ipſa Bulla Cruciatæ; & in Bullis Iubilæorum exigitur, & qui eis vtuntur, eorum formam, & conditiones ſeruare debent. Nec dici poteſt, approbatum ab Epiſcopo debere eſſe Confeſſarium, qui eligitur per Bullā, aut Iubilæū; non verò qui non eligitur; ſed deſignatus eſt à Superiore. Etenim approbatio requiſita cadit ſupra Cōfeſſariū, qui abſoluturus eſt pœnitentē virtute Bullæ, aut Iubilæi, quomodocumque ſit ille Confeſſarius, quod ſanè ex contextu Bullæ, & mente Pontificis liquidò conſtare videtur. Præterea, vt dicebam, re ipſa eligeretur ille Confeſſarius, ſi abſoluere poſſet à reſeruatis, quantumuis deſignatus eſſet à Superiore. Demum, cùm Regularis virtute Iubilæi extraordinarij à reſeruatis vult abſolui, ſi Confeſſor deputatus à Superiore pro Monaſterio, vel Collegio, ab ipſo duntaxat ſit approbatus, nequiret ab eo abſolui, tum quia Iubilæus expreſsè requirit approbationem Ordinarij in Confeſſario qui virtute Iubilæi ipſius abſoluit; tum quia cum liberum ſit pœnitenti tunc confiteri, cui maluerit,

Digitized by Google

luerit, cenſetur eligere Confeſſarium, à quo à reſeruatis abſoluatur, & ſicut poſſet alium eligere, malle confiteri cum eo, qui à ſuperiore eſt deſtinatus, atque adeò approbatio Ordinarij in eo requiritur; & hanc credo, eſſe communem praxim. Quare etſi in caſu ſupra poſito Bullæ Cruciatæ non requiratur approbatio Ordinarij in Confeſſario deſtinato à ſuperioribus, eo quòd contenderetur, non eligi, & ſolum in electo eam approbationem requiri; tamen in caſu Iubilæi approbatione Ordinarij erit opus eo quòd quicunque abſoluat, eligitur, cum poſſit pœnitens non abſolui à Confeſſore Monaſterij, aut Collegij, ſed ab alio.

CAPVT XVIII.

An à non reſeruatis poſſit Regularis abſolui virtute Bullæ Cruciatæ per Confeſſarium à ſe electum?

182 Tenendum eſt, poſſe (& quidem de electione cuiuſuis Confeſſarij ſiuè ſæcularis, ſiuè Regularis, approbati tamen ab Ordinario, & nòn ſolùm à Prælato Regulari, hocque etiam renuente, vt dicebamus de electione Confeſſarij etiam quoad reſeruata, virtute Iubilæi extraordinarij; eadem enim ratio militat; quamuis ſemper ego conſulerem ne inuito Prælato id fieret, ſed potiùs ſubditi cum Confeſſarij à Superiore ſuo deputatis confiterentur, ne aliquo modo ordo gubernationis ſpiritualis turbaretur.) Tuentur hanc ſententiam Ludouicus à Cruce, & Rodriguez, quos refert, & ſequitur Leander de Sacramento *t.1, tr.5.d.12. qu.62.* Trullench *in Bull. l.1. §.7. cap.1. dub.9. n.25.* Et quāuis *n.27.* dicat, retractando opinonem ſuam circa reſeruata, vim non habere, quæ attulerat *n.18. vſque ad 25. incluſiuè*, exiſtimo fuiſſe calami lapſum, & voluiſſe apponere, *vſque ad num.25. excluſiuè*; nam ſolùm intendit, & exprimit ſtatim, ſententiam eligendi Confeſſarium quoad reſeruata virtute Bullæ non poſſe practicè exerceri; at circa non reſeruata opinionem non retractat. Defendit præterea hanc ſententiam. P. Quintanadueñas *tom. 1. ſingularium, tract. 3. ſingulari 18.* Vbi plures à ſe auditos Recentiores doctos id ipſum ſenſiſſe affirmat. Eſtò ipſe ad finem ſingularis aſſerant, non deberè hanc opinionem exerceri. Sed nulla ad hoc mouetur ratione; niſi fortè id aſſeruit, ne nimis haberetur benignus. Oppoſitam verò ſententiam tutantur Diana *4.part.tr.4.reſol.43.* Cardinalis Lugo *t.de pœn.d.20.ſ.4.à n.195.*

183 Probatur noſtra concluſio ex ipſa Bullla Vrbani octaui *ſuperiùs* allata, in qua declarat, nulli Regulari prodeſſe Bullam, *quantùm ad articulum eligendi Confeſſarium, & abſoluendi à prædictis caſibus reſeruatis:* Et inferiùs: *Noſtra intentionis fuiſſe, & eſſe, quòd quantùm ad Sacramentum Pœnitentiæ, & Confeſſionis adminiſtrationem ordinariæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, & Sedi Apoſtolicæ, quoad ſibi reſeruata, ſubiecti ſint.* Ex quibus verbis ſic formo argumentum. Iuxta hanc exceptionem, & hanc Pontificis prohibitionem non licet Regularibus eligere per Bullam Confeſſarium ad peccata reſeruata, ergo licet ipſis, Confeſſarium eligere ad mortalia non reſeruata. Probatur conſequentia. Illa particula *quoad ſibi reſeruata*, quam Pontifex adiungit in ſua prohibitione, eſt exceptiua, & limitatiua ac firmat regulam in contrarium, igitur, ſi Pontifex declarat, non licere Regularibus eligere Confeſſarium quoad reſeruata per Bullam, licebit eis, eligere illum quoad non reſeruata; aliàs non appoſita fuiſſet ea limitatio *quoad reſeruata*; ſed abſolutè declaraſſet Pontifex non prodeſſe Bullam Regularibus ad electionem Confeſſarij, quin aliud adderet.

184 Confirmatur. Ex eo, quòd Pontifex excipiat Regulares tum ab indulto veſcendi lacticiniis in Quadrageſima, tum à priuilegio eligendi Confeſſorem, rectè infertur, non excipere ab aliis Bullæ indultis, ac priuilegiis, quin potiùs eos poſſe vti illis, non ſecus ac ſæculares; ergo ex eo quòd excipiat Regulares ab indulto eligendi Confeſſarium quoad reſeruata; rectè infertur, non excipere eos ab indultò eligendi ipſum quoad non reſeruata, imò poſſe eo indulto liberè potiri.

185 Deinde concluſio ſatis firmatur ex tenore verborum præfatæ conſtitutionis Vrbani, qui ſemper coniungit, à ſe prohiberi *facultatem eligendi Confeſſarium, & abſoluendi à reſeruatis* virtute Bullæ. Nec fruſtrà hæc duo copulantur, ſed vt intelligatur, non prohiberi electionem vtcumque, ſed electionem Confeſſarij, vt abſoluat à reſeruatis, aliàs quid opus eſſet, ſuperaddere, *& abſoluendi à reſeruatis*; cum prohibita electionem Confeſſarij per Bullam, etiam prohibita maneret abſolutio à reſeruatis. Dices, ſi ſolùm facultas eligendi Confeſſarium prohiberetur, poſſet indè inferri, Regulares valere abſolui à reſeruatis virtute Bullæ non quidem à Cōfeſſario electo, ſed ab Ordinario Monaſterij, vel Collegio. Superioribus deputato. Sed *cap. præcedenti* huic obiectioni ſatisfeci; ibique oſtendi, à Pontifice ſolùm prohiberi coniunctum ex electione Confeſſarij, & ex abſolutione à reſeruatis, at poſſe dari electionē ſine abſolutione à reſeruatis, non è conuerſo, & prætereà finem Pōtificis in hac declaratione fuiſſe, vt quoad abſolutionē à reſeruatis (quæ eſt res maximi ponderis ad obſeruantiam Regularem ſeruandā) ſubditi

Digitized by Google

ſubditi ſubiacerent diſpoſitioni ſui ſuperioris, qui tamen non diſponit, nec deſignat Confeſſarium ad reſeruata, ſed præciſe ad non reſeruata. Roboratur; aduerſa facultas eſt eligẽdi Confeſſarium ad reſeruata; & facultas eligendi quoad non reſeruata; at ex diuerſis nõ fit illatio, ergò ex eo quòd limitauerit, ſeu prohibuerit Pontifex Regularibus indultum eligendi Confeſſarium quoad reſeruata, inferri nõ poteſt; limitaſſe, aut prohibuiſſe quoad non reſeruata. Tunc ſic. Si ex hac Vrbani VIII. conſtitutione non infertur ea limitatio, aut prohibitio, non eſt, vnde inferatur, vt obiectionum ſolutione patebit, igitur poſſunt Regulares virtute Bullæ Cruciatæ eligere Confeſſarium quoad non reſeruata.

186 Prætereà odia ſunt reſtringenda, non amplianda; at in clauſulis Vrbani rectè, & genuinè apponitur hic ſenſus copulatiuus, vt prohibeat facultatem eligẽdi Confeſſariũ, qui ſimul à reſeruatis abſoluat; & eſt fauorabilis hic ſenſus Regularibus; & è contra odioſus, & nõ adeò genuinus alter ſenſus, quo ſignificetur diſtributiuè, per eas clauſulas prohiberi Regularibus tum facultatem eligendi Confeſſarium virtute Bullæ, tum facultatem obtinendi abſolutionem à reſeruatis; ergo primus ſenſus eſt præferendus, ne odia ampliemus; iuxta eum autẽ licebit Regularibus eligere Confeſſarium per Bullam quoad non reſeruata. Huius ſentẽtiæ fuit mirabilis Theologus P. Antonius Perez à me conſultus.

187 Et quidem illa particula *&* poſita in verbis Vrbani ibi, *eligendi Confeſſarium & abſoluendi à reſeruatis*, facit ſenſum copulatum, non diuiſum, nec ſignificat in præſenti idem, quod particula *neque*. Quod in iure cõmune eſt, maximè quando non ſunt diuerſæ orationes, ſed vnica (vt eſt in præſenti) Ita Gloſſa 1. *in Rubrica de fluminibus*; Gloſ. 1. *Cod. de vindicta libertat.* Gloſ. 1. *in leg. conſentaneum, Cod. quomodo, & quando iudex* &c. Gloſ. 2. *in leg. penult. Cod. quorum appellatio.* Gloſ. 1. *in leg. 1. ff. de tutel. in additione marginali: leg. de quibus, ff. de legibus.* Videatur P. Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 10. cap. 7. num. 23.* Itaque quando particula *&* ponitur inter duo, quorum vnum alteri ineſt, ambo reſoluuntur in vnum; vt tradit P. Quintanadueñas *ſuprà num. 5.* vbi id probat ex Barboſa, Gutierrez, Gonzalez, & aliis; atque idem ex Iure Canonico, & Sacra Scriptura depromit. Ibi etiam *numer. 4.* oſtendit ex variis Authoribus, & Deciſionibus Rotæ, particulam *quoad* eſſe limitatiuam præcedentis diſpoſitionis ad rem illam, ad quam accommodatur. Hinc, cum Pontifex ſolùm prohibeat Religioſis facultatem eligendi virtute Bullæ Confeſſarium quoad reſeruata, limitatur prohibitio electionis ad reſeruata, & non extendi debet ad non reſeruata.

188 Addit inſuper confirmationem. Ex legis, aut ſtatuti proœmio animum legiſlatoris, ac intentionem, necnon totius decreti mẽtem, extenſionem, aut limitationem, colligendam eſſe, iuri eſt conſentaneum, & docent P. Salas *de legib. d. 17. ſec. 9. n. 13.* Tiraquellus, Gutierrez, Paz, & alij paſſim allati: At in proœmio conſtitutionis Vrbani ſolùm eſt ſermo de electione Confeſſarij in ordine ad reſeruata; ibique, aſſerit, non ſine animi ſui moleſtia cognouiſſe, aliquos virtute Bullæ prætendiſſe eligere Confeſsarium, qui eos à reſeruatis abſolueret; ergo in eo, quod poſtea declarat, ac decernit, ſolùm prohibet electionem Confeſsarij, qui Regulares per Bullam à reſeruatis abſoluat; in hoc nãque non in alio opponitur eis, qui oppoſitum prætendebant, & attendit pręcipuis Religionũ priuilegiis in re grauiori, vt ſarta tecta ſeruẽtur, ac prouidet diſciplinæ regularis obſeruãtiæ, ne relaxetur, ſi cuiuis Regulari liceat abſolui per Bullam à reſeruatis à Cõfeſsario per ſe electo; quod eſt finis, ac ſcopus prædictæ cõſtitutionis, iuxta quẽ eã explicare debemus. In electione autem Confeſſarij quoad non reſeruata non apparẽt grauia incommoda, & eſtò aliquod inde poſſit oriri propter perturbationẽ diſpoſitionis Superiorum quoad Confeſsarios à ſe deſignatos, tamen hoc incommodum non præualet commodis, quæ ex electione libera Confeſsarij quoad non reſeruata prouenire queunt, maximè ſi Confeſsarij à Superiore deſtinati, ſint nimis auſteri, ac rigidi; quare commune bonum ſpirituale Religioſorum præponderat, vt ſic eis aditus pateat manifeſtandi liberiùs ſuas conſcientias; & vt non periclitentur in ſalutis animarum negotio, ſi ad ſtrictiores anguſtias vndique redigantur, nec euadendi quaquam eis locus ſuperſit, ſi pudore, ac verecundia affligentur. Hinc Clemens VIII. limitauit peccatorum reſeruationes, etiam ſi antecedenter liberum fuiſset Superioribus quęlibet peccata reſeruare. Quippè in Religionum exordio, non poteſt rectè omnino introſpici, vtrùm damna, ex aliquibus priuilegiis ſint decurſu temporis emanatura, reſpectu fragilium, & charitatis, virtutũque ardore minùs feruentium; poſteà verò experientia docente damna, congruum eſt, vt his aliquod ſubſidium præſtetur, quo poſſint incõmoda vitare; diſpenſando cum ipſis per recens priuilegium in priuilegiis ſuarum Religionum; quæ quidem aptiſſima ſunt, vt plures frænentur, non verò efficacia, vt omnes cohibeantur; quare fragilioribus ſuccurrere oportet, vt in caſu præſenti per Bullam Cruciatæ præſtatur. Ij tamen præ oculis habeant, vt ſi quando Confeſsarium pro non reſeruatis elegerint (quod quidem; quatenùs abſque magna

magna difficultate poſſint, par eſt, vt excuſent) virum eligant doctum, timorataeque conſcientiæ, qui attento ipſorum ſtatu medelam ſciat ipſorum malis apponere, & decebit profectò, non eligere Confeſſarium extra Religionem, aut ſaltem non ſæcularem; rectiùs quippè Confeſſarius intra ipſam Religionem, aut ſaltem alius Regularis, communiter callet, quæ ſint munera, & obligationes Religioſorum, poteritque commodiùs conſulere bono ſpirituali pœnitentis, & æqua lance rem totam ponderare.

189 Dices primò cum Cardinali Lugo, in verbis Vrbani VIII. allatis prohibentibus eligere Confeſſarium, & abſolui à reſeruatis diuiſim vtramque facultatem negari, nam additur poſt vocem *à reſeruatis, etiam in Bulla Cœna Domini contentis*; vnde ſi in ſenſu copulatiuo intelligeretur præfata prohibitio, ſequeretur, abſolutionem à caſu reſeruato eſſe validam per Bullam, ſi non eſſet à caſu reſeruato etiam in Bullæ Cœnæ contento. Prorsùs non capio vim huius ſequelæ; Et, vt conſtet, ea carere; animaduertendum eſt, Bullam concedere indultum abſoluendi à peccatis reſeruatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis; quaſi dicat,(hoc enim innuit particula *etiam*,) non ſolùm à reſeruatis Pontifici per ordinariam reſeruationem, ſed per maximam reſeruationem, qualis eſt reſeruatio contenta in Bulla Cœnæ, in qua derogatur priuilegiis abſoluendi à reſeruatis; atque adeò Regulares illi, qui habent priuilegium abſoluendi à reſeruatis Pontifici, non ideò præcisè poſſunt abſoluere à reſeruatis in Bulla Cœnæ. Hoc ſuppoſito, Vrbanus in ſua Conſtitutione refert hoc indultum Bullæ Cruciatæ, quo conceditur facultas ad eligendum Confeſſarium, & ad abſoluendum à reſeruatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis; & declarat, hoc indultum non prodeſſe Regularibus quoad electionem Confeſſarij, & abſolutionem à reſeruatis; quin in hac declaratione iterũ addat, *etiam in Bulla Cœnæ contentis*; quaſi dixerit, illud indultum Cruciatæ, licèt adeò ingens ſit, vt abſolutionis facultatem præſtet à peccatis quibuſcumque reſeruatis, quantumvis maxima reſeruatione Bullæ Cœnæ afficiantur, adhuc non proſit Regularibus, vt eligant Confeſſarium à quo abſoluantur à reſeruatis in ſua Religione; etiam ſi eiuſmodi reſeruatio, vtpotè non Pontificia, nec in Bulla Cœnæ contenta, ſit minor, ſeu ab inferiori authoritate proueniens, quam ſunt eæ reſeruationes, à quibus ſæculares poſſunt per Bullam abſolui. Legat quilibet conſtitutionem Vrbani, nec alium genuinum ſenſum reperiet. Ex eo autem colligi non poteſt objectionis intentum.

190 Dices ſecundò cum eodem; non probari noſtram concluſionem ex eis verbis *quoad ſibi reſeruata*, cum aſſerit Pontifex, Regulares ſubjectos eſſe diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, & Sedi Apoſtolicæ quoad ſibi reſeruata; Nam hæc verba *quoad ſibi reſeruata* non referuntur ad Prælatos, ſed ad Sedem Apoſtolicam, cui immediatè apponuntur, ita vt ſenſus ſit, Regulares ſubjici diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, atque etiam Sedis Apoſtolicæ quoad reſeruata etiam Sedi. Hoc autem ita poſitum eſt, non, vt limitaretur prohibitio ad reſeruata in religionibus, ſed ne daretur cauſa errandi; ſcilicèt ſi quis exiſtimaret, ita ſubditos ſubjacere diſpoſitioni Prælatorum, vt de eorum licentia poſſent abſolui à peccatis Sedi Apoſtolicæ reſeruatis; quod de iure communi falſum eſt. Addit Cardinalis Lugo, ſe de hoc conſuluiſſe D. M. A. Maraldum, qui iuſſu Vrbani VIII. conſtitutionem præfatam ipſius fecit, conſtruxit, & ſubſcripſit; & in ſenſu prædicto ea verba illum ſtatim explicaſſe, vehementerque miratum eſſe, quòd in alio ſenſu potuerint ab alio accipi; cum in conſtitutione Vrbani innouetur totum Clementis Decretum, in quo ea verba non ſunt (ideóque ex eis non poteſt fieri pro noſtra concluſione argumentum, ſi ad Decretum Clementis attendatur) majoriſque claritatis gratia fuiſſe ſuperaddita. Hinc concludit Cardinalis, cum verba nullus poſſit meliùs exponere, quam qui eorum fuerit Author, ſe non videre, quæ poſſit in hoc puncto occaſio dubitandi ſupereſſe.

191 Ab hoc vltimo incipiendo, quamvis integram ego fidem tanto Doctori, Eminentiſſimo Cardinali præſtem, tamen præſcindendo à dicto Illuſtriſſimi Maraldi, noſtra concluſio ſatis roboratur, dictum autem, aut explicatio vnius non authentica, nec authenticè conſtans non infirmat veritatem, aut probabilitatem concluſionis. Nec etenim ille legiſlator fuit, nec, vt talis, ea verba eſt interpretatus; quare poſt cognitam, ac perlectam eiuſmodi explicationem apud ipſum Cardinalem Lugo, noſtram concluſionem tutati ſunt Leander, P. Quintadueñas, & Recentiores ab ipſo allati, de quibus *ſuprà*. Et, vt benè hic vltimus Author notat, in præſenti eſt opinio ſaltem probabilis, quæ ſufficit, vt iuxta communiorem Doctorum præſtetur iuriſdictio, & in praxi ſit tuta ſententia. Et paſſim inueniemus ſententias, quarum contrariæ ſimilem declarationem habuerunt, imò & quarum afferantur Declarationes Cardinalium, & tamen non deſeruntur à ſuis defenſoribus illæ ſententiæ, eo quòd vel authenticè non conſtet de eiuſmodi Declarationibus, vel ipſæ authenticæ non ſint.

192 Addo, & ſi admitteremus ſenſum, quem intendit Cardinalis Lugo, ita vt nudè,

&

Digitized by Google

& abſolutè aſſereret Vrbanus; Regulares ſubjacere quoad Sacramentum Pœnitentiæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, adhuc noſtra concluſio firmaretur ex verbis ſæpe repetitis à Pontifice, nempè non prodeſse Bullam Cruciatæ ad effectum eligendi Confeſsarium, & abſoluendi à reſeruatis; vbi particula *&* iuxta dicta ita facit ſenſum copulatum, vt ſit expoſitiua, & reſoluat vtrumque in vnum; quare vtrumque ſolum ſimul excipitur, non diuiſim; alias promptius fuiſſet, aſſerere, non prodeſse Bullam ad eligendum Confeſsarium abſolutè, aut ad eligendum illum ad quælibet peccata; aliquid enim ſpeciale Pontifex intendit in ea expreſſione repetita *abſoluendi à reſeruatis*. Hinc, etiam ſi poſteà concludat, Regulares ſubjacere diſpoſitioni ſuorum Prælatorum quoad Sacramentum Pœnitentiæ, intelligendus eſt in eodem ſenſu, in quo locutus fuerat in ſua prohibitione, cuius quaſi conſectarium apponit, vt ſic Regulares ſubjaceant, ſi autem prohibitio ſolùm fuerat de electione Confeſsarij, qui à reſeruatis abſolueret, non eſset indè conſectarium, ſubjacere Regulares ſuis Prælatis circa Sacramentum Pœnitentiæ quoad non reſeruata etiam, ſed ſolùm quoad reſeruata, nec aliter rectè vno, eodemque filo tota ſeries Conſtitutionis contexeretur.

193 Iam ergo ad objectionem accedendo, reſpondeo, verba *quoad ſibi reſeruata*, præſcindendo ab explicatione D. Maraldi, cadere tàm ſupra Prælatos, quàm ſupra Sedem Apoſtolicam, cum immediatè vtrique apponantur in eadem oratione, & particula *quoad* iuxta aſserta *ſuperiùs* ſit limitatiua, ac reſtrictiua orationis, cui apponitur, & cum Sedes Apoſtolica, ac Prælati in ea oratione cum particula *&* copulentur, ſupra vtrumque cadit limitatio ſecuta, quia ei ſubſunt pariter coniuncta, & ſupra vtrumque cadere, probatur etiam ex dictis *num. præcedenti*, ſic enim Pontifex ſuum intentum proſequitur, & eodem tenore conſtitutionem conficit, eumdem ſenſum perſequens, quem decurſu Cōſtitutionis præfixerat. Et quidem contingere potuit, vt cum D. Maraldus à Cardinali Lugo fuit conſultus, non meminiſſet ſenſus, in quo ea verba appoſuit, cum etenim duplicem ſenſum poſſint ſortiri, & potuerunt in noſtro poni, & poſteà in alio explicari. Imò poſtquam Vrbanus rei ſubſtantiam in Conſtitutione exponendam commiſit D. Maraldo, potuit hic ea verba in ſuo ſenſu apponere, Pontifexque, dum ea legeret, in noſtro intelligere, cum ad vtrumque ſenſum ſint indifferentia (imò meo iudicio, ſaltem ex antecedentibus, determinata ad noſtrum) eaque non mutare, quaſi rectè appoſita, nec D. Maraldus explicaret ſingulorum verborum ſenſum, quem ipſe intendebat, ſi non dubitaretur de eo à Pontifice, qui potuit in præſenti non dubitare, ſed noſtrum ſenſum in eis verbis ſupponere. Quare, cum res ſit adeò ambigua, non debet vnius D. Maraldi explicatio locum dubio non relinquere, quin nec infirmare noſtrarum rationum efficaciam. Ad illud de innouatione Decreti Clementis VIII. *infrà* reſpondebo.

194 Cæterùm P. Quintanadueñas *vbi ſuprà num. 9.* ait, iuxta hanc noſtram ſententiam, Regulares, exceptis peccatis in ſua Religione reſeruatis, poſſe ab omnibus aliis per Bullam abſolui, non ſecùs ac ſæculares. Leander verò non diſtinguit, an à non reſeruatis in Religione, ſic verò Pontifici reſeruatis, queant abſolui. Attamen Vrbanus VIII. in conſtitutione præfata declarat, Regulares ſubiectos manere Sedi Apoſtolicæ *quoad ſibi reſeruata*, non minùs quàm diſpoſitioni Prælatorum quoad reſeruata ipſis. Quæ verba verificari nequeunt, niſi dicamus per Bullam non poſſe Regulares abſolui à caſibus reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, atque adeò non poſſe à cæteris omnibus, ſicut ſæculares, vt aiebat P. Quintanadueñas. Nec enim reperiri poteſt ſenſus eorum verborum, quo ſaluetur, Regulares poſſe abſolui per Bullam ab eiuſmodi peccatis; ſi enim poſſent, non conſtaret hæc aduerſatiua Pontificis; Regularibus non prodeſt Bulla Cruciatæ, quoad abſolutionem à reſeruatis, ſed ſubſint diſpoſitioni Prælatorum, & Sedi Apoſtolicæ quoad ſibi reſeruata; Imò potiùs, ſi à reſeruatis Sedi Apoſtolicæ abſoluerentur virtute Bullæ non ſubeſſent diſpoſitioni communi Sedis Apoſtolicæ.

195 Quare ſentio, ab eiuſmodi peccatis non poſſe Regulares abſolui per Bullam Cruciatæ. Et quidem benè hoc concordat cum præcedentibus, vbi aſſeruit Vrbanus, Bullam non prodeſſe ad effectum eligendi Confeſſarium, & abſoluendi à reſeruatis, in generali enim ſumit reſeruata, vt comprehendat ea, quæ reſeruata ſunt vndique Regularibus, nempè à Pontifice, & ab ipſorum Prælatis (reſeruatio enim Epiſcoporum non comprehendit Regulares, vtpotè ab ipſis exemptos) vox enim indefinitè prolata æquiualet vniuerſali. Pontifex autem ad eumdem ſcopum tendit in prohibitione vſus Bullæ quoad reſeruata Regularibus tàm à ſuis Prælatis, quàm à Sede Apoſtolica, nempè vt diſciplina Regularis tecta ſeruetur, dum hoc fræno cohibentur Religioſi à patrandis peccatis enormibus qualia ſunt reſeruata ſuis Prælatis, & etiam reſeruata Sedi Apoſtolicæ, hæc enim ſunt ex culpis grauioribus, ideóque in primis Religioſi longè ab illis committendis debent eſſe, nec ſpe abſolutionis per Bullam niti, cum nimiùm derogetur obſeruantiæ, ſi eiuſmodi

Mendo in Bull. Cruciat.

Digitized by Google

[illegible]modi peccata facilè committi cuique eſ-
[illegible] [illegible]nium.

Attamen, etiam ſi iuxta ius commune ſolus Pontifex, vel alius, cui ipſe committat, poſſit abſoluere à peccatis Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, in Religionibus vt plurimum ſunt priuilegia, vt aliqui abſoluant ab illis, aut ſaltem à pluribus. Quare in vnaquaque Religione priuilegiorum tenor eſt inſpiciendus. Quid autem poſſint circa eiuſmodi abſolutionem Superiores Societatis IESV reſpectu ſuorum ſubditorum, conſtat ex noſtris Bullis, & ex compendio priuilegiorum Societatis, *verbo Abſolutio à* §. 6.

CAPVT XIX.

Soluuntur argumenta contendentia, non poſſe Regulares virtute Bullæ Cruciatæ abſolui à non reſeruatis.

196 Aliqua iam diluimus *cap. præcedenti*; cætera proponamus. Arguitur primò ex Bullis Pontificum Pij V. Gregorij XIII. Clementis VIII. quas refert Cardinalis Lugo; vbi declarant, Bullam Cruciatæ non ſuffragari Regularibus illis, pro quibus Bullas expediuerunt, (& Clemens VIII. pro omnibus Regularibus) quoad Sacramentum pœnitentiæ, ſeu Confeſſionis adminiſtrationem, quod abſolutè proferunt, quin limitent ad reſeruata; ergo iuxta illos nec quoad non reſeruata Bullæ Cruciatæ Regularibus ſuffragatur. Deindè Vrbanus VIII. in ſua Conſtitutione inhæret Decreto Clementis VIII. vt ipſemet ait, & illud innouat; igitur etiam iuxta Vrbanum Bulla non prodeſt Regularibus ad effectum eligendi Confeſſarium, à quo abſoluantur adhuc à non reſeruatis.

197 Reſpondeo, mihi perſuaſum eſſe; Pontifices in relatis Decretis, aliiſque ſimilibus, dumtaxàt intendiſſe, prohibere Regularibus liberam Confeſſionis adminiſtrationem quoad reſeruata, & quoad hæc voluiſſe, vt ſuorum Prælatorum diſpoſitioni ſubjacerent, Moueor ex ſequentibus: etenim Vrbanus VIII. vt ſupponunt aduerſarij, & ipſe in ſua Conſtitutione exprimit, innouauit Decretum Clementis VIII. at, dum innouat, ſolùm declarat, Bullam non prodeſſe Regularibus quoad reſeruatorum abſolutionem, ergo ſignum euidens eſt, Clementem in ſuo Decreto nihil aliud intendiſſe. Non enim credibile eſt, Vrbanum, cum rem voluit penitùs declarare, & omnia dubia circa hanc materiam [illegible]ere, ſolùm locutum fuiſſe de abſolutione à reſeruatis, ſi in Decreto Clementis, quod innouabat, vel ſi iuxta voluntatem cæterorum Pontificum, Sediſque Apoſtolicæ, quam exprimebat, contineretur prohibitio de electione Confeſſarij per Bullam quoad non reſeruata, cum facilè potuiſſet Vrbanus id exprimere, & adeò ab hoc præſtando abfuit, vt ſollicitè, & conſultò ſemper adiunxerit in ſua prohibitione electionem Confeſſarij, & abſolutionem à reſeruatis.

198 Dices, nihil aliud fuiſſe petitum ab Vrbano, niſi declarationem, quòd Bulla non ſuffragaretur quoad reſeruata. Contrà, nam Conſtitutionem præfatam non edidit Vrbanus ad inſtantiam partium; ſed Motu proprio, & ex certa ſcientia, vt ipſe exprimit. Deindè, ſi hoc ſolum fuit ab eo poſtulatum, ideò ſanè fuit, quia Superioribus Religionum perſuaſum erat, hoc ſolum ab aliis Pontificibus fuiſſe declaratum; nam, ſi iudicarent, alios Pontifices indulſiſſe, ſeu præcepiſſe, vt nullus Regularis vti poſſet Bulla adhuc ad non reſeruata, cur non poſtularunt declarationem circa hoc, quæ facilè præſtaretur, ſi verum eſſet, Pontifices id præcepiſſe. Nec potuerunt indè à petitione deſiſtere, quòd Regulares non contrauenicbant huic Pontificũ declarationi; nec eligebant Confeſſarios quoad non reſeruata. Quippè, ſi ideò petierunt conſtitutionem Vrbani, quia aliqui Regulares prætendebant, poſſe per Bullam eligere Confeſſarium quoad reſeruata, à fortiori hi ipſe prætenderent, poſſe eligere quoad non reſeruata, atque adeò opus erat declaratione ad hoc, ſicut ad illud.

199 Sed ais rursùs, Vrbanum VIII. ſuppoſuiſſe prohibitum per alia Decreta Pontificum, ne Regularibus Bulla prodeſſet quoad non reſeruata; & in hac ſua Conſtitutione ſolùm de reſeruatis egiſſe, quæ tamen conſtitutio non tollit vim Decretorum præcedentium. Contrà, nam pariter poterat ſupponere, prohibitum eſſe per alia Pontificum Decreta, ne Bulla prodeſſet quoad reſeruata, quod ſanè erat certius, & clarius. Deindè, cum innouauerit Decretum Clementis, & voluntatem Sedis Apoſtolicæ in tota hac materia expoſuerit, non eſt veroſimile, id omiſiſſe, aut ſuppoſuiſſe, cum relinqueret rem eiſdẽ dubiis obnoxiam, quibus erat ante ſuam conſtitutionem. Præterea falſum eſt, non excludere Vrbanum alias conſtitutiones, ſi fortè fuiſſent, imò & ſi Pontifices præcedentes declaraſſent, Bullam Cruciatæ non prodeſſe Regularibus quoad non reſeruata, prodeſſet iam ex vi Conſtitutionis Vrbani, quæ cenſenda eſſet derogatoria, & correctoria quoad hoc, licet quoad reſeruata eſſet innouatoria, inhæreretque prædeceſſorum menti (ſed, vt dixi, inhærere credo in omnibus, quia prædeceſſores non intendebant, niſi excludere facultatem ad reſeruata) etenim cum Vrbanus poſt omnes illos Pontifices fuerit, potueritque limitare per poſterius Decretũ priora,
id

Digitized by Google

id præſtitiſſe, fatendum eſt, ſi dicatur prædeceſſores ipſius intendiſſe tollere facultatem quoad non reſeruata. Ratio eſt, quia ipſamet limitatio vnius eſt conceſſio alterius, iuxta regulam iuris, exceptio firmat regulam in contrarium. Vnde cum Vrbanus ſit vltimus legiſlator in hac materia, & totam rem declarauerit, hoc ipſo, quod aſſerat: noſtra voluntas, ac intentio fuit, & eſt, vt Regulares cuiuſvis ordinis, Societatis, ſeu inſtituti, non vtantur Bulla Cruciatæ quoad caſus reſeruatos, idem eſt, ac ſi ſimul aſſereret: noſtra voluntas, ac intentio fuit, & eſt, vt ijmet poſſint vti Bulla Cruciatæ quoad caſus non reſeruatos.

200 Hic obiter notandum venit, poſſe Religioſos Societatis hanc noſtram opinionem tutò in praxi ſequi, tum quia etiam crediderim, prohibitiones Pontificum, quibus ſpecialiter eis præcipitur, ne vtantur quoad Sacramentum Pœnitentiæ Iubilæis, Bullis Cruciatæ, ſeu confeſſionalibus, tantùm intendere prohibitionem quoad caſus reſeruatos, iuxta dicta, & dicenda de Decretis Pontificum reſpectu aliorum Regularium; quod etiam exindè probatur, quia conatus & ſollicitudo Superiorum, ne per Bullam Cruciatæ Confeſſarius eligeretur à ſubditis, eò ſemper reſpexit, vt ab illo non abſoluerentur à caſibus reſeruatis; & in ordine ad hoc ante conſtitutionem Vrbani VIII. Patres noſtri Generales Breuia ſpecialia à Pontificibus obtinebant, & Prouinciis intimabantur: Quare ipſemet Vrbanus VIII. anno 1629. vltima die Martij in Bulla, quam circa hanc materiã expediuit pro Religioſis Societatis, eodẽ tenore verborum vtitur, quo in conſtitutione, quam anno ſequenti pro omnibus Regularibus vtitur, vt videre eſt in ipſa *ſuperiùs* à nobis allata. Hinc etiam in Decreto ſecundo ſextæ Congregationis Generalis ſerio, ac grauiter prohibetur opinio defendens, Bullam prodeſſe noſtris quoad abſolutionem à caſibus reſeruatis, non verò prohibetur noſtra opinio, relinquendo eam in ſua probabilitate; & profectò prohibita fuiſſet, ſi Societas Congregata iudicaſſet, per Decreta Pontificum iniunctum Religioſis Societatis, ne poſſent vti Bulla quoad abſolutionem à non reſeruatis.

201 Tum quia, & ſi per Decreta ſpecialia prohibitum eſſet Religioſis Societatis, ne Bulla Cruciatæ eis ſuffragaretur adhuc ad non reſeruata, & quamvis cæteris Regularibus id liceret, non tamen id eis eſſet conceſſum: Attamen his omnibus derogatur per hanc Bullam Vrbani VIII. in qua comprehẽduntur omnes Regulares, & expreſsè Regulares Societatis; vt *ſuprà* dicebamus loquendo in communi de omnibus Regularibus, quare hæc Vrbani conſtitutio correctoria eſſet cenſenda priuilegiorum quorumcumque etiam Societatis. Nec contrà quidquam probat praxis, qua in Societate omnes confitentur cum Confeſſariis à Superiore deputatis; Quippè præſtant, quod æquius eſt, & ſuis Regulis conformius; & prætereà hi ſunt Confeſſarij à Superioribus deputati, vt nemo (ſi fortè habeat aliquod mortale non reſeruatum) vereatur illud ei aperire in confeſſione, pluſque alteri aperire vereretur: & prætereà pauci in Societate Bullam accipiunt, eo quòd abſque illa plurimas, ingenteſque indulgentias obtinere valeant. Quòd ſi qui per Bullam eligant ad non reſeruata Confeſſarium, cum hoc fiat ſecreto ad euitandam ſuſpicionem, famamque conſeruandam, non poteſt indè facilè de praxi certò iudicari, & quidem etiam praxis eſt, vt Regulares Societatis non confiteantur de venialibus niſi cum Confeſſoribus à Superiore deputatis; & tamen non ideò nequeunt validè cum aliis confiteri. Quòd ſi aliquis Superior in aliquo Sacro Ordine hanc electionem Confeſſarij ad non reſeruata ægrè ferat, ideò erit, quia contrariam ſententiam veram cenſet, & aliquod nocumentum timet ex noſtra, ſi prudenter non exerceatur.

202 Redeo ad aſſumptum ſuperiùs in argumenti reſponſione propoſitum, nimirùm Pontificies dumtaxàt prohibuiſſe Regularibus electionem Confeſſarij per Bullam quoad peccata reſeruata. Etenim ratio motiua, qua id decreuerunt, & quæ appoſita fuit ab ipſis in ſuorum proœmio Decretorum, (vnde animus, & intentio colligitur.) eſt, quia experientia, & ratione compertum erat, plurima damna ſequi ex electione Confeſſarij, & Religioſis valdè pernicioſum eſſe, Confeſſarium eligere, ideò eam electionem prohiberi. At electio Confeſſarij quoad non reſeruata non adeò pernicioſa eſt Religioſis, vt his verbis ſignificatur; igitur non ea prohibetur. Quippè à non reſeruatis iure ordinario poſsunt abſoluere Confeſsarij à Superioribus deputati, nec opus eſt ad Superiores recurrere; nec ab ipſis Superioribus, & Capitulis Religionum ea peccata iudicantur enormia, ideòque minimè ab eis reſeruantur; quare poſse eligere Confeſsarium in ordine ad illa, non valet perniciem, & nocumentum tantum afferre, quantũ in verbis Pontificis ſignificatur; cum non ideò major licentia peccandi poſſit rationabiliter timeri. Ecce igitur ea ipſa, quibus contrarij ſuam ſententiam conantur munire, ſi rectè perpendantur, potiùs eam labefactant, noſtramque ſtabiliunt.

203 Arguitur ſecundò, ſequi ex noſtra ſententia, poſſe Regularem abſolui virtute Bullæ per Confeſsarium à ſe electum ab omnibus his peccatis, ac cenſuris, à quibus poteſt

abſolui per Confeſſorem Ordinarium Monaſterij, aut Collegij. Concedo ſequelam, ea enim eſt noſtra concluſio; Itaque, excepta electione Confeſſarij quoad peccata reſeruata, poſſunt Regulares gaudere omnibus Bullæ priuilegiis, quæ communia ſunt; tum priuilegio eligendi Confeſſarium quoad non reſeruata, tum cæteris, vt commutationis votorum, lucrationis indulgentiarum, & ſimilium.

204 Arguitur tertiò. Et ſi in Bulla Cruciatæ ſuſpendantur omnia priuilegia, & facultates, tamen excipiuntur facultates, & priuilegia Religionum Mendicantium quoad earum Fratres; ſed hoc priuilegium, vt nullus Regularis confiteatur niſi cum Confeſſariis à Superiore ſuo deputatis, eſt proprium Religionum quoad earum Fratres, imò inſertum in iure in extrauagãti *inter cunctas, de priuilegiis*; ergo per Bullam non ſuſpenditur, atque adeò virtute illius non licet cum aliis confiteri. Confirmatur primò. Indultum conceſſum in Bulla Cruciatæ eligendi Confeſſarium eſt in damnum, & præjudicium tertij, nempè Religionum habentium priuilegium, vt ſui Regulares ſolis Confeſſoribus deputatis confiteantur, at in Bulla non intelligitur quidquam concedere Pontifex in præjudicium tertij, igitur non concedit Pontifex in Bulla Regularibus facultatem eligendi Confeſſarium adhuc ad non reſeruata. Confirmatur ſecundò; priuilegium Religionum, vt ſubditi ſolùm abſoluantur à Confeſſariis per Superiores deputatis, eſt inſertum iuri communi, ſed ea, quæ ſunt de iure communi, non reuocantur, aut ſuſpenduntur, niſi ſuſpenſio, aut reuocatio exprimatur, per quodvis priuilegium, ergo per Bullæ priuilegium non reuocatur, nec ſuſpenditur illud ius Religionum, cum non exprimatur talis reuocatio, vel ſuſpenſio. Confirmatur tertiò, quia licèt Vrbanus VIII. & Clemens VIII. in ſuis Decretis ſolùm prohibeant Bullæ Cruciatæ ſuffragium quoad reſeruata, tamen facultas eligendi Cõfeſſariũ quoad non reſeruata fuit caſus omiſſus, ergo in eo ſtandum eſt priuilegiis Religionum, & aliorum Pontificum Conſtitutionibus. Nec ex exceptione, poſita. nempè *quoad reſeruata* in prædictis Decretis debet colligi permiſſio, aut facultas quoad non reſeruata; tunc enim dumtaxàt exceptio firmat regulam in contrarium, & exceptio vnius infert conceſſionem alterius, ſeu non exceptionem alterius, quando alterum alibi non eſt exceptum in præſenti autem electio Confeſſarij adhuc quoad non reſeruata excepta eſt, ac prohibita tum in priuilegiis Religionum, tum in aliis Declarationibus Pontificum.

205 Hoc argumento, & prima eius confirmatione vtuntur etiam aliqui Authores, ad probandum, Bullam Cruciatæ non prodeſſe Regularibus quoad abſolutionem à caſibus reſeruatis. Et profectò eadem, & non majori vi probatur, quod in præſenti intenditur, quam illud, vt cuique conſideranti conſtabit: ſed mihi non intulit vim in ordine ad reſeruata, nec eo vſus fui, vnde pariter in præſenti vim non infert. Etenim reſpondeo, in Bulla Cruciatæ ea priuilegia, ac facultates Regularium à ſuſpenſione, reuocationeque excipi, ac illæſa ſeruari, quæ ſunt conceſſa eis Religionibus cum reſpectu fauorabili ad ſubditos, ita vt in ordine ad hos non ſint ſtricta, & odioſa, ſed ampla, & fauorabilia. Priuilegia autem, vt nullus confiteatur niſi cum Confeſſoribus à Superiore deputatis, ſtricta ſunt, non ampla, odia, non fauores. Nec etenim ideò iudicanda ſunt fauorabilia præcisè, quia in bonum animarum tendunt, in hoc enim ſenſu nullum eſſet priuilegium, lex, aut Conſtitutio Eccleſiaſtica, quæ non eſſet fauor, cum omnia eum finem reſpiciant, aut in eum reducantur, ſed indè cenſenda ſunt fauores, ſi commodum afferant, ab aliquo onere liberando, aut ab aliqua obligatione ſoluendò, ſiue aliquod de nouo indulgendo, non verò è contra, ſi noua obligatione, aut onere afficiant, nihilque indulgeant. Hinc priuilegia prohibentia Regularibus, ne alteri, quam deputato à Superioribus confiteantur, cum ligent, adſtringant, onuſque imponant, quin aliquid indulgeant, odia ſunt, non fauores, atque adeò non excepta in Bulla Cruciatæ à reſeruatione generali.

206 Indè autem non excepta eſse huiuſmodi priuilegia, aſſeuerauerim, quia Pontifex in Bulla voluit illæſa reſeruare priuilegia Religionum fauorabilia quoad ſuos Fratres, quod ſuadetur primò; quippè ea exceptio poſita in reuocatione generali fauor eſt, vt quiſque fatebitur, vt autem fauor ſit, opus eſt, vt ſolùm à reuocatione generali excipiantur priuilegia, quæ ſunt fauorabilia, nàm ſi. quæ non ſunt fauorabilia exciperentur, ſanè hæc non manerent reuocata, fauor autem non eſt non reuocari Decretum, aut priuilegium odioſum. Secũdò, quia ob eam exceptionem in Bulla poſitam, non ſuſpenduntur, nec reuocantur indulgentiæ conceſsæ Regularibus, item nec facultates abſoluendi, & commutandi vota, diſpenſandique in aliquibus, etiam reſpectu ſæcularium, vt dicemus *diſput.* 29. Quæ omnia ſunt Regularibus fauorabilia, vnde pariter in cæteris eſt philoſophãdum; cum exindè dignoſcatur, animũ Pontificis fuiſse, vt fauores conceſſi Religionibus quoad ſuos fratres illæſi perſeuerarent, non verò odia reſpectu illorũ. Tertiò ipſi aduerſantes affirmant, eſse de iure communi, ſeu iuri inſertum, Regulares confiteri debere cum deputatis

Digitized by Google

deputatis à Superiore, at in ea exceptione Bullæ non agitur, niſi de priuilegiis,ac facultatibus conceſſis ſpecialiter Religionibus quoad ſuos Fr tres,ergo ex ea non poteſt fieri argumentum ad rem præſentem. Conſequentia eſt recta, minor verò conſtat ex ipſo Bullæ contextu. Et quidem hoc ipſo quod illud ſit ius commune, per Bullam corrigitur, limitatur, aut in eo diſpenſatur, ſicut diſpenſatur per eam eum ſæcularibus, vt edant lacticinia tempore Quadrageſimæ,cum ius cõmune id impediat,itẽ vt poſſint eligere quẽlibet Confeſſarium, cum iuxta ius commune proprio Sacerdoti, aut Parocho confiteri teneantur, & alia huiuſmodi. Nec obſtat, ſi dicas,iuri communi non derogari, niſi exprimatur: etenim ſufficienter exprimitur derogatio,ſeu diſpenſatio, dum præſtatur facultas generalis eligendi Confeſſarium,ſicut reſpectu ſęcularium ſufficienter exprimitur,quamvis ipſi iuxta ius commune nequeant confiteri,niſi cum proprio Parocho, aut alio de ipſius licentia, priuilegiaque conceſſa Regularibus, vt poſſint audire confeſſiones ſæcularium, in hoc iure communi diſpenſant.

207 Ex his ad primam confirmationem reſpondetur primò, indultum eligendi Confeſſarium per Bullam Cruciatæ non eſſe in præjudicium tertij, ſcilicet ipſorum Regularium, ad quos eſt attendendum, ſed in illorum commodum,ac fauorem.Secũdò, indulta etiam in præjudicium tertij vergentia, valida eſſe, cum directè intenditur aliquod cõmodum, quod ſine præjudicio tertij obtineri nequit;adeòque præuiſo à legiſlatore, ſeu priuilegiante, eo præjudicio, adhuc conceditur tale priuilegium ab ipſo; ſic eſt validum indultum eligendi Confeſſarium per Bullam, reſpectu ſæcularium,etiam ſi videatur eſſe in præjudicium iuriſdictionis Parochi, necnon validum eſt priuilegium,vt ſæcularis abſoluatur à peccatis Epiſcopo reſeruatis,& obtineat commutationem votorum; quam iure communi, præter Pontificem, ſolus Epiſcopus præſtare valet; etiam ſi hoc priuilegium cedere cenſeatur in præjudicium Epiſcopi. Similiter igitur, quamvis indultum eligendi Confeſſarium quoad non reſeruata ſit in præjudicium Superiorum Religionis, validum erit; cum non magis præjudicet eis reſpectiuè, quam præjudicant Epiſcopis indulta relata;ſufficienterque exprimitur vtrobique,eam eſſe mentem Pontificis, quantumvis aliquid detrahatur iuriſdictioni prædictorum.

208 Ad ſecundam confirmationem iam fecimus ſatis;tum aſſerendo,dari ſufficientem expreſſionem in derogatione; tum oſtendendo,non majori expreſſione in aliis iuribus communibus per Bullam diſpenſari, ſeu eis derogari. Ad tertiam,conſtat ex dictis *cap. præcedenti*, nullam habere vim; quia Vrbanus VIII. & Clemens VIII. totam rem electionis Confeſſarij in ſuis Conſtitutionibus comprehenderunt, nec prudenter poteſt credi,omiſiſſe prohibitionem electionis Confeſſarij quoad non reſeruata, ex eo, quòd in aliis Conſtitutionibus, ac Declarationibus eſſet poſita, cum etiam à fortiori, ob hanc rationem,potuiſſent omittere declarationem prohibitionis quoad reſeruata,quæ clariùs poſita erat in eis Conſtitutionibus, in quibus affirmant aduerſarij, hanc prohibitionem quoad non reſeruata contineri. Deindè facilè poſſent in his nouis Conſtitutionibus abſtuliſſe limitationem *quoad reſeruata*,quam conſultò, & non abſque deliberatione appoſuerunt; & demùm ex dictis *ſuprà* Confirmatio hæc tertia omninò eneruatur.

209 Arguitur demùm ſpecialiter circa Religioſos Societatis IESV; Quippè Gregorius XIII.in Bulla quæ extat in Bullario Societatis *fol.* 141. in qua prohibet eis, ne vti poſſint Bullis Cruciatæ, Iubilæis, aut Confeſſionalibus, addit; *Si quando autem vſus aliquarum ex præfatis facultatibus perſonis ex dicta Societate ab eiſdem Societatis Superioribus concedetur, vt nulli earum liceat, niſi intra numerum eorum, qui ad confeſſiones perſonarum eiuſdem domus, aut Collegij audiendas deputati ſunt, Confeſſarium eligere; niſi ratione itineris, aut alia de cauſa ab eiſdem Superioribus alijs Confeſſarijs intra, aut extra Societatem confitendi facultas ad id ſpecialiter daretur, &c.* Ergo non licet eis per Bullam Cruciatæ cum alio, quàm cum deputatis à Superioribus, confiteri.

210 Nego conſequentiam, loquendo de Confeſſione non reſeruatorum. Nam Gregorius manifeſtè agit de reſeruatorum confeſſione; quod patet,nam,vt quis confiteatur de non reſeruatis cum Confeſſariis à Superiore deputatis, & abſoluatur ab illis,non indiget vſu Bullæ Cruciatæ, Iubilæi, aut Confeſſionalis, nec licentia vtendi prædictis priuilegiis; igitur cum Pontifex loquatur de vſu Bullæ Cruciatæ, vel ſimilium indultorum cum licentia Superiorum, & declaret, debere confiteri Religioſum Societatis eo caſu Confeſsario deſignato à Superioribus, loquitur de confeſſione reſeruatorum. Deindè loquitur in caſu, in quo Superior facultatem vtendi eiuſmodi indultis præſtet, in præſenti autem non præſtat Superior facultatem vtendi Bulla quoad non reſeruata, ſed Pontifex: ſuperflua enim eſset Superioris facultas, vt quis vteretur Bulla ad hoc, vt à non reſeruatis abſolueretur per Confeſsores ab ipſo deputatos, cum abſque facultate hac poſſint Regulares omnes abſolui per illos à non reſeruatis. Denique hoc argumento pariter

pariter poſſet intendi, nec per Iubilæum extraordinarium poſſe Religioſos Societatis abſolui à quibuſcũque peccatis, niſi per Confeſſores deputatos, hoc autem nec aduerſarij concedunt. Si dicant, per eiuſmodi Iubilæum derogari huic Gregorij Decreto, pariter ego aſſeram, ei derogari per conſtitutionem Vrbani VIII. iuxta *ſuperiùs* dicta. Sed hæc ſolutione opus non eſt, cum certum ſit, Gregorium in verbis relatis agere de reſeruatis.

DISPVTATIO XXV.

De electione Confeſſarij conceſſa per Bullam Cruciatæ quoad abſolutionem à cenſuris.

Verba Bullæ Cruciatæ tam Latinæ, quàm Hiſpanæ, circa abſolutionem à cenſuris appoſuimus *ſuprà in proœmio, diſput.* 22.

CAPVT I.

Aliqua de cenſuris prælibantur.

1 VT rectiùs hoc Bullæ priuilegium explanetur, breui aliqua de cenſuris aut certa, aut mihi probabiliora, ex doctrina Authorum decerpta, ſupponemus, non diſputabimus; non enim hoc noſtri inſtituti eſt, fuſiſque tractatibus à pluribus Authoribus exponitur. Erat olim cenſura inter Romanos ſententia Cenſoris mores corrigentis, indeque, vt annotat P. Layman *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 1. tranſlata eſt ea vox ad ſignificandam cenſuram Eccleſiaſticam, quæ eſt pœna ſpiritualis, per quam homini baptizato delinquenti, ac contumaci, aufertur per Eccleſiaſticam poteſtatem vſus quorumdam bonorum ſpiritualium. Itaque ſolus Prælatus Eccleſiaſticus iuriſdictione gaudens poteſt ferre cenſuras; omnis tamen eiuſmodi Prælatus poteſt; *c. ab Eccleſiarium, de officio Ordinarij*; & communis cum D. Th. *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 2. *art.* 2. *q.* 2. Et qui cenſuras poteſt de iure ordinario ferre, valet poteſtatem alteri capaci delegare; *c. præterea, de officio delegati*; P. Suarez *de cenſur. diſp.* 2. *ſec.* 3. cum communi. Imò poteſt conſuetudine iuriſdictio ferendi cenſuras acquiri, cenſeturque à Pontifice concedi, vt docet Mercerus *in* 3. *p. q.* 21. *dub.* 3.

2 Nequit fœmina ferre cenſuras, quamvis Abbatiſſa ſit, quia eſt incapax iuriſdictionis Eccleſiaſticæ; *cap. noua, de pœnit. & remiſſ.* Vnde communis docet, nec Pontificem poſſe ei committere eam poteſtatem, contra Cornejo *in* 3. *p. tr.* 5. *diſp.* 2. *dub.* 3. Laicus etiam nequit ferre cenſuram; quin, vt obſeruat Portocarrero allatus à Dian. *p.* 4. *tr.* 1. *reſ.* 98. non poteſt nec incidenter de cenſuræ nullitate cognoſcere, aut cogere Prælatum, ne excommunicet, vel tollere è ianuis trãſcriptum cenſuræ, ne ſeruetur; quidquid dicat Pereira *de manu regia, c.* 7. *n.* 27. Cenſura ſolùm poteſt ferri in hominem viatorum, baptizatum, ſubditum, rationis, ac doli capacem. De quibus vide Layman *vbi nuper, c.* 4. Suarium *de cenſur. diſp.* 3. Nauarrum *c.* 27. *lib.* 5. *conſil.* 1. *de ſent. excomm.* Coninch *diſp.* 13. *dub.* 6. Turrian. *de cenſur. lib.* 2. *diſp.* 23. Caſtro Palao *tom.* 1. *art.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 24. P. Buſembaum *in medull. Theolog. moral. lib.* 7. *c.* 1. *dub.* 3. & alios paſſim. Cenſura ſemper fertur propter peccatum. An autem peccatum veniale ſufficiat ad incurrendam cenſuram, & quodnam mortale ſit neceſſarium, prolixa eſt in quavis cenſura in particulari ſumpta diſputatio inter Authores; lege *nuper* relatos, & Præpoſitum *in* 3. *p. q.* 1. *dub.* 6. Hurtad. *de cenſur. difficult.* 10. & 42. Fabrum *in* 4. *diſt.* 25. *q.* 1. *diſp.* 5. *cap.* 2. Caietanum *verbo ſuſpenſio*; Henriquez *lib.* 13. *cap.* 50. & alios paſſim.

3 Eſt autem prærequiſita contumacia, vt cenſura incurratur; quare nequit ferri ob peccatum iam præteritum, cum ſit opus admonitione rei, & quòd reus noſcens cenſuram nolit parere. Sic communis cum Soto *in* 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 1. *art.* 2. Et deſumitur ex *c. Romana, de ſentent. excom. in* 6. Nec ſenſiſſe Dianam oppoſitum, rectè oſtendit Auſonius Noctinot. *in ſumma Dianæ, part. priori, verbo cenſura, num.* 22. Hinc committens peccatum, cui annexa eſt cenſura, quæ purè cenſura eſt, & illam ignorans non incurrit cenſuram. Et in ſententia docente, aliquas irregularitates eſſe cenſuras, non fiet irregularis, qui committit peccatum, cui annexa eſt irregularitas, cum ignorantia illius; ſecùs ſi irregularitas non ſit cenſura, ſed pura inhabilitas, quæ abſque cognitione illius incurritur, qualis eſt irregularitas ex bigamia, ex defectu natalium, & ſimiles; ſicut etiam incurritur ea, quæ ſimul eſt pœna, & inhabilitas, qualis eſt irregularitas ex homicidio.

4 Cenſura alia eſt à iure, alia ab homine. Cenſura à iure, quæ lege, vel ſtatuto lata eſt, aut reſpectu omnium fidelium, quales extant plures in iure Canonico, & in Conciliis generalibus, alijſque in conſtitutionibus; vel reſpectu vnius Regni, Prouinciæ, Diœceſis, aut Religionis. Cenſura ab homine, eſt, quæ per Iudicis fertur ſententiam; differtque à prima, quòd illa ex ſe perpetua eſt, niſi abrogetur, hæc verò amittit ſuam vim, iudice, aut Prælato moriente. Ita Gloſſa *in cap. A. nobis* 1. *de ſentent. excommun.* Cenſura ab homine aut eſt generalis, aut nominatim inflicta; hæc reſpicit perſonam determinatam, in quam nominatim fertur; illa verò in communi quam

Digitized by Google

quamcumque perſonam tale crimen patrantem. Cenſura autem tam à iure, quàm ab homine aut eſt latæ ſententiæ, aut ferendæ, quæ vocari ſolet, *ad terrorem*; illa incurritur ſtatim, ac crimen patratur, hæc verò minimè, niſi accedat Iudicis ſententia, vt poteſt ob inobedientiam, & contumaciam, in parendo. Quando verò ſit cenſura latæ ſententiæ, dignoſcitur ex formula, qua infligitur vt ſi in ea extent aliqua ex his verbis: *Excommunicamus, ſuſpendimus, interdicimus. Sub pœna talis cenſuræ ipſo facto incurrendæ. Sub tali cenſura lata ſententia. Qui hoc fecerit, ſciat, ſe in talem cenſuram incurrere.* De his vide P. Auilam *de cenſur.part.2. cap.1. diſp.vnic.* Alfonſum de Caſtro *lib.2. de leg. pœnal.cap.1. & 6.* Coninch. *de Sacram.diſp.*13.*dub.*2.Th.Sanchez *de matrim.lib.*7.*diſp.*22.*n.*2.

5 In dubio, an cenſura ſit latæ ſententiæ, vel ferendæ, cenſeri debet ferendæ, nam odia ſunt reſtringenda. Ita cum aliis Diana *part.* 4.*tr.*3.*reſol.*16. In dubio, an quis ſit cenſura irretitus, tutius eſt, petere abſolutionem ſub conditione; ſed, quia melior eſt conditio poſſidentis, ſecluſo ſcandalo, ſiuè dubium ſit iuris, ſiuè facti, non debere quem reputare ſe cenſura innodatum docet P. Tannerus *to.* 4. *diſp.*6.*quæſt.*10.*dub.*4.*num.* 60. cum aliis; aduerſus Molinam *tom.* 4. *de iuſtit.tr.*3.*diſp.* 67. *num.*7. id negantem in dubio facti. Videatur Diana *part.* 4. *tr.* 3. *reſ.* 35. & 66. Ac etiam *part.*5.*tr.*9.*reſol.*44.

6 Poteſt cenſura ferri ſub conditione, nec ante impletam conditionem incurritur; *cap. prætereà, de appellat.* Poteſt etiam ſub disiunctione hæc, vel illa ferri, aſſerente iudice, *Præcipimus hoc ſub pœna excommunicationis, aut ſuſpenſionis*; illaque ex intentione ferentis ligabit, quam velit reus. Sic Turrian. *de cenſur. lib.*1. *diſp.*4. *dub.*1. quidquid dicat Gordonus *tom.*2.*lib.*7.*q.*5.*c.*1.*n.*5. Peccare autem iudicem ferentem ſub disiunctione cenſuras, eo quòd ſit contra rationem pœnæ, vt arbitrio delinquentis relinquatur, docet Cornejo *in* 3. *p.tr.*5.*diſp.*5.*dub.*4. Quando verò poſſit à cenſura appellari, tractant P. Auila *de cenſur.p.* 2.*c.*5. *diſp.* 5. *dub.* 11. & alij Authores allati à Diana *p.*5.*tr.*9.*reſol.*64. Suar. Gaſpar. Hurtado, & alij communiter.

7 Cenſura ſolùm eſt triplex; Excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum, iuxta vulgarem textum in *c. Quærenti. de verborum ſignificat.* Tenent Panormitanus, Armilla, Nauarrus, Immola, Romanus, Cardinalis, quos refert, & ſequitur Anto. Gom. *in explic. Bull. ad decimam clauſulam n.* 30. Acoſt. Villalob. Suar. Sanch. Auila, & alij innumeri, quos citat Diana, *part.* 1. *tr.* 11. *reſ.* 27. & *part.*4.*tr.* 2. *reſ.*81. Layman *tom.* 1. *tr.*5. *part.* 1. *cap.* 2. Trullench *in Bull. lib.* 1. §. 7. *cap.*2. *dub.*8. At non defuerunt, qui aſſererent, etiam eſſe cenſuras ceſſationem à diuinis, & irregularitatem; Ita Sotus *in* 4.*diſt.*22.*qu.*3. *art.*1. Sylueſt. & Tabiena *verbo irregularitas*, Cæterùm de irregularitate proueniente ex mero delicto, & quæ ſit pura pœna (non verò de ea, quæ non eſt pœna, ſed inhabilitas pura, aut ſimul inhabilitas, & pœna) eſſe cenſuram, tuentur Cornejo *in* 3. *p.tr.*5. *diſput.*1. *dub.*2. *difficult.* 2. & hanc ſententiam eſſe inter Thomiſtas communem, aſſeuerat Cruz *part.*2.*tr. de irregularit. dub.* 15. *concl.* 2. Sed concluſio noſtra eſt communior, & verior, atque ex *eo c. Quærenti,* firmiter probatur; & quia irregularitas, ac ceſſatio ſunt purè quædam canonicæ pœnæ; atque adeò conceſſa facultate abſoluendi à cenſuris, nequit abſolui ab irregularitate, vt conſtat ex communi Curiæ ſtylo, quem Authores afferunt, & notant Nauarr. *in manual. c.*27. Villadiego *de irregularit.colum.*43. Prætereà qui violando cenſuram, celebrat, fit irregularis; non autem fit irregularis, qui violat ceſſationem, igitur, quia hæc non eſt cenſura. Videantur relati Authores latè hoc punctum agitantes. De irregularitate prælibauimus plura *diſp.*10. de interdicto autem & ceſſatione *diſput.*15. Nunc aliqua de excommunicatione ac ſuſpenſione attingemus.

8 Excommunicatio eſt cenſura, qua quis ab Eccleſiæ communione ſeparatur. Alia eſt maior, alia minor. Hæc ſolum priuat receptione Sacramentorum; *cap. ſi quidem de excommunic. cap.* 2. *de except. cap. vlt. de cleric. excommunic.* Illa verò, quæ ingens eſt adeò pœna, qua nulla maior in Eccleſia eſt, vt inquit S. Auguſt. relatus *in c. corripiantur* 24.*q.* 3. priuat communione Sacramentorum actiua, & paſſiua, fidelium commercio, Eccleſiæ ſuffragiis, ſepulturaq; Eccleſiaſtica; qui effectus vulgari verſiculo continentur; *Os, orare, vale, communio, menſa negatur.* Qui communicat cum excommunicato vitando, incurrit excommunicationem minorem, qua liberatur, ſi aliquā habeat communicandi cauſam, aut excuſationem ex contentis in alio vulgato verſiculo, *Vtile, lex, Humile, Res ignorata, Neceſſe.* Si verò excommunicatus vitandus, ſit irretitus excommunicatione participantium, qui cum eo communicauerit in crimine crimìnoſo, ſeu in eo, propter quod eſt excommunicatus, eamdem maiorem excommunicationem incurrit. Excommunicatus autem vitandus dumtaxàt eſt publicè denuntiatus, & publicus Clerici percuſſor. Cæteri nuncupantur excõmunicati tolerati, cum quibus poteſt abſque pœna excommunicationis quilibet communicare.

9 Quomodo hi effectus excommunicationis maioris ſint intelligendi, deſcendendo ad plures caſus in particulari; & quo pacto cauſę excuſantes communicationē cum excõmuni-

Digitized by Google

cato vitando ſint percipiendæ; quis item dicatur publicus Clerici percuſſor, & plura alia, longe diſputatur, ac exponitur à Summiſtis *verbo excommunicatio*; à Iuris Canonici peritis in *tit. de ſententia excommun. in Decretalibus, & in Sexto; & in tit. de Clerico excommun.* ab aliiſque *in tr. de cenſur. excommun.* Videri poſſunt Summa Dianæ, *verbo excommunicationis effectus*; P. Vazquez *tom.* 3. *in* 3. *p. diſp.* 217. *c.* 3. Suarez *de cenſur. à diſp.* 9. Mercerus *in* 3. *p. q.* 21. *dub.* 3. Megala *in* 3. *p. lib.* 1. *cap.* 2. Auila *par.* 2. *cap* 6. *diſp.* 9. Filiucius *tom.* 1. *tra.* 12. *c.* 2. Layman *tom.* 1. *tra.* 5. *part.* 2. *cap.* 2. Gordonius *tom.* 2. *lib.* 7. *q.* 8. *c* 2. Turrianus *de cenſur. lib.* 2. *de excommun. diſp.* 11. Gaſpar. Hurt. *de excommun. diſp.* 3. *& ſeq.* Coninch *de Sacr. diſp.* 14. *dub.* 7. Bonacina *de cenſur. diſput.* 2. Faber *in* 4. *diſt.* 25. *q.* 1. *diſp.* 4 Præpoſitus *in* 3. *p. q.* 2. *dub.* 8. Leſſius *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 16 *dub.* 9. *num.* 79. Cornejo *in* 3. *p. tr.* 5. *diſp.* 16. Sotus *in* 4. *diſtinct.* 1. *q.* 5. *art.* 6. T. Sanchez *in ſum. t.* 1. *lib.* 2. *c.* 9. Henriquez *lib.* 13. *c.* 5. Vulpe *in praxi iudic. fori Eccleſiaſtici cap.* 1. Villalob. *t.* 1. *tr.* 17. Bizozerius *part.* 2. *cap.* 1. & pro coronide D. Thom *in* 4 *diſt.* 18. Apud eos omnes reperies diſperſos, aut in vnum collectos varios caſus circa excommunicationis effectus, & communicationem cum excommunicato, in politicis, in ciuilibus, & in ſacris.

10 Excommunicatio, ſicut de cenſura in communi diximus, alia eſt à iure, alia ab homine; & hæc alia eſt ſpecialis, alia generalis; & vtraque alia reſeruata, alia non reſeruata. Excommunicationes à iure extant in variis Iuris locis, aliiſque in conſtitutionibus, & Bullis Pontificum, & in Bulla Cœnæ Domini excommunicationes maxima reſeruatione Pontifici reſeruatæ. Debet Confeſſarius omnium notitia eſſe præditus, vt ſciat, an & quam excommunicationem pœnitentes incurrerint, & vtrùm poſſit ab ea abſoluere. Perlegat eas apud Cardinalem Toletum *in ſum. lib.* 1. *à cap.* 19. *in ſum.* Dianæ *verbo excommunicationes aliquot*; apud P. Ioſephum Auguſtinum *in ſum. verbo caſus reſeruati*; & apud Bonacinam, Suarium, Auilam, & alios *ſuprà* citatos. Apud quos etiam cernes, quod ſit ſubiectum excommunicationis, nempè illum ipſum hominem, quem aſſeruimus eſſe ſubiectum cenſuræ; item neceſſariò fore perſonam, nam Collegium, Congregatio, aut Communitas nequeunt excommunicari; prætereà quam obligationem habeant ipſi excommunicati, etiam tolerati, vitandi communicationem fidelium in rebus non neceſſariis; rurſùs quod peccatum ſit, & quæ excommunicatio incurratur propter communicationem in ſacris cum excommunicato vitando; demùm quam pœnam ſubeant, & quam culpam committant excommunicati ſacris ſe immiſcentes; & quid iuris ſit circa collationem, ſeu obtentionem Beneficij, perceptionemque fructuum Eccleſiæ reſpectu excommunicati; & alia huiuſmodi, quæ non ſunt noſtri muneris, ſufficitque prælibaſſe.

11 Suſpenſio eſt cenſura, per quam perſonæ Eccleſiaſticæ impeditur vſus alicuius poteſtatis, aut iuris Eccleſiaſtici. Non quidem tollitur ipſa poteſtas, iuriſdictio, aut ius, ſed vſus illius. Et vel eſt totalis ſuſpenſio, vel partialis; totalis verò aut eſt ſimpliciter talis, nempè ab officio, & beneficio. Totalis autem non ſimpliciter eſt aut ab officio ſolùm, aut ſolùm à beneficio. Suſpenſio totalis ab officio impedit omne ſpirituale munus tum ordinis, tum iuriſdictionis, imò & Eccleſiaſticæ adminiſtrationis. Totalis à beneficio impedit adminiſtrationem cuiuſvis beneficij Eccleſiaſtici, & fructuum perceptionem. Suſpenſio verò partialis impedit vel vſum Ordinis, vel iuriſdictionis, vel partis beneficij; aut vſum alicuius actus Ordinis, ſiue iuriſdictionis. Rurſùs ſuſpenſio vel eſt à iure, vel ab homine, ſicut diximus de cenſura in communi, & de excommunicatione. Suſpenſiones à iure vide apud Cardinalem Toletum *in ſum. lib.* 1. *à c.* 47. & ſummam Dianæ, *verbo Suſpenſiones aliquot in particulari.* Prætereà ſuſpenſio vel eſt perpetua, vel ad tempus. Et quidem in ſuſpenſione, quæ non eſt totalis ſimpliciter, qui eſt ſuſpenſus ab aliquo vſu, non manet ſuſpenſus quoad alios. Suſpenſioque, ſicut & quævis cenſura, ſtrictè interpretanda eſt vtpotè odioſa; reſtringendaque quoties ex reſtrictione abſurdum non ſequatur. Conſule Layman 1. *t. tr.* 5. *part.* 3. *c.* 1.

12 Suſpendi poteſt quis abſque culpa propria, vt tenet D. Thom. *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 2. *art.* 3. *ad* 2. non quidem ita vt ipſe ſolùm in particulari ſuſpendatur, ſed quando ſuſpenditur ſimul Collegium, aut Communitas, ſufficit enim tunc culpa plurium, imò ſolius Superioris; *cap. ſi ſententia, de ſentent. excomm. in* 6. Et quidem ſuſpenſio non priuat bonis ſpiritualibus pertinentibus ad animam propriam, vt rectè obſeruat Diana *part.* 5. *tr.* 10. *reſ.* 22. atque adeò non eſt propriè punitio reſpectu innocentis; quo reſpondetur obiectioni deſumptæ ex *cap.* 2. *de conſtit.* quòd nemo debet puniri ob culpam alterius; quo motùs contrarium huic noſtro aſſerto tuetur Caietanus *in ſum. verbo Suſpenſio.*

13 Ille, qui poteſt cenſuras ferre, & excommunicare, non verò alius, poteſt ſuſpendere; quare, dum quis à Confeſſario, vel ob aliquã causã, impeditur, ne exerceat aliquod munus Eccleſiaſticum, neutiquam eſt ſuſpenſus. Non omnis, qui excommunicari poteſt, etiã poteſt ſuſpẽdi, cum ſola perſona Eccleſiaſtica capax ſit ſuſpenſionis. Epiſcopi autem nullam incurrunt

Digitized by Google

runt ſuſpenſionem à iure, niſi in ipſo exprimantur; *c. quia periculorum, de ſentent. excommun.* iuncta ibi gloſſa, *verbo ſuſpenſi.* Suſpenſio, quę in aliquem in particulari fertur, debet eſſe propter culpam lethalem; poteſt autem aliquando propter venialem. Ita Nauarrus *in ſum. cap. 7. n. 169.* tunc autem debebit eſſe leuis ſuſpenſio, ſicut & culpa; argumento *leg. reſpiciendum, ff. de pœnis.* Poteſt ferri ſuſpenſio, quæ non eſt ob contumaciam, in delinquentem non contumacem, in quo ab excommunicatione differt; Ita Innocentius *in c. peruenit, de exceſſib. Prælator. num.* 3. Abbas *in c. reprehenſibilis, de appellation. num.* 4. Toletus *vbi ſuprà cap.* 44. *n.* 4. Eſt tamen neceſſarium ad ſuſpenſionem, vt delinquens citetur, & de crimine conſtet. Gloſſa *in Clementina Præſenti, de cenſibus, verſic. conſtiterit.*

14 Suſpenſus ab aliquo vſu muneris Eccleſiaſtici, ſi illud exerceat, grauiter peccat; argumento *text. in c. 1. de maiorit. & obedient.* Suſpenſus ab ordine, ſi eum Ordinem exerceat, manet irregularis; infertur id *ex c. 1. de ſētent. excom.* At ſuſpenſus ab adminiſtratione Sacramentorū, ſi baptizaret infantem, nō ſolemniter, ſed vt laicus, non incurreret irregularitatem, vt *in eo c.* annotauit Hoſtienſis. Nec manet irregularis Concionator à concionando ſuſpenſus, ſi cōcionem ad populum faciat; peccat tamen, & contrahit excommunicationem; *Clement. Cupientes, § Quibus, circa finem, de pœnis.* Prætereà ſuſpenſus non poteſt communicare cum aliis in his, in quibus eſt ſuſpenſus, peccabitq; ſi communicet, imò & cæteri, qui cum eo communicauerint in illis, vt qui accipiant Sacramenta à ſuſpenſo ab adminiſtratione Sacramentorum, non tamen accipientes incurrunt irregularitatem; Ita Bonacin. *de cenſur. diſp. 3. punct. 4. n. 6.* Nec irregularis fit clericus ſuſpenſus ab officiis diuinis ſi eis aſſiſtat vt laicus; Sic contra Syluestrum, docet P. Filiucius *t. 1. tr. 17. c. 2. n.* 33. Nec fit irregularis Epiſcopus ſuſpenſus à Pontificalibus, ſi in Pontificalibus celebret; nam, vt ait P. Auila *part. 7. diſp. 9. ſec. 2. dub. 2.* ille non eſt ſuſpenſus à ſubſtantia celebrationis, ſed à ſolemnitate. Rursùs non incurrit irregularitatem ſuſpenſus ab Ordine, ſi ad aliū Ordinem aſcendat, nam hoc non eſt exercitū Ordinis.

15 De ſuſpenſione plura apud Authores reperies; hæc attigiſſe ſufficiat, vt aliqua notitię luce dicenda illuſtrētur. Conſule ſummiſtas *verbo Suſpenſio,* Bonacin. Nauarrum, Hoſtienſem, Abbatem, Innocentium, Filiucium, Dianam, Auilam, Toletum, & præcipuè D. Thomam *locis nuper citatis,* Layman, *ſuprà à cap. 1.* Sayrum *lib. 4. theſauri c. 1.* Coninch *tr. 2. diſp. 15. dub. 1.* Henriq. *lib. 13. cap.* 31. Th. Sanchez *de matrim. lib. 3. diſp. 51. n.* 12. Fabrum *in 4. diſt. 25. quæſt. 1. diſp. 6. cap. 1.* Villalobos *tom. 1. tract. 18. diffic.* 4. Mercerum *in 3. p. q. 24. dub.* 1. Cornejo *in 3. p. tr. 5. diſp. 3. dub. 2.* Præpoſitum *in 3. p. quæſt. 3. dubit.* 5. Suarium *de cenſur. per plures diſp.* Tannerum *tom. 4. diſput. 6. q. 10. dub.* 7. Victoriam *de Clauibus num.* 227. Megalium *in 3. part. lib. 5. capit. 2. quæſt.* 1. Gaſparem Hurdato *t. de cenſur. vbi de ſuſpenſione.* Quibus in locis vel omnia, quæ ad ſuſpenſionem attinent, vel aliquos caſus particulares reperies.

16 Accedamus iam ad abſolutionem à cenſuris, in quo longiuſculè immorabimur, nam propiùs concernit hæc veſtigatio præſentem diſputationem de abſolutione per Bullā. Omnes illi, qui poſſunt ligare cenſuris fideles cōmuniter poſſunt eos ab illis abſoluere. Plures etiā, qui ligare non queunt, abſoluere valent. A cenſuris reſeruatis ſolus reſeruans, vel ex indulto illius, abſoluere poteſt. Sic Religioſi Confeſſores ex noſtra Societate ex conceſſione Pauli III. poſſunt abſoluere quoſcumq; fideles ab omnibus cenſuris reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, exceptis his, quæ in Bulla Cœnæ continentur, imò & ab aliquibus in Bulla Cœnæ contentis, vt conſtat ex Compendio priuilegiorum Societatis IESV *verbo Abſolutio, à § 1.* Cenſuras autem poſſe reſeruari, conſtat ex dictis *diſp. 22. c. 2.* de reſeruatione peccatorum, quæ cenſuris omnino aptanda ſunt. Sed quia non ijdem, & eodem modo poſſunt abſoluere ab omnibus ſpeciebus cenſurarum, ideò de ſingulis oportet diſtinctè breuem doctrinam apponere.

17 Supponendum eſt, ante abſolutionem à peccatis, præmittendam eſſe abſolutionem à cenſuris, quæ impediunt receptionem Sacramenti pœnitentiæ, qualis eſt excommunicatio. Deinde ſupponi debet, abſolutionem à cenſuris conferri poſſe extra Sacramentum pœnitentiæ, ſiuè à Sacerdote Confeſſario, ſiue ab alio, qui iuriſdictionem ordinariam aut delegatam abſoluendi à cenſuris habeat, qui poteſt non eſſe Confeſſarius. His poſitis, incipiendoque ab excommunicatione, quilibet ſimplex Sacerdos poteſt abſoluere ab excommunicatione minori, vt docet contra Tannerum Gaſpar Hurtado *de excom. diſp. 16. diffic. 2. n.* 10. Imò ex delegatione poteſt quilibet clericus, vt tenet cum aliis Diana *part. 5. tr. 9. reſ.* 3. Ab excommunicatione maiori à iure non reſeruata poteſt abſoluere Parochus, & quivis Sacerdos proprius (& à fortiori hi, qui fuerint Superiores illis, vt Vicarius Epiſcopi, Epiſcopus, &c. quod dictū intellige in ſimilibus, proportione ſeruata) Ita contra Couarruu. tuetur cum communi Layman. *t. 1. tr. 5. p. 2. c. 6.* Facultatem autem hanc Epiſcopi habēt ordinariam, ſuo muneri à iure annexam, ideóque delegare poteſt illam; non verò poteſt Parochus directè, ſed indirectè, dum

Digitized by Google

dum delegat alicui Sacerdoti approbato iuriſdictionem abſoluendi à peccatis ſuas oues ei Sacerdoti à iure, intelligitur conceſſa facultas abſoluendi ab eiuſmodi excommunicatione; vt notat P. Suarez *de cenſur. diſputat.* 7. *ſect.* 4. *num.* 15. Coninch, Syluester. & alij. Parochus verò habet eam facultatem ex commiſſione Pontificis; *cap. nuper, de ſentent. excomm.*

18 Ab excomminicatione reſeruata ſolus reſeruans, vel ex indulto illius poteſt abſoluere. A cenſuris reſeruatis Epiſcopo poſſunt virtute ſuorum priuilegiorum abſoluere Regulares, quia hoc eis nō eſt prohibitum, vt *in ſuperioribus* diximus de abſolutione à peccatis Epiſcopo reſeruatis. Ita Megala *in* 1. *p. lib.* 1. *c.* 3. *n.* 10. At hoc prohibitum fuiſſe à Clemente VIII. docet Marullus *t.* 1. *diſp.* 1. *c.* 2. *diſt.* 4. *n.* 575. Sed vide dicta *diſp.* 23. *n.* 48. Ab excommunicatione ſpeciali ab homine, ſolus ille, qui eam inflixit, abſoluere poteſt pro foro externo communiter loquendo; de quo tamen *infrà c.* 14. ſermo redibit. Ita Cardinalis Toletus *in ſum. lib.* 1. *c.* 16. *n.* 7. cum communi. Superior autem illius, qui excommunicauit, poteſt abſoluere, niſi conſuetudo contraria ſit; debet verò, niſi vrgeat neceſſitas admonere iudicem inferiorem, qui excommunicauit, ſubditis iura ſua ſeruando; teneturque citare partem, ſi ad inſtantiam illius fuit prolata excommunicatio; ſi ſecùs faciat, illicitè, ſed validè abſoluet, vt obſeruat Abbas, & alij *in c. Qua fronte, de appellation.*

19 Ab excommunicatione lata ab homine generaliter non reſeruata poteſt abſoluere idem qui poteſt ab excommunicatione à iure non reſeruata, de qua *n.* 17. Sic plures, quos refert, & ſequitur Diana 5. *p. tr.* 9. *reſ.* 4. Ab excommunicatione occulta reſeruata Papæ poteſt iuxta Tridentinum Epiſcopus abſoluere; Et etiam à publica, quando excommunicatus nequit adire Pontificem: *c. De cætero, de ſentent. excommun.* Etiam ſi excommunicatus poſſit impetrare abſolutionem à Pontifice per Procuratorem, aut epiſtolam, vt contra Bonacinam tuetur Hurtado *de excommun. diſp.* 15. *diffic.* 3. *n.* 10. quia ad id non obligatur à iure, & ob eamdem rationem non tenetur adire Nuntium Pontificis, aut alium, qui facultatem à Pontifice habeat abſoluendi à cēſuris huiuſmodi reſeruatis, debet tamen Epiſcopus iniungere excommunicato, cum abſoluitur, vt ceſſante impedimento, ſe Pontifici perſonaliter, aut per Procuratorem præſentet ſub pœna reincidentiæ, dum tamen is non ſit impubes. Imò iuxta Tannerum *tom* 4. *diſp.* 6. *quæſt.* 10. *dub.* 6. *num.* 121. ſtante impedimento adeundi Papam, aliumvè eius vices habentem, & etiam adeundi Epiſcopum, poteſt Parochus ab ea excommunicatione abſoluere, quin & quilibet Cōfeſſor, ſi parochus deficiat.

20 Cæterùm impedimenta, quæ excuſant ab aditū ad Pontificem, vt à Doctoribus enumerantur, ſunt, periculum mortis in itinere; *c. ſi quis ſuadente, de ſentent. excommun.* Paupertas, qua quis cogeretur in itinere mendicare; *c. ea noſcitur, eodem titulo.* Infirmitas longa, *cap. quod de his, ibidem.* Ætas, ſeu ſenilis, ſeu impubes; *dicto capite, ea noſcitur & cap. quamuis eodem tit.* Sexus fœmininus *cap. Mulieres, ibid.* Subiectio filij familias ad patrem, & ſerui ad dominum, quando ſine patris, aut domini præiudicio non poſſunt filius, vel ſeruus Pontificem adire; *cap. relatum, ibid.* Cura animarum, aut temporale dominium, ſi ſubditorum iactura timeatur *cap. ne pro dilatione, de pænit. & remiſſ.* Debilitas in viris delicatis non valentibus incommoda itineris ſuſtinere; & debilitas in membris, vt in claudo, & cæco; *dictis c. quamvis, cap. ea noſcitur.* Demum quodlibet aliud arbitrio prudentis legitimum impedimentum. Videatur ſumma Dianæ *verbo Abſoluere à cenſuris, n.* 16.

21 Ab excommunicatione lata propter hæreſim quis abſoluere poſſit, videatur *ſuprà diſputatione* 23. Vbi de abſolutione ab hæreſi. Cum per Bullam Cruciatæ, aut priuilegia Regularium præſtatur abſolutio ab excommunicatione Papæ reſeruata, non eſt opus, vt ſi ſit impedimentum, ceſſante illo, quis ſe Pontifici præſentet. Si pluribus excommunicationibus quis ſit innodatus, vt poteſt, pluribus abſolutionibus indiget, præſtandis proportionatè ab eis, qui ab vnaquaque poſſit abſoluere, quòd ſi vnus, & idem ab omnibus poſſit, vnica abſolutione generali extendente ſe ad omnes poteſt eum abſoluere. Ab excommunicationibus reſeruatis Pontifici poſt Tridentinum, ſi ſint occultæ, adhuc poteſt Epiſcopus abſoluere, quia Tridentinum facultatem, quam conceſſit, non reſtrinxint, & fauores ſunt ampliandi. Ita Merolla *tom.* 1. *diſp.* 1. *c.* 2. *diffic.* 10. *num.* 527. & alij.

22 Aliquando per accidens, ſeu ex ſpeciali diſpoſitione iuris is, qui excommunicauit, nequit abſoluere; vt ſi iudex, qui excommunicauit, incidat in excommunicationem; alijſque in caſibus, quos recenſet Toletus *vbi ſuprà capit.* 16. *à numer.* 14. In foro externo cum ſtrepitu iudiciali nequit Epiſcopus in alieno territorio ſine licentia Ordinarij illius ſubditum excommunicare, nec abſoluere. Ita Calderinus *conſil.* 2. *de elect. & communis.* Is, qui excommunicationem incidit propter participationem in crimine crimineſo, ſeu communicationem cum excommunicato excommunicatione, quæ vulgo vocatur, participantium, ſolùm abſolui poteſt ab eo à quo ille alius. Sic Conuarruuias, *in capit. Alma mater,* §. 3. *n* 3.

13 Ad

Digitized by Google

23 Ad eſſentiam abſolutionis ab excommunicatione ſpectat, vt aliquo ſigno externo manifeſtetur, quia eſt actus iuriſdictionis, non tamen requiruntur verba, nec certa aliqua verborum formula; expedit tamen eam adhibere, quæ communiter in Eccleſia vſitatur. Ita Layman *vbi ſuprà cap.6.numer.*7. Ante abſolutionem ab excommunicatione propter crimen enorme, dum reus non ſit impubes, iuramentum exigendum eſt ab eo, quòd in poſterum ab eo crimine abſtinebit, ſic Th. Sanchez *in ſum.lib.2.cap.*13.*num.*17. & communis. Abſolutio in nullo foro eſt conferenda, niſi parti læſæ ſit ſatisfactum, quòd ſi reus realiter nequeat tunc ſatisfacere, cautionem pigroraticiam, aut fideiuſſoriam cogendus eſt præſtare, vel ſi eas non poſſit, iuratoriam. Sic Nauarr. *in manual. cap.* 26. *numer.*7. Abbas, Syluester, Henriquez, & alij Præſtita tamen abſolutè abſolutione, etiam ſi non ſatiſfaciat, non reincidit eo ipſo in excommunicationem. Imò ſi abſolutio præſtetur ante ſatisfactionem, aut cautionem ab habente iuriſdictionem ordinariam, illicita erit, ſed valida; *cap. venerabilibus*, §. *ſanè in fin. de ſent. excommun. in* 6. Poteſt autem quis abſolui ad reincidentiam, ita vt ſi aliquid non impleat, in eamdem reincidat excommunicationem, & ſic abſoluere poſſe etiam eum, qui excommunicare non poteſt (tunc enim in reincidentia cenſetur excommunicatio lata à primo excommunicante) docet Gaſp. Hurtado *de excommun.diſp.*14.*diffic.*3.*n.*14. Contrarium eſt tenendum.

24 Abſens poteſt abſolui ab excommunicatione. Sic Auila *part.* 2. *cap.* 7. *diſput.* 2. *dub.* 1. & communis. Inuitus etiam abſolui poteſt, quia excommunicatio eſt pœna, quæ inuito auferri valet. Ita Suarez *de cenſur. diſput.*7. *ſect.*7. Abſolutus ad reincidentiam pro tali tempore ad inſtantiam partis, ſi pars proroget terminum, non reincidit in excommunicationem, quia iudex deſignauit terminum in fauorem partis. Ita cum aliis Diana 5. *p. tract.*9.*reſ.*22.*&* 65. Dubius, an inciderit in excommunicationem, aut an ab ea abſolutus fuerit, abſolui poteſt, & in ſecundo dubio debet ad cautelam, vel ſub conditione; tenendaque eſt praxis communis Confeſſariorum abſoluentium ab excommunicationibus, à quibus poſſunt, ſub conditione, antequam abſoluant, à peccatis, ne hæc abſolutio inanis reddatur, ſi fortè pœnitens incapax ſit illius ob excommunicationem à ſe incurſam, cuius forte tunc non meminerit.

25 In articulo mortis (idem dic in periculo iuxta aſſerenda *in inferioribus*) quilibet Sacerdos poteſt abſoluere moribundum à qualibet cenſura, quantumvis reſeruata ſit; iuxta Tridentinum *ſeſ.* 14. *cap.* 7. Quod an competat ex iure diuino, an ex Eccleſiaſtico, controuertitur inter Canoniſtas, & Theologos. Videantur Durandus *in* 4. *diſt.*19. *q.*2. Toletus *in ſum. lib.* 1. *cap.* 15. & alij paſſim. Præſente confeſſario iuriſdictionem habente, non poſſe ſimplicem Sacerdotem abſoluere moribundum, ſententia eſt communior, & verior. Oppoſitum tamen docet Ledeſma *t.*1.*tract. de pœnit. cap.*14. *diff.*2. & vt probabile tenet Diana *pluribus locis.* Plura de his prælibauimus *diſp.*22. *cap.*1. quæ ibi videantur, vbi etiam attigimus, quis Sacerdos ſit præferendus, quando plures concurrunt, & quæ obligatio ſit comparendi, ſi quis abſoluatur in eo articulo à cenſuris à reſeruatis non habente aliunde iuriſdictionem, ſi fortè ſuperuiuat. Notandum tamen, nō eſſe reputandum periculum mortis quoad abſolutionem, ſi quis in ludum taurorū, aut haſtarum, vel in duellum ſe intromittat vt aduertere ſolent Authores. Notandum etiam, in articulo mortis non eſſe quem abſoluendum, niſi ſatisfaciat parti læſæ ſi poteſt, aut cautionem præſtet, ſi præſtare valeat.

26 Qui obiit excommunicatus, abſolui debet ab habente iuriſdictionem (non ab alio, cum tunc non detur periculum damnationis, vt in articulo mortis) vt ſepultura Eccleſiaſtica donetur; & gaudeat Eccleſiæ ſuffragiis; *cap. A nobis.* 2. *de ſentent. excom.* vbi Abbas, & Inocent. Dùm tamen ſigna contritionis dederit ante mortem, quorum ſit vnus teſtis. Sic Villalobos *tom.*1. *tract.*16. *diffic.*20. *num.* 20. Imò Fernandez *part.* 1. *docum.* 6. *num.*5. ait poſſe abſolui, & ſi ea ſigna non dederit, dummodo non cōſtet, obijſſe in peccato mortali. Quam opinionem vidi Salmanticę in praxi poſitam die 26. Decembris anno 1646. in grauiſſimo Collegio Veræ Crucis B. Mariæ de Mercede, ad quod delatum fuit cadauer cuiuſdam, qui excommunicatus fuerat interfectus, quin ſigna vlla contritionis præſtitiſſet, ibique abſolutum à cenſura, & ſepultura Eccleſiaſtica donatum fuit, approbantibus doctiſſimis Magiſtris eiuſdem Ordinis, qui ibi aderant. Et quamvis cenſeri poſſet, illum in lethali obijſſe, eo quòd iniuſtæ pugnæ vacaret, cum fuit occiſus, tamen piè exiſtimare potuerunt, aliquod ei inſtans temporis ſuperfuiſſe, quo actum contritionis eliceret; ita vt non poſſet aſſeuerari conſtanter, eum in peccato mortali vltimum ſpiritum exhalaſſe.

27 Laicum non poſſe abſoluere ab excommunicatione moribundum ſi deficiat Sacerdos, eſt communior, & verior ſententia. De qua videatur Cardinalis Lugo *tom. de pœnit. diſp.*18. *ſec.*1. *numer.*7. adducens pro illa Sotum, Couarruuias, Vazquium Suarium Thom. Sanchez, Villalobos, Coninch, Layman,

Digitized by Google

man, & alios. Oppoſita ſententia ob authoritatem ſaltem extrinſecam eſt probabilis; Nam eam tuentur Syluester, Armilla, Tabien. Auila, Regucius, Ioannes Sancius, vterque Ledeſma & alij, quos refert, & ſequitur Dian. 3. *p. tr.* 4. *reſ.* 1. 3. *& in addit. reſ.* 12. *&* 5. *p. tr.* 3. *reſol.* 77. *& tr.* 9. *reſol.* 7. Quod tenet de laico etiam hæretico; Et id in praxi exerceri debere, ait Marchinus *de peſte, par.* 3. *c.* 12. Si autem id fiat, monet rectè Trullench *in Bul. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 5. *n.* 7. defunctum fore iterum abſoluendum ab habente iuriſdictionem, ſi fieri poſſit; nam ſi laici abſolutio non valuit, eo quòd in re non ſit vera ea ſententia, non erit capax ille ſic abſolutus, vt fiat particeps ſuffragiorum Eccleſiæ. Inconueniens, quod in huius opinionis praxi poterat dari, eſt, ne iuriſdictionis Eccleſiaſticæ cerneretur abuſus; at dum tot Authores eam defendunt, ceſſat ex parte id inconueniens, & aliundè non eſt aliud incommodum, ſed plura commoda, quia fortè poſteà non aderit, qui habeat iuriſdictionem ad abſoluendum defunctum ab excommunicatione, vnde priuabitur Eccleſiæ ſuffragijs. Quare practicè eam conſulerem, dum abeſſet ſcandalum; quia ſæculares rudes, ac ignari, inuſitatam rem cernentes, poſſent in deſpectum iuriſdictionis Eccleſiaſticæ ad abſoluendum, dilabi.

28 Suſpenſio variis modis tolli poteſt. Si poſita ſit ad certum tempus, vel ſub aliqua conditione, elapſo tempore, vel adimpleta conditione, per ſeipſam ceſſat abſque abſolutione. Ita Gloſſa *in Clementin,* 1. *de decimis, verbo donec* P. Auila *par.* 3. *diſp.* 6. *dub.* 1. Couarruuias, Suarez, & alij. Suſpenſio propter contumaciam, ſeu inobedientiam per ſolam abſolutionem tollitur. Sic cum Suario P. Layman *tom.* 1. *tract.* 5. *part.* 3. *cap.* 4. Per ceſſationem ſolam à contumacia tolli eam ſuſpenſionem, defendit Megalius citatus à Diana 5. *part. tract.* 10. *reſol.* 25. Solus Epiſcopus, ſeu Epiſcopali iuriſdictione gaudens poteſt ab ea ſuſpenſione abſoluere, & ſolus Pontifex, ſi ei reſeruata ſit. Ita Nauarr. *in manual. cap.* 27. *num.* 161. Nec poſſunt alij Confeſſarij abſoluere à ſuſpenſione huiuſmodi, adhuc non reſeruata, ſine ſpeciali priuilegio, quale eſt Bullæ Cruciatæ; aut ſimile. Sic Pat. Henriquez, *lib.* 13. *cap.* 35. *numer,* 2. Cum autem conceditur priuilegium abſoluendi à cenſuris, vt communiter habent Regulares & de Religioſis Societatis IESV conſtat ex compendio priuilegiorum Societatis, *verbo Abſolutio*) quia ſuſpenſio eſt cenſura, poſſunt ab illa abſoluere; dum tamen ſit ſuſpenſio à iure, vel generalis ab homine, nam à ſuſpenſione ſpeciali ab homine, ſolus, qui eam impoſuit, aut ipſius Superior abſoluere queunt.

29 Docuit Præpoſitus allatus à Diana 5. *part. tract.* 10. *reſol.* 23. quemvis Confeſſarium poſſe abſoluere à ſuſpenſione non reſeruata, ſicut ab excommunicatione. Sed non rectè, cum nullibi ea iuriſdictio ei concedatur, nec ratio vrgens fuit, vt concederetur, cũ poſſit Confeſſarius abſoluere à peccatis pœnitentem ſuſpenſum, quin à ſuſpenſione abſoluat. E contra verò nequit abſoluere à peccatis, quin priùs abſoluat ab excommunicatione, quare oportuit, vt ſaltem poſſet abſoluere ab excommunicatione non reſeruata. Videatur Gaſpar Hurtad. *de ſuſpenſ. diff.* 12. *num.* 31. A ſuſpenſionibus reſeruatis Papæ, ſi ſint occultæ; poteſt Epiſcopus abſoluere, ſicut ab excommunicationibus. Is qui ſuſcepit Ordinem mala fide ante ætatem, aut extra tempora, vel ſine dimiſſoriis litteris, ſuſpenſus manet ab Ordinibus, etiam antecedéter ritè ſuſceptis, vt vult Nauarrus, vel vt alij cum P. Henriquez à ſolo Ordine malè ſuſcepto; Epiſcopus tamen poteſt hanc ſuſpenſionem tollere, vt tenet P. Suarez *de cenſur. diſputat.* 31. *ſect.* 1. *num.* 32. Prælati Regulares in quibus ſuſpenſionibus ſuorum ſubditorum diſpenſare queant, conſulantur cuiuſque Sacri Ordinis priuilegia, & Portellius *verbo Ordinis Sacri ſuſceptio.*

30 Modus hic vltimus tollendi ſuſpenſionem eſt per diſpenſationem, quando enim ſuſpenſio habet ſe vt pura pœna propter peccatum præteritum, poteſt per diſpenſationem tolli ab eo, qui eam inflixit, vnde ſi à iure ſit inflicta, poterit Epiſcopus diſpenſare in illa, dummodò non ſit reſeruata; ſi verò ab homine, ipſe; aut eius Superior diſpenſare valebit. Videatur Layman *ſuprà.* Si verò à iure impoſita ſit in perpetuum ſuſpenſio ſine ſpe relaxationis ordinariæ, vt pura pœna, nequit Epiſcopus diſpenſare, niſi ei ſpecialiter concedatur, quia author canonis ſibi eam pœnam reſeruat, dum eam ſtatuit irremiſſibilem. Ita Sylueſter *verbo ſuſpenſio, quæſt.* 8. & alij. Si autem ſuſpenſio, vt pura pœna ſtatuatur ſine determinatione temporis, & non ſit Pontifici reſeruata, poterit Epiſcopus diſpenſare. Ita P. Auila *de cenſur. part.* 3. *diſp.* 6. *concl.* 4. cum pluribus. At poteſt Epiſcopus, ſi ſuſpenſiones, quæ etiam ſunt puræ pœnæ, reſeruatę Pontifici, fuerint contractæ ob delictum occultum non deductum ad forum contentioſum, in eis diſpenſare, ſeu ab eis abſoluere iuxta ius nouum Tridentini *ſec.* 24. *cap.* 6. *de reformatione.* Notandumque, has voces *diſpenſare,* & *abſoluere* indiſtinctè in hac materia ſolere vſurpari, vnde ſuſpenſiones, quæ puræ pœnæ ſunt, etiam per abſolutionem tolli dicuntur. Hinc notant Auila *ſuprà dub.* 2. & Layman *eo cap.* 4. priuilegium conceſſum Religioſis Societatis, quod extat in Compendio

Digitized by Google

dio priuilegiorum ipſius Societatis *verbo Abſolutio*, abſoluendi à quibuſcumque cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis extendi ad omnes ſuſpenſiones iuris. Notandum prætereà, cum fuerit opus ſatisfaciendi parti læſæ, idem eſſe obſeruandum ante abſolutionem à ſuſpenſione, ac ante abſolutionem ab excommunicatione. Ita Henriquez *lib.* 13. *cap.* 35. *n.* 3.

31 Per appellationem ſubſequutam ſuſpenſio manet in ſuſpenſo præter ſuſpenſionem ab officio, & ingreſſu Eccleſiæ, *cap. is cui, de ſentent. excom. in* 6. ſecus eſt de appellatione poſt excommunicationem latam, hæc enim non ſuſpenditur: ita Gaſp. Hurtad. *de cenſur. diſp.* 13. *diffic.* 4. ſic verò ſuſpenditur excommunicatio ferenda. Ita Diana 5. *p. tract.* 9. *reſol.* 50. *in fin.* Quòd ſi Epiſcopus tollat ſuſpenſionem, vel interdictum ad reincidentiam per appellationem interpoſitam ſuſpenditur reincidentia, iuxta Alterium *de cenſur. tom.* 2. *diſp.* 3. *cap.* 2.

32 Ab interdicto reſeruato ſolus reſeruans, vel eius Superior, poteſt abſoluere. Si ſit interdictum locale, Ordinarius loci poteſt illud tollere, aut ſuſpendere per aliquot dies. Si fuerit interdictum poſitum vſque ad aliquod tempus, elapſo tempore, ceſſat: ſi interdictum ſit perſonale à iure, in quod quis ob aliquod delictum incurrerit, & non fuerit reſeruatum, poteſt Confeſſor ordinarius ab illo abſoluere, ſicut ab excommunicatione à iure non reſeruata, ob ſimilitudinem effectuum vtriuſque cenſuræ. Ita Mercerus *in* 3. *p. q.* 24. *dub.* 8. Cum autem in iure vſque ad certum tempus decernitur interdictum, nequit Ordinarius illud tollere. Videantur de his Cardinalis Toletus *in ſum. lib.* 1. *cap.* 92. Barboſa *in collect. tom.* 1. *lib.* 2. *tit.* 28. *cap.* 55.

33 Aliqui exiſtimarunt, interdictum latum propter contumaciam, ſicut etiam ſuſpenſionem, ceſſante contumacia, abſque alia abſolutione ceſſare: probabilius, & verius eſt oppoſitum; conſule Suarium *de cenſur. diſp.* 38. *ſec.* 1. Interdicta generalia tàm localia, quàm perſonalia à iure ſtatuta poſſunt ab Epiſcopo tolli, colligitur *ex cap. nuper, de ſent. excommun.* Nulla autem in iure reſeruata ſunt Papæ, niſi tacitè ea, quæ ad certum tempus ſtatuuntur. Ita P. Layman *tom.* 1. *tract.* 5. *part.* 3. *cap.* 5. Vbi rectè notat, eos, qui ex priuilegio Religionis (idem eſt de Bulla Cruciatæ) poſſunt ab interdicto abſoluere, non poſſe ab interdicto locali, aut perſonali communitatis, quia locus, & communitas non ſubiiciuntur foro conſcientiæ: Vlterius aduertit, eos, qui poſſunt abſoluere à cenſuris iuris, poſſe ab interdicto à iure non reſeruato, vel etiam reſeruato, ſi priuilegium ad hoc extendatur, ſicut extenditur noſtrum, vt videre eſt in Compẽdio priuilegiorum Societatis Iesv *verbo abſolutio*. Interdictum perſonale communitatis ceſſat, ſi communitas diſſoluatur, non verò locale, & ſi locus, nempè Eccleſia, aut ciuitas diruatur; Sic Suarez *vbi nuper*.

Mendo in Bull. Cruciat.

34 Irregularitas tollitur per diſpenſationem vel Pontificis, ſi ſit ei reſeruata, vel Epiſcopi, qui diſpenſare poteſt in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, dum non ſit ex homicidio voluntario contracta irregularitas. Vide *diſp.* 10. *ſuprà*: & de his conſule ſummam Dianæ, *verbo irregularitatis abſolutio, & diſpenſatio.* Vbi cernes, quæ irregularitates tollantur per baptiſmum, ac per profeſſionem Regularem in quibus poſſint diſpenſare Epiſcopi, in quibus Prælati Religionum cum ſubditis. Quæ verò noſtræ Societati conceſſa ſint circa hoc priuilegia, videatur in compendio priuilegiorum Societatis *verbo diſpenſatio*, & verbo *titulus*. Hic aduerte, Nuntium Pontificis facultatem habere diſpẽſandi in aliquibus irregularitatibus reſeruatis Pontifici, quæ autem ſint, ex ſtylo Tribunalis ipſius, eſt dignoſcendum: id nunc conſtat, in noſtra Hiſpania diſpenſare Nuntium Pontificis in irregularitate ob defectum natalium. Solent etiam legati à latere afferre facultatem diſpenſandi in irregularitatibus. Sic Eminentiſſimus Cardinalis Franciſcus Barberinus, quando legatus à latere extraordinarius ab Vrbano VIII. miſſus fuit ad noſtrum Catholicum Regem Hiſpaniarum Philippum IV. facultatem attulit diſpenſandi ſuper quacumque irregularitate etiam ex homicidio voluntario, & ſimonia.

35 In quibus autem irregularitatibus poſſit Commiſſarius Generalis Cruciatæ diſpenſare, conſtabit *infrà diſput.* 37. In ſententia afferente, irregularitatem, quæ eſt purè pœna, & non inhabilitas, eſſe cenſuram, *infrà* tractabimus, à quibus irregularitatibus poterit Confeſſarius abſoluere virtute Bullæ Cruciatæ, & etiam Regulares gaudentes priuilegio abſoluendi à cenſuris.

36 Ceſſationem à diuinis diximus non eſſe cenſuram; & eſtò eſſet, ſemper eſt ab homine, ideóque nullus, niſi qui eam indixit, poteſt tollere, aut eius Superior. Quippè in iure permittitur quidem, ceſſationem poni (nempè ab eo, qui poteſt indicere interdictum) *cap. irreparabili, de officio ordinarij, cap. ſi canonici, cap. quamuis eodem titulo in* 6. tamen nulla eſt à iure ſtatuta, quæ ipſo facto incurratur. Eſt igitur ceſſatio à diuinis prohibitio Eccleſiaſtica, ob quam Clerici ceſſare debent à diuinis officiis, & Sacramentorum adminiſtratione, quam neceſſitas non expoſcat. Si quis abſq; legitima cauſa ſtatuat ceſſationem à diuinis, compellendus eſt reddere Canonicis, & Eccleſiis, quidquid emolumenti temporalis propter ceſſationem amiſerunt. Idem

Digitized by Google

verò præſtare debet, ſi legitima ſit cauſa ceſſationis, is, qui dedit ei cauſam, *cap. ſi Canonici, de officio ordinary in 6.* Nec niſi ob grauiſſimam cauſam decernenda eſt ceſſatio à diuinis, quæ communiter poſt interdictum ſolet apponi, poteſt autem ſeorſim ab illo.

37 Etiam ſi ceſſatio ſit poſita, ex recta æquitate poteſt celebrari in eis ipſis quatuor præcipuis feſtiuitatibus anni, ac in Octaua Corporis Chriſti, in quibus, & ſi ſit interdictum conceditur publica, & ſolemnis celebratio *in cap. Alma mater, de ſentent. excom. in 6.* Ita quidam Salmanticenſes Doctores apud P. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 54. *nu.* 4. Suarez, Thom. Sanchez, & Auila apud Layman *tom.* 1. *tr.* 5. *part.* 3. *cap.* 6. *num.* 3. Vbi etiam docet, benignè interpretanda eſſe iura contraria circa adminiſtrationem Sacramentorum, ita vt poſſint adminiſtrari in caſibus, in quibus poſſunt tempore generalis interdicti. Sepulturam Eccleſiaſticam laïcis, non Clericis, eſſe prohibitam tempore puræ ceſſationis à diuinis, docuerunt graues Authores; ſed oppoſitum ſentio, dum ſine pompa Eccleſiaſtica præſtetur, cum P. Suarez *de cenſur. diſp.* 39. *ſect.* 2. *n.* 28. Coninch, & aliis; quia ſepultura Eccleſiaſtica non eſt diuinum officium, ſolùm hoc autem tempore ceſſationis prohibetur; *cap. non eſt de ſponſalib.* Recitatio horarum Canonicarum cum vno ſocio, vel duobus, ſiuè in Eccleſia, ſiuè extra illam non intelligitur prohibita tempore ceſſationis, quia iudicatur oratio priuata, vt contra Auilam cenſent Suarez, & alij apud Layman *ſuprà.* Quid poſſint ex ſuis priuilegiis Religioſi Societatis præſtare, tempore ceſſationis, attigimus *diſp.* 15. Videatur Compendium priuilegiorum Societatis *verbo interdictum à* §. 5.

38 Interdictum, & ceſſatio, differunt inter ſe; hæc enim non eſt cenſura, ſic verò illud; quare violans interdictum fit irregularis, non verò violans ceſſationem, licèt grauiter peccet. Ita Cardinalis Toletus *in ſum. lib.* 1. *c.* 93. *n.* 5. Præterea, vt dixi, nulla ceſſatio eſt poſita in iure de facto incurrenda, ſic verò aliqua interdicta. Rursùs tempore interdicti generalis, ianuis clauſis, voceque ſubmiſſa, poſſunt Clerici celebrare, & diuina officia recitare ſimul, non verò tempore ceſſationis; vnde conſtat diuerſitas effectuum; & ſimul ex ipſa explicatione ceſſationis. De qua conſulantur Auila *de cenſur. part.* 6. *diſp.* 1. Suarez, Henriquez, Toletanus, Layman *locis citatis*, & Summiſtæ *verbo ceſſatio à diuinis.*

* * *

CAPVT II.

Quid concedatur in Bulla Cruciata circa abſolutionem à cenſuris?

39 PArauimus ex dictis viam facilem ad dicenda. Igitur in præſenti Bullæ clauſula concedit Pontifex, vt illam habens poſſit eligere Confeſſarium approbatum, qui eum abſoluere poſſit à cenſuris reſeruatis Pontifici ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis, quamvis reſeruatæ ſint in Bulla Cœnæ; ab aliis verò non reſeruatis Sedi Apoſtolicæ toties quoties.

40 Ex dictis etiam *diſp.* 23. de abſolutione à peccatis reſeruatis virtute Bullæ inferenda eſt perfecta huius clauſulæ expoſitio. Primum à cenſuris reſeruatis Epiſcopo poteſt quis virtute Bullæ toties quoties abſolui, vt de peccatis eidem reſeruatis *ibidem* ſtabiliuimus. Deindè à cenſuris reſeruatis Sedi Apoſtolicæ valet quis per Bullam abſolui toties quoties, ſi ſint occultæ, ſicut poteſt à peccatis reſeruatis aliàs Pontifici, ſi occulti ſint, vt *ea diſp.* oſtendimus. Rursùs à cenſura contracta propter hæreſim externam non poteſt quis abſolui virtute Bullæ, quia excipitur hæc poteſtas expreſsè in ipſa Bulla. Si autem hæreſis externa ſit occulta, an poſſit quis abſolui per Bullam à cenſura contracta propter illam, vide *ibidem à cap.* 8. vbi amplector ſententiam negantem. A cenſuris autem latis propter alia crimina, quæ non ſunt hæreſis formalis, de quibus cognoſcunt ſacræ Fidei Quæſitores, poſse quem virtute Bullæ abſolui, probauimus *ibi cap.* 10.

41 Præterea *ex cap.* 11. *ibidem* dignoſcitur, quid operetur priuilegium Bullæ in articulo mortis circa abſolutionem à cenſuris reſeruatis; Etenim & ſi quilibet Sacerdos poſſit tunc ab illis abſoluere, ſi abſolutus ſuperuiuat, manet cum onere comparendi coram Prælato reſeruante, aliàs in cenſuras reincidet; abſolutus autem virtute Bullæ liber ab eo onere remanet, quantumcumque ſuperuiuat. In ordine autem ad cenſuras non reſeruatas Pontifici circa abſolutionem extra articulum mortis, id operatur Bullæ priuilegium, vt poſſit quis abſolui toties quoties ab iis, quæ Epiſcopo ſunt reſeruatæ; & præterea Bulla dat iuriſdictionem Sacerdoti approbato (etiam ſi hic non acceperit iuriſdictionem, ſed ſolam approbationem ab Epiſcopo) vt abſoluat à cenſuris, quæ reſeruatæ non ſunt, toties quoties, à quibus ille aliàs non valeret abſoluere.

42 Et quamvis ad abſoluendum à cenſuris non ſit opus ex ſe, vt abſoluens ſit Confeſſarius, imò nec ordine Sacro initiatus, tamen Bulla

Digitized by Google

Bulla ſolis Confeſſariis approbatis id concedit,quos ſupponit,eſſe homines doctos, adeóque conſcios obligationis, quæ eis in abſolutione præſtanda incumbit.Non tamen eſt neceſſarium, vt in foro pœnitentiæ abſolutionem à cenſuris indulgeant, ſed in foro conſcientiæ; ſicut non eſt opus, vt commutent vota in foro pœnitentiæ (ita ſtabiliemus *infrà diſp.* 26.) quamvis eodem tenore verborum Bulla proferat, poſſe quem eligere Confeſſarium, qui eum à peccatis, & cenſuris abſoluat, ac eius vota commutet.

43 Hinc, iuxta prælibata *cap.* 1. poterit quis abſens per litteras, aut nuntium abſolui à cenſuris virtute Bullæ; nec ideò ea abſolutio non præſtabitur in foro conſcientiæ,quippè non præſtatur pro foro externo, ergo pro interno.Abſolutio etenim à cenſuris per Bullam Cruciatæ conceſſa ſolùm prodeſt pro foro interno conſcientiæ, non pro externo (modo tamen *infrà cap.* 14. explicando,vbi in aliquibus caſibus prodeſſe abſolutionem pro foro externo dicemus;) cum Pontifex nolit, has poteſtates in Bulla conceſſas præuertere forum externum iudiciale, nec ei præjudicium afferre; vt omnes Bullæ expoſitores, & paſſim alij docent. Nec ad hanc abſolutionem aliqua forma determinata verborum requiritur ſicuti *cap.* 1.dicebamus,nec neceſſum eſt, vti ea forma, quæ in Bulla Hiſpana præſcribitur,vt notauimus *diſp.* 23. *cap.* 12. ſufficitque quælibet verborum formula ſignificans liberationem à cenſura.

44 Exigitur autem in Bulla, vt abſoluendus à cenſuris, ſi pars ſit læſa, ſatisfaciat ei per ſe, aut per hæredes; Cautio autem exigenda ante abſolutionem explicata fuit à nobis *ea diſp.* 23. *locis citatis.* Vbi alia de peccatis reſeruatis, & ſimul de cenſuris expoſuimus, quia inter ſe erant connexa, & eidem reſolutioni ſubjacebant. Abſolutio; quæ ſolùm ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis virtute vnius Bullæ anno vno durantis conceditur, eſt à cenſuris reſeruatis Sedi Apoſtolicæ incurſis propter delicta publica. Non tamen ita hoc eſt intelligendum, vt à ſingulis cenſuris diuerſis ſemel quis poſſit abſolui, nunc ab vna, iterùm ab alia diuerſa, & ſic de cæteris, ſed quod ſemel præſtari poteſt abſolutio à præfatis cenſuris, quotquot ſint eæ, quas quis contraxerit, ſiuè plures, ſiuè pauciores; ſemel autem præſtita abſolutione, non poteſt virtute eiuſdẽ Bullæ alia præſtari, etiam ſi cenſuræ deinceps incurſæ ſint diuerſæ à primis; vt docuimus de abſolutione à peccatis reſeruatis *diſp.* 23.

45 Cenſuræ autem, à quibus quis poteſt virtute Bullæ abſolui, non ſunt particulares ab homine; ab his enim iuxta poſita *cap. præcedenti* ſolus ipſe excommunicans, aut ferens cenſuras, poteſt pro foro externo abſoluere, vel alius de eius licentia; aliàs ordo iudicialis turbaretur, & ſequerentur incommoda, ac ſcandala, ſi quis publicè denuntiatus ſe gereret, ac ſi non eſſet ligatus cenſuris, eo quòd fuiſſet per Bullam abſolutus. An autem in foro interno poſſit abſolui, ſi non ſtet per eum, quo minùs in externo abſoluatur,quæſtio eſt communis, & à Bulla independens; ſi enim poteſt abſolui à Parocho, aut à Confeſſario iuriſdictionem, & approbationem habente, poterit etiam virtute Bullæ abſolui à Confeſſario à ſe electo,approbato,quamvis ab Ordinario non acceperit ille iuriſdictionem De quo *inferiùs* redibit ſermo à cẽſuris autem generaliter ab homine latis, aut in iure impoſitis poteſt quis cum limitationibus adhuc poſitis per Bullam abſolui; etiam ſi iudex ferens cenſuras ſibi abſolutionem reſeruet. Hinc virtute Bullæ poſſunt Scholares Salmantini abſolui à cenſuris, quas fert Scholaſticus Salmantinus. Academiæ Cancellarius, ſibi abſolutionem reſeruans in generalibus edictis, quæ in ipſius Academiæ gymnaſiis legi ſolent poſt diem Diui Lucæ aut in foribus Vniuerſitatis figi, in quibus aliqua prohibet ſub excommunicatione latæ ſententiæ ſibi reſeruata.

CAPVT III.

De excommunicationibus reſeruatis in Bulla Cœna Domini, à quibus virtute Bullæ Cruciatæ poteſt quis abſolui ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis.

46 SI hæ excommunicationes incurrantur propter delicta occulta, adeóque ipſæ occultæ ſint, iuxta dicta abſolui quis poteſt toties quoties ab illis virtute Bullæ. Si autem propter delicta publica, adeóque publicæ ſint, ſolùm ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis virtute vnius Bullæ valet abſolui.Vt autem Confeſſarius eas excommunicationes præ oculis habeat, nec excedat iuriſdictionem in Bulla ſibi conceſſam, pluries abſoluens ab illis, in præſenti eas recenſebimus,præſtringendo ipſas,vt in eadem Bulla Cœnæ continentur, quam tamen Pius V. injunxit, vt omnes Confeſſarij apud ſe tranſcriptam haberent. Idem ſtatuit Vrbanus VIII. in eadem Bulla, quam renouauit, vt extat in trãſſumpto ipſius.Hoc præceptũ obligat ad mortale;ſed ſatisfit illi,dum Regulares habeant tranſſumptum vnum in Monaſterio in loco publico; Et Confeſſarij ſæculares illud habeant domi ſuæ, aut in Eccleſia; vt docet Bonacina *diſp.* 1. *q.* 22. *punct.* 7. *in* 3. *tom.* Imò ſufficiet,habere Authorem,aut ſummã,in qua caſus poſiti in Bulla Cœnæ explicentur, aut reſe-

Digitized by Google

referantur; ſic enim finis præcepti obtinetur. Vnde, ſi quæ priuilegia reperiuntur conceſſa Religionibus (vt fuit olim conceſſum Societati) ad hoc, vt ſufficiat, habere vnum tranſumptum huius Bullæ in loco publico Monaſterij, aut Domus; ſanè indè non probatur, hoc idem abſque priuilegio non licere; nam ſæpè ad ſcrupulos vitandos, & ob opinionum varietatem ſimilia priuilegia expoſcuntur. Cæterùm omnes Confeſſarij aſſiduè perlegant prædictam Bullam, vt mente retineant. Etenim in eadem Bulla imponitur excommunicatio ipſo facto eis, qui abſque legitima poteſtate abſoluerint ab excommunicationibus ibidem contentis. Nec noſtri nunc inſtituti eſt, declarare prædictas excommunicationes, & delicta, ob quæ incurruntur; Videat, qui velit, Sayrum *lib.* 13. Suarium *de cenſur. diſp.* 21. Bonacinam *de Bulla Cœnæ*, Nauarrum *in ſum.* Toletum, Reginaldum, Souſam, Duardum, & Patrem Iacobum Gordonium *in Theologia morali vniuerſa*, *tom.* 1. *lib.* 7. *quæſtione* 13. *cap.* 3.

47 Igitur caſus reſeruati in Bulla Cœnæ ſunt. 1. Hæretici cuiuſcumque ſectæ, eorum fautores, libros hæreticos legentes, tenentes aut imprimentes, & ſchiſmatici. 2. Appellantes à Pontifice ad futurum concilium, eorumque fautores. 3 Piratæ, atque eorum receptatores, & fautores. 4. Naufragorum Chriſtianorum cuiuſcumque generis bona, etiam in littoribus inuenta, ſurripientes. 5. Imponentes noua pedagia, & gabellas, vel eas augentes. 6. Falſificantes litteras Appoſtolicas, aut falsò fabricantes. 7. Deferentes arma, & alia vſui bellico idonea, ad Turcas, vel alios Chriſtiani nominis inimicos; & ad reipublicæ Chriſtianæ ſtatum pertinentia iiſdem in damnum Chriſtianorum nunciantes. 8. Impedientes eos, qui victualia, & alia neceſſaria Romam conuehunt. 9. Ad Sedem Apoſtolicam venientes, vel ab ea recedentes, ſua, aut aliorum opera lædentes, & ſine iuriſdictione vexantes in Curia commorantes. 10. Romipetas, ac peregrinos, etiam in vrbe morantes vel abeuntes, lædentes.

48 11. Offendentes S.R.E. Cardinales, & alios Prælatos. 12. Ad Romanam Curiam pro negotiis ſuis recurrentes, per ſe, vel per alios lædentes. 13. Appellantes à grauamine, vel futura executione litterarum Apoſtolicarum ad laïcam poteſtatem. 14. Executionem litterarum Apoſtolicarum, aut aliarum expeditionum impedientes, & prohibentes ad gratias impetrandas accedentes. 15. Iudices ſæculares, qui Eccleſiaſticas perſonas trahunt ad ſua Tribunalia, quique Eccleſiaſticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant. 16. Impedientes Prælatos, ne ſua iuriſdictione vtantur; quique illorum, & delegatorum iudicia eludentes, ad curiam ſæcularem recurrunt, aut contra illos decernunt, præſtanteſque auxilium. 17. Vſurpantes Sedis Apoſtolicæ, & quarumcumque Eccleſiarum iuriſdictiones, vel etiam fructus ſequeſtrantes. 18. Imponentes decimas, & alia onera perſonis Eccleſiaſticis, Monaſteriis, aut eorum fructibus. 19. Iudices ſæculares, qui ſe interponunt in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus contra Eccleſiaſticas perſonas. 20. Occupantes bona, aut terras Eccleſiæ Romanæ, & illius iuriſdictionem vſurpantes.

49 Hos caſus in epilogum præſtrinxit P. Ioſephus Auguſtinus *in ſumma*, *verbo*, *Caſus reſeruati in Bulla Cœnæ Domini*, *pag. mihi* 476. Igitur præfati omnes excommunicantur, & anathematizantur, ita vt nullus, Pontifice inferior, poſſit eos abſoluere, niſi in articulo mortis, & tunc cautione præſtita ſatisfaciendi, ſi neceſſaria ſit ſatisfactio, & comparendi coram Pontifice, ſi abſolutus ſuperuiuat; & in eadem Bulla reuocantur omnia priuilegia conceſſa ad abſoluendum à reſeruatis Pontifici, ad hoc vt vim non habeat in ordine ad abſoluendum à reſeruatis in ipſa Bulla Cœnæ. Sed tamen non reuocari priuilegium in Bulla Cruciatæ conceſſum, declarauimus *diſp.* 2. *cap.* 7.

CAPVT IV.

Aliqua dubia exponuntur circa abſolutionem conceſſam in Bulla Cruciata à cenſuris in Bulla Cœna contentis.

50 Dvbitatur primò, an legens libros hæreticos in Anglia, Gallia, & aliis Prouinciis, in quibus Bulla Cœnæ non eſt recepta, incidat in excommunicationem, opuſque ſit Bulla Cruciatæ, vt abſoluatur? Reſpondetur negatiuè cum P. Becano Thom. Sanchez, & Azor, quos refert, & ſequitur Diana 1. *part. tract.* 11. *reſol.* 35. Etenim leges pœnales, vtpotè odioſæ, interpretandæ ſunt ſtrictè, nec extendendæ ad perſonas in locis, quibus vim legum non habent, cum vis ab acceptione dependeat. Et quidem cernere eſt idipſum in aliis caſibus; v. g. lex ſub cenſura, obligans Salmanticæ ad non afferendum ſecum tormenta ignea, non obligat ſcholaſticos, poſtquam Salmantica diſcedunt ad loca vbi non eſt talis lex. Idem autem eſt, non eſſe legem, & non eſſe acceptatam.

51 Hic aduerte, non incidere in prædictam excommunicationem, adhuc in locis, vbi Bulla Cœnæ eſt acceptata, idiotam legentem librum latinum hæreticum, quem non intelligit; vt Portel *in addit. ad Dub. Regul. verbo libri prohibiti nu.* 11. iudicat probabile, & docent P. Th. Sanch. Suarez, & Filiucius apud

apud Dianam *vbi nuper, reſol.* 36. nam illa non eſt lectio formalis, ſed materialis; primaque dumtaxàt prohibetur, vt ex fine legis, nempè ob periculum vitandum, conſtat. Aduerte, etiam, non incurrere in excommunicationem prædictam, qui habentes libros hæreticos, propria eos authoritate comburunt; nam ſic nec legunt, nec retinent. Non poſſe autem, propria authoritate eos comburere, eſt communis ſententia; quamvis contrariam iudicet probabilem Diana *ſuprà reſol.* 37. citans pro ea aliquos Authores. Idemque dicendum de eo, qui habens eos libros tradit alicui, qui facultate ad illos legendos gaudet, is enim excommunicationi non ſubjacet.

52 Aduerte deindè contra Megalam *in in 3. p. lib. 3. cap. 1. numer.* 55. Eum, qui legit litteras miſſiuas hæretici continentes hæreſim, aut eam imprimit, vel aliam papyrum ſolutam, non incurrere in præfatam excommunicationem Bullæ Cœnæ, quia ij non dicuntur libri in vſitato modo loquendi; & ea excommunicatio non eſt amplianda. Ita docent Souſa *in explic. Bul. Cæn. c. 2. diſp. 13. concl. 1. num.* 5. Duardus *in explic. ipſius Bull. lib. 2. q.* 55. Thom. Sanchez, Portel, & alij apud Dianam *ibid. reſ.* 34. Qui cum pluribus *reſol.* 33. docet, non incurrere præfatam excommunicationem eum, qui non per ſe ipſum, ſed per alios, legit libros hæreticos, eo quòd audire non ſit legere, & verba legis pœnalis ſtrictè ſint accipienda. Oppoſitum eſt tutius, & valdè commune; Etenim mens legis, & finis ad audientem ſe extendit, & ea eſt lectio formalis, licèt non materialis. Sic habens famulum à ſecretis, qui epiſtolas ei legat, dicitur legere illas, cum audit, etiam in vulgari modo loquendi.

53 Rursùs docet ipſe *reſol.* 32. cum Souſa contra P. Suarez, non incurrere excommunicationem prædictam eum, qui legit librum Authoris Catholici, ſed cum commentariis hæreticorum adeò copioſis, vt potiùs ex his, quàm ex textu liber conſtet; nam ſemper nuncupatur liber Authoris Catholici. Retorqueo rationem; nam potius nuncupatur liber Authoris hæretici; Sic nūcupant Iuriſtæ Myſingerium; non verò Inſtitutiones Imperiales, commentarium ab eo Authore ſuper illas confectum; quod pluribus exemplis poterat ſtabiliri; & ſaltem tam communiter vocantur eiuſmodi libri nomine vnius Authoris; quàm alterius, & in vſurpatione promiſcua, ſanè comprehenduntur hi libri ſub excommunicatione præfata, cum vlteriùs ad hoc mens, & finis legis vrgeat. Ipſemet Diana *reſol.* 31. iudicat probabilem opinionem docentem, eum, qui legit librum hæretici non tractantem de religione ex profeſſo, ſed tamē continentem aliquam hæreſim, non incurrere in prædictam excommunicationem. Contrarium eſt tenendum, nam in eo libro verificatur requiſitum in Bulla Cœnæ, nempè eſſe hæreticum; ſicut eſt hæreticus, qui in vno dumtaxàt articulo diſſentit ab Eccleſia Catholica. Hanc ſententiam docent Alterius *in Bull. Cæn. tom. 1. diſput. 2. lib. 5. cap.* 6. Thom. Sanchez, Bonacina, Portel, & alij.

54 Id rectè tuetur *reſol.* 30. cum P. Delrio, Bonacina, & alii, legentem libros magicos non incurrere in prædictam excommunicationem, quia hi non ſunt libri hæretici, ſicut nec comprehenduntur ſub nomine hæreticorum magi, & chiromantici. Id etiam notat *inibi* cum Acoſta, Riccio, & aliis, eum, qui librum hæreticum legit, non animo hæretico, non incidiſſe in hæreſim, eſtò inciderit in excommunicationem Bullæ Cœnæ, quare poterit abſolui virtute Bullæ Cruciatæ.

55 Dubitatur ſecundò, quantum ſit legendum in libris hæreticis, vt quis incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ, indéque opus ſit abſolutione per Bullam Cruciatæ? Supponitur in hoc dubio, vt certum, & omnibus conſtans, paruitatem materiæ in hac re excuſare à culpa graui, & conſequenter ab incurrēda excommunicatione. Igitur P. Thom. Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 2. cap. 10. num.* 31. Duardus *in explic. Bull. Cænæ lib. 2. can. 1. quæſt.* 46. Filiucius, Portel, & Diana eos referens (licet hic non clarè, quid ſentiat, exponat) *reſolut.* 30. *vbi nuper*, iudicant, non ſufficere ad prædictam excommunicationem incurrendam, lectionem vnius paginæ tomi etiam voluminis prægrandis. Contrarium tenent Bonacina *de cenſur. diſput. 2. q. 5. punct. 4. num.* 13. P. Suarez *in 2. 2. diſp. 20. ſect. 2.* Molfeſius *in 3. p. lib 3. cap. 1. numer.* 49. & aiunt paruitatem materiæ ſolùm eſſe lectionem paucarum linearum.

56 Dubitari nequit, hanc ſecundam opinionem eſſe tutiorem; primam tamen eſſe probabilem, ſaltem ob authoritatem extrinſecam. Sanè in his iudicio docti, & prudentis viri ſtandum eſt, vt cenſeat, quænam reputanda ſit materiæ paruitas. Et ego cenſerem, lectionem vltra dimidium paginæ tomi, aut voluminis majoris excedere paruitatem materiæ, quæ opinatio media eſt inter vtramque ſententiam poſitam, & videtur æquitati, ac veritati conformior. Etiam datur paruitas materiæ in retentione librorum prohibitorum, vnde, etiam ſi quis poſſit commodè eos tradere Quæſitoribus Fidei, aut eorum Miniſtris, & non tradat per vnius, aut duorum dierum ſpatium, non eſt cenſendus retentor nec incurrit præfatam excommunicationem Bullæ Cœnæ.

57 Dubitatur tertio, ſuppoſito, non poſſe abſolui hæreticum externum virtute Bullæ Cruciatæ, an nomine hæreticorum comprehendantur eorum receptores, & cœteri, qui in prima excommunicatione Bullæ Cœnæ continentur, dum tamen ipſi hæretici non ſint? Sed de his egimus *diſputat. praced.* & probauimus, poſſe per Bullam Cruciatæ hos, & ſimiles abſolui, & ſi contineantur ſub edicto Inquiſitorum Fidei, quia verè hæretici non ſunt, & ſola hæreſis in Bulla Cruciatæ excipitur. Ita docent Farinacius *de hareſi q.* 180.*n.*8. P. Suarez *tractat. de fid. diſp.*24 *ſec.* 1.*n.*11. Duardus *in Bul.Cœn.lib.*3. §.2. *quaſt.*8. *num.*8. Portel *in addit. ad dub.Regul.verbo libri prohibiti num.*14. P. Henriquez *lib.*6.*cap.*17. *num.*2.*in gloſſ. litt. I.* P. Th. Sanchez *in ſum.t.* 1.*lib.*2.*cap.*12.*n.*12. Diana 1.*part. tractat.*11. *reſol.*29.

58 Prolixum eſſet, & à noſtro opere alienum, dubia circa ſingulos caſus Bullæ Cœnæ dirimere: attigi aliqua tum communiora, tum vt ex illis inferatur, quid in aliis ſit aſſerendum. Hæc ergo ſit regula. Quoties probabilis, tuta ſententia docet, aliquem caſum non comprehendi in Bulla Cœnæ, non opus eſt Bulla Cruciatæ, vt quis ab illo abſoluatur, niſi aliundè ſit reſeruatus Pontifici, aut Epiſcopo. De quo videndi ſunt Authores allati, qui Bullam Cœnæ exponunt: quoties verò caſus in Bulla Cœnæ comprehenditur, dum non ſit hæreſis formalis externa, ſi ſit occultus, poteſt qui toties quoties virtute Bullæ Cruciatæ ab eo abſolui, ſi publicus, ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis poteſt, cum extenſionibus tamen, quas *diſp.praced.à n.*70. declarauimus.

CAPVT V.

De excommunicationibus reſeruatis Sedi Apoſtolica extra Bullam Cœna, in Iure Canonico, à quibus poteſt quis virtute Bulla Cruciata abſolui ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis.

59 Recenſere etiam oportet alias excommunicationes, præter *ſuprà* poſitas, Pontifici reſeruatas, vt conſcius illarum Confeſſarius, ſolum ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis virtute vnius Bullæ Cruciatæ ab eis abſoluat, ſi publicæ ſint, cum non præbeatur ei vlterior per Bullam facultas. Igitur prima excommunicatio reſeruata Pontifici ſit, quæ extat *in cap. ſi quis, ſuadente diabolo* 17. quæſt. 4. contra percuſſorem Clerici, vel Monachi. Nomine Clerici intelligitur quicumque, à prima tonſura vſque ad Ordinem ſupremum, *cap. cum contingat, de ætate, & qualit. ordinand. cap. vnico de Cleric. coniugat. in* 6. Nomine Monachi intelliguntur vir, aut fœmina Religioni approbatæ militantes, ſiue profeſſionem, aut vota ſimplicia emiſerint, ſiuè nouitij ſint, *cap. Religioſo, §. quamuis, de ſentent. excom. in* 6. & etiam, qui vocantur Conuerſi, & ad chorum, aut ad Ordinem ſacrum non ſunt deſtinati, *cap. non dubium, cap. ex tenore, de ſentent. excommunicat.* An autem etiam comprehendantur Equites ordinum Militarium, eorumque Commendatarij, & qui Clerici hoc priuilegio Canonis non gaudeant, aut illud amittant, videantur Nauarrus *de reddit. Eccleſia, quaſt.* 1. *monito* 55. *& quaſt.*3. *monito* 27. Panormit. *in cap.non eſt, de Regular.* Syluester *verbo Eccleſia*, vbi quæſtionem mouet de his, qui ſunt ex tertio ordine S.Franciſci. Et ego *t.de Ordinibus Militarib. diſquiſ.*3.*n.*66.

60 Quicumque baptizatus, excepto Summo Pontifice, manus violentas in Clericum, aut Monachum iniecerit, huic excommunicationi ſubiacet, cuiuſcumque ille ſit conditionis, & qualitatis. Eſt tamen neceſſarium, vt iniectio manuum externa ſit grauis, & cũ peccato mortali fiat. Sed ſub voce iniectionis manus comprehenduntur aliæ actiones violentæ, vt iniectio aquæ, ſputi, pulueris, & ſimilium. Nec opus eſt, vt immediatè tangatur Clericus, aut Monachus, ſat eſt, ſi tangatur aliquid illi cohærens, vt ſella, veſtis, equus, & ſimilia. De quo alia vide apud Nauarrum, Roſellam, Angelum, Syluestrum, D. Antoninum, Paludanum, & P. Gordonium *in vniuerſa Theologia morali, lib.*7.*quaſt.*13.*cap.*3.§.2. vbi eos citat Authores.

61 Hæc excommunicatio extenditur ad eum, qui tenetur titulo iuſtitiæ impedire percuſſionem, & non impedit, *cap. Quanta, de ſentent. excom.* Item ad conſulentes, vt ex *eodem cap.* conſtat. Prætereà ad mandantes, fieri percuſſionem, effectu ſecuto, *cap.mulier, §. illi verò, de ſentent.excom. cap. cum quis, de ſentent. excom. in* 6. vbi etiam extenditur ad eum, qui ratam habet percuſſionem ſuo nomine factam. Hanc etiam excommunicationem incurrit Clericus, qui ſe ipſum grauiter percutit aut mandat, vel conſulit percuti, quia licèt volenti non fiat iniuria, ſit tamen ſtatui Eccleſiaſtico. Plures quæſtiones circa hanc excommunicationem vide apud Authores relatos.

62 Aduerte in præſenti, percuſſorem publicum Clerici eſſe vitandum, non ſecùs ac publicè denuntiatũ. Deindè nota, in caſibus (qui videndi ſunt apud Authores prædictos) in quibus poteſtate ordinaria Epiſcopus abſoluere poteſt ab hac excommunicatione, poſſe quemvis Confeſſarium approbatum abſoluere toties quoties virtute Bullæ; ſecùs in his, in quibus abſolutio committitur Epiſcopo, non iure

iure ordinario,ſed ex delegatione, aut attenta induſtria perſonæ in dignitate Epiſcopali conſtituta. Denique obſerua,plures eſſe cauſas,aut rationes excuſantes,ne quis adeat Romanum Pontificem,vt abſoluatur tum ab hac excommunicatione,tum à quibuſvis aliis ipſi reſeruatis. quæ his verſibus continentur. *Regula, mors, ſexus, hoſtis, puer, officialis Delitioſus, inops, ager, ſenexque, ſodalis. Ianitor, adſtrictus, dubius, cauſa, leuis ictus. Debilis, abſolui ſine ſumma Sede merentur.* Quarum excuſationum declarationem habes apud P.Gordonium *vbi ſuprà, à num.*44. In Decreto nulla alia extat, præter hanc, excommunicatio; nam, quæ profertur *in c. nulli, diſt.*19. contra non obtemperantes præceptis Pontificis,non eſt ipſo iure lata,ſed ferenda.

63 Secunda excommunicatio ſit, quæ habetur in Decretalibus, *in cap. quærenti, de officio delegati.* contra excommunicatum à Delegato Papæ, ſi per annum integrum in excommunicatione perſeueret.

64 Tertia *in cap. Dura, de crimine falſi,* ſi Ordinarius promulget excommunicationem contra eum, qui litteras falſas Pontificis habet, niſi intra viginti dies eas deſtruat, aut tradat,quin potiùs retineat, nequit, niſi à Pontifice, abſolui, nam ei reſeruatur abſolutio. Quarta *in cap. ſignificauit, de ſentent. excommunicat.* contra Clericos, qui ſcienter, & ſponte communicant, & admittunt ad diuina excommunicatum à Papa, ſcilicèt nominatim,vt plures exponunt, quorum abſolutio ipſi Papæ reſeruatur.

65 Quinta, *in cap. conqueſti ſunt, de ſentent. excommunicat.* excommunicatur is, qui ſimul effringit, & ſpoliat Eccleſiam, & poſt denuntiationem reſeruatur Sedi Apoſtolicæ abſolutio. Videantur Gloſſa *in eo cap.* Panormitanus *ibi*, & Authores allati à Barboſa *in collectaneis ad eum textum.*

66 Sexta, *in cap. Tua nos, de ſentent. excommunicat.* in quo incendiarij excommunicantur, illi ſcilicèt,qui iniuſtè rem alienam ſacram, vel profanam incendunt, & poſtquam publicantur excommunicati,à Sede Apoſtolica debent abſolui. Vide Caietanum *verbo excommunicatio cap.* 22. Hæ in Decretalibus. Nunc ſuccedunt excommunicationes reſeruatæ in Sexto.

67 Septima, *in cap. fundamenta, de electione in 6.* contra omnes, cuiuſcumque gradus ſint, qui abſque Sedis Apoſtolicæ licentia conſentiunt electioni, aut deſignationi alicuius in Senatorem, Rectorem, aut Ducem Vrbis Romæ.

68 Octaua excommunicatio, *in cap. quicumque, de ſentent. excommunicat. in 6.* contra eos, qui actione iniurioſa lædunt perſonis,aut bonis eius,qui fert cenſuram,& item, ſi noceant bonis eorum,qui ſunt ſub poteſtate ferentis cenſuram,vt domeſtici, & famuli, aut proximi conſanguinei: vbi comprehenduntur mandantes læſionem,ſi re integra,nō reuocent mandatum, & eam exequentes.

69 Nona, *in cap. eos, qui de ſentent. excommunicat in 6.* contra eum, qui poſt obtentam abſolutionem ab excommunicatione Pontifici reſeruata, ſub conditione ſiſtendi ſe Pontifici ipſi,aut ſub conditione ſatisfaciendi, non exequitur id,quod erat in conditione appoſitum.

70 Decima, *in c. Felicis, de pœnis in 6.* contra eos,qui hoſtiliter inſequuntur,conſulunt, aut mandant inſequi Cardinalem, effectu ſequuto, aut receptatores ſunt inſequentium. Vbi ampliatur excommunicatio *capitis, ſi quis ſuadente diabolo*, reſpectu Cardinalium.

71 Vndecima, *in cap. Clericis, de immunitat. Eccleſ. in 6.* aduerſus eos, qui tributa imponunt Eccleſiaſticis perſonis. Ibi etiam fertur excommunicatio contra ipſas perſonas Eccleſiaſticas ſoluentes eiuſmodi tributa abſque Sedis Apoſtolicæ licentia, ſed quoad hanc partem reuocatum eſt illud caput per *Clementinam* 1. *de immunitat. Eccleſiar.* Circa tributa in Eccleſiaſticos lata, vide Toletum *in ſum. in explicat. Bull. Cœn.* §.3. *dub.* 5. *&* §. 8. *in fin.* & alios Authores *c. præcedenti* relatos. Hæ excommunicationes extant in ſexto Decretalium,ſequentes verò in Clementinis.

72 Duodecima, *in Clement. Multorum,* §. *verum, de hæretic.* contra Inquiſitores Fidei, qui odio, vel amore, aut ob aliquod lucrum, ſeu commodum temporale,omiſerint, contra aliquem procedere,aut quemquam innocentem præſumpſerint vexare.

73 Decima tertia *in Clement. Religioſi, de priuileg.* profertur contra Religioſos, qui Clericis, aut laicis, præſumunt, ſine Parochi licentia, & abſque priuilegio ſedis Apoſtolicæ iiſdem Religioſis conceſſo, miniſtrare Sacramenta Euchariſtiæ, aut Extremæ unctionis, vel matrimonium ſolemnizare; item ſi abſque priuilegio præſumant abſoluere à Canone,hoc eſt, ab excommunicatione maiori edita in conſtitutione Pontificis, & ab excommunicatione edita à Prouincialibus, & Synodalibus ſtatutis; demum, ſi præſumant abſoluere à culpa, & à pœna, veluti concedentes indulgentias, quæ à pœna liberant. Videantur de his Angelus, Syluеſter, D. Antoninus,Tabiena,& P. Gordonius,qui eos affert, *vbi ſuprà, cap.*4. *numer.* 64. Quæ autem priuilegia Regulares habeant, iam *in ſuperioribus* attigimus, & in ſequentibus attingemus.

74 Decima quarta, *in Clement. Capientes,* §. *ſanè, de pœnis,* contra Clericos, & Religioſos, qui aduerſus ſtabilita *in cap.* 1. *de*

ſepultur. inducunt ad vouendum, aut iurandum, vel promittendum fide interpoſita, ſeu quoquam alio modo, de eligendo apud eos ſepulturam, vel ſemel electam non mutando ita vt ab eis ſepulturæ libertas tollatur. Quæ excommunicatio ſolùm contrahitur, effectu ſequuto.

75 Decimaquinta *in Clementin. Grauis, de ſentent. excomm.* contra dominos temporales, qui in terris, aut locis ſuis interdicto ſuppoſitis, aliquem quomodolibet cogunt celebrare Officia Diuina. Item contra ipſos dominos, qui voce præconis, aut cymbali ſonitu conuocant populum ad prædicta Diuina officia audienda. Prætereà aduerſus ipſos dominos, qui prohibent, ne excommunicati, aut interdicti publicè ab Eccleſia eiiciantur, quando Miſſarum ſolemnia peraguntur, & à celebrantibus illi monentur, vt exeant. Denique contra excommunicatos ipſos publicè, & interdictos, qui moniti nominatim in Eccleſiis à celebrantibus, vt exeant, remanere præſumpſerint. Hæc in Clementinis continentur: quæ ſubſequuntur, extant in Extrauagantibus.

76 Decima ſexta excommunicatio Sedi Apoſtolicæ reſeruata fertur *in extrauag. Deteſtandæ, de ſepultur.* contra eos, qui dilacerant, & exenterant mortuorum corpora, aut membratim concidunt, aut in aquis coquunt, vt oſſa carnibus denudata deferant, & in alio loco ſepeliant Et hæc excommunicatio comprehendit mandantes, ſi ſequatur effectus. Quomodo autem in præſenti non includatur exenteratio cadauerum fieri ſolita, ne fœteant, & alia ad hanc cenſuram ſpectantia, vide apud Nauarrum, & Caietanum.

77 Decima ſeptima excommunicatio Papæ reſeruata, *in Extrauag. 1. de Simonia,* contra eos, qui ob ingreſſum Religionis aliquid accipiunt, aut præbent per modum pacti. Vbi prohibetur actio ſimoniaca, nòn verò vſus communis Monialium, quæ exigunt ab ingredientibus Religionem certam quantitatem, quæ dos nuncupatur, vnde in Monaſterio alantur. Vide aliqua, quæ ab excommunicatione hac excuſant apud P. Gordonium *vbi ſuprà, cap. 4. num. 68. & 69.*

78 Decima octaua, *in extrauag. Cum deteſtabile, de ſimonia,* contra omnes, etiam ſi Cardinales ſint, qui quomodolibet aliquid dando, vel recipiendo ſimoniam committunt, aut qui ſunt mediatores, vt ipſa committatur in ordine, aut beneficio. Quæ excommunicatio non extenditur ad ſimoniam commiſſam in officijs Eccſiaſticis, aut in penſionibus, quæ non ſunt beneficia, nec ad ſimoniam mentalem & conuentionalem, ſed ad realem conſummatam. Etenim cum hæc ſit lex penalis, & non explicet expreſsè actum inchoatum, de actu perfecto debet intelligi, vt Doctores communiter tradunt in materia de legibus agentes de lege pœnali *& ego in ſtatera opinionum benignarum diſſertat. 1. num. 300.*

CAPVT VI.

De alijs excommunicationibus Sedi Apoſtolicæ in Iure Canonico reſeruatis, à quibus virtute Bullæ Cruciatæ poteſt ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis abſolui.

79 EXtat excommunicatio quædam reſeruata Pontifici *in Extrauaganti, viam ambitioſæ, de Regularib.* contra omnes Religioſos Mendicantes, qui ſine ſpeciali Papæ licentia tranſeunt ad Ordinem non Mendicantium, excepto Ordine Carthuſianorum. Dubitant aliqui, an hæc cenſura vim adhuc retineat, cum abſque Pontificis licentia, habita ſuorum Generalium facultate ſoleant Regulares Mendicantes ad non Mendicantes tranſire, vnde contraria ei præcepto conſuetudo inualuiſſe videtur. Legantur Nau. *conſil. 59. de Regular.* P. Gordonius *in ſua Theologia morali lib. 7. q. 13. cap. 5. §. 1.*

80 Alia eſt excommunicatio *in extrauag. Graue nimis, de reliquiis,* contra eos, qui in concione ad populum, vel alio quolibet modo auſi fuerint affirmare, illos eſſe hæreticos, aut peccare mortaliter, qui aſſerunt, Deiparam Virginem abſque labe peccati originalis fuiſſe conceptam, & ſimiliter contra eos, qui id ipſum affirmant de aſſerentibus contrariam opinionem, eo quòd id non fuerit à ſummo Pontifice deciſum. Sed prodiit iam diu Decretum Gregorij XV. præcipiens, ne quis in priuatis colloquiis, vel ſcriptis affirmet, Deiparam in peccato originali fuiſſe conceptam, inſuper prohibens, ne in Miſſa, aut officio vſurpetur nomen ſanctificationis, ſed Conceptionis.

81 Rurſus *in extrauagant. Excommunicauimus, de ſentent. excommunicat.* fertur excommunicatio in eos, qui promittunt aliquid, aut pactum interponunt pro gratia obtinenda in Romana Curia, vel pro inſtitia, & contra eos, qui aliquid ob hunc titulum recipiunt Videatur Nauarrus *in opuſc. de datis & promiſſis.*

82 Ab eodem Nauarro cenſetur antiquata iam excommunicatio quædam lata *in extrauagant. Etſi Dominici, de pœnitent. & remiſ.* contra eos, qui prætextu priuilegij Sixti IV. abſoluebant ab aliquo ex quinque votis reſeruatis, Religionis, Caſtitatis, peregrinationis Hieroſolymitanæ, Romanæ, & Compoſtellanæ. Siquidem iam eo prætextu non conceditur talis abſolutio. Aliæ reperiuntur excommunicationes in Extrauagantibus, Iuri Canonico

Digitized by Google

Canonico inſertis, ſed generales non ſunt, quippè ſolùm ad determinata territoria diriguntur, vt *in extrauag. Saluator*, quæ eſt inter communes, ſpectat ad ſolam Tholoſanam Eccleſiam; aliæ autem nunc in vſu neutiquam ſunt. Cæterum excommunicationes non reſeruatas, qui in Iure Canonico, in Conciliis Generalibus, & in Bullis, ac conſtitutionibus Apoſtolicis feruntur, non refero; quia ab illis quilibet Sacerdos approbatus poteſt abſoluere, nec opus eſt Bullæ Cruciatæ priuilegio.

83 Nec prætereà refero excommunicationes Epiſcopis in Iure reſeruatas, ſi quæ ſunt; nam tam ab eis, quàm ab his, quæ in qualibet diœceſi fuerint latæ generaliter, poteſt quis toties quoties virtute Bullæ abſolui, atque adeò periculum non eſt, ne Confeſſarius excedat facultatem abſoluendi ab his cenſuris ſibi In Bulla conceſſam. Dixi, *ſi quæ ſunt*, nam aliqui Authores, vt P. Gordonius *ſuprà cap.* 70. *num.* 80. cenſent, non facilè oſtendi poſſe, aliquam eſſe in Iure excommunicationem Epiſcopo reſeruatam, quæ nunc vigeat; At Syluester *verbo excommunicatio* 8. duas enumerat; Alias addit Nauarrus; & eas colligunt ex *c. nuper, de ſentent. excomm. capit. eos qui, de ſentent. excommun. in 6. capit. ſi quis ſuadente*, 17. *q.* 4. Conſule P. Suarium *de cenſur. diſputatione* 23. *ſec.* 1.

CAPVT VII.

Referuntur aliæ excommunicationes Sedi Apoſtolicæ extra Ius Canonicum reſeruatæ, à quibus poteſt Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ abſoluere ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis.

84 SEquentes excommunicationes etiã Pontifici ſunt reſeruatæ, & in corpus Iuris relatæ non ſunt. Prima lata à Paulo III. in Conſtitutione, quæ incipit. *Cum, ſicut accepimus*, & eſt ordine 46. in miniſtros Camæræ Apoſtolicæ, qui adminiſtrationis rationem minùs fideliter reddunt. Secunda lata à Paulo IV. in Conſtitutione, quæ incipit, *Cum ſecundùm*, & eſt ordine 38. contra eos, qui Summum Pontificatum ambientes ſimoniam committunt. Tertia lata à Gregorio XIV. lingua Italica, quæ incipit, *Li Malnagi*, contra ſtipulationes, aut pacta de vita, morte, aut futura creatione Papæ; Quam affert P. Gordonius *in Theol. mor. lib.* 7. *q.* 13. *cap.* 6. Vbi has omnes excommunicationes congeſſit.

85 Quarta lata à Pio IV. in Conſtitutione, quæ incipit, *Ea quæ* ordine 25. & à Clemente VIII. in Conſtitutione, *Illius vices*, aduerſus committentes duellum, aut concedentes locum ad illud. Lege Patrem Th. Sanchez *l.* 2. *ſumm. capit.* 29. Et me *in ſtatera Opinionum benignarum, diſſertat.* 1. *n.* 253. *& tom. de Iure Academico l.* 3. *ex n* 316 Quinta lata ab eodem Pio IV. in Conſtitutione, quæ incipit, *Inter multiplices curas*, ordine 87. Contra eos, qui ſunt inferiores Epiſcopis, & habentes Eccleſias Parochiales, quarum prouiſio ad Pontificem ſpectat, non adimplent fideiuſſoria iuramenta. Sexta ab eodem lata in Conſtitutione; *Romanum Pontificem*, ordine 109. & à Pio V. in Conſtitut. *Intolerabilis*, ordine 87. aduersùs eos, qui per confidentiam accipiunt, aut retinent Beneficia. De quo conſule Patrem Suarium *de cenſur. diſput.* 22. *ſec.* 6. *n.* 15.

86 Septima lata à Pio V. in conſtitut. *Si de protegendis*, ordine 83. in eos, qui vexant Inquiſitores, aut eius miniſtros. Octaua lata ab eodem in conſtitut. *In omnibus rebus*, ordine 85. contra officiales Pœnitentiariæ, qui expediunt ea, quæ ipſis ſunt interdicta. Nona lata ab ipſo Pio V. in Conſtitut. *Decori*, ordine 100. in Moniales extra clauſtra exeuntes abſque licentia. Decima ab eodem Pio V. in Conſt. *Regularium*, ordine 22. & à Gregorio XIII. in Conſt. *Vbi gratiæ*, ordine 36. contra fœminas ingredientes clauſtra Monialium, aut Monachorum. Vndecima ab ipſo Pio V. in Conſt. *Durum nimis*, ordine 106. contra inferiores Epiſcopis accipientes prætextu priuilegij, aut conſuetudinis aliquid ex fructibus primi, vel vlterioris anni, beneficij vacantis.

87 Duodecima lata ab eodem Pio V. in Conſtit. *Quam plenum*, ordine 99. contra inferiores Epiſcopis proponentes populo indicem caſuum, & indulgẽtiarum, vt data pecunia fiat eis poteſtas eligendi Confeſſarium. Decimatertia ab ipſo Pontifice in Conſt. *licèt omnibus*, ordine 56. in eos, qui capiunt, & vexant Chriſtianos in terra Turcarum inhabitantes. Decimaquarta lata à Gregorio XIII. in Conſtit. *Inter Apoſtolicas*, ordine 103. contra inferiores Epiſcopis facientes iurare illicita, aut contraria libertati Eccleſiaſticæ, aut Decretis Concilij Tridentini. Decimaquinta à Clemente V. in Conſt. *Illius vices*, edita anno 1592. die 17. Auguſti. contra pugnantes in duello; cuius meminimus vbi nuper *numer.* 85. Decimaſexta reperitur in Tridentino *ſeſ.* 2. *cap.* 11. *de reformat.* contra occupantes bona, aut iuriſdictiones Montium pietatis, aut ſimilium piorum locorum.

88 Præter excommunicationes præfatas, inueniuntur plures Sedi Apoſtolicæ reſeruatæ in Conſtitutionibus, ſeu Bullis, Pontificum recentiùs editis, aut in fauorem Religionum conceſſis. Sic Minores à ſuo Ordine recedentes,

Digitized by Google

tes, niſi poſt mandatum cuiuſvis Superioris eiſdem factum, intra octo dies proximos ad Obedientiam redierint, incurrunt excommunicationem Sedi Apoſtolicæ reſeruatam. Quod habetur *in Supplem. Minor. fol.* 50. *conceſſ.* 147. Et per communicationem priuilegiorum Societas IESV eodem gaudet indulto, vt conſtat ex Compendio priuilegiorum Societatis, *verbo Apoſtata.* §. 3. Vbi etiam §. 1. reperitur excommunicatio lata à Pio V. & reſeruata Pontifici, vel Superiori Societatis, contra Religioſos eiuſdem Societatis, qui poſt emiſſa vota biennij ad ſæculum receſſerint, etiam prætextu cuiuſvis indulti conceſſi, aut concedendi, abſque expreſſa ſui Superioris licentia ad id ab illo ſpecialiter obtenta.

89 P. Ioſephus Auguſtinus *in ſumma, pag. mihi* 480. affert etiam aliquos caſus, qui intra Italiam Pontifici ſunt reſeruati; nempè violationem clauſulæ Monialium ad malum finem; Iniectionem violentam manum in clericos; Simoniam realem ſcienter contractam; Confidentium Beneficialem; Prouocationem, & pugnam in duello; Violationem immunitatis Eccleſiaſticæ circa confugientes ad Eccleſias in caſibus, in quibus ea immunitate gaudere poſſunt. Sed aliqui, vel ferè omnes hi caſus etiam extra Italiam Pontifici reſeruantur, vt conſtat ex dictis *ſuperiùs*. Extat etiam Romæ pro foribus Bibliothecæ Vaticanæ excommunicatio reſeruata Pontifici, lata à Sixto V. contra eos, qui abſque licentia Pontificis librum, Codicem, aut volumen ex ea Bibliotheca abſtulerit, aut alio aſportauerit. Refert verba cenſuræ huius Ludouicus Bauia 3. *p. hiſtoria Pontificalis, in vita Sixti V. c.* 24. *pag. mihi* 420.

CAPVT VIII.

De Suſpenſionibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, à quibus poteſt Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis abſoluere.

90 DIximus, per virtutem Bullæ Cruciatæ poſſe Confeſſarium abſoluere toties quoties à ſuſpenſionibus non reſeruatis Pontifici, quantumvis ſolus Epiſcopus aliàs valeat ab eis abſolutionem præſtare Ideò non congero ſuſpeſiones non reſeruatas, quæ in Iure extant, cum non detur periculum excedendi poteſtatem abſoluendi ab illis virtute Bullæ; & dumtaxat præſtringam ſuſpenſiones Pontifici reſeruatas, ne Confeſſarius ab eis, ſi publicæ ſint, abſoluat, niſi ſemel in articulo mortis virtute vnius Bullæ à pœnitente, acceptæ; quod periculum cauebit, ſi eas præ oculis habeat.

91 Si quis accepit Ordines ab Epiſcopo, qui renuntiauit loco, & dignitati, manet ſuſpenſus ab executione Ordinum, iuxta *c.* 1. *De ordinatis ab Epiſcopo, qui renuntiauit Epiſcopatui*; Et ſi ſciens ille Ordines recepit, Pontifici reſeruata eſt abſolutio; ſi verò ignorans, Epiſcopo. Et quamvis dubium videatur, an in *eo cap.* indicatur irregularitas contra prædictum, tamen ſolam indici ſuſpenſionem, docent Gloſſa, Panormitan. *ibi*, P. Gordonius *in Theolog. mor. lib.* 7. *q.* 15. *cap.* 12. §. 1. *in fin.*

92 Ordinatus per ſaltum, hoc eſt, recipiens Ordinem ſuperiorem, quin inferiorem acceperit, manet ſuſpenſus; Et quidem aliqui contendunt, hanc ſuſpenſionem fuiſſe olim Papæ reſeruatam, quia id inſinuatur in Tridentino *ſeſ.* 23. *cap.* 14. *de format. in fine.* Sed ibi conceditur facultas Epiſcopis ad hanc ſuſpenſionem ex iuſta cauſa tollendam; quare reſeruata Sedi Apoſtolicæ non manet. Ex ea autem Tridentini conceſſione videtur inferri, non licuiſſe olim Epiſcopis, eam ſuſpenſionem tollere.

93 Si contingat, Pontificem diſpenſare cum Subdiacono, vt matrimonium contrahat, & ſimul ſuſpendere eum ab vſu Subdiaconatus; tunc, ſoluto matrimonio, ſuſpenſio à ſolo Pontifice poteſt tolli, vt habetur *in extrauag. Antiqua, de voto*; At ſi matrimonium ratum ſoluatur per ingreſſum in Religionem, poteſt Epiſcopus diœceſanus ab ea ſuſpenſione abſoluere. Aliquæ exceptiones deſumptæ à iure ab hac ſuſpenſione excuſantes videantur apud P. Gordonium *vbi nuper*, §. 8. *n.* 27.

94 Suſpenſiones, quas Epiſcopi incurrunt ob varia delicta, refert P. Suarez *de cenſur. diſp.* 31. *ſec.* 5. & extant in Iure, aliæque reperientur apud Authores *in tr. de cenſur.* & apud Summiſtas, *verbo Suſpenſio*; Et hæ omnes videntur reſeruatæ Pontifici. Ratio eſt, quia ab aliis ſuſpenſionibus, quas incurrunt inferiores Epiſcopis, non poteſt abſoluere quilibet Confeſſarius, ſed ſolus Epiſcopus (niſi adſit priuilegium) eo quòd Pontifex, qui in iure eas impoſuit, ſolis Epiſcopis eam facultatem præſtitiſſe cenſeatur, ſed ſi ipſi Epiſcopi ſuſpenſionem à Pontifice latam incurrant, credi non poteſt præſtitiſſe Pontificem eis facultatem, vt eligant Sacerdotem, à quo ſuſpenſio tollatur; alias hæc pœna reſpectu Epiſcoporum eſſet inanis, & fruſtranea, cum ipſi ſtatim poſſent facere, vt ab eis tolleretur; ergo reſeruata eſt Pontifici ablatio, ſeu cenſura. Pone; Pontificem in iure ſuſpendere per ſex menſes Epiſcopum vſurarium; ſi hic ſtatim ac contrahit cenſuram, poteſt eam à ſe excutere, eligendo Sacerdotem, qui eum abſoluat, redditur fruſtranea ſuſpenſio. Aliud eſt, ſi ipſe Pontifex, qui ſuſpenſionem tulit, deleget iuriſdictionem alicui, vt tollat, nam ex

cauſa

Digitized by Google

cauſa iuſta cenſetur rectè id præſtitum, quin ſuſpenſio proindè reddatur nugatoria. Cum ergo Pontifex in Bulla Cruciatæ concedit facultatem abſoluendi à cenſura ſuſpenſionis iuſta datur cauſa huius priuilegij iuxta dicta alibi ſæpè.

95 Quin à quavis ſuſpenſione lata in iure, aut ſtatuto, ſi contrahatur in pœnam alicuius delicti, quamvis non exprimatur reſeruatio, ſolum Authorem iuris, aut ſtatuti poſſe ab illa abſoluere, eſt ſententia communis; atque adeò ſolus Pontifex poterit abſoluere à ſuſpenſionibus, quas Pontifices in iure, aut extra ius appoſuerunt. Sic ſentiunt Panormit. *c.* 2. *de ſolut. numer.* 5. Syluester *verbo ſuſpenſio*, *num.* 8. Felinus *ibidem*, & alij plures. Nam, cum pœna delicti ſit diuturnioris naturæ, quã vt illicò poſſit tolli, pendet omnino ab illo, qui eam tulit, vt colligit Syluester *ex leg. ſeruus, Cod. de pœnis*; & quia pœna pertinet ad aliquam rationem iuſtitiæ, iuxta D. Thom. 2.2. *quæſt.* 108. *art.* 4. *in corp.* ideò, durante voluntate Superioris, eſt ſtabilis. Cæterùm Tridentinum conceſſit Epiſcopis *ſeſ.* 24. *capit.* 6. *de reformat.* vt abſoluere queant ab omni ſuſpenſione à delicto occulto proueniente. Hinc, & ex dictis liquet, quid liceat per Bullam Cruciatæ in ordine ad ſuſpenſiones.

96 Si verò ſuſpenſio lata in iure non reſeruata feratur non in pœnam, ſed ob contumaciam, Epiſcopus valet ab illa abſoluere, vt docent Syluester ſupra D. Antonin. 3. *p. tit.* 27. *cap.* 4. Et idem dicendum eſt de ſuſpenſione lata à Patriarcha, Archiepiſcopo, aut in aliquo Concilio Prouinciali, vt tuentur Felinus *in cap. Paſtoralis, §. præterea, de officio Ordin.* Cardinalis *in Clem.* 1. *de rebus Eccl. quæſt.* 6. Rebuffus *verbo ſuſpenſus* §. 2. Nam, cum hæc ſuſpenſio non ſit pæna, ſed medicina, & aliundè eam ſibi non reſeruauerit legiſlator, iuxta benignam interpretationem, quam lex patitur, præſumitur, illum conceſſiſſe Prælatis Ordinarijs facultatem relaxandi, argumento textus *in cap. Nuper, de ſentent. excom. in* 6. Imò, & ſi ſuſpenſio ſit ob cõtumaciam propter delicta minora, poteſt eam Epiſcopus relaxare; vnde poteſt tollere ſuſpenſionem impoſitam à iure propter adulterium, vt notatur *in c. At ſi clerici, §. De adulteriis, de iudiciis*, & docet Panormit. *in cap.* 2. *de ſolution.* Qui etiam iudicat, quando forma verborum in iure eſt dubia, cenſendum eſſe, ſuſpenſionem ferri ob contumaciam, non in pœnam. Quod etiam innuit P. Suarez *de cenſur. diſp.* 29. *ſect.* 1. *num.* 19. aſſerens, vix reperiri in iure ſuſpenſionem in vindictam, ideóque perpetuã; Quo oſtendit, communiter, aut ferè ſemper ferri ob contumaciam. Verumtamen opus eſt, verba Iuris perpendere, vt indè dignoſcatur clarè, an in pœnam, an ob contumaciam cenſura feratur. Prolixum nimis eſſet, recenſere omnes ſuſpenſiones in iure impoſitas, videat, qui velit, apud Authores *ſuprà* relatos, & præcipuè apud P. Gordonium *ſuprà à q.* 15. Vbi eas congerit.

97 Id fixum maneat, poſſe Confeſſarium virtute Bullæ abſoluere ab omni ſuſpenſione, cum omnis ſuſpenſio ſit cenſura, toties quoties, ſi non ſit reſeruata; ſemelque in vita, & ſemel in articulo mortis, ſi ſit reſeruata, & publica (quippè ſi occulta ſit, toties quoties poterit ab ea abſoluere) in quo priuilegium Bullæ excedit Epiſcoporum facultatem, quæ limitata eſt ad ſuſpenſiones ex delicto occulto prouenientes, iuxta Tridentin. *ſeſ.* 24. *cap.* 6. *de reformat.*

98 Rodriguez, contrarius ſibi ipſi in his, quæ docuerat *in explic. Bull.* §. 9. *num.* 62. docet *in addit. ad* §. 9. *num.* 59. *&* 2. *tom. ſum. cap.* 79. non poſſe Confeſſarium virtute Bullæ abſoluere à ſuſpenſione contracta ob promotionem ad ordines Sacros ante legitimam ætatem. Extat hæc ſuſpenſio in Bulla Pij II. quæ incipit, *Cum ex ſacrorum*, affertúrque in collectione Conſtitutionum, quam edidit Pet. Math. & eam explicat Rebuffus *in praxi beneficiorum part.* 2. *ſub finem.* At etiam ab hac ſuſpenſione poſſe Confeſſarium virtute Bullæ abſoluere (non ſupplendo ætatem; ita vt ante legitimam nequeat Ordo exerceri) & vera ſententia eſt, & vel in particulari, vel in communi, dum nullam excipiunt ſuſpenſionem, docetur communiter ab Authoribus, Ludouico à Cruce *in Bul. diſp.* 1. *cap.* 4. *dub.* 10. *num.* 3. Trullench *in Bull. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 15. *num.* 3. Medina *lib.* 1. *cap.* 11. §. 8. *pag.* 40. P. Auila *de cenſur. part.* 3. *c.* 6. *dub.* 2. P. Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 13. *num.* 3. *in gloſſa litt. C.* Nam, licèt in textu contrarium aſſerat, ibi docet, hoc eſſe probabile; & *littera T. in gloſſa* citat pro hac parte Cordubam, Perez, Syluestrum, & conſultos de hoc Ludouicum Legionenſem, Canum, Bañez, & Doctores Complutenſes Balbas, Martinez, & alios.

99 Ratio aſſerti eſt, quia Pontifex in Bulla nec limitat, nec reſtringit facultatem abſoluendi à ſuſpenſione, potiùs ab hac, quam ab illa; ergo nec à nobis eſt reſtringendum, nec limitandum hoc priuilegium; quin potiùs ampliandam, cum fauor ſit, & non odium. Præterea à paritate; quia Pontifex non limitat facultatem abſoluendi ab excommunicatione, ideò ab omni excommunicatione poſſe quem abſolui virtute Bullæ (ſi excommunicationem propter hæreſim formalem excipias) nullus dubitat; ergo, ſi non limitat facultatem abſoluendi à ſuſpenſione, ab omni ſuſpenſione poterit quis eiuſdem virtute abſolui.

Digitized by Google

ſolui. Non autem limitari à Pontifice, conſtat ex verbis ſuperiùs allatis Bullæ, vbi facultas abſoluendi à cenſuris conceditur, nulla ſuperaddita circa ſuſpenſionem limitatione; & ſub cēſurarum nomine excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum comprehenduntur cum ſint propriè cenſuræ.

100 Ait Rodriguez, poteſtatem Commiſſarij eſſe maiorem, quàm eam, quæ per Bullam Confeſſario conceditur, at Commiſſarius non poteſt abſoluere à præfata ſuſpenſione, ergo nec Confeſſarius. Reſpondeo, paritatem non tenere, cum fiat à diuerſis. Etenim facultates, quibus gaudet Commiſſarius, extenduntur vt plurimum ad forum externum, vt *inferiùs* declarabimus, at facultates Confeſſarij ſolùm ſunt pro foro interno, quare potuit Pontifex concedere Confeſſario, vt pro foro interno abſoluere valeret à præfata ſuſpenſione, & negare Commiſſario, vt pro foro externo ab ea abſoluere poſſet, quod eſt valdè diuerſum, & inde non infertur, facultates Commiſſarij non eſſe ampliores in ordine ad alia, quàm facultates Confeſſarij, eſtò in ordine ad præſens ampliores non ſint.

CAPVT IX.

De interdicto, à quo virtute Bulla Cruciata poteſt abſolutio preſtari.

101 CVm interdictum ſit cenſura, conſtat ex dictis, poſſe ab eo virtute Bullæ abſolutione impertiri eadem proportione, extenſionem, ſeu limitatione, quibus *in ſuperioribus* à nobis eſt ſtabilitum, poſſe abſolui ab excommunicatione, & ſuſpenſione. Quare ab interdicto non reſeruato, ſeu aliàs reſeruato, ſi ſit occultum, poterit Confeſſor per Bullam toties quoties abſoluere; à reſeruato autem publico, ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis virtute vnius Bullæ. Ita docent Trullench *in Bul. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 16. Villalobos 1. *p. ſum. tra.* 27. *clauſ.* 9. §. 1. *num.* 26. & communiter Expoſitores Bullæ Cruciatæ.

102. Rodriguez *in Bull. in addit ad* §. 9. *n.* 60. aſſerit, interdictum locale non eſſe propriè cenſuram, ideóque non poſſe tolli per Bullam, ſed per iudicem, qui illud tulit. Addit, ſi id interdictum ſit cenſura, videri poſſe tolli quoad forum externum per Bullam, ſatisfacta parte, ita vt non ſolum iudex teneatur tunc tollere interdictum, verùm Clerici certiores de abſolutione per Bullam præſtita ei, qui dedit cauſam interdicto, etiam repugnante iudice, teneantur illud tollere. Hæc ille.

103 Sed in pluribus eius ſententiam à veritate eſſe alienam, oſtendo. Primò, quia interdictum locale propriè eſt cenſura, vt communiter omnes Authores tradunt, dum cenſuram interdicti diuidunt in interdictum locale, perſonale, & mixtum. Secundò, nam facultas abſoluendi à cenſuris virtute Bullæ ſolum modò eſt pro foro interno, non pro externo, ne perturbetur ordo iudicialis, qui ſanè perturbaretur, ſi, vt Rodriguez ait, etiam repugnante iudice, Clerici tenerentur tollere interdictū locale. Tertiò, quia in caſu poſito; duplex eſt interdictum, aliud perſonale contractum ab eo, qui dedit cauſam interdicto, aliud locale; inter quæ eſt magnum diſcrimen, vt conſtat ex *ſuperioribus*; quamuis ergo, vt ponit hic Author, abſolueretur perſona, quæ dedit cauſam interdicto locali, at per eam abſolutionem perſonæ non auferretur locale interdictum, quod eſt diſtinctum.

104 Et quidem, vt notat Trullench *vbi ſuprà num.* 2. per Bullam nequit tolli locale interdictum, quia priuilegia Bullæ conceduntur perſonis, non locis; vt conſtat ex illis verbis: *Qui poſſint eligere confeſſarium, qui eos poſſit abſoluere ab omnibus peccatis, & cenſuris.* Quæ verba nequeunt locis aptari, ſed perſonis. Et præterea non abſoluitur locus ab interdicto, ſed perſona, & interdictum à loco tollitur. Quando enim aſſeritur, omnem cenſuram tollendam eſſe per abſolutionem, ſi abſolutionis vox propriè vſurpetur intelligendum eſt de cenſura impoſita perſonis. Contra Rodriguez ſentiunt omnes Authores, dū loquentes de abſolutione ab interdicto per Bullam, docent, poſſe Confeſſarium abſoluere ab interdicto perſonali, quaſi excludentes interdictum locale, dum perſonale exprimunt. Ita loquuntur P. Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 13. *num.* 3. *propè medium*, P. Auila *de cenſur. part.* 5. *diſp.* 6. *dub.* 2. Et expreſsè noſtrum aſſertum docent Villalobos *vbi ſuprà*, §. 2. *num.* 26. & alij.

105 De iure communi interdictum perſonale ſpeciale latum ab homine, ipſe ſolus poteſt tollere, aut eius ſucceſſor. Et nec Superior illius, qui tulit interdictum, debet tollere, non præſtita ſatisfactione, & abſque conſenſu Prælati inferioris, qui eiuſmodi promulgauit interdictum; *cap. cum Eccleſiarum, de officio Ordinarij*. Si interdictum ſit perſonale ſpeciale latum in iure, & non reſeruatum, poteſt ab eo abſoluere, qui poteſt ab excommunicatione iuris non reſeruata. Si eſt locale, aut perſonale generale reſpectu vnius communitatis, in iure latum, iuxta veriorem ſententiam ſolus ille poteſt tollere, qui habet iuriſdictionem in locum, aut communitatem, quare confeſſor ordinarius, aut parochus non valebit abſoluere quemquam ex illa communitate, alias abſoluendo ſingulos, totam communitatem interdicto liberaret.

106 Hinc cenſeo, non poſſe virtute Bullæ Cruciatæ abſolui ab interdicto generali lato

Digitized by Google

lato in communitatem, puta Rempublicam, capitulum, Collegium, & ſimilia. Etenim hoc interdictum indiuiſibiliter latum eſſe in totam communitatem, eſt cenſendum, nec aliquod membrum eius communitatis liberari poſſe, dum tota communitas non liberetur, aliàs abſolutis ſingulis, tota maneret abſoluta communitas. Bulla autem non conceditur communitatibus, ſed perſonis, hiſque ſolùm eius priuilegia proſunt, vt *ſuprà* annotauimus.

107 Quando in iure imponitur interdictum pro determinato tempore. Hoc elapſo, ceſſat interdictum. Nec audiendi ſunt in præſenti, qui dicunt, ab interdicto perſonali ſpeciali impoſito in iure, non reſeruato, ſolum Epiſcopum abſoluere poſſe. Etenim, vt dixi *ſuprà*, qui poteſt abſoluere ab excommunicatione iuris non reſeruata, poteſt ab eiuſmodi interdicto, nam quoad hoc interdictum excommunicationi æquatur, *gloſ. in c. præſenti, verbo generaliter, de ſentent. excom. in 6.*

108 Hic aduerte, non eſſe formam verborum determinatam ad abſoluendum ab interdicto, aut tollendum illud, poſſeque ea verba exprimi, quæ ſufficienter ſignificent ablationem illius. Communiter autem vtimur ea forma: *Abſoluo te à cenſuris*, vel, *A vinculo excommunicationis, & interdicti.* Si autem interdictum tollendum ſit locale, per quæ vis verba poteſt tollere Iudex, v. g. *Remoueatur tollatur, aut ceſſet interdictum.*

109 Ab interdicto iuris reſeruato ſolus reſeruans, aut eius ſucceſſor, vel de eius facultate alius delegatus poteſt abſoluere, vt ex priuilegio Bullæ poteſt Confeſſor approbatus modo *ſuprà* explicato. Cæterùm eum, qui dedit cauſam interdicto locali, aut generali, non valet abſoluere, niſi is, qui poteſt tollere ipſum interdictum locale, aut generale, quia ſequitur ille naturam interdictorum, quibus cauſam dedit. Vnde nec virtute Bullæ Cruciatæ poterit abſolui, ſicut nec virtute ipſius poſſunt tolli prædicta interdicta, vt *ſuperiùs* aſſerui.

110 Antequam abſolutio ab interdicto præſtetur, debet ſatisfactio præſtari, ſi pars ſit læſa, aut ſaltem exigi cautio, vt libauimus *in ſuperioribus.* Quippè hoc commune eſt etiam abſolutioni ab excommunicatione, & à ſuſpenſione. Videantur Sylueſter *verbo interdictum* 3. Angelus *eodem verbo interdictum* 8. P. Suárez, Auila, & alij *ſuprà* citati. Fine huius capitis eſt notandum, prohibitam eſſe abſolutionem ad cautelam ab interdicto generali *in c. præſenti, de ſentent. excommunicat. in 6.* Quæ prohibitio dumtaxat locum habet in relaxatione interdicti generalis localis, quare alia interdicta poterunt ad cautelam relaxari. Legantur Nauarrus *in cap. cum contingat. de reſcript. remed. 6. num. 3.* Mercerius *in 3. part. quæſt. 24. dub. 8.* Couarrubias *in cap. Alma mater, part. 1. §. 11.* Barboſa *tom. 1. collect. lib. 2. tit. 28. cap. 55.* Diana 5. *part. tract. 10. reſol. 69. & 71.* Cornejo, Faber, Villalobos, Filiucius, Turrianus, Præpoſitus, Tannerus, Henriquez, Moſcoſo, Trullench, Sotus, Calderinus, & Megala, plura de interdicto differentes locis relatis in Compendio Dianæ, *verbo interdictum, & ſeq.*

Mendo in Bull. Cruciat.

CAPVT X.

De interdictis in Iure Canonico latis, à quibus, etiam ſi reſeruata ſint Sedi Apoſtolicæ, poteſt virtute Bullæ Cruciatæ abſolutio impertiri.

111 Diximus iam, à quibus interdictis, & quoties valeat præſtari abſolutio virtute Bullæ. In præſenti autem breuiter recenſebimus interdicta in iure impoſita, vt Confeſſarius recolens doctrinam traditam, ſciat, à quibus non poſſit per Bullam abſoluere, & à quibus poſſit, conſulatque ipſa iura à nobis nunc referenda, vt dignoſcat, an interdictum ſit Papæ reſeruatum, ne ab eiuſmodi interdicto, ſi publicum ſit, abſoluatur pœnitens niſi ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis virtute Bullæ, cum huius priuilegium non amplius indulgeat.

112 In *cap. vbi periculum, de electione in 6.* fertur interdictum in gubernatorem, dominum, & miniſtros ciuitatis, in qua mori Pontificem contigerit, & alium eligi, ſi non exequantur, quæ *in eo cap.* decernuntur. *In cap. Fælicis, de pœnis in 6.* fertur interdictum in eos, qui hoſtiliter inſectantur Cardinales, & eorum ciuitas interdicto ſubiicitur. *In Clement. 1. de pœnis* ſtatuitur interdictum in eos, qui Pontifici, aut Epiſcopis corporalem inferunt iniuriam; & ſi inferat dominus alicuius territorij, hoc manet interdictum. Quòd ſi ſit dominus plurium diœceſum, interdicto ſubjacent tum diœceſis, in qua ille habet principale domicilium; tum ea, in qua delictum eſt commiſſum, & duæ aliæ loco delicti viciniores. Ibidem etiam ex culpa Communitatis in ſuum Epiſcopum commiſſa ciuitas tota interdicitur. Hæc interdicta ſunt localia generalia; & reſpectu delinquentium perſonalia.

113 *In extrauag. ſuper gentes, de conſuetud.* extat interdictum contra prohibentes, ne legati Papæ terras quaſdam ingrediantur, alicuius conſuetudinis prætextu; eſtque interdictum locale generale, quandiu prohibentes ſunt contumaces. *In cap. exigit, de cenſib. in 6.* fertur interdictum in Prælatos, qui dum viſitant, recipiunt aliquid contra

Digitized by Google

conſtitutionem Innocentij IV. *in cap. Romana, eodem titulo*. Extenditur hoc interdictum ad omnes, qui ſunt de Epiſcopi viſitantis familia, *in extrauag. vnica, de cenſib. inter communes*; ſcilicèt, niſi recipientes intra duos menſes duplum reſtituant. *In extrauag. vnica. ne ſede vacante*, interdicuntur Eccleſiæ ingreſſu, qui vſurpant, ſi ſint Epiſcopi, aut Superiores, vacantium beneficiorum bona, ſi intra menſem ea non reſtituant.

114 *In cap. ſi quis deinceps 16. quæſt. 7.* ſtabilitur interdictum in eum, qui accipit Eccleſiaſticam dignitatem de manu laïci, & durat, donec reſipiſcat; contrahiturque, ſtatim ac poſſeſſionem acceptat, aut in dignitate exercitium aliquod habet. Et extenditur hoc interdictum in laïcos conferentes illam. *In extrauag. Ambitioſæ de rebus Eccleſ. non alienand.* interdicuntur, qui illicitè alienant bona Eccleſiaſtica. Sed hanc conſtitutionem eſſe antiquatam quoad pœnas, docet Nauarrus *de alienat. rerum Eccleſiaſt. in cap. vnico de iniuriis in 6.* fertur interdictum in Vniuerſitates, quæ concedunt repreſſalias, vt vocant, contra Clericos, niſi intra menſem eos reuocent. *In extrauag. vnica. Ne Sede vacante, & in extrauag. Suſcepti, Ioannis XXII.* decernitur interdictum in Capitulum, & in Vniuerſitatès, quæ malè ſe gerunt circa fructus beneficiorum vacantium.

115 *In extrauag. 3. de priuileg.* extat in interdictum in Iudices Eccleſiaſticos, qui priuant Beneficiis degentem Romæ pro ſuis tractandis negotiis, aliquodvè munus exercentem. Et hic obiter aduerte, non comprehendi Epiſcopos ſub hoc interdicto ex regula generali, quam tradunt Authores, nempè Epiſcopos non comprehendi ſub cènſuris in iure latis, dum ſpecialis non fit ipſorum mentio. *In cap. 1. de ſentent. excommun. in 6.* interdicuntur ab ingreſſu Eccleſiæ per menſem, qui ſcienter non ſeruant formam præſcriptam in ferendis cēſuris. Non fit ibi mentio Epiſcoporum, quare non comprehenduntur. *in cap. ſacro, de ſentent. excom.* interdicitur per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ, qui profert excommunicationem in aliquem abſque debita monitione, & teſtibus.

116 *In cap. Epiſcoporum, de priuileg. in 6.* interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ indicitur ſæcularibus; & exemptis à iuriſdictione Epiſcoporum, qui ſcienter violant interdictum locale latum à iure, vel ab homine. Ibidem habetur interdictum in illos, qui admittunt publicè excommunicatos denuntiatos, ſeu notorios Clerici percuſſores, ad diuina Officia, Sacramenta, aut Eccleſiaſticam ſepulturam. *In cap. ſi qui ſunt, diſtinct. 8.* interdicuntur ab ingreſſu Eccleſię Clerici in Sacris conſtituti iacentes in peccato fornicationis. *In cap. 1. de ſepult. in 6.* fertur interdictum in Clericos, & Religioſos, qui cogunt aliquem ad eligendam ſepulturam in ſuis Eccleſiis, vel ad non mutandam electionem ſemel factam; & huiuſmodi eligentes prohibentur ſepeliri eis Eccleſiis. Quòd ſi ſepelientes intra decem dies non reſtituant corpora, & emolumenta, ſubiacent interdicto eorum Eccleſiæ, & cæmeteria, donec reſtituant.

117 *In cap. quamquam, de cenſib. in 6.* fertur interdictum in Collegia, aut Vniuerſitates exigentes tributa à perſonis Eccleſiaſticis. Videndum eſt, an alicubi ſit abrogata hęc conſtitutio conſuetudine contraria quoad pœnam, quidquid Syluester, *verbo interdictum 4.* aſſerat, eam non potuiſſe abrogari. Si non ſit abrogata, ſubjicitur interdicto locus, in quo eſt Collegium, aut Vniuerſitas exigens tributum. Nec item placet Syluester *vbi nuper quæſt. 2.* docens, vbi fertur interdictum locale generale ob crimen Vniuerſitatis, ferri etiam interdictum generale perſonale in Vniuerſitatem, quippè hæc extenſio odioſa, ſi legiſlator id non exprimat, & de eius mente ſolùm videtur, interdici perſonaliter eos ex illa Vniuerſitate, qui cauſam interdicto locali dederunt. Legatur P. Gordonus *in Theol. mor. tom. 1. lib. 7. q. 16. cap. 1. ad fin.*

118 *In cap. 1. de vſuris in 6.* habetur interdictum in Collegia, & Vniuerſitates concedentes locum habitandi vſurariis alienigenis, & durat, quandiu hi perſeuerant. In Concil. Trident. *ſeſſ. 7. cap. 10.* interdicitur Capitulum, ſi ſede vacante, intra annum præſtet dimiſſorias ad Ordines vlli, qui Beneficij occaſione non arctatur. In Bulla Cœnæ domini extat interdictum in Vniuerſitates, Capitula, & Collegia appellantia ad futurum Concilium. Simul cum interdicti pœna in pluribus iuribus ex allatis fertur cenſura excommunicationis, aut ſuſpenſionis, quę in eis videri poteſt.

119 Afferunt nonnulli quædam alia interdicta, nempè, ſi polluatur Eccleſia, in qua hæreticus ſepelitur, ſi Eccleſia ſimoniacè conſecretur, ſi diſſenſio Patronorum impediat diuina. Verùm, licèt in his caſibus aliquæ pœnæ inueniantur impoſitæ à iure, in eo tamen interdicti pœna circa hæc non extat. Quare eiuſmodi interdicta non dari, eſt aſſeuerandum.

***

CAP. XI.

Digitized by Google

CAPVT XI.

An poſſit pro foro interno virtute Bullæ Cruciatæ præſtari abſolutio à cenſura lata ſpecialiter ab homine?

120 DIximus *ſuprà*, loquendo abſolutè, & in communi, cenſuram ſiuè ſit excommunicatio, ſiuè ſuſpenſio, aut interdictum, dumtaxàt tolli poſſe pro foro externo, ſaltem communiter, ab eo, qui eam ſpecialiter tulit contra aliquam determinatam perſonam. Inquirimus nunc, an aliquo caſu, aut circunſtantiis, poſſit pro foro interno virtute Bullæ ab ea abſolui, & quibus conditionibus? Si pars non ſit ſatisfacta, nec vllam cautionem præſtet ligatus cenſura, certum eſt, abſolui non poſſe, quippè ille in ſua contumacia perſeuerat, & nunquam conceditur poteſtas abſoluendi ſic indiſpoſitum, & in præſenti clauſula Bullæ id cauetur. Si verò pars ſit ſatisfacta, aut detur cautio ſatisfaciendi, ſeu impotentia ad id præſtandum, vel cum parte concordatum eſt, cenſent, poſſe eum virtute Bullæ (idem eſt de Iubilæo, ac priuilegiis Regularium) abſolui pro foro interno conſcientiæ, P. Henriquez, Thom. Sanch. Acoſta, Sayrus, quos refert, & ſequitur Diana 1. *part. tract.* 11. *reſolut.* 26. Couarrubias, Nauarrus, Ludouicus à Cruce, quos affert, & ſectatur Trullench *in Bul. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 10. *num.* 2. Item Doctor Saluador Nauarro (quem ſub nomine Nauarri iunioris ſæpè citat *in gloſſa*. P. Henriquez) Collegij majoris Oueтenſis Salmantini alumnus, & Veſpertinæ Iuris Canonici Cathedræ in Academia moderator, *in explicatione manuſcripta Bullæ, lecta anno* 1565. *in expoſitione huius clauſulæ*, quam explicationem mihi contigit reperiſſe.

121 Probant hi Authores aſſertum, quia Pontifex concedit poteſtatem abſoluendi à peccatis in Bulla, ergo & à cenſuris, quæ impediunt eam abſolutionem, nam cum aliquid committitur expediendum, reliqua omnia, ſine quibus illud expediri nequit, commiſſa etiam cenſentur, *leg.* 2. *ff. de iuriſdict. omn. iudic. cap. præterea, & ibi gloſſa verbo ex eo quod cauſa, cap. ſuſpicionis, de officio delegati.* Sed hæc ratio infirma eſt, niſi aliundè roboretur; ſi enim Pontifex excipiat à poteſtate, quam concedit, aliquod peccatum, aut cenſuram, ſanè non poterit quis virtute Bullæ à cæteris peccatis abſolui. Sic lapſus in hæreſim externam formalem, innodatuſque proptereà cenſura, nequit ab aliis cenſuris, ac peccatis abſolui per Bullam, quia non poteſt ab hæreſi, & cenſura illius. Quare probandum ſupereſt, non excepiſſe Pontificem in Bulla poteſtatem abſoluendi à cenſura lata nominatim ab homine.

122 Id ergo meliùs ſtabilitur, quia Pontifex non excipit cenſuram eiuſmodi ab homine, & cum ſit priuilegium ea conceſſio poteſtatis abſoluendi à cenſuris, non eſt reſtringenda, quin potiùs amplianda. Imò in præſenti nulla eſt ampliatio, cum ſub ea poteſtate conceſſa indefinitè ad abſoluendùm à cenſura qualibet, hæc particularis contineatur. Maximè cum non ſit vrgens fundamentum in oppoſitum. Nam quod afferunt Authores contrarij, Vega, Coninch, Vazquez, & alij à Diana *vbi ſuprà* citati, nempè perturbandum fore ordinem iudicialem, facilè reuincitur, nam hæc abſolutio pro foro conſcientiæ præſtita non officit ordini iudiciali, nec ſcandalum gignit, cum abſolutus publicè ſe gerat vt excommunicatum. Et aliundè pietas excitat, vt abſoluatur ille, qui ſatisfecit, aut non ſtat per eum ſatisfactio, vt particeps fiat ſuffragiorum communium Eccleſiæ, & à peccatis queat abſolui, & ſecretò, vel in loco, in quo ignoratur cenſura, poſſit audire diuina, & Sacramenta recipere.

123 Trullench *vbi ſuprà num.* 4. docet, vbi lis agitatur, & tàm lis, quàm cenſura eſt manifeſta, non poſſe licitè abſolui à præfata cenſura, & ſi poſſit validè, niſi in aliquibus caſibus, quos *num.* 6. recenſet. Mouetur, quia talis abſolutio perturbaret ibi iuriſdictionem iudicis. Quod vt vitetur, ait, Tridentinum negaſſe Epiſcopis facultatem abſoluendi à cenſuris reſeruatis Papæ deductis ad forum contentioſum, adhuc in foro conſcientiæ. Sed contrà, nam abſolutio pro foro interno non perturbat ordinem iudicialem, aliàs in nullo caſu, aut loco, etiam vbi lis non pendet, præſtari poſſet, ſiquidem tam occulta manet, ſi in vno, ac ſi in alio loco præſtetur, & exteriùs eodem modo ſe habiturus ſit abſolutus in vtroque caſu. Et ſanè poteſtas abſoluendi conceſſa in Bulla indefinitè, & generaliter non excipit hunc caſum, nec ad eum dumtaxàt debet reſtringi, vel ſanè eſſet reſtringenda ad omnes cenſuras nominatim latas ab homine. Tridentinum autem, quia ſolùm concedit Epiſcopis facultatem abſoluendi à cenſuris reſeruatis occultis, ideò negat ad abſoluendum ab his, quæ deductæ ſunt ad forum contentioſum, nam vnus ex modis, quibus culpa, aut cenſura definit eſſe occulta, & fit publica, eſt per deductionem ad forum contentioſum, de quo latior *inferiùs* ſermo redibit. Vnde à Tridentino non fit paritas ad caſum præſentem.

124 Ex his infero primò, percuſſorem clerici, etiam ſi eius delictum ſit deductum ad forum contentioſum; poſſe virtute Bullæ abſolui ab excommunicatione, dum parti ſatisfe

ſatisfecerit, aut cautionem ſufficientem præſtet (quænam autem ſit cautio præſtanda, *in ſuperioribus* expoſuimus.) Etenim, licèt publicus Clerici percuſſor ſit excommunicatus à iure, & excommunicatio hæc publica ſit reſeruata Papæ, & æquiparetur ille excommunicato nominatim ab homine quoad effectus plures, tamen virtute Bullæ poteſt ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis abſolui à cenſura publica reſeruata Papæ, pro foro conſcientiæ; & aliundè iuxta *ſuprà* dicta, non prohibet hanc abſolutionem, quòd delictum ſit ad forum contentioſum deductum. Illud tamen notauerim, virtute vnius Bullæ non poſſe, adhuc pro foro interno, à cenſura publica reſeruata Papæ, ſeu à cenſura deducta ad forum contentioſum, ſi Pontifici reſeruatur, abſolui niſi ſemel in vita, quamvis parti ſit ſatisfactum; nam Pontifex non concedit vlteriorem abſoluendi poteſtatem.

125 Infero ſecundò, à cenſuris non reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, latis nominatim ab homine poſſe toties quoties virtute Bullæ abſolutionem præſtari, dum detur ſatisfactio, aut cautio. Quippè in Bulla conceditur poteſtas ad abſoluendum toties quoties à non reſeruatis Pontifici, & prætereà non obſtat ad abſolutionem pro foro interno præſtandam, quod latæ ſint nominatim ab homine, aut etiam quòd lis pendeat; igitur poteſt toties quoties præſtari.

126 Infero tertiò, à cenſuris non reſeruatis Pontifici, nec Epiſcopo, latis nominatim ab homine, etiam lite pendente, poſſe abſoluere, præſtita ſatisfactione, aut cautione, pro foro interno quemvis Confeſſarium approbatum, quamvis non vtatur priuilegio Bullæ, aut ſimili. Etenim quivis Confeſſarius potens abſoluere à peccato mortali, valet abſoluere à cenſura non reſeruata; ſed dum præfata cenſura reſeruationi non ſubjacet, non officit in ordine ad abſolutionem pro foro interno, quòd ſit lata nominatim ab homine, aut quòd etiam lis ſuper delicto pendeat; ergo ab ea quilibet Confeſſarius poteſt abſoluere. Et quidem ſi non poſſet quilibet Confeſſarius abſoluere à cenſura non reſeruata lata ab homine nominatim, nec poſſet virtute Bullæ abſoluere ab ea, ſi reſeruata ſit Papæ. Cæterùm qui priuilegium habuerit ad abſoluendum à cenſuris reſeruatis Epiſcopo, poterit abſolutionem ab eis pro foro interno impertiri modo dicto, quamvis latæ ſint nominatim ab homine, & lis pendeat ob rationem factam.

127 Dices, hoc ipſo quòd Iudex Eccleſiaſticus nominatim fert cenſuram in aliquem reſeruare ſibi abſolutionem; at Confeſſor approbatus, adhuc proprius, vel ex munere Parochi, vel ex delegatione, non habet iuriſdictionem ad abſoluendum à cenſura reſeruata alicui Iudici, niſi is illam ipſi deleget; ergo non poterit abſoluere à cenſura lata nominatim ab homine, quæcumque illa ſit. Reſpondeo, eum iudicem dumtaxàt reſeruare ſibi abſolutionem pro foro externo, dum aliud non exprimat, non pro foro interno in circunſtantiis *ſuprà* poſitis. Cuius duo reperio ſigna; aliud eſt, abſolutionem pro foro interno non perturbare Iudicis ſententiam, nec modum procedendi, ſed in ordine ad hæc habere ſe, ac ſi præſtita non foret; Iudex autem dumtaxàt conatur integram ſeruare ſuam iuriſdictionem, ordinemque iudicialem, cætera autem non prohibet, cum impertinenter ſe habeant in ordine ad ipſum. Aliud eſt, non debere præſumi in re odioſa, quod magis rigidum eſt, contrariumque clementiæ, nec Iudicem velle, eum hominem, ſi lis non ſit breui finienda, quia non habet præſtò, vnde ſatisfaciat, priuari bonis ſpiritualibus communibus, & à peccatis non poſſe abſolui, priùs abſolutum à cenſura, præſtita ſufficienti cautione.

128 Replicabis, ergo cum à Iure, aut à Pontifice reſeruantur aliqua peccata, & cenſuræ, dumtaxàt pro foro externo reſeruantur. Nego ſequelam. Primò, quia in aliis peccatis, & cenſuris, quæ nominatim non feruntur, aut ſuper quibus lis non pendet, non datur fũdamentum primum, quod *nuper* attuli, vt iudicetur ſolùm pro foro externo reſeruari. Secundò, quia dum quis non eſt nominatim cẽſura ligatus, aut publicus Clerici percuſſor, non datur locus abſolutioni pro foro externo, quia hæc non eſt neceſſaria, ergo pro foro interno reſeruatur abſolutio, cum non reſtet alia reſeruabilis. Tertiò, nam Pontifex concedens priuilegium per Bullam aut Iubilæum ad abſoluendum à reſeruatis, ſolùm cõcedit pro foro interno; igitur abſolutio etiam pro foro interno erat reſeruata. Et ſanè oportet, vt magna delicta, eorumque cenſuræ huic reſeruationi ſubiaceant, ne homines facilè in illa dilabantur, ſed metu, ac difficultate abſolutionis à Prælatis poſcendæ frænentur. Quę ratio non ita vrget reſpectu cenſurarum, quæ ab homine ſolent nominatim ferri; tum quia ſingularis eſt perſona, in quam feruntur; tum quià ob delicta non enormia ſolent ferri, nempè vt quis reſtituat aliquid ablatum, ſoluat debitum, relinquat cõcubinam; & ſimilia; nã peccata enormia aliàs reſeruata ſunt Pontifici, eſtò propter illa ſæpè feratur ab homine cenſura; & ab hac non poterit abſoluere, adhuc pro foro interno, Confeſſor abſque priuilegio; quia ea non tam eſt cenſura lata à Iudice inferiore, quam declaratio, quòd talis homo incurrit cenſuram reſeruatam Pontifici. Quòd ſi non ſolùm ſit declaratio, ſed

ſed noua cenſura, & homo ille innodatus duplici cenſura exiſtat, tunc qui poteſt eum abſoluere pro foro interno à cenſura reſeruata, poterit a non reſeruata; at non è contrà; ſed tamen poterit aliquis eum abſoluere à non reſeruatà, quin vlteriùs progrediatur; vna enim cenſura poteſt abſque alia tolli.

128 Infero quartò, ſi detur ſufficiens cautio ſatisfaciendi arbitrio viri prudentis, & pars læſa nolit eam, quaſi exiguam, acceptare, poſſe ligatum cenſura abſolui pro foro interno, quia non ſtat per ipſum non ſatisfacere, & iniuſtè eius ſatisfactio reiicitur. Quare partis læſæ malitia non debet obſtare eiuſmodi abſolutioni. Id tamen in his omnibus caſibus præ oculis Confeſſarius habeat, ſe debere, abſolutum commonefacere, ne in foro externo ſe vt abſolutum, ſed vt excommunicatum, aut alia cenſura ligatum gerat, ne ille erret, & ſcandalum inde oriatur: quare, ſi Confeſſarius dignoſceret, eum hominem aut ob ignorantiam, quam ab eo tollere nequeat, vel ob aliam rationem, ſemel ab ipſo abſolutum, non ſeruaturum fore pro foro externo obligationem, quæ excommunicato denuntiato incumbit, non debet eum abſoluere. At, ſi abſoluat, & ſi illicitè, vtpotè ſuo muneri in re graui non ſatisfaciens, validè tamen abſoluet pro foro interno; nam valorem huius abſolutionis non tollit ignorantia, vel malitia ſubſequens eius hominis.

129 Infero quintò, abſolutum pro foro interno, ſi antequam pro foro externo abſoluatur, obtineat Beneficium, poſſe, tuta conſcientia illud retinere, quia vera, & valida fuit collatio quoad forum internum, ſiquidem facta fuit non excommunicato pro foro interno. Ita docent P. Suarez *tom.* 5. *diſp.* 4. *ſect.* 7. *num.* 27. Trullench *vbi ſuprà, dub.* 11. *n.* 2. Eſtò poſſit ille accuſari apud Iudicem, & hic priuare ipſum beneficio, eo quòd non iudicet de occultis, ſed de externis, & collatio Beneficij facta excommunicato ſit nulla; ille autem erat pro foro externo excommunicatus; *cap. Poſtulaſtis, de clerico excommunicato*; Couarru. *in cap. Alma mater. part.* 1. §. 7. *num.* 1. Et communis. Conſequenter ad dicta abſolutus pro foro interno, pro illo faciet fructus ſuos, ſi Beneficium habeat. Obiter hic nota, ſi excommunicato conferatur à Pontifice beneficium, & in reſcripto, aut Bullis Apoſtolicis apponatur ea clauſula, quæ iuxta ſtylum Curiæ ſolet apponi, nempè Pontificem abſoluere eum, cui beneficium indulget, ab omni cenſura, ad effectum dumtaxàt eiuſmodi reſcripti conſequendum, validam fore beneficij obtentionem, cum tunc temporis, quando beneficium obtinet, & perducit reſcriptum ad effectum, ille non ſit excommunicatus, ſed abſolutus; eſtò ſtatim in cenſuras reincidat. *Mendo in Bull. Cruciat.* Ita Garcia *de benefic. p.* 7. *cap.* 13. *à num.* 59 Barboſa *de clauſulis, clauſula* 179.

CAPVT XII.

Aliqua corollaria ex doctrina tradita de abſolutione à cenſuris virtute Bullæ Cruciatæ.

130 SIt primum corollarium Abſolutus pro foro interno à cenſu a, etſi celebret publicè, adhùc cum ſcanda o, re ipſa, foro interno ſolùm attento, non manet irregularis. Etenim irregularitas pro foro interno, quæ contrahitur ob celebrationem factam ab excommunicato, ſupponit excommunicationem pro foro interno; hæc autem non datur in illo; ergo nec incurritur irregularitas: At pro foro externo, in quo non fit iudicium de occultis, ex iuris rigore habebitur ille pro irregulari à iudice. Notant tamen Rodriguez *tom.* 2. *quæſt.* 61. *art.* 10. *verſ. Quantum ad ſecundum*; Valerus *verbo Abſolutio, diff.* 2. *numer.* 3. *verſ. Quartùs,* Trullench *in expoſit. Bull. lib.* 1. §. 7 *cap* 2. *dub.* 11. *numer.* 5. poſſe iudicem ex æquitate diſſimulare, & illum non punire. Quod tamen mihi difficile apparet; nam ille in ea celebratione publica deliquit, tum quia non ſe geſſit vt excommunicatum; tum quia ſcandali occaſio fuit; ergo in punitione huius delicti non debet iudex diſſimulare, cum vera delicta caſtigare teneatur; eſtò ſimul cum punitione declararet, ſi velit, eum non eſſe irregularem.

131 Secundum corollarium. Ad abſolutionem à cenſura pro foro interno tunc ſolùm requiritur ſatisfactio realis, aut virtualis à iure introducta, nempè iuratoria, fideiuſſoria, aut pignoratitia, cum pars eſt læſa in bonis, in fama, aut in corpore per aliquam actionem iniurioſam, ſeu iniuſtam; neque nomine partis intelligitur iudex, vt notant Sayrus *lib.* 3. *cap.* 18. *à num.* 8. *de cenſur.* Sotus *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 2. *art.* 3. P. Henriquez *lib.* 7. *de indulg. c.* 13. *num.* 2. Diana 1. *part. tract.* 11. *reſol.* 22. Trullench *vbi ſuprà dub.* 12. *numer.* 1. Vnde quando pars non eſt læſa, non requiritur ſatisfactio, nec cautio. Cæterùm ſi cenſura lata eſt ob delictum aliquod, nempè quia homo permanet in adulterio, aut concubinatu, non debet Confeſſarius pro foro interno eum abſoluere, donec dimittat adulteram, aut concubinam; aut ſi aliqua ratio ſufficiens vrget, ne ſtatim è domo v. g. eam eiiciat. ſed ſit paratus ad id præſtandum, cum primùm ſine eo incommodo, quod tunc præualet, poſſit, præſtita ſufficienti cautione, ſeu promiſſione, & inſpecta perſonæ qualitate, abſolutio erit impertienda. Quippè dum excommunicatus id ex parte ſua non præſtat, per eum ſtat,

Digitized by Google

quominùs abſoluatur; & qui perſiſtit in contumacia, propter quam ligatus fuit cenſura, nequit à Confeſſario adhuc pro foro interno abſolui. Et paritas fit à ſatisfactione, aut cautione præ requiſita ante abſolutionem, quando pars eſt læſa, ad vitationem occaſionis proximæ peccandi, & ſcandali, propter quam fuit lata cenſura, ſicut ibi fuit lata propter læſionem parti inflictam.

133 Tertium corollarium. Si excommunicatus, & ſi abſolutè ſatisfacere queat parti læſæ, non tamen valeat ſine incommodo graui ſui ſtatus, aut facultatum, quas diſpendere ad ſatisfaciendum, eſſet neceſſarium, & aliundè pars læſa non patiatur æquale incommodum, poterit Confeſſarius eum abſoluere pro foro interno, non præſtita ſatisfactione reali, ſed dumtaxàt cautione ſufficienti. Quippè cum hæc ſatisfactio ſit reſtitutio, non ampliùs obligatur propter cenſuram ad ſatisfactionem, quàm ex natura iuſtitiæ obligatur ad reſtitutionem, ex qua ſanè non obligatur in caſu poſito ad reſtituendum ſtatim, & reputatur moraliter impotens ad reſtituendum; quare cum ex ſe faciat, quod moraliter poteſt, abſolui valet pro foro interno à cenſura.

134 Quartum corollarium. Pontifex exigit in Bulla Cruciatæ, vt non aliter quis abſoluat virtute illius ligatum cenſuris, niſi ſatisfactio ſit præſtanda per abſoluendum, aut per hæredes. Quod vltimum verbum refertur ad abſolutionem à cenſuris, quæ in articulo mortis virtute Bullæ indulgetur; nam dum abſoluitur quis extra eum articulum, ſatisfactio non eſt ad hæredes remittenda, ſed per ipſum præſtanda. Intelligitur tamen ſatisfactio in hac clauſula (cum abſoluendus eſt quis in vita) ſiuè realis, dum poſſibilis eſt, ſiuè virtualis, ſi realis non eſt poſſibilis. Quæ explicatio communiter traditur ab Expoſitoribus Bullæ, & meritò; quia nomine ſatisfactionis abſque improprietate continetur virtualis, nec debet hoc priuilegium reſtringi ad ſatisfactionem realem, cum hæc à Pontifice non exprimatur, ſed potiùs vt fauorabile, eſt extendendum. Et prætereà, quia ſine Bullæ priuilegio poteſt Confeſſarius valens abſoluere à mortalibus non reſeruatis, abſoluere à cenſura non reſeruata pro foro interno, adhuc ſi detur pars læſa, præſtita ſatisfactione virtuali, nempè cautione ſufficienti, ergo, cum Pontifex in Bulla concedit poteſtatem ampliorem ad abſoluendum à cenſuris non reſeruatis, & reſeruatis, non reſtringit illum modum abſoluendi cum cautione ſufficienti, quo vti alij Confeſſarij abſque Bulla poſſunt, licèt non reſpectu tot cenſurarum. Quarè ea adjectio appoſita in Bulla, nempè ſatisfactionis præſtandæ, non eſt limitatio, ſed admonitio obligationis quæ eſt de iure communi, & incumbit omnibus in abſolutione cuiuſvis cenſuræ, quando datur pars læſa.

135 Cum verò abſoluitur quis in articulo mortis à cenſuris, & realis tunc ſatisfactio nequit præſtari, ſatis erit, ſi Confeſſario conſtet, moribundum in teſtamento, aut codicillo præcipere, aut injungere hæredi, vel teſtamentariis, (ſi hæredem non relinquat alium, quàm opera pia, aut ſuæ animæ ſuffragia) vt ſatisfaciant integrè parti læſæ. Si autem id Confeſſario non conſtet, & teſtamentum ſit conditum, in quo ea ſatisfactio eſt injuncta, certior debet de eo fieri, vel per affirmationem alicuius viri veracis, cui de eo conſtat, vel ipſius moribundi, ſi fide dignus ſit, aut etiam per iuramentum ipſius, ſi eius veracitas non ſit omninò firma. Demùm, ſi conditum non ſit teſtamentum, Confeſſarius tenetur exigere cautionem ſufficientem à moribundo, quòd in teſtamento à ſe condendo, iniunget, ſatisfactionem fieri, quamprimùm poſſit, aut ſi non ſit conditurus teſtamentum, declarabit ſuam voluntatem iis, & eo modo, qui aptior videatur, vt de facto ſatisfactio præſtetur. Quòd ſi ſuperuiuat, ipſe tenebitur ſatisfactionem præſtare. Cæterùm ſi abſolutus à cenſura, præſtita cautione ſatisfaciendi, non ſatisfaciat poſteà, cum poſſit (ſiuè in vita ſit abſolutus, ſiuè in articulo mortis, à quo maneat ſuperſtes) peccabit quidem tum contra iuſtitiam, tum contra iuramentum, ſi emiſit illum in cautione, quam præſtitit, ſed non reincidet in cenſuram, quia abſolutè, & non ad reincidentiam ablata fuit cenſura; nec poteſtas, ac iuriſdictio reſtringitur, aut modificatur ad abſoluendum ad reincidentiam. Secùs eſſet, ſi iudex abſoluiſſet, appoſita conditione, quòd abſolutus ſatisfaciat, cum poſſit, aut intra certum tempus, aliàs reincidat in cenſuram.

136 Quintum corollarium. Quando delegatur alicui poteſtas abſoluendi à cenſuris, quin limitetur ei, vt non abſoluat, niſi ſatisfacta parte; aut quin ſit conditionata poteſtas, nempè vt abſoluat, ſi tamen parti ſatisfactum ſit, tunc abſoluens à cenſura, non præſtita ſatisfactione, nec cautione, validè, ſed illicitè abſoluit. Illicitè quidem, quia non ſeruat in re graui iuris formam, iuxta quam debebat abſolutionem præſtare. Validè autem, quia ei conceſſa fuit illa poteſtas abſque limitatione; quia autem ſimpliciter habet eam poteſtatem, facit actum validum, licèt iniuſtè vtatur. Confirmatur; nam ipſe, qui poteſtatem ordinariam habet, ſi abſoluat abſque eo requiſito ſatisfactionis, ſeu cautionis, illicitè abſoluit, eo quòd violet formam iuris, ſed tamen validè, quia ſatisfactio, aut

Digitized by Google

aut cautio non ſunt de eſſentia abſolutionis, nec ius eas adſtruit, vt formam neceſſariam, ſed admonet grauiter abſoluentes, vt ſatisfactionem præcedere curent, non tamen eorũ reſtringendo poteſtatem, vnde factum tenet, & ſi illicitè faciant, *cap. venerabilibus*, §. *ſanè de ſentent. excommunicat. in* 6. ergo, qui accepit poteſtatem delegatam abſoluendi, illicitè, ſed validè abſoluet in caſu prædicto; cum eo ipſo quòd ei poteſtas limitata non fuerit, idem poteſt quoad abſolutionem, ac poteſt ipſe delegans. Videantur Caietanus *verbo Abſolutio, cap.* 4. Syluester *eodem verbo Abſolutio* 3. *num.* 3. Couarrub. *in c. alma mater, part.* 1. §. 11. *num.* 7. P. Suarez *de cenſur. diſp.* 7. *ſect.* 5. *num.* 43. Ludouicus à Cruce *in Bull. diſp.* 1. *cap.* 4. *dub.* 2. *num.* 12. *& dub.* 9. *num.* 4. Nauarrus *in Manuali*, *c.* 27 *n.* 37. Pat. Henriques *de excommunicat. capit.* 28. *n.* 2

137 Sed quæſtio adhuc eſt, an abſolutio à cenſuris virtute Bullæ abſque ſatisfactione reali partis, & nec cautione ſatisfaciendi præſtita, eſtò ſit illicita, ſit tamen valida? Affirmant P. Th. Sanchez *t.* 1. *de matrim. l.* 3. *diſp.* 33. *n.* 3. Barboſ. *in collectan. t.* 2. *tit.* 40. *c.* 23. *n.* 3. Valerus *in differ. vtriuſque fori*, *verbo Abſolutio, diff.* 5. *n.* 5. P. Auila *de cenſur. part.* 2. *cap.* 7. *diſput.* 3. *dub.* 9. *concluſ.* 2. referens pro hac ſententia doctos recentiores; Diana 1. *part. tractat.* 11. *reſolut.* 22. Mouentur, quia licèt poteſtati abſoluendi conceſſæ in Bulla addatur, debere eſſe partem ſatisfactam, aut præſtandam fore cautionem ſatisfaciendi, hæc tamen clauſula non eſt limitatiua poteſtatis, ſed dumtaxat eſt admonitio formæ iuris, vt ſeruetur; ergo valida eſt abſolutio conceſſa per poteſtatem non limitatam; ſicut quia per ſimilem poteſtatem conceditur abſolutio in caſibus *numer. præcedenti* poſitis, eſt abſolutio valida iuxta communem. Confirmatur, nam in caſu, quo delegaretur poteſtas abſolutè abſque ea clauſula, vt *numer. præcedenti* diximus, valida eſſet abſolutio, & tamen in conceſſione eius poteſtatis implicitè continetur, vt abſoluens ſeruet formam iuris circa ſatisfactionem, aut cautionem exigendam, & ideò ſi non exigeret, peccaret, quia iniuſtè vteretur poteſtate ſibi conceſſa, non ſeruans formam iuris, iuxta quam poteſtas ei fuit conceſſa; igitur idem contingit, ſi abſolutio per Bullam impertiatur, ſi quidem id dumtaxàt inter vtrumque caſum diſcrimen intercedit, quòd in illo clauſula præfata eſt implicita, in hoc eſt explicita.

138 Oppoſitam ſententiam tuentur P. Coninch *de Sacram. diſp.* 14. *dub.* 16. Caietan. Syluest. Armilla, Corduba, Sayrus, Suarez, Filliucius relati à Diana *ſuprà*, Trullench *vbi ſupra*, *dub.* 12. *numer.* 11. P. Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 13. *numer.* 2. Probant, quia Pontifex in Bulla noluit concedere poteſtatem abſoluendi à cenſuris, niſi ſub ea conditione ſatisfationis, aut cautionis præſtandæ; ergo abſolutio aliter præſtita non tenet, vtpotè abſque iuriſdictione conceſſa. Antecedens ſuadetur, quia ille ablatiuus *ſatiſfacta parte*, aut *ſatisfactione præſtanda*, habet vim conditionis, quod infertur ex *leg. ſi à teſtatore*, *& ff. de condit. & demonſtrat* Et ſic iudicant Nauarrus *conſil.* 40. *de ſentent. excom. n.* 3. Medina, Sotus, & alij relati à Trullench *vbi ſuprà n.* 11.

139 Licèt hæc ſecunda ſententia ſit tutior, tamen prima ſolidiori innititur rationi. Et eam vlteriùs confirmo. Si quis in articulo mortis abſolueretur à cenſuris virtute Bullæ, quin confeſſarius curaret de exigenda ab eo ſatisfactione, validè abſolueretur; ergo in aliis caſibus etiam validè abſoluitur; cum in Bulla eodem modo concedatur poteſtas ad abſoluendum in vita, ac in articulo mortis, vt ex verbis ipſius conſtat. Antecedens probatur, quia ſi ille moribundus abſolueretur à quovis Sacerdote à cenſuris, & non virtute Bullæ, validè abſolueretur, quamvis non exigeretur ab eo ſatiſfactio, aut cautio ſatisfaciendi. Noluit enim pia mater Eccleſia, vt negligentia, in ſuo munere obeundo, Sacerdotis tunc abſoluentis, præiudicaret moribundo, in cuius fauorem pro eo articulo ampliſſimam concedit cuilibet Sacerdoti iuriſdictionem, vt libauimus *diſp.* 23. *n.* 11. igitur, ſi abſoluatur ſimiliter virtute Bullæ, ob eamdem rationem, validè abſolutus manebit, ne peioris ſit conditionis is, qui abſoluitur per poteſtatem ampliſſimam conceſſam in Bulla quàm is, qui abſoluitur abſq; vllo priuilegio.

140 Et ne reſpondeas, non eſſe perioris conditionis, eo quòd tunc abſolutus validè maneret, non quidem per iuriſdictionem conceſſam in Bulla, ſed per iuriſdictionem Sacerdoti abſoluenti præſtitam ab Eccleſia. Pone caſum, in articulo mortis eſſe præſentes duos Sacerdotes, alium qui ſit Parochus moribundi, alium, qui ſit approbatus, & nulla ei ſit iuriſdictio præſtita ab Epiſcopo. (quod poſſe contingere, ſatis oſtendimus *ſuperiùs*) Eligat ergo moribundus hunc Sacerdotem approbatum, vt virtute Bullæ eum abſoluat, ſanè in ſententia aſſerente coràm proprio confeſſario, non poſſe Sacerdotem iuriſdictione carenten abſoluere in articulo mortis, ſi ille Sacerdos abſolueret à cenſuris moribundum, non præſtita ſatisfactione, aut cautione, non abſolueret validè iuxta ſententiam contrariam; ergo eſſet peioris conditionis. Quod nequit præſumi de mente Pontificis concedentis in Bulla ampliora priuilegia ad eum mortis articulum, quam Eccleſia ipſa concedit.

141 Vnde ad rationem ſententiæ negantis reſpondeo, illum ablatiuum abſolutum non denotare conditionem ſine qua non; ſed admonitionem debiti à confeſſario præſtandi, ſicut idem ablatiuus abſolutus implicitè continetur in priuilegiis abſoluendi à cenſuris, quæ conceduntur ſimpliciter, & tamen valida eſt abſolutio virtute illorum, quamvis ſatisfactio non exigatur, nec cautio.

CAPVT XIII.

Alia corollaria de his, quæ obſeruanda ſunt in abſolutione à cenſuris virtute Bullæ Cruciatæ.

142 CVm in articulo mortis quilibet Sacerdos habeat poteſtatem abſoluendi à cenſuris, Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, quid ſpeciale concedatur per Bullam Cruciatæ, poterat dubitari, ſed hoc dubium ſoluimus iam *diſp.* 23.*c.*11. Nunc aliqua animaduertere oportet, quæ obſeruari debent, quando præſtatur abſolutio à cenſuris. Sed quia communia ſunt abſolutioni præſtitæ virtute Bullæ, aut alterius priuilegij, & etiam per iuriſdictionem ordinariam, aut delegatam, breuiter ea præſtringemus, cum in tractatu *de cenſuris, & de excommunicatione* communiter ab Authoribus diſcutiantur, apud quos reperies, quidnam ſit obſeruaturus ille, qui pro foro externo à cenſuris abſoluit, eæ enim cæremoniæ non competunt abſoluenti virtute Bullæ Cruciatæ.

143 Si cenſura ſit lata à iure, vel ab homine propter crimina enormia, aut notoriam offenſam generantem ſcandalum; conſuetudine introductum eſt, vt abſoluens exigat iuramentum à viris, & à fœminis poſt pubertatem, quòd Eccleſiæ, & iudicis mandatis ſtabunt. Ab impuberibus autem hoc iuramentum non eſt exigendum; quod eſt manifeſtum ſignum, eſſentiam abſolutionis validæ ab eo non pendere. Videantur Sylueſter *verbo Abſolutio* 3. *n.* 3. Sayrus *in Theſauro lib.* 2. *c.* 18. *n.* 5. P. Henriquez *de excommun. cap.* 29. *n.* 3. Meo iudicio, ſi abſoluendus ſit is, cuius veracitas, & promiſſorum adimpletio eſt conſtans, ſufficit, eum de ſua obligatione admonere, &, vt illud promittat, expoſcere; cum ad id tendat ea conſuetudo, vt firmiùs exequatur abſolutus ſuum promiſſum, ſi iuramento confirmet; qui finis in caſu poſito ſufficienter obtinetur. Quin aliquando poſſet offenſionem, ac pudorem infligere exactio iuramenti, oſtendendo, non ſatis credi ſimplici promittentis aſſeuerationi.

144 Quando cautio ſatisfaciendi parti læſæ eſt præmittenda ante abſolutionem, aſſerit Trullench *in expoſ. Bull. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 18. *num.* 3. eam fieri debere ei, cui intereſt, aut alteri, qui eius obligationem adquirat, qualiſcumque cautio ſit, dummodò commode, ſine ſcandalo, ac infamia ſic fieri valeat. In primis, quando cautio eſt pignoratitia, aut fideiuſſoria, hoc aſſertum videtur communiter tenendum, niſi quis contendat, ſufficere, quod pignus apud ipſum confeſſarium deponatur, quod ſanè non abnuam, cum id ad certitudinem, & ſecuritatem ſatisfaciẽdi ſit ſatis, & aliquandò non inopportunum. At quando cautio dumtaxat iuratoria exigitur, eo quod attenta qualitate, & circunſtantijs perſonæ, ea ſufficiat, ſanè neceſſum non eſt, hanc cautionem alteri, quàm abſoluenti, præſtare, & praxis hoc confirmat, cum confeſſarij ad hoc iuramentum ſuſcipiendum nõ conuocent teſtes, aut partem læſam, ſeu aliũ loco ipſius. Etenim cum in iuramento Deus inuocetur, vt teſtis rei exequendæ, & reſpectu obligationis ex iuramento ortæ, præcipuum caput ſit, non reddere Deum falſi teſtem, ad hoc præſtandum non ſunt alij conuocandi, qui obligationem adquirant, cum Deus inde eam præcipuè adquiſiuerit, vt promiſſor rem iuratam adimpleat.

145 Si læſio partis, aut contumacia ſit dubia, ita vt etiam de contracta excommunicatione dubitatur, poteſt ab ea, & à quauis alia cenſura abſolui pœnitens ſub conditione, quòd eam incurrerit, quippè abſolutio à cenſuris in hoc differt ab abſolutione à peccatis, quòd hæc nequit dari ſub conditione, quòd quis peccauerit (eſtò cum dubitatur de aliquo, an ſit ſanæ mentis, aut compos rationis, poſſit dari ſub ea conditione, ſi capax eſt) debet enim materia proxima apponi, qui eſt dolor, & hic neceſſariò cadit ſupra peccatum; at abſolutio à cenſuris ſub conditione præſtari valet, cum non indè exoriatur periculum faciendi aliquod Sacramentum inualidum, nec committendi grauem irreuerentiam. Hinc, etiam cum pœnitens nec ſub dubio aſſerit, ſe incurriſſe excommunicationem, nec fatetur peccatum, cui ſit annexa cẽſura, praxis confeſſariorum eſt, proferre ante abſolutionem à peccatis: *Abſoluo te à cenſuris, ſi fortè incurriſti.* Quod laudabile eſt, vt ſic tollatur cenſura, quam fortè incurrit pœnitens, & inculpabiliter eius eſt oblitus, & abſolutio à peccatis ſuum effectum ſortiatur.

146 Si autem pœnitens poſitiuè dubitet de læſione partis, cui annexa eſt cenſura, ante abſolutionem admoneat illum confeſſarius, vt ſedulò exploret, vtrum partem læſerit, & caſu quo de læſione fiat certus, aut ferè certus, ſatisfaciat pro qualitate obligationis, & cautionem ſatisfaciendi ſub conditione læſionis inflictæ ab eo exigat. Et quidem, quamvis

vis læſioni non ſit annexa cenſura, & pœnitens confiteatur, ſe v.g. ſub dubio eſſe, an rem alienam vſurpauerit, monendus eſt à confeſſario, vt id inueſtiget & reſtituat: attamen, vt eum abſoluat à peccatis, non eſt neceſſarium, expoſcere ab eo cautionem iuratoriam: ſufficit, ſi is promittat, ſic eſſe præſtiturum, dummodo non ſit eius indolis pœnitens, vt non debeat ſynceræ promiſſioni credi.

147 Vnica abſolutione poſſunt plures cenſuræ, ſicut & plura peccata, tolli, & abſoluens per Bullam poteſt ab eis cenſuris abſolutionem præſtare, quamvis à diuerſis iudicibus ſint latæ, vel quædam à iure, aliæ ab homine, quædam reſeruatæ, aliæ non reſeruatæ, quædam demùm reſeruatæ Epiſcopis, aut Iudicibus inferioribus, aliæ autem Sedi Apoſtolicæ. Quippè virtute Bullæ poteſtatem abſoluendi ab his omnibus, modò *ſuperiùs* expoſito habet Confeſſarius, & aliundè vnica abſolutione poſſunt omnes tolli. Vide Emanuelem Rodriguez *in explicat. Bullæ*, §.9. *n.* 53. Sayrum *in Theſaur. lib.* 2. *cap.* 21. & communiter alios.

148 Hinc, ſi confeſſarius intendat ab omnibus cenſuris abſoluere, quamvis pœnitens tunc, cum abſoluitur, earum non recordetur, aut quamvis, ſi recordetur, cum petiit abſolutionem ab omnibus, aliquam non expreſſit, abſolutus remanet, nec alia indiget abſolutiones, niſi fortè pœnitens exprimat cauſam falſam, quæ moueat ad abſolutionem præſtandam, ſic enim abſolutio eſſet irrita, vtpotè ſurreptitia. Aliud eſſet, ſi cauſa falſa non eſſet motiua, ſed impulſiua, vel ſi abſolués intentionem habuiſſet tollendi cenſuram, vtcumque res ſe haberet. Si tamen per vim, & metum cadentem in conſtantem virum abſolutio à cenſura extorqueretur, irrita eſſet de iure communi, vt tradunt Authores communiter.

CAPVT XIV.

An abſolutio à cenſuris conceſſa virtute Bullæ Cruciatæ pro foro interno poſſit prodeſſe ad aliquem effectum pro foro externo?

149 SVppoſuimus adhuc, abſolutionem à cenſuris virtute Bullæ Cruciatæ ſolùm præſtari pro foro interno, quod communiter loquendo, verum eſt, & ita tenent P. Henriquez *l.7. de indulg. c.*13. *n.* 2. *in fin.* citans *in gloſ. litt. T.* Cordubam, Emanuelem, Simancas, Perez, Couarruuias, & Gomez. Item Ludouicus à Cruce, & Villalobos, quos refert, & ſequitur Trullench *in expoſ. Bull. l.*1. §.7. *cap.* 2. *dub.* 9. *num.* 2. Et hoc ex ſtylo Curiæ, ex praxi, & ex tenore verborum Bullæ conſtat, cum facultas hæc abſoluendi à cenſuris concedatur confeſſario, vt confeſſario, atque adeò pro foro interno, aliàs verba Bullæ non intelligerentur formaliter, ſed materialiter, prolatio autem materialis in Bullis Apoſtolicis non admittitur.

150 Rursùs cum delictum, propter quod lata eſt cenſura, deductum eſt ad forum contentioſum, ſi confeſſarius abſolueret pro foro externo, ſaltem ante præſtitam ſatisfactionem realem, aut abſque conuentione cum parte læſa, detraheretur ſanè authoritati, ac iuriſdictioni Iudicis, & ordo iudicialis perturbaretur, eſſetque ſcandalis occaſio: cum autem quis nominatim denuntiatur, iam lis ante Iudicem denuntiantem verſatur. In aliis autem caſibus (excepta denuntiatione, & publica Clerici percuſſione) excommunicatus non eſt vitandus, atque adeò non datur forum externum, pro quo valeat abſolutio, niſi in ordine ad aliquos effectus, nempè vt excommunicatus publicè, & ſi non vitandus, non maneat; nec cenſeatur irregularis, & alia huiuſmodi.

151 Nunc inquirimus, an virtute Bullæ Cruciatæ abſolutio præſtita à cenſuris proſit pro foro externo, quando pars eſt realiter ſatisfacta, aut cum ipſa ſit conuentio, vel ſi non detur pars læſa, nec cauſa deducta ſit ad forum contentioſum, proſit ea abſolutio quoad effectus extrinſecos pro foro publico? Affirmant Valero, Medina, & Rodriguez, quos refert, & ſequitur Trullench *vbi ſuprà n.*4. Bonacina *t.*1. *tractat. de cenſur. diſp.*1. *q.*3. *punct.* 10. *n.*2. P. Suarez *de cenſur. diſp.*7. *ſec.*5. *n.*21. Candidus *t.*1. *diſquiſ.*22. *art.*54. *n.*2.

152 Cui ſententiæ aſſentio. Quippe verba Bullæ non limitant facultatem hanc abſoluendi pro ſolo foro interno, & limitationes adhuc traditæ indè inferuntur, quod non præſumatur conceſſa poteſtas generalis, ex qua incommoda perturbationis ordinis iudicialis ſequantur, cum in generali conceſſione non cenſeatur conceſſum, quod in particulari, non eſt veroſimile, fore concedendum, quod eſt iuris principium: at ex abſolutione, de qua in præſenti, non ſequuntur incommoda, cum pars ſit ſatisfacta, vel cum ea concordatum, & aliundè ſcandalum vitetur modo dicendo ſtatim; ergo hæc facultas abſoluendi in Bulla conceditur.

153 Confirmatur, quia Gregorius XIV. in iubilæo anni 1591. allatus à P. Henriquez *l.*7. *de indulg. c.*13. *n.*2. *in gloſ. litt. V.* ait non prodeſſe abſolutionem conceſſam virtute eius iubilæi pro foro exteriori, niſi eſſet ſatisfacta pars, aut cum ea fuerit concordatum. Quæ ſanè fuit admonitio ad vſum rectum poteſtatis abſoluendi à cenſuris conceſſæ per verba generalia in illo iubilæo, quaſi in illis eſſet incluſa poteſtas abſoluendi pro foro exteriori,

Digitized by Google

riori, ſi pars eſſet ſatisfacta, aut cum ea eſſet concordatum; ergo ſub eadem conditione in verbis generalibus Bullæ eſt ea incluſa poteſtas. Quare in id propendet Couarrub. *in cap. alma mater* 1. *p.* §. 11. *num.* 16.

154 Rurſus confirmatur. Præſtita abſolutione pro foro interno, verè, & realiter ablata eſt cenſura; ergo, dum abſit ſcandalum, & ordini iudiciali non detrahatur, conſtetque de abſolutione, proderit ea abſolutio pro foro externo. At ſcãdalum abeſt, dum fides fiat de abſolutione, nec ordini iudiciali detrahitur, ſi iudex non reclamet, nec aliud reſtat inconueniens, igitur.

155 Dices primò, ſcandalum inde exurgere, quòd plublicè excommunicatus ſe gerat pro non excommunicato. Reſpondeo, cõſtare debere de abſolutione, priuſquam ille ſe gerat, ac ſi non eſſet excommunicatus. Conſtabit autem, vel atteſtante hoc Sacerdote, qui eum abſoluit, (de licentia ipſius, ſi intra confeſſionem abſoluit) aut eum abſoluendo coram teſtibus, & Tabellione, qui fidem faciat, aut præbendo pœnitenti ſcriptum, quo affirmet, ſe eum abſoluiſſe, quod ſcriptum eſſe eius Sacerdotis, fidem faciat tabellio, aut alia via ſimili, quæ ſit apta, vt res publicetur, ac credatur.

156 Dices ſecundò, hinc detrahi authoritati Iudicis, ordinemque iudicialem turbari. Reſpondeo, ſatisfacta parte, nullam in ordine iudiciali perturbationem ſequi, cum ille ordo ad ſatisfaciendum parti fuerit inſtitutus & poſſet pars à lite deſiſtere, abſque eius ordinis perturbatione. Si autem non eſſet pars læſa, adhuc Iudex poſſet benignum ſe oſtendere, & eam abſolutionem admittere in foro externo, ac accuſatorem repellere: quod docent Medina, Rodriguez, & fauent Ferrar. Simanc. Decius, Paulus Pariſienſ. & alij allati à P. Henriquez *vbi nuper*, Candidus *ſuprà dubitat.* 4. P. Auila, & alij, quibus ſubſcribit Trullench *vbi ſuprà dub.* 10. *num.* 10.

157 Addit Valerus *verbo Abſolutio, differ.* 2. *num.* 4. teneri Iudicem acceptare eam abſolutionem, cum pars ſit ſatisfacta, & nulla ei irrogetur iniuria, & aliundè id colligatur ex mente Pontificum, qui in Iubilæis aſſerunt ſatisfacta parte, valere abſolutionem pro foro externo, vt *ſuperiùs* aſſeruimus de Iubilæo anni 1591. & idem conceſſit Pius V. in Iubilæo anni 1568. Verum cum detur opinio probabilis, abſolutionem conceſſam virtute Bullæ non valere pro foro externo, poterit eam ſequi Iudex, & non tenebitur acceptare eam abſolutionem. Nos autem; cum affirmamus, abſolutionem pro foro externo prodeſſe, ſub. intelligimus, ſi in caſibus, in quibus ante Iudicem agitur, iudex non repugnet, quare non præbemus locum pertubationi ordinis Iudicialis,

158 Dices tertiò, poteſtatem abſoluendi, concedi in Bulla confeſſario, vt confeſsario, vt dicebâmus *num.* 160. ergo ſolùm pro foro interno. Reſpondeo, confeſſarium quidem immediatè, & directè ſolum abſoluere pro foro interno, ſed quia iam per eam abſolutionem eſt ablata cenſura, & ſupereſt modus, quo de illa conſtet, nec vlla inde incommoda ſequantur, nec Iudex repugnet, ea abſolutio prodeſt quoad forum externum, nempè vt ille non cenſeatur excommunicatus. Quod quidem non eſt, confeſſarium vti aliqua iuriſdictione circa forum externum, ſed ex iuriſdictione, quia in foro interno eſt vſus, quaſi reſultare, vt in foro externo iudicetur, illam cenſuram fuiſſe ablatam, quæ ablatio fuit certa; conſtare autem de ea, non eſt operari confeſſarium aliquid circa forum externum; ſemel autem conſtante abſolutione nõ eſt, cur ille iudicetur cenſura ligatus. Quare credam, ſic poſſe conciliari noſtram ſententiam cum oppoſita, in qua contenditur non concedi in Bulla aliquam poteſtatem quoad forum externum, quod quidem verum eſt, ſi loquamur de poteſtate immediatè reſpicien- te illud forum, in noſtro autem ſenſu forſan non inficias ibunt aduerſantes.

159 Hic aduerte primò, doctrinam traditam æquè procedere, ſiue cenſura fuerit publica à iure, vel lata nominatim ab homine: in quo aliqui diſtinguunt, & diuerſimodè philoſophantur, ſed rationes factæ pariter in omnibus militant. Aduerte ſecundò, ſi iudex non acceptet abſolutionem hanc ab eo expectandam priuſquàm abſolutus publicè ſe gerat, ac ſi non eſſet cenſura ligatus; alias ſcandalum ſequeretur, & Iudicis authoritati detraheretur. Quòd ſi quis fuit abſolutus à cenſura, & poſt abſolutionem publicetur eius delictum, vel etiam ad forum contentioſum deducatur, dum conſtet de abſolutione, aliâ abſolutione non indigebit. Vide Candidum *vbi ſuprà dubitat,* 1. *n.* 3. *&* Dianã 1. *p. tr.* 11. *reſ.* 26.

CAPVT XV.

An virtute Bullæ Cruciatæ poſſit quis abſolui à cenſuris ad reincidentiam?

160 Abſoluere ad reincidentiam eſt, ita tollere cenſuram, vt ſi abſolutus aliquid ei iniunctum non præſtet, ipſo facto in eamdem reincidat cenſuram, vel eam tollere, dum aliquid exercetur, aut in ordine ad aliquem effectum, vel per aliquos dies, ita vt, tranſacto eo tempore, aut effectu poſito, vel munere exercito, in eamdem cenſuram reincidatur, quæ abſolutio potius eſt ſuſpenſio, quàm ablatio cenſuræ; cum poſt eos dies, aut effectus illicò ſuam vim retineat ipſa cenſura.

Digitized by Google

ſura. Igitur inquirimus, an virtute Bullæ poſſit aliquo ex præfatis modis abſolui ad reincidentiam.

161 Non poſſe, eſt communis, & vera ſententia, quam tuentur Nauarrus, Sotus, Rodrig. Cenedo, Villalobos, & Pater Henriquez, quos refert, & ſequitur Trullench *in expoſ. Bul. lib. 1. §. 7. c. 2. dub. 14. n. 2.* P. Auila *de cenſur. part. 2. cap. 7. diſp. 3. dub. 14. concluſ. 2.* Ludouicus à Cruce *in explic. Bul. diſp. 1. cap. 4. dub. 8. num. 1.* Etenim is ſolus poteſt abſoluere ad reincidentiam, qui poteſt ferre cenſuram, & cui à potente illam ferre delegatur facultas abſoluendi ad reincidentiam, ſed abſoluens virtute Bullæ Cruciatæ non poteſt virtute illius ferre cenſuram, nec ei delegatur facultas expreſſa ad abſoluendum ad reincidentiam, ergo non poteſt ſic abſoluere.

162 Probatur maior, nam abſolutus ad reincidentiam, elapſo termino, aut non adimpleta conditione, ligatur cenſura ex vi abſolutionis præſtitæ ad reincidentiam, igitur ſic abſoluens debet gaudere iuriſdictione ligandi illum noua cenſura, aut eadem moraliter, qua priùs ligabatur, aut habere poteſtatem delegatam ad ſic abſoluendum ab eo, qui poteſt cenſuris ligare. Minor autem *è numer. præcedenti* ſuadetur; nam in primis certum eſt, in Bulla non concedi iuriſdictionem ad ferendum cenſuras. Deindè non delegatur poteſtas ad abſoluendum ad reincidentiam, ſed ſolà poteſtas ad abſoluendum ſimpliciter, & in hac illa neutiquam includitur, cum illa ex ſe ſit maior, requirens poteſtatem ad ferendum cenſuras, quam poteſtatem per ſe non requirit iuriſdictio ad abſoluendum ſimpliciter. Quare quicumque abſoluere poteſt à peccatis lethalibus, poteſt etiam ab excommunicatione non reſeruata, & tamen non valet ferre cenſuras, quia ad ferendum eas requiritur iuriſdictio in foro exteriori, ad abſoluendum autem ſufficit iuriſdictio pro foro interno.

163 Imò neceſſarium eſt, vt abſoluens ad reincidentiam non ſolum habeat poteſtatem ferendi cenſuras vtcumque, ſed poteſtatem ferendi illam cenſuram, à qua abſoluit. Vnde ſi Epiſcopus virtute Bullæ Cruciatæ velit abſoluere à cenſuris reſeruatis Pontifici, non poterit abſoluere ad reincidentiam ab illis; nam, etſi Epiſcopus queat ferre cenſuras, non tamen reſeruatas Pontifici.

164 Hinc cum datur pars læſa, ſi ipſa conueniat in hoc, quòd cenſura ligatus virtute Bullæ abſoluatur, cautione præſtita ſatisfaciendi, ita vt ſi non ſatisfaciat, reincidat in cenſuram, adhuc nequit ſic abſolutio præſtari, monendaque eſt pars læſa, non poſſe illum abſolui, niſi ſimpliciter. Vnde in caſibus, in quibus *ſuperiùs* aſſeruimus, poſſe virtute Bullæ abſolutionem præſtari, accepta cautione ab abſoluendo, ſanè ſi ille non ſtet promiſſis, peccabit, ſed non reincidet in cenſuram, quia abſolutus non fuit ad reincidentiam, nec ſic abſolui potuit.

165 Quando datur in Iubilæo facultas abſoluendi ad reincidentiam, an abſolutus, ſi non apponat conditionem requiſitam, reincidat in cenſuram quoad forum externum dumtaxat, an etiam quoad internum, & aliæ quæſtiones de abſolutione ad reincidentiam, non ſunt noſtri inſtituti, cum ſtatuerimus, in Bulla Cruciatæ poteſtatem ſic abſoluendi non concedi. Videantur Valero *in differ. vtriuſque fori, verbo Abſolutio differ. 2.* P. Sâ. *verbo Abſolutio, n. 17.* P. Suarez *tomo de cenſur. diſp. 7. ſec. 8* Sayrus *in Theſauro lib. 2. capit. 17.* P. Henriquez *de excommunicat. cap. 29.* Auila *ſuprà* P. Coninch *tom. 2. diſp. 14. dub. 16.* Bonacina, Hugolinus, Layman, Candidus, Cardinalis Toletus, & alij paſſim, vbi diſſerunt de cenſuris.

CAPVT XVI.

An abſolutio à cenſuris poſſit virtute Bullæ Cruciatæ impertiri extra forum Pœnitentiæ?

166. IAm *ſuperiùs* libauimus, poſſe Confeſſarium virtute Bullæ abſoluere à cenſuris extra forum Sacramentale Pœnitentiæ. Quod amplius conſtabit ex dicendis *diſp. ſequenti. cap. 20.* Vbi etiam ſtatuemus, poſſe Confeſſarium virtutæ Bullæ extra forum Pœnitentiæ vota commutare; eadem autem eſt ratio de abſolutione à cenſuris, & de commutatione, cùm ea abſolutio, & commutatio per ſe non requirant, fieri, & præſtari intra confeſſionem, & Sacramentum Pœnitentiæ, & aliundè Pontifex in Bulla eodem tenore verborum concedat, vt accipiens Bullam poſſit eligere confeſſarium, qui eum abſoluat à cenſuris, & peccatis, ac eius vota commutet: quod equidem intelligendum eſt ita, vt confeſſarius ea præſtet in eo foro, in quo præſtari queunt, ſcilicet abſolutionem à peccatis in foro pænitentiæ; abſolutionem verò à cenſuris, & commutationem votorum etiam extra illud forum, cum extra illud præſtari valeant. Committitur autem confeſſario hæc poteſtas, non quia neceſſario ſit ea vſurus, audiens confeſſiones; & non aliàs; ſed quia in confeſſario approbato ſupponitur ſcientia, prudentia, & maturitas, vt ea non temerè, nec inconſideratè exequatur, ſed abſque periculo errandi.

167 Ideò extra confeſſionem poſſe quem abſolui à cenſuris virtute Bullæ, aut Iubilæi, aut alterius priuilegij, tuentur P. Thom. Sanchez *tom. 3. de matrim. lib. 8. diſput. 34. num. 30.* Vega

Digitized by Google

30. Vega, Villalobos, Ledeſma, Ioannes à Cruce, P. Auila, & Connich, quibus à ſe relatis ſubſcribit Diana 1. *part. tractat.* 11. *reſol.*15. Ludouicus à Cruce *in expoſit. Bull. diſputat.*1. *cap.*4. *dub.* 5. *n.*2. Rodriguez *in Bull. in addition. ad* §.9. *num.*47. mutans ſententiam, quam tenuerat *in ipſa Bulla explicat.* §.9. *num.* 54. Trullench *in expoſit. Bull. lib.*1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 13. *numer.*5. P. Henriquez *lib.*7. *de indulg. cap.* 13. *num.* 2. Vbi *in gloſſa litt.* O. affert pro hac ſententia viros doctos ſui temporis, & alios, Victoriam, Peña Fr. Medina, Guerrero, Sancium. Fauent Tabiena *verbo Confeſſio* 2. §.16. Armilla *verbo Excommunicatio*, §.20. Pedrazà *lib.*2. *cap.* 1. Docent expreſſe Baſilius Legionenſis *in Bull. manuſcripta expoſitione, ad hanc Bullæ clauſulam, num.*8. Archiepiſcopus Antolinez, Nauarrus iunior, Muñoz, & Buſtos, in expoſitionibus Bullæ Cruciatæ, quas in Academia Salmantina tradiderunt, & apud me retineo.

168 Quæ ſententia confirmatur primò, quia P. Henriquez, & alij Authores teſtantur, ſic eam declaraſſe Commiſſarium generalem Cruciatæ. Secundò, quia Pontifex in Bulla nõ reſtringit, abſolutionem præſtandam eſſe, audita confeſſione; ergo cum hæc poteſtas abſoluendi ſit fauor, & non odium, à nobis reſtringi non debet. Imò olim apponebatur in Bulla, poſſe quem virtute illius eligere confeſſarium, qui eum audita confeſſione, abſolueret à cenſuris, & peccatis, quæ verba, *audita confeſſione*, appoſita non ſunt à tempore Gregorij XIII. & eorum ablatio vel denotat, ab eo tempore concedi poteſtatem abſoluendi à cenſuris, etiam non audita confeſſione, vel quia etiam hæc poteſtas concedebatur, adhuc appoſitis illis verbis, quæ non referebantur ad abſolutionem à cenſuris, ſed ad abſolutionem à peccatis, & forſan contrariæ opinioni fundamentum præbebant, ideò ablata ſunt, vt ceſſaret æquiuocatio, cum aliundè eis non ſit opus ad id ſignificandum, ad quod appoſita fuere, ſiquidem abſolutio à peccatis nequit dari, non audita confeſſione.

169 Tertiò, nam hi, qui abſoluere queunt à cenſuris non reſeruatis, nempè Parochus, & alij Confeſſores potentes abſoluere à mortalibus, illam abſolutionem poſſunt extra confeſſionem impertiri, vt praxis oſtendit, & non inficiantur aduerſarij; Hoc autem negari per Bullam, incredibile eſt, tum quia eius priuilegia ſunt ampliſſima; tum quia per Bullam conſtituitur quis per iuriſdictionem delegatam cum ea poteſtate, qua funguntur, qui illam habent ordinariam, in ordine ad abſoluendum.

170 Quartò, quia, & ſi hæc poteſtas conceſſa fuiſſet pro foro pœnitentiæ, attamen priuilegia pro eo foro conceſſa tũc ſolùm requirunt confeſſionem, cum malum nequit, niſi per Sacramentum Pœnitentiæ, auferri, vt ſunt peccata, ſicuti cum P. Suarez docet P. Caſtro Palao *tom.* 3. *de legib. diſput.*4. *part.*2. §. 5. *numer.*6. Cenſuræ autem non ſunt malum eiuſmodi, cum abſque Sacramento tolli valeant.

171 Pro contraria ſententia afferuntur à Diana *vbi ſuprà* Sanctarellus, Acoſta, Fernandez, P. Vazquez, & alij. Mouentur primò quia ſic declarauit Pius V. in Bulla Iubilæi anno 1568. Reſpondeo, hinc inferri, cum non declaratur, poſſe extra confeſſionem abſolui à cenſuris, ſiquidem tunc fuit neceſſum, id exprimere, vt ſecùs fieret. In Bulla autem Cruciatæ non eſt ſimilis declaratio, quare paritas non tenet; cum Pontifex potuerit ſemel id negare, & rursùs in alio priuilegio concedere. Et forſan verba eius Iubilæi admittere poterant explicationem datam *num.* 179. Indè etiam, licet in Bulla Hiſpana aſſeratur, Confeſſorem poſſe virtute Bullæ abſoluere pœnitentem à cenſuris, & peccatis non reſeruatis, totiesquoties pœnitens confeſſus fuerit; id tamen intelligendum eſt, ſingula ſingulis tribuendo; vt ſcilicet à peccatis abſoluat, quoties, confeſſus fuerit; & à cenſuris vel tunc, vel cum poſcat ille abſolutionem.

172 Mouentur ſecundò, quia priuilegia Bullæ ſolùm conceduntur pro foro interno, & vt conſulat Confeſſarius bono ſpirituali animarum; hoc autem fit intra confeſſionem ergo. Reſpondeo, forum internum eſſe duplex, & forum pœnitentiæ, & forum conſcientiæ; & quamvis verum ſit, priuilegia Bullæ in ordine ad abſolutionem concedi pro foro interno, modo *in ſuperioribus* explicato, non probatur, concedi pro foro pœnitentiæ, cum reſtet aliud forum internum cõſcientiæ; & in hoc etiam conſulitur bono ſpirituali animarum, cum ſanè illis maxima commoda accreſcant ex eo, quòd abſoluatur cenſura ligatus, etiam extra confeſſionem, & reddatur particeps bonorum ſpiritualium, quibus cenſura eum priuabat. De triplici foro, nempè contentioſo, ſeu externo, pœnitentiæ, & conſcientiæ vide D. Antonin. Rodrig. Caſtro Pal. & alios quos affert Trullench *vbi ſuprà, n.*9. Couarru. *in cap. Alma mater*, 1. *part.* §.11. *n.*16. Et alios communiter.

CAPVT XVII.

An abſens poſſit abſolui à cenſuris virtute Bullæ Cruciatæ?

173 SVpponendum eſt ex *cap. præcedenti*, abſolutionem à cenſuris virtute Bullæ poſſe præſtari extra confeſſionem, ſi enim ſolùm

Digitized by Google

ſolùm intra conceſſionem poſſet, abs dubio eſſet, non poſſe abſolui abſentem, cum confeſſio neutiquam in abſentia fieri valeat, vt declarauit Clemens VIII. anno 1602. die 20. Iunij in motu proprio, qui incipit, *Sanctiſſimus*, & extat *in tom.* 3. *Bullary Romani.*

174 Supponendum eſt ſecundò, etiam in abſentia poſſe dari forum internum conſcientiæ, prout condiſtinguitur à contentioſo, ſeu externo; quare plures diſpenſationes pro foro conſcientiæ conceduntur à Pontifice, & ab Epiſcopis reſpectu abſentium. Et prætereà Epiſcopus valet abſoluere abſentem à cenſuris occultis reſeruatis pontifici, à quibus iuxta Tridentinum pro foro interno dumtaxàt poteſt abſolutionem impertiri.

175 Supponendum eſt tertiò, magis expediens eſſe, & ſemper conſulendum (niſi aliter fieri nequeat ob aliquam rationabilem, & vrgentem cauſam) abſentem non abſolui pro foro interno à cenſuris; vt ſic vitentur ſcandala, & major cenſuris habeatur reuerentia; Quare praxis eſt, vt, ſi iudex ſit abſens, committat Sacerdoti poteſtatem abſoluendi à cenſura in præſentia eum, quem ipſe ligauit, cum tamen certum ſit, iudicem poſſe abſoluere abſentem, ſicut potuit abſentem ligare.

176 His poſitis, plana eſt dubij propoſiti deciſio. Aſſero igitur, poſſe quem abſolui à cenſuris virtute Bullæ in abſentia; ſed vt in plurimum id non expedire. Hæc ſecunda pars aſſerti conſtat ex *nuper* dictis. Prima verò ex eo, quòd in Bulla conceditur poteſtas abſoluendi extra confeſſionem pro foro interno conſcientiæ; & hoc etiam reſpectu abſentis ſaluatur. Tenet hanc ſententiam Trullench *in expoſit. Bul. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 18. *num.* 13. Et ei fauent, quotquot cenſent, virtute Bullæ poſſe abſolui à cenſuris extra confeſſionem, quos retulimus *num.* 168. Nec aliquid ſpeciale contra hanc concluſionem opponi poteſt, quod *cap. præced.* non fuerit ſolutum.

CAPVT XVIII.

An inuitus, item & ignorans abſolui poſſint à cenſuris virtute Bullæ Cruciatæ?

177 EX *capite* 1. pono, inuitum poſſe abſolui à cenſuris per illum, qui eas tulit; nam actus iuriſdictionis, quem exercet Prælatus, aut iudex tollendo cenſuras, non pendet à voluntate alterius, & ſicut inuitum ligauit, ita & abſoluere poteſt: ob ſimilem rationem poteſt etiam abſoluere ignorantem; nam abſolutio non pendet à ſcientia illius, qui abſoluendus eſt, ſed à poteſtate abſoluentis. Ita P. Reginaldus *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 41. Attamen ignorans abſolutionem, eſtò re ipſa eſſet abſolutus, debet ſe gerere vt cenſura ligatum, cum in ordine ad ipſum circa actus externos res ſe habeat, ac ſi non eſſet abſolutio impertita. Cœterùm ſi conſcius de illa fiat, non tenetur, aliam abſolutionem expoſcere, cum iam cenſura fuerit verè ſublata.

178 Sed tamen virtute Bullæ Cruciatæ inuitus, & ignorans abſolui nequeunt à cenſuris. Ratio eſt manifeſta, quia poteſtas abſoluendi à Pontifice conceditur ei Confeſſario, quem elegerit ad munus abſolutionis exequendum is, qui Bulla Cruciatæ gaudet; quare non indulgetur ea poteſtas Sacerdoti, ſi ipſe habeat Bullam, ſed ſi habeat abſoluendus, & eum eligat; Qui autem eſt inuitus, & ignorans, non eligit Confeſſarium, à quo abſoluatur à cenſuris, vt ex ſe patet, ergo non poteſt abſolui. Rursùs ea poteſt abſoluendi præſtita in Bulla eſt priuilegium conceſſum habenti ipſam Bullam; ille autem non cogitur vti ſuo priuilegio, nec beneficium confertur inuito.

179 Excogitabilis autem mihi videtur caſus, in quo abſolui poſſet ignorans hic, & nunc, licèt non abſolutè. Scilicèt ſi quis habens Bullam dixiſſet Confeſſario, ſe eum eligere, vt quoties ſciret, ipſum innodatum eſſe cenſuris, etiam ignorantem abſolueret. Tunc enim, ſi Confeſſarius noſceret rectam in illo diſpoſitionem, vt abſolueretur, poſſet adhuc ignorantem abſoluere. Imò in praxi id ſæpè contingere poteſt, cum nempè pœnitens virtute Bullæ eligit Confeſſarium, qui eum abſoluat à cenſuris, & peccatis, & incidit in cenſuras, quas ignorat, poteſt poſt confeſſionem abſolui à peccatis, & cenſuris, etiam ab his, quas ignorabat tunc, cum confitetur, eſtò non inciderit in illas ignorans. Et contingere poteſt, vt non ſit neceſſarium, moneri à Confeſſario pœnitentem de cenſura, in quam incidit. Attamen in his caſibus ſimpliciter non ignorat pœnitens, abſolui ſe à cenſuris, ſi illis ſit innodatus, cum elegerit Confeſſarium, qui eum abſoluat, ſi abſolutione indigeat.

180 Nequit tamen dari caſus, in quo inuitus per Bullam à cenſuris abſoluatur; Nec enim habens Bullam, ſi dixiſſet Confeſſario, vt eum abſolueret poſteà, etiam inuitum, à cenſuris, poterit poſteà abſolui, ſi ſit inuitus; nam per hanc vltimam voluntatem retractatur prima; & tunc, cum eſt inuitus, non poteſt exerceri poteſtas abſoluendi, quæ tunc pendet ab electione voluntaria illius: nec beneficium eſt inuito conferendum, ita vt ille cogatur ſuo vti priuilegio.

Digitized by Google

CAPVT XIX.

An virtute Bullæ Cruciatæ poſſit aliqua irregularitas tolli.

181 EX dictis *cap.* 1. facilis eſt huius reſolutio quæſtionis. Ibi enim aſſerui, nullam irregularitatem eſſe cenſuram, & quamlibet tolli per diſpenſationem, non per abſolutionem. Cum ergo in Bulla Cruciatæ dumtaxàt concedatur facultas ad abſoluendum à cenſuris, & peccatis, nullatenùs ad diſpenſandum in aliquo impedimento iuris, vel ſimili, conſequens eſt, vt virtute illius nequeat irregularitas tolli.

182 Pro hac ſententia ſtant, tum qui eam expreſsè tuentur, tum qui docent, nullam irregularitatem eſſe cenſuram, P. Henriquez *lib.* 7. *de indulg. c.* 13. *n.* 6. qui *in gloſſ. lit. R.* citat pro ea D. Thomam, Scotum, Paludan. Sotum, Carthuſ. Ledeſm. Nauarr. Couarr. D. Antoninum, ac Villadiego. Et antecedenter *in gloſſ. litt. Q.* ait, viros doctiſſimos, qui contrariam ſententiam tenuerant, eam mutaſſe, ſcilicet Epiſcopum Sancium, Peña, Mancium, & Sotomayor. Prætereà ita docent Ludouicus Lopez, Cepedo, Sayrus, Suarez, & Auila, quos refert, & ſequitur Trullench *in Bul. lib.* 1. §. 7. *c.* 2. *dub.* 17. *n.* 4. Ipſe tamen *n.* 13. ait, oppoſitam ſententiam non eſſe improbabilem, & poſſe admitti in praxi vt probabilem, ſi vrgente caſu, non eſſet facilis recurſus ad Superiorem pro diſpenſatione in irregularitate; ſicut vrgente neceſſitate, baptizandus eſt puer in aqua dubia, ſi non eſt alia. Rurſùs noſtrum aſſertum tuentur Caietanus, Faber, Homobonus, Viuald. Maiolus, Martinus Ledeſma, Villalobos, Acoſta, Miranda, Pariſius, Zerola, Llamas, Zecchius, Graffis, Sanctarellus, P. Molina, Thom. Sanchez, Filiucius, Toletus, Reginaldus, quos cum aliis refert Diana. 1. *p. tr.* 11. *reſol.* 27. Qui ait, hanc ſententiam eſſe probabiliorem, ſed oppoſitam eſſe probabilem. Demùm præter alios noſtræ concluſioni aſſentitur Baſilius Legionenſis *in explic. manuſcript. Bul. in præſenti n.* 8. affirmãs, non poſſe oppoſitam ſententiam in praxi exerceri.

183 Et quidem ſtylus Curiæ nomine cenſurarum irregularitatem non intelligit; ob quem ſtylum affirmauit Sayrus idem, quod Baſilius Legionenſis, de ſententia oppoſita. Nec iuxta eum ſtylum in poteſtate abſoluendi à cenſuris includitur facultas abſoluendi ab irregularitate, vt teſtantur Antonius Gomez *in expoſ. Bul. ad decimam clauſulam n.* 31. Nauarrus, Henriquez, & Trullench citati; Stylus autem Curiæ Romanæ facit ius, *cap. ex litteris, de conſtit. cap. Quàm graui, de crimine falſi.*

184 Deindè facultas tollendi irregularitatem non conceditur in Iubilæis adhuc ampliſſimis, in quibus quoad hæc non minor, ſed maior, quàm in Bulla Cruciatæ indulgetur poteſtas; ergo nec in Bulla conceditur. Prætereà, vt notat Hugolinus *lib. de cenſur. tab.* 1. *cap.* 16. *num.* 2. in Iubilæo, quem conceſſit Clemens VIII. anno 1593. poſt generalia verba expreſſit facultatem diſpenſandi in irregularitate; igitur, quia hæc facultas non comprehenditur ſub poteſtate generali abſoluendi, aliàs non eſſet neceſſarium, eam exprimi.

185 Non pauci ſunt Authores pro oppoſita ſentẽtia, aſſerentes, virtute Bullæ poſſe tolli irregularitatem, quæ eſt purè pœna, ſecùs aliam. Videantur apud Dianam *ſuprà*; quorum authoritas redderet probabilem practicè eam opinionem, niſi ſtylus Curiæ contrarius eſſet, & fundamenta poſita rem omninò non conuincerent meo iudicio, communi iam authorum ſuffragante ſenſu.

186 Mouentur contrarij primò, quia aliquæ irregularitates ſunt cenſuræ. Sed hoc negaui iam, & oppoſitum conſtat *ex cap. Quærenti de verbor. ſignific.* Secundò, quia in Bulla Pij IV. expedita anno 1561. concedebatur facultas abſoluendi à cenſuris, & à pœnis Eccleſiaſticis; nomine autem pœnæ, prout condiſtinctæ à cenſura, intelligitur irregularitas, quæ eſt pœna. Reſpondeo, hanc vocem fuiſſe ablatam ex Bulla Cruciatæ à Pio V. vſque adhuc; quare potiùs eſt in contrarios argumentum, cum ablatio denotet, non concedi iam eam poteſtatem, ſi priùs concedebatur. Imò credam, ablatam eſſe, vt ſuperfluam, & ne daretur locus ſententiæ oppoſitæ; cum nec tunc conceſſa fuiſſet niſi poteſtas abſoluendi à cenſuris, & pœnis, quæ in præſenti in idem coincidunt, irregularitas autem non eſt pœna, quæ tollitur per abſolutionem, ſed per diſpenſationem. Verba verò, & priuilegia Pontificis non ſunt amplianda ad ſenſum improprium, & eius menti, ac ſtylo contrarium. Hinc non eſt audiendus Trullench *num.* 183. relatus; quippè, ſi in aliquo caſu ſententia oppoſita poſſet in praxi exerceri ob probabilitatem, ſanè ob hanc ſemper exerceri poſſet. Nec quidquam probat exemplum ab hoc Authore allatum, nam, cum agitur de medio ſimpliciter neceſſario ad ſalutem æternam, poteſt dubium medium aſſumi, cum aliud non adeſt, quia fortè proderit; in tollenda autem irregularitate, non agitur de medio eiuſmodi. Quid autem tenendum ſit circa Baptiſmum in materia dubia, videatur apud me *in ſtatera opinionum benignarum, diſſertat.* 9. *ex num.* 1.

Digitized by Google

DISPVTATIO XXVI.

De commutatione votorum in Bulla Cruciata conceſſa.

Verba Bullæ Latinæ ſunt. *Et illis vota omnia (Vltramarino, Caſtitatis, & Religionis exceptis) in aliquod ſubſidium huius expeditionis per eumdem Confeſſarium commutari.* Quæ ſic vertuntur in Bulla vulgari. *Podrà tambien el dicho Confeſſor comutarles qualeſquier votos, aunque ſean hechos con juramento, dando la limoſna que parcciere, en fauor, y beneficio de la ſanta Cruzada, excepto los de Caſtidad, y Religion, y vltramarino.*

CAPVT I.

Aliqua de voto prælibantur.

1 NOn aliter clarè clauſula præſens Bullæ exponetur, niſi priùs fundamenta iaciantur, præmiſſis aliquibus de voto, quæ non diſputabo, ſed ex Authoribus decerpta, quæ mihi veriora apparent, pro more meo in ſimilibus, proferam. Igitur votum eſt promiſſio Deo facta de meliori bono. Poteſt fieri votum abſque vllis verbis, & ſignis externis, in quo, præter alia, differt à promiſſione facta homini, hæc enim ſemper debet per verba, au ſigna fieri, vt docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 1. Iuxta cuius doctrinam ad voti ſubſtantiam requiritur primò, vt votum fiat deliberatè cum ſufficienti notitia, & iudicio rationis. Secundò, vt vouens habeat in animo promittere, ſeu ſe ad rem promiſſam obligare, & re ipſa promittat. Tertiò, vt materia voti ſit bona, imò præſtantior, quàm oppoſita.

2 In dubio, an votum factum ſit cum ſufficienti deliberatione, ea nempè, quæ ſufficeret ad peccatum mortale, obligat quidem, quia poſſeſſio ſtat pro voto. Sic Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 4. *quæſt.* 2. *punct.* 1. *num.* 3. Votum emiſſum ex metu graui à cauſa extrinſeca iniuſtè incuſſo, ſaltem iure Eccleſiaſtico inualidum eſt. Sic P. Leſſius *de iuſt. lib.* 2. *c.* 40. *d.* 3. Eſt autem validum, ſi emittatur ex metu graui illato à cauſa intrinſeca, vt morbo, aut naufragio; & etiam ſi inferatur à cauſa extrinſeca, quæ non tendebat ad extorquendum votum, nam in his euentibus ſufficienter eſt voluntarium. Ita P. Suarez *lib.* 1. *de voto cap.* 7. *num.* 8.

3 Sufficiat ad votum promiſſio implicita, *Mendo in Bull. Cruciat.*

vt in ſuſcipiente iuxta Eccleſiæ intentionem Ordinem ſacrum, cui annexum eſt caſtitatis votum. Sic P. Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *c.* 1. Si accedens ad Ordines ſacros nollet ſe obligare, & ſi ex vi præcepti Eccleſiæ teneretur ad aſſentiendum obligationi, tamen ex vi voti non oriretur in eo obligatio. Ita P. Thom. Sanchez *de matrim. lib.* 1. *d.* 9. Quòd ſi quis habeat animum promittendi, dum vouet, ſed non ſe obligandi, non indè conſurgit obligatio voti; Si autem dubitet, an animum ſe obligandi habuerit, ſtat poſſeſſio pro voto. Ita Nauarrus *lib.* 3. *conſilior. de vot. conſil.* 4. Animus verò non adimplendi promiſſum non tollit obligationem. Sic P. Reginald. *in praxi for. pœn. lib.* 18. *num.* 261. Peccatque grauiter, aut leuiter iuxta qualitatem materiæ, qui eo eſt animo. At qui fictè vouet, venialiter delinquit ob irreuerentiam; niſi ſit votum publicum, aut ſolemne, tunc enim grauiter peccat propter ſcandalum, aut damnum Religionis. Ita Eligius Baſſæus *in floribus Theologiæ, verbo votum* 1. *n.* 8 *pag. mihi* 663.

4 Irritum redditur votum, ſi cauſa illius ſit error circa partem notabilem rei promiſſæ, aut circa perſonam, cui opus eſt præſtandum, vel circa materiam, aut circa cauſam formalem; non verò, ſi ſit error circa quid accidentarium. Videatur P. Leſſius *ſuprà lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 2. Votum ſimplex cum errore circa cauſam finalem eſt inualidum, nam cenſetur fieri ſub conditione, quòd cauſa ſubſiſtat: ſecùs eſt de voto ſolemni, quia iam iudicatur quis velle eum ſtatum aſſumere, etiam ſi non ſubſiſtat finis, propter quem aſſumit; Sic P. Molina *tom.* 2. *de iuſtit. diſp.* 272. Votum etiam ſimplex ceſſat, cauſa finali ceſſante, quia non cenſetur quis vlteriorem in ſe ſuſcipere obligationem. Ita Rodriguez 1. *p. qq. Reg. c.* 98. *n.* 2. Non tamen irritatur votum per dolum, aut errorem circa cauſam impulſiuam, quia non tollitur ratio voluntarij. Sic P. Vazquez *in* 1. 2. *diſp.* 70. *c.* 3. In dubio autem, an cauſa fuerit impulſiua, vel finalis, probabile eſt, ſtare poſſeſſionem pro libertate; probabilius, ſtare pro valore actus. Ita P. Azor *lib. inſtitut. moral. c.* 15. *q.* 3.

5 Votum fit Deo mediatè, vel immediatè, aut ei ipſi aliquid promittendo, aut in honorem Sanctorum aliquid præſtandum, offerendo. Imò cum promiſſio dirigitur immediatè in ipſos Sanctos, interpretanda eſt piè intentio vouentis, nempè in Dei cultum præcipuè tendere, aliàs propriè non erit votum. Sic Clauis Regia *lib.* 6. *cap.* 1. Votum aliud eſt reale, cum promittitur quid pretio æſtimabile, quod non ſit actio hominis; Aliud perſonale, quo promittitur actio, aut omiſſio, aliud mixtum, quo vtrumque promittitur. Rurſùs votum vel eſt perpetuum, toto vitæ

Digitized by Google

tempore duraturum; aut temporaneum, pro aliquo ſcilicèt tempore. Præterea aliud eſt votum ſolemne, quod annexum eſt Ordini ſacro, & quod in Profeſſione Religionis approbatæ emittitur. Aliud ſimplex, nempe omne aliud. Deinde votum diuiditur in expreſſum, quod diſerte emittitur; & in tacitum, cum aliud voluntariè agitur, cui votum eſt annexum; veluti cum Ordo ſacer ſuſcipitur. Denique votum aliud eſt abſolutum, ſub nulla ſcilicèt emiſſum conditione; aliud conditionatum, quod ſub aliqua conditione emittitur, & non obligat, vſque dum conditio apponatur. Et hoc vel eſt purè conditionale, vt, ſi liberer à morbo, promitto Deo, eleemoſynam elargiri; vel eſt pœnale, vt voueo hoc, ſi in talem culpam inciderim Quòd ſi ſimul quis voueat & omiſſionem delicti, & pœnam; duplex erit votum, aliud abſolutum reſpectu vitationis delicti, aliud conditionale reſpectu pœnæ. Votum conditionale declaratur per particulam *ſi*; ſed attendendum eſt, an ea particula denotet tempus adimplendi voti, tunc enim accedente eo tempore votum obligat, & fuit abſolutum; vt, *ſi moriatur pater meus, voueo ingreſſum in Religionem.* Dignoſcetur autem, quando ea particula denotat tempus, & non conditionem in eo, quòd vouens non emittit promiſſionem ex affectu ad rem importatam per eam particulam, ſicut emittitur, cum eſt votum conditionale purè.

6 Materia voti debet eſſe melior, quam oppoſita; vnde non eſt apta materia ea, quæ opponitur conſilio Euangelico, niſi aliqua circunſtantia redderet eam reſpectu vouentis meliorem, vt de voto nubendi ſolet afferi. Debet materia eſſe poſſibilis, & noſtræ poteſtati ſubiecta, fruſtrà quippè impoſſibile, & alienum vouetur. Ita omnes. Hinc, ſi quis vellet ſe obligare ad exequenda duo inter ſe repugnantia eodem tempore, inualidè voueret. Quando verò pars eſt mala, indifferens, ſeu impoſſibilis, non autem alia pars, ad hanc tenetur vouens, quia vtile per inutile non vitiatur; niſi per modum vnius, & cum dependentia vnius ab alia vouerit. Sic Pater Filliucius *tract.* 26. *capit.* 2. *n.* 40.

7 Validum eſt votum de non peccando lethaliter, item de non peccando venialiter ex plena aduertentia; ſed paucis conſulendum & facilè diſpenſandum, vt monet Baſſæus *vbi ſuprà, verbo votum* 2. *num.* 4. Vbi addit, non eſſe validum votum de non peccando venialiter etiam ex ſubreptione, nam eſt de re moraliter impoſſibili. Votum de re indifferenti, niſi intento bono fine, non eſt validum, quia non magis placet Deo, quàm oppoſitum. Ita cum communi Syluius 2. 2. *quæſt.* 88. *articul.* 2. *concluſ.* 4. Si quis dubitet, an materia voti ſit indifferens, poſſeſſio ſtat pro valore actus; Secus, ſi dubitet, an materia ſit licita, ne exponatur periculo peccandi, ſi rem exequatur. Videatur Diana 4. *part. tractat.* 3. *reſolut.* 13. Validum eſt votum rei bonæ ob finem indifferentem, quia res ipſa eſt melior, quàm eius carentia. Si autem emittitur votum eius rei, ob adipiſcenda bona temporalia, ſi non obtinentur, communiter non obligat, quia ibi conditio, ſi obtineantur, includitur. Ita Sotus *lib.* 7. *de iuſt. q.* 1. *art.* 3.

8 Actio mala nequit eſſe materia voti. Ita communis cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 88. *articul.* 2. Validum autem eſt votum rei bonæ ſub conditione turpi, & hac appoſita, obligat, vt docet Cardinalis Toletus *in ſum. lib.* 4. *cap.* 17. *numer.* 16. actio præcepta eſt materia voti, nouumque vinculum obligationis indè conſurgit, *cap. ſacrilegij* 27. *quæſt.* 1. nam ea actio, adhuc præcepta, eſt ſimpliciter libera.

9 Votum in materia graui obligat ſub mortali, non verò in materia leui, ſed dumtaxat ſub veniali, etiam ſi vouens habuerit intentionem obligandi ſe ſub mortali. Ita cum pluribus Diana *part.* 3. *tractat.* 6. *reſol.* 24. Vouens rem leuem affixam ſingulis diebus, abſque intentione vt vltra diem obligatio prorogetur, ſolùm venialiter peccat, quoties eam omittit, etiam ſi ſemper omittat. Ita Caramuel *in regula Sancti Benedicti diſputat.* 7. *numero* 96. Pater Tannerus 2. 2. *diſput.* 5. *dubitat.* 3. *numero* 38. Votum perſonale ceſſat, ſi quis per ſe ipſum nequit illud implere; non verò reale, ſi poteſt adimplere per alium; nec mixtum, quoad partem realem, ſi hæc non fuerit acceſſoria principali. Sic Angelus *verbo votum* 3. *num.* 7. Pater Suarez *lib.* 4. *de voto*, *cap.* 10. In voti adimpletione, attendendum eſt ad intentionem vouentis, qui ſi nullas circunſtantias appoſuit, obligatur ad ſeruandum materiam voti eo modo, quo ſeruaret eam ſi eſſet materia præcepti. Ita Pater Sà, *verbo votum*, *num.* 22. Itaque non obligat votum vltra intentionem vouentis, ideóque ceſſat, ceſſante cauſa finali, cum limitatione appoſita *numer.* 4 Quare non obligat, ſi facta eſt notabilis mutatio in materia, redditaque eſt valdè difficilior, illicita, aut maioris boni impeditiua. Ita Pater Reginaldus *libr.* 18. *à num.* 177.

10 Quinque modis tollitur obligatio voti, vt communiter docetur, & recenſet. Trullench *in expoſ. Bull. lib.* 1. §. 7. *capit.* 3. *dub.* 1 In primis ceſſatione materiæ, de qua iam egimus, deindè interpretatione, vt cum declaratur à viro docto, votum non obligare

Digitized by Google

re defectu alicuius requiſiti in emiſſione illius, quod poteſt præſtari ab ipſo vouente, ſi ſit doctus, & vt periculum peccati vitetur, vota non ſunt amplè interpretanda. Ita Syluester *verbo Iuramentum* 3. Præterea irritatione, diſpenſatione, & commutatione.

11 Vota eorum, qui alijs ſubiecti ſunt vel quoad ſe, vel quoad materiam voti, ab illis irritari queunt, etiam abſque cauſa, nam in votis imbibitur conditio, niſi contradicat Superior, aut ille, cuius intererit. Sic P. Filiucius *tr.*26. *cap.* 8. Debent autem eſſe ſubiecti perfectè hi, quorum vota irritari queunt; quare nec ab Epiſcopis vota ſubditorum, nec à Pontifice; niſi vota Religioſorum, qui ſpeciali modo ei ſubduntur, valent irritari, quia ea conditio reſpectu Pontificis, aut Epiſcopi nō extenditur. Ita P. Suarez *lib.* 6. *de voto, cap.* 2. *num.*8. Vota ſeruorum, etiam ante ſeruitutem emiſſa, poteſt irritare dominus, ſi ipſi præiudicent, & non aliter, quia in alijs domino non ſubduntur. Ita Syluius 2. 2. *q.* 88. *ar.* 8. Idem dicendum eſt de marito reſpectu vxoris, cum P. Valentia 2. 2. *diſp.* 6. *q.* 6. *pun.* 6. Probabile tamen eſt, & tutum in praxi, poſſe irritare maritum quæcumque vota vxoris, cuius eſt caput, ne illa ob leuitatem ſexus facilè ſe votis implicet. Sic P. Tho. Sanchez *de matrim. lib.* 9. *diſp.* 39. *n.*40. Similiter vxor poteſt irritare ea mariti vota, quæ ei incommodant, aut eius iuri. Sic Clauis Regia *lib.*6. *cap.* 10. *num.* 20. Secus autem eſt de vtroque, ſi ex pacto voueant ingreſſum in Religionem, aut maritus ſuſceptionem ſacrorum Ordinum. Ita Baſſæus *ſuprà verbo votum* 5. *numero* 7.

12 Ob rationem poſitam Superiores valent irritare vota omnia Religioſorum, qui eis ſudditi ſunt (loquimur de votis ſimplicibus non conſtituentibus ſtatum Religioſum) excepto voto tranſeundi ad arctiorem Religionem, in quo eis non ſubduntur *cap. licet, de Regularib.* Superior tamen, qui conceſſit ſubdito facultatem vouendi, peccat irritans votum abſque cauſa, mortaliter quidem in aliquorum ſententia: venialiter iuxta alios, quod eſt probabile. Poteſt autem ſubditos abſque conſenſu Superioris emittere votum regulæ non repugnans. Ita Rodriguez 2. *part. c.*89. Et Superior poteſt irritare vota ſubditi etiam inuiti. Sic P. Suarez *lib.*6. *cap.* 1. *num.*12. Nomine autem Superioris etiam veniunt qui ab eo poteſtatem generalem delegatam habent, vt docet cum pluribus P. Reginaldus *vbi ſuprà, num.* 324.

13 Nequit Prælatus irritare vota nouitiorum, quia adhuc ſui iuris ſunt; poteſt verò ea ſuſpendere, quæ probationem impediunt. Ita P. Layman *tr.*4. *c.*7. *n.*9. Vota impuberum poteſt reuocare pater, & tutor: Item de-

Mendo in Bull. Cruciat.

functo patre, poteſt mater, ſi ſit loco tutoris. Idem dic de auo, & auia, mortuo patre deficienteque tutore; Etiam ſi vota ſint emiſſa, vt implenda tempore pubertatis, *cap. mulier.* 32. *q.* 2. P. Filiucius *tract.* 26. *à num.* 231. Si impubes careat parentibus, & tutoribus, poteſt herus eius vota irritare. Sic P. Suarez *lib.* 6. *de voto cap.*6. Votum ab impubere emiſſum poteſt ei puberi, ſi non ratum habuit, à prædictis irritari; quia tractu temporis non eſt deleta ea conditio in emiſſione voti imbibita, ſi non contradicat, qui poteſt. Sic P. Thom. Sanch. *lib.*4. *moral. cap.* 50. *num.* 37. Syluius *ſuprà, concluſ.* 5.

14 Pater poteſt irritare vota puberum, quæ incommodant familiæ, & patriæ poteſtati; ſic communis. Item poteſt idem pater, & curator irritare vota realia puberum, qui non habent bona caſtrenſia, aut quaſi caſtrenſia, nam ea vota officiunt adminiſtrationi bonorum, niſi vota emittantur adimplenda, quando penès vouentem ſit adminiſtratio. Sic Baſſæus *ſuprà num* 14. *in fin.*

15 Itaque ad irritandum vota, ſeu irrita reddenda non requiritur poteſtas Eccleſiaſtica, ſed dominatiua, ſeu domeſtica, eaque irritare, eſt, non approbare, cum indigerent approbatione, vt eſſent valida, ratione conditionis imbibitæ in ipſorum emiſſione. In quo differt irritatio à diſpenſatione, quia hæc oritur à iuriſdictione Eccleſiaſtica per ſe, & tollit obligationem voti emiſſi abſque ſimili conditione, & ſemper requirit cauſam.

CAPVT II.

Aliqua præmittuntur de diſpenſatione votorum.

16 DIſpenſatio voti eſt eius relaxatio, qua eius vinculum tollitur per authoritatem à Chriſto D. Eccleſiæ relictam. In eoque differt dipenſatio ab interpretatione, quòd diſpenſatio tollit vinculum, quod ratione voti adſtringebat; interpretatio verò non tollit vinculum, ſed declarat, vinculum non eſſe, quare actus iuriſdictionis non eſt. Ita D. Thom. *in* 4. *diſt* 38. *q.* 1. *art.*4. Catholica ſententia docet, eſſe in Eccleſia diſpenſandi in votis poteſtatem, colligiturque ex verbis Chriſti *Matth.* 16. *Quodcunque ſolueris ſuper terram, &c.* Videatur Bartholomæus à S. Fauſto, *in Theſauro Religioſorum libr.*3. *quæſt.*3. Nemo poteſt facere vt votum à ſe emiſſum ſit indiſpenſabile, quia nequit Prælati poteſtatem coarctare.

17 Cardinales non habent poteſtatem diſpenſandi, quia non habent plebem ſibi ſubiectam, vt docet Pater Suarez *libr.* 6 *de vot.*

Digitized by Google

vot. cap. 10. *numer.* 10. Legatus verò Papæ, aut Nuntius Apoſtolicus poteſt diſpenſare in tota Prouincia in votis in quibus poteſt Epiſcopus in ſua diœceſi, nam eadem poteſtate gaudet. Sic P. Thom. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 9. *num.* 25. Poteſt etiam ſummus Pœnitentiarius Romanus in votis diſpenſare, quia eius muneri eſt annexa hæc poteſtas perpetuò, atque adeò eſt ordinaria. Ita Barth. à S. Fauſto *vbi ſuprà quæſt.* 7. Epiſcopus poteſt diſpenſare in votis in ſua diœceſi, vt tenet communis (exceptis reſeruatis Pontifici) eo quòd habeat iuriſdictionem ſpiritualem, & Eccleſiaſticam in vtroque foro, *cap.* 1. *de voto.* Et quidem poteſt diſpenſare cum ſubdito exiſtente extra diœceſim per modicum tempus, quia non mutauit domicilium; & ipſe Epiſcopus exiſtens extra diœceſim poteſt diſpenſare cum ſubdito exiſtente intra illam, cum hic non ſit actus fori contentioſi. Sic P. Suarez *ſuprà cap.* 11. *num.* 10. Non tamen poteſt in votis cathecumeni, vtpotè exiſtentis extra Eccleſiam.

18 Archiepiſcopus nequit diſpenſare in votis cum ſubditis ſuorum ſuffraganeorum, neque enim eſt ordinarius eorum paſtor, habens immediatam iuriſdictionem in illos, *cap. Paſtoralis, de officio ordinarij.* Nec talem iuriſdictionem habet, dum viſitat diœceſes, atque adeò nequit diſpenſare in votis, & ſi ex iure habeat poteſtatem abſoluendi, *cap. vlt. de cenſib. in* 6. At valet iuxta ſententiam probabilem diſpenſare in votis Epiſcopi ſuffraganei, vtpotè ei immediatè ſubditi, & idem cenſendum eſt de votis Archiepiſcopi reſpectu Patriarchæ, aut Primatis. Ita Sayrus *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 79. At non poteſt iuxta principia poſita *diſputat.* 22. *num.* 15. quia non habet iuriſdictionem ordinariam reſpectu Epiſcopi. Capitulum, Sede vacante, quia ſuccedit in Epiſcopi iuriſdictionem, valet in votis diſpenſare. Sic Aragon 2. 2. *q.* 88. *articul.* 12. Non verò Vicarius generalis Epiſcopi, cuius muneri non eſt annexa hæc poteſtas. Ita Barthol. à Sancto Fauſto *ſuprà quæſt.* 15.

19 Abbates gaudentes iuriſdictione Epiſcopali poſſunt in votis diſpenſare, ſicut poſſunt Epiſcopi, vt tenet Pater Valentia 2. 2. *diſputat.* 6. *quæſt.* 6. *punct.* 7. Nequeunt tamen Archipresbyteri, Archidiaconi, & alij Epiſcopo inferiores, quia non gaudent poteſtate, niſi quæ ſpecialiter illis concedatur. Sic P. Azor *lib.* 11. *inſtit. mor. cap.* 19. *q.* 2. Parochus nequit in votis ſuorum ſubditorum diſpenſare, quia caret iuriſdictione externa, quæ requiritur ad diſpenſationem, quippè hæc requiritur ad regimen externum ſubditorum. Ita Sotus *lib.* 7. *de iuſtit. quæſt.* 4. *articul.* 3. Prælati Regulares, vtpotè gaudentes iuriſdictione quaſi Epiſcopali erga ſuos ſubditos Religioſos, in eorum votis queunt diſpenſare. Sic Cardinalis *Tolet. lib.* 4. *ſum. cap.* 18. *num. penult.* P. Buſembaum *in Medull. Theolog. moral. lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 3. *dub.* 8. Abbatiſſa, quia iuriſdictione ſpirituali non gaudet, in votis ſuarum Monialium diſpenſare nequit. Ita Couarrubias *in cap. Alma mater,* 1. *part.* §. 11. *numer.* 2.

20 Probabilius eſt, Prælatum regularem poſſe diſpenſare in votis nouitiorum erga quos iuriſdictione Epiſcopali gaudet, ideóque illi exempti ſunt ab Epiſcopi iuriſdictione. Sic Pater Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 22. *numer.* 7. Vbi etiam docet, poſſe pariter Epiſcopum diſpenſare in votis nouitiorum, quia hi non habent plenam exemptionem, nec ſubiectionem perfectam Prælato regulari. Pater Suarez *ſuprà cap.* 11. *num.* 9. cenſet, Epiſcopum proprium Nouitij eſſe eum, in quo ille ſæcularis habebat domicilium; probabile tamen eſt, eſſe eum, in cuius territorio verſatur, nam animum habet ibi permanendi nouitius, quantum eſt ex ſe, & idcircò domicilium mutaſſe iudicatur. Prælatus Regularis diſpenſare valet in votis Religioſi, vt ſic tranſeat ad laxiorem Religionem, nam hæc non eſt diſpenſatio in ſubſtantia Religionis, ſed in qualitate, quæ non eſt reſeruata. Sic Nauarrus *comment.* 4. *de regul. num.* 22.

21 Summus Pontifex poteſt diſpenſare in votis omnium fidelium, vt ſupremus Eccleſiæ Paſtor. Probabilius eſt, ſtandò authoritati, & in ſe verum, poſſe Pontificem ex iuſta cauſa diſpenſare in votis ſolemnibus Religioſorum, nam ſolemnitas ſolo Eccleſiæ decreto eſt inſtituta, quoad valet Pontifex relaxare, & ita accidiſſe teſtãtur hiſtoriæ. Conſulatur Barthol. à Sancto Fauſto *ſuprà quæſt.* 36. Et ego *in ſtatera opinionum benignarum, diſſert.* 3. *numer.* 11. *& diſſertat.* 12. *numer.* 12. In votis, etiam ſimplicibus Religioſorum nequit Epiſcopus diſpenſare, quia ab eius iuriſdictione ſunt exempti, poteſt verò Legatus à latere, qui eſt eorum legitimus Superior. Ita Pater Henriquez *lib.* 6. *de pœnit. cap.* 16. *numer.* 8. loquor de votis ſimplicibus non conſtituentibus ſtatum Religioſum, vt eum conſtituunt in Societate Iesv vota biennij. Cum Religioſis, qui ob Epiſcopatum, aut alium titulum eximuntur à Prælatis Regularibus, nequeunt hi diſpenſare in votis, quia iuriſdictione in illos non gaudent.

22 Quinque ſunt vota Pontifici reſeruata: votum Religionis, caſtitatis perpetuæ, peregrinationis Hieroſolymitanæ, peregrinationis ad limina Apoſtolorum, peregrinationis ad Compoſtellam. In his nec Legatus

à

Digitized by Google

à latere valet diſpenſare. Si eorum valor eſt dubius, poteſt Epiſcopus diſpenſare, quia reſeruatio, vt odioſa, reſtringenda eſt ad caſus certos. Ita P. Thom. Sanch. *lib.* 1. *Decal. cap.* 10. *n.* 54. Non poteſt tamen in his votis, ſi ab impuberibus emittantur diſpenſare, vt docet P. Suarez *ſuprà cap.* 26. *num.* 3. Valdè probabile, & tutum eſt, poſſe diſpenſare in his votis ex metu leui factis, quia non ſunt perfectè voluntaria, & reſeruatio eſt reſtringenda. Sic Pater Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 15. *num.* 8. Et item poſſe diſpenſare in graui periculo tranſgreſſionis, aut in vrgenti neceſſitate, quando ex iuſta cauſa nequit Pontifex adiri, quia in caſibus ſimilibus valet Epiſcopus in lege Pontificia diſpenſare. Ita Pater Valentia 2. 2. *diſputat.* 6. *quæſt.* 6. *punct.* 7. cum pluribus. Nec opus tunc eſt. Nuntium adiri, vt docet Couarrubias *in* 4. *Decret.* 3. *p. cap.* 6. §. 10. *numer.* 11. Hic nota cum Pater Henriquez *lib.* 6. *de pænit. cap.* 14. *numer.* 7. Regulares, qui ex priuilegio poſſunt diſpenſare in votis, in quibus poſſunt Epiſcopi, adhuc non valere diſpenſare in votis reſeruatis in caſu ſupradicti periculi, aut neceſſitatis, nam illa vota verè ſunt Papalia, & ex iuris benignitate conceduntur Epiſcopis, in quibus videtur electa induſtria perſonæ.

23 In voto emiſſo ſub diſiunctione, vel materiæ reſeruatæ, vel non reſeruatæ, ſi adhuc non fuit electa determinatè reſeruata, poteſt Epiſcopus diſpenſare, nam id votum non obligat præcisè ad materiam reſeruatam, & emittens valet non reſeruatam eligere. Sic Sayrus *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 62. Idem dic, etiam ſi materia non reſeruata reddita fuerit impoſſibilis, nam id votum ex ſua natura non obligabat ad materiam reſeruatam. Ita Pater Suarez *ſuprà cap.* 24. *num.* 4. Quod ſi votum reſeruatum à Pontifice commutatur in aliud non reſeruatum, poterit Epiſcopus in hoc diſpenſare, quia per illam commutationem ablata fuit reſeruatio. Ita Corduba *in ſum. quæſt.* 150. Poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare in votis reſeruatis, ſi emittens ſolum voluit ſe ad culpam obligare venialem, quia ea vota ſunt imperfecta, tantúmque perfecta reſeruantur. Sic Barthol. à S. Fauſto *ſuprà quæſt.* 69. Valet itidem in voto ſeruandi caſtitatem ad tempus, nam hoc non eſt votum ſimpliciter caſtitatis. Ita Sotus *lib.* 7. *de iuſt. quæſt.* 4. *articul.* 3. Secùs eſt, ſi ſit votum ſeruandæ caſtitatis per centum annos, nam hoc cenſetur perpetuum. Sic Pater Leſſius *lib.* 2. *de iuſtit. cap.* 40. *dub.* 18. *num.* 123. Poteſt autem diſpenſare in voto promittendi caſtitatem, quia hoc non eſt votum caſtitatis. Ita P. Suarez *lib.* 6. *de vot. cap.* 21. *num.* 7. Sicut in voto non fornicandi, aut non tangendi mulierem, aut vitandi in particulari aliquem actum venereum, nam hæc non ſunt vota perfecta caſtitatis. Sic P. Azor *lib.* 11. *cap.* 19. *quæſt.* 6. ſimiliter ob eamdem rationem in voto non nubendi. Ita Sotus *in* 4. *diſt.* 38. *q.* 2. *artic.* 1. & plures alij. Non tamen poterit diſpenſare in hoc voto, ſi factum ſit in gratiam alterius coniugis, qui illud votum acceptauit, niſi ipſe remittat ius acquiſitum; aliàs diſpenſatio eſſet in præjudicium tertij. Sic Pater Thom. Sanchez *lib.* 9. *de matrim. diſp.* 9.

24 Cum eo, qui poſt votum ſimplex caſtitatis contraxit matrimonium, poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto quoad petendum debitum, vt docet Barthol. à S. Fauſto *ſuprà q.* 76. & in quæſtionibus ſequentibus rectè probat, poſſe Epiſcopum diſpenſare in voto non petendi debitum, quia non eſt perfectæ caſtitatis, & etiam ſi coniux poſt conſummatum matrimonium emiſerit votum caſtitatis, poteſt diſpenſare, vt debitum petat. Secùs eſt, quando vterque coniux de communi conſenſu votum caſtitatis emiſerunt, quia ceſſerunt ſuo iuri. Quamvis autẽ vterq; emiſerint votum de non petendo debitum, cum hoc non ſit caſtitatis perfectæ, valet Epiſcopus in eo diſpenſare, & ob eamdem rationem valet in voto ſimplici ſeruandi caſtitatem coniugalem.

25 Licèt ſit probabile, in caſu neceſſitatis, cum adiri nequit Epiſcopus, poſſe in votis diſpenſare Parochum, quod tenet Caietan. 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 4. Probabilius eſt oppoſitum, quia nec eſt iuriſdictio in Parocho, nec extat conſuetudo. Quando incolæ vrbis emiſerunt votum ieiunij, aut Feſti ſeruandi; cum non ſit hoc votum reſeruatum, poteſt cum eiſdem Epiſcopus diſpenſare; ſucceſſores autem non tenentur ad illud ex vi voti, ſed ex ſtatuto, aut Epiſcopi præcepto, in quo poteſt diſpenſare Epiſcopus, ſicut poteſt in ſuis præceptis; Sic Pater Thom. Sanchez *lib.* 4. *decalog. cap.* 15. Poteſt etiam diſpenſare in voto facto in gratiam alterius, dum alter illud non acceptauerit, vt in voto dandi eleemoſynam Eccleſiæ; nam dum non acceptatur, nulli fit præjudicium, cum non fuerit ius acquiſitum. Ita P. Sà, *verbo votum*, vbi de irritatione votorum, *num.* 14. Non autem poteſt poſt acceptationem.

26 In voto reali defuncti, cuius obligatio ſoluendi tranſit ad hæredes nequit Epiſcopus diſpenſare, nam hæredes non tenentur ex vi voti proprij, ſed ex vi contractus, aut pacti. Nec poteſt diſpenſare, cum eo, qui adſtrictus voto ingrediendi Religionem contraxit matrimonium, & nondum conſummauit, vt petat debitum, quia adhuc poteſt implere votum. Sic Sotus *in* 4. *diſtinct.* 38.

Digitized by Google

quæſt. 2. *artl.* 1. Nequit Epiſcopus diſpenſare in vo virginitatis, niſi vouens noluerit ſe obligare ad caſtitatem ſeruandam, ſed ad abſtinendum à primo actu conſummato, aut veneo. Poteſt verò diſpenſare in voto aſſumeri Ordines ſacros, quia hoc non eſt votum caſtitatis. In voto item ingrediendi Religionem arctiorem, vt laxiorem quis ingrediatur, nam hoc non eſt diſpenſare in ſubſtantia voti. Quæ omnia tradit cum aliis P. Azor *lib.* 11. *cap.* 18. *&* 19. Similiter poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto obedientiæ, aut paupertatis emiſſo in Religione non approbata, ſicut in voto ingrediendi illam, quia hæc non ſunt vota veræ Religionis. Sic Sayrus *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 64.

27 Nequit Epiſcopus diſpenſare in voto ingrediendi Religionem militarem equitum D. Ioannis, quia ſimpliciter, & propriè Religio eſt, ſic verò in voto ingrediendi Ordines Militares Equitum D. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, Monteſæ, & ſimilium; nam ſimpliciter, & in omni rigore iuxta plurimorum ſententiam non ſunt Religiones, cum in eis non voueatur caſtitas abſoluta, ſed coniugalis. Ita Sotus *lib.* 7. *de iuſtit. quæſt.* 5. *art.* 3. Poteſt etiam diſpenſare in voto perſeuerandi in Religione, v. g. emiſſo à nouitio, nam id votum non eſt Religionis abſolutæ, ſed qualitatis adiunctæ; ſimiliter poteſt diſpenſare in eo, quòd per aliquod tempus differatur votum Religionis: Sic P. Thom. Sanchez, *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 6. *num.* 17. *&* 76.

28 In votis reſeruatis peregrinationum diſpenſare nequit, ſiuè deuotionis cauſa, ſiuè in ſubſidium pij loci emittantur. At poteſt in circunſtantiis, vt eques eat, qui ire pedes vouerat, & in ſimilibus, quæ non ſunt de ſubſtantia voti. Pariter poteſt in voto eundi Romam, ſeu Compoſtellam, ſi non ſit emiſſum cauſa deuotionis eius loci, ſed vt quis pedes Pontificis oſculetur, aut ob alium ſimilem finem. Videatur Barthol. à S. Fauſto *ſuprà lib.* 3. *à quæſt.* 100.

29 Vota ſtrictè pœnalia, non emiſſa in pœnam delicti præteriti, aut præſentis, ſed futuri, etiam ſi ſint ex natura materiæ reſeruata, attamen diſpenſari queunt ab Epiſcopo non ſolùm ante delicti patrationem, ſed poſt illud; nam vota reſeruata ſunt rei ſimpliciter volitæ; in voto verò pœnali, religio, aut caſtitas non vouentur, vt optatæ, & volitæ ſimpliciter, ſed vt pœnæ, & ſecundùm quid dumtaxàt optatæ, ad hæc autem vota non perfectè voluntaria nequaquam eſt extendenda odioſa votorum reſeruatio. Tenent hanc ſententiam P. Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 30. *num.* 6. Vbi *in gloſſa* plures Salmanticenſes Doctores pro illa affert: Cardinalis Toletus *lib.* 4. *ſum. capit.* 18. Rodriguez *tom.* 1 *qq. regular. quæſt.* 63. *art.* 7. & plurimi alij.

30 Idem dico de votis merè conditionalibus, ſiuè ante, ſiuè poſt impletam conditionem, quia hæc vota non fiunt ex affectu ad caſtitatem, v. g. aut Religionem promiſſam, ſed ad rem, quæ in conditione importatur; & adhuc impleta conditione proueniunt ex radice imperfecta, & à paritate pœnalium ſatis hæc confirmatur poteſtas. Id docent Toletus *vbi nuper*, Antonius Gomez *in explicat. Bull. Cruc. clauſul.* 10. *num.* 99. Pater Thom. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 10. *num.* 13.

31 Epiſcopus poteſt diſpenſare in iuramentis, dum non ſit in præiudicium tertij diſpenſatio. Et item probabile eſt, ac tutum, eum, qui habet poteſtatem delegatam virtute alicuius conceſſionis, aut priuilegij ad diſpenſandum in votis, poſſe etiam diſpenſare in iuramentis. Sic Caietanus 2. 2. *q.* 89. *art.* 9. Pater Suarez *lib.* 6. *de vot. cap.* 14. *num.* 6. & alij plures.

32 vt ſit licita, & valida diſpenſatio in quolibet voto, cauſa iuſta, ac rationabilis requiritur, quia poteſtas Eccleſiaſtica non eſt ad deſtructionem, ſed ad ædificationem, vnde inualida eſſet diſpenſatio à quouis, etiam Pontifice, conceſſa, ſi iuſta cauſa deficeret. Videatur D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 88. *articul.* 12. *& ibi* Caietanus. Sufficit autem, vt cauſa iudicetur bona fide à Prælato iuſta, adhibita ſufficienti diligentia, etiam ſi poſt datam diſpenſationem conſtaret, non fuiſſe omninò iuſtam, quare eo caſu poterit is, cui præſtita eſt diſpenſatio, eſſe in conſcientia tutus. Sic P. Leſſius *lib.* 2. *de iuſtit. cap.* 40. *dub.* 17. *num.* 19. Non aliter, ſi Epiſcopus diſpenſaſſet in voto materiæ reſeruatæ dubio, & poſteà conſtaret, illud votum fuiſſe certum, diſpenſatio valeret. Si Prælatus in voto diſpenſaret, non cognita cauſa, quantumvis cauſa iuſta re ipſa daretur, probabilius eſt, non valere diſpenſationem, quia dum ipſe cauſam non agnoſcit, perindè ſe habet, ac ſi cauſa non eſſet, & ita tenet cum multis Nauarrus *cap. fin. de ſimonia, num.* 4. Oppoſitum tamen probabile eſt ſaltem ob authoritatem extrinſecam. Videatur Bartholom. à S. Fauſto *ſuprà q.* 133.

33 Cauſa autem non debet eſſe manifeſtè iuſta, ſufficit, ſi prudentis arbitrio dubitetur, an ſit iuſta; tunc enim ad mitiorem partem eſt inclinandum, aliàs pateret frequens ſcrupulis aditus, nec auderent diſpenſare Prælati, cum manifeſtè de cauſæ iuſtitia rarò conſtet. Sic D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. Syluester *verbo diſpenſatio, q.* 14. *numer.* 20. ſubditus autem tutus eſt in conſcientia, quando ei diſpenſatio indulgetur cum dubia cauſa, nam diſpenſantis debet ſtare iudicio. Ita Sotus *in* 4. *diſtinct.* 21. *q.* 2. *articul.* 2. Et ſemper cenſendum

Digitized by Google

cenſendum eſt, Prælatum diſpenſare iuſta de cauſa, licet de ea non conſtet. Alia de diſpenſatione votorum, vide apud Authores *toto hoc c.* relatos, & præterea apud Dianam, cuius loca citantur in eius compendio, *verbo votum*, P. Iacobum Gordonum *in Theolog. mor. l. 6. q. 5. c. 25.* Villalobos *part. 2. tract. 34. à difficult. 25.* Trullench *in decalog. t. 1. l. 2. c. à dub. 38.* Candidum *t. 2. diſquiſit. 27.* & Summiſtas *verbo votum*, Eligium Baſſæum, P. Ioſephum Auguſtinum, & alios, P. Layman *l. 4. tract. 4. c. 8. à num. 4.*

34 Hic nota, Confeſſarios Regulares fruentes priuilegiis Ordinum Mendicantium poſſe diſpenſare in omnibus votis, in quibus poſſunt Epiſcopi ratione muneris (vt ſic excipiatur diſpenſatio, de qua *ſuprà numer. 22.*) quia id conceſſum eſt prædictis Ordinibus à Pontificibus, vt conſtat ex eorum priuilegiis. Sic Lopez, Nauarrus, Aragon, Sayrus, Clauis Regia, & P. Valentia, quos refert, & ſequitur Candidus *t. 2. diſquiſit. 27. dub. 1.* Rurſus ipſe *dub. 21. & 22.* cum pluribus rectè docet, poſſe virtute ſuorum priuilegiorum Confeſſarios Regulares diſpenſare cum eo, qui poſt votum caſtitatis matrimonium contraxit, vt debitum petat; & cum eo, qui poſt matrimonium conſummatum edidit ſimile votum, vt petat debitum. Monendus eſt tamen is, cum quo diſpenſatur, ſi mortua coniuge, ſuperuiuat, teneri ad ſeruandam caſtitatem.

35 In noſtra Societate Iesv, & ſi communicemus priuilegia omnium ſacrarum Religionum, tamen ita limitatur à Pontificibus communicatio, vt nullum alium vſum eiuſmodi priuilegiorum habeamus, niſi quem conceſſerit Præpoſitus Generalis ipſius Societatis. Igitur non omnes noſtri Confeſſarij, ſed hi dumtaxat, quibus ſuus Prouincialis commiſerit, poſſunt diſpenſare ad petendum debitum cum his, qui poſt votum ſimplex caſtitatis emiſſum contraxere matrimonium. Ita habetur in Compendio priuilegiorum Societatis, *verbo Diſpenſatio*, §. 9. Rurſus Confeſſarij noſtri, quibus Superiores Domorum, in quibus habitant, indulſerint, & non alij, diſpenſare queunt in omnibus votis, in quibus valent Epiſcopi diſpenſare. Ita habetur *ibidem num.* 10. Denique notandum eſt, tria Paupertatis, Caſtatis, & obedientiæ vota, poſt bienniuṁ probationis in Societate emiſſa, & ſi ſimplicia, ex Apoſtolica inſtitutione, & declaratione, verè ſubſtantialia Religionis vota eſſe, & in illis non niſi per Apoſtolicam Sedem diſpenſari poſſe, nulloque alio modo, niſi per legitimam à Societate dimiſſionem ea ceſſare. Ita habetur in Conſtitutione Gregorij XIII. & refertur in Compendio *ſuprà* dicto, §. 1.

CAPVT III.

Nonnulla ſupponuntur de communicatione votorum.

36 Commutare votum, iuxta D. Th. *2. 2 quæſt. 88. articul.* 10. eſt materiam illius in aliam mutare, ita vt vinculum maneat prioris voti, quamvis in diuerſa materia, in quo differt à diſpenſatione, & irritatione voti, nam illæ obligationem auferunt, commutatio verò non tollit, ſed transfert. Ita communis. In maius bonum, hoc eſt, Deo gratius, circunſtantiis inſpectis, poteſt vnuſquiſque ſuum votum commutare; quia promiſſionem non frangit, qui illam in melius mutat, & qui minus debet, abundè ſoluit, cum maius elargitur. Sic cum pluribus Pater Gordonus *in Theolog. mor. l. 6, q. 5 capit. 27. §. 1.* Vndè poſſet quis commutare ſuum votum Religionis laxioris in votum ſtrictioris; votum recitandi aliquos pſalmos in votum offerendi Miſſæ ſacrificium, & ſimilia.

37 Quando votum factum eſt in fauorem tertij; ſi ab illo eſt acceptatum, nequit quis nec in melius commutare, ne fiat ei præiudicium, niſi illud melius ſit in fauorem ipſius. Cum autem quis vouit elargiri quatuor aureos vni Eccleſiæ, poteſt commutare in votum elargiendi quinque alij Eccleſiæ, quia Deo, cui ius fuit adquiſitum, id ſecundum eſt gratius. Id, quod de votis aſſeritur, intelligendum eſt etiam de votis iuratis, licet enim iuramentum ſit nouum vinculum, non tamen excedit vinculum voti, vnde, ſicut duo vota poſſunt commutari, aut diſpenſari ab habente poteſtatem, ita & poteſt votum iuratum, quod ad ſummum æquiualet duplici voto.

38 Sotus *libr. 7. de iuſtit. quæſtion. 4. articul.* 3. cenſet, poſſe quemvis, ſi adſit cauſa, commutare propria authoritate ſuum votum in æquale. Sed tutius, & probabilius eſt, non poſſe; nam, cum ſit difficillimum, rerum æqualitatem attingere, id Superioris iudicio committendum eſt. Videatur Pater Suarez *lib. 6. de voto*, *capit. 16.* Imò, vt Prælatus commutet votum in æquale, aliqua cauſa requiritur; quippè promiſſum in propria ſpecie debet perſolui, & commutans non agit vt dominus potens pro libito rem promiſſam mutare, ſed vt fidelis diſpenſator, cuius munus non expletur, ſi cauſa deficiat. At non inde ingens cauſa requiritur, cum aliàs per commutationem non minùs moraliter Deo reddatur. Quare ſufficiet pro cauſa repugnantia adimplendi primum votum, & animi maior

promptiudo

Digitized by Google

promptitudo ad aliam materiam amplectendam; quæ in eo qui petit commutationem, ſemper reperietur;nam aliter commutationē non poſtularet; ideòque nunquam cauſa ſufficiens deerit ad commutationem legitimè præſtandam, nec locus ſcrupulis dabitur.

39 Vt autem æqualitas deſignetur in commutatione,viri docti prudentiæ,ac iudicio eſt ſtandum, non enim arithmetica poteſt eſſe proportio inter vtrumque, & ſatis erit,ſi moraliter iudicetur æquè grata Deo materia, in quam prima commutatur, eſtò aliquis exiguus exceſſus ſit in prima; nam licèt commutatio iuxta Ariſtotelem *lib.* 5. *Ethic. capit.* 4. propriè æqualitatem ſignificet, non datur inæqualitas, cum interuenit modicus exceſſus, cum in moralibus parum reputari pro nihilo, ſit vulgariſſimum. Hinc, cum vir doctus dubitat, an ſit æqualis, necne, materia, in quam prima eſt commutanda, non anxietur ſcrupulis, ſi quidem ipſa dubitatio denotat, eſſe exiguum exceſſum, aliàs clarè cerneretur, eſſe maius, aut minus bonum. An autem in commutatione, quæ fit per Bullam, aut Iubilæum, poſſit minus bonum deſignari, *inferiùs* oſtendemus. Id eſt certum, cum votum commutatur in minus bonum, coniungi, commutationem, & diſpenſationem; & quia ſubſtituitur alia materia vinculo voti, quia relaxetur, quod eſt proprium commutationis, & quia relaxatur aliqua obligatio, ſcilicèt illius, in quo ab æqualitate cum prima materia deficit ſecunda; quæ relaxatio eſt diſpenſatio. Imò Prælati, cum diſpenſant in votis, ſolent aliquod onus iniungere, quod dupliciter contingere valet. Primò, ſi velint, onus adiunctum ſub vinculo voti manere. Secundò, ſi tantum velint, manere ſub præcepto, & hoc, meo iudicio, eſt iuxta eorum mentem frequentius. Et quidem aſſolent illud onus alicuius pij operis, aut eleemoſynæ elargiendæ ſuperaddere, vt cauſa diſpenſandi adæquetur etiam ex ea eleemoſyna, aut pio opere, ſitque tutior via diſpenſandi ex cauſa legitima, maximè ſi circa huius ſubſiſtentiam ſit dubium præbens ſcrupulis materiam.

40 Omnes illi, qui habent facultatem ordinariam,ſeu delegatam ad diſpenſandum in votis (quos *cap. præcedenti* præſtrinximus) habent pariter ad commutandum vota. Ita Couarruuias *de pactis part.* 1. §. 3. *num.* 10. & communis.Quippè,vt conſtat ex *cap.* 1 *de voto*, commutatio eſt pars diſpenſationis, cum per illam,etſi vinculum omnino non tollatur, tamen transferatur in aliam materiam. Et ex ſe videtur perſpicuum, eum, qui valet,exiſtente cauſa, vinculum voti tollere, poſſe etiam illud non tollendo transferre. Non tamen è contra, omnes qui poteſtatem delegatam (nam poteſtas ordinaria diſpenſandi, & commutandi coniuncta inuicem eſt) habent commutandi vota ex priuilegio, aut commiſſione Prælati, habent propterea poteſtatem diſpenſandi in illis, ſi hæc ſimul non conceditur,quia poteſtas diſpenſandi, vt ex dictis eſt conſpicuum, maior eſt, quàm commutandi poteſtas,& maius non includitur in minori;nec cui conceditur minus,conceditur propterea maius.

41 Poſtquàm votum eſt commutatum, ſi quis materiam, in quam facta fuit commutatio, non adimpleat, cum poſſit, peccabit quidem contra votum,ſed non ideò reuiuiſcit materia prior voti, ita vt ad illam adimplendam teneatur,non enim ſub duplici onere manſit. Quòd ſi materia poſterior abſque culpa ipſius vouentis reddatur impoſſibilis, ad nihil tenebitur;non ad priorem, quia iam fuit commutata, & extincta obligatio ad illam;non ad poſteriorem;quia reddita eſt impoſſibilis, & votum ceſſauit ceſſatione materiæ.

42 Quando quis proprium votum commutauit in maius bonum, non poteſt regredi ad primam materiam, quia redditus eſſet ad minus bonum. Ita Pat. Gordon. *ſuprà* Cum autem Superiorioris authoritate facta eſt commutatio in minus bonum, poteſt quis regredi ad materiam priorem, quia eſt redditus ad minus bonum, ſicut poteſt ſuum votum in maius bonum commutare. Imò Pater Suarez *ſuprà capit.* 20. rectè docet, liberè poſſe quem regredi ad priorem materiam, etiam ſi in bonum æquale facta fuerit commutatio. Etenim cum commutationem præſtet is, qui poteſtatem habet,in gratiam,& fauorem illius, cuius votum commutatur, ſemper ſubintelligi videtur ea conditio, niſi ipſe velit priorem materiam exequi, & ideò non imponitur obligatio ad nouam materiam, niſi dum ille priſtinam nolit amplecti.

43 De modo, ac praxi commutationum *inferiùs* aliqua dicemus, ex quibus poſſint in quacumque materia Confeſſarij ſumere ſpecimen. Nunc in communi obſeruandum eſt, vota realia rectè commutari in realia, & perſonalia in perſonalia;non tamen malè interdum commutabuntur vota realia in perſonalia, & perſonalia in realia. In quo vir doctus commutans rem,debet temperare iuxta circunſtantias perſonæ, temporis, loci, & ſimilium,quæ contingere queunt.

44 Abbatiſſa nequit commutare vota ſuarum Monialium, quia iuriſdictione caret; commutare autem votum alterius eſt actus iuriſdictionis ſpiritualis. Sic Barth. à S. Fauſto *in theſaur. Religioſ. lib.* 4. *quæſt.* 3. Quando bonum, in quod intenditur votum commutari,

Digitized by Google

mutari,eſt euidenter æquale, iudicat Leſſius cum aliquibus *l.2.de iuſti.c.40.dub.16.n.105.* poſſe commutari iudicio confeſſoris ordinarij priuati, adhuc non habentis iuriſdictionem delegatam ad commutandum. Quod probabile eſt,ſed oppoſitũ probabilius,quia poteſtas commutandi non pertinet ad forum pœnitentiæ,ſed ad Eccleſiæ gubernationem. Sic P. Suar.*l.6.de vot.c.19.n.6.* Quando res promiſſa eſt vſu conſumptibilis,v.g.vinum,ſatisfit voto, ſoluendo oleum æqualis valoris,quippè inter hæc non eſt moralis mutatio,nec maior æſtimatio,aut vtilitas reſpectu eius Eccleſiæ, cui eſt vinum promiſſum,ſecùs eſſet,ſi maior ex vna, quàm ex alia materia æſtimatio, aut commodum conſurgere poſſit.

45 Commutare votum propria authoritate in rem euidenter æqualem,ſolum peccare venialiter, quia in re modica eſt infidelis,tenet Pet. de Ledeſma *2.tom.ſum. tr. 10. cap.8.* & conſequenter eſſe validam commutationem. E contra eſſe peccatum mortale, quia facit actum nullum, opinatur P. Suarez *vbi ſuprà num. 14.* Ego quidem in priorem ſententiam libentiùs eo, quia illud votum moraliter idem manet. Hic nota, Bartholomæũ à S. Fauſto *ſuprà* cum aliquibus docere, *q.22.* Prælatum validè commutare votum in bonum æquale ſine iuſta cauſa, quia nihil ibi deeſt ſubſtantiæ voti, & in re leuiſſima deficit rationabili vſui ſuæ poteſtatis. Rectiùs diceretur,eadem concluſione retenta, nunquã deeſſe cauſam ad commutandum validè votum in æquale,iuxta dicta *ſuperiùs.* Addit,eſſe validam commutationem voti factam à Prælato in minus bonum, ſolúmque teneri vouentem ad ſupplendum eum defectum, quod præſtare poteſt arbitrio viri prudentis. Etenim in humanis commutatio inæqualis valet, dum ſuppleatur exceſſus, vt tradit P. Molina *tom. 2. de iuſt.diſput.349.*ergo in voto, quod eſt contractus initus à vouente cum Deo,idem dicendum eſt. Adiungit, idipſum aſſerendum eſſe,ſi vouens propria authoritate commutet votum in minus bonum; nam Deus eſt paratus ad acceptandam voti commutationem, à quocumque fiat,& inuitus ſolum eſt quoad modum, vnde illi ſatisfit ſupplendo etiam propria authoritate,quod deeſt ad æqualitatem. Non aſſentio huic doctrinæ propter *ſuprà* libata; eam tamen propoſui, vt videant viri docti,an tutò eam ſectari valeant in praxi.

46 Cauſæ legitimæ in toto rigore ad commutandum vota, ſolent à variis Authoribus recenſeri ſequentes; Leuitas, aut facilitas vouentis; Infirmitas, ac debilitas ad exequendum votum; Numeroſitas familiæ,quæ ſine detrimento deſeri nequit,ſi ſit votum peregrinationis; Neceſſitas publica, vel priuata;Metus,etiam ab intrinſeco conceptus,dum votum fuit emiſſum;Repentina in eo deliberatio; Vtilitas vouentis,ac magna eiuſdem fragilitas; Puerilis ætas; Incommoditas impletionis, ſeu difficultas operis; Facilitas tranſgreſſionis. Quæ cauſæ etiam ad diſpenſandum ſunt rationabiles. Cum verò datur cauſa reddens materiam voti impoſſibilem, inutilem,aut illicitam,votum non obligat, atque adeò opus commutatione, aut diſpenſatione non eſt.

47 Vota,quæ commutanda Pontifici reſeruantur,ſunt eadem, quæ reſeruantur diſpenſanda, de quibus *cap.præcedenti.* Nec poſſunt hæc commutari, & ſi Pontifex concedat poteſtatem generalem commutandi vota, nam in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veroſimiliter conceſſurus; *cap. 81.de regul.iur.in 6.*

48 Vota reſeruata poſſe commutari in opera euidenter meliora, valdè probabiliter defendit Aragon.*2.2. q.88. art.12.* hoc enim non videtur à Pontifice impediri, ne contra bonos mores aliquid ſtatuere cerneretur. Negat hanc concluſionem Barth. à S. Fauſto *ſuprà quæſt.27.* & in conſequenter *q. 29.* affirmat, vota alia reſeruata peregrinationum poſſe commutari in Religionem,eo quòd Religio ſit bonum euidenter melius;in quod poteſt ſanè quodlibet aliud votum commutari, non verò votum Religionis in aliud bonum. Iuxta ſententiam prædictam Aragonis poteſt vnum votum reſeruatum in aliud reſeruatum melius commutari; plures tamen & hoc, & eam ſententiam inficiantur, eo quòd Pontifex iudicium ſibi in re tam graui reſeruauerit,nec intendat impedire maius bonum, ſed modum apponere,quo ſit exequendum.

49 Nequit votum reſeruatum commutari in Epiſcopatum, & ſi poſſit in Religionem; nam, licet Epiſcopatus ſit ſtatus perfectior,quàm Religio,tamen ea maior perfectio ſupponitur,ac poſtulatur ab eo ſtatu; non tamen ſtatus adducit hominem ad maiorẽ perfectionem, nec Deo ex ſe gratior eſt, quàm Religio,in qua tot ſunt vota, exercitia pœnalia,& media ad perfectionem conſequendam. Quare rectè votum emittitur à Religioſis in aliquibus Sacris Ordinibus,vt in noſtra Societate à profeſſis; non poſtulandi, nec accipiendi Epiſcopatum niſi ex obedientia Pontificis; quod votum non emitteretur validè, ſi Epiſcopatus eſſet Deo gratior, quàm ſtatus Religioſus.

50 Vota perſonalia Nouitiorum,item & realia, quorum ius tertiæ perſonæ non eſt adquiſitum,poſſunt commutari, etiam propria authoritate, in exercitia ordinaria Religionis,quia hæc ſunt Deo gratiora; at ſi ceſſent, & nouitius è Religione egrediatur, ad ſua

vota

Digitized by Google

vota tenebitur, quia ea commutatio fuit quaſi conditionata, nempè ſi foret exequuturus perpetuò ea exercitia, quare dici ſolet eorum vota ſuſpendi, & non abſolutè commutari, Sic P. Leſſius *lib. 2. de iuſtit. cap.* 40. *dub.* 16. qui *dub.* 18. benè tuetur, poſſe commutari votum Religionis ſtrictioris in laxiorem, cum hæc ſit commutatio dumtaxàt cuiuſdam qualitatis Religionis, non Religionis abſolutè.

51 Probabilius eſt, eum, qui poteſt, etiam ex priuilegio, commutare vota, poſſe etiam commutare iuramenta. Ita cum pluribus P. Henriquez *lib. 7. de indulg. cap.* 30. *num.* 5. Etenim vinculum iuramenti valdè affine eſt vinculo voti, imò hoc eſt maius, & communiter ea iuramenta reputantur vota, quare priuilegium conceſſum ad vota, iure optimo cenſetur conceſſum ad iuramenta, cum moraliter in ordine ad Deum, & Religionem æquiparentur. Qua ratione P. Suarez *lib. 6. de voto cap.* 14. *num.* 19. tuetur eum, qui poteſtate delegata fungitur ratione alicuius priuilegij, aut indulti, ad commutandum vota, poſſe ea commutare, etiam ſi ſint iuramento firmata, ſeu vota iurata.

52 Si quis aliquid vouit, v. g. non ludere, & caſu, quo luderet, impoſuit ſibi pœnam erogandi aliquam eleemoſynam, is, qui habet facultatem diſpenſandi, aut commutandi vota, poteſt & pœnam relaxare, aut commutare, vt docet P. Thom. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 15. *num.* 14. Quippè pœna ſolùm debetur ex vi voti, vnde qui poteſt votum relaxare, poterit, & pœnam incurſam ex vi illius; & cum materia principaliter intenta per votum queat tolli, à fortiori materia minus principaliter intenta. Hinc etiam poterit quis propria authoritate commutare eam pœnam in rem euidenter meliorem.

53 Cum facultas conceditur per aliquod Iubilæum, aut Bullam, ad commutanda vota, poſſunt commutari vota etiam emiſſa poſt publicationem Iubilæi, aut Bullæ, vt docet Nauar. §. *in leuitia notab.* 24. *n.* 4. & plurimi; quia verba indefinitè, & generaliter expreſſa in priuilegijs extenduntur ad futura *gloſ. in cap. quia circa, de priuil.* & fauores ſunt ampliādi, cum nullum ſequitur nocumentum; ideoque ad futura extenditur poteſtas abſoluendi à cenſuris, & peccatis conceſſa in Iubilæo, aut Bulla, vt tradunt Doctores communiter.

54 Vota facta in fauorem tertij, v. g. Eccleſiæ, dum non ſunt acceptata à Rectore, aut Parocho illius, poſſunt commutari, nulli enim fit præiudicium, ſecùs ſi ſint acceptata, quia præiudicium foret. Ita Syluester *verbo votum* 4. q 7. Votum religionis adimpletum, ſi quis per profeſſionem eiiciatur, nō reuiuiſcit, nec tenetur eiectus aliam religionem ingredi, quia per profeſſionem omnia vota extinguuntur, iuxta *cap. Scriptura de voto*, & ita docet Barth. à S. Fauſto *vbi ſuprà quæſt.* 78.

55 In commutandis votis attendenda eſt difficultas adimpletionis, quia difficultas meritum auget. Si votum ſit peregrinationis attendendæ ſunt expenſæ, quas facturus eſſet vouens, deductis expenſis, quas ipſe domi ſuæ foret habiturus. Imò attendendum eſt ad ea omnia, quæ moraliter in peregrinatione acciderent, & cauſa abſentiæ, in facultatibus proprijs; nam hæc omnia Deo obtulit, qui peregrinationem vouit: labor etiam itineris expendendus eſt, qui etiam meritum augeret.

56 Quando poteſt diſpenſare, & commutare quis vota, etiam ſi per ſolā commutationem ſubueniatur neceſſitati vouentis, attamē valet diſpenſare, ſi cauſa ſufficiens diſpenſationi datur; vel vti partim commutatione, partim diſpenſatione, ſi cauſa adæquetur vtrique. Etenim & praxis Prælatorum id oſtendit, & rectè muneri ſuo ſatisfacit, qui legitima de cauſa vtitur poteſtate diſpenſandi, qua pollet. Sic P. Valentia 2. 2. *diſp.* 6. *q.* 6. *punct.* 7.

57 Id obſeruā cum Barth. à S. Fauſto *ſuprà quæſt.* 94. Romæ in officio Pænitentiariæ ſemper votum Religionis, vbi commutari eſt opus, in vinculum perpetuum commutari, v. g. vt quis omnibus ferijs ſextis ieiunet, vt quotidie aliquid recitet, confiteatur ſingulis menſibus; vnaquaque hebdomada eleemoſynam aliquam iuxta ſuum ſtatum elargiatur. Sicque præſtandum eſt à quouis confeſſario, ſi contingat ex delegatione huiuſmodi votum commutare, vel votum conditionale, aut pænale Religionis, quod commutari poſſe ab Epiſcopo diximus, & per Bullam Cruciatæ, aut per Iubilæum poſſe etiam commutari, dicemus *inferiùs*. Idemque proportionatè tenendum eſt, quoties votum perpetuum commutatur, vt in aliquid etiam perpetuum commutetur; niſi temporaria aliqua actio adeò excellens, vtilis, & laborioſa ſit, vt in eam commutatio prudenter fiat. In quo quidem Confeſſarius ſedulò ſe gerat; nam lethaliter peccabit, ſi infidelis ſit diſpenſator; quare, ſi doctus non ſit, vel verus æſtimator rerum, alij viro docto commutationem committat; aliquando namque propter ignorantiam cōmutantis vota difficilia in res facillimas commutantur. Qui plura de commutatione velit, adeat Authores decurſu *huius capitis*, *& præcedentis* citatos.

58 Religioſi Mendicantes, & qui eorum priuilegia communicant; poſſunt commutare vota, quæ poteſt Epiſcopus: nam, vt *ex num.* 34. conſtat, poſſunt in eis votis diſpenſare; & vt diximus *num.* 51. qui valet diſpenſare in votis, etiam per delegatam poteſtatem, valet etiam illa commutare. Omnes Confeſſarij approbati noſtræ Societatis poſſunt commutare omnia

omnia vota, etiam iurata, dum commutatio non fiat in præiudicium tertij, exceptis vltramarinis,& Petri, ac Pauli de Vrbe, S. Iacobi in Compoſtella, Caſtitatis, & Religionis. Habetur in Compendio Priuilegiorum Societatis, *verbo commutatio*. §. 1. Soli Prouinciales Societatis, & magna cum conſideratione, queunt commutare votum ingrediendi in aliam Religionem, etiam arctiorem, ei qui vult in Societatem ingredi. Conſtat *inibi* §. 3.

CAPVT IV.

Exponitur in communi, quid circa commutationem votorum concedatur in Bulla Cruciata.

59 PLanum iter dicta *in præcedentibus* patefacient ad dicenda, cum facilè iam inſtituto noſtro adaptari queant in communi ex probatis Authoribus ſuppoſuimus. Id præ oculis habe, eadem eſſe proportionatè de Iubilæo proferenda, quæ de Bulla Cruciatæ ſumus prolaturi. Igitur in clauſula, quam nunc exponimus, concedit Pontifex, vt habens Bullam poſſit eligere Confeſſarium, qui omnia eius vota commutet, exceptis voto caſtitatis, Religionis, & vltramarino; facta commutatione in aliquod ſubſidium Cruciatæ.

60 Hinc omnia vota, quæ *cap. præcedenti,* aſſeruimus, poſſe ab Epiſcopo, & à Regularibus Mendicantibus commutari, poſſunt commutari per Bullam; cum nec illi queant commutare hæc tria vota, in Bulla Cruciatæ excepta, vtpotè Pontifici reſeruata. Imò per Bullam duo ampliùs vota commutari valent reſeruata Sedi Apoſtolicæ, nempè peregrinationis ad limina Apoſtolorum in Vrbe, & ad D. Iacobum in Compoſtella, quæ nec ab Epiſcopo, nec à Confeſſariis Regularibus cõmutari poſſunt. Vnde rectè valebit argumentum ex eo, quòd Epiſcopus poſſit aliquod votum commutare, etiam poſſe commutari per Bullam, non verò è contra. Excipe eam commutationem, de qua *in ſuperioribus*, quæ ob ingẽtem neceſſitatem commiſſa cenſetur Epiſcopo, attenta induſtria perſonæ, facienda in votis abſolutis reſeruatis Pontifici.

61 Attamen, licèt poteſtas delegata in Bulla excedat poteſtatem ordinariam Epiſcoporum,& delegatam Regularium circa commutationem plurium votorum, exceditur tamen in eo, quòd Epiſcopi,& Confeſſarij Regulares præfati valent commutare vota in quamcumque materiam piam proportionatam; per Bullam autem non aliter conceditur poteſtas commutandi, niſi commutatio ſaltem partialiter fiat in ſubſidium Cruciatæ. Hinc Confeſſarij Regulares, ſi nolint onerare pœnitentes efflagitantes votorum commutationem, eleemoſynam imponendo in illud ſubſidium, commutare queunt vota virtute ſuorum priuilegiorum; maximè ſi timeant, eleemoſynam difficulter eſſe erogandam à pœnitentibus. Confeſſarij autem ſæculares, ſi idem vereantur, poſſunt pœnitentem ad Epiſcopum, vel ad Confeſſarium Regularem remittere, vt eius vota commutet. At, vt in dies creſcat pium adeò Cruciatæ ſubſidium, oportet, vt iis, qui ſua vota poſtulant commutari, hoc beneficium ſiuè Regulares, ſiuè ſæculares Confeſſarij virtute Bullæ indulgeant, eleemoſynam congruentem, ac proportionatam voto, imponentes, quam illi prompto animo debent elargiri, ſuppoſito eos Bullam habere. Quòd ſi ea careant, tunc Regulares commodius ſuis priuilegiis vtentur.

62 At verò ſi commutandum ſit votum peregrinationis ad limina Apoſtolorum, & ad D. Iacobum, cum nequeat virtute priuilegiorum à Regularibus commutari, neceſſariò per Bullam Cruciatæ commutatio eſt præſtanda, & ſubſidium aliquod, quod erogetur Cruciatæ deſignandum. Cui autem erogandum eſt, conſtabit *diſp. vltima*. His in communi prolatis, accedamus ad plures quæſtiones in ſpeciali circa hanc Bullæ clauſulam decernendas.

CAPVT V.

An iuramenta, & vota iurata poſſint per Bullam Cruciata commutari?

63 NEgant, poſſe commutari virtute Bullæ Cruciatæ iuramenta P. Leſſius *de iuſt. lib. 2. cap. 42. dub. 12. num. 60.* P. Azor, Nauarrus, Bonacina, Barth. à S. Fauſto, & alij, quos referunt Leander de Sacramento *tom. 1. de Sacram. tract. 5. diſput. 14. quæſt. 100.* & Diana *part. 1. tractat. 11. reſol. 41.* Affirmant verò, poſſe commutari, Trullench *in expoſit. Bul. lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 2.* Candidus *tom. 2. diſquiſit. 25. art. 4. dub 1.* P. Thom. Sanchez, Suarez, Filiucius, & alij, quos citat, & ſequitur Diana *vbi nuper*, Baſilius Legionenſis, P. Layman, & alij, quos affert, & ſectatur Leander *ſuprà*.

64 Affirmantem ſententiam veram iudico. Primò, quia, vt *cap. 3.* præmiſi, quicumque habet poteſtatem delegatam, ad commutandum vota, habet etiam ad commutandum iuramenta de ea materia, de qua vota emiſſa commutari valent (ſic enim intelligenda eſt quæſtio; & rationes aſſerti pariter probant, non poſſe commutari iuramenta prolata circa materiam, circa quam nequeunt vota) ſed per Bullam Cruciatæ conceditur Confeſſario approbato electo ab habente Bullam poteſtas

delegata commutandi vota; ergo poteſt & commutare iuramenta.

65 Secundò diſpoſitum in vno æquiparatorum cenſetur diſpoſitum in altero, *leg. tantùm, ff. de ſeruo corrupto, iuncta lege, ſi quis ſeruo, Cod. de furt.* Sed per Bullam commutari poſſunt vota, quæ ex virtute Religionis emittuntur, & Deo fiunt; igitur & iuramenta, quæ ex eadem virtute,& in Dei honorem, ac cultum proferuntur. Etenim obligatio tàm in votis,quàm in iuramentis,quæ in fauorem tertij non ſunt concepta, ſoli Deo acquiritur, idemque finis in vtriſque intenditur; quare iuramenta ea promiſſoria Deo moraliter vota cenſentur; vnde praxis eſt rectè fundata, iuramenta promiſcuè, ac vota commutari.

66 Cæterùm ſi iuramenta (idem dicito de votis)in fauorem tertij fuerint prolata,ante acceptationem poſſunt commutari, quia nulli fit præjudicium;at,ſi acceptata ſint commutari nequeunt, nam cum præjudicio tertij Pontifex facultatem commutandi non concedit,quod & ratio monet,& praxis oſtendit. Quando autem dicatur acceptatum eſſe iuramentum, aut votum emiſſum in fauorem alicuius Eccleſię,attigimus *cap.*3. Quod ſi quis vouerit, aut iurauerit aliquid præſtare alicui, qui iniuſtè illum, & per vim obligauit ad eam promiſſionem faciendam,poterit votum, aut iuramentum commutari, quia ei non fuit exindè ius acquiſitum, nec ex ſua malitia lucrum potuit reportare.

67 Concluſionem ampliùs ſtabilio. Bulla in præſenti concedit, poſſe commutari vota, quamvis ſint iurata; ergo inde infertur, poſſe commutari iuramenta; Nam ſi valent commutari iuramenta facta in confirmationem voti, cur non ipſa iuramenta ſeorſim ſumpta, cum non ſint diuerſum vinculum, ſi fiant ſeorſim, ac ſi coniunctim. Dices; acceſſorium ſequi principale, ideóque, cum iuramentum eſt acceſſorium voto,conceſſa facultate ad commutandum votum, intelligitur conceſſa ad iuramentum; ſecùs eſt, cum iuramentum ſeorſim concipitur,tunc enim non eſt acceſſorium. Fateor, poſſe ſic hanc rationem vtcumque eneruari;at negari nequit, cum Pontifex concedit facultatem ad commutanda vincula voti, quamvis accedat iuramentum, velle concedere illam, ad commutanda vincula iuramentorum, cùm ſint vincula, & ſi diuerſa phyſicè, tamen moraliter eadem; & aliundè cum vinculum iuramenti ei poteſtati commutandi ſubiaceat in aliquo euentu, nempè cum cadit ſuprà votum, ſignum eſt, voluiſſe Pontificem, id vinculum, non aliter ac voti vinculum, ei poteſtati ſubeſſe; limitaſſeque poteſtatem ſolùm quoad materiam, ſi eſſet reſeruata, non verò quoad vincula adeò inter ſe ſimilia.

68 Hinc reſpondetur rationi aduerſantium, nempè diuerſum eſſe vinculum iuramenti à vinculo voti, & poteſtatem commutandi vnum vinculum non poſſe extendi ad aliud; & quamvis vinculum voti ſit maius, quàm iuramenti,non propterea poteſtas conceſſa ad maius extendi valet ad minus, cum minus non includitur in maiori. Etenim reſpondeo, non defendi à nobis concluſionem poſitam, ex eo quòd votum ſit maius vinculum, quàm iuramentum, ſed quia ſunt æquiparata, & moraliter idem reputantur, quare non obſtat, quòd phyſicè ſint vincula diuerſa, cum ad hoc non debeat attendi, ſed ad id, quod ad genus moris ſpectat. Itaque cum non militat eadem ratio æquiparantiæ, nequit extendi priuilegium, quantùmvis fauorabile, vltra proprietatem verborum, ſic verò, cum eadem militat ratio.

69 Sed dices cum Barth. à S. Fauſto, *in Theſaur. Religioſ. lib.* 4. *q.* 41. Cum Pontifex vult concedere poteſtatem ad vtrumque, nempè ad commutanda vota, & iuramenta, vtrumque exprimit; ergo,dum non exprimit, id negat. Reſpondeo, ſatis ex dictis conſtare, mentem Pontificis fuiſſe, concedere poteſtatem ad vtrumque;imò non apparet,cur negaret facultatem commutandi iuramenta, cum concedit poteſtatem commutandi vota; vnde potius, quia hæc ſunt æquiparata, & poteſtas ad vnum cenſenda erat poteſtas ad aliud, non expreſſit vtrumque. Expreſſit autem poteſtatem commutandi vota iurata,eo quòd in his aliquis poſſet ampliùs dubitare, cum in voto iurato duo vincula concurrant, & indè contenderet nonnullus, facultatem conceſſam ad vnum vinculum voti, quod eſt minus, non extendi ad duo vincula iuramenti, & voti, quod eſt maius.

70 P. Thom. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 2. docet, ſi iuramentum ſit emiſſum in voti confirmationem, eum, qui per priuilegium poteſt commutare votum,poſſe & iuramentum, quia hoc eſt acceſſorium voto, & ſublato vinculi voto, ceſſat & illud. Si verò quis immemor voti, independenter ab illo iurat ipſam materiam aliàs per votum promiſſam,tunc non poſſe commutare iuramentum, eo quòd ſint vincula diuerſa, & vnum independens ab alio. In dubio autem, quomodo ſit iuramentum præſtitum,cenſendum eſt,præſtitum fuiſſe in confirmationem voti, quia ſic communiter contingit.

71 Hæc doctrina, qua parte nobis contraria eſt, manet iam ſoluta. Ex illa ſaltem habetur,non ſolùm per Bullam,in qua id expreſsè habetur,ſed per Iubilæum aut priuilegia Regularium concedentia poteſtatem ad commutanda vota,poſſe commutari, etiam ſi ſint iurata. Aliundè docuimus, poſſe commutari

tari

Digitized by Google

tari iuramenta ab eo, qui poteſt commutare vota, vnde, ſiuè iuramentum independenter ſit emiſſum, ſiuè in confirmationem voti, per Bullam, Iubilæum, aut priuilegium poterit commutari.

CAPVT VI.

Aliqui caſus ad praxim deducuntur ex poteſtate commutandi iuramenta, & vota iurata virtute Bullæ Cruciatæ.

72 PRimus eſt, in commutatione iuramentorum circa æqualitatem, & cauſas commutandi, idem omninò ſeruandum eſſe,ac in commutatione votorum. Quid autem in hac obſeruari debeat, diximus *cap.* 3. Id nota, etiam commutationem iuramentorum, ſi virtute bullæ præſtetur, faciendam eſſe in aliquod ſubſidium Cruciatæ, quia id in Bulla præſcribitur circa votorum commutationem.

73 Secundus eſt, ſi quis haberet poteſtatem ad commutandum vnicum omninò votum,vel vnicum omninò iuramentum, & daretur votum iuratum, poſſe commutari id votum per eam poteſtatem, quia iuramentum eſſet acceſſorium, & ſublato vinculo principali, tolleretur acceſſorium. Et quia poteſtas ad vnum iuramentum, eſſet poteſtas ad vnum votum, iuxta dictȧ de æquiparatione, ille, qui ea poteſtate polleret, poſſet auferre immediatè, non vinculum iuramenti (nam ablato acceſſorio, non tolleretur principale)ſed vinculum voti, exercita circa illud poteſtate,indeque etiam iuramenti vinculum acceſſorium auferretur. Si verò vnum independenter ab alio fuiſſet emiſſum, iudicat Trullench *in Bul. lib.* 1.§.7.*c.*3.*dub.*3 *num.*11. adhuc per eam poteſtatem poſſe vtrumque tolli,citatque Suarium,& Thomam Sanch.id, vt probabile docentes;eoquòd indirectè tunc tollatur vinculum iuramenti, ablato vinculo voti,habebat enim ſe votũ concomitanter, & conſequenter, ideóque etiam per quandam conſequentiam iuramentum tollitur. Quãvis hoc tutum cenſeam ex eo, quod præmonui, illa vincula iuramenti, & voti cadentia ſupra eamdem materiam, eſſe moraliter vnum,idéque vinculum; Tamen oppoſitum iudico verum,quia, & ſi ſint ea vincula æquiparata, in ordine ad hoc, quòd diſpoſitum de vno cenſeatur de alio diſpoſitũ in ordine ad proprietates eorum, verùm hoc non tollit, eſſe duo vincula,non vnum; & quidem duo independentia, non vt acceſſorium vnum alteri, ea autem poteſtas ſolùm extenditur ad vnum vinculum, ſiuè voti, ſiuè iuramenti, dummodò vnum non ſit cum altero connexum. Secùs eſſet, ſi quis pluries eamdẽ materiam vouiſſet quia tunc non multiplicatur vinculum, nec ſunt plura vota ſed idem actu repetitum, ad plura perſeuerans.

74 Tertius; ſi quis captus ab hoſtibus, adhuc iniuſtè, iuret, ſe redditurum, aut miſſurum redemptionis pretium, in ſuam patriam veniens, tenetur id adimplere, nec poteſt hoc iuramentum per Bullam commutari. Etenim ex commutatione, & non adimpletione illius ſequeretur ſcandalum, ſcilicèt blaſphemiæ in Deum, & Eccleſiæ contẽptus. Secus eſt, cum vi, aut metu, non ab infidelibus,extorquetur iuramẽtum,aut votum,tunc enim nulla acquiritur iuris ratio ei, qui violentiam intulit,& in cuius fauorem fuit emiſſum. Sic cenſent Ledeſma, & Emanuël Rodrig.quos refert,& ſequitur Trullench *vbi ſuprà dub.*2.*n.*7. Cæterùm hoc iuramentum, vel votum metu graui incuſſum, cõmutari poſſe per Bullam, *ſuperiùs* aſſerui, ſtando opinioni, quæ cenſet, hoc votum,aut iuramentum eſſe validum,non qua parte includit obligationem reſpectu hominis, ſed qua parte includit obligationem reſpectu Dei. At aſſentio P. Leſſio citato *ſupra num.* 2. docenti, eiuſmodi votum eſſe inualidum,ſaltem iure Eccleſiaſtico,dum ex metu, graui extrinſeco emittitur. Quippè ille metus ita minuit rationem voluntarij, vt nulla indè reſultet obligatio etiam reſpectu Dei, nec Deus videatur admittere obligationem,quæ ei,velut inuoluntariè,& non vltroneè, ſed per vim iniuſtam præſtatur. Quare non erit opus commutatione eius voti non ſubſiſtentis. Idemque dicito de ſimili iuramento iuxta iam ſtabilita principia.

75 Quartus; Si quis iuret, ſe aliquid daturum alteri; vel ita id iurat, vt contineat ſimul implicitè, aut ex intentione, promiſſionem Deo factam; vel nudè dumtaxat promiſſionem in ſolius tertij vtilitatem. Si primo modo contingat, habeatque ſe per modum voti, ante acceptationem poteſt commutari, non poſt acceptationem iuxta dicta *ſuperiùs*; obligat autem in conſcientia hoc votum,quia continet promiſſionem factam Deo. At ſi ſecundo modo eueniat, probabile eſt, non indigere illud iuramentum non acceptatum commutatione,quia non obligat in conſcientia; Sicut nuda promiſſio homini facta ante acceptationem non obligat, ſic nec, ſi iuramento firmetur. Ita tenet P.Leſſius *de iuſt.lib.* 2.*cap.*42.*dub.*4.*num.*22.*& cap.*17.*dub.*7.*num.* 52. Dices; iuramentum iuſtum debet adimpleri,aliàs patrabitur periurium; ergo id iuramentum, etiam ante acceptationem obligat ad ſui adimpletionem, ſi non commutatur. Diſtinguo antecedens, iuramentum abſolutum obligat, concedo; conditionatum explicitè, aut implicitè, nondum appoſita conditione, nego. Illud autem iuramentum

Digitized by Google

promiſſorium ſecum fert eam conditionem imbibitam, ſi acceptauerîtis, cui rem promitto; quare, dum non acceptauerit, non obligabit.

76 Quintus; Iuramentum factum de ſoluendo vſuras poteſt commutari per Bullam, quia nullũ ius etiã ex acceptatione vſurarius acquiſiuit. Et quidem poteſt Epiſcopus in hoc iuramento diſpenſare, vt docent P. Leſſius *ſuprà cap.* 42. *dub.* 12. & Trullench *vbi ſuprà dub.* 2. *num.* 11. Sed dices, *in cap. Debitores* 6. *de iuramento*, docet Alexander III. debitores vſurarum, ſoluere quibus ſe obligauerant, cogi non debere; *Si verò de ipſarum ſolutione iurauerint, cogendi ſunt domino reddere iuramentum. Et cum vſura ſoluta fuerint, creditores ad eas reſtituendas ſunt Eccleſiaſtica ſeueritate compellendi.* Ergo nequit hoc iuramentum commutari. Reſpondeo, ex his verbis non inferri, aliquod ius vſurario acquiri, imò oppoſitum infertur, cum ille reſtituere cogatur. Sed præcipitur, vt Domino, hoc eſt, Deo iuramentum reddatur, ſed ſeruetur iuramentum, eo quòd Deus, vt teſtis, adductus eſt. Attamen hoc intelligi debet, ſicut de aliis iuramentis, quæ in præjudicium tertij non vergunt, ſi commutentur, nempè ea eſſe ſeruanda, niſi in illis diſpenſetur, aut commutetur. Similiter illud iuramentum de vſuris ſoluendis præcipitur ſeruari, dummodò tamen non diſpenſetur in illo, aut commutetur, quo non tollitur, poſſe diſpenſationem, aut commutationem præſtari.

77 Sed replicas; ergo nec opus eſt commutatione, aut diſpenſatione iuxta doctrinam P. Leſſij; nam nuda promiſſio non obligat in conſcientia, dum non acceptatur; iuramentum autem additum promiſſioni eſt acceſſorium, & confirmat ipſam promiſſionem: quare, dum hæc non obligat, nec illud, ratione conditionis tacitæ imbibitæ, de qua *ſuprà*. Igitur, cum in iuramento de ſoluendo vſuras res ſe habeat, ſicut nuda promiſſio iurata, ex qua nullum adhuc ius tertio eſt acquiſitum, non obligabit id iuramentum, nec commutatione indigebitur. Reſpondeo, obligare ratione prædicti iuris poſitiui id ſtatuentis. Sic autem, mihi perſuadeo, ſtatuiſſe, quia ſtatim apponit remedium, vt vſuræ reddantur ei, qui ſoluit; & eo remedio appoſito, nihil ille amittit, & aliundè apparet maior fidelitas erga Deum in adimpletione iuramenti; cum autem hæc duo coniunguntur, & Deum honorari per cultum adimpletionis, & nihil amittere eum, qui iurauit ſoluere, quod non debebat, rectè ſtatutum eſt, vt ſoluat. Hoc dixerim rerum congruitate ductus, vt P. Leſſij, quem ſequor, doctrina cohæreat.

78 Hic aduerte primò, eum, cui facta eſt promiſſio iurata, poſſe cedere promiſſioni, & iuri, quod ſi præſtet, relaxat iuramentum; nam tollit obligationem promiſſionis, qua ablata, vtpotè principali, iuramentum euaneſcit, quod erat promiſſioni acceſſorium. Et ad hoc genus relaxationis, quæ non eſt actus iuriſdictionis, non eſt opus poteſtate Eccleſiaſtica, quare hæc non eſt diſpenſatio, quæ eſt actus poteſtatis ſpiritualis; nec immediatè tollit obligationem iuramenti, ſed mediatè, quatenus condonatur promiſſio, qua condonata, ex conſequenti iuramentum ei acceſſorium euanet.

79 Aduerte ſecundò, per Bullam Cruciatæ non poſſe commutari iuramenta (idem dico de votis) in fauorem tertij emiſſa, & acceptata, ex eo præciſè, quia Pontificem numquam in præiudicium tertij, facultatem delegare, & ratio oſtendit; & perſuaſio communis, praxis, & omnium Authorum interpretatio conuincunt. Non tamen ex eo prouenit, quòd Pontifex, quando iuſta cauſa ſubeſt, nequeat ea iuramenta relaxare. (Opus autem eſt cauſa iuſta, aliàs abuſus daretur poteſtatis, & non diſpenſatio fidelis.) Quippè Pontifex id præſtare poteſt; quod vt percipiatur, ponendum eſt, cum materia promiſſa alicui ſubeſt, aut is, in cuius fauorem facta eſt promiſſio, pleno iure ſubiicitur, eum poſſe relaxare promiſſionem, ob poteſtatem, ſeu iuriſdictionem plenam, quam habet erga materiam, aut promiſſarium. Hinc Pontifex poteſt iuramenta promiſſoria relaxare Catholicis, & ſubditis, & quia in eos iuriſdictione fruitur, & quia Dei, qui omnium eſt dominus, vices gerit, vt, cum cauſa datur, vinculis promiſſionis liberetur promiſſor; ne, exiſtente iuſta cauſa liberationis, quis maneat adhuc obligatus, quod ex ſe cernitur non exigua incommoda fore allaturum. Nec hæc poteſtas Pontifici eſt detrahenda, vtpotè neceſſaria ad Eccleſiæ regimen, & fidelium exonerationem, atque ad præcauenda animarum pericula, in quæ incidere, facile eſt, attentis obligationibus, quæ ex votis, ac iuramentis promiſſoriis exoriuntur.

80 Et quamvis iuramentum præſtitum ſit in fauorem infidelis, qui Pontifici non eſt ſubditus, dummodò abſit ſcandalum, & cauſa ſubſit, poteſt Pontifex illud relaxare; tum quia id præſtat, vt Vicarius Dei, qui eſt omnium Superior, & poterat eam promiſſionem condonare; tum quia promiſſor eſt eius ſubditus, cuius animæ tenetur prouidere, ſoluendo vinculis obligationis, quam iuſtæ cauſæ exiſtentes irrationabilem reddunt. Quæ autem cauſæ iuſtæ cenſeantur, & quibus caſibus queant Epiſcopus, & Religioſi virtute ſuorum priuilegiorum eiuſmodi iuramenta promiſſoria relexare, tractat optimè P. Leſſius *ſuprà*.

81 Aduerte

Digitized by Google

81 Aduerte tertiò, per Bullam Cruciatæ non poſſe commutari iuramenta Communitatum, ſicut nec vota, quia Bulla perſonis conceditur, non Communitatibus; maximè ſi vota cadant ſupra ſtatuta à Pontifice confirmata, ſicut enim nullus inferior Pontifice poteſt ea ſtatuta tollere, ſic nec iuramenta, quibus confirmantur. Imò etſi ſtatuta à ſolo Epiſcopo ſint confirmata, non poterunt per Bullam iuramenta commutari, nec ipſa ſtatuta, cum Bulla perſonis concedatur, non collegiis: poterit tamen Epiſcopus iuramenta eiuſmodi relaxare, ſicut poteſt ea ſtatuta tollere. Trullench *ſuprà cap.* 3. *dub.* 5. *num.* 12. ait, ideò non poſſe commutari huiuſmodi iuramenta, quia præſtita ſunt principaliter in proximi commodum, non in Dei cultum, & ex commutatione ſequeretur præiudicium tertij. Sed hæc ratio euertis eſt; tum quia plura ſunt vota, & iuramenta Communitatum, quæ principaliter in Dei cultum ſunt emiſſa, qualia ſunt vota ſeruandi diem feſtum alicuius Sancti, ieiunandi, & ſimilia; tum quia, & ſi in emiſſione votorum, aut iuramentorum conſultum fuiſſet vtilitati proximi, poteſt tamen ea eſſe mutatio rerum, vt nullum præjudicium ex relatione ſequeretur.

82 Aduerte demùm, ſententiam fuiſſe aliquorum (vt Tabienæ *in ſumm. verbo iurare*, *q.* 20. *num.* 21. quam indicat Nauarrus *lib.* 2. *conſ. de iureiur. conſil.* 3. *à num.* 4. *in priori editione*, *& in poſteriori*, *conſil.* 1. probabilioremque iudicat Ledeſma *in ſum. tom.* 2. *tract.* 11. *de vot. cap.* 4. *dub.* 2. & non improbabilem cenſet Trullench *ſuprà dub.* 5. *n.* 13.) nulla eſſe iuramenta reſeruata Pontifici, docentium. Contrarium *ſuprà* docuimus, ob æquiparationem, & ſimilitudinem, quæ eſt inter votum, & iuramentum promiſſorium, & quia in hoc imbibitur votũ, ſaltem implicitè, cum imbibatur promiſſio Deo facta. Ideóque iuramenta materiæ, quæ in votis eſt Pontifici reſeruata, eidem reſeruantur, vt tenent Sotus *lib.* 8. *de iuſtit. q.* 1. *art.* 9. Rodriguez 2. *tom. ſum. cap.* 100. *num.* 3. ac plures, quos refert, & ſequitur P. Thom. Sanch. *de matrim. diſp.* 13. *num.* 2. *& lib.* 3. *ſum. cap.* 19. *num.* 7. Et eſt communis. Attamen ſi quis conformetur priori ſententiæ, quæ nec aliqua authoritate, nec aliqua ratione deſtituta eſt, poterit commutare iuramenta Caſtitatis, Religionis, & peregrinationis vltramarinæ, virtute Bullæ Cruciatæ; idemque poterunt Regulares virtute ſuorum priuilegiorum; animaduertere tamen debent circuſtantias iuramenti, & mentem iurantis; difficile enim eſt, non intermiſcuiſſe votum, quod ſanè commutari nequibit.

CAPVT VII.

An vota conditionalia Religionis, Caſtitatis, & vltramarinum queant virtute Bullæ Cruciatæ commutari.

83 POſuimus, hæc tria vota, ſaltem cum abſoluta ſunt, commutari per Bullam non poſſe, quia in ea expreſsè excipiuntur. Nunc inquirimus, an poſſint, cum ſunt conditionalia? Expoſuimus autem *cap.* 1. quæ vota dicantur conditionalia. Eſtque in præſenti ſermo de votis merè conditionalibus, non pœnalibus. Prima ſententia docet, nec ante impletam, nec poſt impletam conditionem poſſe hæc vota commutari virtute Bullę, Iubilæi, aut priuilegij Regularium. Ita P. Azor *lib.* 11. *inſt. mor. cap.* 20. *q.* 13. Nauarrus *in Manuali cap.* 12. *num.* 43. Sotus, Corduba, Rodriguez, Lopez, Aragon, Vega, & P. Valentia, quos refert Leander de Sacram. *tom.* 1. *de Sacram. tract.* 5. *diſp.* 14. *q.* 130.

84 Secunda Sententia tenet, non poſſe commutari poſt impletam conditionem, ſic verò ante impletionem illius. Sic Bonacina *tom.* 2. *in Decalog. diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 7. §. 4. *num.* 17. P. Suarez *tom.* 2. *de Religion. lib.* 6. *de vot. cap.* 22. Ludouicus à Cruce *in expoſ. Bullæ diſp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 9. *num.* 5. Sayrus, Baſilius Legionenſis, Tamburinus, Lauorius, Filiucius; & Layman, quos citat *vbi nuper*, *& q.* 131. Leander, qui non rectè pro duplici ſententia oppoſita citat ibi aliquos Authores.

85 Tertia ſententia defendit, poſſe commutari antè, & poſt impletam conditionem. Ita P. Th. Sanch. *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 10. *n.* 13. Trullench *in Bul. lib.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 7. Antonius Gomez *in Bul. clauſul.* 10. *num.* 99. Diana 1. *part. tract.* 11. *reſol.* 54. Leander *ea quaſt.* 131. & apud ipſum Cardinalis Toletus, Barthol. à S. Fauſto, Petr. Ledeſma, Candidus, Leo, Sanctarellus, & Boſſius.

86 Huic tertiæ ſententiæ ſubſcribo. Primò, quia, vt *cap.* 2. *&* 3. attigi, hæc vota merè conditionalia poſſunt ab Epiſcopo diſpenſari, & commutari, ergo poſſunt commutari virtute Bullæ. Vim huius conſequentiæ *ſuperiùs* oſtendimus. Secundò quia reſeruatio, vtpotè odioſa, eſt reſtringenda ad vota abſoluta, ac perfecta in ſui emiſſione, & non dependentia à futuro euentu, nec extendi debet ad vota imperfecta, quæ ſtatim non obligant, nec vnquam, ſi conditio non ponatur, obligabunt; ergo hæc vota non comprehenduntur ſub reſeruatis Pontifici, adhuc impleta conditione, quia, etſi tunc reddatur abſoluta (quod eſt argumentum oppoſitæ ſententiæ fauentium) attamen non ideò ſuam naturam mutant; eorum autem natura introſpicienda eſt in

Digitized by Google

in prima emiſſione, in qua ſecum imperfectionem important, ſemperque trahunt à radice, & origine eam imperfectionem. Quæ imperfectio ampliùs elucet, ſi animaduertatur, eum qui ſic vouet, potiùs moueri ex affectu ad rem importatam ſub conditione, quàm ad materiam promiſſam, vt videre eſt, cum grauiter ægrotans vouet Religionem, ſi liber ab ægritudine euadat. Is enim potiùs optat ſalutem, quàm Religionem; imò ideò vouet Religionem, vt Deum moueat ad impertiendam ei ſalutem, & ſi non ægrotaret, non voueret. Hinc ergo liquet imperfectio huiuſmodi votorum, quam ſecum important ex radice, adhuc poſt impletam conditionem.

87 Tertiò, quia etiam vota pœnalia, poſito peccato, aut actu, qui vitari intenditur, redduntur abſoluta, & tamen poteſt in eis Epiſcopus diſpenſare, eaque commutare, vt aliqui ex aduerſantibus fatentur, ergo ſimiliter poterit diſpenſare in merè conditionalibus, & conſequenter hæc non erunt reſeruata, exindéque valebunt commutari per Bullam. Quartò, quia aliqui ex aduerſantibus docent, ea vota poſſe commutari ante impletam conditionem, ſed impletio conditionis non variat naturam voti, nec à non reſeruato transfert in reſeruatum; quæ enim ab initio imperfecta ſunt, ideóque non reſeruata, tractu temporis in perfectionem non conualeſcunt per quid ipſis extrinſecum, igitur & poſt impletam conditionem commutari queunt. Sic votum impuberis non confirmatum in pubertate, adhuc in hac poteſt à patre irritari, quia fuit emiſſum cum imperfectione iudicij, quam imperfectionem ſemper retinet, dum nouus actus voluntatis non accedit. Similiter in præſenti, hæc vota cum imperfectione dependentiæ, & affectus majoris ad rem ſub conditione importatam (ſaltem frequentiùs) quam ad rem promiſſam, fuerunt emiſſa, & dum nouus actus ea abſolutè confirmans non ſuperadditur, ea imperfectione non nudantur.

88 Opponitur primò, contractus, & promiſſiones humanæ conditionatæ, poſita conditione, eodem modo ſe habent, ac abſolutæ; ergo & votum conditionatum, adueniente conditione, perindè eſt cenſendum, ac abſolutum. Sed in abſoluto nequit dari relaxatio, niſi per Pontificem, ergo nec in conditionato poſt impletam conditionem. Reſpondeo, quoad vim obligandi, tàm contractus, ac promiſſiones humanas, quàm vota conditionata, appoſita conditione, habere eamdem vim, ac abſoluta. Et quia in contractibus, & promiſſionibus humanis ſolùm attenditur obligatio, quæ indè naſcitur in fauorem alterius, ideò æquiparantur contractibus, ac promiſſionibus abſolutis. At in votis non attendimus in hac quæſtione præcisè ad vim obligandi, ſed inquirimus primæuam eorum naturam, vt indè inferatur, an ſit poteſtas commutandi illa, & quamvis vis obligandi ſit eadem, noluit Pontifex attendens ad radicem eorum imperfectam ſibi reſeruare, ſic enim interpretamur rectè reſeruationem odioſam, reſtringendo illam ad vota in ſua radice, & origine perfecta. Quare ſtat, eſſe ea vota æquè obligatoria dum non relaxatur obligatio, ac vota abſoluta, & tamen poſſe relaxari obligationem. Sicut in ſuo genere tam obligat vouentem votum eleemoſynæ præſtandæ, ac votum abſolutum caſtitatis; & tamen illud poteſt diſpenſari, & commutari ab Epiſcopo, & non hoc; quia eſſe æquam vim obligandi, dumtaxàt eſt, obligationem dari ſub peccato mortali ſacrilegij, adimplendi votum; quæ obligatio æqualis eſt vtrobique. Et argumentum hoc poteſt inſtari apertè in voto conditionali pœnali.

89 Sed opponitur ſecundò. Votum conditionale pœnale ideò poteſt commutari, quia non fit ex affectu rei promiſſæ; at votum merè conditionale fit ex affectu promiſſę materiæ, quæ eſt reſeruata; ergo nec poſt impletam conditionem, nec ante, poteſt commutari. Reſpondeo in primis *ex num.* 85. vota merè cõditionalia communiter non emitti principaliter ex affectu ad rem promiſſam, ſed ad rem ſub conditione importatam. Deindè eſtò non ita contingeret, nego conſequentiam. Etenim votum pœnale; quia in ſui emiſſione continet illam imperfectionem, non iudicatur reſeruatum; at votum merè conditionale etiam in ſui emiſſione continet alias imperfectiones *ſuprà* allatas, ob quas non eſt perfectum, & abſolutum; igitur ob has iudicandum eſt, non eſſe reſeruatum. Si enim ſemel reſtringitur reſeruatio ad vota perfecta, quocumque ex capite non ſit perfectum votum, immune erit à reſeruatione; quare, & ſi non contineat eamdem imperfectionem votum merè conditionale, ac votum pœnale, ſat eſt, ſi aliundè imperfectum oſtendatur, vt non reſeruetur. Alia argumenta ex doctrina tradita facilè diluuntur.

90 Hic notandum eſt primò, aliqua vota apparere conditionalia, & non eſſe, non ſolùm illa, quæ deſignant tempus determinatum, vt, ſi pater meus ex hoc morbo viuus non euaſerit, promitto Religionem, de quibus *cap.* 1. ſed alia, quibus apponitur conditio expreſſa, quæ, & ſi non apponeretur, imbibita eſt in ipſo voto; vt, ſi quis ſanus, & à periculis liber ſic voueat; Promitto Religionem, ſi vixero; hæc enim vota ſunt abſoluta, licèt enim abſolutè emitterentur, quin ea conditio exprimeretur, ea imbiberetur in votis; quippè vita deficiente, votum deficit, nec

Digitized by Google

nec executioni poteſt mandari. Prætereà alia vota ſunt, aut cenſentur abſoluta, quibus apponitur neceſſaria conditio v. g. voueo caſtitatem, ſi Sol cras oriatur, quippè cùm non ſit euentus contingens, ſed neceſſarius, votum non eſt dependens ab aliquo contingenti, ſed ea conditio iudicatur impleta. Quare, vt votum ſit in re conditionatum, debet eſſe dependens à conditione incerta, ac contingenti, cuius poſitio reddat illud abſolutè obligans, & cuius defectus ab obligatione reddat immunem vouentem.

91 Hinc notandum eſt ſecundò cum P. Thom. Sanch. quem refert, & ſequitur Trullench *vbi ſuprà*, eſſe etiam in re vota abſoluta ea, quibus adjicitur conditio de præterito, aut de præſenti, hæc enim non dependent ab euentu contingenti, ſed ſtatim ac verificatur conditio, votum iudicatur ab initio validum & firmum. Quod eſt tenendum, etiam ſi vouens ignoret id, quod per conditionem exprimitur, nam eius ignorantia non facit euentum conditionis contingentem, vt poſſit eum obligare, aut deobligare ad rem promiſſam. Quare hæc vota, & ea, de quibus *num. præcedenti*, nequeunt per Bullam, aut aliud ex præfatis priuilegis commutari, nec ab Epiſcopo commutari, aut diſpenſari.

CAPVT VIII.

An vota conditionalia pœnalia Religionis, caſtitatis, & vltramarinum poſſint commutari virtute Bullæ Cruciatæ?

92 QVænam ſint vota pœnalia, expoſuimus *cap.* 1. In hac ergo quæſtione triplex eſt ſententia. Tuetur prima, adhuc ante impletam conditionem non poſſe prædicta vota virtute Bullæ, aut Iubilæi commutari. Sic nonnulli, quos refert Philiarcus *de officio Sacerdot. tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 22. Secunda ſententia defendit, poſſe quidem ea vota commutari ante adimpletam conditionem, non verò poſt. Ita Couarrubias *in cap. Quamvis pactum*, 1. *part.* §. 3. *num.* 22. *de pactis in* 6. P. Leſſius *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 106. Sotus, Graſſis, Anglez, Gutierrez, Rodriguez, & Azor, quos refert Leander de Sacramento *tom.* 1. *de Sacram. tract.* 5. *diſp.* 14. *q.* 128. Tertia ſententia docet, poſſe commutari ante, & poſt impletam conditionem. Sic Nuñus *in* 3. *part. tom.* 2. *tract. de Bulla*, §. 11. Diana 1. *part. tract.* 11. *reſol.* 53. Cardinalis Toletus *in ſum. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 11. Medina, Lopez, Viualdus, Aragon, Vega, Antonius Gom. Sayrus, Pet. Ledeſma, Ioannes de la Cruz, Trullench, Ludouicus à Cruce, Candidus, Boſſius, Barboſa, Tamburinus, Bartholomæus à S. Fauſto, Bonacina, Leo, Sanctarellus, Lauorius, Pat. Thom. Sanchez, Suarez, Layman, Henriquez, Sà, quos refert, & ſequitur Leander *vbi nuper*. Deindè Rodriguez mutans ſententiam, quam tenuerat *in Bulla*, §. 9. *numer.* 124. docet idipſum *tom.* 1. *qq. regul. quæſt.* 63. *articul.* 7. Prætereà Villalobos *part.* 2. *ſum. tract.* 27. *clauſul.* 9. *num.* 42. Baſilius Legionenſis *in tract. manuſcripi. Bullæ*, §. *vltim. num.* 8.

93 Hanc tertiam ſententiam iudico veriſſimam, & probo primò, quia Epiſcopus poteſt in huiuſmodi votis diſpenſare, & ea commutare, vt libauimus *cap.* 2. *&* 3. igitur & per Bullam poſſunt commutari, necnon per Iubilæum, & demùm commutari, ac diſpenſari per priuilegia Regularium. Secundò, vota merè conditionalia valent virtute Bullę Cruciatæ commutari, *vt cap. præced.* ſtabiliui, igitur & vota conditionalia pœnalia, eſt enim argumentum de maiori ad minus, ideóque conſultò præmiſi concluſionem de votis merè conditionalibus, vt indè firmiùs præſens concluſio ſuaderetur. Quippè hæc vota pœnalia habent imperfectionem dependentiæ à conditione contingenti, ſicut vota merè conditionalia, & vlteriùs majorem imperfectionem habent, nam non ſolùm non emittuntur ex affectu ad materiam promiſſam, ſed eam refugiendo, cum in pœnam apponatur, & pœna ſollicitet fugam. Hinc rationes *cap. præced.* allatæ ſunt aptandæ huic concluſioni, & indidem ſoluenda argumenta, quæ contra illam fiunt.

94 Votum pœnale dupliciter poteſt emitti. Primò, vouendo vitationem alicuius actionis, & ſi non vitetur, Religionem, aut caſtitatem, v. g. voueo, me non luſurum fore aleis, & ſi luſero, promitto Religionem. Secundò, proponendo, non tamen vouendo vitare eam actionem, ſi tamen non vitetur, promittendo Religionem, vt, non ſum luſurus deinceps, quòd ſi ludam, voueo Religionem. In vtroque caſu militat noſtra concluſio, nam in vtroque æquè eſt votum conditionatum Religionis appoſitum in pœnam ludi, qui pro conditione ineſt. Eſt tamen inter vtrumque id diſcrimen, quòd in ſecundo caſu ludens non peccat, ſed poſt ludum tenetur ad Religionem, & non tenebatur ad non ludendum, ſed ludere poterat, expoſitus pœnæ exequendæ. In primo tenetur non ludere, & peccat, ſi ludat, præter obligationem voti, quam incurrit. Hoc autem votum non ludendi in ſententia omnium poteſt commutari per Bullam, quia nullo modo eſt reſeruatum, & ſtat hoc commutari, & manere adhuc votum conditionatum pœnale Religionis, ita vt res ſe habeat, & maneat, ſicut eſt in ſecundo caſu.

95 Sed quid dicendum in caſu, quo quis

Digitized by Google

vouiſſet non ludere, & ſi luderet, ingredi Religionem; ponamus, cum luſiſſe ſemel, & velle votum Religionis exequi, aut commutare, ita vt obligationi ſuæ ſatisfaceret, an teneretur non ludere ſecundò, aut extinctum iam eſſet votum ludendi? Cenſeo, extinctum fuiſſe; nam intentio vouentis non ludere fuit, ex horrore pœnæ incurrendæ ludum vitare, cum ergo iam pœna fuerit incurſa, ceſſat vis voti, quod dumtaxàt extenditur ad vitandum ludum prima vice, quod ſignificatur per illud propoſitum non ludendi vnquam; nam ſi nec ſemel ludere quis in animo propoſuit, ſanè nunquam ludere intendit. Secùs eſſet, ſi intentio vouentis alia fuiſſet, & voluiſſet ſe obligare ad non ludendum, etiam poſt contractam pœnam. Sed communior modus vouendi eſt primus. Confirmatur, quia hoc votum prorſùs eſt pœnale; at incurſa illa pœna, non reſtat alia pœna, quæ incurratur, ergo non remanet pœnale, igitur abſolutè ceſſat, cum non mutetur eius natura à pœnali in non pœnalem: longè aliter eſſet, ſi quis voueret, aliquid non exequi, & quoties exequeretur, aliquam pœnam ſoluere, v. g. promitto non ludere, & quoties luſero, voueo eleemoſynæ largitionem. At in votis pœnalibus materiæ reſeruatæ, nec repeti poteſt ingreſſus in Religionem promiſſus, nec intentio eſt repetendi materiam, vt ſi quis voueat peregrinationem vltra marinam, ſi luſerit, non habet in animo repetere eam peregrinationem, quoties luſerit, ſaltem iuxta communem vouendi modum.

96 Cæterùm commutari nequit per Bullam Cruciatæ votum pœnale materiæ reſeruatæ emiſſum in pœnam peccati præteriti, aut in pœnam alicuius peccati, quod de præſenti quis patrare intendit; nempè, promitto v. g. caſtitatem, ſi hoc peccatum, quod nunc propono committere, ſit mortale, de quo dubito, vel abſolutè in pœnam huius peccati mortalis, quod nunc intendo patrare. Ratio eſt ea, quam in ſimili attulimus *cap. præcedenti*, circa votum merè conditionale; nam ea conditio non ſuſpendit conſenſum, nec eſt contingens, ita vt etiam ſit contingens, votum ſubſiſtere, & obligare, quod etiam militat, ſi quis ignoret id, quod in conditione apponitur, quippè ea ignorantia non facit, dari contingentiam. Huic aſſerto ſuffragantur Boſſius *de Iubil. ſec. 2. caſ. 10. num. 19.* Bonacina, Trullench, Pater Suarez, & Thom. Sanchez quos ſequitur Leander *ſuprà, q. 127.*

97 Deindè id ipſum dicendum eſt, ſi vota pœnalia abſolutè emittantur in pœnam alicuius delicti iam patrati, aut quod patrare eſt in animo, vel ſi pro conditione apponatur eiuſmodi delictum, cum in vtroque modo vouendi, non detur dependentia à conditione contingenti. Nec obſtat, hæc vota non emitti ex affectu ad rem promiſſam. etenim in primis negari nequit aliquis affectus ad illam, cum hic non feratur ad id, quod pro conditione de præterito, aut de præſenti apponitur, aut in cuius pœnam abſolutè ea materia promittitur, quin potiùs in odium, ac deteſtationem culpæ, vouens amat religionem aut caſtitatem, vt ſic puniat delictum, ſatisfaciat Deo, & procul ſit à patratione reiterata illius. Deindè, & ſi affectus principaliter ad rem promiſſam non feratur, dum tamen abſit in emiſſione voti contingentia euentus futuri, abſolutum eſt votum, & illicò obligans, vota autem abſoluta Papæ reſeruantur circa materias præfatas, nec commutari queunt per Bullam. Sic etiam non ſemel emittuntur vota Religionis abſoluta, non tam amore illius, quàm ob alios fines; nempè vt quis vitet dedecus, paupertatem in ſæculo, militiam, aut alium laborem, vel vt placeat parentibus, ſeu amicis, vel demùm ſpe obtinendi in Religione præmia, vel dignitates; & tamen hæc vota, cum abſoluta ſunt, à nullo non cenſentur Pontifici reſeruata; ergo ſimiliter & vota, de quibus *nuper* erat ſermo.

98 Rurſùs commutari nequit per Bullam votum materiæ reſeruatæ ſic emiſſum; voueo caſtitatem, & ſi illam fregero, in pœnam voueo Religionem. Nam in hoc voto duo continentur, aliud abſolutum, aliud pœnale. Pœnale Religionis poteſt iuxta dicta commutari, at votum caſtitatis abſolutum eſt, & commutari nequit. Stat enim, vnum commutari, aliudque permanere. Quare non rectè indicat Trullench *ſuprà num. 17.* non poſſe hoc votum commutari ex vlla parte, nam eius ratio ſolùm probat de voto caſtitatis, non de voto Religionis. Sicut, ſi quis voueret non ludere, & ſi luderet, ingredi Religionem, poſſet velle manere obligatus voto ad non ludendum, vt ſic arceretur à ludo, & ſimul petere commutationem voti Religionis, vt à ſe id onus arceret, ſi fortè ex fragilitate humana ſuccumberet affectui ludendi, quo caſu, commutato voto Religionis, res perindè ſe haberet, ac ſi ille dumtaxàt votum abſolutum non ludendi emiſiſſet, & ſicut ſi hoc votum omninò fuiſſet commutatum, tam ex parte conditionati, quàm conditionis, poſſet ſtatim iterùm emittere votum abſolutum non ludendi, ſic etiam poteſt petere, vt hoc votum abſolutum non commutetur, ſed votum pœnale Religionis.

99 Quod de votis merè conditionalibus, & de pœnalibus aſſeruimus, extendendum eſt ad iuramenta conditionalia, & pœnalia materiæ reſeruatæ; cum iuxta *ſuprà* dicta, facultas

Digitized by Google

facultas diſpenſandi, & commutandi vota extendi debeat ad iuramenta.

CAPVT IX.

Quod votum caſtitatis excipiatur in Bulla Cruciata, ne virtute illius commutari poſſit?

100 Poſuimus *ſuperiùs*, & nunc repetendum, vt fundamentum eorum quæ exponenda ſunt, reſeruationem votorum eſſe odioſam, & conſequenter iuxta iuris regulas, reſtringendam, & ſtrictè interpretandam. Ita docent Sotus *lib. 7. de inſtit. quæſt. 4. art. 3.* P. Thom. Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 9. numer. 5.* Sayrus, Pet. Ledeſma, Villalobos, Suarez, Leſſius, & plures quos ſequitur Trullench *in Bull. lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 6 num. 3. & in Decalog. lib. 2. cap. 1. dub. 39* Etenim Epiſcopus in ſua diœceſi poteſt quidquid Pontifex in tota Eccleſia, vnde cum ſuis ſubditis valet diſpenſare, & commutare omnia vota. Reſeruare autem ſibi Pontificem, vt poteſt, diſpenſationem, ac commutationem aliquorum, odioſum eſt, vtpotè derogans iuriſdictioni Epiſcoporum, eorumque poteſtatem minuens. Ideò ſolet aſſeri, poteſtatem Epiſcoporum non menſurari per regulam affirmatiuam, nempè, vt poſſint exercere omnia, quæ ipſis conceſſa inueniuntur; ſed per negatiuam, ſcilicèt, vt poſſint circa relaxationem votorum, quidquid eis non inuenitur prohibitum. Vide Barboſam *de iure vniuerſo, lib. 1. cap. 8. à num.* 20. Imò, quando eis expreſsè prohibetur diſpenſatio, adhuc poſſunt, ſi detur vrgens cauſa, diſpenſare, ex benigna interpretatione rationabilis voluntatis Pontificis, vt *in ſuperioribus* præmonui, & docent Barboſa *vbi nuper*, Diana, P. Caſtro Palao, & alij apud Trullench *ſuprà*. Sic etiam reſeruationem peccatorum, dicitur eſſe odioſam, quia derogat facultati abſoluendi, eamque minuit.

101 Ex his, & ex adhuc dictis, ad quæſtionem propoſitam reſpondeo, in Bulla Cruciatæ excipi votum caſtitatis abſolutum, & perpetuæ, ac perfectæ. Probatur; in Bulla excipitur dumtaxàt votum caſtitatis, quod aliundè eſt reſeruatum Pontifici, vt apertè ex eius mente conſtat, & ex omnium perſuaſione, docetque P. Thom. Sanch. *lib. 4. oper. mor. cap. 54 n. 19.* & communiter Authores. At Pontifici non eſt reſeruatum, niſi votum abſolutum caſtitatis perfectæ, ac perpetuæ; ergo hoc ſolùm excipitur in Bulla à poteſtate commutandi. Minor probatur primò, quia reſeruatio eſt reſtringenda, ideóque de voto abſoluto eiuſmodi caſtitatis interpretanda, cum enim votum non eſt abſolutum caſtitatis perpetuæ, ac perfectæ, etiam iuxta communem modum loquendi, non affirmatur abſolutè, eſſe votum caſtitatis, ſed cum addito ſcilicèt ad tempus, vel caſtitatis coniugalis, vel dependenter ab aliqua conditione contingenti. Quare cenſendum eſt, Pontificem reſeruantem ſibi votum caſtitatis, ſolùm reſpicere ad votum abſolutè, & plenè tale, aliàs reſeruatio ampliaretur, & non reſtringeretur.

102 Probatur ſecundò ea minor. Votum, in quo poteſt Epiſcopus diſpenſare, illudque commutare, etiam extra caſum neceſſitatis, non eſt reſeruatum Pontifici, vt ex terminis liquet, ideóque id ipſum votum valet virtute Bullæ commutari, vt ſæpè repetiuimus. At Epiſcopus poteſt diſpenſare, & commutare votum caſtitatis, dum non ſit abſolutum, & perfectæ, ac perpetuæ caſtitatis, vt praxis Epiſcoporum ſatis demonſtrat, & Authores *ſuprà* citati, & *inferiùs* afferendi docent; ergo non eſt reſeruatum Pontifici, niſi votum abſolutum caſtitatis perpetuæ, ac perfectæ. Vnde hoc ſolum virtute Bullæ commutari non poterit.

103 Sit ergo regula generalis, ex qua plures caſus deducemus, virtute Bullæ commutari non poſſe votum abſolutum caſtitatis abſque vllo addito emiſſum, vt cum quis ſic vouet: promitto Deo, aut in eius honorem alicui Sancto, ſeruare caſtitatem; & commutari poſſe virtute illius votum caſtitatis, vel non perpetuæ quoad tempus, vel non perfectæ quoad omnes actus, vel dependentis à conditione, quoad vltimum iam *ſuprà* oſtendimus.

CAPVT X.

Plures caſus inferuntur ex doctrina tradita de voto caſtitatis, cuius commutatio in Bulla Cruciata excipitur.

104 INfertur primò, poſſe commutari virtute Bullæ Cruciatæ (idem dic de Iubilæo, & de priuilegiis Regularium) votum caſtitatis ſeruandæ per aliquod tempus, vt per quatuor, aut decem annos. Ita Ledeſma *2. tom. ſum. tract. 10. cap. 8.* P. Azor *tom. 1. lib. 11. cap. 19. q. 6.* Paludanus, Sotus, Nauarrus, Trullench, Moure, Candidus, Diana, P. Suarez, Layman, Thom. Sanchez, Fagundez, & alij innumeri, quos affert, & ſequitur Leander de Sacram. *tom. 1. de Sacram. tract. 5. diſp. 14. q. 111.* Illatio eſt plana ex dictis, nam votum caſtitatis, dum non ſit perpetuum, nec reſeruatur Pontifici, nec in Bulla excipitur, hoc autem votum non eſt perpetuum, ſed ad tempus.

105 Infertur ſecundò, votum caſtitatis ſeruandæ per centum annos non poſſe commutari

Digitized by Google

mutari per Bullam Cruciatæ; nam hoc votum iudicatur perpetuum, ſiquidem ab ea ætate, in qua illud quis emitteret, non poteſt prudenter cenſeri, vitam longiorem, quam annorum centum, eſſe habiturum. Sic Trullench *in Bul. lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 15. num. 9. in fin.* & communis Authorum. Sed quid dicendum, ſi homo nonagenarius emitteret votum caſtitatis ſeruandæ decem annis, aut homo centum annorum, emitteret illud pro annis quatuor, aut ſex? Cenſeo inſpiciendum eſſe, attentis viribus, & diſpoſitione vouentis, an iudicetur rationabiliter, poſſe illum ducere vitam longiorem, quàm eſt ſpatium prædictum annorum, quòd ſi iudicetur, poſſe, votum commutari valebit, quia non eſt perpetuum ex ſe, licèt contingere queat, vt priùs ille obeat, ſicut contingere poteſt, vt iuuenis, qui votum caſtitatis pro decem annis emiſit, ante illud tempus è vita decedat, quin ideò illud votum ex ſe ſit perpetuum. Quòd ſi iudicetur prudenter, ſenem illum non acceſſurum ad eos annos, pro quibus caſtitatem promiſit, nequibit commutari votum, quia cenſetur perpetuum. Idemque proportionatè aſſerito, ſi quinquagenarius emittat votum caſtitatis ſeruandæ quinquaginta annis, & in aliis ſimilibus caſibus. Sed animaduertendum eſt, etiam ſi, attenta ætate, ac imbecillitate virium homo impotens iudicetur ad frangendam caſtitatem actu venereo conſummato, adhuc illum eſſe vſque ad mortem ſeruandi voti capacem, cum hoc votum etiam poſſit infringi per conſenſum internum Venereum, per oſcula, tactus, aliaque huiuſmodi, quæ omnia vitare tenetur ex voto, qui illud perfectum, & adæquatum emiſit.

106 Infertur tertiò, votum virginitatis emiſſum cum intentione ſeruãdi perpetuam, & perfectam caſtitatem non poſſe commutari per Bullam, cum ſit ex exceptis in ipſa Bulla, vt conſtat ex dictis. At commutari poteſt, ſi non emittatur ex ea intentione, ſed ſolùm ex animo obligandi ſe ad abſtinendum à primo actu Venereo, quo virginitas amittitur; nam ſic non eſt votum perfectæ caſtitatis, ſed partialis, quare non frangeret illud votum, qui emiſit, ſi in peccatum internum laſciuiæ conſentiret. Ita docent P. Thom. Sanchez, Sayrus, Barboſa, Gutierrez, Portel, Graffis, quos refert, & ſequitur Diana 1. *p. tract.* 11. *reſolut.* 60. Trullench *ſuprà num.* 22. & plures apud Leandrum *ſuprà q.* 113.

107 Sed quid dicendum, ſi non conſtet de intentione vouentis, illeque, aut illa ſolùm promiſerit ſeruare virginitatem, quin aliquid aliud ei in mentem veniſſet? Leander iudicat, non poſſe commutari hoc votum per Bullam, quia opus erat ad hanc commutationem, vt vouens expreſsè noluiſſet ſe obligare ad integram caſtitatem ſeruandam. Imò Diana cum P. Thom. Sanch. ait, non poſſe commutari hoc votum, ſi promittens ſit dubius, vtrùm ad eam caſtitatem ſe obligare intenderit, necne.

108 Hæc mihi difficultatem ingerunt: nam communi modo vouendi, & loquendi in hac materia, ſtandum eſt, dum de contraria intentione non conſtat. Communis autem videtur eſſe, vt ſola abſtinentia à primo actu venereo, quo virginitas amittitur, promittatur. Et ſi enim, vt aiebat S. Iſidorus Hiſpalenſis *lib. ſent. cap.* 40. *Virgo carne, non mente, nullum præmium habet in repromiſſione*; hoc eſt, non habet virginitatis laureolam, attamen res eſt Deo placens ea abſtinentia à primo actu venereo, & ſeparabilis ab integritate caſtitatis, vnde promitti Deo poteſt. Aliundè autem ea abſtinentia eſt, quæ nuncupatur communiter virginitas, ideóque fœmina iudicatur virgo, quæ clauſtrum virginitatis ſeruat illæſum, quamvis aliis actibus contra caſtitatem conſenſerit; id ergo, quod communiter vocatur virginitas, videtur promitti in voto virginitatis nudè ſumpto. Confirmatur; quia promittens virginitatem, quam adhuc non amiſit, quid diuerſum à caſtitate cenſetur promittere, aliàs promitteret tunc caſtitatem perfectam, ſiquidem in voto caſtitatis emiſſo à virgine, etiam includitur votum virginitatis, ergo in eo voto non promittit abſolutè caſtitatem.

109 Hic aduerte, quando votum virginitatis eſt ſimul omnimodæ caſtitatis, etiam ſi virginitas amittatur, adhuc permanere votum obligans ad abſtinendum à quovis peccato contra illam. At ſi id votum non ſit ſimul caſtitatis, deperdita virginitate, ceſſat votum, ceſſatione materiæ.

110 Infertur quartò, poſſe commutari per Bullam Cruciatæ votum non petendi debitum, emiſſum ab altervtro ex coniugibus, & item ab vtroque, etiam ſi communi conſenſu fuerit emiſſum. Ratio eſt, quia hoc votum non eſt perfectæ, & integræ caſtitatis; quare contra votum non peccaret coniux, ſi internè venereis cogitationibus præberet conſenſum, vel ſi cum alia fœmina coniungeretur. Docent ita apud Dianam *vbi ſuprà, reſolut.* 58. P. Thom. Sanchez, Ioannes de la Cruz, Rodriguez, Palacios, Malderus, Leſſius, Sà, & Azor. Et apud Leandrum *quæſt.* 115. Trullench, Candidus, Boſſius, Fagundez, & alij. Et eſt communis.

111 Infertur quintò, poſſe virtute Bullæ commutari votum non nubendi. Sic Acoſta *in Bull. q.* 73. P. Henriquez *lib.* 7. *de indulg. c.* 30. *num.* 6. Nuñus, Fernandez, & Thom. Sanch. quos ſequitur Diana *ſuprà reſol.* 59. &

Digitized by Google

& Plures alij communiter. Quippè id votum ſolummodò eſt partialis Caſtitatis, nec aduerſus illud peccaret, qui plura peccata venerea patraret, dum non nuberet; limitatur hæc doctrina, niſi votum non nubendi factum fuerit ab altero ex coniugibus in gratiam alterius acceptantis, propter bonum filiorum, ne ſcilicet filij ex ſecundis nuptiis minuant hæreditatem filiorum, qui ex primis ſunt nati. Vt enim *ſuprà* diximus, vota acceptata in fauorem tertij non poſſunt per Bullam commutari.

112 Infertur ſextò, poſſe per Bullam commutari votum Caſtitatis coniugalis, niſi ſit annexum authoritate Pontificia alicui ſtatui, veluti ſtatui Equitum militiæ D. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, & ſimilium, qui in Profeſſione Caſtitatem coniugalem vouent. (Vnde obſeruent in praxi Confeſſarij, ſe debere interrogare ab his Equitibus, an Profeſſionem emiſerint, ſi peccata contra Caſtitatem confiteantur, vt indè dignoſcant, an habeant circunſtantiam ſpecificè diuerſam, nempe ſacrilegij.) Ratio illationis eſt, quia hoc votum eſt dumtaxàt caſtitatis partialis, ſiquidem emittens illud non peccat, dum cum coniuge actibus matrimonij vacat. Sic P. Fagundez *lib. 2. in Decalogum cap. 42. num. 9.* Nauarrus, Laborius, Leo, Filiucius, Ludouicus à Cruce, Diana, Candidus, P. Henriquez, Thomas Sanchez, & alij quos ſectatur Leander *vbi ſuprà, quæſt.* 114.

113 Infertur ſeptimò, poſſe commutari virtute Bullæ Cruciatæ votum abſtinendi à determinato peccato, vel peccatis contra Caſtitatem, quæ abſtinentia adhuc non eſt integra Caſtitas, cum poſſit illud votum ſeruari, & adhuc in aliis peccari contra Caſtitatem. Talia ſunt vota non fornicandi; non patrandi mollitiem; non peccandi cum virgine, cum conſanguinea; cum vxorata, cum Maria, vel alia determinata; & plura huiuſmodi. Ita tuentur apud Dianam *ſuprà, reſol.* 61. Fernandez, Barboſa, Molfeſius, Vgolinus, P. Reginaldus, Leſſius, & alij.

114 Infertur octauò, poſſe per Bullam commutari votum aſſumendi Ordinem Sacrum. Sic Acoſta *in Bul. q.* 73. Trullench *in Bul. ſuprà num.* 26. & apud ipſum Ludou. à Cruce, P. Azor. Henriquez. Thom. Sanch. & eſt communis. Etenim hoc non eſt votum Caſtitatis, ſed aſſumendi ſtatum, cui annectitur Caſtitatis votum; quare ſic vouens, non adhuc ſacris initiatus, non peccaret contra votum, dum delinqueret contra Caſtitatem. Similiter poterit commutari per Bullam votum vouendi Caſtitatem (idem dicito de voto promittendi Religionem, aut peregrinationem vltramarinam) quia id non eſt votum Caſtitatis. Videatur P. Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 6. de vot. cap. 21. num. 7. & cap. 24. num. 2.*

115 Infertur nonò, eſſe commutabile virtute Bullæ votum disiunctiuum, cuius altera pars eſt Caſtitas, aut Religio, aut peregrinatio vltramarina, altera verò pars alia materia non reſeruata, vt ieiunium, eleemoſyna, vel quid ſimile. Nam vouens poteſt pro ſuo libito eligere determinatè partem non reſeruatam, & hæc commutari valet per Bullam; quare prædictum votum non eſt ſimpliciter Caſtitatis, aut Religionis; vt docent P. Leſſius *de iuſt. lib. 2. c. 40. dub. 12. num.* 106. P. Filiucius, Reginaldus, Suarez, Molfeſius, & alij, quos affert, & ſequitur Diana 1. *par. tract. 11. reſol.* 63.

116 At quid erit affirmandum, ſi vouens elegerit iam determinatè partem reſeruatam? Non poſſe tunc votum commutari per Bullam, eſt ſententia communior, quam tenent P. Thom. Sanch. *tom. 3. de matrim. lib. 8. diſp. 9. num.* 14. Suarez, Filiucius, Sanctarellus, & alij relati à Diana *vbi ſuprà reſol.* 65. Ipſe verò aſſerit, multùm probabiliter contrariam ſententiam defendi à Maldero *in 2. 2. tract. 10. c. 5. dub.* 10. Quod & mihi ita videtur, caſu quo eligens eam partem, non promiſerit illam de nouo, ita vt votum ſit iam materiæ reſeruatæ abſolutum, ac determinatum. Etenim hoc votum in emiſſione ſui non fuit reſeruatum, ergo, dum non renouatur, non poteſt fieri ab eligente partem reſeruatam, eſſe reſeruatum. Quod enim in radice imperfectum eſt, ideóque non reſeruatum, ſemper ſecum fert eam imperfectionem; nec poteſt quis efficere, vt illud met votum in reſeruatum, & perfectum tranſeat. Sicut votum pœnale, & merè conditionale, quamvis maneat abſolutum, & determinatum, appoſita conditione, non eſſe reſeruatum diximus ob ſimilem rationem.

117 Nec obſtat, in humanis debitorem in alternatiuis non poſſe reſilire, ſi vnam partem elegerit. Nam hoc dumtaxàt probat, ſicut in humanis tenetur quis ad eam partem à ſe electam præſtandam, ita in voto teneri eligentem ad præſtandam materiam, à ſe electam, quod non inficiamur, ſed aſſerimus, hanc obligationẽ poſſe cõmutari, ſicut in humanis ea obligatio poſſet à creditore commutari, & relaxari. Inſtaturque, nam in humanis debitor ſub conditione, tenetur præſtare debitum, conditione impleta, ſicut in voto conditionato tenetur vouens exequi rem promiſſam, impleta conditione, & tamen non exindè probatur, hoc votum conditionatum non poſſe commutari. Ratio à priori eſt, quia in humanis attenditur ad obligationem, ex qua vtilitas oritur creditori, at in votis attenditur ad eorum perfectionem in prima

ma emiſſione, vt indè dignoſcatur, an ſint reſeruata, necne.

118 Infertur decimò, eſſe probabile, & tutum, votum caſtitatis (idem eſt de aliis reſeruatis) emiſſum propter metum leuem ab extrinſeco poſſe commutari per Bullam Cruciatæ. Sic tenent Bonacina *de legib. diſp.* 4. *quæſt.* 2. *punct.* 7. §. 4. *num.* 17. P. Leſſius, Angelus, Nauarrus, Fumus, Leo, quos citat, & ſequitur Diana 1. *p. tract.* 11. *reſol.* 73. Trullench *ſuprà num.* 27. Etenim illud votum non eſt ſimpliciter perfectum, cum ſit aliquo modo coactum, indéque deficiat in eo aliqua perfectio liberi, & ſpontanei. Nec obſtat, quod opponit P. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *de vot. cap.* 6. *num.* 4. hoc votum ſolummodò eſſe inuoluntarium, & coactum ſecundum quid, & per accidens, idque non ſufficere, vt reſeruatio tollatur, aliàs propter ſimilem rationem tolleretur reſeruatio à votis emiſſis ex metu graui intrinſeco. Nam contrà, votum emiſſum ex metu graui intrinſeco nec eſt commutabile, nec irritum, & tamen iuxta ipſum Suarium votum emiſſum ex metu graui extrinſeco eſt irritum; ergo diſcrimen eſt inter vtrumque iuxta ipſius ſententiam, igitur non rectè infert ex noſtra opinione, idem dici poſſe de votis materiæ reſeruatæ elicitis ex metu graui intrinſeco. Hinc reſpondeo, metum ab extrinſeco inferre aliquam coactionem iniuſtam, facereque inuolontarium aliquo modo, minuendo per iniuriam libertatem, ideóque rectè reſtringi reſeruationem, vt non cadat ſupra vota ſic emiſſa, vtporè imperfecta ob alienam culpam, quod non contingit in metu ab intrinſeco.

CAPVT XI.

Alij caſus inferuntur circa votum Caſtitatis exceptum à commutatione in Bulla Cruciata.

119 INfertur vndecimò, votum caſtitatis emiſſum ab vno coniuge poſt conſummatum matrimonium abſque alterius coniugis licentia poſſe commutari virtute Bullæ Cruciatæ. Ratio conſtat ex dictis, nam hoc votum non eſt omnimodæ, & perfectæ caſtitatis, ſiquidem vouens tenetur reddere debitum alteri coniugi petenti, & non obligatur eo voto ad non reddendum. Ita docent P. Thom. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 11. *num.* 4. Trullench *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 1. *dub.* 39. *num.* 15. Rodriguez, Stunica, Ludouicus à Cruce, Aragon, Candidus, Diana, Fagundez, & alij, quibus ſubſcribit Leander de Sacramento *tom.* 1. *de Sacram. tract.* 5. *diſp.* 14. *q.* 116.

120 Infertur duodecimò, votum caſtitatis emiſſum ante contractum matrimonium non poſſe commutari virtute Bullæ, vt poſſit vouens petere debitum. Ratio eſt, quia illud votum fuit abſolutum, omnimodæ caſtitatis, & perfectum, quare nulla eius obligationis pars poteſt commutari, niſi ab eo, cui eſt tota obligatio reſeruata, nempè Pontifici, vel ex eius indulto id ſpecialiter concedente. Sic tuentur P. Thom. Sanchez *ſuprà diſp.* 15. *num.* 9. Trullench, Candidus, Diana, quos refert, & ſequitur Leander *vbi nuper, quæſt.* 117. Nec obſtat, Epiſcopum poſſe diſpenſare in eo voto ad petendum debitum. Nam vt omnes prædicti Authores docent, id queunt Epiſcopi ex iure ſpeciali, aut ex conſuetudine, non verò id prouenit ex natura reſeruationis; per Bullam autem commutari poſſunt ea vota, in quibus poteſt Epiſcopus diſpenſare, non ex iure ſpeciali, aut conſuetudine, ſed attenta reſeruationis natura.

121 Falſò autem aſſerit Leander, non poſſe commutationem prædictam fieri, non ſolùm per Bullam, aut Iubilæum, ſed nec per priuilegia Religionum. Etenim per ea priuilegia poteſt diſpenſari (& à fortiori commutari) cum his, qui poſt emiſſum votum ſimplex Caſtitatis matrimonium contraxerunt, ad hoc vt debitum petere valeant, admonito eo, cum quo diſpenſatur, vt votum ſeruet, ſi coniugi ſit ſuperſtes. Sic conceſſit Pius V. Franciſcanis, die 26. Octobris, anno 1569. Quo priuilegio fruuntur omnes Religiones communicantes in cæterarum priuilegiis. Et in noſtra Societate eo vti queunt omnes Confeſſarij, quibus Prouinciales id commiſerint, vt habetur in Compendio priuilegiorum Societatis, *verbo diſpenſatio*, §. 9.

122 Infertur decimo tertiò, non poſſe per Bullam commutari votum caſtitatis emiſſum poſt contractum matrimonium ab vtroque coniuge ex communi conſenſu. Quippè hoc votum perfectum, & adæquatum eſt, obligatque ad non petendum, & non reddendum debitum, nec tenetur vllus illorum reddere debitum, cum ratione illius conſenſus communis habiti per modum contractus vterque ſuo iuri, & dominio in corpus alterius ceſſerit. Tenent hanc reſolutionem P. Thom. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 11. *n.* 10. Fagundez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 42. *à num.* 21. Candidus, Trullench, Nauarrus, Henriquez, & alij, quos affert, & ſequitur Leander *vbi ſuprà, quæſt.* 118. Nec obſtat, Epiſcopum diſpenſare poſſe in hoc voto ad petendum, & reddendum debitum, quando adeſt incontinentiæ periculum, & adiri non poteſt commodè Pontifex præ paupertate. Hoc enim competit Epiſcopo ratione ſpeciali ob benignitatem quamdam iuris id ei indulgentem ad vitanda animæ pericula, in qua conceſſione datur electio perſonæ talis, nempè Epiſcopi

Digitized by Google

Epiſcopi, cui ſpecialiter à Pontifice id cenſetur commiſſum; quare ad alios extẽdi nequit.

123 Infertur decimoquartò, quando quis emiſit plura vota caſtitatis partialis, v. g. vnum non fornicandi, aliud abſtinendi ſe à mollitie, aliaque eiuſmodi, ita vt in omnibus adæquata caſtitas ſit ab eo promiſſa, explorandum eſſe, an per vltimum votum intenderit, omnia antecedentia moraliter in vnum cum illo coniungere, ita vt per illud æquiualenter promiſerit omnimodam caſtitatem, an non? Si primum, commutari nequeunt ea vota per Bullam, quia ea omnia iudicanda ſunt vnum votum perfectæ, ac integræ Caſtitatis. Si ſecundum, omnia ſimul, & ſingula diuiſim poſſunt commutari, quia nullum eſt omnimodæ Caſtitatis, & per accidens ſe habet vnum ad aliud, atque adeò accidentale eſt, quòd ex omnibus perfecta Caſtitas promiſſa integretur. Docent id Diana *ſuprà reſol.* 67. Trullench *in Bul. lib.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 25. cum P. Thom. Sanchez, & Ludouico à Cruce.

124 Infertur decimoquintò cum Bonacina *de legib. diſp.* 4 *quæſt.* 2. *punct.* 7. §. 4. *num.* 20. Diana *ſuprà reſol.* 72. & aliis, poſſe commutari per Bullam votum Caſtitatis, quod quis emiſit cum expreſſa intentione, vt promiſſio eum non ad mortale peccatum, ſed ad veniale obligaret; quia hoc votum non eſt perfectum, nec reſeruatum, cum votum perfectum grauem obligationem inducat. Idem aſſero de voto Religionis, & de vltramarino ſic emiſſo.

125 Infertur decimoſextò, votum diſiunctiuum Caſtitatis (idem eſt, ſi ſit Religionis, aut vltramarinæ peregrinationis) & alterius materiæ non reſeruatæ, ſi hæc reddita eſt impoſſibilis, ità vt ſola Caſtitas poſſibilis remaneat, adhuc commutari poſſe per Bullam Cruciatæ; quippè hoc votum ab initio non fuit reſeruatum, & per ſe, ac ex natura ſua non obligabat vouentem ad materiam reſeruatam; quare, cum obligatio poſtmodùm per accidens ſuborta fuerit, poteſt commutari; vt defendunt P. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *de vot. c.* 24. *num.* 4. Diana *ſuprà reſol.* 74. cum aliis. Dices, materia Caſtitatis eſt reſeruata, & ex vi voti tenetur quis in caſu poſito ad illam, ergo nequit per Bullam commutari. Inſtatur in voto pœnali, & merè conditionali Caſtitatis, in quibus ex vi voti tenetur quis ad Caſtitatem, adimpleta conditione, & nihilominùs commutari queunt virtute Bullæ, quia ab initio non fuerunt perfecta, ideóq; nec reſeruata; idem dicito in præſenti.

126 Infertur decimoſeptimò, ſi votum perfectum Caſtitatis à Summo Pontifice commutetur in aliam materiam non reſeruatam, ad quam ex vi voti erit obligatio, poſſe hoc votum materiæ non reſeruatæ commutari per Bullam Cruciatæ. Etenim per commutationem ablata eſt reſeruatio, qua ceſſante, viget Bullæ priuilegium. Idem dicito, ſi votum ſit Religionis, aut vltramarinum à Pontifice iam commutatum. Sic tuentur P. Leſſius *de iuſt. lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 18. *n.* 124. Aragon, Suarez, Sà, Thom. Sanchez, Filiucius, Henriquez, quos ſectatur Diana *vbi ſuprà, reſol.* 71. Dices, ſubrogatum ſapere naturam eius, pro quo ſubrogatur; ſed votum pro quo ſubrogata fuit hæc materia, erat reſeruatum, & incommutabile per Bullam, ergo. Reſpondeo, id axioma ex ſola fauorabili, ac lata interpretatione fuiſſe conſtructum, vt ſcilicèt ſubrogatis faueretur; non autem habere locum in odioſis, qualis eſt reſeruatio, quare hæc extendenda non eſt ad ſubrogata.

127 Infertur decimooctauò, quando quis votum proprium materiæ non reſeruatæ propria authoritate commutauit in votum Caſtitatis, aut Religionis, hoc non poſſe commutari virtute Bullæ, cum ex vno capite ſit perfectum, & ex alio liberum non ſit vouenti regredi ad prius votum, nam eſſet reditus ad minus bonum, vt diximus *ſuprà num.* 42. materia etenim non reſeruata minus bonum eſt, quàm Caſtitas perpetua, aut Religio, vt expendenti quamcumque materiam promiſſam conſtabit.

128 Sed demus, materiam priùs promiſſam iudicari æquale bonum, ac Caſtitatem, & à Confeſſario fuiſſe factam commutationem illius materiæ in Caſtitatem. Vel, vt dubium clariùs eluceat, demus materiam priorem eſſe æquè bonam, aut meliorem, quam peregrinationem vltramarinam, & in hanc fuiſſe commutatam; poteritne vlterius hæc materia reſeruata in priorem non reſeruatam commutari? In primis, vt aſſeruimus *in ſuperioribus*, votum materię reſeruatę non poteſt commutari, niſi in Religionem, quia Pontifex ſibi reſeruat iudicium, an ſit maius bonum id, in quod vouens optat commutari. Hinc elicio reſponſionem ad dubium, ſcilicèt id votum nec poſſe commutari per Bullam, nec liberum eſſe vouenti, redire ad prius votum. Ratio eſt, quia non poterat regredi, niſi eſſet maius, aut æquale bonum illa materia non reſeruata. At, licèt appareat tale, Pontifex ſibi iudicium de hoc reſeruat; ergo non licet vouenti regredi; & conſequenter non reſtat caput, vnde poſſit per Bullam commutari; nam, ſi ex aliquo capite videbatur, poſſe per eam commutari, id erat, quòd eiuſmodi votum abſolutè non eſſet reſeruatum, ſi vouens proprio nutu poſſet ab illo reſilire, & in votum non reſeruatum tranſgredi; hoc autem non poteſt.

Digitized by Google

CAPVT XII.

De voto Religionis, in Bulla Cruciatæ excepto, ne virtute illius commutari valeat.

129 A Facultate commutandi vota in Bulla Cruciatæ conceſſa excipitur etiam votum Religionis, vt ex verbis allatis *in proœmio diſput.* conſtat. Debet autem intelligi iuxta doctrinam adhuc ſtabilitam hæc exceptio de voto abſoluto, ac perfecto Religionis; quare à commutandi facultate non excipitur votum Religionis pœnale; merè conditionale diſiunctiuum, dum alia pars non ſit reſeruata; emiſſum propter metum ab extrinſeco adhuc leuem; factum ex intentione, vt non inducat obligationem grauem, ſed dumtaxàt leuem; Quæ omnia ex adhuc dictis manifeſtè inferuntur.

130 Votum autem hoc, vt ſit reſeruatum, debet eſſe Religionis approbatæ; quare commutari poterit votum Religionis non approbatæ, vel ingrediendi domum, in qua viri, aut fœminæ exiſtunt Dei cultui dicatæ, non tam ſub Religione aliqua approbata; vel faciendi vitam eremiticam, aut habitum, ac amores eremitarum ſeruandi, qui non ſunt verè Religioſi. Hoc communiter docent omnes Bullæ expoſitores *in præſenti clauſula*, Trullench, Rodriguez, Villalobos, Antonius Gomez, Ludouicus à Cruce, & alij, necnon cæteri Authores de voto agentes.

131 Ex his, & ex poſitis *ſuprà*, promptum erit, aliquas reſolutiones tradere ad praxim. Sit prima, poſſe commutari per Bullam Cruciatæ votum paupertatis, & obedientiæ emiſſum in ſæculo, aut in Religione non approbata, quia id non eſt proprium votum Religionis. Sic docet Trullench *in expoſ. Bullæ, lib.* 1. *§.* 7. *c.* 3. *dub.* 16. *n.* 6. cum Thom. Sanchez, Leſſio, & Suarez.

132 Sit ſecunda, non poſſe commutari virtute Bullæ votum ingrediendi Ordinem Militarem D. Ioannis, ſeu Equitum Melitenſium. Sic tuentur Boſſius *de Iubilæo ſec.* 2. *caſ.* 19. *num.* 9. Nauarrus *lib.* 3. *conſil. de conuerſ. coniugat. conſil.* 2. Diana, Trullench, Lopez, Candidus, P. Thom. Sanchez, Fagundez, & alij, quos refert, & ſequitur Leander de Sacramento *tom.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 14. *quæſt.* 120. Etenim is Ordo eſt vera Religio, & in ea emittuntur vota ſolemnia paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis perfectæ.

133 Sit tertia, poſſe commutari per Bullam votum ingrediendi Ordinem Militarem D. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, Monteſæ, S. Georgij, S. Mauritij, & alios huiuſmodi; quia, & ſi non pauci tueantur, equites eorum Ordinum eſſe verè, ac propriè Religioſos, idipſum tamen plurimi inficiantur, vt Aragon, Nauarrus, Alcocer, Azor, relati à Ioanne Sanchez *in ſelectis, diſp.* 49. *num.* 12. P. Molina *de iuſt. tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 141. Sayrus *in claui Regia lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 10. Valentia, Trullench, Barboſa, Sanctarellus, Boſſius, Moneta, Ludouicus à Cruce apud Leandrum *vbi ſuprà quæſt.* 121. At iuxta horum opinionem illud votum non eſt Religionis propriè talis, igitur non eſt reſeruatum, & conſequenter commutabile per Bullam. Et ſaltem etiam contrarij Authores nequeunt inficiari, eſſe ſub opinione, an hoc votum ſit reſeruatum, necne; cum ſit duplex oppoſita ſententia circa eos Ordines, vtrùm ſint propriè Religiones; ſed hoc ipſo, quod ſit ſub opinione, an votum ſit reſeruatum, vt odia reſtringantur, habetur pro non reſeruato, & commutari poteſt; ſicut, hoc ipſo, quòd dubitetur, vel ſit ſub opinione, an peccatum ſit reſeruatum, habetur pro non reſeruato, igitur præfatum votum commutari poteſt per Bullam. Id ita docent Sotus *lib.* 7. *de iuſt. q.* 5. *art.* 3. Candidus, Fagundez, & alij apud Leandrum *vbi nuper*.

134 Sit quarta, non poſſe commutari per Bullam votum Religionis (idem dic de voto caſtitatis, & de vltramarino) emiſſum à filio, aut à ſeruo, aut ab aliis alienæ poteſtati ſubiectis, eſtò ab his poſſit irritari. Nam ex vno capite illud votum eſt perfectum; ex alio ex poteſtate irritandi exiſtente in domino, aut patre non infertur poteſtas commutandi, vtpotè quia diuerſæ poteſtates ſunt, & à diuerſis capitibus proueniunt. Nec tollitur reſeruatio ex eo, quòd ea vota ab aliis, quam à Pontifice, irritari queunt. Etenim Pontifex noluit derogare poteſtati dominatiuæ; vnde illis libera manet facultas irritandi; at noluit poteſtatem commutandi ea vota concedere, ſed ſibi reſeruare. Ita Malderus *in* 2.2. *tract.* 10. *cap.* 5. *dub.* 10. *num.* 11. P. Suarez, & Th. Sanchez, quos citat, & ſequitur Diana 1. *part. tract.* 11. *reſol.* 84.

135 Sit quinta, poſſe commutari virtute Bullæ votum ingrediendi Religionem arctiorem, vt quis in laxiorem ingrediatur. Ita docet Barthol. à S. Fauſto *in Theſauro Religioſorum, lib.* 3. *quæſt.* 96. cum Sayro, Rodriguez, Azor, & Henriquez. Etenim, licèt votum Religionis ſit Pontifici reſeruatum, nullibi tamẽ reſeruatur qualitas Religionis ſub voto cadens; & quamvis hæc commutetur, manet adhuc vouens obligatus ad ingreſſum in Religionem. At commutatio prædicta non eſt in voto Religionis reſeruato, ſed in qualitate non reſeruata; igitur poteſt per Bullam præſtari. Confirmatur primò ex ſententia valdè communi aſſerente, poſſe Epiſcopum diſpenſare: vt qui vouit peregrinationem vltramarinam,

rinam, & ire pedes promiſit, eques eat; quia & ſi illa circũſtantia ſub voto contenta fuerit, tamen eſt qualitas voti, quæ non eſt reſeruata; ergo ſimiliter contingit in præſenti. Confirmatur ſecundò, quia etiam poſt vota Religionis emiſſa in Ordine arctiori poteſt Prælatus regularis cum conſenſu Capituli diſpenſare, vt ſubditus ad ordinem laxiorem tranſeat, quin in ſubſtantia alicuius voti diſpenſet, ſed in qualitate votorum ſolemnium, in quorum ſubſtantia nequit diſpenſare. Ea autem ſic emiſſa ſunt, vt promiſerit quis in ea Religione ſeruare paupertatem, caſtitatem, & obedientiam; in his autem non diſpenſat Prælatus, ſed in eo, quòd in illa Religione arctiori ſeruentur. Igitur qualitas voti reſeruati non eſt reſeruata.

136 Sit ſexta, poſſe commutari per Bullam votum perſeuerandi in Religione, prout condiſtinguitur à voto ingrediendi illam. Etenim hæc eſt qualitas, non ſubſtantia voti Religionis, ſiquidem ſatisfacit quis voto Religionis, ſi in illam ingrediatur, quamvis in anno probationis exeat. Etenim is annus conceditur, vt Religio videat, an aptus ſit Nouitius ad profitendum in illa, & vt Nouitius introſpiciat, an ſe reperiat idoneum ad vitam Religioſam tolerandam; quare, cum quis vouet Religionem, ſolùm promittit ingreſſum in illam, vt illud experimentum fiat; quo facto, ſi iuſtè exeat, vel dimittatur, voto ſatisfeciſſe eſt cenſendus, quin diſpenſatione Pontificis indigeat. Hanc reſolutionem tenet Barth. à S. Fauſto *vbi ſuprà*, *q.* 98. & omnes, qui tuentur, poſſe Epiſcopum diſpenſare in eiuſmodi voto, vt P. Thom. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. diſp.* 6. *num.* 17. & alij.

137 Sit ſeptima, poſſe commutari virtute Bullæ qualitatem temporis voto Religionis adiunctam, vt ſi quis vouit ingredi Religionem intra annum, & cauſa iuſta ſubſit differendi ingreſſum vltra annum, poterit per Bullam commutatio præſtari. Quippè hæc commutatio non eſt in ſubſtantia, ſed in qualitate voti. Prætereà poteſt Epiſcopus in hoc diſpenſare, vt tenet P. Th. Sanchez *ſuprà*, *nu.* 76. Ergo & poteſt per Bullam commutari. Sic tuetur Barth. à S. Fauſto, loquendo de diſpenſatione Epiſcopi, *vbi ſuprà q.* 99. & agens de commutatione Trullench *ſuprà n.* 9. cum Diana, Ludouico à Cruce, & aliis.

138 Aduerte tamen, iuſtam cauſam ad commutandum non intelligi illam, quæ eſt impeditiua executionis voti, cum, hac ſtante, non ſit opus commutatione; ſed illam, quæ abſolutè non impedit, reddit tamen difficilem executionem voti; attamen adhuc cum ea difficultate teneretur quis adimplere illicò votum, niſi accederet diſpenſatio Epiſcopi, aut commutatio; quando ergo opus eſt diſpenſatione, tunc commutatio poterit virtute Bullæ præſtari. Aduerte deindè, quamvis dicatur, ad commutationem voti per Bullam non requiri aliam cauſam, niſi erogationem ſubſidij ad bellum contra Infideles; & ad commutationem per priuilegia in bonum æquale, non requiri aliam cauſam, niſi maiorem promptitudinem, & minorem difficultatem ad exequendam aliam materiam, tamen in præſenti aliam cauſam eſſe neceſſariam. Quippè votum emiſſum ſtatim debet adimpleri, ex natura ipſius voti, dum tempus non præfigitur, aut dilationis cauſa datur, quare abſque cauſa differri non poteſt; nec ea cauſa, quæ in aliis votis ſufficit ad commutationem materiæ, nempè ſubſidium Cruciatæ, aut difficultas aliqua in executione materiæ, eſt ſufficiens, vt eadem vota differantur per commutationem; aliàs, cum ſemper ea cauſa poſſit adhiberi, valeret quis nunquam adimplere vota, ſed exigendo commutationem dilationis, perſeuerare in mora exequendi promiſſum; quod ex ſe abſonum eſt. Hinc, cum dicitur, non eſſe opus alia cauſa ad commutanda vota per Bullam, niſi quòd præſtetur ſubſidium in fauorem Cruciatæ, vel quòd detur maior promptitudo in vouente ad aliam materiam exequendam, intelligi debet de commutatione voti circa ſubſtantiam materiæ, non de commutatione voti circa qualitatem temporis, ad hanc enim alia iuſta cauſa requiritur.

139 Sit octaua, poſſe commutari per Bullam votum tradendi ſe Xenodochio per totam vitam, etiam ſi promittat quis ibi paupertatem, & obedientiam perpetuam; quia hoc non eſt votum Religionis, vt ex ſe conſtat. Secùs eſſet, ſi quis voueret ingredi Religionem approbatam, inſtitutam ad famulandum pauperibus ægrotantibus.

140 Sit vltima, poſſe commutari per Bullam votum ingrediendi determinatam Religionem, aut Monaſterium, vt vouens in aliam Religionem, aut Monaſterium ingrediatur, quia hoc non eſt, commutare ſubſtantiam, ſed qualitatem voti. Imò *ſuprà* diximus, poſſe commutari votum ingrediendi Religionem arctiorem, vt quis laxiorem ingrediatur; ergo à fortiori, vt ingrediatur aliud Monaſterium, vel Religionem æquè ſtrictam. Nam, vt quis ingrediatur in Religionem arctiorem, quàm eſt illa à ſe promiſſa, non opus habet diſpenſatione, vel commutatione, ſiquidem iuxta dicta *ſuperiùs* poſſit ipſe propria authoritate ſuum votum in maius bonum commutare, quale eſſet ſtrictior Religio.

1 *Mendo in Bull. Cruciat.*

Digitized by Google

CAPVT XIII.

De voto vltramarino, quod per Bullam Cruciatæ nequit commutari?

141 EXcipitur etiam à facultate commutandi vota concesſa in Bulla Cruciatæ votum vltramarinum, vt verba ipſius Bullæ *ſuperiùs* adducta manifeſtant. Cui voto aptanda ſunt, quæ *ſuperiùs* de his tribus votis reſeruatis in communi diximus, & proportione ſeruata, quæ de voto caſtitatis, & Religionis in ſpeciali declarauimus in aliquibus caſibus, qui etiam ſunt communes voto vltramarino. Hinc dumtaxàt excipitur in præſenti votum vltramarinum quoad ſubſtantiam, perfectum, & abſolutum. Quare poterit virtute Bullæ commutari hoc votum, ſi ſit pœnale, merè conditionale, per metum emiſſum, aliaque huiuſmodi, ſatis *ſuprà* ſtabilita.

142 Votum autem vltramarinũ, vt cõmuniter Expoſitores Bullæ Cruciatæ docent, alijque Authores tuentur, ſolummodò eſt võtum peregrinationis Hieroſolymitanæ ad loca ſancta, aut aliquem illorum viſitandum. Nec te moueat vox illa *vltramarinum*, vt cogites, peregrinationes alias ad loca pia, quæ ſunt vitra mare; comprehendi ſub hoc voto reſeruato Pontifici, quippè dumtaxàt peregrinatio præfata in præſenti continetur; aliàs nulla eſſet peregrinatio ad locum pium, quæ ſub voto reſeruato non caderet, omnis enim locus pius reſpectu aliquarum gentium vltra mare eſt.

143 Hinc colligitur primò, votum viſitandi Limina Apoſtolorum Romæ, & votum adeundi Diuum Iacobum in Compoſtella, & ſi reſeruata ſint Pontifici, tamen per Bullã Cruciatæ poſſe commutari, quia non continentur ſub voto vltramarino, quod dumtaxàt excipitur à facultate commutandi virtute Bullæ. A fortiori commutari, queunt vota viſitandi Virginem Lauretanam, aut Montis Serrati, vel ſimilia loca pia, quia nec ſunt reſeruata Pontifici, nec excipiuntur in Bulla.

144 Secundò colligitur, non poſſe commutari per Bullam votum vltramarinum, etiam ſi ſolius deuotionis cauſa emittatur, & non, vt ſubſidium aliquod Terræ Sanctæ præſtetur; quod aliqui judicarunt, cenſentes, non eſſe reſeruatum hoc votum Pontifici, ſi ſolius deuotionis cauſa emittatur, vt Graffis 1. *par. deciſ. lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 21. P. Sà, *verbo votum, num.* 12. Sed noſtra illatio eſt communis Authorum iudicantium, hoc votum eſſe Põtifici reſeruatum, quocumque modo emittatur, Ita Syluester *verbo votum* 4. *quæſt.* 3. *dicto* 4. P. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *de voto cap.* 21. *à num.* 4. & plures quos referunt P. Thom. Sanchez *lib.* 4. *oper. mor. cap.* 40. *num.* 6. & Trullench *in Bul. lib.* 1. §. 7. *c.* 3. *dub.* 17. Etenim in reſeruatione non diſtinguitur votum emiſſum in ſubſidium Terræ Sanctæ, & deuotionis cauſa; hoc autem, quod deuotionis cauſa fit, perfectum eſt, optimoque motiuo, Deo placenti, innititur, vnde non eſt, cur extra reſeruationem conſtituatur; ideóque vniuerſali Eccleſiæ conſuetudine firmatum eſt, vt hoc votum quomodolibet emiſſum Pontifici reſeruatum cenſeatur; quare per Bullam non valet commutari.

145 Tertiò colligitur, poſſe virtute Bullæ commutari votum, quod quis emiſit peregrinandi Hieroſolymam pedibus, vt illud adeat equo vectus. Similiter, ſi promiſit peregrinari emendicans eleemoſynam, vt ferat ſecum expenſas neceſſarias. Sic tenet cum pluribus Diana 1. *par. tr.* 11. *reſol.* 83. & Trullench *ſuprà n.* 3. Quippè hæc non eſt commutatio ſubſtãtiæ voti, ſed qualitatis adiunctæ, ſine qua ſtat voti huius ſubſtantia, qualitatem autem adjũctam voto reſeruato non eſſe reſeruatam, *ſuperiùs* ſtabiliuimus. Sed dices, qualitas hæc reddit votum difficilius, & in ſubſtantiam voti refunditur, ergo nequit commutari. Inſto in voto Religionis, quod aſſeruimus cum innumeris, poſſe commutari in Religionem laxiorem, quamvis illud ſit multò difficilius. Etenim major difficultas non immutat naturam voti reſeruati, quod ideò reſeruatur, quia talem materiam reſpicit, non quia his, vel illis circunſtantiis afficitur; quare, & ſi non ſit illa magna difficultas, & quamvis nulla eſſet, maneret reſeruatum; ideóque extra ſubſtantiam voti ſunt huiuſmodi affectiones, ac qualitates, & non refunduntur in eius ſubſtantiam, quæ tota ſtat abſque illis.

146 Quartò colligitur, poſſe commutari per Bullam votum commutandi in ſubſidium Terræ Sanctæ bona incerta. Etenim, & ſi nonnulli exiſtimauerint, hoc votum eſſe Pontifici reſeruatum, non ſecùs ac vltramarinum, attamen verius eſt, reſeruatum non eſſe, vt docent Nauarrus *in manuali, cap.* 12. *num.* 78. P. Suar. & Thom. Sanchez; quos refert, & ſequitur Trullench *vbi ſuprà n.* 2. Quippè nec in iure inuenitur eius voti reſeruatio, nec includitur in voto peregrinationis vltramarinæ, vt ex diuerſitate materiæ conſtat, quantumvis ſtrictè acceptionem huius voti vſurpemus. Quòd ſi votum prædictum fuerit acceptatum, nequit per Bullam cõmutari, ſicut nec alia vota promiſſoria acceptata, vt *ſuperiùs* poſuimus; mens enim Pontificis non eſt, concedere indulta in præjudicium tertij; ipſe verò Pontifex valet prædicta vota relaxare, vt *ibi* monuimus.

147 Quintò colligitur, non comprehendi ſub

Digitized by Google

ſub voto Hieroſolymitanæ peregrinationis, etiam emiſſo in ſubſidium illius Terræ Sanctæ, alia vota Crucis, nempe quæ emittantur ad ferendum ſubſidium in piam expeditionem, quæ ſub ſigno Crucis peragatur, adeóque hæc vota poſſe virtute Bullæ commutari. Quippè hæc vota non reſeruantur in iure; cum ſolummodò reſeruetur votum Hieroſolymitanum, ergo non eſt extendenda reſeruatio, quæ ex ſe eſt odioſa ad eiuſmodi vota, vt extendit Hoſtienſis *in ſumma de voto*, §. *qualiter*. Videatur Barthol. à S. Fauſto *in Theſauro Religioſor. lib.* 3. *quæſt.* 102.

CAPVT XIV.

Exponuntur ad praxim variæ dubia de votis, quæ poſſunt virtute Bullæ Cruciatæ commutari.

148 QVamvis dixerimus in generali, poſſe virtute Bullæ omnia vota cõmutari, præter tria caſtitatis, Religionis, & vltramarinum, cum ſunt perfecta, & abſoluta; tamen ad praxim vtile erit, percurrere aliqua vota commutabilia per Bullam, de quibus eſt, aut apparet aliquod dubium. Primò, contra D. Antonin. 2. *part. tit.* 11. *cap.* 1. §. *vlt.* Sarmiento *lib. de reddit. Eccleſiæ part.* 4. *cap.* 3. *à num.* 3. vota elargiendi eleemoſynas locis piis, aut pauperibus, dum acceptata non ſunt illorum nomine, per Bullam commutari queunt. Etenim nullum eis præiudicium fit, cum ante acceptationem non fuerit ipſis ius acquiſitum. Ita docent Baſilius *de matrim. lib.* 8. *cap.* 8. §. 1. *num.* 8. Barboſa *de poteſt. Epiſc. part.* 2. *alleg.* 16. P. Layman *lib.* 4. *tract.* 3. *cap.* 11. *num.* 7. & plures alij.

149 Si hæc vota acceptata ſint (quod non admittit in iuramentis) adhuc Trullench *in expoſ. Bul. lib.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 8. *num.* 2. iudicat, non eſſe improbabile, iuſtà de cauſa poſſe commutari per Bullam, quia votum fit Deo, qui eſt creditor principalis, vnde acceptatio ex parte hominis non mutat naturam voti aliàs commutabilis, aut diſpenſabilis, quod probabile eſſe, inquit P. Fagundez *lib.* 2. *in Decal. c.* 49. *n.* 11. & affert pro hoc aſſerto Caietanum, & Pet. Nauarrum. Contraria ſententia eſt communis, & vera, quam ſæpè iam inſinuaui. Non tamen poteſt negari, extrinſecè propter authoritatem eſſe probabilem ſuperiorem opinionem, nec damnabo eum, qui illi ſe in praxi accommodauerit.

150 Secundò, quando quis votum emiſit præſtandi aliquod opus, impoſuitque ſibi pœnam pecuniariam, ſi frangeret illud, poteſt poſt fractionem pœna pecuniaria commutari per Bullam. Ita Raphaël de la Torre 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. *diſp. vlt. n.* 4. P. Th. Sanch. *lib.* 8. *de matr. diſp.* 15. *n.* 14. P. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 6. *de vot. c.* 20. *n.* 19. Leo, Malderus, Villalob. Filiucius, & alij. Etenim ea obligatio contracta ex fractione voti non eſt maior, ſed minor, quàm obligatio orta ex voto abſoluto, ac directo elargiendi eam pecuniam; ſed hoc votum poteſt commutari; ergo & obligatio orta ex fractione illius voti. Sed dices cum P. Azor 1. *tom. lib.* 11. *c.* 18. *q.* 11. *in fin.* Vega 2. *par. ſum. cap.* 126. *caſu* 10. Bullam, aut Iubilæum ſolùm concedere commutationem voti, ergo non commutationem pœnæ debitæ ex fractione voti. Reſpondeo, hanc pœnam etiam eſſe materiam voti, vnde commutatur votum ſoluendæ pœnæ, quia appoſita fuit conditio, ſub qua erat ſoluenda. Nam ſi ea pœna non debeatur ex voto, non erit quis grauiter, imò nec leuiter obligatus ad illam ſoluendam, ſiquidem hoc caſu ſolùm daretur nudum propoſitum ſoluendi pœnam, quod non tenetur adimplere, maxime ſi aliqua cauſa ſubſit. Et quidem hæc vota perindè ſe habent, ac vota pœnalia caſtitatis, aut Religionis, v. g. voueo non ludere; &, ſi ludam, voueo Religionem. Hæc autem ſic emittuntur, voueo non ludere; quòd ſi ludam, voueo eleemoſynam pauperi; Si ergo illud votum caſtitatis, aut Religionis, etiam poſita conditione ludi poteſt commutari per Bullam, vt *ſuperiùs* aſſeruimus, à fortiori poterit votum pœnæ ſoluendæ.

151 Addo, ſi Pontifex commutaſſet partem pœnæ pecuniariæ debitæ ex voto, aut in illa diſpenſaſſet, poſſe commutari per Bullam partem reliquam, quia per primam cõmutationem, non facta eſt reſeruata pars remanẽs; & vnicuique licitum eſt, vti iure ſuo, & poſtulare commutationem; ſicut, antequam Pontifex quidquam relaxaſſet, poterat petere totius pœnæ commutationem per Bullam, cum non ſit effectus deterioris conditionis. Imò ſi Pontifex alia vota, etiam reſeruata commutaſſet in pœnam pecuniariam, poſſet hæc per Bullam commutari, quia hæc debetur ex vi voti, in quod commutatum eſt primùm à Pontifice; ſicut ſi commutaſſet vota in aliam materiam, diximus *in ſuperioribus*, hanc poſſe rurſùs commutari per Bullam. Si autem non eſſet commutatio facta à Pontifice nudè, ſed cum præcepto, vt ea pœna ſolueretur, nequiret pœna commutari, quia nulla datur facultas ad impediendum, aut commutãdum eiuſmodi præceptum. Id tamen non eſt præſumendum, vbi expreſsè non iniungitur.

152 Tertiò, votum præſtandi aliquod opus, & non petendi commutationem eius voti, poteſt per Bullam commutari, vt docent Eman. Rodriguez *in Bul.* §. 9. *num.* 112. P. Fagundez *lib.* 2 *in Decal. cap.* 43. *num.* 16. & plures alij. Etenim vouens nequit derogare

Digitized by Google

poteſtati ſuperioris, qui poteſt ea vota commutare, & delegare ad id facultatem, vt delegat Pontifex in Bulla. Dices, & ſi ipſe hoc nequeat, tamen ex vi voti tenetur ad non petendam commutationem. Contrà, etiam ex vi voti ieiunandi tenetur ieiunare, & non obſtante hoc, poteſt petere commutationem eius obligationis ieiunandi; ergo, quamvis ex vi voti teneatur non petere commutationem, poterit petere commutationem obligationis non petendi. Confeſſor autem priùs commutare debet hanc obligationem voti non petendi commutationem, & poſteà votum principale, cui acceſſit illud ſecundum votum. Quid? quòd Sayrus, Trullench, Boſſius, Pater Henriquez, quorum meminit Leander *tom.* 1. *de Sacram. tractat.* 5. *diſputat.* 14. *q.* 137. aſſerunt, votum non petendi commutationem non eſſe validum, quia derogat poteſtati Superioris. Sed mihi videtur non derogare; nam ſtat, me ſcire, & credere, poſſe Superiorem commutare meum votum, & nolle petere ab eo commutationem, vt ſic exequar votum, quod laudabile eſt, & non derogat eius poteſtati; ergo ſtat, me obligari ex vi voti ad non petendam eam commutationem, quin eiuſmoni poteſtati derogem, quod erit magis laudabile, quàm ſimpliciter, & abſque voto nolle eam petere.

153 Quartò, aduerſus Caietanum *in quodlibet, tractat.* 11. *de vot. quæſt.* 1. votum non peccandi poteſt commutari virtute Bullæ, quia nec in ea excipitur, nec eſt reſeruatum, & eſtò eſſet, non continetur in exceptis in Bulla. Sic P. Azor *lib.* 11. *cap.* 14. *quæſt.* 4. Sotus, Nauarrus, Medina, Graffis, Sayrus, Boſſius, Homobonus, Nauarrus, Leſſius, & Thom. Sanchez, quos affert, & ſequitur Leander *vbi nuper, quæſt.* 145.

154 Quintò, etſi votum ſæpiùs commutetur, vel virtute priuilegij, vel Bullæ, liberum eſt vouenti, redire ad prius votum, etiam ſi commutatiò facta ſit in maius bonum, quia commutatio eſt fauor reſpectu vouentis, non odium, & præſtatur ſub conditione tacita, ſi vouens noluerit ſuum prius votum ſeruare. Quod contra Suarium, & Filiucium tuetur Diana 1. *part. tractat.* 11. *reſolut.* 85. cum Maldero, Thom. Sanchez, & aliis. Secùs eſt, quando propria authoritate quis ſuum votum in melius commutat, vt *ſuperiùs* attigi; nam tunc non conceſſa eſt commutatio, vt ei faueatur, ſed quia ſpontaneus maius bonum loco minoris elegit, vnde propria authoritate nequit redire ad minus bonum. Et quia non attenditur in hoc ad eius fauorem, ideò in hac commutatione non ineſt ea conditio tacita, ſi ego noſim ad prius votum redire.

155 Sextò, votum, quod quis emittit cum intentione faciendi illud reſeruatum Pontifici, & indiſpenſabile, ac incommutabile ab alio virtute cuiuſvis priuilegij, valet commutari per Bullam, nam intentio vouentis non facit efficaciter, nec poteſt, quod intendit, cum reſeruatum eſſe votum pendeat vnicè à poteſtate reſeruantis. Sicut, ſi quis intenderet, & intentionem haberet, vt quoties luderet aleis, incideret in excommunicationem, non incideret ſanè, quamvis luderet, quia ferre excommunicationem non eſt eius poteſtatis, ſed Superioris Eccleſiaſtici iuriſdictionem externam erga eum habentis. Reſolutionem hanc tenet Diana *vbi ſuprà reſolut.* 75. cum Sayro, Reginaldo, Azor, & pluribus.

156 Septimò, & ſi quis accipiat Bullam Cruciatæ eo animo, vt ſibi vota commutentur, non tamen eo ipſo manent de facto commutata. Etenim Pontifex ſolùm id concedit, vt accipiens Bullam poſſit eligere Confeſſarium, qui eius vota commutet. Et quidem intelligi nequit, quomodo vota manerent de facto commutata; tum quia non deſignatur in Bulla, in quid fieret commutatio; ſiquidem eleemoſyna præſtanda in ſubſidium belli non eſt tota materia commutationis, vt *inferiùs* conſtabit, & quamvis eſſet, non determinatur eleemoſyna præſtanda, ſed pro qualitate voti relinquitur arbitrio prudentis Confeſſarij. Tum quia plures, qui votis ſunt adſtricti, Bullam accipiunt, quin velint, ſibi commutari vota, quare ea non remanent de facto commmata; nec ad id refert intentio accipientis, vt ſibi commutetur, aut non commutetur votum, ſi aliundè priuilegium id eius intentioni non relinquit. Docent hoc aſſertum Rodriguez *in Bul.* §. 9. *num.* 108. Nauarrus, & Sayrus cum aliis, quos ſequitur Trullench *in Bul. lib.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 14. *num.* 1.

157 Octauò, hoc eſt diſcrimen inter diſpenſationem, ſeu commutationem factam authoritate ordinaria, & inter factam virtute Bullæ, quòd illa prodeſt etiam pro foro externo, ſicut prodeſt abſolutio à cenſuris præſtita per eam authoritatem, hæc verò commutatio dumtaxàt pro foro interno prodeſt; ſicut & abſolutio virtute Bullæ conceſſa. Sic tuetur P. Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 30. *num.* 6. Rodriguez *vbi nuper, numer.* 117. Trullench *ſuprà num.* 4. Quippè hæc priuilegia ſolùm pro foro interno conceduntur in Bulla à Pontifice, vt ſic animarum ſaluti conſulatur, & aliundè forum externum non turbetur.

158 Nonò, ſi Confeſſarius virtute Bullæ commutauit aliqua vota in alia opera præſtanda quovis die, menſe, aut anno, vel ſi Pontifex, aut Epiſcopus commutauit, & vouens reliquit per aliquos, aut plures dies, menſes,

menſes, vel annos ea opera; non propterea reincidit in prius votum iam commutatum, vt voluit Rodriguez *in Bul. in addition. ad* §. 9. *à num.* 117. Quippè per commutationem verè extincta fuit prioris obligatio voti, & loco illius alia ſucceſſit, quare contra hanc peccat, qui ea opera omittit, non contra priorem. Ita defendit Ludouicus à Cruce *in Bul. diſp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 17. *à num.* 1. & alij. Dices, cum fit commutatio, ea ineſt tacita conditio, vt votum prius reuiuiſcat, ſi non mandentur executioni opera, in quæ commutatur. Contrà, quia hoc ſine fundamento excogitatur, cum de ea conditione non conſtet, & commutatio abſolutè præſtetur, quod quidem ex ipſa mente commutantium fit planum, & aliundè natura commutationis eam conditionem non exigit. Hic obſerua cum P. Thom. Sanchez *lib.* 4. *oper. mor. cap.* 55. *num.* 20. cum quis non acceptauit commutationem ſui voti, aut fictè ſolùm eam acceptauit, votum nullatenus manere commutatum, ſed teneri ad prius votum, imò addo, & ſi poſteà vellet iam eam materiam exequi, in quam fuit commutatum non poſſe id præſtare, ita vt liber maneret à priori obligatione; etenim vt commutatio vim ſortiatur, acceptari debet tunc, cum moraliter vniri cenſetur commutatio, & acceptatio, ſi autem initio vouens noluit acceptare, diuiſa iam fuit commutatio actiua ab acceptatione moraliter, nec vlteriùs vniri poteſt. Acceptatio autem ideò requiritur, quia in commutatione intercedit votum nouæ materiæ, quod debet eſſe voluntarium; voluntarium verò fit ab acceptatione.

CAPVT XV.

An vota emiſſa ante, & poſt publicationem Bullæ Cruciatæ, poſſint virtute illius commutari, adhuc poſt tranſactum tempus ipſius?

159 Certiſſimum eſt apud omnes, vota ante publicationem, & acceptationem Bullæ emiſſa poſſe virtute illius commutari. id enim ſaltem manifeſtè conceditur in verbis Bullæ. Cæterùm aliqui ſenſerunt, vota facta poſt acceptionem Bullæ (vel poſt inceptum tempus Iubilæi) non poſſe virtute illius commutari, vt Cordnba *in ſum. q.* 149. Sotus, Graffis, Anglez, & Lopez quos refert Trullench *in expoſit. Bul. lib.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 4. *numer.* 2. Contraria ſententia eſt verior, & communior: eam tenent Nauarrus *in ſum. cap.* 12. *num.* 80. *in fin.* Pater Azor *lib.* 11. *cap.* 19. *quæſt.* 9. Petrus de Ledeſma; Rodriguez, Sayrus, Villalobos, Diana, Pater Sà, Thom. Sanchez, & Suarez quos refert, & ſequitur idem Trullench *num.* 3.

160 Suadetur, quia verba Bullæ non reſtringunt facultatem commutandi ad vota emiſſa ante publicationem, ſeu acceptionem ipſius, ergo nec nos eam reſtringere debemus; maximè cum hæc facultas ſit fauor, qui non eſt reſtringendus, ſed ampliandus. Prætereà verba Bullæ indefinita ſunt, vt ſcilicet Confeſſarius electus ab habente illam, poſſit eius vota commutare; verba autem conceſſionis indefinita non ſolùm extenduntur ad ea, quæ ante ipſam conceſſionem contigerunt, ſed ad ea, quæ poſt ipſam contingent. Gloſſa *in cap. Quia circa, verbo ſed futuri, de priuileg.* Demùm quia iuxta communem facultas conceſſa in Bulla ad abſoluendum à peccatis, & cenſuris, non ſolùm vim habet circa peccata, & cenſuras, quas quis ante acceptionem Bullæ contraxit, ſed ad eas, quas poſt acceptionem contrahit, ergo idem eſt dicendum de commutatione votorum.

161 Opponitur primò, abſurdum videri, in re tanti momenti concedi exemptionem ab obligatione votorum, antequam emittantur. Reſpondeo, non concedi exemptionem, ſed remedium; vt ea obligatio in aliam mutetur; ſicut non conceditur abſolutio, vel exemptio à cenſuris incurrendis, ſed remedium, vt quis abſoluatur ab illis. Nec vllum eſt abſurdum in eo, quòd quis habeat priuilegium ad ea, quæ nondùm acciderunt, ſicut plurima ſunt in Religionibus, & Confraternitatibus priuilegia ad caſus occurrentes de nouo. Imò ſi huiuſmodi priuilegia non darentur, quotidie neceſſum eſſet adire Pontificem, cum quotidie caſus varij eueniant, in quibus eius poteſtate eſt opus.

162 Opponitur ſecundò, dari anſam emittendi plurima vota intra tempus durationis Bullæ ſub ſpe commutationis. Reſpondeo, nullam in hoc anſam dari, quia per commutationem non tollitur à vouente obligatio, ſed mutatur; ſub qua ergo ſpe velit ſibi vouens obligationes imponere? Rursùs hoc argumento à fortiori probaretur, non dari facultatem in Bulla ad abſoluendum à peccatis, & à cenſuris contractis poſt acceptionem illius, nam daretur anſa patrandi peccata enormia reſeruata, & ea, quibus cenſura eſt annexa, ſub ſe abſolutionis obtinendæ.

163 Et quidem poſſe commutari vota emiſſa ſub ſpe certa obtinendi commutationem virtute Bullæ, aut Iubilæi, tenent Candidus, Boſſius, Diana, Balthol. à S. Fauſto P. Suarez, & alij quos citat, & ſequitur Leander de Sacram. *tom.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 14. *q.* 150. Quod à paritate probatur, quia peccans ſub ſpe obtinendi abſolutionem virtute Iubilæi, aut Bullæ, poteſt eius virtute abſolui, vt eſt communis ſententia; ergo idem eſt

Digitized by Google

de votis aſſerendum; cum fortior ratio militet in his, ſi quidem voti obligatio non extinguitur, ſed mutatur.

164 Ea autem vota, quæ per Bullam commutari valent, durante anno publicationis Bullæ, ſunt commutanda priuilegia namque in Bulla conceſſa, vt in ipſa exprimitur, finito anno, finiuntur. Cæterùm poteſt contingere, vt in fine anni Confeſſarius ſit valdè occupatus, & nequeat perficere commutationem deſignando materiam, in quam vota commutat, & tunc poterit commutare ſic; ex nunc tibi vota commuto in materia, quam poſteà ego deſignabo. Quippè ſic actus iuriſdictionis commutandi exercetur intra tempus legitimum, & aliundè non requiritur, vt materia ſubrogetur eo tempore. Ita docent Villalobos 1. *part. tractat.* 27. *clauſul.* 9. *num.* 41. Rodriguez, Viualdus, Sayrus, Pater Thom. Sanchez, quibus ſubſcribit Trullench *vbi ſuprà*, *dub.* 9. *num.* 1. Candidus, Diana, Fagundez, & alij, quos refert & ſequitur Leander *ſuprà quæſt.* 138. Imò poteſt Confeſſarius remittere vouentem ad alium virum prudentem, etiam laicum, vt materiam ſubroget; quia hoc eſt actus prudentiæ, non iuriſdictionis, quæ exercetur in relaxatione obligationis prioris mutando eam in aliam.

165 Nec peccaret vouens, qui eam commutationem obtinuit, ſi antequam materia ſubrogaretur, omitteret prioris voti materiam, vt tenent Pater Leſſius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 16. *num.* 109. & plures apud Trullench, & Leandrum contra Rodriguez, quia per eam commutationem extincta fuit obligatio prioris voti, & tranſlata ad aliam in materia nondum deſignata. Dices primò, ergo commutatio eſt in pendenti. Nego ſequelam, quia commutatio, cum ſit actus iuriſdictionis, iam eſt exercita; & licèt materia non ſit adhuc ſubrogata, & poſſit dici eſſe in pendenti (quod eſt quæſtio de voce) non tamen commutatio. Dices ſecundò, cum Pontifex committit alicui, vt votum commutet, vel diſpenſet, peccaret, ſi ante perfectam commutationem, aut diſpenſationem à delegato non adimpleret, ſeu frangeret votum, ergo ſimiliter in præſenti. Sanè ex eo antecedenti ſolùm poterat inferri, ergo, cum Pontifex in Bulla Cruciatæ committit Confeſſario, vt vota commutet, peccabit quis ante commutationem, ſi vota frangat. Et hæc conſequentia eſt vera, ac legitima, non verò ea, quæ fit. Nam eo caſu Pontifex non commutat, nec diſpenſat, ſed committit ad id facultatem, at in noſtro caſu Confeſſarius verè commutat, licèt nondum ſubrogauerit materiam. Et quidem parùm refert, quod non illicò materia ſubrogetur; nam pone, votum eſſe ieiunandi feriis ſextis, & commutationem eſſe faciendam in confeſſiones menſtruas; cum vnus menſis deſit ad primam confeſſionem, quid intereſt, ea materia commutationis hodie, vel poſt octo dies ſubrogetur?

166 Addo, & ſi intra tempus durationis Bullæ Confeſſarius non commutauerit vota, quia optat rem attentè conſiderare, ſi tamen intra tempus illud vouens petierit commutationem, poſſe Confeſſarium, tranſacto tempore Bullæ ea vota commutare. Sic docent Pater Suarez, & Thom. Sanchez apud Trullench *vbi ſuprà num.* 2. Etenim tunc Confeſſarius acceptauit poteſtatem, & inchoauit iuriſdictionem tempore habili, & res incepta eo tempore poteſt poſt illud ad exitum perduci. Sic, qui incepit audire confeſſionem tempore Iubilæi, aut Bullæ, poteſt virtute illius abſoluere. eo tempore tranſacto. Sed aduerte, hoc caſu vouentem adſtringi obligatione voti, cuius poſtulat commutationem, quia hæc adhuc non eſt præſtita. Hinc, vt tutiùs procedatur, & vouens liber maneat ab ea obligatione conſultius erit, vt Confeſſarius commutet illicò vota modo explicato *num.* 163. Nam cum eo ſtat, vt poſſit Confeſſarius attentè conſiderare poſteà, quam materiam ſit ſubrogaturus.

167 Ex his etiam fit, ſi quis plura vota emiſit, & petit omnium commutationem, obliuiſcitur tamen alicuius, poſſe tranſacto tempore Bullæ, aut Iubilæi, commutationem illius præſtari, quia iam inchoata fuit cauſa, & acceptata iuriſdictio ad omnia vota. Nec contrarius eſt Trullench *vbi ſuprà num.* 6. vbi poſtquam cum pluribus docuit, poſſe poſt tempus Iubilæi commutari vota, quæ quis eo tempore propter obliuionem non petiit, ſibi commutari, addit, hoc non licere per Bullam, quia eius priuilegia, expirante anno, ceſſant. Etenim non loquitur hic author in caſu noſtro, quando quis petiit omnium votorum commutationem.

168 Leander *vbi ſuprà, quæſt.* 140. docet, poſſe Confeſſarium commutare omnia vota pœnitentis, etiam ea, quorum non meminit, ita vt, quamvis poſteà alicuius voti in particulari recordetur, commutatione illius diuerſa non indigeat. Hæc doctrina, ſi non explicetur in ſenſu vero, difficultatem ingerit. Sanè ſi Confeſſarius eam materiam ſubrogauit, vt ſi æqualis, aut ferè æqualis quibuſcumque votis in qualibet materia, & numero emiſſis, vera erit doctrina, ſed difficilem reperio talem commutationem, ſi Confeſſarius vota non commutet in ingreſſum ad Religionem. Nam ponamus, auditis aliquibus pœnitentis votis, Confeſſarium omnia eius vota commutare in auditionem quotidianam ſacri, & confeſſiones menſtruas, poſteà

poſteà verò recordari pœnitentem,ſe emiſiſſe vota conditionalia Religionis, caſtitatis, & vltramarinæ peregrinationis, necnon alia vota abſoluta confitendi octauo quoque die, & audiendi quotidie Sacrum. Quis dicat, hæc vota non indigere noua commutatione, & ſubrogatione materiæ, cum materia impoſita à Confeſſario ſit multò inferior, ac eſt horum votorum materia? Igitur in hoc ſenſu falſa eſt illa doctrina. Si verò ſolùm contendat, quod non declarat, poſſe Confeſſarium commutare omnia vota, exercendo circa illa actum iuriſdictionis, & poſteà cum recordetur pœnitens alicuius voti, ſubrogare materiam loco illius, vera erit reſolutio. Eodem modo limitanda, & impugnanda eſt doctrina Trullench *ſuprà num.*4. aſſerentis,poſſe Confeſſarium commutare vota pœnitentis, quæ hic ſcit, fuiſſe circa talia obiecta, ſed eorum numerum non meminit, ita vt ſi poſteà recordetur, non indigeat noua commutatione.

CAPVT XVI.

Illationes aliquæ ex doctrina tradita de tempore, quo poſſunt vota virtute Bullæ Cruciatæ commutari.

169 INfertur primò, eum, qui non rectè meminit omnium votorum,quæ emiſit,poſſe,durante tempore Bullæ petere commutationem omnium, & poſt tranſactum illud tempus, cum alicuius voti in particulari recordatus fuerit, poſtulare illius commutationem virtute Bullæ antecedentis, eo quod cauſa iam fuerit inchoata. Poterit etiam Confeſſarius commutare ex tunc omnia vota, & poſteà ſubrogare materiam, quando pœnitens meminerit in particulari alicuius voti. Si autem pœnitens poſt factam ſedulam diſquiſitionem ſolummodò recordetur,ſe feciſſe vota, ſed non circa quam materiam, nec numeri illorum, poterit Confeſſarius vti prudenti iudicio, & pro qualitate dubij, & circunſtantiarum commutare ea vota, proportionatam materiam ſubrogando.

170 Infertur ſecundò contra Trullench *vbi ſuprà num.* 5. non eſſe poſſibilem commutationis modum generalem,quo Confeſſarius dicat. Commuto omnia vota, quæ deinceps feceris, vel ſub conditione quòd facias intra tempus durationis Bullæ. Nec moueor ratione P. Suarij, quam impugnat *ibidem* ille Author, nempè ad commutationem opus eſſe cognitione qualitatis voti, & cauſæ ſufficientis. Quippè cauſa, vt *inferiùs* dicam, eſt ſubſidium ad bellum contra infideles: deindè iam poſuimus caſus, in quibus valida eſt commutatio obligationis voti non cogniti, dum tamen ſubrogetur materia, cum voti qualitas agnoſcitur. Moueor autem ex eo, quia commutatio eſt ablatio obligationis,ſeu relaxatio illius, ſubſtituendo aliam, qui autem adhuc vota non emiſit,nulla innectitur obligatione, quæ relaxetur. Præterea, ſi antequam quis emittat vota, relaxata eſt per commutationem obligatio, ergo, cum emittit illa, non contrahit obligationem ex ipſis votis ortam, igitur nec aliam per commutationem, nam per hanc contrahitur obligatio ſubſtituta loco alterius. Demùm, ponamus, pœnitentem nulla vota poſteà emiſiſſe, in quam materiam exercitus fuit ille actus iuriſdictionis commutandi?

171 Dices, commutationem eſſe conditionatam, & donec apponatur conditio, non operari, quare per vota, quæ quis tunc emitteret, contraheret obligationem, ſed ſtatim ac contraheret, relaxaretur per illam commutationem, quæ tunc, & non anteà, ſuum effectum ſortiretur. Contrà, quia licèt actus iuriſdictionis circa obligationem præteritam rectè exerceantur conditionatè, eo quòd re ipſa iam conditio præextiterit, caſu quo obligatio fuerit contracta, vt cum dicimus, Abſoluo te à cenſuris,ſi fortè incurriſti, non verò exercentur circa obligationem futuram conditionatè, vt, Abſoluo te à cenſuris, ſi in illas incurreris. Et vt tollatur æquiuocatio, aliud eſt, tollere obligationem, quæ futura eſſet, niſi tolleretur, aliud eſt,tollere obligationem,quæ futura erit.Primùm ſæpè contingit, vt cum Prælatus Regularis concedit facultatem ſubdito, vt domo exeat, quando opus habeat, aut accipiat munuſcula, ſi ei concedantur, tunc tollitur obligatio petendi facultatem ad exeundum domo, aut petendi ad accipiendum ea dona,quæ obligatio futura eſſet,niſi præceſſiſſet illa facultas conditionata ex parte obiecti. Secũdum inintelligibile eſt, nam in hoc ipſo caſu Prælati, & ſubditi,quomodo intelligatur ea facultas auferens obligationem à ſubdito,& quod hic,cum vellet exire domo, aut accipere dona, illicò contraheret obligationem, quæ obligatio, nulla facta per eum diligentia, aut operatione, & abſque noua Prælati facultate, intelligeretur ablata per priſtinam facultatem conditionatam. Ridicula eſſet ea obligatio, ergo ſublata intelligitur ab ipſo tempore conceſſionis facultatis eiuſmodi. In votis autem non poteſt intelligi ablata, commutationis vi, obligatio futura, aliàs non darentur vota, ſi obligationem non parerent, igitur ille modus commutationis non eſt poſſibilis. Cui aſſerto ſubſcribit P. Suarez *lib. 6. de vot. cap. 16. num.* 14.

172 Infertur tertiò, durante tempore Bullæ, poſſe commutari vota ante, & poſt publica

publicationem illius emiſſa toties quoties, ita vt etiam vota ſemel per Bullam commutáta iterùm, & iterùm per ipſam commutentur. Quæ aſſertio omnia vota virtute Bullæ commutabilia complectitur, etiam ſi ea vota ſint aliàs Pontifici reſeruata, vt votum peregrinationis ad limina D. Petri, & ad D. Iacobum in compoſtella, hæc enim, cum non excipiantur à facultate commutandi virtute Bullæ, in ordine ad commutationem perindè ſe habent, ac alia vota non reſeruata. Etenim Pontifex non limitauit hanc facultatem ad vnam vicem, ergo nec à nobis eſt limitanda, cum ſit beneficium Principis, ac fauor, qui potiùs ampliari, quàm reſtringi debet. Deindè Pontifex, cum limitat aliquid in Bulla, id exprimit, vt cum in ea concedit facultatem ad abſoluendum à reſeruatis ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis, ergo à contrario, cum in præſenti non exprimat, ſemel ſolùm præſtandam eſſe votorum commutationem, poterit toties quoties præſtari. Ita P. Thom. Sanchez *lib. 4. ſum. cap. 54. num. 26.* Trullench, Diana, Leander, & communis.

173 Nec obſtat, quod ſolet obiici *ex lege Boues, §. hoc ſermone, ff. de verbor. ſignific.* ſermonem ſimpliciter prolatum intelligi de prima vice. Quippè vel hoc habet locum dumtaxàt in odioſis, qualis non eſt facultas commutandi vota, vel cum non conſtat contrarium de mente proferentis ſermonem; conſtare autem contrarium de mente Pontificis, indè fit planum, quia ipſemet in contextu eiuſdem Bullæ aliquas facultates limitat expreſsè ad vnam, vel duas vices, alias non limitat. Vnde non ſolùm in hac facultate commutandi vota, ſed in aliis non reſtrictis, toties quoties poteſt dari vſus, ac exercitium, vt decurſu huius tractatus de aliquibus ſtabiliuimus.

174 Infertur quartò, & ſi valdè probabile ſit, eum, qui tempore Iubilæi noluit, ſua vota commutari, ſi lucratus fuit illum, poſſe tranſacto eo tempore, cõmutationẽ vi Iubilęi obtinere, vt tuentur P. Leſſius *de iuſt. lib. 2. cap. 40. dub. 16. num. 109.* Sayrus, Portel, Boſſius, Henriquez, Thom. Sanchez, Fagundez, & Diana, quos refert, & ſequitur Leander de Sacram. *tom. 1. tract. 5. diſp. 14. q. 98.* ex eo, quod factis operibus in Iubilæo requiſitis tempore legitimo, comparat quis priuilegium, vt etiam poſt illud tempus commutentur ſibi vota, quæ antecedenter emiſit, & tempore Iubilæi poterant commutari; quia Pontifex reſtringit opera facienda ad illud tempus Iubilæi, non verò priuilegia exercenda. Attamen quidquid de huius ſententiæ (quæ ſaltem ob authoritatem eſt tuta in praxi) veritate ſit, hoc locum non habet in commutatione votorum per Bullam, quia expreſsè Pontifex alligat priuilegia à ſe indulta ad annum durationis, quod cernitur in ea clauſula ſæpè repetita. *Eo anno durante.* Quare, ſi quis intra annum durationis Bullæ noluit gaudere priuilegio hoc, vt ſibi vota commutarentur, poſt tranſactum annum nequit eo frui, cum indè non comparauerit ſibi priuilegium, vt poſtmodùm eo vteretur. Quod abſolutè docet Trullench *vbi ſuprà num. 6.* & ſi ob paritatem Iubilæi priùs dixiſſet, oppoſitum ab aliquo forſan affirmari poſſe.

CAPVT XVII.

In quod, & quantum ſubſidium belli contra infideles vota commutanda ſint virtute Bullæ Cruciatæ?

175 EXpreſsè Pontifex deſignat in Bulla, commutationem fieri debere *in aliquod ſubſidium huius expeditionis.* Hinc Sotus *lib. 7. de iuſtit. quæſt. 4. artic. 3.* Nauarrus, Aragon, Lopes, Angles, Vega, Corduba, Rodriguez, & Petrus de Ledeſma relati à Barth. de S. Fauſto *in Theſauro Religioſ. lib. 4. quæſt. 75.* aſſeruerunt, totam commutationem fieri debere in ſubſidium temporale belli, & non in alia opera pia. Sed tamen ſufficere, vt pars commutationis fiat in id ſubſidium, pars in alia opera, eſt verius, & defenditur à Pat. Suario *lib. 6. de vot. cap. 19. num. 18.* Viualdo, Henriquez, & Thom. Sanchez, quibus ſubſcribit Fauſtus, *vbi nuper*, Trullench *in Bul. lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 11. num. 2.* cum Ludouico à Cruce, & Diana.

176 Etenim ſic interpretantur communius Authores ea verba. *In aliquod ſubſidium,* &c. ac ſi dicat Pontifex, aliquam commutationis partem debere fieri in ſubſidium belli. Imò ipſe Commiſſarius Generalis Cruciatæ ſic intelligit, & exponit ea verba in tranſſumpto Bullæ Hiſpanæ, ibi: *Podrà tambien el dicho Confeſſor comutarles, &c. dando la liſmona que pareciere, en fauor, y beneficio de la Santa Cruzada.* Vbi apertè innuitur, non fore faciẽdam commutationem integram in eleemoſynam erogandam Cruciatæ, ſi enim id fieri deberet, diuerſis omninò verbis eſſet declarandum. Deindè non poteſt alia eſſe mens Pontificis, intendit enim, vt expeditioni aduerſus infideles ſuccurratur; ſi autem tota commutatio deberet fieri in ſubſidium illius, nullus aut ferè nullus commutationem virtute Bullæ expoſceret, cum nihil ita difficile ſit hominibus, vt pecunias erogare præcipuè in magna quantitate, quæ magna eſſe deberet in pluribus votis difficilibus, ac grauibus, ſi eſſent cõmutanda in erogationem pecuniarũ.

Si

Digitized by Google

Si autem ſolummodò quædam pars commutationis ſit erogatio eleemoſynæ, faciliùs homines allicientur ad commutanda ſua vota per Bullam; & ex pluribus exiguis quantitatibus, maius emolumentum in belli ſubſidium accreſcet, quo intentioni Pontificis ſtabitur. Et quis credat, bona incerta per Bullas compoſitionis ad exiguam quantitatem reduci, vt indè præfatum ſubſidium augeatur, & votorum commutationem magna adeò quantitate fore comparandam?

177 Quænam autem ſit deſignanda pecunia eroganda in commutatione votorum ad ſubſidium belli, nequit facilè dirimi; cum pro diuerſitate votorum, circunſtantiarum, & vouentium, id ſit commenſurandum, ideóque prudentis Confeſſarij arbitrio relinquitur. Ego quidem vnum apponam exemplum, vt inde, quomodo me gererem, pateat. Si homo mediocris fortunæ vouiſſet, omnibus ſextis feriis vnius anni ieiunare, commutarem votum in pia aliqua opera, & in duas drachmas Cruciatæ erogandas. Id tamen notandum eſt, fore ex piis operibus in commutatione minuendum proportionatè, quod pro eleemoſyna Cruciatæ erogatur.

178 Si pauper ſit is, cui vota per Bullam commutantur, ſentiunt plures, non eſſe opus commutationem fieri in ſubſidium temporale belli, ſed ſat eſſe, ſi fiat in ſubſidium ſpirituale, vt orationes, vel pia opera, applicata pro belli euentu facili, P. Leſſius *de iuſt. lib. 2. c. 4. dub. 16. num.* 119. id putat probabile, item & Viualdus; abſolutéque defendunt P. Suarez, Thom. Sanchez quos refert Trullench *vbi ſuprà num.* 3. idemque cenſet ſatis probabile, & tutum in conſcientia. Idem iudicat Llamas *in method. curat.* 3. *part. cap.* 4. §. 45. quando vota ſunt perſonalia. Videatur etiam Diana 1. *part. tr.* 11. *reſolut.* 21. Refertur pro hac opinione à Trullench, & à Barth. de S. Fauſto, Antonius Gomez *in explic. Bullæ, ad decimam clauſul. num.* 54. ſed nihil ibi de hoc habet. Vlteriùs exiſtimat id valdè probabile Baſilius Legionenſis *in expoſit. manuſcripta Bullæ*, §. *vltim. num.* 6.

179 Negare non poſſum, hanc opinionem eſſe practicè tutam, cum eam defendant tot, ac tam graues Authores. Sed tamen oppoſitam ſequor, quam tuentur Sotus *lib.* 7. *de iuſt. quæſt.* 4. *art.* 3. P. Azor *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 18. *quæſt.* 9. Nauarrus, Lopez, Corduba, Rodriguez, Angles, Vega, & alij quos refert, & ſequitur, Barth. à S. Fauſto *ſuprà quæſt.* 74. Raphaël de la Torre *in* 2. 2. *tom.* 1. *q* 88. *artic.* 12. *dub.* 6. *num.* 3. Etenim verba Bullæ, & intentio Pontificis id ſatis demonſtrat; licèt enim bello etiam ſuffragetur ſubſidium ſpirituale, id tamen in præſenti non intenditur, ſed temporale. In decurſu enim Bullæ ſubſidia etiam ſpiritualia parantur, & exprimuntur, quando eiuſmodi ſubſidia intendit Pontifex præſtari. Et ſanè priuilegia, ac fauores, quamvis ſint ampliandi, non tamen vltra verborum proprietatem, & concedentis animum.

180 Confirmatur. Potuit Commiſſarius Generalis Cruciatæ, cui hæc omnia à Pontifice committuntur, deſignare aliquam quantitatem, quæ erogaretur Cruciatæ in commutatione votorum, quod non præſtitit, quia prolixum erat pro diuerſitate votorum diuerſas deſignare quantitates, id relinquens arbitrio Confeſſarij prudentis. Si autem deſignaſſet, non poſſet dici, ſufficere ſubſidium ſpirituale, ſic etenim etiam dici poſſet, pro Bulla Compoſitionis, & pro aliis, ſufficere, præſtare eleemoſynam ſpiritualem; cum Pontifex ſolùm aſſeruerit, ea priuilegia prodeſſe erogantibus ſubſidium ad bellum, taxandum à Commiſſario, ſicut id ipſum dicit de priuilegio commutationis votorum, nam omnia priuilegia Bullæ Latinæ, quæ Commiſſarius in quatuor Bullas diuidit, poſſet diuidere in plures, & in vna earum priuilegium commutandi vota apponere, pro qua aliqua determinata eleemoſyna præſtaretur. Si ergo in eo caſu non poſſet affirmari, ſubſidium ſpirituale ſufficere, nec nunc affirmari poteſt; nam de facto non deſignatum fuiſſe à Commiſſario ſubſidium erogandum, non mutat qualitatem ſubſidij.

181 Nec oppoſita doctrina eſt ſuſtinenda præcisè, vt pauperes huius priuilegij non reddantur expertes; quia etiam expertes redduntur huius, & aliorum Bullæ priuilegiorum, ſi Bullam ipſam præ inopia non accipiant, vt in pluribus contingit. Sicut ſæpè diximus, plures inculpatè ob phyſicam impotentiam aliquibus non gaudere priuilegiis; vt iacens in lecto ægrotus, qui nequit altaria viſitare, non lucrabitur Indulgentias Stationum in Bulla conceſſas, & ſic de aliis. Ex dictis manent aduerſantium rationes eneruatæ, eorumque benignitati ſatisfactum.

CAPVT XVIII.

An requiratur cauſa, vt commutentur vota virtute Bullæ Cruciatæ?

182 AD commutanda abſolutè vota in bonum æquale, aut ferè æquale, requiri cauſam, ſed hanc nunquam deficere, hoc ipſo quòd quis commutationem expoſtulet, *ſuprà* ſuppoſuimus. Qui enim id petit, libentiùs, & hilariùs, oſtendit ſe executurum aliam materiam, grauiterque exequi priorem, indéque expoſitum eſſe periculo fractionis voti, quæ cauſa eſt cenſenda iuſta, ac

Digitized by Google

ac ſufficiens ad commutationem. Ex hoc fit, hoc ipſo, quod quis expoſcat commutationem votorum per Bullam, poſſe Confeſſarium eam præſtare, quia ſupponitur hæc cauſa iuſta, & non alia maior requiritur.

183 Ex alio etiam capite cauſa iuſta datur, nempè ſubſidium erogandum ad bellum contra Infideles, quod vt erogetur, rectè præſtatur commutatio. Et quidem, quoties ſub aliquo onere ſpeciali, quod intenditur ad bonum commune, delegatur facultas commutandi vota, non alia cauſa requiritur, niſi obligatio ſubeundi illud onus, cuius intuitu ea facultas conceditur. Sic iudicatur cauſa iuſta, ſaltem adæquans cauſam totalem, erogatio eleemoſynæ in belli ſubſidium ad concedendas indulgentias in Bulla contentas, cum aliàs conceſſio indulgentiarum abſque cauſa ſit inualida. Hinc ad quæſtionem propoſitam *in hoc capite* poteſt reſponderi, ſub diuerſo ſenſu vtramque partem contradictionis eſſe veram, nempè non requiri cauſam ad commutanda vota per Bullam, & cauſam requiri.

184 Prima reſponſio negatiua facit hunc ſenſum, nullam cauſam requiri, niſi eam, quæ eſt intrinſecè conſtituta in ipſa facultate, & exercitio commutandi, nempè erogatio eleemoſynæ in belli ſubſidium, & cum quæritur, an requiratur cauſa ad commutandum vota per Bullam, videtur, eſſe quæſtionem de alia cauſa diſtincta ab ea, quæ neceſſariò in ipſo caſu quæſtionis reperitur. Cui quæſtioni ſatisfit per aſſertum negatiuum. Si verò quæſtio ipſa ſumatur de cauſa abſolutè requiſita, præſcindendo ab eo, quòd ſit imbibita cauſa in terminis ipſius quæſtionis, reſpondetur per affirmatiuam aſſertionem, & vlteriùs additur cauſam eſſe in ipſa commutatione facienda, ſeu in materia ſubroganda loco materiæ priſtinæ voti. Sic conciliantur Authores, ſi verbis differant, nam re ipſa in ſententia conueniunt.

185 Itaque eam docent P. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *de vot. c.* 19. *nu.* 10. Portel, Barth. à S. Fauſto, Thom. Sanchez, quos refert; & ſequitur Diana 1. *part. tract.* 11. *reſol.* 39. Rodriguez *in addit. ad* §. 9. *Bul. n.* 107. *in fin.* Trullench *in Bul. lib.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 13. *num.* 6. P. Henriquez *tom.* 1. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 30. *n.* 5. Garnica *in explicat. Bullæ Cruciatæ pag.* 43. Baſilius Legionenſis *in explic. manuſcripta Bullæ.* §. *vlt.* Leander de Sacram. *tom.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 14. *quæſt.* 161. *Et in quæſt. antecedenti* plurimos congerit Authores docentes, leuiſſimas cauſas ſufficere ad commutanda abſolutè vota.

186 Sed quia iuxta plures Authores *cap. ſequenti* afferendos commutatio virtute Bullæ poteſt fieri in aliquid paulò minùs bonum, ideò cum ita ſit, requiri aliquam aliam cauſam rationabilem, cenſent Cordub. Viuald. & Bonacina, quos citat, ac ſectatur Boſſius *de Iubil. ſec.* 2. *caſu* 26. *n.* 6. At, ſi ſemel ea ſententia admittatur, etiam tenendum eſt, non requiri aliam cauſam præter aſſignatam, nam ſubſidium præfatum eſt cauſa, quam Pontifex veluti deſignat ad commutationem votorum, quam ipſe concedit faciendam; ergo, ſi ipſe iuxta eam ſententiam concedit, commutationem fieri in aliquid paulò minùs bonum, non requiretur ad hanc commutationem alia rationabilis cauſa. Adde, ad commutanda vota in bonum æquale, quando aliundè datur iuriſdictio, ſufficere iuxta dicta, maiorem promptitudinem animi in vouente, minoremque difficultatem, minuſque tranſgreſſionis periculum, quæ cauſa ſemper adeſſe creditur, quando poſcitur commutatio, aliàs non poſceretur. Igitur iam hæc cauſa datur, cum quis poſcit, vota ſibi per Bullam commutari. Inſuper adeſt cauſa ſubſidij præſtandi expeditioni Cruciatæ; ergo datur cauſa ſufficiens ad commutationem in minùs bonum; cum ſit cauſa maior, quàm ea, quæ requiritur ad commutationem in bonum æquale; vnde non eſt neceſſaria alia cauſa ſuperueniens his, quæ quaſi intrinſecè reperiuntur in commutatione virtute Bullæ præſtanda.

CAPVT XIX.

Vtrum commutatio votorum virtute Bullæ Cruciatæ præſtita debeat eſſe in bonum æquale? Vbi, an facultas diſpenſandi in votis concedatur in Bulla.

187 Bonum æquale reputatur id, quod Deo æquè gratum eſt, attentis omnibus circunſtantiis; nec inæqualitatem moralem (cum in præſenti non loquamur de æqualitate mathematica, quæ in rebus moralibus locum non habet) aliquis exceſſus exiguus, vel defectus facit, quia parùm pro nihilo in practicis reputatur. Hinc, cum inquiritur, an commutatio per Bullam poſſit fieri in minus bonum, quamvis bonum non debeat accipi, ita vt multò minus bonum ſit (ſic enim, nullus dixit, poſſe hanc commutationem fieri) tamen intelligi debet de paulò minus bono, quod tamen non ſit tàm parùm minus, vt pro nihilo cenſeatur.

188 In primis, ſi commutatio facienda ſit in minus bonum, & cauſa detur ſpecialis ad id, tutius eſt, fieri commutationem à Regularibus virtute ſuorum priuilegiorum; nam cum poſſint & commutare vota, & diſpenſare in illis iuxta dicta in ſuperioribus, valebunt ſubrogare loco prioris materiæ voti, aliam minùs

Digitized by Google

minùs bonam, partim diſpenſando in eo, quod exceditur materia ſecunda à prima, partim commutando; & poterunt minuere materiam vtendo facultate diſpenſandi pro qualitate cauſæ, quæ intercedit.

189 Deinde loquendo de commutatione per Bullam præſtanda, non poſſe eam fieri in aliquid minus bonum, docent Couarruuias *de pactis* 1. *part.* §. 3. *num.* 4. P. Reginaldus *lib.* 8. *cap.* 22. *num.* 352. Caietanus, Sotus, Angles, Sayrus, Ioannes de la Cruz, Sanctarellus, Barth. à S. Fauſto, Nauarrus, P. Thom. Sanchez, Suarez, & Azor, quos refert Leander de Sacram. *tom.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 14. *quaſt.* 156. Qui hanc & oppoſitam ſententiam æquè probabilem eſſe, defendit.

190 poſſe verò fieri commutationem in minus bonum, tuentur Medina *lib.* 1. *ſum. cap.* 14. §. 7. Cardinalis Toletus *lib.* 4. *ſum. cap.* 18. *num. penult.* Aragon, Rodriguez, Vualdus, Corduba, Leo, Homobonus, Diana, Bonacina, Lauorius, Graffis, Boſſius, P. Sa, Leſſius, relati à Leandro *vbi nuper.* Qui citat pro hac ſententia Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 30. *num.* 5. Sed ibi ſolùm aſſerit, illud bonum ita debere eſſe paulò minus, vt cenſeatur moraliter æquale. Et *in gloſſa lit. G.* id confirmat ex eo, quòd in concurſu paruus exceſſus facit, oppoſitores cenſeri moraliter æquales. Huic affirmantium ſententię ſubſcribit Trullench *in explic. Bul. lib.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 12. *num.* 5.

191 Meum iudicium eſt, commutationem in paulò minùs bonum, quod moraliter cenſeatur æquale, poſſe præſtari per Bullam; quia in moralibus non poteſt requiri, aut ſaltem non requiritur alia æqualitas; & cum hac ſtat, manere in vouente tantam obligationem, ac erat anteà, ſed in aliam materiam commutata. Et quidem ſi maior æqualitas requiratur, res erit ſcrupulis obnoxia, & de qua decerni non poterit. Tunc autem ea æqualitas interuenit, cum iudicio prudentis cenſetur æqualis materia paulò, minùs vè, aut cum dubitatur, an ſit æqualis; neque enim eſſet ratio dubitandi, ſi conſiderabilis, ac manifeſtus interueniret exceſſus.

192 Deindè ſentio, non poſſe commutationem votorum fieri per Bullam in materiam, quæ moraliter non cenſeatur æqualis. Moueor, quia in Bulla conceditur facultas commutandi, non verò diſpenſandi; at commutatio non mixta diſpenſatione ex ſua natura inducit æqualitatem ſaltem moralem, vt explicatione commutationis conſtat; ergo nequit virtute Bullæ fieri commutatio in minus bonum, moraliter non æquale.

193 Dicunt primò; in commutatione votorum non fieri præjudicium tertio & Deum qui eſt creditor, eſſe liberaliſſimum, & benigniſſimum, quare præſumi debet, eam eſſe ipſius voluntatem, vt in commutatione minuatur de bono. Hæc ratio ob nimiam pietatem peccat, & ex ea poterat contendi, poſſe fieri commutationem in multò minus bonum, ſic enim magis Dei creditoris commẽdaretur benignitas, & liberalitas. Itaque non eſt fundamentum ad præſumendam de Deo eam voluntatem, vtpotè qui vult, vt homines illi debita, & vota ſoluant, nec remittit ea, niſi mediis ſuis Vicariis in terra.

194 Dicunt ſecundò, hanc præſumi eſſe voluntatem Pontificis in Bulla. Sanè hi Authores valdè præſũptionibus fidunt. Ego hoc neutiquam præſumam, cum Pontifex non conceſſerit, vt potuit, facultatem diſpenſandi in votis, etiam in parte eorum, ſed dumtaxàt commutandi; nec poteſt vltra proprietatem conceſſionis priuilegium extendi.

195 Dicunt tertiò, priuilegium non eſſe ſtrictè interpretandum; & aliundè illud nihil operaturum, ſi virtute Bullæ nequeat commutatio fieri in minus bonum, ſiquidem ad commutandum vota in bonum euidenter æquale, non ſit opus priuilegio iuxta probabilem opinionem, ſed poſſit quilibet ſic ſua vota propria authoritate commutare. Reſpondeo, nos minimè interpretari ſtrictè priuilegium, cum *in ſuperioribus*, quantum potuimus, illud ampliauerimus; priuilegia autem non ita latè ſunt interpretanda; vt ex omnibus capitibus ampliatio quæſitetur, maximè ſi ei non ſit locus, vt non eſt in præſenti; ſiquidem hæc ampliatio facit, vt priuilegium commutandi ſit priuilegium partim diſpenſandi, quod ex ſe cernitur inconueniens. Deindè multum operatur priuilegium Bullæ. Quippè iuxta ſententiam communiorem non admittentem, poſſe quem propria authoritate commutare vota in æquale bonum, etiam euidenter, Bullæ priuilegium poteſt. Præterea non requirimus, vt ſit euidenter æquale bonum, in quod ſit commutatio per Bullam, ſed moraliter æquale, ſeu de quo dubitetur, eſſe æquale. Rurſùs, cum in commutatione per Bullam ſubſidium detur Cruciatæ, de aliis piis operibus minuitur; ſi autem quis ſua vota commutaret, deberet addere pia opera, quæ forſan ei eſſent difficiliora, quàm erogatio eius ſubſidij.

196 Reſtat oſtendere, an poſſit virtute Bullæ diſpenſari in votis. Affirmauit Sotus *lib.* 7. *de iuſt. q.* 4. *verſu poſt hac*; & affert pro hac opinione Leander *ſuprà*, *q.* 151. Syluestrum, Tabienam, & Toletum, eo quòd doceant, eius eſſe, in votis diſpenſare, cuius eſt, commutare. Sed non rectè ideò adducuntur quia ſermo eis eſt de commutantibus vota poteſtate ordinaria, non delegata, qualis in Bulla cõceditur, & de eis vera eſt propoſitio,

quia ſub eadem poteſtate cadit commutatio, & diſpenſatio, vt *in ſuperioribus* ſuppoſuimus. Contraria ſententia eſt communis, & vera, quam tuentur Boſſius *de Iubil. ſect.* 2. *caſ.* 4. *numer.* 5. P. Suarez *lib.* 6. *de voto*, *cap.* 12. *numer.* 4. Fernandez, Villalobos, Portel, Homobonus, quibus ſubſcribit Diana 1. *part. tract.* 11. *reſol.* 42. Couarrubias, Moure, Angles; Sayrus, Lopez, Barboſa, Nauarrus, Vega, Aragon, Lauorius, Malderus, Trullench, P. Henriquez, Thom. Sanchez, Leſſius, & Fagundez, quos à ſe relatos ſectatur Leander *vbi nuper*.

197 Ratio eſt efficax, qua omnes vtuntur, nempè maiorem eſſe poteſtatem diſpenſandi, quàm commutandi; per diſpenſationem enim tollitur vinculum obligationis, quin aliud ſubrogetur, per commutationem autem aliud ſubrogatur; vnde in poteſtate commutandi conceſſa ſolummodò in Bulla, vt ex ipſius verbis patet, nequit includi poteſtas commutandi; In eo namque, quod eſt minus, non includitur id, quod eſt maius; nec eo conceſſo, conceditur hoc, vt nullus negabit. Hoc pluribus exemplis poſset confirmari, quæ cuiquam erunt obuia.

CAPVT XX.

Quis Confeſſarius debeat vota virtute Bullæ Cruciatæ commutare? Et an in foro pœnitentiæ.

198. Aſſero primò, commutationem votorum non poſse fieri virtute Bullæ niſi à Confeſsario approbato ab Ordinario. Etenim in ipſa Bulla exprimitur hoc priuilegium cum ea conditione, nempè vt habens Bullam poſſit eligere Confeſsarium ex his, qui ab Ordinario ſunt approbati, à quo poſſit abſolui à peccatis, & cenſuris, *& ab eo votorum commutationem obtinere*. Vnde non ab alio eam commutationem poſse obtineri, indulget Pontifex. Hinc ea, quæ diximus *diſp.* 21. de approbatione requiſita in Confeſsario, vt ſit eligibilis per Bullam, ſunt aptanda in præſenti, nam eadem approbatio, quæ deſideratur, vt Confeſsarius virtute Bullæ valeat abſoluere, eadem prorſùs eſt neceſsaria, vt queat vota commutare.

199 Inquires tamen, an in articulo mortis, pro quo omnes Sacerdotes cenſentur approbati, ſaltem in abſentia legitimi Confeſsoris, ſi tunc Sacerdos non approbatus ab Ordinario abſolueret aliquem virtute Bullæ à peccatis, & cenſuris, an poſset eius vota commutare, ita vt hic ſuperuiuens deobligatus eſset à priori votorum vinculo? Non vidi huius dubij reſolutionem, ſed cenſerem, eum non poſse commutare vota. Ratio eſt, quia approbatio ei tunc ab Eccleſia conceditur, vt ſuccurratur animæ fidelis in extremo vitæ poſiti, ne in æternum damnetur; quæ ratio non militat, vt queat vota commutare, cum à commutatione eius ſalus æterna non pendeat, & poſſit ille ſuperuiuens ab approbato Confeſsario obtinere approbationem; vnde ille Sacerdos iudicari debet approbatus ad abſoluendum præcisè, non in ordine ad commutandum.

200 Confirmatur; ideò requiritur à Pontifice in Bulla, vt commutans vota ſit approbatus, quia in approbato, ſupponitur, eſse ſcientiam, ac prudentiam, qua rem adeò grauem tractet, ac menſuret. At in caſu prædicto nequit verificari hoc motiuum Pontificis, cum in Sacerdote ſimplici ex ſe non ſupponatur ea ſcientia, & prudentiæ maturitas, ergo nequit ille commutationem præſtare. Nec obſtat, ſi dicas. Illum, quem poteſt quis eligere per Bullam, vt ab eo abſoluatur, poteſt eligere, vt commutationem votorum obtineat, ita enim in ipſa Bulla exprimitur; ſed in articulo mortis poteſt per Bullam eligere ſimplicem Sacerdotem, qui eum abſoluat; ergo, & à quo votorum commutationem obtineat. Nam diſtinguo maiorem. Illum, quem poteſt quis eligere, vt abſoluatur, attenta approbatione per ſe, poteſt eligere, vt commutationem obtineat, concedo; attenta approbatione ex accidenti, nego. Et nego conſequentiam; quia ille Sacerdos ſimplex non habet approbationem per ſe, hoc eſt, teſtimonium authenticum ſcientiæ, & ſufficientiæ præſtitum ab Epiſcopo; ſed ex accidenti, nempè ne pereat anima in eo articulo poſita; & ad hoc non requiritur ſcientia, ne periculum ſit damnationis, ſi non abſoluatur moribundus; at ad commutationem requiritur ſcientia, & nullum eſt periculum, etiam ſi non præſtetur; quare nequit commutare, qui per ſe non fuerit approbatus. Et ab inconuenienti etiam ſuadetur, nam à Sacerdote ignaro poſſet commutatio fieri abſque æqualitate; item non noſceret ille, quæ vota poſſunt per Bullam commutari, & ſi id etiam ignoraret pœnitens, forſan vota reſeruata ab eo commutarentur. Rurſùs neſciret, partem commutationis debere fieri in belli ſubſidium; & alia huiuſmodi. Quare incredibile eſt, poſſe eum tunc vota commutare. Et quamvis contingat, aliquem Sacerdotem etiam approbatum, aliqua horum ignorare, tamen nec ea ignorantia de eo præſumitur, nec poteſt eſſe communiter tanta, quæ rem omnem inuertat.

201 Aſſero ſecundò, & ſi commutatio votorum debeat eſſe in foro interno conſciẽtiæ (vt *ſuperiùs* ſtatuimus) quod diſtinguitur à foro pœnitentiæ, non tamen debere eſſe in hoc pœnitentiæ foro, nec in confeſſione, aut ante

ante, vel poſt illam. Ita docent P. Henriquez *lib. 7. de indulg. cap. 30. num. 6.* idem tenens de commutatione facta per priuilegia Regularium, P. Thom. Sanch. *lib. 4. oper. mor. cap. 54. n. 15.* Tamburinus *de iure Abbat. tom. 2. diſp. 19. q. 2. n. 5.* Homobonus, Villalobos, Barth. à S. Fauſto, Polachus, Lauorius, Boſſius, Philippus à Cruce, Sanctarellus, Bonacina, Trullench, Ioan. Sanchez, Diana, & Layman, quos refert, & ſequitur Leander de Sacram. *tom. 1. tract. 5. diſp. 14. q. 97.*

202 Probatur, quia Pontifex non requirit in Bulla, vt commutatio fiat in foro pœnitentiæ, ſed quòd ſit Confeſſarius approbatus, qui commutat; non quidem requirit eiuſmodi Confeſſarium, vt abſoluat, quando eſt commutaturus, ſed vt ſit vir doctus, & prudens, qualis præſumitur eſſe Confeſſarius. Et poſſet quidem poteſtas commutandi committi aliis viris doctis, ſed nec poteſt eſſe regula fixa, qui ſint viri docti, niſi aſſignentur Confeſſarij, nec animæ curas, & anxietates quis cum alio promptiùs, quàm cum Confeſſario communicat, etiam extra confeſſionem.

203 Deindè in eadem clauſula Bullæ concedit Pontifex, vt poſſit eligi Confeſſarius approbatus, qui abſoluat à cenſuris; & tamen hæc abſolutio virtute Bullæ poteſt præſtari in foro conſcientiæ extra forum pœnitentiæ, vt diximus *diſp. præcedenti*; ergo pariter commutatio votorum. Et quidem poteſtas commutandi vota diſtincta eſt à poteſtate abſoluendi, quare diuiſim ab illa valet exerceri; nec eſt, cur ſimul cum illa debeat coniungi; & quamvis ad bonum animæ hæc commutandi facultas dirigatur, tamen extra forum pœnitentiæ plura poſſunt præſtari, quæ ad animæ bonum conducunt, vt patet in abſolutione à cenſuris. Hinc deduces, commutantem vota virtute Bullæ, non opus eſſe, Cōfeſſarium fore eius, cuius vota commutantur; poteſt enim eius vota commutare, quamvis nunquam eius confeſſiones audiuerit, nec auditurus ſit. Quippè ſolùm requiritur, vt ſit Confeſſarius approbatus; ſic etenim viro docto hæc facultas prudenter committitur.

204 Contrariam ſententiam tenuerunt Moure, Vega, Peregrinus, Rodriguez, Corduba, & alij apud Leandrum *vbi ſuprà*; & alij apud Boſſium *de ſubtil. ſec. 2. caſ. 38. numer. 3.* & apud Dianam *1. part. tract. 11. reſol. 45.* Sed eorum fundamenta noſtris rationibus diluuntur. Rodriguez *in Bul. §. 9. num. 113.* ait, hoc requiri in ipſa Bulla. Sed certè in ea nullum eſt verbum id ſignificans, nec exprimens. Aliqui cum P. Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto, cap. 16. num. 4.* docent, tunc commutationem votorum præſtandam neceſſariò eſſe in foro pœnitentiæ, quādo priuilegium indulget eius conceſſionem *in foro pænitentiæ*, aut *auditis confeſſionibus*.

205 Leander contendit, adhuc ſi eæ modificationes apponantur, non opus eſſe, fieri in pœnitentiæ foro commutationem, quia commutatio votorum non indiget confeſſione. Et pro hoc aſſerto innumeros citat Authores *ea quæſt. 97.* Sed plures eorum, quos vidi, non loquuntur in hoc caſu, quo appoſita ſint in priuilegio verba prædicta, ſed abſolutè docent, non eſſe neceſſum, vt commutatio virtute Bullæ, aut per priuilegium Regularium fiat in foro pœnitentiæ; in Bulla autem, & in priuilegiis (ſaltem in noſtris Societatis Ieſu) ea verba non præfiguntur. Deindè eius ratio non conuincit, quia ſtat, commutationem non indigere confeſſione, & Pontificem nolle, niſi in confeſſione fieri iuſtas ob cauſas; in quo quænam eſt implicantia? Da ergo, Pontificem nolle. Sanè non niſi in confeſſione commutatio valebit præſtari. Tunc ſic. Clarè exprimitur voluntas Pontificis in verbis *ſuprà* poſitis, nec clariùs exprimi poteſt; ergo, cum præfiguntur ea verba, Pontifex non concedit facultatem commutandi vota, niſi in foro pœnitentiæ. Prætereà ea verba aliquid innuunt, quod non innueretur, ſi non eſſent adiecta; ſed hoc non poteſt eſſe, niſi quòd clarè ſonant, ergo. Rursùs diſcrimen eſt inter conceſſionem facultatis commutandi abſque illo addito, ac cum illo; ſed hoc nequit eſſe aliud, niſi quòd commutatio conceſſa cum eo addito debet eſſe intra forum pœnitentiæ, ſecùs conceſſa abſque illo addito, igitur. Demùm priuilegia non ita queunt ampliari, vt ampliatio ſit contra verba ipſa in eis expreſſa: at ſi priuilegium ait, vota commutari poſſe in foro pœnitentiæ, reſtringendo ad id forum poteſtatem, eſt propoſitio contradictoria, poſse commutari in foro quolibet interno, quin id reſtringatur ad forum pœnitentiæ; ergo, dum verba præfata adduntur in priuilegio, nequit commutatio præſtari, niſi in foro confeſſionis.

206 Ex dictis *in hoc cap.* cernitur manifeſtè, non eo ipſo, quòd quis accipiat Bullam, vota eius manere commutata, ſi quidem Confeſsarius, qui de facto commutet, requiritur. Sed rogabis, an peccet Confeſsarius, qui requiſitus à pœnitente, vt virtute Bullæ eius vota commutet, nolit? Trullench *in Bul. lib. 1. §. 7. cap. 3. dub. 14. num. 1.* ait, peccare, quia eſt iudex delegatus in fauorem pœnitentis datus, qui habet ius ad petendam commutationem ex priuilegio ſibi conceſso, ſicut Epiſcopus peccaret negans diſpenſationem ex iuſta cauſa. Et addit contra Tho. Sanch. aſserentem regulares non peccare, ſi non commutēt vota virtute ſuorum priuilegiorum, eo quòd nemo adſtringatur ſuo vti priuilegio; adhuc hos peccare cōtra charitatem. Vbi ſupponere

videtur, peccare contra iuſtitiam eos, qui per Bullam commutare nolunt, & id intendit eius ratio.

207 Hæc doctrina nimis rigoroſa eſt, nec vera, ſi ſumatur, vt profertur. Etenim ſaltem non magis peccat Confeſſarius, qui non vult commutare vota per Bullam, quam ſi nolit audire confeſſionem pœnitentis, & abſoluere illum per Bullam; cum tota ratio præfati Authoris eamdem, & maiorem vim habeat in confeſſione, quàm in commutatione votorum, & plùs illa ſit neceſſaria, quam hæc; & reſpectu illius poſſit eſſe neceſſitas extrema cum periculo proximo damnationis æternæ, non autem reſpectu huius. Tunc ſic. Non peccat Confeſſarius, non Parochus, nolens audire confeſſionem cuiuſvis pœnitentis, niſi in extrema neceſſitate, & tunc non peccat contra iuſtitiam, ſed contra charitatem, contra quam, probabile eſt, non peccare, ſi non audiat confeſſiones in neceſſitate adhuc graui. Igitur Confeſſarius, non Parochus, nunquam contra iuſtitiam peccabit non commutans vota, & prætereà contra charitatem dumtaxàt peccabit, ſi non commutet in neceſſitate extrema, caſu, quo hæc neceſſitas queat dari reſpectu commutationis; & ſi neceſſitas ſit grauis, probabile erit, non peccare adhuc contra charitatem. Non video vllam diſparitatis rationem. Aſſumptum autem de obligatione Confeſſarij ad excipiendas confeſſiones vide apud P. Granado *tom. 5. controu. 7. de pœnitent. diſp. 9.* Cardinalem Lugo *tom. de pœnit. diſp.* 22. Suarez, Layman & alios *de Sacramento pœnitentiæ* tractantes.

208 Rurſùs, quia Parochus eſt paſtor; peccat contra iuſtitiam, ſi in neceſſitate extrema, & in graui nolit excipere confeſſiones ſuarum ouium; vnde ſi tales dentur commutationis neceſſitates, peccabit ratione ſui muneris, non prouidens bono animarum, cum eis per Bullam poſſit ſuccurrere. Deindè in aliis caſibus poteſt Parochus, ſi adſint alij Confeſſarij, remittere pœnitentes ad illos; ſi non adſint, tenetur ex munere confeſſiones audire; non quoties pœnitentes velint, ſed ſeptem; aut octo vicibus in anno reſpectu ſingulorum, vt docuit *in manuſcriptis* P. Ioannes de Salas; vel attenta ratione redituum, quibus fruitur, & numeri ouium, quas ſubditas habet, vt docet Lugo *vbi nuper*. Si enim paucæ ſint oues, & pingues redditus, tenebitur pluries ſingulorum audire confeſſiones; & è contra ſi plurimæ ſint oues, & redditus exiles. Proportione ergo ſeruata, requiſitus, vt vota commutet; tenetur commutare, vt bono ſpirituali ſuarum ouium proſpiciat, non tamen id præſtare obſtringitur, ſi ſinguli frequenter commutationem expoſcant.

209 Iam hinc Ægidij Trullench ratio diſſoluitur. Nam habens Bullam, ſicut non habet ius, quo poſſit obligare ex iuſtitia Confeſſarium, non Parochum, vt eius audiat confeſſionem, nec Parochum, vt toties quoties audiat, ita nec, vt commutet vota ille, nec hic toties quoties. Et quidem non eſt ius rigoroſè, quod per Bullam acquiritur, ſed priuilegium; aliàs pariter dici poſſet, quia habens Bullam poteſt audire Miſſam tempore interdicti, poſſe requirere Sacerdotem ex iuſtitia, vt illam celebret; quòd ſi Sacerdos celebrare nolit; peccare eum, quatenùs eſt vnus ex deſignatis, cuius Miſſam ille poteſt audire, & habet ius ad audiendum ex priuilegio ſibi conceſſo. Hinc Parochus non commutans vota virtute Bullæ non peccat contra iuſtitiam ex eo, quòd pœnitens ius ex Bulla habet; ſed, quia tenetur conſulere ratione muneris ſui bono ſpirituali pœnitentis, & accepta ab hoc Bulla, aperitur ei via, quâ poſſit commutare vota illius; in quo res ſe habet, ac ſi Parochus priuilegium haberet ab Epiſcopo, aut Pontifice ad commutandum, quod eſſet ipſius, & non pœnitentis priuilegium.

210 Cernitur indè, Epiſcopum, cum peccat, negata diſpenſatione, quæ ex iuſta cauſa ab eo petitur, ratione ſui muneris obligari ad non negandam illam, & quia ei non ſatisfacit, peccare. Secùs contingit in Confeſſariis, qui non ſunt Parochi, reſpectu commutationis votorum. Nec Regulares tenentur ratione charitatis vti priuilegiis commutandi, ita vt peccent contra illam nolentes commutare ob rationes *ſuprà* allatas. Peccabunt quidem in caſu extremæ neceſſitatis, ſi ſit poſſibilis. Quod additum ſæpè repetiui, nam ego ſanè ſimilem caſum practicum non valeo reperire.

CAPVT XXI.

De praxi obſeruanda in commutatione votorum per Bullam Cruciatæ.

211 SAtis conſtat ex dictis *tota hac diſp.* quæ vota poſſint virtute Bullæ commutari, à quo, in quo foro, quo tempore, qua cauſa, in quod ſubſidiũ, & opera. Quæ, & alia huiuſmodi ad longum diſcuſſa facilem, ac promptam reddunt praxim. At vt facilior adhuc fiat, aliqua in præſenti proferemus. Confeſſarius ſedulò, ac vigilanter in votorum commutatione procedat, grauiter enim peccabit, ſi vota indebito modo commutet, vtpotè infidelis diſpenſator, & malè conſulẽs ſaluti animæ, cuius in ſe curam ſuſcipit. Inſpiciat igitur priùs, quo fine emiſſum fuit votum commutandum, vt materiam ſubroget, quæ ad eum finem ſit proportionata; V. g. ſi quis emiſit votum confitendi ſua peccata decimo-quinto

Digitized by Google

quinto quoque die, vt, ſic frænaret veneris libidinem, in quam rapiebatur; commutatio præſtanda eſt in opera, quæ ad eamdem libidinem frænandam conducant, qualia ſunt ieiunia, corporis caſtigationes, recitatio calculorum in honorem Deiparæ Virginis; & ſic de aliis.

212 Deindè aduertat Confeſſarius, vt obligationem de nouo imponendam proportionatè antiquæ obligationi quoad tempus adaptet; vt ſcilicèt, ſi primum votum obligationem perpetuam induxerat, etiam in commutatione obligatio perpetua iniungatur, vt ſic vouens nunquam ſuæ priſtinæ obligationis obliuiſcatur. Si autem votum eſſet ad annum, pariter ad annum noua obligatio duret. Niſi res promiſſa per votum prius eſſet parùm oneroſa; & res ſubroganda ſit eximia; tunc enim rectè per exceſſum huius ſuppletur temporis perpetuitas, aut longa duratio. V. g. ſi votum priſtinum fuiſſet de recitandis quotidie perpetuò bis, aut ter, oratione Dominica cum ſalutatione Angelica, benè poſſet commutari in opus non perpetuum vouenti difficilius, quale eſſet, inſeruire Xenodochio per aliquod tempus; aut fœminæ pauperi dotem ad nuptias elargiri; aut per annum integrum decimoquinto quoque die peccata fateri. Imò hæc forſan videbuntur excedere illud votum, ſed exempli cauſa apposui, vt indè poſſit Confeſſor arbitrari, quid oporteat. Similiter, & ſi res promiſſa priori voto ſit difficilis, ac perpetua, poteſt excogitari alia non perpetua æquiualens; V. g. ſi commutandum ſit votum conditionale, aut pœnale Religionis, vel caſtitatis, adhuc adimpleta conditione, poſſet iniungi, vt quis, graſſante peſte (dum ipſe hoc acceptaret) ægrotis inſeruiret; nam actio ea, qua vitam ſuam manifeſto periculo exponeret ob charitatem cum proximis exercendam, æquiualeret voto præfato Religionis etiam aſperrimæ; imò alicui videbitur, excedere. At poſſunt ſimilia opera excogitari, quæ æquiualeant, quamvis perpetua non ſint.

213 Animaduertat prætereà Confeſſarius, minuendum eſſe de operibus, quæ iniungit, quantum auctum fuerit de ſubſidio erogando in fauorem Cruciatæ, ita vt ex ſubſidio, & operibus conſletur materia æqualis ei, quæ per votum prius erat promiſſa. Non tamen licebit, loco ſubſidij annumerare eas quantitates, quæ nomine Regis à Nobilibus, & equitibus exiguntur, vt milites in bello ſuſtententur. Tum quia eas tenentur ipſi præſtare ob priuilegium nobilitatis, quo gaudent, aut ob inſignia Ordinum Militarium, quibus ornantur. Tum quia, etſi non teneantur ad id præſtandum, ipſi tamen requiſiti, ac rogati, voluntariè illud donatiuum offerunt, independenter ab alia obligatione, indè expectantes præmium, aut retributionem. Quin hæc donaria non ſolent ſemper eſſe communiter ad bellum contra Infideles, ad quod deſtinatur Cruciatæ ſubſidium, ſed aduerſùs fideles, Hiſpaniarum hoſtes.

214 Rurſùs attendat, ne opera, in quæ votum commutat, ſint aliàs ex præcepto debita; quare non rectè commutaret in auditionem Sacri diebus feſtis, in ieiunia Quadrageſimalia, ad quæ iam pœnitens teneretur, hiſque ſimilia; nam in iis non additur materia, nec ſubrogatur, ſed dumtaxàt noua obligatio ad materiam iam aliundè debitam augetur; quod exiguum onus eſt, maximè in viris timoratis, qui præcepta Eccleſiaſtica non tranſgrediuntur. Sicut etiam non eſſet recta commutatio voti in opera debita ex præcepto diuino, vt in non furandum, non peierandum, non patrandum peccata Venerea.

215 Adhuc notet, vota de materia aliàs debita faciliori commutatione eſſe componenda, vtpotè quibus commutatis, ea materia debita permanet, & ſolùm deficit vna ex obligationibus circa illam. V. g. emiſerat quis votum audiendi Miſſam diebus feſtis, ſi petat huius voti commutationem, non ſubroganda materia eſt loco Miſſæ, cum ad hanc ſemper maneat ille ex præcepto Eccleſiæ obligatus, ſed loco obligationis nouæ, quâ ſe ad Miſſam audiendam obſtrinxerat. Vnde hæc vota poterunt commutari in vota alterius materiæ etiam debita ex præcepto, vt in ieiunia Quadrageſimalia, ſic enim obligatio ſubrogabitur obligationi, & vtraque materia par erit in ratione debitæ ex præcepto. Vel ſi in alia pia opera commutantur hæc vota, debent faciliora opera deſignari, vtpotè quæ ſupplent exceſſum in eo, quòd abſque voto intercedente libera eſſent vouenti, à quo omitti poſſent, cum præcepta aliundè non ſint.

216 Debet etiam Confeſſarius communiter, dum aliqua ratio aliud faciendum eſſe, non ſuadeat, commutare vota perſonalia in alia perſonalia, realia in realia, mixta in mixta, vt cum hac proportione maior æqualitas, ac ſimilitudo ſeruetur. Verum quidem eſt, hoc à circunſtantiis pendere; ſæpè enim pœnitens commutat vota realia, quia commodè nequit ea explere, nec eleemoſynas tribuere, nec alia ſimilia exequi; idemque in perſonalibus, ac in mixtis contingere valet; quare tunc poterit Confeſſor vota perſonalia in realia, realia in perſonalia, mixta in vnum ex illis, vel illa in mixta commutare; & quomodolibet fiat commutatio, dum aliàs ſit æqualis moraliter valebit. Quod arbitrio docti, ac prudentis commutantis relinquitur.

217 Vlteriùs, ſi vota ſint conditionalia, aut pœnalia, & non eſt impleta conditio,

2 *Mendo in Bull. Cruciat.*

commutatio facienda eſt in pauciora, ac faciliora opera, quàm ſi eſſet conditio impleta. Etenim dum conditio non ponitur, vouens ad nihil præſtandum tenetur, ſed dumtaxàt ſubiacet obligationi, quòd, caſu contingenti, quo conditio ponatur, teneatur, rem promiſſam præſtare; & quia poteſt non impleri vnquam conditio, liber maneret ſemper vouens à re exequenda. Quæ omnes circunſtātiæ cogunt, vt commutatio ſit ſuauior. Et poterit etiam Confeſſarius hæc vota commutare in alia conditionalia, aut pœnalia, dum tamen ſit æque contingens reſpectu pœnitentis conditio, ſimiliſque fructus indè ſperetur; aliàs non erit recta commutatio. V. g. quis ludo affectus, non vino, vouerat ieiunium, ſi luderet, in pœnam ludi; non rectè commutaretur hoc votum in obligationem erogandi eleemoſynam, ſi vino inebriaretur; ſic verò in votum eleemoſynæ, ſi actum turpem haberet, dum ille non minùs à turpitudine, quam à ludo traheretur.

218 Ad hæc, Confeſſarius non debet imponere, vt ſibi afferatur ſubſidium erogandum Cruciatæ in commutatione, vt omnis ſuſpicio auaritiæ vitetur. Si tamen non fidat, pœnitentem fore erogaturum illud, poteſt ei iniungere, vt coram ipſo tradat Quæſtori Cruciatæ, vel alicui perſonæ fideli, à qua erogandum eſſe ſtatim, non dubitetur. Et monere debet pœnitentem, ſi non tradat vel Quæſtori, vel perſonæ deſignatæ, peccare, nam commutationis opera non adimplet, ad quæ ex vi voti denuò ſubrogati aſtringitur. Quare pœnitens reddendus eſt certior, ſe per commutationem non liberari ab onere obligationis ex voto, ſed nouam obligationem intercedere, cui ex voto debet ſatisfacere.

219 Quando duplici vinculo quis obligatus eſt ad eamdem rem promiſſam, nempè voto, & iuramento, aut voto rei ipſius, & voto non petendi commutationem eius prioris voti, maior, ac difficilior materia ſubroganda eſt, quàm ſi vnicum eſſet vinculum, vt ſic materia ſubrogata proportinetur ei duplici nexui; non tamen tanta eſt iniungenda materia, quanta iniungeretur, ſi quodvis illorum vinculum caderet ſuprà materiam diuerſam, & inter ſe æquè grauem, ac difficilem; nam in hoc caſu materia, & obligatio ſubroganda deberet æquiualere duplici obligationi, & duplici materiæ: in primo autem euentu materia imponenda æquiualere debet duplici obligationi, ſed materiæ vnicæ. Hic obſerua, eadem, quæ de commutatione votorum ſeruanda in praxi docemus, in commutatione iuramentorum eſſe pariter obſeruanda.

220 Æqualitatem materiæ, aut exceſſum non debet penſare Confeſſarius commutans ex maiori, minori, aut æquali excellentia virtutis, ad quam materia pertinet. Poteſt enim Deo eſſe gratius, quò pœnitens hic, & nunc, conſideratis circunſtantiis loci, temporis, qualitatis, & conditionis, operetur actus virtutis minùs excellentis, quam excellentioris. V. g. homo deditus Veneri, ob frænandam libidinem vouit ieiunia, hoc votum, quod eſt materiæ moralis pertinentis ad virtutem abſtinentiæ, non rectè commutaretur in hoc, quòd ille eliceret quotidie aliquos actus fidei; quia eſto hi pertineant ad excellentiorem virtutem, nempè Theologicam, attamen attento fine voti, & vt libido frænetur, non ſunt hi actus media conducentia immediatè, vt ſunt ieiunia, aliæque corporis caſtigationes.

221 Omninò etiam attendendum eſt ad difficultatem ipſius pœnitentis in exequendis operibus; ex ea enim maiori, aut minori fit, vt opera, quæ ſufficiunt, vt vni commutetur votum, non ſufficiant, vt commutetur alteri; quia hic abſque difficultate, & incommodo proprio poteſt illa exequi, ſecùs ille. Exemplum ſit in diuite, & paupere, qui idem votum emiſerunt, & commutationem expoſcunt. Sanè erogatio eleemoſynæ mediocris impoſita pauperi poteſt eſſe ſufficiens commutatio voti proportionati; quia pauper non parùm indè incommodi eſt experturus, difficiliuſque illi eſt, elargiri eleemoſynam, quàm alia opera exequi. Hæc autem erogatio eleemoſynæ æquans pauperis votum, non poteſt æquare diuitis ſimile votum: nam diues in ea erogatione nec incommodum ſuſtinet, nec tantam ex ſe difficultatem patitur. Rurſùs, ſi homo delicatus, expers laborum, & caſtigationum corporis impatiens tolerator emiſit votum, cui ſimile edidit alter, qui aſſuetus laboribus, & corporis incommodis, eis parùm fatigatur; opera quæ erunt æqualia commutando voto illius delicatuli hominis, non erunt æqualia voto huius non delicati, nec delicioſi, quia faciliùs hic, ille difficiliùs ea exequetur.

222 Si commutetur votum dumtaxàt quoad tempus, ſcilicèt vt poſſit differri, commutatio exigua eſſe debet, dummodò non multùm ad obſequium diuinum ſpectet, quod citiùs, vel ſeriùs adimpleatur: ſi enim valdè ad id conducat, vel homo eo tempore, quod ſub commutatione cadit difficilia opera eſſet executurus, voto non commutato: ſanè opera iniuncta ſunt augenda. V. g. promiſit quis largiri calicem Eccleſiæ non indigenti illo ad diem Paſchatis, vel peregrinari poſt vnum menſem ad Virginem montis-Serrati, dilatio in vtroque voto non valdè conducit ad obſequium diuinum, idcóque exigua commutatione indiget. At ſi vouit ingredi Religionem die Paſchatis, cum deberet adimplens

Digitized by Google

implens votum ex eo die onera Religionis ſuſtinere, maior commutatio ob dilationem eſt neceſſaria.

223 In voto commutando peregrinationis habenda eſt ratio difficultatis itineris, item & damnorum, quæ ei imminerent (at, quia aliqua eſſent incerta, & contingentia exigua ſubrogatione materiæ poterunt compenſari) & expenſarum, quas eſſet facturus eundo, & redeundo. Eundo quidem eo modo, quo vouit ire; vel ſi hoc non determinauit, eo modo, quo ſolet alias peregrinationes, & itinera aggredi, vel quo ſibi perſuadet, fore facturum hoc iter, ſi non commutaretur votum. Redeundo, dixi, quia & ſi non vouerit redire, votum tamen fuit emiſſum peregrinationis morali modo faciendæ, ſic autem fit, nempè redeundo; niſi ipſe animo propoſuiſſet, permanere in eo loco, quo pergere tentabat, vt Eccleſiæ, aut loco pio inſeruiret.

224. Fragilitati vouentium ſuccurrat Confeſſarius, imponens in commutatione (ſi poteſt hoc componi cum æqualitate, & regulis *ſuprà* traditis) opera, quæ ex deuotione aliàs exequitur pœnitens, vt ieiunia, calculorum Virginis recitationem, frequentiam confeſſionum, & ſimilia. Et quotieſcumque commodè poſſit, confeſſionum aſſiduitatem imponant. Qui ſcire velit aliquas commutationes votorum factas in ipſo iure, videat Trullench *in Bul. lib.* 1. *§.* 7. *cap.* 3. *dub.* 18. *à num.* 24. Qui autem alia de praxi commutationum deſideret, adeat Patrem Thom. Sanchez *lib.* 4. *oper. mor. cap.* 56. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 6. *de voto, cap.* 19. Leſſium *de iuſtit. lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 11. Sayrum *in claui Regia lib.* 6. *cap.* 12. Ludouicum à Cruce *in Bul. diſp.* 1. *cap.* 7. Petr. Ledeſma 2. *tom. ſum. tract.* 10. *cap.* 8. Rodriguez *in Bul. in addit. ad §.* 9. Lopez *de Bul. cap.* 9. Azor 1. *tom. lib.* 11. *cap.* 19. *quæſt.* 13. Medina *lib.* 1. *ſum. cap.* 14. *§.* 7.

DISPVTATIO XXVII.

De applicatione indulgentiæ plenariæ conceſſæ per Bullam Cruciatæ ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis, & de indulgentia conceſſa his, qui contriti abſque confeſſione decedunt.

In prooemio *diſputationis* 22. præfiximus verba Bullæ Latinæ & Hiſpanæ, in quibus continetur indulgentia plenaria applicanda ſemel in vita, ſemelque in articulo mortis; ideò ea non repetimus, ſed aggredimur eam explicare, & ſimul aliam indulgẽtiam Bullæ. In Latina ſic extat. *Item, ſi dicto anno durante, contingat vel ob repentinam mortem, vel Confeſſorum abſentiam, ſine confeſſione decedere, modo contriti deceſſerint, & priùs ſtatuto tempore confeſſi fuerint, & neque huius conceſſionis fiducia negligentiores fuerint, plenariam, vt ſuprà, remiſſionem conſequantur.* In Hiſpana aſſeritur. *Iten, ſi durante el dicho año, acaeciere, que ellos por muerte repentina, y ſubita, ò por auſencia de Confeſſor mueran ſin confeſſion, con que ayan muerto contritos y al tiempo eſtatuido por la Igleſia ſe huuieren confeſſado, y que no ayan ſido negligentes, ni deſcuidados en confianza deſta gracia, conſigan la dicha plenaria indulgencia, y remiſſion de pecados, y à ſus cuerpos ſe pueda dar Eccleſiaſtica ſepultura, ſino huuierem muerto deſcomulgados, no obſtante el entredicho.* De hoc indulto ſepulturæ Eccleſiaſticæ egimus iam *diſp.* 15. *cap.* 5. & ad calcem huius diſputationis aliquid libabimus.

CAPVT I.

A quibus, & quomodo ſit applicanda habenti Bullam indulgentia plenaria ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis?

1 ALiqua ſunt in præſenti apud omnes indubia. Primum, indulgentiam hanc eſſe plenariam; ſic enim expreſsè à Pontifice conceditur. Secundum, virtute vnius Bullæ ſolùm poſſe obtineri ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis: ita enim à Pontifice clarè reſtringitur, nec conceditur indefinitè, vt indè poſſit toties quoties obtineri. Et quia fideles plurimi parùm de hac indulgentia curant in vita, ſingulis annis moneri debent à ſuis Confeſſariis de bono adeò ingenti animi, applicatioque indulgentiæ fieri ab ipſis. In articulo autem mortis (quem *infrà* exponemus) ſi abſolutè indulgentia applicetur moribundo, ille aliàs rectè diſpoſitus eam lucrabitur; quòd ſi poſt lucrationem non obeat, iterúmque eodem anno in articulum mortis deueniat, non poterit illi ea indulgentia conceſſa in articulo mortis virtute eiuſdem Bullæ iterùm applicari; quia ſolùm pro vna vice eſt conceſſa: poterit tamen ſecunda Bulla ad hunc effectum accipi, vt dicemus *diſputat. ſequenti.*

2 Cæterùm Confeſſarius poteſt eiuſmodi indulgentiam applicare ſub conditione, aſſerens: ego tibi indulgentiam plenariam Bullæ applico, ſi è vita decedas, ſin autem, ad verum articulum mortis ea tibi à Domino reſeruetur. Et tunc, ſi ille viuus euadat, & rurſus ad articulum mortis deueniat, per

Digitized by Google

eamdem Bullam, quin alia accipiatur, poterit ei indulgentia applicari. Etenim, cum hæc indulgentia media applicatione obtineatur, ab intentione applicantis, effectus illius in executione dependet, poteſtque ſuſpendi, aut retardari. Illud autem conſilium præ oculis habeatur, oportere, ſi aliàs non ſit periculum obitus intempeſtiui, aut applicans non ſit defuturus, differre indulgentiam vſque ad extremum vitæ interuallum, vt omnes pœnæ debitæ propter culpas remiſſas relaxentur, ne poſt obtentam indulgentiam peccata aliqua, adhuc venialia, ab ægroto committantur, & pœnas illis debitas, etiam ſi conteratur, in Purgatorio ſit ſoluturus. Conditionatam *nuper* dictam applicationem negat Trullench *in Bul. lib.* 1. §. 7. *dub.* 19. *cap.* 2. *num.* 8. cum Nauarro, Corduba, & Lopez; quia vbi id in indulto expreſsè non conceditur, nequit fieri. Tenent oppoſitum Diana, & alij ab ipſo relati 1. *part. tractat.* 11. *reſolut.* 106. piè quidem, & verè; cum enim applicatio ab intentione pendeat, non eſt, cur ea intentio conditionata negetur, & conſequenter applicatio. Ita etiam Rodrig. *in Bul.* §. 9. *num.* 38. malè à Trullench pro ſe citatus.

3 Modus autem applicandi præſentem indulgentiam non præfigitur à Pontifice; ſic verò à Commiſſario Cruciatæ in Bulla Hiſpana, cuius ibi deſignata verba non ſunt neceſſaria, vt applicatio valeat; quippè appoſita ſunt, quaſi tradendo formulam applicationis, ſicut diximus in ſimili de abſolutione à peccatis *ſuperiùs*. Nec vt conditio ſimpliciter, & eſſentialiter requiſita potuit ea formula apponi, cum à Pontifice non fuerit præfixa, eſſetque reſtrictio conceſſionis. Sufficiet ergo, per quæcumque verba applicare eam indulgentiam; aſſerendo ſcilicet: ego tibi applico indulgentiam plenariam pro articulo mortis in Bulla conceſſam; aut applico indulgentiam Bullæ, ſiuè, applico indulgentias, quas poſſum. Nec alia reſtrictio debet apponi, ſicut non apponitur in formula verborum à Commiſſario præſcripta.

4 Quòd ſi pro articulo mortis conceſſa ſit alicui, alio ex priuilegio, indulgentia plenaria applicanda, poterit ea etiam applicari; cum ex hoc nullum ſequatur incommodum: poſſit autem commodum ſequi iuxta varietatem requiſitorum ad fructum indulgentiæ plenariæ conſequendum, ſi fortè in moribundo, aut in applicante requiſita adſint ad vnam ex illis indulgentiam applicandam, ſeu obtinendam, & non ad aliam. Oportebit etiam hoc caſu, quo plures ſunt indulgentiæ plenariæ applicandæ, diuerſis temporis ſpatij applicare paulatim, vt ſi noua poſt applicationem committantur à moribundo delicta, conteratur, & pœnæ debitæ relaxentur. Quòd ſi ſpes aliqua vitæ ſuperſit, poterit aliqua ex illis indulgentiis reſeruari abſque applicatione, vt in alio mortis articulo, ſi eo anno ſuperueniat, applicetur, quin opus ſit ſecundæ Bullæ acceptione.

5 Applicatio autem poteſt fieri vocaliter, & etiam mentaliter; cum enim applicatio ex ſe non requirat verba, ſed poſſit per actum internum perfici, & aliundè in præſenti Pontifex non iniungat, fieri debere per verba, non eſt, cur mentalis applicatio non ſufficiat. Imò nec indè moribundi, aut pœnitentis ſolatium aliquod minuitur, ſi applicans ei ſignificet, fuiſſe iam à ſe applicationem effectam. Laudabiliter verò applicans verbis vtetur à Commiſſario præfixis. Si tamen ille, etiam ſi exteriùs verba proferret, interiùs animum non applicandi indulgentiam haberet, ſanè non applicaretur illa, quia applicatio, ſicut & abſolutio, ab intentione dependet, nec ſubſiſtere abſque intentione explicita, vel implicita, formali, aut virtuali valet. Nec ab applicatione mentali indulgentiæ fieri poteſt paritas ad abſolutionem: cum hæc debeat eſſe ſenſibilis, vtpotè forma Sacramenti, quod eſt ſignum ſenſibile.

6 Hìc quæritur, an neceſſariò debeat hæc applicatio fieri à Confeſſario, vel poſſit etiam perfici ab alio? Trullench *in Bul. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 19. tenet, non aliter obtineri hanc indulgentiam, niſi à Confeſſario applicetur; quia Pontifex non concedit immediatè hanc indulgentiam, ſed media applicatione Confeſſarij, & quaſi ei delegans, vt conceſſionem hanc exequatur, quod ex eis verbis Bullæ conſtat. *Vt poſſit eligere Confeſſarium, &c. & ab eo quorumcumque peccatorum, & cenſurarum plenariam indulgentiam, & remiſſionem ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis obtinere.* Hinc etiam ſi abſque culpa habentis Bullam Confeſſarius deficiat, aut nolit indulgentiam applicare non obtinebitur hæc: nam indulgentiæ non obtinentur, omiſſis mediis, etiam inculpabiliter, ad illas requiſitis: ſicut ſi ille peteret abſolutionem à peccatis, nec eſſet, qui abſolueret, aut abſoluere nollet, non maneret ſanè abſolutus Sacramentaliter.

7 Diana 1. *part. tractat.* 11. *reſolut.* 106. docet cum Valero, & Nauarro, quem ſequitur Reginaldus *lib.* 7. *cap.* 12. *numer.* 157. contra Trullench *ſuprà*, & Ludouic. à Cruce *in Bul. diſp.* 1. *cap.* 8. *dub.* 14. *num.* 2. caſu, quo Sacerdos applicaturus indulgentiam non adſit, poſſe laicum eam moribundo applicare, quod nulla ratione probat. Rodriguez *in Bul.* §. 9. *num.* 43. tenet, ſi quis confiteatur ſua peccata in vita, vel in articulo mortis, ſine

Digitized by Google

fine obtinendi hanc indulgentiam, & ei negetur à Sacerdote abſolutio ſine cauſa, obtinere huiuſmodi indulgentiam, quia quoad Deum abſolutus ille manet. Hic modus dicendi lubricus eſt, quippè, ſi ille ſolam attritionem de peccatis mortalibus habeat, dum confitetur, etiamſi malitioſè ei denegetur abſolutio, non remanet quoad Deum abſolutus à peccatis, nec in ſtatu gratiæ conſtituitur, vnde nec indulgentiam lucrari poteſt. Deindè ſi contritionem perfectam habuerit, manebit quidem in ſtatu gratiæ, at ſi applicatio ſit omninò neceſſaria ad obtinendam hanc indulgentiam, parùm refert, quòd ex malitia ea applicatio non fiat; deficiente enim requiſito ad indulgentiam lucrandam, quocumque ex capite deficiat, illa non obtinetur, iuxta doctrinam ſæpè à nobis repetitam.

8 Cæterùm ſententia à Trullench expoſita certior eſt ob rationem ab ipſo allatam. Nihilominùs oportebit, abſente Confeſſario, fieri à laico applicationem indulgentiæ in hoc namque nullius incõmodi periculum eſt, & ſi fortaſsè vera eſſet ſententia Dianæ, commodum obtentionis indulgentiæ ex ea applicatione manaret. Verùm in caſu poſito à Diana, cum Sacerdos abeſt, iam in Bulla conceditur indulgentia plenaria obtinenda abſque applicatione ab his, qui contriti obeunt, quamvis ob defectum Confeſſarij, abſque confeſſione, dummodò tempore ab Eccleſia ſtatuto confeſſi fuerint, nec omiſerint confeſſionem ex confidentia Bullæ, de quo nos *inferiùs*.

9 In caſu etiam à Rodriguez poſito, quo ſine cauſa negaretur abſolutio, dummodò moribundus contritus eſſet, cæteraque *nuper* dicta adeſſent requiſita, poteſt dici, obtinere huiuſmodi indulgentiam, quæ contritis abſque confeſſione decedentibus conceditur; quia idem ad rem præſentem eſt, non adeſſe Confeſſarium (qui eſt caſus poſitus à Rodriguez, in quo non minùs poteſt aſſeri, deeſſe Confeſſarium in ordine ad effectúm abſolutionis, ac ſi ibi non eſſet.

10 Sed hic rogas, an debeat eſſe Sacerdos ab Ordinario approbatus, qui hanc applicat indulgentiam? Conueniunt Authores, eum, qui applicat hanc indulgentiam in vita, debere eſse Confeſsarium approbatum ab Ordinario, quia Bulla Latina ita exprimit, dum in ea Pontifex concedit facultatem eligendi Confeſsarium ab Ordinario approbatum, qui à peccatis, & cenſuris abſolutionem præſtet, & indulgentiam plenariam; quæ vox copulatiua annectit vtrumque, vt ab eodem Confeſsario exequendum. In articulo autem mortis, cum quilibet Sacerdos, etiam ab Ordinario non approbatus, habeat tamen ab Eccleſia approbationem, ac iuriſdictionem, vt tunc abſoluere queat, poterit etiam indulgentiam huiuſmodi moribundo applicare, in eiſdem ſcilicèt caſibus, in quibus poteſt à peccatis abſoluere. Et vt Bullæ virtute poteſt eligi in eo articulo Sacerdos ſimplex, qui abſoluat, in defectum alterius, iuxta dicta *in ſuperioribus*, & in ordine ad effectus ibidem expoſitos; ſic etiam, qui indulgentiam hanc applicet. Nec obſtat, eum Sacerdotem non poſſe tunc commutare vota iuxta dicta *diſp. præced.* nam longè aliter res ſe habet, cum in applicatione indulgentiæ ſuccurratur periculo ſuſtinendi pœnas in Purgatorio.

11 Trullench *vbi ſuprà num. 6.* cum Nauarro *notab. 30. n. 8. §. Quintò dico*, P. Henriquez *l. 7. de indulg. c. 6. num. 4.* cum pluribus ibi ab ipſo *in gloſſa* citatis, ſentiunt, clericum tonſuratum poſſe in abſentia Sacerdotis applicare hanc indulgentiam in articulo mortis, quia ille latè dicitur Confeſſarius, ſicut & poteſt abſoluere in eo articulo à cenſuris, & aliundè ex ſe non opus eſt, vt concedens, exequens, aut applicans indulgentiam ſit Sacerdos, vt tenet communis cum S. Tho. *in 4. diſt. 20.* In primis, ſicut de laico aſſerui *num. 8.* nullum erit inconueniens, ſi à Clerico tonſurato fiat ea applicatio in articulo mortis. Deindè, & ſi non fiat, locus adhuc datur, vt moribundus indulgentiam plenariam obtineat, vt *ibidem* libaui. Cæterùm in rigore hanc applicationem eſſe inualidam cenſeo, quod ex verbis Bullæ Latinæ probo, & ſimul arguo inconſequentiæ Ægidium Trullench. Quippè ipſe, vt probet, Confeſſarium applicantem indulgentiam debere eſſe approbatum ab Ordinario, vtitur verbis Bullæ Latinæ, quæ attulimus *num. 6.* vbi copulatiuè præſcribitur à Pontifice, Confeſſarium abſoluentem à peccatis, & applicantem indulgentiam debere eſſe ab Ordinario approbatum; vt etenim propoſitio copulatiua vera euadat, vtraque eius pars eſſe vera debet. Tunc ſic: ſed etiam copulatiuè iniungitur à Pontifice, vt ſit idem, Confeſſarius applicans indulgentiam, & abſoluens, aut potens abſoluere à cenſuris, & peccatis; ergo non poterit applicare indulgentiam, qui non potuerit à peccatis, & cenſuris copulatiuè abſoluere: ſed Clericus primò tonſuratus nequit abſoluere à peccatis in articulo mortis, ergo nec in illo applicare indulgentiam. Vndè eſtò, poſſit à cenſuris tunc abſoluere, quòd aliàs ei iuriſdictio proueniat, non tamen valet applicare indulgentiam, quia ei applicatio non permittitur, ſed reſtringitur à Pontifice ad Confeſſarium ſtrictè talem, potentem abſoluere à cenſuris, atque peccatis.

CAP. II.

Digitized by Google

CAPVT II.

An applicatio Indulgentiæ plenariæ ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis debeat fieri intra confeſſionem? An in præſentia? An ſciente eo, cui applicatur?

12 PRima concluſio. Applicatio præſentis indulgentiæ poteſt extra confeſſionem fieri. Id aſſerere debent illi omnes, qui defendunt, poſſe fieri applicationem à laico, ſeu à primo tonſurato, de quibus *cap. præcedenti*; deindè illi, qui in articulo mortis, aiunt, poſſe fieri hanc applicationem moribundo, qui amiſit loquelam, ita vt nec ſigna doloris, vt abſoluatur à peccatis, exhibuerit, cui tamen indulgentiam à Confeſſario applicari poſſe tuentur: ſcilicèt Corduba *de indulgent. quæſt.* 36. *punct.* 2. *dict.* 2. Nauarr. *notab.* 30. *de indulg. numer.* 12. Trullench *in Bul. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 19. *numer.* 4. cum Diana, Cruz, Villalobos, & aliis, quos citat *ibidem*: ſed hi, cum poſſibilis eſt confeſſio, intra illam fieri debere, docent, aut inſinuant. Noſtrum autem aſſertum abſque hac reſtrictione, ſiuè limitatione procedit.

13 Probatur. A Pontifice non iniungitur applicatio intra Confeſſionem facienda; & aliundè ex ſe indulgentiæ conceſſio, aut applicatio non exigit forum pœnitentiæ, vt omnibus eſt in confeſſo; igitur non opus eſt, intra confeſſionem applicari, nec debemus hoc indultum reſtringere, vbi concedens non reſtringit. Prima pars maioris ſuadetur; quia dum Pontifex concedit, vt quis eligat Confeſſarium, qui eum abſoluat, & indulgentiam applicet, non intendit, vt applicatio fiat, dum abſoluit, ſeu in foro pœnitentiali, ſed tribuendo ſingula ſingulis, vt ipſe Trullench fatetur; nempè, vt eligat Confeſſarium, qui eum abſoluat à peccatis in foro pœnitentiæ poſt factam confeſſionem peccatorum; qui abſoluat à cenſuris in foro conſcientiæ, etiam ſi confeſſionem non faciat; & qui applicet indulgentiam, quovis modo applicatio valeat; valet autem etiam extra confeſſionem facta. Quare vox copulatiua in hac conceſſione ſolùm copulat abſolutionem, & indulgentiam, vtramque à Confeſſario approbato per Ordinarium perficiendam, non verò intra confeſſionem; nec requirit Pontifex confeſſionem, ſicut ad abſolutionem à cenſuris dumtaxàt eam non requirit, cum poſſit quis virtute Bullæ abſolui à cenſuris, quin præmittat peccatorum confeſſionem, quod commune eſt omni abſolutioni à cenſuris.

14 Deindè non ex eo, quòd Confeſſarius requiratur ad applicationem huius indulgentiæ infertur, intra confeſſionem eſſe faciendam, quod conſtat, tum quia etiam requiritur conſilium Confeſſarij in Bulla, vt quis poſſit veſci carnibus in dubio neceſſitatis in diebus prohibitis, & tamen non opus eſt confeſſione ad id conſilium, vt diximus *diſputat.* 17. *numer.* 7. ſimiles autem ferè rationes hic militant, ac ibi: ideò namque Confeſſarius requiritur, vt recta tanti boni diſpenſatio, qualis eſt indulgentiæ applicatio, fiat à viro probo, ac docto, ſciente nimirum, cui, & quando ſit indulgentiam applicaturus, ne eam applicet homini non diſpoſito, indéque inanis euadat applicatio. Tum quia, quando confeſſio expreſsè non iniungitur vt medium ad lucrandas indulgentias, etiam ſi quis peccatorum lethalium conſcientiam habeat, non tenetur confiteri, ſatque erit, ſi contritionem eliciat, & in ſtatu gratiæ conſtituatur, vt indulgentiam obtineat in præſenti autem ad hanc indulgentiam conſequendam non præſcribitur confeſſio. Imò etſi confeſſio ad aliquas indulgentias exigatur, dum quis mortalia peccata non habet, poteſt eas abſque confeſſione lucrari, nec tenetur de venialibus confiteri, cum confeſſio exigatur ad tollendum obicem indulgentiæ, qui eſt carentia gratiæ, vt *in ſuperioribus* aſſeruimus, & tenent innumeri, quos refert Diana 1. *part. tractat. reſolut.* 107. Vnde ſaltem non habenti peccata mortalia poterit hæc indulgentia extra confeſſionem applicari; non enim plus vrgeret in hoc caſu, quàm in aliis, iniunctio confeſſionis, ſi daretur; indéque inſpicitur, non eſſe opus ex ſe, vt fiat hæc applicatio intra confeſſionem. Cum autem abſolutè non præſcribatur confeſſio, abſolutè non erit opus illa, & poterit quis, etiam ſi in mortali exiſtat, vt tutiùs indulgentiam obtineat, non ſolùm conteri; ſed confiteri, & pòſt confeſſionem, ſeu extra illam petere applicationem indulgentiæ à Confeſſario. Ex dictis liquet, falſum eſſe fundamentum Ægidij Trullench, aſſerentis, hanc indulgentiam concedi contritis corde, & ore confeſſis, quod ſi verum eſſet, inconſequenter ipſe ſtatim caſus exciperet impoſſibilitatis, in quibus extra confeſſionem poſſet applicari indulgentia: ſæpè enim diximus; & ipſe Author innumerò fatetur, impotentiam exequendi requiſitum non ſufficere, vt indulgentia obtineatur, niſi quando concedens id præcauet.

15 Secunda concluſio. Poteſt huius indulgentiæ applicatio fieri reſpectu abſentis; cum enim *nuper* fuerit probatum à nobis, poſſe fieri extra confeſſionem (quæ ſanè præſentiam pœnitentis requirit) non eſt ratio, cur nequeat abſenti præſtari, dum ille abſens formaliter, aut interpretatiuè applicationem petiit. Quod poteſt contingere in aliquibus

caſibus

Digitized by Google

caſibus, ſi quis ſcilicèt præſentem non habeat Confeſſarium, nec habere queat eo tempore, quo indulgentiam hanc obtinere poteſt, & ab eo per nuntium, aut epiſtolam poſcat applicationem, vel ſi oblitus huius indulgentiæ, cum habuit Confeſſarium, quem nequit poſteà conuenire, maximè in fine anni inſtet, ab eo abſente poſtulet, ſibi indulgentiam applicari, vel ſi Confeſſarius, poſtquam diſceſſit à moribundo, nec applicauit per obliuionem indulgentiam, & non poſſit iterum eum reuiſere, vt applicet, cum ille formaliter, aut interpretatiuè applicationem poſtulauerit. Quem caſum admittit Trullench, quamvis in aliis, & extra articulum mortis noſtram concluſionem neget, eo quòd iam præmiſerit, hanc applicationem faciendam in confeſſione, quæ inter abſentes non perficitur.

16 Confirmatur concluſio; nam omnes Authores affirmant, vt videre eſt apud eumdem Trullench, *num.* 4. poſſe applicari hanc indulgentiam moribundo, qui loquelam amiſit, nec vllum ſignum doloris præbuit ſufficiens, vt abſoluatur, dum tamen iudicetur, eum eſſe in ſtatu gratiæ; at applicatio tunc facta perindè ſe habet, ac ſi præſtaretur abſenti. ergo poteſt reſpectu abſentis præſtari. Suadetur minor, quia tunc præſentia ad nihil omninò inſeruit, cum applicans nihil in moribundo ad applicationem ſpectans inſpiciat, nec diſpoſitionem, nec petitionem applicationis; quid ergo refert, tunc ſit præſens, necne? vel quid ad rem conducens habet in præſentia, quod in abſentià non haberet?

17 Tertia concluſio. Non ſolùm cum habens Bullam petit à Confeſſario applicationem huius indulgentiæ expreſsè, verùm cum implicitè, & interpretatiuè poſtulat, poteſt ei applicari, quamvis ignoret ille, hanc fieri applicationem. Ita P. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. d.* 56. *ſect.* 1. *num.* 7. id colligens ex D. Antonino, & ex Felino: Item P. Henriq. *l.* 7. *de indulg. c.* 6 *num.* 4. citans *in gloſſ. litt.* Q Nauarrum, & Cordubam; quos ſequitur Trullench *vbi ſuprà num.* 5. Ratio eſt, quia, vt hæc indulgentia applicetur, non requiritur determinata aliqua materia præſtita ab eo, qui eſt lucraturus ipſam, ſufficitque, ſi conſtet, eum Bullam habere, & aliundè ſint conjecturæ probabiles rectæ diſpoſitionis, & capacitatis in ipſo ad obtinendum fructum indulgentiæ; illeque ſanè cenſetur virtualiter, & interpretatiuè poſcere, ſi v g. deſtitutus ſit ſenſibus, nam poſceret, ſi ſenſibus vigeret. & dum piè, Chriſtianèque vixit, iudicatur petere, quidquid ſibi concedi poteſt ad ſuæ bonum animæ; quapropter ei etiam Sacramenta Euchariſtiæ. & Extremævnctionis miniſtrari queũt. Quin ſolo ſigno doloris præſtito, conſcioque illius Confeſſario, poteſt ei abſolutionem à peccatis impertiri, quamvis, dum abſoluit, ille ſenſibus deſtitutus ignoret, quid ſibi concedatur, eſt tamen diſcrimen, quod Authores prænotant ad abſolutionem à peccatis opus eſſe ſaltem externo ſigno pœnitentis, quia requiritur materia ſenſibilis; at indulgentiæ applicationem eo non eſt opus, cum nulla materiæ requiratur.

18 Hinc laudantur Confeſſarij, qui poſt abſolutionem à peccatis, non poſtulante pœnitente, applicant ei indulgentias, quas poſſunt, & quarum ille indulto potitur; cenſeturque ille interpretatiuè eam applicationem expoſcere. Conſulendum indè eſt pœnitentibus, vt intentionem lucrandi indulgentias habeant, quas potuerint lucrari, cum enim hæc intentio ad eiuſmodi lucrationem requiratur, tutius eſt, eam præhabere expreſsè, vt poſteà iudicetur virtualiter perſeuerare. Addit etiam P. Suarez *num.* 8. poſſe Confeſſarium applicare hanc indulgentiam per verba abſolutionis Sacramentalis, dum intentionem habeat abſoluendi pœnitentem à culpis, & item per conceſſionem, ſeu applicationem indulgentiæ à pœnis. Quod conformè eſt dictis *ſuperiùs* applicationem, dum ſit animus applicandi, poſſe fieri per quæcumque verba, nutus, aut ſigna; imò & mentaliter perfici valere. Hoc vltimum negat P. Suarez *num.* 7. *in fine*; eo quòd abſolutio à pœnis, cum ſit ſententia inter homines requirat actum externum. Verùm vt aſſerui *num.* 5. cum hæc indulgentiæ conceſſio, ſeu potiùs applicatio non pertineat ad Sacramentum, non eſt neceſſe, vt ſenſibilis ſit: Et quidem in præſenti non eſt ſententia, cum non ſit abſolutè conceſſio, ſed applicatio; à Pontifice enim conceditur, medio Confeſſario, qui potiùs dicendus eſt applicare, quàm concedere. Etenim eo ipſo quòd ſit opus Confeſſario applicante, ſaluatur modus loquendi Pontificis, nempè quòd habens Bullam à Confeſſario obtineat hanc indulgentiam, hoc eſt, ab eo vt applicante; neque enim ab eo vt concedente, præſcribitur. Deindè eſtò ſit, vt à concedente, adhuc non eſt ſententia; hæc namque requirit materiæ determinatæ confeſſionem, ſeu iudicium, aut explorationem, vt ſententia ſupra, vel circa illam proferatur, vti videre eſt in abſolutione à peccatis, quæ eſt ſententia; at conceſſio huius indulgentiæ, etiam iuxta P. Suarez non requirit eam materiam, nec confeſſionem, imò nec ſcientiam, aut actum externum pœnitentis; quo igitur pacto ſententia eſt? Igitur dicenda eſt fauor præſtitus ab habente claues theſauri Eccleſiæ, diſpenſante eum, vt quis ſoluat ſua debita, ſi quæ habet; ſeu ſoluente immediatè debita iuſti Bullam habentis, quin hic ex ſe alio modo concurrat

Digitized by Google

concurrat, niſi per intentionem explicitam obtinendi hanc ſolutionem, & quin ſit opus, vt ei de illa conſtet iuxta *ſuprà* dicta, cum poſſit ſolui pro ipſo etiam ignorante, & quamvis nullum ſignum externum protulerit. Sic etiam non eſt ſententia fauor, quo quis ſoluit debitum alterius.

19 Etenim in applicatione huius indulgentiæ facta neſcienti, nec ſignum proferenti, nulla eſt irreuerentia, aut periculum culpæ contra rem ſacram, quod præcauetur, dum negatur abſolutio à peccatis ei, qui ſignum doloris non protulit: & vlteriùs, quia extra forum iudiciale applicatio perficitur, ſententia non eſt, ideóque per actum internum poteſt perfici. Fateor tamen, conſultius eſſe, per verba, aut nutus externos eiuſmodi indulgentiam applicare; imò, vt abſit errandi periculum, verbis vti in Hiſpana Bulla præfixis, quod etiam & ipſorum habentium Bullam pietati, & ſolatio eſt magis conſonum.

20 Duo hic cum communi Expoſitorum aduertas. Alterum, etſi à Pontifice concedatur facultas eligendi Confeſſarium, qui abſoluat à quibuſcumque peccatis, & cenſuris, & applicet indulgentiam, non ita eſſe intelligendum, vt opus ſit, habere quem peccata, & cenſuras, à quibus abſoluatur, vt ei ſimul indulgentia applicetur; ſed ſenſus eſt poſſe eligere Confeſſarium, qui abſoluat eum à quibuſcumque peccatis, & cenſuris, ſi forſan ſit illis irretitus; & poſſe eligere Confeſſarium, qui ei præſentem applicet indulgentiam. Quippè irrationabiliter diceretur, hanc concedi indulgentiam ei, qui peccatis, & cenſuris innodatus abſolutionem expoſceret, & non aliis, ita vt alij deterioris eſſent conditionis, quia minùs peccatores; quod extra Pontificis mentem eſſe, apertè liquet, nec ipſius verba id ſignificant.

21 Alterum, hanc poſſe applicari indulgentiam etiam ei, qui peccauit ex confidentia Bullæ, & negligens fuit in confeſſione annua. Etenim, licèt ei non ſuffragetur indulgentia explicanda *cap.* 4. quia ab ea obtinenda excluditur expreſsè à Pontifice, eam reſtrictionem conceſſioni apponens, tamen eiuſmodi reſtrictionem huic indulgentiæ plenariæ applicandæ per Confeſſarium non adiunxit; quare nec nos reſtringere debemus. Imò, cum exceptio firmet regulam in contrarium, & indulgentia conceſſa his, qui contriti obeunt abſque confeſſione, excipiantur à lucratione illius hi, qui negligentes fuerunt ex confidentia Bullæ, infertur indè, eos in præſenti, vbi abſque reſtrictione conceditur indulgentia per Confeſſarium applicanda, non excipi; alioqui etiam hic exciperentur, in quo ſenſu affero nunc eam regulam, *exceptio firmat regulam in contrarium*; nempè vt vbi nulla datur exceptio, cum tamen poſſet eſſe locus exceptioni, nullus intelligatur exceptus; & præthereà, quòd exceptio in vno caſu poſita, in alio omiſſa, firmum facit reſpectu omnium indultum in eo caſu in quo omittitur.

22 Poteſt prætereà hæc indulgentia applicari etiam eis, qui Bullam acceperunt in ſtatu peccati mortalis exiſtentes; nam ſtatus gratiæ in accipiente non requiritur, vt poſteà Bullæ fruatur priuilegiis, & gratiis. Vide dicta *diſputat.* 4. *cap.* 1. nempè acceptio Bullæ eſt conditio neceſſaria quidem ad gaudendum eius indultis, ac indulgentiis, ſed non eſt vltimum requiſitum ad indulgentiam præſentem, imò nec ad vllam aliam ex contentis in ipſa Bulla, cum in ea aliquod aliud medium, opus, aut conditio peragenda præſcribantur in ordine ad lucrandam quamvis indulgentiam ex his, quas continet, vt ex decurſu conſtat, ſolum autem vltimum requiſitum ad indulgentiam neceſſariò fore in ſtatu gratiæ peragendum, ſtatuimus *diſp.* 6.

CAPVT III.

Quis dicatur articulus mortis, in quo indulgentia plenaria per Bullam applicanda conceditur.

23 Aſſertum eſt à nobis in articulo mortis concedi indulgentiam plenariam à Confeſſario applicandam, in quo etiam articulo poteſt Confeſſarius per Bullam electus à quibuſcumque peccatis, & cenſuris moribundũ abſoluere, vt expoſuimus *in ſuperioribus*, huc remittentes explanationem articuli mortis; quis ergo ſit, aut intelligatur eiuſmodi articulus, nunc exponemus. Articulus mortis ille eſt, in quo iam de alicuius vita deſperatur, eo quòd mors appareat infallibiliter proxima, & ineuitabilis per media naturalia, ſeu ita moraliter inſtat proximè mors, vt ſpem tollat eam impediendi, attentis ſignis, quæ moralem eius certitudinem generat. A mortis articulo diſtinguitur mortis periculum, rigoroſè ſumptum, hoc enim tunc datur, cum adeſt probabile mortis dubium, eo quòd in ſimili euentu ſoleat mors frequenter accidere; vnde prudenter timetur fore, vt tunc etiam contingat. Exempla ſint; ægritudo aut febris acuta in eo iam ſtatu, ex quo alij plures non euaſerunt, nauigatio valdè periculoſa, in qua eſt valdè commune naufragium; hoſtile prælium, in cuius conflictu mors frequens debacchatur, tranſitus per viam præ hoſtibus, aut præ donibus malè tutam, in qua non pauci ſunt interfecti, partus fœminæ, qui iudicetur, inſpectis circunſtantiis periculoſus, & his ſimilia. Cęterùm mortis articulus

Digitized by Google

articulus alius eſt ab intrinſeco, cum ſcilicet quis vulnere, aut febri lethali laborat, alius ab extrinſeco, cum ad mortem damnatus iam propè ſupplicium verſatur, aut, cùm naufragium proximè inſtat, vel mors violenta ab alio infligenda imminet ferè ineuitabiliter. Idem proportionatè eſt de periculo mortis.

24 Igitur cenſuerunt aliqui, cum facultas datur ad abſoluendum (idem eſt applicandum ad indulgentiam, nec inter vtrumque eſt diſparitas, quare, quod de vno aſſeritur, de altero pariter eſt intelligendum) in articulo mortis, non extendi eam ad mortis periculum. Ita Couarrub. *in cap. Alma mater, part.* 1. §. 11. *num.* 8. Sotus, Canus, P. Valentia. quos citat Trullench *in Bul. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 4. *num.* 3. *Diana* 1. *part. tr.* 11. *reſolut.* 106. Sententia oppoſita communis eſt, quam tenent Nauarr. Medina, Paludan. Adrian. Syl. ueſt. quos refert, & ſequitur P. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. d.* 26. *ſect.* 4. *num.* 3. Præterea D. Antoninus, Angelus, Tabiena, Armilla, Alexander, Corduba, Ledeſma, Taper, Innocentius, Ioannes Andreas, Panormitanus, Hoſtienſis, Adrianus, Catechiſmus Pij V. Directorium Curatorum, quos affert P. Henriq. *lib.* 3. *de pœnitent. c.* 11. *num.* 3. *in gloſ. litt. Q. & eo numero in textu* ſequitur hanc ſententiam; rurſúſque *in gloſſa* oppoſitam vocat ſubtilem nouitatem quorumdam. Item Antonius Gomez *in Bul. ad decimam clauſulam num.* 13. citans Bartolum, Iaſonem. Felinum, Ripam, & Baldum. Præterea Rodriguez *in Bul.* §. 9. *num.* 38. (quamuis periculum mortis nimis ibi reſtringat, & ferè cum mortis articulo confundat.) Cruz *in Bul. d.* 1. *c.* 3. *dub.* 16. & Trullench *vbi ſuprà, & dub.* 19. *n.* 11. Cardinalis Lugo *de pænit. d.* 18. *ſect.* 2. *n.* 20. Demùm gloſſa *in c. paſtoralis, §. præterea, de officio ordinarij, & in c. quod in te, verbo Pœnitentia, de pænit. & remiſ.*

25 Hæc ſententia cõmunis, ac benignior eſt vera, & in praxi amplectenda. Probatur primò. Etſi articulus, & periculum mortis inter ſe metaphyſicè diſtinguantur, tamen moraliter in ordine ad effectus ſupradictos pro eodem habentur, ac enumerantur in iure: ergo iuxta modum loquẽdi in iure vſitatum, & inter ipſos Pontifices frequentem, Pontifex in Bulla articulum mortis deſignat, confundens nempè articulum, & periculũ mortis, prout in iure confunditur, dum in eodem contextu, in aliquibus capitibus, id, quod vocatum fuerat articulus mortis, iterum periculum mortis nuncupatur; aliquando verò ſolum aſſeritur periculum mortis, vbi tollitur aliqua reſeruatio, quæ reſeruatio in articulo mortis auferri in eodem iure alibi dicitur; vnde conſtat pro eodem vſurpari vtrumque. Videantur, & conferantur inter ſe *cap. ſi quis ſuadente,* 17. *q.* 4. *& cap. non dubium, de ſentent. excommun.* Item *c. eos qui, de ſent. excom. in* 6. Demùm *c. ea noſcitur,* 13. *c. quod de his* 26. *cap. quamuis,* 58. *de ſent. excomm.* & ibi ordinarij Interpretes.

26 Probatur ſecundò. Si hoc Bullæ indultum circa abſolutionem à peccatis, & cenſuris reſeruatis quibuſcumque ſolùm pro articulo, & non pro periculo mortis concederetur, vt plurimùm eſſet inane, & fruſtraneum; hoc non eſt admittendum; ergo. Maior ſuadetur. Qui peccatis, & cenſuris innodatus exiſtit, tenetur confiteri in periculo mortis, nec expectare poteſt articulum; tum quia exponeretur periculo non confitendi, ſi in phreneſim, aut lethargum incideret, aut amitteret, ſenſus, aut mors ſubitò eueniret; tum quia in periculo mortis tenetur accipere Euchariſtiam ægrotans; ad quam confeſſio præcedit; at, ſi tunc confiteatur ritè, & validè cum Confeſſario potente eum abſoluere, non reſtat, ad quid egeat abſolutione à peccatis illis, & cenſuris, à quibus abſolutus eſt, dum poſt periculum mortis, accedit illicò articulus ipſius; igitur indultum illud eſſet fruſtraneũ, & inane; præcipuè cum in articulo mortis non poſſit facilè moribundus ſuorum peccatorum plenam facere confeſſionem ob inſtantis mortis anguſtias. Quid? quòd valdè incertũ ſit, quà hora ille articulus ſit ſuperuẽturus, forſanque, cum adhuc non timetur proximè, contingat, nullo ibi præſente Confeſſario: credendũ ergo non eſt, Pontificẽ intendiſſe, inter dubios adeò, ac lubricos euentus ad articulum mortis abſolutionem differri.

27 Exindè ad applicationem indulgentiæ plenariæ argumentũ efformo. Applicatio indulgentiæ cõceditur eo ipſo mortis articulo, ſeu periculo, quo abſolutio; nec Pontifex inter applicationem, & abſolutionem diſcernit; concedit imò, vt ab eodem Confeſſario quis abſolutionem, & indulgentiam obtineat intra ipſam confeſſionem, ſi velit: ergo, ſi abſolutio poteſt præſtari non ſolùm in articulo, ſed etiam in periculo mortis, ſimiliter poteſt & indulgentiæ applicatio.

28 Demùm ratione generali probatur aſſertum, confirmaturque prima ratio ſuperior. In moralibus periculum perindè exiſtimatur, ac euentus ipſe, ideòque qui ſe vltrò in peccandi periculum immittit, peccat, & propterea etiam tenemur in periculo mortis confiteri, quia morti proximi iudicamur, morſq; quaſi certa, & euentura putatur; igitur periculum mortis in ordine ad abſolutionem, & applicationem indulgentiæ cenſetur extremum, haud ſecùs ac articulus mortis, & in vtroque neceſſitas abſolutionis, & indulgentiæ exiſtimatur æqualis. Periculũ nempè in præſenti intelligimus proximum, non remotum

Digitized by Google

motum, illud ſcilicèt, quod maximum generat mortis timorem, aut dubium, & non æquam vitæ ſpem relinquit.

29 Opponunt tamen primò. Hæc conceſſio abſolutionis à Confeſſario eligendo faciendæ eſt contra ius commune, ergo reſtringenda eſt ad articulum mortis, non extendenda ad periculum. Reſpondeo, nullam fieri extenſionem à nobis, cum vox *articulus mortis* ſignificet in iure periculum, & articulum. Deinde ea ſignificatio debet aptari, qua reddatur priuilegium aliquid operans, & non inane, & quæ ſit manifeſtè de mente concedentis; conſtat autem ex dictis non poſſe hæc ſaluari in alia ſignificatione ſtrictiori. Denique hæc conceſſio eſt fauor, atque adeò non reſtringendus, ſed ampliandus; nec contra ius commune, ſed ſupra, vel præter illud. Vide, quæ in ſimili diximus in generali de omnibus priuilegiis Bullæ *ſuperiùs diſp.* 1. *n.* 46. vbi omnia ea priuilegia latè eſſe interpretanda probauimus; vnde & hoc non eſſe reſtringendum colligitur.

30 Opponunt ſecundò. Articulus ſignificat momentum, ergo non poteſt extendi ad ſignificandum periculum. Reſpondeo, eſtò metaphyſicè, & grammaticè id dumtaxat ſignificet, at in præſenti vtrumque ſignificare ob rationes, quas *ſuprà* confecimus.

31 Ex prædictis rationibus infertur, articulum, & periculum mortis, de quibus adhuc, non ſolùm intelligendum eſſe verum, ſed etiam præſumptum. Verum eſt, ad quod ſequitur de facto mors; præſumptum ad quod mors, quæ timebatur, non ſequitur, ſed rationabiliter, & prudenter exiſtimabatur fore ſequutura, aut de ea proximus, & prudens dabatur timor. Etenim in eo periculo tenemur confiteri, inaneque eſſet hoc indultum, ſi pro eo non operaretur. Rursùs, hoc periculum iudicatur in moralibus perindè, ac euentus; quare qui in periculum præſumptum peccandi ſe inijceret, peccaret. Demùm, quia, cum in iure conceditur indultum pro articulo mortis, vel in aliquo priuilegio, dummodò non exprimatur articulus verus, non eſt reſtringendus, ſed ſumendus pro vero, vel præſumpto; Ita docent Gerſon *de abſolut. Sacram. alphab.* 33. D. Antonin. 1 *p. ſum. tit.* 10 §. 3. Gabriel *in* 4. *diſt.* 45. *quæſt.* 4. *num.* 3. *dub.* 1. Rodriguez *in Bul.* §. 9. *num.* 38. *dicto* 2. Nauarrus, & Corduba, quos refert, & ſequitur Trullench *in Bul. l.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 19. *num.* 8. Et quamuis hic Author de Articulo mortis præſumpto, non de periculo loquatur; ſanè ſemel admiſſo, articulum, & periculum indiſtinctè accipi, eodem modo de vtroque eſt philoſophandum, maximè cum rationes *ſuprà* factæ in vtroque ferè eamdem vim retineant.

32 Confirmatur. Quia in periculo præſumpto, cum quis tenetur confiteri, poteſt per Bullam abſolui à peccatis, & cenſuris reſeruatis, ita vt poſteà ſuperuiuens non egeat alia abſolutione; alias inane eſſet priuilegiū eligendi confeſſarium in articulo mortis, vt abſoluat à reſeruatis, ſiquidem quilibet Confeſſarius, imò Sacerdos, ſimplex in abſentia alterius approbati, poteſt abſoluere abſque vllo priuilegio in mortis articulo, ab omnibus peccatis, & cenſuris reſeruatis, dum tamen pænitens abſolutus, ſi ſuperuiuat, à legitimo poſteà Confeſſario abſoluatur iterùm, & coram illo compareat, argumento textus in *cap. eos, de ſentent. excom. in* 6. Igitur vt aliquid operetur ſpeciale Bullæ priuilegium, vim habet, etiam ſiquis poſteà ſuperuiuat; at, ſi ſuperuiuat, articulus, aut periculum mortis non fuit verum, & reale cum effectu moriendi, ſed præſumptum: ergo in præſumpto valet eiuſmodi priuilegium.

33 Confirmatur vlteriùs. Extremaunctio præcipitur miniſtrari in articulo mortis; & tamen in præſumpto articulo ritè miniſtratur, cum multi poſt illius acceptionem ſuperuiuant; ergo articulus mortis ſumitur pro vero, vel præſumpto. Nec hinc contra dicta *ſuprà* argui rectè poteſt ex eo, quòd Extremaunctio, quæ in mortis articulo miniſtranda eſt, non poteſt in periculo mortis miniſtrari. Etenim Extremavnctio præcipitur miniſtrari in mortis articulo extremo, cum æger iam omnino in exiſtimatione adſtantium morti appropinquat; ad quod tempus non eſſe differendum hoc Bullæ priuilegium, patet, tum quia cum Extremaunctio miniſtratur, ſupponitur miniſtratum Sacramentum pœnitentiæ, in quo æger eſt abſoluendus, & Euchariſtiæ, ſi capax ſit ille receptionis vtriuſq; tum quia in ea circunſtantia, in qua Extremaunctio miniſtratur, vt plurimùm non eſt in ægroto facultas, vt confiteatur peccata, & obtineat ab eis, & à cenſuris abſolutionem; imò debet confiteri, antequam ad eum ſtatū perueniat. Quæ omnia manifeſtè oſtendunt, non eſſe ſumendum articulum mortis, pro quo conceditur abſolutio, in eo rigore, in quo ſumitur Extremæ vnctionis miniſtratio, quæ deſtinata eſt ad eos, qui in vltimo vitæ conflictu verſantur, & cuius dilatio ad vltimum vitæ interuallum affert magna moribundo commoda; ſecùs in abſolutione iuxta dicta contingit. Ab abſolutione autem ad applicationem indulgentiæ in articulo, aut periculo mortis etiam præſumpto vim retinet ratiocinatio facta *n.* 27.

34 Obſeruandum hic eſt, cum Trullench *dub.* 4. *num.* 2. P. Suar. & P. Thom. Sanchez, quos ille affert, periculum amentiæ diuturnæ, aut perpetuæ iudicari periculum mortis; atque

Digitized by Google

atque adeò tunc tenetur quis confiteri, ideóque poſſe per Bullam abſolui. Prætereà contra P. Sa, *verbo abſolutio n.* 4. damnatos ad triremes non eſſe cenſendos in periculo mortis, niſi nauigatio ſit valdè naufragijs expoſita. Et quidem ſæpè triremes ad portum accedunt, in quo, ſi inſtet nouum periculum, poterunt abſolui à Sacerdotibus, qui ibi adſunt; vel in ipſis triremibus communiter Sacerdotes nauigant, qui ſuperueniente procella periclitantes abſoluant. Rursùs cum Couarrub. *in c. Alma mater, part.* 2 §. 3. *num.* 1. contra Syluestrum, *verbo abſolutio* 1. §. 10. non omnes prægnantes, dum partus inſtat, poſſunt gaudere hoc Bullæ priuilegio, niſi illæ, quæ ob difficiles partus iam expertos, vel ob eum, quem ob circunſtantias præſentes rationabiliter metuunt, fore difficilem, in periculo mortis ſunt; cœteræ enim non iudicantur in eo periculo conſtitutæ.

35 Denique obſerua cum Corduba, & P. Sanchez, quos citat, & ſectatur *ibidem* Trullench *n.* 6. ſi quis propria ſponte, & abſque vrgenti cauſa, in periculum proximum mortis ſe immittere velit, non fruiturum eſſe hoc Bullæ priuilegio, præſtito quidem conſtitutis iam in periculo mortis, ille verò non eſt conſtitutus, ſed vult ſe ipſe conſtituere; vnde ipſe, ſi ab ea voluntate deſiſtat, vt poteſt, periculi manet expers. Quod intelligendum eſt non ſolùm de eo, qui voluntariè immittit ſe periculo, peccans in eo ipſo actu, quem aggreditur; vt qui ad duellum progreditur: hic enim aliundè abſolui nequit, nempè quia eſt indiſpoſitus, & in ſtatu actualis peccati; verùm de eo, qui temerariè ſe periculo obijcit peccans quidem in temeritate, non verò in actu, quem intendit, indiſpoſituſque etiam exindè ad abſolutionem exiſtens; vt qui ad augendas diuitias nauigationem vult ſuſcipere periculoſam. Cœterùm hi, dum iam in periculo ſunt conſtituti, & aliundè rectè diſpoſiti, ſi periculum vitare non poſſint, valebunt abſolui; quia & ſi in aggrediendo periculum peccauerint (quippè non licet abſque cauſa vrgenti periculo mortis ſe exponere, ſupponimus autem eos vrgentem non habuiſſe cauſam, ſed voluntariè, & non cogente neceſſitate, voluiſſe periculum) tamen non eſt, cur poſteà indulto hoc non potiantur, cum nulla ſit ratio, ob quam illud amiſerint, nec excipiantur in priuilegio, quominùs eiuſdem fauore gaudeant.

CAPVT IV.

De Indulgentia plenaria conceſſa per Bullam Cruciatæ his, qui contriti abſque confeſſione decedunt.

36 VT Pontifex etiã ſuccurrat his, quibus in articulo mortis indulgẽtia plenaria nõ poſſit applicari, vel quia ſubitò moriũtur, aut quia Confeſſarius abeſt, concedit, vt eamdem indulgentiam plenariam virtute Bullæ adipiſcantur, ſi contriti, etiam abſque confeſſione obeant, dum fiducia huius conceſſionis non fuerint negligentiores; ſcilicèt negligentiores, quàm fuiſſent, ſi huic non inniterentur conceſſioni; negligentia autem quænam futura fuerit, exprimitur à Pontifice in Bulla Latina, declaraturque à Commiſſario Generali in Bulla Hiſpana, nempè in confeſſione perficienda ſtatuto tempore ab Eccleſia; cum enim præmiſiſſet Pontifex, concedi hanc indulgentiam his, qui priùs ſtatuto tempore confeſſi fuerint, ſtatim addit: *& neque huius conceſſionis fiducia negligentiores fuerint*; videlicet in confeſſione facienda ſtatuto tempore, nec enim ad aliud poteſt referri negligentia, niſi ad immediatum, quod præceſſit.

37 Tempus ſtatutum, in quo quis debet confiteri, eſt ſemel in anno, & prætereà cum Euchariſtiam accipit vel voluntariè, vel ex præcepto, tempore Paſchatis, & demùm quando eſt conſtitutus in mortis periculo proximo. Fiducia autem, aut confidentia in hac conceſſione poteſt eſſe duplex, alia poſitiua, alia negatiua cum peccatur per poſitiuam, dicitur peccari ex confidentia cum per negatiuam, aſſeritur, delinqui cum confidentia. Vtriuſque explicationem dedimus *diſp.* 4. *num.* 2. Fiducia ergo, quæ obeſt lucrationi huius indulgentiæ, eſt ſola poſitiua, qua ſcilicèt quis confeſſionem ſtatuto tempore omittit, fidens, in articulo mortis virtute Bullæ [illegible] concedendam abſolutionem ab omnibus peccatis, ac cenſuris, & ſimul indulgentiam plenariam; non omiſſurus confeſſionem, [illegible] in Bulla confideret, ita vt quaſi [illegible] Ego ſanè confiterer mea peccata [illegible] ſuffragium non adeſſet, [illegible] nolo confiteri, nam [illegible] ſoluar. Quod eſt [illegible] confidentia Bullæ.

38 Aſt confidentia [illegible] na non [illegible]

abſoluendum, obtenturumque tunc fore indulgentiam; ita vt, etiam ſi ſibi non adeſſet Bullæ remedium, aut fauor, eodem modo omitteret negligenter confeſſionem, ſolatium tamen ex Bulla, quam habet, ſibi comparat. Hanc autem fiduciam non eſſe, quæ in præſenti clauſula excipitur, patet, quia in ea aſſeritur, non concedi hanc indulgentiam his, qui negligentiores fuerint in confeſſione debita, fiducia huius conceſſionis, at ille non eſt negligentior propter hanc fiduciam, quàm eſſet, ſi eam non haberet, cum negligentia ex ſua malitia, aut fragilitate ortum adæquatè habeat; ergo hic non excipitur in præſenti ab hac indulgentia obtinenda. Hoc verò eſt, negligentem quem eſſe cum confidentia Bullæ. Contritus autem debet obire, qui obtenturus eſt hanc indulgentiam, ſcilicèt ſi mortalium peccatorum conſcientiam habeat, quod ſi nō habet, cum non ſit obex ad indulgentiæ fructum, abſque contritione actuali obtinebit indulgentiam: contritio enim præſenti requiritur, vt obicem tollat, ſicut ad idem in aliis indulgentiis exigitur confeſſio, ſine qua tunc poſſunt obtineri, ſi non ſint obtinente peccata mortalia, vt ſæpè diximus.

39 Cæterùm *fiducia huius conceſſionis* appellat ſuprà conceſſionem immediatè antecedentem de electione Confeſſarij, à quo in articulo mortis quis obtineat abſolutionem, & indulgentiam: ne quis indè anſam arripiat omittendi confeſſionē ſtatuto tempore, huic fidens indulto; quod debuit præcaueri, ne hominum creſceret negligentia, confeſſionem etiam ſtatuto tempore recuſantium. Poteſt etiam *fiducia huius conceſſionis* appellare ſupra hanc ipſam conceſſionem dumtaxat indulgentiæ plenariæ factam his, qui contriti abſque confeſſione decedunt; licèt videatur potiùs cadere ſupra primam conceſſionem, vtpotè ex qua poſſet anſa negligentiæ frequentiùs capi. Si dicas, non benè præcaueri, ne hanc indulgentiam lucrentur hi, qui ex confidentia ipſius confeſſionem omitterent, cum nullus poſſet talem confidentiam habere obtinendi indulgentiam, à qua expreſsè exciperetur. Reſpondeo: præcaueri poſſe, ne exiſtiment, ſe hanc indulgentiam obtenturos; quòd ſi per errorem id exiſtimarent, adhuc non illis ſuffragaturam hanc indulgentiam. Inſtoque manifeſtè: nam Bulla compoſitionis præſtatur his, qui bona ſurripuerunt, quorum domini ſunt incerti, aut Horas Canonicas omiſerunt, cum fructibus gaudeant Eccleſiaſticis: & tamen excipiuntur, ne priuilegio eiuſmodi Bullæ potiantur, qui ex confidentia ipſius vel Horas Canonicas omiſerunt, vel bona incerta ſibi iniuſtè compararunt. De his ergo dicere ſimiliter poteris, non valuiſſe eam in Bulla confidentiam habere circa reſtitutionis compoſitionem; cum expreſsè in eadem Bulla excipiantur, quominùs eius queant vti fauore. Ad vtrumque itaque eodem modo eſt reſpondendum, ſi *fiducia huius conceſſionis*, ſecundo modo intelligatur, quæ quidem intelligentia videtur probabilis, cum vox *huius conceſſionis* innuat conceſſionem ipſam indulgentiæ, cui ea reſtrictio adiungitur.

CAPVT V.

De ſepultura Eccleſiaſtica, quæ in Bulla Hiſpana exprimitur concedenda tempore interdicti his, qui contriti abſque confeſſione decedunt.

40 IN Bulla Latina hæc clauſula non extat, ſed includitur in conceſſione generali: qua indulgetur omnibus habentibus Bullā, vt tempore interdicti ſepultura Eccleſiaſtica cum moderata pompa funerali donentur, quam conceſſionem, & quidquid ad eam attinet, expoſuimus *diſp.* 15. *cap.* 5. Et quidem ſi omnes habentes Bullam, præter eos, qui obeunt excommunicati, dum non abſoluuntur, poſſunt eo tempore ſepultura gaudere Eccleſiaſtica: ergo & hi, qui contriti abſque confeſſione decedunt. Quare hæc clauſulæ appoſitio dumtaxat fuit declaratio quædam Commiſſarij, ſpecialiter exprimentis eos, quos in clauſula generali, ipſe etiam *ſuperiùs* comprehenderat; & fortaſsè hoc expreſſit, ne aliquis apparenti qualibet ratione dubitaret, an hi, qui non confeſſi obibant, priuilegio ſepulturæ à Bulla conceſſo potirentur. Dixi *apparenti*: nam ratio probabilis nulla eſſe poterat; cum hic, qui contritus decedit, tempore non interdicti abſque dubio ſepultura Eccleſiaſtica donetur. Bulla autem reſpectu eius tollit interdictum in ordine ad ſepulturam, dum tamen funeralis pompa ſit moderata.

41 Qui obit excommunicatus, virtute Bullæ ſepeliri non poteſt, niſi abſoluatur. Nec priuilegium Bullæ ſe extendit ad tempus ceſſationis à diuinis. In quo tamen, licèt officium Eccleſiaſticum defunctorum non poſſit perfici, ſepulturam Eccleſiaſticā abſque illo, nullo iure eſſe prohibitam contra communiorem tenet P. Suarez *tom.* 5. *de cenſur. in* 3. *part. d.* 39. *ſect.* 2. *n.* 29. Quod intellige, ſi ſimul cum ceſſatione non vigeat interdictum, ab illa ſeparabile: nam interdictum priuat ſepultura Eccleſiaſtica: in hoc tamen caſu nihil operatur Bullæ priuilegium quoad ſepulturam. Nomine autem ſepulturæ Eccleſiaſticæ intelligitur ſepultura in loco, vbi Miſſa celebrari poteſt, & item in cæmeterio, ſiuè Eccleſiæ contiguo, ſiuè ab illa disiuncto. Videatur P. Suar. *vbi ſuprà diſp.* 12. *ſect.* 4. *n.* 6.

41 Sed

Digitized by Google

42 Sed inquires, à quo abſolui debeat excommunicatus defunctus? an virtute Bullę poſſit ei abſolutio impertiri? Ad deciſionem quæſtionis ſupponenda eſt doctrina, quam eruditè tradit idem P. Suarez *d. 7. ſect. à num.* 3: ſcilicèt, eum, qui obiit excommunicatus, quantumvis in gratia deceſſerit, indigere abſolutione: *cap. à nobis, cap. ſacris, de ſent. excommun. cap. is cui, eodem titulo in 6.* Contrarium videtur ſenſiſſe Paludanus *in 4. diſt. 18. quæſt. 1. art. 1. num.* 8. Attamen Nauarrus *in ſum. cap. 27. num.* 271. cum aliquibus, tenet mortuum non propriè abſolui; ſed declarari, obiiſſe coram Deo abſolutum, vt poſſint pro eo orationes offerri. Hunc modum dicendi ſequitur Rodrig. *in Bul. §. 10. in fin.* Villalob. *tract. 27. clauſul. 10. n.* 3. Trullench *in Bul. lib. 1. §. 7. c. 2. dub. 20. n.* 4. Vbi hi addunt, hanc declarationem, cùm non ſit abſolutio, non poſſe fieri à potente abſoluere; ſed neceſſariò à iudice, aut ſuperiore faciendam: de quo *infrà.*

43 Nihilominùs modus loquendi in iure frequens de abſolutione excommunicati defuncti rectus eſt, & proprius: quamvis enim cenſura non poſſit in mortuum ferri; tamen reſpectu illius, quæ lata fuit, aliquo modo manet, ſiquidem ratione excommunicationis corpus inhabile eſt ad ſepulturam Eccleſiaſticam, & anima ad participandum orationes, & ſuffragia Eccleſiæ, cum duret prohibitio reſpectu viuorum, ne pro illa orent. Vnde abſolutio defuncti eſt vera ablatio huius vinculi, provt durat; ſcilicèt ablatio prohibitionis Eccleſiæ, qua viuentes orare pro eo defuncto non poterant, & quia prohibebatur, eius corpus ſepulturæ Eccleſiaſticæ tradi. In quo ſenſu ſaluatur, eſſe propriè abſolutionem illam defuncti, ad quam tamen præſtandam, opus eſt, ſigna contritionis ante mortem exhibuiſſe, vt à contumacia recedens ad Eccleſiæ obedientiam rediiſſe cenſeatur; alioquin indignus eſſet abſolutione, & ſine fructu ei concederetur.

44 Addit ergo P. Suarez, quem ſequor, vt quæſito ſatisfaciam, defunctum non poſſe abſolui à quolibet Sacerdote; ſed ab illo tantùm, à quo viuens abſolui potuiſſet, eo quòd ceſſauerit iam articulus mortis, in quo quivis Sacerdos poteſt abſoluere, vnde debet abſolui ab habente iuriſdictionem ordinariam, aut delegatam, reſpectu illius cenſuræ, qua innodatus exiſtebat. Cum igitur poſſit habere eiuſmodi iuriſdictionem ad abſoluendum aliquis, qui non ſit iudex, aut Superior, non benè ad hos ſolos reiiciunt abſolutionem, ſeu, vt vocant ipſi, declarationem, Trullench, Rodriguez, & Villalobos *ſuprà num.* 42. citati. Et quidem, cum oſtenderimus, eſſe eam propriè abſolutionem ab aliquo vinculo, non eſt cur nequeat eam mortuo impertiri, qui poterat viuo.

45 Hoc tamen ſic limitandum eſſe cenſeo, vt is poſſit abſoluere, qui poterat antecedenter ex propria iuriſdictione ordinaria, aut delegata; non verò is, qui ex ea non poterat, quamvis virtute Bullæ poſſet eligi ab eo, qui iam obiit, dum viueret, vt à cenſura abſolueretur. Etenim Pontifex habenti Bullam concedit, vt eligat Confeſſarium, qui eum abſoluat ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis à quibuſcumque cenſuris, & peccatis reſeruatis ſpecialiter, & ab aliis toties quoties, dum viuit; non verò poſtquàm obiit: eius enim morte ceſſant priuilegia, quibus fruebatur, præter priuilegium ſepulturæ Eccleſiaſticæ, & ſanè poſt mortem eligere non poteſt formaliter, aut interpretatiuè Confeſſarium, qui eum abſoluat: electio enim ad viuentem attinet, non ad defunctum. Vnde virtute Bullæ defunctus abſolui nequibit.

46 Quòd ſi quis è vita decedat excõmunicatione occulta innodatus, aſſerit Nauarrus abſolutionem non eſſe procurandam, ne publicetur delictum; & quidem ſi contritus obiit, quoad Deum manet abſolutus, nec fideles prohibentur pro illo orare; quia non tenentur abſtinere à communione ciuili, nec ſacra, reſpectu excommunicati, niſi ſit publicè denuntiatus, aut publicus Clerici percuſſor; imò ſubiungit P. Suarez, non videri eſſe ex intentione Eccleſiæ, vt ille decedens in gratia priuetur communibus ſuffragiis Eccleſiæ; at tutius eſſe, ſi commodè fieri poſſit, eum abſolui ſecretò à cenſura, vt fruatur eiuſmodi ſuffragiis, ſi fortè verior ſit ſententia, eum non frui illis, dum non abſoluitur.

47 Si verò quis excommunicatus vitandus in loco ſacro ſepeliatur, quomodo exhumandus, & reconciliandus locus, vtpotè pollutus, ſi corpus diſcerni poſſit à cęteris, nec niſi exhumetur, celebranda ſint ibi officia diuina, aut alia fideliũ corpora ſepelienda; Videatur Pater Suarez *eo tom. diſp. 12. ſect. 4. num.* 4. extra rem enim noſtram eſt. Ibi etiam conſtabit poſt Extrauagantem, *ad euitanda*, quæ extat in Concilio Baſilienſi *ſeſſ. 20. ad fin.* (non in Conſtantienſi, in quo non extat, licèt ex illo à non paucis referatur) non omnes excommunicatos fore vitandos: vndè infertur, nec omnium excommunicatorum corpora exhumanda eſſe, ſi ſepulta ſint in loco ſacro; ſed dumtaxàt eorum, qui erant vitandi.

48 Fine *huius capitis* aduerte, cum in hac clauſula aſſeritur, ſepeliri poſſe in loco ſacro eos, qui indulgentiam plenariam expoſitam lucrantur non excludi cæteros habentes Bullam, etiam ſi eam non lucrentur, quo-

minus poſſint tempore interdicti in loco ſacro tumulari, dummodò excommunicati non obeant: hoc enim priuilegium omnibus conceſſum eſt, qui Bulla Cruciatæ gaudent, vt expoſuimus *diſput.* 15. *cap.* 5. & fortè expreſſum fuit in ſpeciali in præſenti, non vt cæteri excluderentur; ſed ob rationem attactam *ſuprà num.* 40.

DISPVTATIO XXVIII.

De acceptione Bullæ Cruciatæ Communis Viuorum bis eodem anno in ordine ad aliqua priuilegia iteratò fruenda.

1 ASſeritur in Bulla Latina ſpeciali. *Ac vti idem omnes Chriſti fideles non tantùm ſemel, ſed bis ſingulo quoque anno, quo idem ſummarium ſumpſerint, tàm per ſe, quàm per modum ſuffragij pro animabus in Purgatorio detentis, indulgentias, conceſſiones, gratias, & indulta prædicta conſequi: eiſque infra eumdem annum bis (vt præfertur) vti, & potiri, gaudere, ac dictorum bonorum ſpiritualium participes fieri valeant, in Domino miſericorditer concedimus, & elargimur.* In Bulla Hiſpana ſic extat. *Otro ſi, ſu Santidad por ſu Breue particular ha concedido à todos los fieles Chriſtianos que tomaren eſta dicha Bula dos vezes en el dicho año, que puedan otra vez en la vida, y otra en el articulo de la muerte, demas de la que arriba eſtà concedida, ſer abſueltos de todos y qualeſquier pecados, crimines, y exceſſos, por mas graues que ſean, y de qualeſquier cenſuras, y ſentencias de excommunion, en que huuieren incurrido, aunque ſean de las contenidas en la Bula de la Cena del Señor, y la abſolucion reſeruada à ſu Santidad, excepto el crimen de la heregia, como dicho es; y puedan gozar dos vezes de todas las gracias, indulgencias, facultades, y perdones contenidos en la dicha Bula.*

2 Hanc conceſſionem primus fecit Gregorius XIII. die 5. Martij, anno 1574. Quamvis enim Paulus IV. die 15. Martij, anno 1559. conceſſerat, vt toties obtineretur indulgentia plenaria Bullæ, quoties hæc intra eumdem annum acciperetur; tamen hæc conceſſio poſteà reuocata fuit: quare illam modo exponendo Gregorius conceſſit, eamque deinceps ſequentes Pontifices renouant, ac confirmant, cum Bullam ipſam Cruciatæ denuò concedunt. Duplex eſt priuilegiorum genus in Bulla contentum; aliud quo indulta indefinitè præſtantur, nec pro ſemel reſtringuntur. Aliud, quo aliquis fauor, aut priuilegium conceditur; ſed ad vnam dumtaxàt vicem reſtringitur: ſcilicèt abſolutio à peccatis, & cenſuris Pontifici reſeruatis ſemel in vita, ſemel in articulo mortis indulgetur, de quibus egimus *diſp.* 23. & 25. Applicatio indulgentiæ plenariæ condiſtinctæ ab indulgentiis Stationum, ſemel etiam in vita, anno durationis Bullæ, & ſemel in articulo mortis conceditur, de quo *diſputat. præcedenti.* Deindè pro quolibet defuncto vnica Bulla defunctorum à ſingulis accipi poteſt; de cuius Bullæ expoſitione agemus *diſput.* 36. Demùm in ſententia aliquorum, quos impugnaui *diſp.* 6. *cap.* 5. indulgentiæ Stationum viſitando quinque Eccleſias, aut altaria, ſemel ſolùm in die valent obtineri. In mea autem, & plurium opinione, toties, quoties ea viſitatio fiat, obtinentur.

3 Igitur ad fruendum priuilegiis primi generis, non eſt opus, ſecundam Bullam accipere, cum per primam poſſit quis illis frui, quoties voluerit; atque adeò poteſt pluries eligere Confeſſarium ad non reſeruata; audire ſacrum, & recipere Sacramenta in pluribus diuerſis interdicti temporibus; veſci carnibus de conſilio vtriuſque medici diuerſis diebus prohibitis; hiſque ſimilia, quæ decurſu huius Operis declarantur. Vt autem quis iterùm fruatur priuilegiis ſecundi generis, neceſſaria eſt ſecundæ Bullæ acceptio, nec ad tertiam accipiendam datur vltrà facultas. Poterit ergo quis accipiens ſecundam Bullam iterùm eligere Confeſſarium, qui eum abſoluat à reſeruatis Pontifici. (De Regularibus quid ſit tenendum circa reſeruata in ſua Religione, vide *diſputat.* 24. & circa reſeruata Pontifici, *ibidem à num.* 197.) abſoluat, inquam, iterùm in vita eo anno, & iterùm in articulo, aut periculo mortis, ſi bis eo anno in illud inciderit. Poterit rurſùs ſupradicta indulgentia plenaria ei applicari in vita, & in articulo mortis iterùm: præterea valet quis, ſi ſequatur ſententiam ſtrictiorem circa lucrationem indulgentiæ Stationum, bis in die illam lucrari, & bis in die animam à Purgatorio liberare, dum ſit dies præfixus in ipſa Bulla ad liberandam animam. Demùm poteſt quis duplicem Bullam defunctorum pro vno defuncto ſumere.

4 Nec eſt neceſſarium, vt quis accipiat Bullam viuorum primam, & ſecundam, vt pro eodem defuncto duplicem Bullam defunctorum ſumat. Hoc enim priuilegium ſumendi eodem anno duplicem Bullam intelligitur de vtraque Bulla viuorum, & defunctorum, eo quòd antecedenter ad illud non poterat quis ſumere pro ſe niſi vnicam Bullam viuorum; & pro vno defuncto vnicam Bullam defunctorum: id autem, quod non licebat, & poterat aliquẽ effectum vtilem ſortiri, conceditur in hoc indulto; non verò eſt aliqua connexio inter Bullam viuorum, & defunctorum

functorum, ita vt vna ſeorſim ab alia accipi nequeat, & ſicut poteſt quis accipere vnam pro defuncto Bullam, quin pro ſe Bullam viuorum acceperit, ſic poteſt ſumere pro eodem defuncto ſecundam Bullam, quamvis pro ſe ſecundam, imò nec primam ſumpſerit. Vtilis autem cenſenda eſt ſecunda Bulla pro eodem defuncto, eodem anno, ſicut vtile eſt, diuerſis annis pro eodem defuncto Bullas accipere, & plures indulgentias plenarias eidem applicare, ac plures in altari priuilegiato Miſſas celebrari, facere. Etenim, vt alibi annotauimus, & ſi indulgentia infallibilitatem habeat tum circa remiſſionem pœnæ debitæ reſpectu viuorum, tum circa liberationem animarum à Purgatorio, ſi omnia requiſita adſint; tamen quia aliquod ex his poteſt deficere, aut modo debito non apponi, vel, quia aliqua ſunt ſub opinione, poteſt contingere, vt quis ſequatur opinionem probabilem; ſed re ipſa non veram: ex quibus capitibus poteſt prouenire, non ſequi effectum indulgentiæ, vnde valdè expedit, ea omnia media repetere.

5 Conſequenter ad dicta hoc priuilegium non operatur circa Bullam lacticiniorum pro Eccleſiaſticis, quia vnica ſufficit pro toto tempore anni, pro quo conceditur. Deindè nec operatur circa Bullam compoſitionis. Etenim Pontifex Commiſſario generali compoſitionem de bonis incertis committit. Ipſe verò poſſet, ſi vellet, ſibi ipſi omnem compoſitionem reſeruare, & Bullas compoſitionis tollere. At ille vſque ad certam quantitatem diſponit poſſe per Bullas componi: maiorem autem quantitatem reſeruat à ſe componendam; & iuxta eius diſpoſitionem poſſunt à quolibet accipi quotannis quinquaginta Bullæ compoſitionis, per quas liber maneat à reſtitutione bonorum incertorum, quorum æſtimatio ſint bis mille nongentæ ſeptuaginta vna drachmæ Hiſpanæ; quælibet namque Bulla proficit ad componendas quinquaginta octo drachmas, & ſex aſſes Hiſpanos; de quo ex profeſſo tractabimus *diſp.* 32. Quare priuilegium, de quo in præſenti, nihil circa Bullas compoſitionis operatur: tum quia hæ diſpoſitioni Commiſſarij generalis ſubjacent: tum quia non eſt intelligibile, quomodo operetur. Niſi dicas, poſſe duplicari eas quinquaginta Bullas, centumque accipi. Sed contrà planè, quia poſt hoc priuilegium Commiſſarius ipſe deſignat numerum drachmarum, quæ per Bullam componi queunt, & eis non correſpondent niſi quinquaginta Bullæ: Commiſſarius autem executor priuilegiorum nunquam ea reſtringit, nec eſſet titulus ad reſtrictionem: quin potiùs ampliat, cùm compoſitionem ſibi commiſſam per Bullas fieri diſponat vſque ad certam quantitatem. Contrà etiam, quia hoc non eſſet ſolum priuilegium accipiendi iterùm aliam Bullam, ſed plures Bullas: quod eſt contra verba Pontificis; & res ipſa eius menti, fini, & intentioni aduerſatur. Nec aſſeri valet, concedi per hoc priuilegium, vt vna Bulla ſuprà illas quinquaginta accipi queat. Tum ob dicta de diſpoſitione Commiſſarij, à quo tota res pendet; tum quia, ſi priuilegium eſſet etiam circa Bullas compoſitionis, ſicut concedit, duplicari poſſe alias Bullas, quas licebat accipere abſque hoc priuilegio, etiam concederet duplicari poſſe illas quinquaginta Bullas compoſitionis, quas accipere licet: cum priuilegium hoc non diſtinguat.

6 In ſententia communi aſſerente, ſi quis culpabiliter Bullam Cruciatæ amittat, non poſſe eius frui priuilegiis, ſunt aliqui tuëtes, eo caſu pro non accepta Bullam haberi, & poſſe aliam accipi toties, quoties amittatur. Ita Trullench *in expoſ. Bul. lib.* 1. §. 8. Rodrig. *in Bul.* §. 11. *num.* 1. Villalob. *tract.* 27. *clauſ.* 11. Oppoſitum ſentit P. Henriq. *lib.* 7. *de indulg. c.* 11. *num.* 1. *in gloſſ. lit.* C. Vbi nullam rationem affert, ſed ſolùm ait, aſſeri falſum ab Emanuële Rodriguez, dum docet, amiſſa Bulla ſecunda, aut tertia, poſſe quem alia frui.

7 Mouentur Authores primæ opinionis propoſitæ, tum argumento *leg. hæc conditio. ff. de condit. & demonſt.* Videatur Nauarrus *de indulg. n.* 34. *q. fin.* Tum ex intentione Pontificis, quæ aliàs fraudaretur. Etenim id intendit, vt acceptio Bullæ profit quoad effectum fruendi eius priuilegiis; ſi autem ea amiſſa, quis eiuſmodi priuilegiis nequit frui, non valet is effectus ſequi, atque adeò amiſſa pro non accepta debet reputari.

8 Poteſt id confirmari, nam qui inutiliter adhibet media, vt Iubilæum obtineat, poteſt iterùm media vtiliter apponere, vt illum conſequatur; ergo qui Bullam amiſit, quæ iam inutilis eſt in hac ſententia ad fruendum indulgentiis, aliiſque priuilegiis, poteſt aliam accipere, vt fruatur; cum prima acceptio Bullæ fuerit medium redditum inutile per amiſſionem, ſicut media ad obtinendum Iubilæum prima vice in caſu poſito redduntur inutilia per aliquem defectum.

9 Hæc equidem ſententia & benignior eſt, & verior, ac Pontificis intentioni, quantum iudicari poteſt, conformior. Cæterùm in mea opinione, quam ſtabiliui *diſputat.* 21. *cap.* 1. non datur locus huic quæſtioni: ibi enim aſſerui, poſſe quem frui priuilegiis Bullæ Cruciatæ, quamvis culpabiliter eam amiſerit, aut ruperit. Quare opus non eſt, vt alia accipiatur in eius defectum. Hinc qui Bullam ſic amiſit, ſi velit frui priuilegiis *ſuprà* deſignatis bis, nõ indiget acceptione duplicis

Digitized by Google

Bullæ, præter amiſſam, ſed vnius; ſic enim & ratione illius primò acceptæ, & amiſſæ, & alterius, quam ſumit, valet eiuſmodi priuilegiis bis gaudere.

10 Secunda Bulla poteſt accipi quolibet tempore intra annum durationis illius: imò poſſet quis ſimul duas Bullas accipere ex communibus,tum vt indulgentia plenaria,de qua *ſuprà* bis,diuerſis temporibus, ſibi applicetur;tum vt abſoluatur à reſeruatis Pontifici,ſi fortè,ſemel obtenta abſolutione ab illis, ob ſuam fragilitatem in eadem reincidat, & non facilè tunc queat Bullam accipere. At pro eodem defuncto ſumptio ſimultanea duplicis Bullæ alicui videbitur ſuperflua: cum enim per vnam, ſi requiſita omnia adſint,infallibiliter ſit anima liberanda à Purgatorio, idem videtur fore præſtandum per vnam Bullam, ac per duplicem: ſi quidem in ſumptione ſimultanea eadem coincidunt requiſita reſpectu vnius, ac alterius Bullæ, & applicatio pro tali defuncto etiam eſt ſimultanea. Quæ ſuperfluitas non reperitur, ſi non ſimul, ſed diuerſo tempore ſecunda Bulla accipiatur, cum potuerit in acceptione primæ aliquot requiſitum defuiſſe, & ideò anima non fuiſſe à Purgatorio liberata: v. g. ſi fortè eſſet vera opinio exigens ſtatum gratiæ in eo, qui applicat indulgentiam pro defuncto, & non extitiſſet in gratiæ ſtatu quis, cum primam Bullam pro defuncto accepit, eique indulgentiam applicauit.

11 Nihilominùs affirmandum eſt, vtiliſſimam eſſe ſumptionem ſimultaneam duplicis Bullæ pro vno defuncto;ſicut,ſi ſint plura altaria priuilegiata, in quibus per ſingulas Miſſas liberatur anima à Purgatorio, piiſſimum eſt,facere in omnibus celebrari ſimul plures Miſſas pro eodem defuncto.Nec adeò in indiuiſibili temporis ea duplex Bulla accipitur,& applicatur, vt non poſſit aliquod requiſitum deficere reſpectu vnius, & non alterius. Imò poteſt ſimul accipi Bulla, & non ſimul applicari, ſed ſucceſsiuè; ſicut poteſt quis accipere Bullas defunctorum, non adhuc determinatis his, pro quibus accipit, & poſtmodum determinare; diceturque illa acceptio materialis, poſteaque erit formalis, cum applicet, tuncque dicetur Bulla accepta pro tali defuncto. Et ſanè in ea acceptione ſimultanea duplicis Bullæ nullum eſt inconueniens, & pietas exercetur, tum circa expeditionem Cruciatæ erogando eleemoſynam (quæ eadem eroganda eſt pro Bulla ſecunda, ac pro prima, ſiuè ſit Bulla viuorum, ſiuè defunctorum) tum circa animas Purgatorij, quibus vtilis erit ſecunda Bulla, etiam ſi per primam liberaretur à Purgatorio ea, pro qua accipitur.

DISPVTATIO XXIX.

De ſuſpenſione, & reualidatione aliarum gratiarum, quæ extat in Bulla Cruciatæ.

Verba Bullæ Latinæ ſunt. *Item prædicto Commiſſario, & Receptori Generali datur facultas, vt ſuſpendere poſſit, dicto anno durante, omnes ſimiles, vel diſſimiles indulgentias, & facultates ab eiſdem, & Sede Apoſtolica, vel eius authoritate, quibuſvis Eccleſiis, Monaſteriis Hoſpitalibus, piis locis, Vniuerſitatibus, Confraternitatibus, & ſingularibus perſonis, in Regnis, inſulis, terris, locis, & dominiis præfatis (etiam in fauorem fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, vel alterius ſimilis Cruciatæ, ſi quæ in Regnis, inſulis, terris, locis, & dominiis præfatis receptæ adhuc durent) conceſſas huiuſmodi; etiam ſi clauſulas aliquas contra ſuſpenſionem facientes continerent; ita vt neque interim publicari poſſint, neque publicatæ cuiuis hominum communiter, vel diuiſim ſuffragentur: exceptis tamen conceſſis Ordinum Mendicantium Superioribus, quoad eorum Fratres tantùm. Item dicto Commiſſario etiam conceditur facultas, vt ipſe per ſe, vel alium, ſeu alios, quando, & quoties ſibi videbitur, indulgentias, & alias gratias per eum ſuſpenſas in fauorem illorum, qui præſentium gratiarum in hanc cauſam pro religionis defenſione conceſſarum participes effecti fuerint, reualidare abſque aliquo præmio poſſit.*

Commiſſarius hac vtens facultate ait: *Proinde nos præfatus N. Commiſſarius Generalis, eadem authoritate Apoſtolica nobis per præfatas litteras conceſſa, ne hoc adeò pium, & ſanctum opus diſturbetur, & impediatur per alias indulgentias, gratias, facultates, & conceſſiones ſuſpendimus, durante anno prædicationis, & publicationis huius Cruciatæ, omnes ſimiles, & diſſimiles gratias, indulta, & facultates à præfatis Sanctiſſ. Dominis noſtris, & aliis Summis Pontificibus, & Sede Apoſtolica, vel eius authoritate, per dicta regna, dominia, inſulas, quibuſcumque Eccleſiis, Hoſpitalibus, & locis piis, Vniuerſitatibus, Confraternitatibus, & ſingularibus perſonis conceſſas, etiam in fauorem Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, aut alterius ſimilis Cruciatæ. Quamvis omnes conceſſiones huiuſmodi, vel quævis illarum, clauſulas aliquas contrarias huic ſuſpenſioni contineant, etiam ſi pro publicatione, & executione earumdem facultatum emanarint; ita vt, durante anno prædicationis, & publicationis huius Bullæ, huiuſmodi gratiæ ita ſuſpenſæ*

neque

Digitized by Google

neque publicari, neque ſuffragari alicui poſſint; exceptis tamen, quæ conceſſa ſunt Ordinum Mendicantium Superioribus quoad eorum Fratres. Inſuper in fauorem huius præſentis conceſſionis, & Cruciatæ declaramus, vt, quicumque ſummarium huiuſmodi Bullæ ſermone, & idiomate vulgari conſcriptum acceperint, ij omnes fruantur, potiantur, & gaudeant omnibus gratiis, Indulgentiis, Iubilæis, peccatorum remiſſionibus, ipſis tàm per Sanctiſſimum Dominum noſtrum N. quàm per alios Summos Pontifices, aut Sedem Apoſtolicam conceſſis. Quæ ſcilicet omnia nos idem Commiſſarius generalis, vigore facultatis, & commiſſionis Apoſtolicæ per varias, & diuerſas litteras attributa, & conceſſa, reualidamus, & in priſtinum ſtatum reducimus, & reſtituimus. Cæterùm in hac noſtra reualidatione minimè comprehendi volumus priuilegia, facultates, & indulta, quæ ſint contraria, & expreſſa in præfata Bulla.

Verba Bullæ Hiſpanæ ſunt. *Y ſu Santidad dà facultad à Nos N. Commiſſario Apoſtolico General de la ſanta Cruzada, para que podamos ſuſpender, durante el año de la publicacion deſta dicha Bula todas las gracias, indulgencias, facultades, y priuilegios concedidos en eſtos dichos Reynos y Señorios, Iſlas y Prouincias, de qualeſquier Igleſias, Monaſterios, y Hoſpitales, Cofradias, y lugares pios y perſonas particulares, aunque las conceſſiones tengan clauſulas contrarias à eſta ſuſpenſion. Y otroſi, para que podamos reualidar aquellas miſmas gracias, y facultades, y otras qualeſquier. Y nos el dicho Comiſſario general de la Santa Cruzada, en fauor deſta ſanta Bula, por la autoridad Apoſtolica à nos concedida, y para que tan ſanta obra no ſe impida, ni ceſſe por otra indulgencia, ſuſpendemos, durante el año de la publicacion, y predicacion della, todas y qualeſquier gracias, indulgencias, y facultades ſemejantes, ò diferentes, concedidas por ſu Santidad, ò por otros Sumos Pontifices ſus predeceſſores, ò por la ſanta Sede Apoſtolica, ò por ſu autoridad, en todos los dichos Reynos, y Señorios de ſu Mageſtad, à todas, y qualeſquier Igleſias, y Monaſterios, Hoſpitales, y otros lugares pios, Vniuerſidades, Cofradias, y ſingulares perſonas, aunque las dichas gracias, y facultades ſean en fauor de la fabrica de ſan Pedro de Roma, ò de otra ſemejante Cruzada; y aunque todas y qualeſquier dellas tengan clauſulas contrarias à eſta ſuſpenſion. Por manera, que durante el año de la publicacion deſta dicha Bula, ninguna perſona pueda ganar, ni gozar algunas otras gracias, indulgencias, y facultades, ni ſe puedan publicar; excepto las concedidas à los Superiores de las Ordenes Mendicantes, en quanto à ſus Frayles. Y en fauor deſta dicha Bula, y por la miſma autoridad Apoſtolica, declaramos, que los que tomaren eſta preſente Bula, puedan gozar, y gozen de todas las gracias, y facultades, è indulgencias; jubileos, perdones, y remiſſion de pecados, que les ayan ſido concedidos por nueſtros muy ſantos Padres Paulo V. y Vrbano VIII. y por los otros Sumos Pontifices paſſados de felice recordacion, ò por la ſanta Sede Apoſtolica, ò por ſu autoridad, comprehendidas en la dicha ſuſpenſion: las quales en virtud de la dicha comiſſion Apoſtolica les reualidamos.* Hucuſque verba Bullæ Latinæ, & Hiſpanæ.

CAPVT I.

Exponuntur aliqua in communi circa ſuſpenſionem aliarum gratiarum, reualidationemque ipſarum factam in Bulla Cruciatæ.

1 FINIS ſuſpenſionis gratiarum in hac clauſula contentæ conſtat ex ipſa; quis ſit, ſcilicèt ne aliqui iudicantes, ſibi ſufficere obtentionem indulgentiarum, quæ à Pontificibus conceſſæ ſunt Monaſteriis, Eccleſiis, aut locis piis, item & granis, ac imaginibus, ſimiliumque gratiarum, ab acceptione Bullæ Cruciatæ abſtinerent, indeque minueretur eleemoſyna in ſubſidium Cruciatæ eroganda.

2 Cæterùm ea eleemoſyna erogata, cùm ceſſet hæc ratio, reualidantur eædemmet gratiæ, facultates, ac indulgentiæ, quæ, ſi non acciperetur Bulla, ſuſpenduntur, ita vt, qui eam habet poſſit lucrari omnes gratias, quæ extra Bullam ipſam conceſſæ ſunt. Si autem quis eodem die, aut tempore publicationis Bullæ quotannis eam accipiat; reſpectu eius non fuit locus ſuſpenſioni gratiarum, cum ſemper eas lucrari valuerit: dicuntur tamen illæ reualidari, quia ſuſpendendæ eſſent reſpectu illius, ſi Bullam non accepiſſet. Itaque vox *reualidamus* in præſenti ſignificat, tàm reualidationem gratiarum, quæ reipſa ſuſpenſæ fuerunt, quàm retentionem earum in ſuo vigore, ſi locus ſuſpenſioni non fuerit.

3 Non autem ſuſpenduntur à Commiſſario Generali eiuſmodi gratiæ in Prouinciis, aut locis, vbi Bulla Cruciatæ non valet; cum poteſtas conceſſa illi ad ſuſpendendum gratias ſolùm ſit reſpectu locorum, vbi Bulla publicatur, & à Pontifice quidem non fit hæc ſuſpenſio, ſed à Commiſſario, cui facultas ad eam ſuſpenſionem indicendam præſtatur. Quare poterat Commiſſarius non ſuſpendere vllas gratias, ſi nullum indè contra ſubſidium Cruciatæ detrimentum præſentiret.

4 In mea ſententia, quam ſtabiliui *in ſuperioribus*

Digitized by Google

concurrat, niſi per intentionem explicitam obtinendi hanc ſolutionem, & quin ſit opus, vt ei de illa conſtet iuxta *ſuprà* dicta, cum poſſit ſolui pro ipſo etiam ignorante, & quamvis nullum ſignum externum protulerit. Sic etiam non eſt ſententia fauor, quo quis ſoluit debitum alterius.

19 Etenim in applicatione huius indulgentiæ facta neſcienti, nec ſignum proferenti, nulla eſt irreuerentia, aut periculum culpæ contra rem ſacram, quod præcauetur, dum negatur abſolutio à peccatis ei, qui ſignum doloris non protulit: & vlteriùs, quia extra forum iudiciale applicatio perficitur, ſententia non eſt, ideóque per actum internum poteſt perfici. Fateor tamen, conſultius eſſe, per verba, aut nutus externos eiuſmodi indulgentiam applicare; imò, vt abſit errandi periculum, verbis vti in Hiſpana Bulla præfixis, quod etiam & ipſorum habentium Bullam pietati, & ſolatio eſt magis conſonum.

20 Duo hic cum communi Expoſitorum aduertas. Alterum, etſi à Pontifice concedatur facultas eligendi Confeſſarium, qui abſoluat à quibuſcumque peccatis, & cenſuris, & applicet indulgentiam, non ita eſſe intelligendum, vt opus ſit, habere quem peccata, & cenſuras, à quibus abſoluatur, vt ei ſimul indulgentia applicetur; ſed ſenſus eſt poſſe eligere Confeſſarium, qui abſoluat eum à quibuſcumque peccatis, & cenſuris, ſi forſan ſit illis irretitus; & poſſe eligere Confeſſarium, qui ei præſentem applicet indulgentiam. Quippè irrationabiliter diceretur, hanc concedi indulgentiam ei, qui peccatis, & cenſuris innodatus abſolutionem expoſceret, & non aliis, ita vt alij deterioris eſſent conditionis, quia minùs peccatores; quod extra Pontificis mentem eſſe, apertè liquet, nec ipſius verba id ſignificant.

21 Alterum, hanc poſſe applicari indulgentiam etiam ei, qui peccauit ex confidentia Bullæ, & negligens fuit in confeſſione annua. Etenim, licèt ei non ſuffragetur indulgentia explicanda *cap.* 4. quia ab ea obtinenda excluditur expreſsè à Pontifice, eam reſtrictionem conceſſioni apponens, tamen eiuſmodi reſtrictionem huic indulgentiæ plenariæ applicandæ per Confeſſarium non adiunxit; quare nec nos reſtringere debemus. Imò, cum exceptio firmet regulam in contrarium, & indulgentia conceſſa his, qui contriti obeunt abſque confeſſione, excipiantur à lucratione illius hi, qui negligentes fuerunt ex confidentia Bullæ, infertur indè, eos in præſenti, vbi abſque reſtrictione conceditur indulgentia per Confeſſarium applicanda, non excipi; alioqui etiam hic exciperentur, in quo ſenſu affero nunc eam regulam, *exceptio firmat regulam in contrarium*; nempè vt vbi nulla datur exceptio, cum tamen poſſet eſſe locus exceptioni, nullus intelligatur exceptus; & prætereà, quòd exceptio in vno caſu poſita, in alio omiſſa, firmum facit reſpectu omnium indultum in eo caſu in quo omittitur.

22 Poteſt prætereà hæc indulgentia applicari etiam eis, qui Bullam acceperunt in ſtatu peccati mortalis exiſtentes; nam ſtatus gratiæ in accipiente non requiritur, vt poſteà Bullæ fruatur priuilegiis, & gratiis. Vide dicta *diſputat.* 4. *cap.* 1. nempè acceptio Bullæ eſt conditio neceſſaria quidem ad gaudendum eius indultis, ac indulgentiis, ſed non eſt vltimum requiſitum ad indulgentiam præſentem, imò nec ad vllam aliam ex contentis in ipſa Bulla, cum in ea aliquod aliud medium, opus, aut conditio peragenda præſcribantur in ordine ad lucrandam quamvis indulgentiam ex his, quas continet, vt ex decurſu conſtat, ſolum autem vltimum requiſitum ad indulgentiam neceſſariò fore in ſtatu gratiæ peragendum, ſtatuimus *diſp.* 6.

CAPVT III.

Quis dicatur articulus mortis, in quo indulgengentia plenaria per Bullam applicanda conceditur.

23 ASſertum eſt à nobis in articulo mortis concedi indulgentiam plenariam à Confeſſario applicandam, in quo etiam articulo poteſt Confeſſarius per Bullam electus à quibuſcumque peccatis, & cenſuris moribundũ abſoluere, vt expoſuimus *in ſuperioribus*, huc remittentes explanationem articuli mortis; quis ergo ſit, aut intelligatur eiuſmodi articulus, nunc exponemus. Articulus mortis ille eſt, in quo iam de alicuius vita deſperatur, eo quòd mors appareat infallibiliter proxima, & ineuitabilis per media naturalia, ſeu ita moraliter inſtat proximè mors, vt ſpem tollat eam impediendi, attentis ſignis, quæ moralem eius certitudinem generat. A mortis articulo diſtinguitur mortis periculum, rigoroſè ſumptum, hoc enim tunc datur, cum adeſt probabile mortis dubium, eo quòd in ſimili euentu ſoleat mors frequenter accidere; vnde prudenter timetur fore, vt tunc etiam contingat. Exempla ſint; ægritudo aut febris acuta in eo iam ſtatu, ex quo alij plures non euaſerunt, nauigatio valdè periculoſa, in qua eſt valdè commune naufragium; hoſtile prælium, in cuius conflictu mors frequens debacchatur, tranſitus per viam præ hoſtibus, aut præ donibus malè tutam, in qua non pauci ſunt interfecti, partus fœminæ, qui iudicetur, inſpectis circunſtantiis periculoſus, & his ſimilia. Ceterùm mortis

articulus

Digitized by Google

articulus alius eſt ab intrinſeco, cum ſcilicet quis vulnere, aut febri lethali laborat, alius ab extrinſeco, cum ad mortem damnatus iam propè ſupplicium verſatur, aut, cum naufragium proximè inſtat, vel mors violenta ab alio infligenda imminet ferè ineuitabiliter. Idem proportionatè eſt de periculo mortis.

24 Igitur cenſuerunt aliqui, cum facultas datur ad abſoluendum (idem eſt applicandum ad indulgentiam, nec inter vtrumque eſt diſparitas, quare, quod de vno aſſeritur, de altero pariter eſt intelligendum) in articulo mortis, non extendi eam ad mortis periculum. Ita Couarrub. *in cap. Alma mater, part.1.§.11.num.*8. Sotus, Canus, P. Valentia, quos citat Trullench *in Bul. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 4. *num.*3. *Diana* 1. *part.tr.*11. *reſolut.*106. Sententia oppoſita communis eſt, quam tenent Nauarr. Medina, Paludan. Adrian. Syl-ueſt. quos refert, & ſequitur P. Suarez *tom.*4. *in* 3.*part. d.*26.*ſect.* 4.*num.*3. Præterea D. Antoninus, Angelus, Tabiena, Armilla, Alexander, Corduba, Ledeſma, Taper, Innocentius, Ioannes Andreas, Panormitanus, Hoſtienſis, Adrianus, Catechiſmus Pij V. Directorium Curatorum, quos affert P. Henriq. *lib.* 3.*de pænitent.c.*11.*num.*3.*in gloſ.litt. Q. & eo numero in textu* ſequitur hanc ſententiam; rurſúſque *in gloſſa* oppoſitam vocat ſubtilem nouitatem quorumdam. Item Antonius Gomez *in Bul. ad decimam clauſulam num.* 13. citans Bartolum, Iaſonem, Felinum, Ripam, & Baldum. Præterea Rodriguez *in Bul.* §. 9. *num.* 38. (quamuis periculum mortis nimis ibi reſtringat, & ferè cum mortis articulo confundat.) Cruz *in Bul.d.*1.*c.*3.*dub.*16. & Trullench *vbi ſuprà, & dub.* 19.*n.* 11. Cardinalis Lugo *de pænit.d.*18.*ſect.*2.*n.*20. Demùm gloſſa *in c. paſtoralis, §. præterea, de officio ordinary, & in c. quod in te, verbo Pænitentia, de pænit. & remiſ.*

25 Hæc ſententia cõmunis, ac benignior eſt vera, & in praxi amplectenda. Probatur primò. Etſi articulus, & periculum mortis inter ſe metaphyſicè diſtinguantur, tamen moraliter in ordine ad effectus ſupradictos pro eodem habentur, ac enumerantur in iure; ergo iuxta modum loquẽdi in iure vſitatum, & inter ipſos Pontifices frequentem, Pontifex in Bulla articulum mortis deſignat, confundens nempè articulum, & periculũ mortis, prout in iure confunditur, dum in eodem contextu, in aliquibus capitibus, id, quod vocatum fuerat articulus mortis, iterum periculum mortis nuncupatur; aliquando verò ſolum aſſeritur periculum mortis, vbi tollitur aliqua reſeruatio, quæ reſeruatio in articulo mortis auferri in eodem iure alibi dicitur; vnde conſtat pro eodem vſurpari vtrumque. Videantur, & conferantur inter ſe *cap. ſi quis ſuadente*, 17.*q.*4.& *cap. non dubium, de ſentent. excommun.* Item *c. eos qui, de ſent. excom. in* 6. Demùm *c. ea noſcitur*, 13. *c. quod de his* 26. *cap. quamuis*, 58. *de ſent. excomm.* & ibi ordinarij Interpretes.

26 Probatur ſecundò. Si hoc Bullæ indultum circa abſolutionem à peccatis, & cenſuris reſeruatis quibuſcumque ſolùm pro articulo, & non pro periculo mortis concederetur, vt plurimùm eſſet inane, & fruſtraneum; hoc non eſt admittendum; ergo. Maior ſuadetur. Qui peccatis, & cenſuris innodatus exiſtit, tenetur confiteri in periculo mortis, nec expectare poteſt articulum; tum quia exponeretur periculo nõn confitendi, ſi in phreneſim, aut lethargum incideret, aut amitteret, ſenſus, aut mors ſubitò eueniret; tum quia in periculo mortis tenetur accipere Euchariſtiam ægrotans; ad quam confeſſio præcedit; at, ſi tunc confiteatur ritè, & validè cum Confeſſario potente eum abſoluere, non reſtat, ad quid egeat abſolutione à peccatis illis, & cenſuris, à quibus abſolutus eſt, dum poſt periculum mortis, accedit illicò articulus ipſius; igitur indultum illud eſſet fruſtraneũ, & inane; præcipuè cum in articulo mortis non poſſit facilè moribundus ſuorum peccatorum plenam facere confeſſionem ob inſtantis mortis anguſtias. Quid? quòd valdè incertũ ſit, quà hora ille articulus ſit ſuperuẽturus, forſanque, cum adhuc non timetur proximè, contingat, nullo ibi præſente Confeſſario: credendũ ergo non eſt, Pontificẽ intendiſſe, inter dubios adeò, ac lubricos euentus ad articulum mortis abſolutionem differri.

27 Exindè ad applicationem indulgentiæ plenariæ argumentũ efformo. Applicatio indulgentiæ cõceditur eo ipſo mortis articulo, ſeu periculo, quo abſolutio; nec Pontifex inter applicationem, & abſolutionem diſcernit; concedit imò, vt ab eodem Confeſſario quis abſolutionem, & indulgentiam obtineat intra ipſam confeſſionem, ſi velit: ergo, ſi abſolutio poteſt præſtari non ſolùm in articulo, ſed etiam in periculo mortis, ſimiliter poteſt & indulgentiæ applicatio.

28 Demùm ratione generali probatur aſſertum, confirmaturque prima ratio ſuperior. In moralibus periculum perindè exiſtimatur, ac euentus ipſe, ideòque qui ſe vltrò in peccandi periculum immittit, peccat, & propterea etiam tenemur in periculo mortis confiteri, quia morti proximi iudicamur, morſq; quaſi certa, & euentura putatur; igitur periculum mortis in ordine ad abſolutionem, & applicationem indulgentiæ cenſetur extremum, haud ſecùs ac articulus mortis, & in vtroque neceſſitas abſolutionis, & indulgentiæ exiſtimatur æqualis. Periculũ nempè in præſenti intelligimus proximum, non re-

Mendo in Bull. Cruciat. Ff motum

mortium, illud ſcilicèt, quod maximum generat mortis timorem, aut dubium, & non æquam vitæ ſpem relinquit.

29 Opponunt tamen primò. Hæc conceſſio abſolutionis à Confeſſario eligendo faciendæ eſt contra ius commune, ergo reſtringenda eſt ad articulum mortis, non extendenda ad periculum. Reſpondeo, nullam fieri extenſionem à nobis, cum vox *articulus mortis* ſignificet in iure periculum, & articulum. Deinde ea ſignificatio debet aptari, qua reddatur priuilegium aliquid operans, & non inane, & quæ ſit manifeſtè de mente concedentis; conſtat autem ex dictis non poſſe hæc ſaluari in alia ſignificatione ſtrictiori. Denique hæc conceſſio eſt fauor, atque adeò non reſtringendus, ſed ampliandus; nec contra ius commune, ſed ſupra, vel præter illud. Vide, quæ in ſimili diximus in generali de omnibus priuilegiis Bullæ *ſuperiùs diſp. 1. n.* 46. vbi omnia ea priuilegia latè eſſe interpretanda probauimus; vnde & hoc non eſſe reſtringendum colligitur.

30 Opponunt ſecundò. Articulus ſignificat momentum, ergo non poteſt extendi ad ſignificandum periculum. Reſpondeo, eſtò metaphyſicè, & grammaticè id dumtaxat ſignificet, at in præſenti vtrumque ſignificare ob rationes, quas *ſuprà* confecimus.

31 Ex prædictis rationibus infertur, articulum, & periculum mortis, de quibus adhuc, non ſolùm intelligendum eſſe verum, ſed etiam præſumptum. Verum eſt, ad quod ſequitur de facto mors; præſumptum ad quod mors, quæ timebatur, non ſequitur, ſed rationabiliter, & prudenter exiſtimabatur fore ſequutura, aut de ea proximus, & prudens dabatur timor. Etenim in eo periculo tenemur confiteri, inaneque eſſet hoc indultum, ſi pro eo non operaretur. Rurſus, hoc periculum iudicatur in moralibus perindè, ac euentus; quare qui in periculum præſumptum peccandi ſe inijceret, peccaret. Demùm, quia, cum in iure conceditur indultum pro articulo mortis, vel in aliquo priuilegio, dummodò non exprimatur articulus verus, non eſt reſtringendus, ſed ſumendus pro vero, vel præſumpto; Ita docent Gerſon *de abſolut. Sacram. alphab.* 33. D. Antonin. 1. *p. ſum. tit.* 10 §. 3. Gabriel *in* 4. *diſt.* 45. *quæſt.* 4. *num.* 3. *dub.* 1. Rodriguez *in Bul.* §. 9. *num.* 38. *dicto* 2. Nauarrus, & Corduba, quos refert, & ſequitur Trullench *in Bul. l.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 19. *num.* 8. Et quamuis hic Author de Articulo mortis præſumpto, non de periculo loquatur; ſanè ſemel admiſſo, articulum, & periculum indiſtinctè accipi, eodem modo de vtroque eſt philoſophandum; maximè cum rationes *ſuprà* factæ in vtroque ferè eamdem vim retineant.

32 Confirmatur. Quia in periculo præſumpto, cum quis tenetur confiteri, poteſt per Bullam abſolui à peccatis, & cenſuris reſeruatis, ita vt poſteà ſuperuiuens non egeat alia abſolutione; alias inane eſſet priuilegiũ eligendi confeſſarium in articulo mortis, vt abſoluat à reſeruatis, ſiquidem quilibet Confeſſarius, imò Sacerdos, ſimplex in abſentia alterius approbati, poteſt abſoluere abſque vllo priuilegio in mortis articulo, ab omnibus peccatis, & cenſuris reſeruatis, dum tamen pænitens abſolutus, ſi ſuperuiuat, à legitimo poſteà Confeſſario abſoluatur iterùm, & coram illo compareat, argumento textus in *cap. eos, de ſentent. excom. in* 6. Igitur vt aliquid operetur ſpeciale Bullæ priuilegium, vim habet, etiam ſiquis poſteà ſuperuiuat; at, ſi ſuperuiuat, articulus, aut periculum mortis non fuit verum, & reale cum effectu moriendi, ſed præſumptum: ergo in præſumpto valet eiuſmodi priuilegium.

33 Confirmatur vlteriùs. Extremaunctio præcipitur miniſtrari in articulo mortis; & tamen in præſumpto articulo ritè miniſtratur, cum multi poſt illius acceptionem ſuperuiuant; ergo articulus mortis ſumitur pro vero, vel præſumpto. Nec hinc contra dicta *ſuprà* argui rectè poteſt ex eo, quòd Extremaunctio, quæ in mortis articulo miniſtranda eſt, non poteſt in periculo mortis miniſtrari. Etenim Extremavnctio præcipitur miniſtrari in mortis articulo extremo, cum æger iam omnino in exiſtimatione adſtantium morti appropinquat; ad quod tempus non eſſe differendum hoc Bullæ priuilegium, patet, tum quia cum Extremaunctio miniſtratur, ſupponitur miniſtratum Sacramentum pœnitentiæ, in quo æger eſt abſoluendus, & Euchariſtiæ, ſi capax ſit ille receptionis vtriuſq; tum quia in ea circunſtantia, in qua Extremaunctio miniſtratur, vt plurimùm non eſt in ægroto facultas, vt confiteatur peccata, & obtineat ab eis, & à cenſuris abſolutionem; imò debet confiteri, antequam ad eum ſtatũ perueniat. Quæ omnia manifeſtè oſtendunt, non eſſe ſumendum articulum mortis, pro quo conceditur abſolutio, in eo rigore, in quo ſumitur Extremæ vnctionis miniſtratio, quæ deſtinata eſt ad eos, qui in vltimo vitæ conflictu verſantur, & cuius dilatio ad vltimum vitæ interuallum affert magna moribundo commoda; ſecùs in abſolutione iuxta dicta contingit. Ab abſolutione autem ad applicationem indulgentiæ in articulo, aut periculo mortis etiam præſumpto vim retinet ratiocinatio facta *n.* 27.

34 Obſeruandum hic eſt, cum Trullench *dub.* 4. *num.* 2. P. Suar. & P. Thom. Sanchez, quos ille affert, periculum amentiæ diuturnæ, aut perpetuæ indicari periculum mortis; atque

atque adeò tunc tenetur quis confiteri, ideóque poſſe per Bullam abſolui. Prætereà contra P. Sa, *verbo abſolutio n.* 4. damnatos ad triremes non eſſe cenſendos in periculo mortis, niſi nauigatio ſit valdè naufragijs expoſita. Et quidem ſæpè triremes ad portum accedunt, in quo, ſi inſtet nouum periculum, poterunt abſolui à Sacerdotibus, qui ibi adſunt; vel in ipſis triremibus communiter Sacerdotes nauigant, qui ſuperueniente procella periclitantes abſoluant. Rursùs cum Couarrub. *in c. Alma mater, part.* 2 §. 3. *num.* 2. contra Syluestrum, *verbo abſolutio* 1. §. 10. non omnes prægnantes, dum partus inſtat, poſſunt gaudere hoc Bullæ priuilegio, niſi illæ, quæ ob difficiles partus iam expertos, vel ob eum, quem ob circunſtantias præſentes rationabiliter metuunt, fore difficilem, in periculo mortis ſunt; cœteræ enim non iudicantur in eo periculo conſtitutæ.

35 Denique obſerua cum Corduba, & P. Sanchez, quos citat, & ſectatur *ibidem* Trullench *n.* 6. ſi quis propria ſponte, & abſque vrgenti cauſa, in periculum proximum mortis ſe immittere velit, non fruiturum eſſe hoc Bullæ priuilegio, præſtito quidem conſtitutis iam in periculo mortis, ille verò non eſt conſtitutus, ſed vult ſe ipſe conſtituere; vnde ipſe, ſi ab ea voluntate deſiſtat, vt poteſt, periculi manet expers. Quod intelligendum eſt non ſolùm de eo, qui voluntariè immittit ſe periculo, peccans in eo ipſo actu, quem aggreditur; vt qui ad duellum progreditur: hic enim aliundè abſolui nequit, nempè quia eſt indiſpoſitus, & in ſtatu actualis peccati; verùm de eo, qui temerariè ſe periculo obijcit peccans quidem in temeritate, non verò in actu, quem intendit, indiſpoſituſque etiam exindè ad abſolutionem exiſtens; vt qui ad augendas diuitias nauigationem vult ſuſcipere periculoſam. Cœterùm hi, dum iam in periculo ſunt conſtituti, & aliundè rectè diſpoſiti, ſi periculum vitare non poſſint, valebunt abſolui; quia & ſi in aggrediendo periculum peccauerint (quippè non licet abſque cauſa vrgenti periculo mortis ſe exponere, ſupponimus autem eos vrgentem non habuiſſe cauſam, ſed voluntariè, & non cogente neceſſitate, voluiſſe periculum) tamen non eſt, cur poſteà indulto hoc non potiantur, cum nulla ſit ratio, ob quam illud amiſerint, nec excipiantur in priuilegio, quominùs eiuſdem fauore gaudeant.

CAPVT IV.

De Indulgentia plenaria conceſſa per Bullam Cruciatæ his, qui contriti abſque confeſſione decedunt.

36 VT Pontifex etiã ſuccurrat his, quibus in articulo mortis indulgẽtia plenaria nõ poſſit applicari, vel quia ſubitò moriũtur, aut quia Confeſſarius abeſt, concedit, vt eamdem indulgentiam plenariam virtute Bullæ adipiſcantur, ſi contriti, etiam abſque confeſſione obeant, dum fiducia huius conceſſionis non fuerint negligentiores; ſcilicèt negligentiores, quàm fuiſſent, ſi huic non inniterentur conceſſioni; negligentia autem quænam futura fuerit, exprimitur à Pontifice in Bulla Latina, declaraturque à Commiſſario Generali in Bulla Hiſpana, nempè in confeſſione perficienda ſtatuto tempore ab Eccleſia; cum enim præmiſiſſet Pontifex, concedi hanc indulgentiam his, qui priùs ſtatuto tempore confeſſi fuerint, ſtatim addit: *& neque huius conceſſionis fiducia negligentiores fuerint*; videlicet in confeſſione facienda ſtatuto tempore, nec enim ad aliud poteſt referri negligentia, niſi ad immediatum, quod præceſſit.

37 Tempus ſtatutum, in quo quis debet confiteri, eſt ſemel in anno, & prætereà cum Euchariſtiam accipit vel voluntariè, vel ex præcepto, tempore Paſchatis, & demùm quando eſt conſtitutus in mortis periculo proximo. Fiducia autem, aut confidentia in hac conceſſione poteſt eſſe duplex, alia poſitiua, alia negatiua cum peccatur per poſitiuam, dicitur peccari ex confidentia cum per negatiuam, aſſeritur, delinqui cum confidentia. Vtriuſque explicationem dedimus *diſp.* 4. *num.* 2. Fiducia ergo, quæ obeſt lucrationi huius indulgentiæ, eſt ſola poſitiua, qua ſcilicèt quis confeſſionem ſtatuto tempore omittit, fidens, in articulo mortis virtute Bullæ ſibi concedendam abſolutionem ab omnibus peccatis, ac cenſuris, & ſimul indulgentiam plenariam; non omiſſurus confeſſionem, niſi in Bulla confideret, ita vt quaſi diceret tunc. Ego ſanè confiterer mea peccata, ſi Bullæ ſuffragium non adeſſet, at, ſi quidem adeſt, nolo confiteri, nam in mortis articulo abſoluar. Quod eſt eſſe quem negligentem ex confidentia Bullæ.

38 Aſt confidentia, ſeu fiducia negatiua non tollit lucrationem eiuſmodi indulgentiæ; illa nempè, qua quis aliàs ob fragilitatem, aut malitiam propriam nolens ſtatuto tempore confiteri, ſimul, concomitanter confidit, fore per Bullam in articulo mortis abſoluen

Digitized by Google

abſoluendum, obtenturumque tunc fore indulgentiam; ita vt, etiam ſi ſibi non adeſſet Bullæ remedium, aut fauor, eodem modo omitteret negligenter confeſſionem, ſolatium tamen ex Bulla, quam habet, ſibi comparat. Hanc autem fiduciam non eſſe, quæ in præſenti clauſula excipitur, patet, quia in ea aſſeritur, non concedi hanc indulgentiam his, qui negligentiores fuerint in confeſſione debita, fiducia huius conceſſionis, at ille non eſt negligentior propter hanc fiduciam, quàm eſſet, ſi eam non haberet, cum negligentia ex ſua malitia, aut fragilitate ortum adæquatè habeat; ergo hic non excipitur in præſenti ab hac indulgentia obtinenda. Hoc verò eſt, negligentem quem eſſe cum confidentia Bullæ. Contritus autem debet obire, qui obtenturus eſt hanc indulgentiam, ſcilicet ſi mortalium peccatorum conſcientiam habeat, quod ſi nõ habet, cum non ſit obex ad indulgentiæ fructum, abſque contritione actuali obtinebit indulgentiam: contritio enim præſenti requiritur, vt obicem tollat, ſicut ad idem in aliis indulgentiis exigitur confeſſio, ſine qua tunc poſſunt obtineri, ſi non ſint obtinente peccata mortalia, vt ſæpè diximus.

39 Cæterùm *fiducia huius conceſſionis* appellat ſuprà conceſſionem immediatè antecedentem de electione Confeſſarij, à quo in articulo mortis quis obtineat abſolutionem, & indulgentiam: ne quis indè anſam arripiat omittendi confeſſionẽ ſtatuto tempore, huic fidens indulto; quod debuit præcaueri, ne hominum creſceret negligentia, confeſſionem etiam ſtatuto tempore recuſantium. Poteſt etiam *fiducia huius conceſſionis* appellare ſupra hanc ipſam conceſſionem dumtaxat indulgentiæ plenariæ factam his, qui contriti abſque confeſſione decedunt; licèt videatur potiùs cadere ſupra primam conceſſionem, vtpotè ex qua poſſet anſa negligentiæ frequentiùs capi. Si dicas, non benè præcaueri, ne hanc indulgentiam lucrentur hi, qui ex confidentia ipſius confeſſionem omitterent, cum nullus poſſet talem confidentiam habere obtinendi indulgentiam, à qua expreſsè exciperetur. Reſpondeo: præcaueri poſſe, ne exiſtiment, ſe hanc indulgentiam obtenturos; quòd ſi per errorem id exiſtimarent, adhuc non illis ſuffragaturam hanc indulgentiam. Inſtoque manifeſtè: nam Bulla compoſitionis præſtatur his, qui bona ſurripuerunt, quorum domini ſunt incerti, aut Horas Canonicas omiſerunt, cum fructibus gaudeant Eccleſiaſticis: & tamen excipiuntur, ne priuilegio eiuſmodi Bullæ potiantur, qui ex confidentia ipſius vel Horas Canonicas omiſerunt, vel bona incerta ſibi iniuſtè compararunt. De his ergo dicere ſimiliter poteris, non valuiſſe eam in Bulla confidentiam habere circa reſtitutionis compoſitionem; cum expreſsè in eadem Bulla excipiantur, quominùs eius queant vti fauore. Ad vtrumque itaque eodem modo eſt reſpondendum, ſi *fiducia huius conceſſionis*, ſecundo modo intelligatur, quæ quidem intelligentia videtur probabilis, cum vox *huius conceſſionis* innuat conceſſionem ipſam indulgentiæ, cui ea reſtrictio adiungitur.

CAPVT V.

De ſepultura Eccleſiaſtica, quæ in Bulla Hiſpana exprimitur concedenda tempore interdicti his, qui contriti abſque confeſſione decedunt.

40 IN Bulla Latina hæc clauſula non extat; ſed includitur in conceſſione generali: qua indulgetur omnibus habentibus Bullã, vt tempore interdicti ſepultura Eccleſiaſtica cum moderata pompa funerali donentur, quam conceſſionem, & quidquid ad eam attinet, expoſuimus *diſp.* 15. *cap.* 5. Et quidem ſi omnes habentes Bullam, præter eos, qui obeunt excommunicati, dum non abſoluuntur, poſſunt eo tempore ſepultura gaudere Eccleſiaſtica: ergo & hi, qui contriti abſque confeſſione decedunt. Quare hæc clauſulæ appoſitio dumtaxat fuit declaratio quædam Commiſſarij, ſpecialiter exprimentis eos, quos in clauſula generali, ipſe etiam *ſuperiùs* comprehenderat; & fortaſsè hoc expreſſit, ne aliquis apparenti qualibet ratione dubitaret, an hi, qui non confeſſi obibant, priuilegio ſepulturæ à Bulla conceſſo potirentur. Dixi *apparenti*: nam ratio probabilis nulla eſſe poterat; cum hic, qui contritus decedit, tempore non interdicti abſque dubio ſepultura Eccleſiaſtica donetur. Bulla autem reſpectu eius tollit interdictum in ordine ad ſepulturam, dum tamen funeralis pompa ſit moderata.

41 Qui obit excommunicatus, virtute Bullæ ſepeliri non poteſt, niſi abſoluatur. Nec priuilegium Bullæ ſe extendit ad tempus ceſſationis à diuinis. In quo tamen, licèt officium Eccleſiaſticum defunctorum non poſſit perfici, ſepulturam Eccleſiaſticã abſque illo, nullo iure eſſe prohibitam contra communiorem tenet P. Suarez *tom.* 5. *de cenſur. in* 3. *part. d.* 39. *ſect.* 2. *n.* 29. Quod intellige, ſi ſimul cum ceſſatione non vigeat interdictum, ab illa ſeparabile: nam interdictum priuat ſepultura Eccleſiaſtica: in hoc tamen caſu nihil operatur Bullæ priuilegium quoad ſepulturam. Nomine autem ſepulturæ Eccleſiaſticæ intelligitur ſepultura in loco, vbi Miſſa celebrari poteſt, & item in cæmeterio, ſiuè Eccleſiæ contiguo, ſiuè ab illa diſiuncto. Videatur P. Suar. *vbi ſuprà diſp.* 12. *ſect.* 4. *n.* 6.

42 Sed

Digitized by Google

42 Sed inquires, à quo abſolui debeat excommunicatus defunctus? an virtute Bullę poſſit ei abſolutio impertiri? Ad deciſionem quæſtionis ſupponenda eſt doctrina, quam eruditè tradit idem P. Suarez *d.* 7. *ſect. à num.* 3: ſcilicèt, eum, qui obiit excommunicatus, quantumvis in gratia deceſſerit, indigere abſolutione: *cap. à nobis*, *cap. ſacris*, *de ſent. excommun. cap. is cui*, *eodem titulo in* 6. Contrarium videtur ſenſiſſe Paludanus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 1. *art.* 1. *num.* 8. Attamen Nauarrus *in ſum. cap.* 27. *num.* 271. cum aliquibus, tenet mortuum non propriè abſolui; ſed declarari, obiiſſe coram Deo abſolutum, vt poſſint pro eo orationes offerri. Hunc modum dicendi ſequitur Rodrig. *in Bul.* §. 10. *in fin.* Villalob. *tract.* 27. *clauſul.* 10. *n.* 3. Trullench *in Bul. lib.* 1. §. 7. *c.* 2. *dub.* 20. *n.* 4. Vbi hi addunt, hanc declarationem, cùm non ſit abſolutio, non poſſe fieri à potente abſoluere; ſed neceſſariò à iudice, aut ſuperiore faciendam: de quo *infrà*.

43 Nihilominùs modus loquendi in iure frequens de abſolutione excommunicati defuncti rectus eſt, & proprius: quamvis enim cenſura non poſſit in mortuum ferri; tamen reſpectu illius, quæ lata fuit, aliquo modo manet, ſiquidem ratione excommunicationis corpus inhabile eſt ad ſepulturam Eccleſiaſticam, & anima ad participandum orationes, & ſuffragia Eccleſiæ, cum duret prohibitio reſpectu viuorum, ne pro illa orent. Vnde abſolutio defuncti eſt vera ablatio huius vinculi, provt durat; ſcilicèt ablatio prohibitionis Eccleſiæ, qua viuentes orare pro eo defuncto non poterant, & quia prohibebatur, eius corpus ſepulturæ Eccleſiaſticæ tradi. In quo ſenſu ſaluatur, eſſe propriè abſolutionem illam defuncti, ad quam tamen præſtandam, opus eſt, ſigna contritionis ante mortem exhibuiſſe, vt à contumacia recedens ad Eccleſiæ obedientiam rediiſſe cenſeatur; alioquin indignus eſſet abſolutione, & ſine fructu ei concederetur.

44 Addit ergo P. Suarez, quem ſequor, vt quæſito ſatisfaciam, defunctum non poſſe abſolui à quolibet Sacerdote; ſed ab illo tantùm, à quo viuens abſolui potuiſſet, eo quòd ceſſauerit iam articulus mortis, in quo quivis Sacerdos poteſt abſoluere, vnde debet abſolui ab habente iuriſdictionem ordinariam, aut delegatam, reſpectu illius cenſuræ, qua innodatus exiſtebat. Cum igitur poſſit habere eiuſmodi iuriſdictionem ad abſoluendum aliquis, qui non ſit iudex, aut Superior, non benè ad hos ſolos reiiciunt abſolutionem, ſeu, vt vocant ipſi, declarationem, Trullench, Rodriguez, & Villalobos *ſuprà num.* 42. citati. Et quidem, cum oſtenderimus, eſſe eam propriè abſolutionem ab aliquo vinculo, non eſt cur nequeat eam mortuo impertiri, qui poterat viuo.

45 Hoc tamen ſic limitandum eſſe cenſeo, vt is poſſit abſoluere, qui poterat antecedenter ex propria iuriſdictione ordinaria, aut delegata; non verò is, qui ex ea non poterat, quamvis virtute Bullæ poſſet eligi ab eo, qui iam obiit, dum viueret, vt à cenſura abſolueretur. Etenim Pontifex habenti Bullam concedit, vt eligat Confeſſarium, qui eum abſoluat ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis à quibuſcumque cenſuris, & peccatis reſeruatis ſpecialiter, & ab aliis toties quoties, dum viuit; non verò poſtquàm obiit: eius enim morte ceſſant priuilegia, quibus fruebatur, præter priuilegium ſepulturæ Eccleſiaſticæ, & ſanè poſt mortem eligere non poteſt formaliter, aut interpretatiuè Confeſſarium, qui eum abſoluat: electio enim ad viuentem attinet, non ad defunctum. Vnde virtute Bullæ defunctus abſolui nequibit.

46 Quòd ſi quis è vita decedat excõmunicatione occulta innodatus, aſſerit Nauarrus abſolutionem non eſſe procurandam, ne publicetur delictum; & quidem ſi contritus obiit, quoad Deum manet abſolutus, nec fideles prohibentur pro illo orare; quia non tenentur abſtinere à communione ciuili, nec ſacra, reſpectu excommunicati, niſi ſit publicè denuntiatus, aut publicus Clerici percuſſor; imò ſubiungit P. Suarez, non videri eſſe ex intentione Eccleſiæ, vt ille decedens in gratia priuetur communibus ſuffragiis Eccleſiæ; at tutius eſſe, ſi commodè fieri poſſit, eum abſolui ſecretò à cenſura, vt fruatur eiuſmodi ſuffragiis, ſi fortè verior ſit ſententia, eum non frui illis, dum non abſoluitur.

47 Si verò quis excommunicatus vitandus in loco ſacro ſepeliatur, quomodo exhumandus, & reconciliandus locus, vtpotè pollutus, ſi corpus diſcerni poſſit à cęteris, nec niſi exhumetur, celebranda ſint ibi officia diuina, aut alia fideliũ corpora ſepelienda; Videatur Pater Suarez *eo tom. diſt.* 12. *ſect.* 4. *num.* 4. extra rem enim noſtram eſt. Ibi etiam conſtabit poſt Extrauagantem, *ad euitanda*, quæ extat in Concilio Baſilienſi *ſeſſ.* 20. *ad fin.* (non in Conſtantienſi, in quo non extat, licèt ex illo à non paucis referatur) non omnes excommunicatos fore vitandos: vndè infertur, nec omnium excommunicatorum corpora exhumanda eſſe, ſi ſepulta ſint in loco ſacro; ſed dumtaxàt eorum, qui erant vitandi.

48 Fine *huius capitis* aduerte, cum in hac clauſula aſſeritur, ſepeliri poſſe in loco ſacro eos, qui indulgentiam plenariam expoſitam lucrantur non excludi cæteros habentes Bullam, etiam ſi eam non lucrentur, quo-

minus poſſint tempore interdicti in loco ſacro tumulari, dummodò excommunicati non obeant: hoc enim priuilegium omnibus conceſſum eſt, qui Bulla Cruciatæ gaudent, vt expoſuimus *diſput.* 15. *cap.* 5. & fortè expreſſum fuit in ſpeciali in præſenti, non vt cæteri excluderentur; ſed ob rationem attactam *ſuprà num.* 40.

DISPVTATIO XXVIII.

De acceptione Bullæ Cruciatæ Communis Viuorum bis eodem anno in ordine ad aliqua priuilegia iteratò fruenda.

1 ASſeritur in Bulla Latina ſpeciali. *Ac vti idem omnes Chriſti fideles non tantùm ſemel, ſed bis ſingulo quoque anno, quo idem ſummarium ſumpſerint, tàm per ſe, quàm per modum ſuffragij pro animabus in Purgatorio detentis, indulgentias, conceſſiones, gratias, & indulta prædicta conſequi: eiſque infra eumdem annum bis (vt præfertur) vti, & potiri, gaudere, ac dictorum bonorum ſpiritualium participes fieri valeant, in Domino miſericorditer concedimus, & elargimur.* In Bulla Hiſpana ſic extat. *Otro ſi, ſu Santidad por ſu Breue particular ha concedido à todos los fieles Chriſtianos que tomaren eſta dicha Bula dos vezes en el dicho año, que puedan otra vez en la vida, y otra en el articulo de la muerte, demas de la que arriba eſtà concedida, ſer abſueltos de todos y qualeſquier pecados, crimines, y exceſſos, por mas graues que ſean, y de qualeſquier cenſuras, y ſentencias de excommunion, en que huuieren incurrido, aunque ſean de las contenidas en la Bula de la Cena del Señor, y la abſolucion reſeruada à ſu Santidad, excepto el crimen de la heregia, como dicho es; y puedan gozar dos vezes de todas las gracias, indulgencias, facultades, y perdones contenidos en la dicha Bula.*

2 Hanc conceſſionem primus fecit Gregorius XIII. die 5. Martij, anno 1574. Quamvis enim Paulus IV. die 15. Martij, anno 1559 conceſſerat, vt toties obtineretur indulgentia plenaria Bullæ, quoties hæc intra eumdem annum acciperetur; tamen hæc conceſſio poſteà reuocata fuit: quare illam modo exponendo Gregorius conceſſit, eamque deinceps ſequentes Pontifices renouant, ac confirmant, cum Bullam ipſam Cruciatæ denuò concedunt. Duplex eſt priuilegiorum genus in Bulla contentum; aliud quo indulta indefinitè præſtantur, nec pro ſemel reſtringuntur. Aliud, quo aliquis fauor, aut priuilegium conceditur; ſed ad vnam dumtaxàt vicem reſtringitur: ſcilicèt abſolutio à peccatis, & cenſuris Pontifici reſeruatis ſemel in vita, ſemel in articulo mortis indulgetur, de quibus egimus *diſp.* 23. & 25. Applicatio indulgentiæ plenariæ condiſtinctæ ab indulgentiis Stationum, ſemel etiam in vita, anno durationis Bullæ, & ſemel in articulo mortis conceditur, de quo *diſputat. præcedenti.* Deindè pro quolibet defuncto vnica Bulla defunctorum à ſingulis accipi poteſt; de cuius Bullæ expoſitione agemus *diſput.* 36. Demùm in ſententia aliquorum, quos impugnaui *diſp.* 6. *cap.* 5. indulgentiæ Stationum viſitando quinque Eccleſias, aut altaria, ſemel ſolùm in die valent obtineri. In mea autem, & plurium opinione, toties, quoties ea viſitatio fiat, obtinentur.

3 Igitur ad fruendum priuilegiis primi generis, non eſt opus, ſecundam Bullam accipere, cum per primam poſſit quis illis frui, quoties voluerit; atque adeò poteſt pluries eligere Confeſſarium ad non reſeruata; audire ſacrum, & recipere Sacramenta in pluribus diuerſis interdicti temporibus; veſci carnibus de conſilio vtriuſque medici diuerſis diebus prohibitis; hiſque ſimilia, quæ decurſu huius Operis declarantur. Vt autem quis iterùm fruatur priuilegiis ſecundi generis, neceſſaria eſt ſecundæ Bullæ acceptio, nec ad tertiam accipiendam datur vltrà facultas. Poterit ergo quis accipiens ſecundam Bullam iterùm eligere Confeſſarium, qui eum abſoluat à reſeruatis Pontifici. (De Regularibus quid ſit tenendum circa reſeruata in ſua Religione, vide *diſputat.* 24. & circa reſeruata Pontifici, *ibidem à num.* 197.) abſoluat, inquam, iterùm in vita eo anno, & iterùm in articulo, aut periculo mortis, ſi bis eo anno in illud inciderit. Poterit rurſùs ſupradicta indulgentia plenaria ei applicari in vita, & in articulo mortis iterùm: prætereà valet quis, ſi ſequatur ſententiam ſtrictiorem circa lucrationem indulgentiæ Stationum, bis in die illam lucrari, & bis in die animam à Purgatorio liberare, dum ſit dies præfixus in ipſa Bulla ad liberandam animam. Demùm poteſt quis duplicem Bullam defunctorum pro vno defuncto ſumere.

4 Nec eſt neceſſarium, vt quis accipiat Bullam viuorum primam, & ſecundam, vt pro eodem defuncto duplicem Bullam defunctorum ſumat. Hoc enim priuilegium ſumendi eodem anno duplicem Bullam intelligitur de vtraque Bulla viuorum, & defunctorum, eo quòd antecedenter ad illud non poterat quis ſumere pro ſe niſi vnicam Bullam viuorum; & pro vno defuncto vnicam Bullam defunctorum: id autem, quod non licebat, & poterat aliquẽ effectum vtilem ſortiri, conceditur in hoc indulto; non verò eſt aliqua connexio inter Bullam viuorum, & defunctorum

Digitized by Google

functorum, ita vt vna ſeorſim ab alia accipi nequeat, & ſicut poteſt quis accipere vnam pro defuncto Bullam, quin pro ſe Bullam viuorum acceperit; ſic poteſt ſumere pro eodem defuncto ſecundam Bullam, quamvis pro ſe ſecundam, imò nec primam ſumpſerit. Vtilis autem cenſenda eſt ſecunda Bulla pro eodem defuncto, eodem anno, ſicut vtile eſt, diuerſis annis pro eodem defuncto Bullas accipere, & plures indulgentias plenarias eidem applicare, ac plures in altari priuilegiato Miſſas celebrari, facere. Etenim, vt alibi annotauimus, & ſi indulgentia infallibilitatem habeat tum circa remiſſionem pœnæ debitæ reſpectu viuorum, tum circa liberationem animarum à Purgatorio, ſi omnia requiſita adſint; tamen quia aliquod ex his poteſt deficere, aut modo debito non apponi, vel, quia aliqua ſunt ſub opinione, poteſt contingere, vt quis ſequatur opinionem probabilem; ſed re ipſa non veram: ex quibus capitibus poteſt prouenire, non ſequi effectum indulgentiæ, vnde valdè expedit, ea omnia media repetere.

5 Conſequenter ad dicta hoc priuilegium non operatur circa Bullam lacticiniorum pro Eccleſiaſticis, quia vnica ſufficit pro toto tempore anni, pro quo conceditur. Deindè nec operatur circa Bullam compoſitionis. Etenim Pontifex Commiſſario generali compoſitionem de bonis incertis committit. Ipſe verò poſſet, ſi vellet, ſibi ipſi omnem compoſitionem reſeruare, & Bullas compoſitionis tollere. At ille vſque ad certam quantitatem diſponit poſſe per Bullas componi: maiorem autem quantitatem reſeruat à ſe componendam; & iuxta eius diſpoſitionem poſſunt à quolibet accipi quotannis quinquaginta Bullæ compoſitionis, per quas liber maneat à reſtitutione bonorum incertorum, quorum æſtimatio ſint bis mille nongentæ ſeptuaginta vna drachmæ Hiſpanæ; quælibet namque Bulla proficit ad componendas quinquaginta octo drachmas, & ſex aſſes Hiſpanos; de quo ex profeſſo tractabimus *diſp.* 32. Quare priuilegium, de quo in præſenti, nihil circa Bullas compoſitionis operatur: tum quia hæ diſpoſitioni Commiſſarij generalis ſubjacent: tum quia non eſt intelligibile, quomodo operetur. Niſi dicas, poſſe duplicari eas quinquaginta Bullas, centumque accipi. Sed contrà planè, quia poſt hoc priuilegium Commiſſarius ipſe deſignat numerum drachmarum, quæ per Bullam componi queunt, & eis non correſpondent niſi quinquaginta Bullæ: Commiſſarius autem executor priuilegiorum nunquam ea reſtringit, nec eſſet titulus ad reſtrictionem: quin potiùs ampliat, cum compoſitionem ſibi commiſſam per Bullas fieri diſponat vſque ad certam quantitatem. Contrà etiam, quia hoc non eſſet ſolum priuilegium accipiendi iterùm aliam Bullam, ſed plures Bullas: quod eſt contra verba Pontificis; & res ipſa eius menti, fini, & intentioni aduerſatur. Nec aſſeri valet, concedi per hoc priuilegium, vt vna Bulla ſuprà illas quinquaginta accipi queat. Tum ob dicta de diſpoſitione Commiſſarij, à quo tota res pendet; tum quia, ſi priuilegium eſſet etiam circa Bullas compoſitionis, ſicut concedit, duplicari poſſe alias Bullas, quas licebat accipere abſque hoc priuilegio, etiam concederet duplicari poſſe illas quinquaginta Bullas compoſitionis, quas accipere licet: cum priuilegium hoc non diſtinguat.

6 In ſententia communi aſſerente, ſi quis culpabiliter Bullam Cruciatæ amittat, non poſſe eius frui priuilegiis, ſunt aliqui tuẽtes, eo caſu pro non accepta Bullam haberi, & poſſe aliam accipi toties, quoties amittatur. Ita Trullench *in expoſ. Bul. lib.* 1. §. 8. Rodrig. *in Bul.* §. 11. *num.* 1. Villalob. *tract.* 27. *clauſ.* 11. Oppoſitum ſentit P. Henriq. *lib.* 7. *de indulg. c.* 11. *num.* 1. *in gloſſ. lit.* C. Vbi nullam rationem affert, ſed ſolùm ait, aſſeri falſum ab Emanuële Rodriguez, dum docet, amiſſa Bulla ſecunda, aut tertia, poſſe quem alia frui.

7 Mouentur Authores primæ opinionis propoſitæ, tum argumento *leg. hac conditio. ff. de condit. & demonſt.* Videatur Nauarrus *de indulg. n.* 34. *q. fin.* Tum ex intentione Pontificis, quæ aliàs fraudaretur. Etenim id intendit, vt acceptio Bullæ proſit quoad effectum fruendi eius priuilegiis; ſi autem ea amiſſa, quis eiuſmodi priuilegiis nequit frui, non valet is effectus ſequi, atque adeò amiſſa pro non accepta debet reputari.

8 Poteſt id confirmari, nam qui inutiliter adhibet media, vt Iubilæum obtineat, poteſt iterùm media vtiliter apponere, vt illum conſequatur; ergo qui Bullam amiſit, quæ iam inutilis eſt in hac ſententia ad fruendum indulgentiis, aliiſque priuilegiis, poteſt aliam accipere, vt fruatur; cum prima acceptio Bullæ fuerit medium redditum inutile per amiſſionem, ſicut media ad obtinendum Iubilæum prima vice in caſu poſito redduntur inutilia per aliquem defectum.

9 Hæc equidem ſententia & benignior eſt, & verior, ac Pontificis intentioni, quantum iudicari poteſt, conformior. Cæterùm in mea opinione, quam ſtabiliui *diſputat.* 21. *cap.* 1. non datur locus huic quæſtioni: ibi enim aſſerui, poſſe quem frui priuilegiis Bullæ Cruciatæ, quamvis culpabiliter eam amiſerit, aut ruperit. Quare opus non eſt, vt alia accipiatur in eius defectum. Hinc qui Bullam ſic amiſit, ſi velit frui priuilegiis *ſuprà* deſignatis bis, nõ indiget acceptione duplicis

Digitized by Google

Bullæ, præter amiſſam, ſed vnius; ſic enim & ratione illius primò acceptæ, & amiſſæ, & alterius, quam ſumit, valet eiuſmodi priuilegiis bis gaudere.

10 Secunda Bulla poteſt accipi quolibet tempore intra annum durationis illius: imò poſſet quis ſimul duas Bullas accipere ex communibus, tum vt indulgentia plenaria, de qua *ſuprà* bis, diuerſis temporibus, ſibi applicetur; tum vt abſoluatur à reſeruatis Pontifici, ſi fortè, ſemel obtenta abſolutione ab illis, ob ſuam fragilitatem in eadem reincidat, & non facilè tunc queat Bullam accipere. At pro eodem defuncto ſumptio ſimultanea duplicis Bullæ alicui videbitur ſuperflua: cum enim per vnam, ſi requiſita omnia adſint, infallibiliter ſit anima liberanda à Purgatorio, idem videtur fore præſtandum per vnam Bullam, ac per duplicem: ſi quidem in ſumptione ſimultanea eadem coincidunt requiſita reſpectu vnius, ac alterius Bullæ, & applicatio pro tali defuncto etiam eſt ſimultanea. Quæ ſuperfluitas non reperitur, ſi non ſimul, ſed diuerſo tempore ſecunda Bulla accipiatur, cum potuerit in acceptione primæ aliquot requiſitum defuiſſe, & ideò anima non fuiſſe à Purgatorio liberata: v. g. ſi fortè eſſet vera opinio exigens ſtatum gratiæ in eo, qui applicat indulgentiam pro defuncto, & non extitiſſet in gratiæ ſtatu quis, cum primam Bullam pro defuncto accepit, eique indulgentiam applicauit.

11 Nihilominùs affirmandum eſt, vtiliſſimam eſſe ſumptionem ſimultaneam duplicis Bullæ pro vno defuncto; ſicut, ſi ſint plura altaria priuilegiata, in quibus per ſingulas Miſſas liberatur anima à Purgatorio, piiſſimum eſt, facere in omnibus celebrari ſimul plures Miſſas pro eodem defuncto. Nec adeò in indiuiſibili temporis ea duplex Bulla accipitur, & applicatur, vt non poſſit aliquod requiſitum deficere reſpectu vnius, & non alterius. Imò poteſt ſimul accipi Bulla, & non ſimul applicari, ſed ſucceſsiuè; ſicut poteſt quis accipere Bullas defunctorum, non adhuc determinatis his, pro quibus accipit, & poſtmodum determinare: diceturque illa acceptio materialis, poſteaque erit formalis, cum applicet, tuncque dicetur Bulla accepta pro tali defuncto. Et ſanè in ea acceptione ſimultanea duplicis Bullæ nullum eſt inconueniens, & pietas exercetur, tum circa expeditionem Cruciatæ erogando eleemoſynam (quæ eadem eroganda eſt pro Bulla ſecunda, ac pro prima, ſiuè ſit Bulla viuorum, ſiuè defunctorum) tum circa animas Purgatorij, quibus vtilis erit ſecunda Bulla, etiam ſi per primam liberaretur à Purgatorio ea, pro qua accipitur.

DISPVTATIO XXIX.

De ſuſpenſione, & reualidatione aliarum gratiarum, quæ extat in Bulla Cruciatæ.

Verba Bullæ Latinæ ſunt. *Item prædicto Commiſſario, & Receptori Generali datur facultas, vt ſuſpendere poſſit, dicto anno durante, omnes ſimiles, vel diſſimiles indulgentias, & facultates ab eiſdem, & Sede Apoſtolica, vel eius authoritate, quibuſvis Eccleſiis, Monaſteriis Hoſpitalibus, piis locis, Vniuerſitatibus, Confraternitatibus, & ſingularibus perſonis, in Regnis, inſulis, terris, locis, & dominiis præfatis (etiam in fauorem fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, vel alterius ſimilis Cruciatæ, ſi quæ in Regnis, inſulis, terris, locis, & dominiis præfatis receptæ adhuc durent) conceſſas huiuſmodi; etiam ſi clauſulas aliquas contra ſuſpenſionem facientes continerent; ita vt neque interim publicari poſſint, neque publicatæ cuiuis hominum communiter, vel diuiſim ſuffragentur: exceptis tamen conceſſis Ordinum Mendicantium Superioribus, quoad eorum Fratres tantùm. Item dicto Commiſſario etiam conceditur facultas, vt ipſe per ſe, vel alium, ſeu alios, quando, & quoties ſibi videbitur, indulgentias, & alias gratias per eum ſuſpenſas in fauorem illorum, qui præſentium gratiarum in hanc cauſam pro religionis defenſione conceſſarum participes effecti fuerint, reualidare abſque aliquo præmio poſſit.*

Commiſſarius hac vtens facultate ait: *Proinde nos præfatus N. Commiſſarius Generalis, eadem authoritate Apoſtolica nobis per præfatas litteras conceſſa, ne hoc adeò pium, & ſanctum opus diſturbetur, & impediatur per alias indulgentias, gratias, facultates, & conceſſiones ſuſpendimus, durante anno prædicationis, & publicationis huius Cruciatæ, omnes ſimiles, & diſſimiles gratias, indulta, & facultates à præfatis Sanctiſſ. Dominis noſtris, & aliis Summis Pontificibus, & Sede Apoſtolica, vel eius authoritate, per dicta regna, dominia, inſulas, quibuſcumque Eccleſiis, Hoſpitalibus, & locis piis, Vniuerſitatibus, Confraternitatibus, & ſingularibus perſonis conceſſas, etiam in fauorem Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, aut alterius ſimilis Cruciatæ. Quamvis omnes conceſſiones huiuſmodi, vel quævis illarum, clauſulas aliquas contrarias huic ſuſpenſioni contineant, etiam ſi pro publicatione, & executione earumdem facultatum emanarint; ita vt, durante anno prædicationis, & publicationis huius Bullæ, huiuſmodi gratiæ ita ſuſpenſæ neque*

neque publicari, neque ſuffragari alicui poſſint; exceptis tamen, quæ conceſſa ſunt Ordinum Mendicantium Superioribus quoad eorum Fratres. Inſuper in fauorem huius præſentis conceſſionis, & Cruciatæ declaramus, vt, quicumque ſummarium huiuſmodi Bullæ ſermone, & idiomate vulgari conſcriptum acceperint, ij omnes fruantur, potiantur, & gaudeant omnibus gratiis, Indulgentiis, Iubilæis, peccatorum remiſſionibus, ipſis tàm per Sanctiſſimum Dominum noſtrum N. quàm per alios Summos Pontifices, aut Sedem Apoſtolicam conceſſis. Quæ ſcilicet omnia nos idem Commiſſarius generalis, vigore facultatis, & commiſſionis Apoſtolicæ per varias, & diuerſas litteras attributæ, & conceſſæ, reualidamus, & in priſtinum ſtatum reducimus, & reſtituimus. Caterùm in hac noſtra reualidatione minimè comprehendi volumus priuilegia, facultates, & indulta, quæ ſint contraria, & expreſſa in præfata Bulla.

Verba Bullæ Hiſpanæ ſunt. *Y ſu Santidad dà facultad à Nos N. Commiſſario Apoſtolico General de la ſanta Cruzada, para que podamos ſuſpender, durante el año de la publicacion deſta dicha Bula todas las gracias, indulgencias, facultades, y priuilegios concedidos en eſtos dichos Reynos y Señorios, Iſlas y Prouincias, de qualeſquier Igleſias, Monaſterios, y Hoſpitales, Cofradias, y lugares pios y perſonas particulares, aunque las conceſſiones tengan clauſulas contrarias à eſta ſuſpenſion. Y otroſi, para que podamos reualidar aquellas miſmas gracias, y facultades, y otras qualeſquier. Y nos el dicho Comiſſario general de la Santa Cruzada, en fauor deſta ſanta Bula, por la autoridad Apoſtolica à nos concedida, y para que tan ſanta obra no ſe impida, ni ceſſe por otra indulgencia, ſuſpendemos, durante el año de la publicacion, y predicacion della, todas y qualeſquier gracias, indulgencias, y facultades ſemejantes, ò diferentes, concedidas por ſu Santidad, ò por otros Sumos Pontifices ſus predeceſſores, ò por la ſanta Sede Apoſtolica, ò por ſu autoridad, en todos los dichos Reynos, y Señorios de ſu Mageſtad, à todas, y qualeſquier Igleſias, y Monaſterios, Hoſpitales, y otros lugares pios, Vniuerſidades, Cofradias, y ſingulares perſonas, aunque las dichas gracias, y facultades ſean en fauor de la fabrica de ſan Pedro de Roma, ò de otra ſemejante Cruzada; y aunque todas y qualeſquier dellas tengan clauſulas contrarias à eſta ſuſpenſion. Por manera, que durante el año de la publicacion deſta dicha Bula, ninguna perſona pueda ganar, ni gozar algunas otras gracias, indulgencias, y facultades, ni ſe puedan publicar; excepto las concedidas à los Superiores de las Ordenes Mendicantes, en quanto à ſus Frayles. Y en fauor deſta dicha Bula, y por la miſma autoridad Apoſtolica, declaramos, que los que tomaren eſta preſente Bula, puedan gozar, y gozen de todas las gracias, y facultades, è indulgencias, jubileos, perdones, y remiſſion de pecados, que les ayan ſido concedidos por nueſtros muy ſantos Padres Paulo V. y Vrbano VIII. y por los otros Sumos Pontifices paſſados de felice recordacion, ò por la ſanta Sede Apoſtolica, ò por ſu autoridad, comprehendidas en la dicha ſuſpenſion: las quales en virtud de la dicha comiſſion Apoſtolica les reualidamos.* Hucuſque verba Bullæ Latinæ, & Hiſpanæ.

CAPVT I.

Exponuntur aliqua in communi circa ſuſpenſionem aliarum gratiarum, reualidationemque ipſarum factam in Bulla Cruciatæ.

1 FINIS ſuſpenſionis gratiarum in hac clauſula contentæ conſtat ex ipſa; quis ſit, ſcilicèt ne aliqui iudicantes, ſibi ſufficere obtentionem indulgentiarum, quæ à Pontificibus conceſſæ ſunt Monaſteriis, Eccleſiis, aut locis piis, item & granis, ac imaginibus, ſimiliumque gratiarum, ab acceptione Bullæ Cruciatæ abſtinerent, indeque minueretur eleemoſyna in ſubſidium Cruciatæ eroganda.

2 Cæterùm ea eleemoſyna erogata, cum ceſſet hæc ratio, reualidantur eædem met gratiæ, facultates, ac indulgentiæ, quæ, ſi non acciperetur Bulla, ſuſpenduntur, ita vt, qui eam habet poſſit lucrari omnes gratias, quæ extra Bullam ipſam conceſſæ ſunt. Si autem quis eodem die, aut tempore publicationis Bullæ quotannis eam accipiat, reſpectu eius non fuit locus ſuſpenſioni gratiarum, cum ſemper eas lucrari valuerit: dicuntur tamen illæ reualidari, quia ſuſpendendæ eſſent reſpectu illius, ſi Bullam non accepiſſet. Itaque vox *reualidamus* in præſenti ſignificat, tàm reualidationem gratiarum, quæ reipſa ſuſpenſæ fuerunt, quàm retentionem earum in ſuo vigore, ſi locus ſuſpenſioni non fuerit.

3 Non autem ſuſpenduntur à Commiſſario Generali eiuſmodi gratiæ in Prouinciis, aut locis, vbi Bulla Cruciatæ non valet, cum poteſtas conceſſa illi ad ſuſpendendum gratias ſolùm ſit reſpectu locorum, vbi Bulla publicatur, & à Pontifice quidem non fit hæc ſuſpenſio, ſed à Commiſſario, cui facultas ad eam ſuſpenſionem indicendam præſtatur. Quare poterat Commiſſarius non ſuſpendere vllas gratias, ſi nullum indè contra ſubſidium Cruciatæ detrimentum præſentiret.

4 In mea ſententia, quam ſtabiliui *in ſuperioribus*

Digitized by Google

perioribus, de anno naturali durationis Bullæ, ſi in loco quodam publicata fuerit Bulla anno præterito die prima Februarij v. g. & hoc anno publicetur die decima eiuſdem menſis, ſane illis decem diebus, quamvis incolæ eius loci non gaudeant priuilegiis Bullæ, quæ iam expirauit, poſſunt lucrari quaſvis gratias, & indulgentias extra Bullam conceſſas: nam Commiſſarius in publicatione Bullæ anni præteriti ſolummodò ſuſpendit gratias, durante anno publicationis huiuſmodi: at ille annus non durat, cum prima die Februarij fuerit finitus, hoc ipſo quòd ſit naturalis, & aliundè non eſt publicata alia Bulla, per quam ſuſpendantur prædictæ gratiæ, cum ſupponamus, non publicari hoc anno Bullam vſque ad diem decimam Februarij; ergo illis decem diebus gratiæ aliæ non ſunt ſuſpenſæ, atque adeò abſque Bulla queunt obtineri.

5 Nec refert, Bullam huius anni eſſe iam publicatam in aliis locis ante primam diem Februarij; quia ſuſpenſio non habet vim, niſi à die publicationis in eo loco, in quo gratiæ ſuſpenduntur, ſicut nec annus publicationis incipit recenſeri niſi ab illo die, vt iam *in ſuperioribus* oſtendimus, & ex ipſius Bullæ verbis conſtat: aliàs plurimùm defraudarentur fideles incolæ locorum, in quibus publicatur Bulla valdè ſeriùs, ac in aliis locis; cum non debeant cogi, ad mittendum in alium locum eleemoſynam, vt Bulla pro ipſis ſumatur, nec illuc adire, ad eam ſumendam. Et ſanè in caſu propoſito, æquum non eſſet, vt illis decem diebus incolæ illius loci non poſſent frui aliis gratiis extra Bullam conceſſis, cum non ſtaret per ipſos, non accipere Bullam: & aliundè illis diebus ceſſaret finis, & ratio ſuſpenſionis, ſiquidem non propterea ij Bullam non acciperent, quia alias indulgentias, ſeu gratias poterant lucrari, ſed quia Bulla non erat adhuc publicata, vt acciperetur.

6 Vt autem reualidentur gratiæ, & indulgentiæ, debet accipere Bullam Cruciatæ is, qui illas eſt obtenturus, quamvis ipſæ gratiæ non ſint ei conceſſæ, ſed alicui Eccleſiæ, Monaſterio, aut Confraternitati. Etenim Capella, Monaſterium, aut Confraternitas non eſt capax accipiendi Bullam (quæ ſingularibus perſonis conceditur) vt eiuſmodi indulgentiæ reualidentur; nec is eſt finis huius ſuſpenſionis, ſed, vt lucraturi eas gratias, Bullam accipiant, & ſinguli eleemoſynam erogent, qui finis non obtinebatur, ſi aliter reualidarentur eæ indulgentiæ. Hinc, quotieſcumque publicatur in aliqua Eccleſia indulgentia plenaria obtinenda, quam vulgo vocant Iubilæum pleniſſimum, ſubiungitur in calce, eſſe neceſſariam Bullam Cruciatæ ad lucrationem.

7 Quin Commiſſarius Generalis Cruciatæ facultatem habet examinandi quaſcumque gratias, ac indulgentias à Sede Apoſtolica expeditas, & in praxi eſt, vt non priùs promulgentur, quàm ipſe examinauerit, & licentiam ad eas publicandas conceſſerit. Videatur Alphonſus Perez de Lara *in Compend. trium gratiar. pag.* 133. Quod examen eſt diſtinctum ab eo, quod committitur Epiſcopis; nec enim poſſunt de iure communi indulgentiæ publicari, quin priùs eas Ordinarius examinauerit, vt decreuit Tridentinum *ſeſſ. 21. de reform. cap. 9.* & antiquiùs iam Pontifices ſtatuerant. Et par eſt, vt omnia hæc examina præcedant, ne irrepat aliquis in indulgentiis abuſus, in ipſarum fraudem, ac irreuerentiam.

8 Aliquando Pontifices expediunt Iubilæum duplicis hebdomadæ pro toto terrarum orbe, ad quem obtinendum non eſt neceſſaria Bulla Cruciatæ, niſi deinceps exprimant in nouis Iubilæis concedendi neceſſitatem illius; non tamen Bulla requiſita fuit in Iubilæo duarum hebdomadum conceſſo à Sanctiſſ. Dom. noſtro Innocentio X. & publicato in Hiſpania anno 1645. & anno 1648. Quippè Pontifices conantur, vt nullus non fruatur ad ſuæ animæ bonum ampliſſimis gratiis concedi ſolitis in eiuſmodi Iubilæo, & vt non priuentur earum obtentione pauperes, qui præ inopia Bullam Cruciatæ non acceperunt, imò nec alij, qui ob negligentiam ea carent. Itaque hic Iubilæus à Commiſſario, Generali nequaquam ſuſpenditur.

9 Hic nota, olim Commiſſarium Generalem in ſummario Bullæ Hiſpanæ poſt ſuſpenſionem omnium gratiarum addidiſſe hæc verba. *Aunque para las publicar, y ganar, ſe les aya dado licencia nueſtra:* quæ clauſula iam ablata eſt, & meritò; nam aliter ſibi contrarius videretur Commiſſarius. Quippè ideò petita eſſet ab eo licentia obtinendi indulgentias, quia ipſe eas ſuſpendit, aliàs non fuiſſet neceſſarium, illam peti: cum igitur concedit eiuſmodi licentiam, id præſtat intuitu ſuſpenſionis à ſe faciendæ, quaſi dicat. Præbeo facultatem, vt hæ determinatæ indulgentiæ obtineantur, quantumvis ego ſuſpendam omnes indulgentias: igitur, etiam poſita ſuſpenſione, ea licentia vim habet, aliàs inutiliter fuiſſet conceſſa, ſi poſt ſuſpenſionem non foret vigorem ſortitura, cùm ante ſuſpenſionem non eſſet neceſſaria. Nec credibile eſſet Commiſſarium in publicatione ſuſpenſionis mutare mentem circa ea, quæ intuitu ipſius ſuſpenſionis præſtiterat. Attamen, quamvis Commiſſarius facultatem conceſſerit, vt indulgentia à ſe examinata publicetur, hæc ipſa ſuſpenditur per Bullam quoad

Digitized by Google

quoad obtentionem, nec eam poteſt lucrari, niſi Bulla gaudens. Illa enim licentia dumtaxat eſt, vt publicetur reſpectu habentium Bullam Cruciatæ, quæ publicatio adhuc hoc pacto fieri non poterat abſque Commiſſarij licentia.

CAPVT II.

An ſuſpendantur, & reualidentur in Bulla Cruciatæ à Commiſſario Generali facultates iuri communi inſertæ? item & gratiæ ab Epiſcopis conceſſæ?

10 VT præfixa Bullæ clauſula penitùs intelligatur, oportet, in ſpeciali explorare, quænam facultates, & indulgentiæ ſuſpendantur, ac reualidentur à Commiſſario generali Cruciatæ per authoritatem ſibi à Summis Pontificibus ad id præſtandum commiſſam. Tenendum eſt in primis, facultates iuri communi inſertas, & eas, quæ vim habent conſuetudinis, minimè per hanc Bullæ clauſulam reuocari. Docent ita Fernandez *in exam. Theol. mor. part. 3. cap. 9. ſect. 11.* Villalobos *tractat. 27. clauſul. 12. à num. 14.* Rodriguez §. 12. *num. 12. dub. 5.* Trullench *in expoſit. Bull. lib. 1. §. 9. dub. 1. num. 6.* Diana *1. part. tractat. 11. reſolut. 87.* & communis.

11 Etenim, quod eſt de iure communi, non reuocatur, niſi reuocatio apertè exprimatur; quam doctrinam tradit Bartol. *in Extrauag. Ad reprimendum, verbo, Non obſtantibus, in fin.* & communiter Doctores; & prætereà, quod vim habet conſuetudinis, neutiquam reuocatur, niſi apponatur hæc clauſula, *Non obſtante conſuetudine, cap. 1. de conſtitut. in 6.* At in Bulla Cruciatæ nec ea clauſula apponitur, nec extat expreſſa reuocatio facultatum, quæ iuri communi ſunt inſertæ; ergo per eam non reuocantur.

12 A poſteriori idem conſtat, nam de facto vſus aliquarum facultatum, & priuilegiorum eiuſmodi receptus eſt, quin Bullam Cruciatæ obſtare iudicetur, nec Commiſſarius Generalis reſiſtat, qui ſanè eum vſum impediret, ſi reuocationi à ſe factæ cerneret contrarium. Sic tempore interdicti Clerici, etiam ſolis Ordinibus minoribus initiati abſque Bulla ſacris interſunt; quæ eſt facultas iuri communi inſerta, vt docet Nauarrus *de indulgent. notab. 31. à num. 21.* & Authores *ſuprà* relati. Item Prælati Religionum præſtant litteras Confraternitatis, in quibus participationem bonorum operum, quæ in Religionibus ipſis exercentur, indulgent, quæ facultas etiam ex iure communi eis competit.

13 Tenendum eſt deindè, non reuocari, aut ſuſpendi per Bullam Cruciatæ indulgentias, ſeu facultates ab Epiſcopis conceſſas; quare vſus earum expeditus permanet; & Epiſcopi illas concedere valent. Sic Rodriguez *in explicat. Bull. in addit. ad* §. 12. *n. 10. in fin.* Villalobos *vbi ſuprà, num. 17.* Nauarrus *de indulg. notab. 27. num. 12. & notab. 28. num. 12.* Trullench *ſuprà, num. 5. & 9.* Quippè in Bulla Cruciatæ ſolummodò ſuſpenduntur gratiæ, & facultates immediatè à Sede Apoſtolica, & Summis Pontificibus emanantes, non verò, quæ ab aliis inferioribus Prælatis concedi queunt, vt conſtat ex verbis ipſius Bullæ *in proœmio huius diſp.* præfixis, ibi: *Suſpendimus, &c. gratias, indulta, & facultates à præfatis Sanctiſſimis Dominis noſtris, & aliis Summis Pontificibus, & Sede Apoſtolica, vel eius authoritate, per dicta regna, &c.* Vnde, cum gratiæ, & facultates ab Epiſcopis conceſſæ, non emanent à Pontifice immediatè, non ſuſpenduntur à Commiſſario. Quod quidem & praxis communis confirmat. Aliud eſſet, ſi Epiſcopus, aut quiuis alius, vt Sedis Apoſtolicæ delegatus, gratias, ac facultates indulgeret, ad quas concedendas non haberet aliundè ex proprio munere iuriſdictionem: illæ enim per Bullam ſuſpenderentur, quia ab Apoſtolica Sede emanarent. Etenim, etſi Pontifex conceſſerit Epiſcopis, aliiſque Prælatis iuriſdictionem ad concedendas aliquas facultates, ac gratias, eamque reſtringere, aut ampliare potuerit; attamen ea iuriſdictio proprio muneri iam eſt annexa, & dum ea vtuntur, non agunt, vt delegati Sedis Apoſtolicæ, ſed vt Epiſcopi, aut Prælati, indeque cernitur diſcrimen inter conceſſionem factam ab ipſis ex munere proprio, & factam, vt à delegatis, vt prima non cenſeatur à Sede Apoſtolica emanare, ſic verò ſecunda.

14 Hinc, vt ait P. Henriquez *lib. 7. de indulgent. cap. 29. num. 2. in fin.* non prohibetur Epiſcopus, aut eo Superior, publicare indulgentias, quas iure communi, & poteſtate ordinaria concedere poteſt; & *in gloſſa litter. K.* eam affert rationem, quia Bulla ſolùm vetat prædicari eas, quæ immediatè manant à Sede Apoſtolica. Vnde conſequenter non ſuſpenduntur per Bullam facultates, quas alij Prælati, vt Abbates exempti, & ſimiles concedere valent.

CAP. III.

Digitized by Google

hebdomadam omnibus fidelibus non ſuſpendi à Commiſſario, vt tenent communiter Expoſitores, & videre eſt apud P. Quintanadueñas *in libello de hoc Iubilæo*, *cap.* 27. *n.*10. Etenim cauetur, vt etiam pauperes non habentes Bullam tantum animæ bonum lucrentur, omneſque fideles media confeſſione Deum iratum placent, vt ea beneficia, quæ obtineri intenduntur, elargiatur. Communiter enim Pontifices hunc Iubilæum expediunt, cum Eccleſiæ, & regnorum neceſſitas vrget; cum bella graſſantur, hæreſes vigent, ſimiliaque mala timentur; quæ omnia mediis orationibus, eleemoſynis, piiſque aliis operibus in Iubilæo iniunctis præcaueri exoptatur. Hinc Commiſſarius huiuſmodi Iubilæos nec impedit, nec examinat, nec in eorum ſummario apponitur, vt in aliis, neceſſariam eſſe Bullam Cruciatæ, quod ſibi fideles perſuaſum habent.

21 Cum autem Pontifex aliquam aliam de nouo concedit indulgentiam obtinendam in Eccleſia, vel altari, ea eſt praxis, vt à Commiſſario examinetur, obtineaturque ab ipſo facultas illam publicandi, non aliter lucrandam, niſi habeatur Bulla Cruciatæ; ſicut non aliter obtinentur aliæ indulgentiæ antecedenter à Pontificibus conceſſæ. Quare Commiſſarius non ſolùm ſuſpendit gratias antiquas conceſſas, ſed etiam concedendas, labente, & durante anno publicationis Bullæ, ad quod à Pontificibus poteſtatem accepit, ideóque ipſi Pontifices, cum elargiuntur de nouo aliquas gratias, ſeu indulgentias ad regna, in quibus Bulla Cruciatæ viget, eam tacitè conditionem apponunt, eas non fore valituras, niſi Bulla Cruciatæ habeatur, vt ſic obſeruetur, quod ipſi Pontifices circa poteſtatem Commiſſarij indulſerunt.

22 Et quidem, licèt lex regulariter ſolùm futura reſpiciat, & priuilegium præterita, iuxta *cap.* 1. *& c. fin. de conſtitut.* & poteſtas ſuſpendendi, ac reualidandi facultates, aut indulgentias ſit priuilegium; attamen præfata propoſitio non eſt vniuerſaliter vera: nam priuilegium poteſt etiam futura reſpicere, cum hæc contrariantur fini priuilegij. Igitur cùm indulgentiæ, & facultates adhuc futuræ contrarientur expeditioni Bullæ, poteſt virtute illius commiſſarius eas ſuſpendere; aliàs plurimi non acciperent, erogata eleemoſyna Bullam ad obtinendas indulgentias in ipſa contentas, ſi abſque Bulla poſſent obtinere alias innumeras Eccleſiis, altaribus, & granis benedictis conceſſas. Videatur Trullench *in expoſit. Bull. lib.* 1. §. 9. *dub.* 1. *n.* 8.

23 Nec obſtat, verba Bullæ materialiter ſumpta ſolùm de gratiis conceſſis loqui. Etenim & Commiſſarius ſuam mentem ſatis declarat, dum exprimit, nullam gratiam poſſe obtineri abſque Bulla Cruciatæ, durante anno publicationis; & verba ipſa non aliud ſignificant, ſi rectè calleantur, tum quia gratiæ futuræ, poſtquam ſunt factæ, iam ſunt gratiæ conceſſæ, & omnes gratiæ conceſſæ per totum annum publicationis ſuſpenduntur; tum quia hæc ſuſpenſio non fit dumtaxat antè publicationem Bullæ, initio durationis ipſius, ſed toto integro anno; quaſi ſingulis momentis repetita perſeuerat, atque adeò ſtatim ac poſtea anni decurſu conceduntur à Pontifice nouæ gratiæ, ſuſpenduntur à Commiſſario per eam voluntatem, quæ perſeuerat, ſuſpenſiuam omnium gratiarum.

CAPVT IV.

An per Bullam Cruciatæ ſuſpendatur gratia liberandi animam à Purgatorio conceſſa altari priuilegiato?

24 SVſpendi, docent Moure *in examine mor. part.* 3. *fol.* 342. *num.* 2. Villalobos *tractat.* 27. *clauſ.* 12. *num.* 3. Rodriguez *in explicat. Bull.* §. 12. *num.* 4. Ludou. à Cruce *in Bull. diſp.* 1. *cap.* 9. *dub.* 2. *num.* 11. & id potiùs ſupponit, quàm affirmat, Diana 1. *part. tract.* 11. *reſolut.* 86. quamvis poſteà æquè probabilem iudicet oppoſitam ſententiam *in additionibus ſecundariis reſol.* 22.

25 Probant, quia à Commiſſario ſuſpenduntur omnes indulgentiæ plenariæ, ſed ea eſt indulgentia plenaria reſpectu animæ Purgatorij, cui omnium pœnarum remiſſio per modum ſolutionis à Pontifice diſpenſatur, mediis ſacrificiis à Sacerdote peractis; ergo ſuſpenditur à Commiſſario. Confirmatur primò, quia à Commiſſario in Bulla ſuſpenduntur gratiæ ſimiles, & diſſimiles gratiis in ipſa conceſſis; ſed hæc eſt ſimilis, ac diſſimilis illis, ſi quidem in Bulla indulgentiæ pro defunctis conceduntur, in quo eſt ſimilis; eſtò in Bulla non concedantur per celebrationem Miſſæ in aliquo altari, in quo eſt diſſimilis, igitur ſuſpenditur. Confirmatur ſecundò: nam expreſsè in Bulla ſuſpenduntur gratiæ, ac indulgentiæ Eccleſiis, & locis piis conceſſæ, altare autem, cui conceſſa eſt præfata indulgentia defunctis applicanda, locus pius eſt, ac parua Eccleſia, ſeu ſitum eſt in Eccleſia, ideoque ſub ea ſuſpenſione comprehenditur: gratiæ etenim, quæ altaribus conceſſæ ſunt, Eccleſiæ dicuntur conceſſæ. Hæc ſententia eſt vera, & tenenda.

26 Oppoſitam docet Trullench *in expoſit. Bull. lib.* 1. §. 9. *dub.* 4. *n.* 3. Mouetur, quia Bulla ſolùm ſuſpendit indulgentias reſpectu eius, cui reualidantur: etenim poſt ſuſpenſionem adiungit, quod omnes accipientes

Digitized by Google

Bullam *fruantur, potiantur, & gaudeant omnibus gratiis, &c.* at hæc conceſſio, & reualidatio reſpicit viuos Bullam accipientes, & non defunctos; ergo dumtaxat reualidat indulgentias viuis conceſſas, & conſequenter eas ſolummodò ſuſpendit. Reſpondeo, etiam viuos gaudere hac facultate liberandi animam à Purgatorio, nam reſpectu illorum eſt gratia, vt poſſint hoc ſuffragium præſtare defunctis parentibus, conſanguineis, amicis, benefactoribus, & quibuſvis aliis; ſicut reſpectu illorum eſt gratia, vt queant Bullam defunctorum accipere, pro quo maluerint, nulluſque non iudicabit, non ſolùm defuncto, verùm & ſibi gratiam præſtari, dum huiuſmodi facultas conceditur, quare ea poteſt & ſuſpendi, & reualidari.

27 Confirmat Trullench ſuam opinionem & Carrillo *in expoſit. Bull. defunctor. p. 2. c. 9.* docente, indulgentias conceſſas pro animabus Purgatorij non reuocari per clauſulas generales, nec per Iubilæum anni ſancti. Reſpondeo, clauſulam præſentem ſuſpenſiuam non eſſe generalem vtcumque, cum ſuſpendat ſpecialiter omnes gratias tam ſimiles, quàm diſſimiles, & gratia prædicta ſit ſimilis & diſſimilis iuxta *ſuprà* poſita; nec aliter videtur; clariùs potuiſſe hanc gratiam ſuſpendi, quàm per eam clauſulam. De Iubilæo anni ſancti alia eſt ratio; quia in ſuſpenſione facta in ipſo ſolùm is finis reſpicitur, vt viuentes Romam petant illum lucraturi, quod præſtabunt plures, ſi ſibi nequeant indulgentias alibi obtinere; cui fini non obeſt, quòd non ſuſpendatur gratia liberandi animam à Purgatorio per celebrationem Miſſæ; obeſt autem fini intento in Bulla Cruciatæ, vt ſæpè repetiuimus, loquendo de aliis quibuſcumque gratiis.

28 Sed ait Trullench, non obeſſe fini præſcripto in Bulla, quòd non ſuſpendatur gratia prædicta altaris priuilegiati, cum viui adhuc, vt gratiis, ac facultatibus potiantur, debeant accipere Bullam, quam acceptionem non minuere intendit Commiſſarius. Reſpondeo, hoc ratiocinium probare multum, nam pariter poſſet dici, non ſuſpendi gratias, ſeu indulgentias viuorum, cum adhuc, ſi non ſuſpendantur, debeant viui accipere Bullam, vt lacticiniis, ac ouis in diebus prohibitis veſcantur, & vt audire queant ſacrum tempore interdicti. Item non ſuſpendi facultatem ſepulturæ Eccleſiaſticæ tempore interdicti reſpectu eorum, qui aliundè eam haberent; nam, quamvis ea facultas non ſuſpendatur, illi eodem modo ſumerent Bullam, vt indulgentias obtinerent, aliiſque priuilegiis fruerentur. Et quidem hic Author propter ſua argumenta pariter poſſet dicere, non ſuſpendi per Bullam gratias pro defunctis conceſſas granis, imaginibus, aut altaribus, media oratione, aut alia via obtinendas.

29 Dicendum eſt igitur, per Bullam ſuſpendi omnes gratias, ac facultates, ac vnamquamque ſeorſim, nam hoc congruit meliori Cruciatæ expeditioni, cum ſic conſulatur vniuerſaliori Bullæ acceptioni. Quippè aliqui, iuxta diuerſa motiua, & deuotionem cuiuſque, poſſunt eam accipere eo præcipuè animo, vt lacticiniis, ac ouis veſcantur tempore prohibito; alij, vt indulgentias ſibi obtineant, alij, vt gratias defunctis applicent, & ſic de reliquis; inter innumeros enim fideles variæ dantur inclinationes, adhuc piæ, & Bullam non acciperent hi, qui abſque illa poſſent frui priuilegio, quod optant, quare, vt accipiant, & Cruciatæ creſcat ſubſidium, congruentius fuit, vt ſuſpenderentur omnes gratiæ, ac facultates, non aliter reualidandæ, & obtinendæ, niſi Bulla ſumatur.

30 Reſtat dignoſcere, an egeat Bulla Cruciatæ is, qui celebrat in altari priuilegiato pro anima Purgatorij, an is qui facit, vt celebretur? Et ſuppono, ſi Religioſus celebret in altari ſui cœnobij, eum non indigere Bulla, quia, vt *infrà* dicemus, & conſtat ex clauſula præſenti, Religioſi abſque Bulla valent frui gratiis, quæ ipſis conceſſæ ſunt. In hoc dubio inſinuat Eman. Rodriguez; requiri Bullam in celebrante. At Ludouicus à Cruce tenet, requiri in faciente, vt celebretur. Tenenda eſt prima ſententia. Etenim qui celebrat, non qui facit, vt celebret, lucratur eam pro defuncto indulgentiam, ſed Bulla eſt neceſſaria ei, qui lucratur indulgentiam, non ei, qui non lucratur, ergo eſt neceſſaria celebranti, & non ei, qui facit, vt celebret.

31 Confirmatur à paritate, ſi ego intenderem, vt anima mei parentis à Purgatorio liberaretur media viſitatione altarium in die Stationis, in qua eiuſmodi liberatio per Bullam conceditur, & à Ioanne poſcerem, vt altaria viſitaret propter hunc finem, nullus dicet me indigere Bulla, vt finis ille obtineatur, ſed Ioannem; quia liberatio animæ tunc ab eius opere, ac intentione dependet, non à me, qui medium ad liberationem non applico, ſed dumtaxat preces, aut conſilium impendo, vt impetrem à Ioanne, quod opto. Similiter ergo, qui facit, vt in altari priuilegiato celebretur, ſolùm apponit preces, aut eleemoſynam, qua celebrationem obtinet, non verò apponit ipſam celebrationem, quæ eſt medium requiſitum ad conſequendam pro defuncto indulgentiam; & celebrans eodem modo medium celebrationis apponit cum id præſtat rogatus, aut ſtipendium pro Miſſa accepit, ac cum vltrò idipſum exequitur. Et ſanè conſtat ſoli celebranti committi facultatem liberādi animam à Purgatorio, è formula, qua

conceditur,

Digitized by Google

conceditur, ea enim eſſe ſolet. *Vt quandocumque Sacerdos aliquis Miſſam defunctorum in dicta capella celebrauerit, anima ipſa per modum ſuffragij indulgentiam conſequatur, & à pœnis Purgatorij liberetur.* Hic obiter nota, Miſſam defunctorum, quæ in hac formula præſcribitur, ſumendam eſſe pro Miſſa applicata defunctis, ita vt opus non ſit, quòd dicatur aliqua Miſſa ex deſignatis in Miſſali pro defunctis; ſed quæcumque alia, ſiue de Sanctis, ſiuè de Tempore, aut votiua celebretur, dummodò Sacerdos eam applicet defuncto, illum à Purgatorio liberabit. Etenim valor ſatisfactorius æqualis eſt reſpectu animæ liberandæ à Purgatorio, ſiuè hæc, ſiuè illa Miſſa pro ea celebretur; & cum communiter nequeat Sacerdos dicere Miſſam ex deſignatis in Miſſali pro defunctis, ſi quidem tenetur celebrare de feſtiuitatibus occurrentibus Miſſas, niſi ſpecialis vrgeat ratio, non apparet credibile, Pontificem concedentem altari priuilegium præfatum, adeò illud reſtriuxiſſe, vt in eo ſolummodò liberetur anima à Purgatorio media celebratione Miſſæ prædictæ, quæ non quotidie, nec communiter poteſt celebrari. Quin potius Pontificis mens ea videtur, vt qualibet Miſſa applicata defuncto, liberetur anima. Hoc confirmat praxis, & perſuaſio fidelium, vnde in altaribus priuilegiatis inſcribitur, ibi liberari animam à Purgatorio per quamlibet Miſſam, quin exprimatur, quænam ſit Miſſa celebranda. Confirmatur etiam à paritate, nam eadem videtur eſſe conceſſio facta loco, ſeu altari priuilegiato circa liberationem animæ media Miſſæ celebratione, ac facta perſonis. At cum Pontifex alicui concedit, vt celebrans vbicumque Miſſam liberet animam à Purgatorio, id obtinetur per quamlibet Miſſam: ergo ſimiliter contingit, cum idipſum concedit altari.

CAPVT V.

Vtrum per Bullam Cruciatæ ſuſpendantur gratiæ, & facultates diſparatè ſe habentes ad gratias, & facultates ipſius Bullæ?

32 Diſparatè ſe habent illæ, quæ nullam retinent ſimilitudinem, aut æquiparationem cum gratiis, ac facultatibus Bullæ Cruciatæ; verbi gratia ſi quis habeat facultatem peregrinandi Hieroſolymam; ſi Epiſcopus licentiam obtinuerit condendi teſtamentum; & ſimiliter facultates, ac priuilegia ad honorem, ſeu iuriſdictionem ſpectantia, quibus fruuntur hi, qui in Academiis litteras diſcunt, aut docent; item Sanctæ Inquiſitionis Officiales, ac Miniſtri, & demùm plures aliquo gradu, munere, ſeu titulo pollentes.

33 Affirmandum ergo eſt, has gratias, & facultates per Bullam Cruciatæ non ſuſpendi. Hæc concluſio infertur ex doctrina Felini *in cap. nonnulli, de reſcript.* & Bartoli *in extrauaganti. Ad reprimendum, verbo: Non obſtantibus.* Defenditur à Villalobos *tract. 27. clauſul. 12.* Ludouico à Cruce *in expoſit. Bull. d. 1. c. 9. dub. 1. n. 2.* Rodriguez *in Bull. §. 12. num. 1.* Trullench *in Bull. lib. 1. §. 9. dub. 1. num. 1.* P. Henriquez *lib. 7. de indulg. cap. 22. num. 2.*

34 Probatur. Quoties in litteris Apoſtolicis aliqua priuilegia, quæcumque ea ſint, reuocantur, ſolum intelligitur reuocatio de his priuilegiis, quæ ſunt contraria indulto in eiuſmodi litteris conceſſo, vt Bartolus, & Felinus *vbi nuper* docent; cum ideò reuocatio apponatur, ne impediatur indultum; abſurdumque eſſet, ea reuocare priuilegia, quæ nihil obſtarent executioni litterarum. At gratiæ, & facultates diſparatè ſe habentes nihil omnino impediunt executionem Cruciatæ, eiuſque expeditionem, vt ex ſe conſtat: ergo nec reuocantur, nec ſuſpenduntur; quoad præſens enim idem argumentum fit de ſuſpenſione, ac de reuocatione, eamdemque vim in vtraque retinet diſcurſus factus. Hinc in ipſa Bulla Commiſſarius exprimit; ſe ſuſpendere gratias, & facultates, ne tam ſanctum opus expeditionis Cruciatæ impediatur: ergo, ſi non impeditur per gratias, & facultates diſparatè ſe habentes, non eſt de eius mente, vt hæ ſuſpendantur. Quod ſanè perſuaſum eſt fidelibus, qui neutiquam de Bulla Cruciatæ accipienda curant, vt gaudeant prædictis facultatibus, nec quis vnquam eam accepit, vt poſſet vti diſpenſatione obtenta in gradu prohibito ad contrahendum matrimonium; aut in impedimento ad petendum debitum; vel in irregularitate aut in ſimilibus, quia hæc non licent per Bullam Cruciatæ, ideóque non obſtant acceptioni illius.

35 Confirmatur. Ceſſante cauſa finali; ceſſat effectus illius, vt fert commune proloquium; at finis ſuſpenſionis factæ in præſenti clauſula eſt, vt fideles Bullam Cruciatæ ſumant, erogataque eleemoſyna, ſubſidium belli contra Infideles promoueant, qui finis ceſſat, ſeu non impeditur per gratias, ac facultates diſparatè ſe habentes: ergo ceſſat effectus eius finis, nempè ſuſpenſio reſpectu eiuſmodi gratiarum, ac facultatum. Etenim explicata cauſa finali in priuilegio, ab ea regulatur intentio, ſeu diſpoſitio illius, & ex ratione ſumitur intentio, & anima legis, ne extendatur vltra ipſam, aut minuatur obligatio; *cap. ex multa, de voto; leg. fin. ff. de hæredib. inſtituend.* Nauarrus *ſuper extrauaganti de datis pro gratia, n. 6. & 36.* Molina *de primogen.*

c.5. n.4. Auendaño *de exequend. mandat. c.4. n.26.* Mexia *in pragm. pauis conc.1. num.* 84. Antonius Gabr. *tom.1. verbo proœmium* Mandoſius *in cancellar. reg.* 28. *q.*2. Panormitan. *cap. fin. de reſcript.* Baldus *in leg. non dubium, ff. de legibus.* Conſtat autem in præſenti, quænam ſit cauſa finalis ſuſpendendi facultates, & gratias, & ea indicat ſatis, intentionem Commiſſarij ſuſpendentis illas non extendi ad facultates diſparatè ſe habentes.

36 Itaque in Bulla ſolùm ſuſpenduntur eæ facultates, & gratiæ, quæ ſunt impeditiuæ expeditionis, aut intentionis illius; cuiuſmodi ſunt illæ, quibus obtineri poteſt aliquid ex his, quæ per Bullam conceduntur, ſiuè ex toto, ſiuè ex parte obtineri poſſit: nam his facultatibus gaudens retardari ab acceptione Bullæ valeret, maximè ſi contentus eiſdem, nollet aliis gratiis potiri. Vnde per Bullam ſuſpenduntur gratiæ conceſſæ granis benedictis, imaginibus, altaribus, Eccleſiis, aut aliis rebus, locis, vel perſonis; nempè indulgentiæ obtinendæ media oratione, indulgentia plenaria applicanda in articulo mortis; facultas conceſſa laico audiendi Miſſam tempore interdicti, aut tunc fruendi ſepultura Eccleſiaſtica, etiam ſi hoc ei liceret abſque vlla pompa funerali, quippè hæ facultates, & gratiæ vel ſunt omnino ſimiles, aut partim ſimiles, partim diſſimiles facultatibus, & gratiis in Bulla Cruciatæ conceſſis. Et ſic de aliis facultatibus, proportione ſeruata eſt philoſophandum.

CAPVT VI.

An facultates, & gratiæ conceſſæ Religionibus Mendicantibus ſuſpendantur quoad ipſos Regulares per Bullam Cruciatæ? Vbi de nouitiis, de ſeruis, & de Tertiariis Ordinis Sancti Franciſci.

37 NOn ſuſpendi facultates, & gratias conceſſas Religionibus Mendicantibus (quæ autem hæ ſint, *in ſuperioribus* recenſuimus) per Bullam Cruciatæ quoad ipſos Religioſos, ſed hos poſſe abſque Bulla eas obtinere, & lucrari, eſt vera, & communis omnium Expoſitorum ſententia, & conſtat ex verbis expreſſis huius clauſulæ *initio præſentis diſputationis* præfixæ, in qua Commiſſarius Generalis, dum ſuſpendit omnes gratias, & facultates, excipit eas, quæ conceſſæ ſunt Superioribus Ordinum Mendicantium quoad eorum Fratres. Nec Commiſſarius eas ſuſpendere poterat, cum non accipiat ad hoc poteſtatem à Pontifice, qui in Bulla Latina, vt liquet ex clauſula præſenti loco ſuperiori allata, dum concedit Commiſſario facultatem ſuſpendendi gratias, & facultates, limitat, ac excipit facultates Ordinibus Mendicantibus indultas. In quo ſanè fauorem eorum Ordinum reſpicit, quos, vt de Republica Catholica benemeritos, fouere Sedes Apoſtolica conatur, ne vllo modo fruſtrentur priuilegia, quæ in eos contulit; & fruſtrarentur quidem, ſi ſuſpenſio ad illa extenderetur, cum non facilè poſſent Religioſi, ſaltem plurimi, accipere Bullam, eleemoſynam erogando; & eſtò poſſent, fauori eorum conſulitur, dum eiuſmodi priuilegia ſarta tecta ſeruantur.

38 Hic aduerte primò, nomine Fratrum, in ordine ad quos non ſuſpenduntur priuilegia, comprehendi omnes Religioſos prædictorum Ordinum, etiamſi non nuncupentur vulgari idiomate *Frayles*, vt eos nuncupat Bulla Hiſpana in præſenti. Quod notauerim propter Religioſos Societatis IESV, qui eo nomine non appellantur, idemque dicito de aliquibus aliis Sacris Ordinibus, vbi idem cernitur. Etenim mens Pontificis perſpicua eſt, & rectè latina locutione vocantur Fratres omnes Religioſi, quod etiam in Bulla Hiſpana intenditur ſignificari.

39 Aduerte ſecundò, priuilegia, & gratias à Pontificibus conceſſas Religionibus immediatè Superioribus earum præſtari, à quibus, vt à capite in membra, in ſubditos deriuentur; quod innuitur in præſenti clauſula, cum excipiuntur facultates, & gratiæ conceſſæ Superioribus Religionum Mendicantium. Quòd ſi conceſſio fiat Religioni abſque Superiorum mentione, nihil obſtat exceptioni prædictæ, tum quia eo caſu conceſſio à Superioribus acceptatur, qui ſuis ſubditis illam manifeſtant, indeque Superioribus facta eſſe indicatur; tum quia in præſenti exceptione attendit Pontifex ad communem modum expediendi priuilegia Religionum, quarum fauori conſulitur, ideoque excepta intelliguntur priuilegia conceſſa Religionibus, quamvis Superiorum mentio, aut ratio in eis non haberetur.

40 Aduerte tertiò, priuilegia denuò præfatis Religionibus concedenda non ſuſpendi per Bullam Cruciatæ. Etenim præſens clauſula ad præterita reſpicit, ac ad futura, cum fauori conſulat Religionum, idque Pontifex intenderit manifeſtè. Quod indè etiam cernitur, nam pone, hoc anno concedi aliqua eiuſmodi priuilegia, hæc ſanè non ſuſpendentur per Bullas annorum ſequentium, cum in eis excipiantur priuilegia Religionibus conceſſa, & priuilegia præfata reſpectu annorum ſequentium iam comprehenduntur ſub conceſſis: ergo nec Bulla hoc anno publicata illamet priuilegia ſuſpendit. Etenim non ampliùs vna Bulla, quam alia extenditur, nec reſpectu eiuſdem poteſt diuerſum effectum operari Bulla vnius anni, quam alterius.

41 Aduerte

Digitized by Google

41 Aduerte demùm, priuilegia, quæ alicui particulari Religioſo eſſent conceſſa à Pontifice, ſuſpendi per Bullam Cruciatæ, dummodò eſſent ex his, quæ *ſuperiùs* diximus ſuſpendi per illam. Etenim in præſenti ſolummodò excipiuntur, quæ conceſſa ſunt in ordine ad Religionem, vel ad alicuius Prouinciæ monaſteria, ſeu Domos, vel ad aliquod cœnobium, ſiuè Domum, vel demùm in ordine ad Religioſos fungentes hoc, aut illo munere, v. g. concionandi, peragrandi terras Infidelium ob horum ſpiritualem ſalutem, docendi, vel alio ſimili. In qua conceſſione fauori proſpicitur Religionis, quod ſecùs ſe habet, ſi vni Religioſo in ſpeciali priuilegium concedatur, quod, ſi Religioni attenderetur, non ei ſoli determinatè foret concedendum.

42 Contra doctrinam ſuperioris concluſionis partim opinatur Acoſta *in explic. Bull. quæſt.* 108. defendens, verum quidem eſſe, non ſuſpendi per Bullam Cruciatæ facultates præfatis Religionibus conceſſas, ſuſpendi verò indulgentias eiſdem præſtitas: quia ſolùm excipiuntur in præſenti clauſula facultates, quarum nomine indulgentiæ non comprehenduntur, vt ſtatuit Sixtus IV. *in extrauag. de pœnit. & remiſſ.*

43 Sed concluſio noſtra etiam de indulgentiis eſt intelligenda, & ſic expreſsè eam docent Nuñus *in 3. part. tom. 2. tract. de Bull.* §. 14. Rodriguez *in explicat. Bullæ*, §. 12. *n.* 5. Ludouicus à Cruce in Bull. *d.* 1. *cap.* 9. *dub.* 1. Villalobos *tract.* 27. *clauſul.* 12. *n.* 9. Diana 1. *part. tract.* 11. *reſol.* 88. Trullench *in Bull. lib.* 1. §. 9. *dub.* 3. Probatur, quia in præſenti non ait Pontifex: *Exceptis indulgentiis*, ſed ſubiungit: *Exceptis tamen conceſſis Ordinum Mendicantium Superioribus quoad eorum Fratres tantùm*; idemque in Bulla Hiſpana tranſcribitur. Vbi vox *exceptis* generaliter, & abſque addito, aut reſtrictione prolata cadit *ſuprà* omnia illa, quæ præceſſerant, & à Pontifice permittuntur ſuſpendi, atque à Commiſſario de facto ſuſpenduntur; non autem præceſſerant facultates dumtaxàt, verùm & indulgentiæ: igitur hæ pariter, ac facultates, excipiuntur; nec vllum eſt fundamentum, vt vox *exceptis* cadat ſupra facultates, & non ſupra indulgentias. Quare omnibus Religioſis hoc perſuaſum eſt, & abſque Bulla indulgentias ipſis conceſſas lucrari conantur, media ad id requiſita apponentes.

44 Iam verò loquendo de ſeruis Religionum, Hiſpanè *Donados*; hi, cum verè Religioſi non ſint, priuilegiis Religionis abſque Bulla Cruciatæ gaudere non valent, vt communiter tenent expoſitores Bullæ. Secùs contingit in Nouitiis, quia, & ſi profeſſionem, aut vota non emiſerint, tamen in fauorabilibus (quale eſt id, de quo agimus) veniunt ſub nomine Religioſorum, quare Fratres, ac Religioſi communiter appellantur, & in locutione præſentis clauſulæ Bullæ, ſicut & in locutionibus Decretorum, ac priuilegiorum, ad communem loquendi modum, non ad rigoroſum, & metaphyſicum eſt attendendum iuxta *leg. liberorum, §. quoad autem, ff. de legatis* 3. & docet Nauarrus *in manuali cap.* 27. *n.* 255. Maximè cum fauores ſint ampliandi, & latè interpretanda priuilegia Bullæ iuxta dicta *diſp.* 1. *cap.* 6. Ideò autem hæc ampliatio ad ſeruos ſupra dictos non ampliatur, quia non eſt par fundamentum, cum non veniant ſub nomine Religioſorum, adhuc in fauorabilibus, vt Nouitij, nec in communi vſurpatione Religioſi nuncupentur.

45 Nec Tertiariæ, aut Tertiarij Ordinis Sancti Franciſci (Hiſpanè *Terceros*) poſſunt frui vllis priuilegiis ex præfatis abſque Bulla Cruciatæ: quia hi, etiam in communi appellatione, & exiſtimatione iudicantur, & ſunt verè ſæculares, non Religioſi, ſubiectique ſunt iudicibus ſæcularibus, & in propriis domibus ſua bona, vt propria, poſſidentes commorantur, ac matrimonio, qui volunt, coniunguntur. Videantur Barboſa *lib.* 1. *de iure vniuerſo, cap.* 39. §. 2. *à n.* 4. Rodriguez *in explic. Bull.* §. 12. *n.* 9. Trullench *in Bull. lib.* 1. §. 9. *dub.* 3. *n.* 6. & apud ipſum alij.

CAPVT VII.

An facultates, & gratiæ Ordinum non Mendicantium ſuſpendantur quoad ipſos Religioſos per Bullam Cruciatæ.

46 SI Ordines non Mendicantes non communicent priuilegia Mendicantium, indubium eſt, ſuſpendi per Bullam eorum priuilegia etiam quoad ipſos Religioſos: id enim apertè conſtat ex præſenti Bullæ clauſula, in qua ſolum excipiuntur gratiæ, ac facultates conceſſæ Ordinibus Mendicantibus. Si verò communicent priuilegia iis, eſt apud Authores controuerſia, an communicent hoc priuilegium, ne ſuſpendantur eorum facultates, ac gratiæ, quod in præſenti Bullæ exceptione conceditur Mendicantibus?

47 Suſpendi ſanè per Bullam facultates, ac gratias etiam horum Ordinum communicantium priuilegia Mendicantiũm, tuentur Valerus, *in different. vtriuſque iuris verbo Abſolutio, n.* 45. Rodriguez *in explic. Bull.* §. 12. *num.* 5. P. Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. n.* 4. *in gloſſ. litt. T.* Trullench *in Bull. lib.* 1. §. 9. *dub.* 3. *num.* 2. At non ſuſpendi, defendunt Acoſta *in Bull. quæſt.* 105. *in fin.* Villalobos *tract.* 27. *clauſul.* 12. *num.* 11. Diana 1. *part. tract.* 11. *reſol.* 89.

Digitized by Google

48 Hæc ſecunda ſententia vera eſt. Etenim communicatio in omnibus priuilegiis comprehendit quæcumque ſine exceptione, alias non eſſet in omnibus; at eſt priuilegium Ordinum Mendicantium, ne eorum facultates, & gratiæ ſuſpendantur per Bullam Cruciatæ: ergo Ordines non Mendicantes, qui communicant omnia priuilegia Mendicantium, eo priuilegio fruuntur, & conſequenter non ſuſpenduntur per Bullam eorum facultates, & gratiæ. Cur enim eis communicatio in præfato priuilegio denegetur, ſi in cæteris non denegatur?

49 Dicunt aduerſantes, ideò denegari, ne fruſtretur intentio Pontificis, eiuſque clauſula in præſenti appoſita nugatoria reddatur, ſi extendantur eius verba ad Ordines non Mēdicantes, cum ſolùm excipiant Mendicantes. Reſpondeo, non fruſtrari Pontificis intentionem, quæ eò tendit, vt Ordinum Mendicantium fauori conſulat: & hoc ipſo quòd Pontifices ipſi communicationem cum Mēdicantibus tribuerint Ordinibus non Mēdicantibus, fauor præſens non ſuſpendendi facultates, ac gratias Mendicantium, & quicumque alij fauores eis præſtentur, primò, & per ſe ad Mendicantes diriguntur, ſecundariò autem ad non Mendicantes ex ipſa intentione Pontificis communicationem concedentis, confirmantis, aut non reuocantis. Prætereà clauſula præfata ſaluatur reſpectu Religionum, aut Monaſteriorum, quæ vel nunc temporis, vel in futurum communicationem cum Mendicantibus non habeant; qui effectus ſufficiens eſt, vt verba clauſulæ nugatoria non ſint.

50 Sed replicabis, per Bullam Cruciatæ ſuſpenditur priuilegium ipſum communicationis conceſſum Ordinibus non Mendicantibus, vtpotè contrarium expeditioni Bullæ; at, eo ſuſpenſo, non remanet titulus, ratione cuius facultates, ac gratiæ non Mendicantiū in ſuo vigore permaneant, ſed potiùs expreſſè per Bullam ſuſpenduntur: ergo ſuſpenſio præſens comprehendit facultates, ac gratias Ordinum, qui Mendicantes non ſunt. Reſpōdeo negando maiorem. Quippè priuilegium communicationis ſumptū ſecundum ſe præciſè non eſt ex his, quæ per Bullam Cruciatæ ſuſpenduntur: nam ita ſumptum diſparatè ſe habet ad finem Cruciatæ, eiuſque expeditioni non contrariatur: eſtò ex illo ſequatur obtentio aliorum priuilegiorum, quæ per Bullam conceduntur. Exemplo fit res clara. Priuilegium audiendi ſacrum tempore interdicti conceſſum alicui laico ſuſpenditur per Bullam Cruciatæ: nihilominùs ſi quis laicus irregularis obtinuiſſet priuilegium diſpenſationis in irregularitate, hoc priuilegium non ſuſpenderetur per Bullam, vtpotè diſparatè ſe habens: & tamen ex eo priuilegio ſequeretur; quòd ille poſſet ſtatum clerici aſſumere, & intereſſe ſacro tempore interdicti: quia per Bullam non ſuſpenditur priuilegiū clericorum potentium eo tempore intereſſe diuinis: ergo, quamuis ex poſitione vnius priuilegij ſequatur aliud priuilegium, quod non poſſet obtineri abſque Bulla, ſi primum priuilegium non eſſet poſitum, non propterea primum priuilegium per Bullam ſuſpenditur; ſiquidem abſque Bullà nequit laicus intereſſe ſacris tempore interdicti, & ſi habeat ad id aliunde priuilegium, quod ſuſpenditur, vt ſuppoſui; & tamē non ſuſpēditur aliud priuilegium, ratione cuius conſtituitur in ſtatu, in quo abſque Bulla poſſit intereſſe ſacris. Sic in præſenti, quamuis facultates, ac gratiæ Ordinum non Mendicantium ſecundum ſe inſpectæ non impertinenter, & diſparatè ſe habeāt ad Bullam, ſed potiùs ſint ex his, quæ aliàs forent ſuſpendendæ, & obtentio earum ſequatur ex priuilegio communicationis; tamen cum hoc præcisè, & ſecundum ſe ſumptum diſparatè ſe habeat, nec ſit ex his, quæ per Bullam ſuſpenduntur, nihil obeſt, quòd eo in ſuo vigore manente, ſequatur, quòd Ordines non Mendicantes conſtituantur in ſtatu, in quo abſque Bulla valeant ſuis facultatibus, ac gratiis gaudere.

51 Quòd ſi dicas, diſparitatem interuenire in caſibus poſitis, nempè quòd ille laicus transfertur ad alium ſtatum clerici, in quo nō eſt opus Bulla ad audiendum Miſſam; Ordines autem non Mendicantes non transferuntur ad ſtatum Mendicantium, in quo non eſt opus Bulla ad gaudendum gratiis, ac facultatibus. Reſpondeo, hanc diſparitatem non tollere vim argumenti: nam eſtò in hoc vterque caſus non conueniat, conuenit tamen in eo, quòd poſito vno priuilegio, quod per Bullam non ſuſpenditur, ſequitur aliud, quod non liceret, ſi primum priuilegium non daretur, & abſque eo non valeret ſine Bulla obtineri; ad quod præcisè paritatem adduxi. Deindè etiam Ordines non Mendicantes quaſi transferuntur ad ſtatum Mendicantium, ſiquidem ratione priuilegij communicationis habent ſe, ac ſi eſſent Mendicantes in ordine ad fruendum eorum priuilegiis, ac facultatibus. Vnde priuilegium communicationis, ratione cuius in hoc ſtatu conſtituuntur, non ſuſpenditur per Bullam; ſicut non ſuſpenditur illud, ratione cuius laicus irregularis poteſt tranſire ad ſtatum clericatus.

CAP. VIII.

Digitized by Google

CAPVT VIII.

Vtrum Monialium priuilegia ſuſpendantur per Bullam Cruciatæ?

52 NOn ſuſpendi priuilegia Monialium Ordinum Mēdicantium, docent Rodriguez *in explicat. Bul.* §. 12. *n.* 7. Villalobos *tractat.* 27. *clauſul.* 12. *numer.* 13. Trullench *in Bul. lib.* 1. §. 9. *dub.* 3. *numer.* 5. Nuñus *in* 3. *part. tom.* 2. *tractat. de Bulla*, §. 14. Ludouicus à Cruce *in Bul. d.* 1. *cap.* 9. *dub.* 4. *num.* 3. Diana 1. *part. tract.* 11. *reſolut.* 88. *in fin.* Quæ ſententia vera eſt. Etenim, licèt nomine Abbatiſſæ non veniat Abbas, iuxtà *Clement. Attendentes, de ſtatu monachorum*, & *ibi gloſ. verbo cecidiſſe*: tamen è contrà abſolutè nomine Religioſorum, Monachorum, aut Fratrum etiam Moniales quoad proportionabilia comprehenduntur, vt tuentur Felinus *in cap. de Monialibus, de ſent. excommunicat.* Fuſcus *de viſitat. lib.* 2. *cap.* 18. *numer.* 62. Barboſa *lib. de iure vniuerſo, cap.* 43. *num.* 14. Et ego *tom. de Ordinib. Militarib. diſquiſit.* 14. *num.* 43.

53 Quæ doctrina confirmatur ex iuris principijs: nam hæres, qui ſe obſtrinxit reſtituere aliquid fratribus etiam & ſororibus reſtituere cenſetur obſtrictus, *leg. Lucius*, §. *quæſitum, ff. de legat.* 3. & Doctores communiter *in cap. Raynuntius, de teſtament.* Prætereà priuilegium conceſſum filijs, niſi in eo addatur, debere eſſe maſculos, fœminis conceſſum intelligitur, *leg. iuſta, leg. filij, leg. cognoſcere, ff. de verbor. ſignificat.* Videatur P. Caſtro Palao *tom.* 1. *ſum. tract.* 3. *diſp.* 4. *p.* 12. *n.* 1. Vbi etiam docet, maſculinum in fauorabilibus, non verò in contractibus comprehendere fœmineum. Hinc priuilegia conceſſa viris, etiam ſi ſtricta ſit eorum interpretatio, fœminis intelliguntur conceſſa, vt tradunt Rebuffus *in leg.* 1. *ff. de verbor. ſignific.* Menochius *de adipiſcenda poſſeſſione, remedio* 4. *à num.* 61. & plures alij relati à Tiraquello *lib. retractat. conſanguin.* §. 1. *gloſ.* 9. *n.* 222. ac Doctores *in cap. cum plantare*, §. *Eccleſias, de priuileg.*

54 Igitur priuilegium conceſſum in Bulla circa vigorem priuilegiorum Fratrum Ordinum Mendicantium, ſeu exceptio eorum à ſuſpenſione generali, qua cæteræ facultates, ac gratiæ impediuntur, cum ſit fauorabilis, debet extendi ad Moniales prædictorum Ordinum, eæque ſub nomine Fratrum comprehenduntur, quoad facultates, & gratias à Sede Apoſtolica earum Abbatiſſis, ſeu aliis ipſarum Prælatis, vel in communi toti Ordini conceſſis; hoc namque conſentaneum eſt menti Pontificis, qui Ordines Mendicantes gratiis fouere intendit: dum enim Moniales etiam comprehenduntur, fauor non coarctatur, & prætereà principiis iuris id magis eſt conſonum.

55 Hinc, ſi Moniales Ordinum non Mendicantium habeant communicationem priuilegiorum, quæ Mendicantibus ſunt conceſſa, neutiquam ſuſpendentur per Bullam earum facultates, & gratiæ, ſed abſque illa poterunt lucrari indulgentias ipſis conceſſas, cæteriſque priuilegijs potiri, iuxta ea, quæ de Fratribus Ordinum non Mendicantium aſſeruimus *cap. praecedenti*: par enim omnino eſt ratio.

56 Nec obſtat, aſſeri in Bulla, exceptionem à ſuſpenſione ſuffragari Ordinibus Mēdicantibus *quoad eorum Fratres tantùm*: nam hæc dictio excluſiua *tantùm* ſolùm excludit perſonas diſſimiles, ſcilicèt ſæculares: cum enim conceſſæ ſint aliquæ gratiæ, ac indulgentiæ in fauorem prædictorum Ordinum, quibus potiri valent ſæculares, vt ſunt indulgentiæ pro omnibus expeditæ in Eccleſiis, ſeu altaribus Monaſteriorum, aut Domorum Ordinum eiuſmodi obtinendæ hac, aut illa die, ſanè per dictionem præfatam *tantùm* excluduntur ſæculares, & quiuis alij non contenti ſub voce Fratrum Ordinum Mendicantium, minimè tamen excluduntur hæ perſonæ, quæ comprehenduntur ſub eadem voce; iam autem ſtatuimus, Moniales ſub illa comprehendi, quare per illam non excluduntur.

57 Emmanuel Rodriguez *vbi ſuprà n.* 8. afferens pro ſe Cordubam, & Supplementum, aſſerit, in ſua Religione Sancti Franciſci eſſe quaſdam Tertij Ordinis Moniales, quæ in ſuorum Prælatorum manibus vota Religionis, Caſtitatis, & Obedientiæ emittunt, eiſque ſubditæ ſunt: quas, ait, frui omnibus priuilegiis ſui Ordinis, etſi in Congregatione non degant; indeque infert, eas poſſe abſque Bulla Cruciatæ eis priuilegiis gaudere. Fateor, hanc doctrinam eſſe veram ratione communicationis priuilegiorum, quam, ſuppono, dari in præfato Monialium Ordine. Cæterùm id non prouenit ratione Religionis Mendicantis, quippè non video, quo pacto prædictæ Moniales ſtrictè ſint Religioſæ, nec quomodo intelligendum ſit votum Religionis, quod emittunt; tum quia non emittunt votum Paupertatis, quod eſſentialiter requiritur ad Religionem conſtituendam: tum quia, ſi verè eſſent Religioſæ, gauderent gratiis, ac priuilegiis Religionum, & Ordinum Mendicantium, quoad temporalia, & quoad forum externum, ſicut omnes ſtrictè Religioſi gaudent. Eas autem huiuſmodi priuilegiis non gaudere decreuit Leo X. & ipſe Rodriguez fatetur.

58 Quare hæ Moniales non comprehenduntur ſub voce Fratrum in Bulla Cruciatæ,

Digitized by Google

nec, hoc titulo, potiri valent abſque Bulla gratiis, ac facultatibus; ſed præcisè, quia ſupponimus cum Emmanuele Rodriguez (quē rectè id callere, eſt iudicandum) eas Moniales habere communicationem priuilegiorum Ordinis Sancti Franciſci, non aliter ac illi Ordines non Mendicantes, qui cum Mendicantibus in priuilegiis communicant, de quibus egimus *cap. præcedenti.*

CAPVT IX.

An gratiæ, & priuilegia Ordinum Mendicantium ſuſpendantur quoad ſæculares per Bullam Cruciatæ?

59 EAdem eſt quæſtio de gratiis Ordinum non Mendicantium, qui communicant in priuilegiis cum Mendicantibus. Et quidem quædam ſunt priuilegia, ac facultates eorum Ordinum, in quorum vſu ſoli ipſi Regulares interueniunt, & de his dubium præſens non eſt, cum iam *ſuperioribus capitibus*, quid ſit tenendum, ſtatuerimus. Alia ſunt priuilegia, & facultates, in quorum vſu ſæculares interueniunt. Hæc priuilegia, & gratiæ adhuc in duplici ſunt differentia. Nam quædam conceſſæ ſunt in fauorem, tàm ſæcularium, quàm ipſorum Religioſorum immediatè, licèt cum reſpectu ad Religionem, cui etiam in conceſſione Pontifex intendit fauere. Huiuſmodi ſunt conceſſiones indulgentiarum, quas obtineant viſitantes altaria, ſeu Eccleſias prædictorum Ordinum hoc, vel illo die, ſeu feſtiuitate.

60 Ad has gratias, ſeu indulgentias obtinendas, Regulares ipſi non indigent Bulla Cruciatæ iuxta dicta *ſuperiùs*, at ſæculares, vt illas obtineant, opus habere Bulla, nulli dubium eſt, quippè tūc ſæculares ipſi immediatè eo fauore gaudent: quod in praxi ita obſeruatur, atque adeò in Summario harum indulgentiarum, quod in foribus, aut locis publicis præfigi ſolet, ſemper ſubiūgitur, neceſſariam eſſe Bullam Cruciatæ. Itaque fauor hic indulgentiarum, etſi Religionem reſpiciat; attamen immediatè fit etiam ſæcularibus, ideóque Bulla egent, vt illo potiantur.

61 Alia autem ſunt priuilegia, & facultates, quæ immediatè, ac præcipuè ſoli Religioni conceduntur, quamuis ſuffragētur tum ſæcularibus, tum Regularibus, qui eis gaudere valent. Eiuſmodi ſunt priuilegia abſoluendi à peccatis, & cenſuris, commutandi vota, diſpenſandi in aliquibus, & ſimilia, quæ vidēda ſunt in quauis Religione, quænam ſint. His priuilegiis actiuè, & paſſiuè vti queunt Regulares ipſi iuxta adhuc dicta abſque Bulla Cruciatæ; quare poterit Confeſſor Regularis, iuriſdictione aliundè pollens, abſoluere alium Regularem ab eiuſmodi peccatis, & cenſuris: eius vota commutare, & alia huiuſmodi.

62 Cæterùm an ſæculares indigeant Bulla, vt hoc fauore gaudeant, v.g. vt abſoluantur à peccatis, & cenſuris à Confeſſario Regulari virtute priuilegiorum ſui Ordinis, vt eorum vota commutentur, vt cum eis diſpenſetur in aliquibus, controuertitur in præſenti. Dicendum eſt, & in praxi ſeruandum, ſæculares non indigere Bulla Cruciatæ, vt his facultatibus gaudeant, atque adeò eas non ſuſpendi etiam quoad ſæculares, per clauſulam præſentem Bullæ.

63 Tenent hanc ſententiam Ledeſma, Ioannes à Cruce, Graffis, P. Henriquez, & P. Thom. Sanchez, quos refert, & ſequitur Diana 1. *part. tract.* 11. *reſolut.* 100. *& in additionibus reſolut.* 13. Supplementum Mēdic. 2. *part. fol.* 103. Villalobos 1. *part. tract.* 27. *clauſul.* 12. *à num.* 6. Cardinalis Lugo *tom. de pænitent. diſp.* 20. *num.* 146. Leand. de Sacramento *tom.* 1. *de Sacram. tractat.* 5. *diſputat.* 12. *quæſt.* 57. Rodriguez *in additionibus ad explicat. Bul. ad* §. 12. *num.* 1. mutans opinionem, quam docuerat *in ipſa explic. Bul.* §. 12. *num.* 4. Magiſtri item Salmanticæ conſulti anno 1576. Gallo, Medina, Bañez, Vzeda, Alcocer, & plures alij Authores, quos affert P. Henriquez 1. *tom. lib.* 7. *de indulgent. cap.* 28. *num.* 7. *in gloſſa littera Z.* Prætereà Pius V. de hoc ſpecialiter conſultus aſſeruit, nunquam ſuæ intentionis fuiſſe, vt præfata priuilegia per Bullam Cruciatæ ſuſpenderentur, idque expreſſit anno 1571. in Priuilegijs Ordinis Prædicatorum: cenſendumque pariter eſt, cæteros ſummos Pontifices in eadem mente, ac intentione perſtitiſſe.

64 Probatur: priuilegia præfata immediatè, & præcipuè in fauorem Religionis conceduntur, & licèt eorum bono gaudeant ſeculares, non tamen proptereà gaudent, quia fauor eis à Pontificibus exhibetur, ſed quia cōfitentur cum Religioſis, aut accedunt ad ipſos, vt vota commutentur, præſtenturque ſimilia, & hi Religioſi potiuntur priuilegijs, ac facultatibus ad ea munia exercenda, quæ priuilegia in Religioſorum gratiam immediatè ſunt collata, non verò in gratiam ſæcularium: ergo per Bullam Cruciatæ non ſuſpēduntur: vt potè quæ immediatè ad ipſos Fratres tantū pertinent. Sicut ſi Rex Principi extero ad Hiſpaniam aduenienti concederet, vt quos vellet, ad Ordines Equeſtres militares admitteret, dum ipſi nobiles eſſent; ſanè ij, qui admitterentur, eo honore gauderent, ſed fauor non illis, ſed Principi dumtaxàt eſſet immediatè, directè, ac præcipuè factus à Rege. Idem proportionatè in præſenti contingit.

65 Confirmatur: in Bulla excipiuntur à ſuſpenſione priuilegia Ordinibus Mendicantibus

Digitized by Google

tibus quoad eorum Fratres conceſſa; ſed in præſenti clauſula non denotatur, ea dumtaxàt priuilegia excipi, ad quæ ſoli Fratres, & non alij, concurrunt, ſed ſignificatur, ea ſolùm excipi, quæ tantùm in Fratrum fauorem ſunt immediatè conceſſa, quatenùs in fauorem Religionis ſunt expedita; igitur, cum hæc priuilegia in fauorem Religionis ſolùm fuerint immediatè præſtita, eſtò ſæculares ad vſum concurrant, à ſuſpenſione in præſenti facta excipiuntur. Et quidem, ſi ſæculares Bulla indigerent, vt reſpectu eorum Regulares huiuſmodi priuilegiis, ac facultatibus vterentur, ea ſuſpenderentur per Bullam etiam quoad Fratres, nec exciperentur à ſuſpenſione, quod eſt contra Pontificis placitum, & aduerſus expreſſa Bullæ verba. Nam pone, ſæcularem carentem Bulla poſcere à Confeſſore Regulari, vt aliqua eius vota commutet, aut ab aliquibus cenſuris reſeruatis abſoluat; ſi tunc Regularis vti nequeat facultate ad id in ſuis priuilegiis indulta, ſanè etiam quoad ipſum Regularem priuilegium Religioni conceſſum maneret ſuſpenſum; hoc autem eſt contra mentem Pontificum in Bulla expoſitam: ergo tunc ſæcularis non indigeret Bulla, atque adeò abſque illa vſus horum priuilegiorum debet eſſe expeditus.

66 Rurſus confirmatur. Ei, cui conceditur aliquid, conceditur & id, ſine quo illud nequid obtineri, vt conſtans eſt omnibus, ſed Regularibus conceditur, ne ſuſpendantur facultates, ſeu priuilegia in fauorem ipſorum expedita: ergo conceditur id, ſine quo Regulares ipſi nequeunt ſuis facultatibus vti. Tunc ſic: Si Bulla Cruciatæ eſſet opus, vt prædictarum facultatum daretur vſus, aut ea indigeret ſæcularis accedens ad Regularem, abſolutionis, commutationis, aut diſpenſationis cauſa? aut ea Regularis ipſe indigeret? Hoc ſecundum nequit dici; aliàs non concederetur Regularibus vſus ſuarum facultatum abſque Bulla, quod eſt contra ipſius verba; ſi quidem eæ voces, *quoad eorum Fratres tantùm*, ſignificant, non ſuſpendi facultates conceſſas Ordinibus Mendicantibus, quibus ipſi Fratres tantùm ſunt vſuri, nec alium ſenſum aptum continere queunt. Nec primum afferi valet: nam ille ſæcularis non vtitur ea facultate, aut priuilegio, cum ipſe non abſoluat, commutet, vel diſpenſet, vſus autem eius eſt abſolutio, commutatio, diſpenſatio; qui vſus ad Regularem ſpectat, quem non indigere Bulla, poſuimus. Et præterea, ſi ſæcularis abſque Bulla non poſſet abſolutionem, commutationem, aut diſpenſationem à Regulari impetrare, fruſtrà concederetur Regularibus vſus ſuarum facultatum, ſi quidem non concederetur id, ſine quo nequirent eis vti, nempè quod ſæculares abſque Bulla poſſent gaudere, non vti; fauore eiuſmodi facultatum.

67 Oppoſitam ſententiam docent Nauarrus, Lopez, & Acoſta, quos affert, & ſequitur Trulleneh *in expoſit. Bull. lib.* 1. *§.* 9. *dub.* 3. *num.* 8. Qui ſic probat: Commiſſarius authoritate Pontificis ſuſpendit omnes gratias, ac facultates conceſſas Monaſteriis, & piis locis, ſolúmque excipit eas, quæ Ordinibus Mendicantibus ſunt conceſſæ quoad eorum Fratres tantùm, ſed hæc limitatio oſtendit, eas quoad ſæculares ſuſpendi, aliàs eſſet inutilis: ergo ſuſpenduntur quoad illos. Addit, actum eſſe de Bulla, ſi non ſuſpendantur, quare ait ſe non audere admittere ſententiam noſtram. Verùm eſſe admittendam, & tenendam in praxi, authoritas, & ratio demonſtrant.

68 Iam verò hoc argumentum noſtris fundamentis euertitur. Quippè ea limitatio ſolùm oſtendit, non alios, quàm ipſos Regulares, vti poſſe abſque Bulla priuilegiis ipſorum; ſtabiliuimus autem vſum in prædictis facultatibus ſolis Regularibus competere; eſtò ſæculares gaudeant fauore aliquo, cum non aliter poſſint Regulares præfatis facultatibus expeditè vti, niſi ſæcularibus eum fauorem impertiendo; non verò ſit fauor à Pontifice ſæcularibus immediatè, ſed Regularibus, licèt ſit neceſſarius interuentus ſæcularium, vt fauor ille ſuum omnimodò ſortiatur effectum.

69 Nec inutilis remanet limitatio, quippè *ſuprà* poſuimus, eſſe plures gratias, ac indulgentias in fauorem Religionum conceſſas immediatè tam Regularibus, quàm ſæcularibus, nempè ſi viſitent altaria, aut Eccleſias Regularium, quo priuilegio, cum obtinent prædictas indulgentias, non minùs dicuntur vti ſæculares, quàm Regulares, indigentque ſæculares Bulla, vt eas lucrentur; quia per clauſulam præſentem Bullæ ſuſpenduntur quoad ſæculares, non quoad Regulares, & inibi cernitur, quid operetur limitatio, quin inutilis remaneat.

70 Nec propter noſtram ſententiam actum eſt de Bulla Cruciatæ, quæ neceſſaria eſt ad plurima alia, quæ Regulares nequeunt reſpectu ipſorum præſtare, videlicèt ad obtinendas indulgentias prædictas, & plurimas alias in ipſa Bulla conceſſas, ad impetrandam abſolutionem ab aliquibus cenſuris, & peccatis, à quibus nequeunt Regulares virtute priuilegiorum abſoluere; ad aſſiſtendum diuinis Officiis tempore interdicti, fruendumque ſepultura Eccleſiaſtica, ad edendum oua, ac lacticinia, & his ſimilia. Nec ſemper, & vbique Regulares adſunt, qui ea præſtent, quæ virtute ſuorum priuilegiorum poſſunt, vnde Bulla ſatis neceſſaria omnibus

omnibus ſæcularibus eſt, quorum nullus hucuſque (id affirmare audeam) abſtinuit ab acceptione Bullæ, eo quòd Regulares præfatis priuilegiis quoad ipſos ſæculares vti valeant.

71 Addit Trullench, ſi Regularis celebrans in altari priuilegiato ſui Monaſterij intendat liberare à Purgatorio animam alterius Regularis defuncti, eum non indigere Bulla Cruciatæ: indigere autem, ſi intendat ſæcularis animam liberare. Sed hoc etiam eſt falſum: nam illud priuilegium liberandi animam à Purgatorio neutiquam conceditur animæ defuncti, ſed Sacerdoti in tali altari celebranti; quare cum celebrans ſit Regularis, Bulla non indiget. Et quidem pariter aſſerere poſſet hic Author, Regularem non poſſe lucrari vllam indulgentiam ex conceſſis ſuo Ordini, applicando illam pro anima defuncti ſæcularis, niſi Bullam acceperit, quod inauditum eſt, nec videtur probabile. Nam pone, ſic concedi à Pontifice gratiam Religioni, vt quicumque Regularis viſitans altaria ſuæ Domus, liberet à Purgatorio animam, quam malit. Quis dubitet, hanc gratiam conceſſam fuiſſe Religioni quoad eius Fratres tantum, ſi quidem nullus alius poteſt eam lucrari, niſi ſit alius Regularis alterius Ordinis participantis priuilegia? ergo abſque Bulla poſſunt Regulares eam obtinere, & applicare pro anima cuiuſuis defuncti, etiam ſæcularis.

72 Nec obſtat, quod *diſputat. 2. cap. 7. à num. 55.* aſſeruimus, ſcilicèt reuocari indulgentias Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium per Iubilæum anni ſancti. Etenim id probauimus ex Bullis Pontificum eas reuocantium expreſsè, & nullatenùs ipſas excipientium. In Bulla autem Cruciatæ expreſsè excipiuntur, quare per illam non reuocantur. Hinc ad probandam noſtram ſententiam abſtinui à rationibus, quibus aliqui vtuntur; & quæ pariter probant, indulgentias Religionum non reuocari per Iubilæum anni ſancti, vt cenſent non pauci Authores allati *loco relato num.* 54. Videantur tamen *ibi*, quæ priuilegia ſuſpendantur per præfatum Iubilæum.

73 Ex adhuc dictis cernitur, quænam facultates, ac priuilegia Ordinum Mendicantium non ſuſpendantur per Bullam, ea nempè, quæ immediatè in fauorem Religionis tantummodò ſunt conceſſa; qualia ſunt priuilegia, & facultates abſoluendi, commutandi, diſpenſandi, celebrandi ſolemniter certis diebus, etiam tempore interdicti, quamvis adſtituri ſint Officiis diuinis ſæculares, & alia huiuſmodi. Qui autem velit dignoſcere ſummam eorum, quæ ex priuilegio Regularibus conceduntur, adeat P. Henriquez *lib. 7. de indulgent. cap. 23.* & in ſingulis ſacris Ordinibus introſpiciantur facultates à Sede Apoſtolica conceſſæ, & poſtmodùm non reuocatæ.

DISPVTATIO XXX.

De ſuſpenſione interdicti, dum Bulla Cruciatæ publicatur.

1 AIt Pontifex in Bulla Latina. *Item, quòd ſi in loco, vbi erit facienda publicatio fuerit interdictum, poſſit huiuſmodi interdictum per octo dies anteà, & poſt, ſuſpendere.* Qua facultate ſibi conceſſa vtens Commiſſarius inquit. *Ibidem virtute facultatis prædictæ ſuſpendimus interdictum, ſi forſan aliquod fuerit in loco, vbi publicatio huius conceſſionis facienda fuerit, per octo dies ante, & totidem poſt publicationem, veluti in ipſis litteris Apoſtolicis latiùs habetur.* In ſummario autem Bullæ Hiſpanæ ſic habetur. *Y por la miſma autoridad Apoſtolica ſuſpendemos el entredicho, ſi le huuiere, en qualquier lugar, donde ſe hiziere la publicacion, y predicacion deſta Bula, por ocho dias antes, y deſpues, ſegun que en la Bula de ſu Santidad ſe contiene.*

2 Hanc clauſulam apud Expoſitores Bullæ Cruciatæ non reperio diſcuſſam; & quamvis clara, nec difficultati vlli obnoxia appareat, nihilominùs circa illam aliqua oportebit exponere. Concedit itaque in præſenti Pontifex Commiſſario Generali Cruciatæ, vt ſi fortè interdictum fuerit in loco, in quo publicanda eſt Bulla; illud ſuſpendat per octo dies ante publicationem, & octo poſt illam; quod ita præſtat Commiſſarius. Sexdecim ergo ſunt dies illi, & prætereà annumerandus eſt dies ipſe, in quo fit publicatio ſolemnis, nam ante hunc diem conceditur per octo dies ſuſpenſio, & poſt eumdem diem, per alios octo dies, ſicque ſeptemdecim recenſentur, cum conceſſio hæc latè ſit interpretanda, & rectè hic ſenſus verbis aptetur, quippè eæ voces *antè, & poſt*, ſonant, aliquem diem eſſe intermedium, reſpectu cuius detur anterioritas, & poſterioritas: quòd ſi octo diebus antecedentibus, & octo ſequentibus ſuſpenditur interdictum ratione publicationis, à fortiori ſuſpendetur ipſa publicationis die. Video, clauſulam poſſe ſtrictiùs exponi, nempè quòd octo dies antè, & totidem poſt publicationem intelligantur de anterioritate, & poſterioritate reſpectu actionis publicandi Bullam, non reſpectu diei in qua publicatur, & ſic ſexdecim omnino reſultant dies, quibus interdictum ſuſpenditur. Non enim aſſeritur, per octo dies ante,

Digitized by Google

ante, & totidem poſt diem publicationis, ſed ante, & poſt publicationem. Verùm ſenſus primus etiam valet aptari, nam publicatio inuoluit diem, qua fit, cum fiat in tempore, & in præſenti idem videatur ſignificari per publicationem, ac per diem publicationis. Et hoc apertiùs cernitur, ſi dies integer inſumatur in ſolemnitate publicationis, nempè in Proceſſione, Miſſa, Concione, aliiſque ceremoniis feſtiuis: tunc enim dies ille recenſeri nequit inter octo dies antecedentes publicationem, nec inter octo eam ſequentes; ſed ſeorſim eſt numerandus, ſiquidem nec antecedit, nec ſequitur publicationem, ſed in ipſo actu publicationis ferè totus inſumitur.

3 Hæc interdicti ſuſpenſio eo tendit, vt Bulla Cruciatæ ſolemniùs publicari queat, atque, vt fideles deuotiùs ad Bullam accipiendam diſponantur, aſſiſtendo diuinis Officiis, & poſt Sacramentum Pœnitentiæ ſumendo Euchariſtiam, quæ publicè in Eccleſiis miniſtretur; ipſe enim fidelium ad Eccleſiam concurſus, & ſolemnis Miſſarum, diuinorumque Officiorum celebratio, & publica Euchariſtiæ miniſtratio excitant pietatem, ac fideles alliciunt, vt promptiùs, ac feruentiùs Deo reconcilientur, vt ſic indulgentias Bullæ lucrari valeant.

4 Et licèt in hac interdicti ſuſpenſione finis præcipuus ſit, quòd Miſſæ ſolemniter celebrentur, & Euchariſtia publicè accipiatur, iuxta *nuper* dicta; attamen omnia alia fieri poſſunt, quæ tempore interdicti non licerent; nam ſemel ſuſpenſo interdicto, nihil obſtat, quominùs ea omnia exerceantur, cum in præſenti non ſuſpendatur interdictum ex parte, ſed omnino, quod etiam attinet ad augendam ſolemnitatem publicationis Bullæ.

5 Suſpenditur autem quodvis interdictum à quocumque iudice latum, etiam à Sede Apoſtolica. Etenim Pontifex concedens Commiſſario facultatem ſuſpendendi interdictum eſt omnium Iudicum Superior, eorumque actus iudiciales poteſt ceſſare, aut ſuſpendere, quare & poteſt cenſuras ab eiſdem latas. Prætereà valet ſuſpendere interdictum à ſe latum, atque adeò authoritate ipſius Commiſſarius idem præſtare poteſt.

6 Quòd ſi contingat, in aliquo oppido publicationem fieri in diuerſis Eccleſiis ob populi frequentiam, idque præſtetur diuerſis diebus, interdictum ſuſpendetur per octo dies ante, & totidem poſt publicationem Bullæ in qualibet ex illis Eccleſiis, cum reſpectu ad diem publicationis in ſingulis. Quod tamen non obſtabit, quominùs parochiani vnius Eccleſiæ, in qua nondum facta eſt publicatio Bullæ, nec interdictum ſuſpenſum, accedere queant ad aliam Eccleſiam, in qua ob publicationem iam factam ſuſpenſum eſt interdictum, vt in ea Officiis diuinis aſſiſtant, & recipiant Sacramenta; hoc enim præſtare poſſunt omnes, qui in aliquo loco degunt, vbi interdictum eſt latum, eundo in alium locum, ſeu Eccleſiam, vbi non eſt interdictum.

7 Inquires, an hi, qui excommunicati ſunt, aut publicè denuntiati, ob quos interdictum fuit latum, maneant ab excommunicatione abſoluti ratione ſuſpenſionis interdicti, quæ tempore publicationis Bullæ conceditur, ſaltem per eos dies, quibus ſuſpenſio durat? Reſpondeo negatiuè, quippè diuerſa cenſura eſt excommunicatio ab interdicto, vnáque poteſt ſubſiſtere abſque alia; in præſenti autem non ſuſpenditur excommunicatio, ſed interdictum, nec ex ſuſpenſione huius ſequitur ſuſpenſio illius, nec quamvis latè ſit interpretanda præſens clauſula, poteſt ad excommunicationem extendi, cum vis verborum neutiquam patiatur eiuſmodi interpretationem.

8 Confirmatur. Ponamus, aliquem eſſe excommunicatum, publicéque denuntiatum; non verò adhuc eſſe latum interdictum, ſed ſtatim ferendum ob illius contumaciam, & tunc temporis accedere publicationem Bullæ, ratione cuius ceſſatur ab interdicto ferendo, donec publicationis ſolemnitas per octo dies ſequentes tranſeat. Sanè ille non manet abſolutus ex vi ſuſpenſionis in præſenti clauſula conceſſæ, non ſolùm ſimpliciter, ſed nec ad reincidentiam, aut per eos dies, quibus ſolemnitas durat; ergo etiam ſi interdictum ſit iam latum ob illius excommunicati contumaciam, & ſuſpendatur ratione publicationis Bullæ, non manet ille ab excommunicatione abſolutus, ſi quidem in ordine ad eius excommunicationem eodem modo res ſe habet, ſiuè latum ſit interdictum, ſiuè non. Idem cernere eſt, cum ratione alicuius feſtiuitatis ſolemnis vno, vel alio die interdictum ſuſpenditur: tunc enim non ſuſpenditur excommunicatio eius, qui interdicto cauſam dedit, imò nec cuiuſvis alterius excommunicati, etiamſi propter ipſum non fuerit latum interdictum. Quod pariter dicendum eſt, cum ſuſpenditur interdictum ob Bullæ publicationem, ſcilicèt non propterea ſuſpendi vllam excommunicationem.

9 Dices, non fieri diſcrimen in præſenti clauſula inter interdictum locale, perſonale. & mixtum; ergo cum in ea interdictum indefinitè ſuſpendatur, omne interdictum ſuſpenditur, & per conſequens perſonale; aliàs clauſula à nobis reſtringitur, cum potius debeat, tanquam fauorabilis, ampliari. Reſpondeo,

Digitized by Google

pondeo, in ordine ad ſuſpenſionem excommunicationis, de qua agebamus, etſi concedatur aſſumptum, nihil indè conuinci. Etenim diuerſa cenſura eſt excommunicatio ab interdicto perſonali, quare, & ſi hoc tolleretur, non propterea eſſet illa tollenda. Sicut, ſi quis eſſet excommunicatus, & non interdictus perſonaliter, per ſuſpenſionem præſentem interdicti, non tolleretur eius excommunicatio; ergo ſimiliter, ſi ſit ſimul excommunicatus, & interdictus perſonaliter, quamvis ſuſpenderetur perſonale interdictum, non ideò excommunicatio ſuſpenderetur.

10 Sed nec aſſumptum de interdicti perſonalis ſuſpenſione eſt verum. Nam dupliciter poteſt quis eſſe perſonaliter interdictus. Primò, ſi ſimul ſit excommunicatus, & denuntiatus publicè, vt communiter contingit. Et tunc quidem interdictum non ſuſpenditur: cum enim iuxta dicta excommunicatio non ſuſpendatur, non reſtat finis, aut ratio, ob quam ſuſpendatur interdictum; ſiquidem eiuſmodi publicè denunciatus nequit Sacramenta recipere, nec Officiis diuinis intereſſe, nec cum fidelibus communicare, finis autem ſuſpenſionis interdicti in præſenti eſt, vt fideles diſponantur rectiùs ad Bullæ acceptionem per receptionem Sacramentorum, & ſolemnis fiat Bullæ publicatio, quod præſtatur, ſi fideles Eccleſiaſticis Officiis, & Proceſſionibus aſſiſtant.

11 Secundò poteſt quis eſſe perſonaliter interdictus, quin ſit excommunicatus (quod raò continget.) Quippe non eoſdem effectus operatur interdictum, ac excommunicatio: nam excommunicatio priuat communicatione vrbana, ſeu politica, & participatione ſuffragiorum Eccleſiæ; quibus bonis non priuat interdictum, licèt in eo conueniant excommunicatio maior, & interdictum, quòd pariter priuant aſſiſtentia ad Officia Eccleſiaſtica, & ſepultura in loco ſacro. Quare rectè poſſunt hæ duæ cenſuræ ſeparari, & indici interdictum, quin excommunicatio feratur. Sed adhuc, quamvis quis eſſet perſonaliter interdictus, & non excommunicatus, non ſuſpenderetur ex vi clauſulæ præſentis eius perſonale interdictum.

12 Etenim mens aperta Commiſſarij Generalis in præſenti eſt, vt interdictum publicum comprehendens vrbem, locum, aut parochiam, ſuſpendatur, illud ſcilicèt, quo poſito, abſolutè dicitur, eſſe interdictum, cum hoc ſolum, & non interdictum perſonale particulare, obſtet ſolemnitati publicationis Bullæ, & communi bono populi Bullam accepturi. Quando enim vnus, vel alius dumtaxàt perſonaliter eſt interdictus, nec dicitur abſolutè, & iuxta communem modum loquendi, eſſe interdictum; nec obſtat id ſolemnitati promulgationis Bullæ, aut comũni populi bono.

13 Mens autem Commiſſarij, præter fundamentum allatum, ſatis deprehenditur ex eius verbis ibi: *Suſpendimus interdictum, ſi forſan aliquod fuerit in loco, vbi publicatio huius conceſſionis, &c.* Et in Bulla Hiſpana: *Suſpendemos el entredicho, ſi le huuiere, en qualquier lugar, donde ſe hiziere la publicacion, &c.* Atque ad id dumtaxàt Commiſſario conceditur à Pontifice facultas, cuius eadem eſt mens, vt patet ex eius verbis ibi: *Item, quòd ſi in loco, vbi facienda erit publicatio, fuerit interdictum, poſſit huiuſmodi interdictum, &c.* Quibus verbis manifeſtè innuitur, ſermonem eſſe de interdicto generali, locum, aut partem loci comprehendente, quod ſufficiat, vt dicatur, in eo loco eſſe interdictum, quæ nequeunt conuenire interdicto perſonali particulari. Vnde ſatisfit argumento, quod poſſet obijci, nempè, in præſenti ſuſpendi interdictum abſque reſtrictione, ac propterea interdictum, perſonale particulare fore ſuſpendendum.

14 Dixi *interdictum perſonale particulare:* nam, ſi interdictum perſonale, quamvis ſimul locale non ſit, ſit generale comprehendens omnes incolas vrbis, loci, aut parochiæ, ſanè ſuſpenditur hoc interdictum. Quippè hoc pariter obſtat ſolemnitati publicationis Bullæ, & bono communi populi Bullam accepturi, & abſolutè tunc dicitur, eſſe interdictum in eo loco, hoc eſt, non locale, ſed comprehendens incolas eius loci. Imò à fortiori hoc interdictum ſuſpenditur: quia eſt interdictum rigoroſius, & magis obſtans fini intento in præſenti, quam interdictum merè locale; quippè, cum datur interdictum locale, poſſunt incolæ loci ad alium locum pergere, ſeu vnius Eccleſiæ parochiani ad aliam parochiam non interdictam, & ibi aſſiſtere Officiis Eccleſiaſticis, ac Sacramenta recipere, cum verò ipſi incolæ, aut parochiani perſonaliter ſunt interdicti, nequeunt recipere Sacramenta, aut diuinis Officiis aſſiſtere in ſuo loco, nec in alio, in ſua parochia, nec in vlla alia.

15 Sed quid, ſi interdicti ſint perſonaliter omnes incolæ vnius pagi, aut vnius parochiæ, & hi ſint dumtaxàt vnus, vel duo, eo quòd cæteri temporum calamitate fuerint extincti: Reſpondeo ſub diſtinctione. Si prædicti ſint perſonaliter interdicti ſub cenſura generali ferente interdictum in omnes incolas eius loci, aut parochiæ, interdictum ſuſpendetur tempore præfato publicationis Bullæ: nam accidentale eſt, quòd tam pauci ſint incolæ, ſeu parochiani, & aliundè interdictum eſt generale reſpectu eius loci, aut parochiæ, dicique poteſt abſolutè, ibi eſſe interdictum,

interdictum, & iuxta dicta, generalia interdicta localia, perſonalia, & mixta ſuſpenduntur. Si verò prædicti fuerint perſonaliter, ſed non per cenſuram generalem interdicti, eo quòd eiuſmodi cenſura non reſpexerit ad id, quòd ſint incolæ loci, aut parochiæ, ſed ad contumaciam, qua tales incolæ eam cenſuram iuſtè promerentur, tunc non ſuſpendetur interdictum, nam tunc militant omnes rationes *ſuperiùs* allatæ, & minimè fauet ratio *nuper* appoſita.

16 Adhuc tamen aduerſus ſuperiorem doctrinam inquies, finem ſuſpenſionis interdicti in præſenti clauſula eſſe, vt omnes fideles aſſiſtere queant ſolemni publicationi Bullæ, ad eiuſque acceptionem per Sacramentorum vſum diſponantur; at excommunicatio huic fini opponitur, cùm excommunicatus non valeat Sacramenta recipere, nec ſolemnibus Officiis Eccleſiaſticis intereſſe: igitur excommunicatio ſuſpenditur, quæ non minùs, quàm interdictum, impedit eum finem, ſiquidem æquiparatorum eadem eſt ratio, & dum interdictum ſuſpenditur ob prædictam rationem, ob eamdem excommunicatio ſuſpendetur.

17 Reſpondeo, neutiquam ſuſpendi excommunicationem; tum quia ab interdicto ad excommunicationem non poſſit extendi diſpoſitio Pontificis, ac Commiſſarij, cum reipſa diuerſæ cenſuræ ſint, diuerſoſque operentur effectus, nec vna in alia includatur; tum quia mens Pontificis, ac Commiſſarij eſt, vt ſolemnitas publica promulgationis Bullæ non impediatur; & ea per interdictum, non per excommunicationem impeditur. Rursùs id intenditur, vt fideles ad Bullæ acceptionem præparentur media Sacramentorum ſumptione; qui finis vt obtineatur, neceſſum non eſt, excommunicationem ſuſpendi. Etenim excommunicatio ex ſe ſupponit in eo, quem ligat, peccatum mortale contumaciæ, & hac perſeuerante, quantumvis excommunicatio ſuſpenderetur, ille eſſet indiſpoſitus, vtpotè in culpa lethali exiſtens, ad conſequenda bona ſpiritualia, quæ per Bullæ acceptionem obtinentur, atque adeò fruſtra excommunicatio ſuſpẽderetur. Quòd ſi contumacia non perſeueret, poterit ligatus excommunicatione abſolui ab illa (ſaltem quoad forum internum) & frui bonis ſpiritualibus in Bulla conceſſis: quibus etiam frui valebit, ſi inculpatè, & abſque contumacia ſententiam excommunicationis ſubierit, tunc enim quoad forum internum non eſt excommunicatus.

18 Et eſtò ille, adhuc ceſſante contumacia, non poſſit illicò abſolui ab excommunicatione, non tamen ideò excommunicatio ex vi præſentis Bullæ indulti ſuſpendetur, cum ſolummodò ſuſpendatur interdictum, à quo ad excommunicationem non valet conſequentia iuxta dicta; nec diſpoſitiones circa vnam cenſuram in ſpeciali ſancitæ ad alias cenſuras extenduntur.

19 Ex dictis inferes primò, etiamſi publicatio Bullæ non ſit facienda in Eccleſia, in qua latum eſt interdictum, ſed in alia eiuſdem loci non interdicta, nihilominùs ſuſpendi interdictum in ea Eccleſia promulgatum: nam in Bulla non aſſeritur, ſuſpendi dumtaxàt interdictum, ſi fuerit in Eccleſia, in qua facienda erit publicatio, ſed ſuſpendi, ſi fuerit in loco, in quo erit facienda; at interdictum præfatum eſt in tali loco, quamvis non ſit in tali Eccleſia, ergo ſuſpenditur, nec etenim clauſulam ex ſe amplam nos reſtringere debemus.

20 Secundò inferes, ſi omnes viri, aut fœminæ totius Domus, aut Communitatis Religioſæ eſſent perſonaliter interdictæ, aut ipſa Eccleſia Regularium interdicta eſſet, ſuſpẽdi ex vi huius indulti interdictum. Etenim huiuſmodi interdictum eſt publicum, non priuatum; non ſecùs ac ſi parochia loci eſſet interdicta, aut ſi eius omnes parochiani interdicti eſſent per cenſuram generalem eos omnes ſolùm comprehendentem: quoad hoc enim rectè æquiparatur parochia, ac parochiani Communitati Regularium, ac ipſis Regularibus; nec minùs obſtat ſolemnitati publicationis Bullæ interdictum vnum, quàm aliud, quare non minùs vnum, quàm aliud debet ſuſpendi.

21 Tertiò inferes, decurſis octo diebus poſt Bullæ publicationem, ſi Iudex, qui tulit cenſuram interdicti, non interim abſtulit, eo ipſo abſque noua cenſuræ reualidatione, aut promulgatione interdictum redire; quippè indultum præſens ſolummodò ſuſpendit interdictum per dies *ſuprà* deſignatos, ſuſpenſione autem ceſſante, res integra manet, niſi aliundè immutetur; quod idem contingit, quotieſcumque aliqua lex, præceptum, pœna, aut cenſura per tempus limitatum ſuſpenditur. Secùs accidit, cum ſuſpenditur indefinitè, & abſque temporis deſignatione, tunc enim ſuſpenſio durat, donec ſuſpendens nolit, vlteriùs gratiam ſuſpenſionis extendi; ſicut è contra, cum conceditur aliqua iuriſdictio, aut vſus pro tempore limitato, hoc tranſacto, abſque alia concedentis voluntate ceſſat vſus, aut iuriſdictio: ſi verò concedatur indefinitè, aut illimitatè, non ceſſat, donec concedens nolit, vlteriùs vim retinere conceſſam à ſe poteſtatem. Videantur dicenda *infrà diſputat.* 37. *capit.* 3. vbi breuiter dicta præſtringemus.

BVLLÆ LACTICINIORVM pro Eccleſiaſticis elucidatio.

DISPVTATIO XXXI.

Explanatio Bullæ lacticiniorum pro Eccleſiaſticis,

Tranſcriptum Bullæ Latinæ, item & Hiſpanæ lacticiniorum pro Eccleſiaſticis, ſimulque taxam eleemoſynæ erogandæ iuxta diuerſam qualitatem perſonarum, habes initio huius libri, *diſp.1. cap.1.2. & 3.*

CAPVT I.

Quid, & quibus in hac Bulla Lacticiniorum concedatur.

1 QVis, & lacticiniis veſci poſſe conceditur in Bulla Latina, & in Hiſpana communi viuorum, omnibus, qui eam acceperint, dummodò non ſint Regulares, Sacerdotes, aut Prælati Eccleſiaſtici. Igitur in hac ſpeciali Bulla eis ipſis, quibus priuilegium edendi oua, & lacticinia negabatur in ieiuniis Quadrageſimalibus, id priuilegium indulgetur, ſi excipias Regulares ad quos non extenditur, & etiam ſi excipiatur hebdomada maior, vulgò *Sancta,* ad quam hoc indultum non valet. Voluit enim Pontifex, vt ſaltem ea hebdomada, qua Eccleſia luctuosè mortem Chriſti Domini plangit, à cibis delicatioribus Prælati, & Sacerdotes, Eccleſiæ ipſius miniſtri abſtinerent, & plus aliquid, quàm ſæculares, in victu præſtarent. Præter eam hebdomadam poſſunt Prælati, & Sacerdotes ſæculares ouis, & lacticiniis veſci in tota Quadrageſima, ſi hanc Bullam ſpecialem accipiant, qua non egent Diaconi, Subdiaconi, nec in minoribus Ordinibus conſtituti, quibus Bulla communis Cruciatæ indulget priuilegium veſcendi eos cibos prohibitos, quin ipſos excipiat; ſed ſolùm Presbyteros. Recolatur *diſp.18.* vbi plura affinia huic diſputationi reperientur.

2 Quantum temporis hæc Bulla duret, ſeu an eius durationis annus ſit naturalis, vel Eccleſiaſticus à die publicationis (ſi fortè publicetur eo die, quem in anno ſequenti antecedant aliquot dies Quadrageſimæ) & in quibus locis valeat, aliaque huiuſmodi, iam ſtatuimus, dum eadem in communi de Bulla viuorum veſtigauimus initio huius libri: eadem enim eſt vtrobique ratio, nec ipſamet repetenda ſunt. Nomine autem Prælatorum qui comprehendantur, egimus *diſp.18.* Quæ vox *Prælatis* extat in Bulla Latina, non in Hiſpana, ſed ſupponitur; aliàs omitti non debuit, nam in Bulla communi prohibentur vti priuilegio edendi oua, & lacticinia non ſolùm Patriarchæ, &c. ſed etiam Prælati; hæc autem Bulla ſpecialis illis ijſdem (exceptis Regularibus) elargitur eiuſmodi priuilegium, vt apertè conſtat ex verbis expreſſis Bullæ Latinæ lacticiniorum, quorum ſubſtantiam mutari non licet contra Pontificis mentem, vt ſæpè in hoc libro repetiuimus, & probauimus.

3 Nec placet Trullench *in præſenti, n.9.* aſſerens, nomine Prælatorum ſolùm intelligi Abbates; ex eoque mouetur, quia Commiſſarius tranſcripſit Abbates, loco vocis Prælatorum, quando aſſignauit pro Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis eleemoſynam erogandam, quibus adiunxit Abbates. Sed hoc leue eſt fundamentum; quia cum nomine Prælatorum non ſolùm intelligantur Abbates, ſed etiam Vicarij, alijque inferiores Prælati, potuit Commiſſarius in taxa à ſe deſignata nolle onerare hos Prælatos inferiores, plus quam reliquos Sacerdotes, nec tantum eleemoſynæ eis iniungere, ac Patriarchis, &c. ſic verò Abbatibus, quorum emolumenta communiter ſunt ampliora, quàm emolumenta Vicarij alteriusvè Prælati inferioris, & fortè ad nutum amouibilis; & cuiuſque facultatibus ſe Commiſſarius aptat, quantum commodè poteſt.

4 Regulares hac Bulla vti non poſſunt, quorum mentio in ea non fit; & rectè ſanè, ne qui ſtrictiorem diſciplinam profitentur, locum reperiant delicatiori victui, indeque laxetur religioſa obſeruantia. Nec nomine Abbatum, aut Prælatorum comprehenduntur Abbates monaſtici, aut Religionum Superiores; nec enim ad hoc vllum poteſt eſſe fundamẽtum, cum vox *Prælatus*, in vſu communiori loquendi, dum non exprimitur Religioſus, vel circa illum eſt ſubiecta materia,

ſtat

Digitized by Google

ſtat pro Prælato Eccleſiæ, diſſonumque eſſet, Regulares ſubditos non poſſe ratione huius priuilegij oua, ac lacticinia edere, eorumque Superiores, qui præire debent exemplo, eo vti, vt lautiori cibo alerentur. Attamen cum Trullench vbi ſupra tenendum eſt, hac Bulla Lacticiniorum gaudere Regulares, qui ſunt Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, aut Abbates (quos vocamus benedictos) aut alia Prælatura Eccleſiaſtica extra ſuum Ordinem potiuntur: nam pontifex his prælatis concedit præſens priuilegium, quin vllam apponat reſtrictionem, ſcilicèt ſi non ſint Regulares, vnde nec nos reſtringere debemus, maximè cum hi extra Regulam iam ſint, licèt non extra vota, quæ ſeruare poſſunt.

5 Cardinales S. R. E. iuxta dicta à nobis *diſput.* 18. *num.* 7. non indigent hac Bulla, vt veſcantur ouis, & lacticiniis, in Regnis, quibus Bulla conceſſa eſt, cum ad hoc eis ſufficiat Bulla communis, in qua, aſſeruimus, non excipi eos à priuilegio edendi oua, ac lacticinia, etiam ſi Regulares, & Presbyteri ſint. Videantur *ibi* dicta.

6 Quando excluditur in hac Bulla maior hebdomada, etiam includitur Dominica palmarum; vnde vigore huius priuilegij nequibunt oua, & lacticinia edi illa die. Cœterùm *diſp.* 18. *cap.* 4. tutati ſumus, quoſvis ſiuè ſæculares, ſiuè presbyteros, Regulares, aut Prælatos poſſe abſque vllo priuilegio Dominicis Quadrageſimæ veſci ouis, & lacticiniis, niſi conſuetudo contraria aut Conſtitutio repugnaret, vnde & poſſent Dominica Palmarum.

7 Dixi *ſuperiùs*, computationem durationis huius Bullæ faciẽdam eſſe eodem modo, ac fit computatio Bullæ communis viuorum. Etenim ſciendum eſt, poſſe contingere opus eſſe ea computatione, quamvis hæc Bulla pro ſola Quadrageſima concedatur. Nam ponamus, publicari hanc Bullam die prima Martij, tranſactis iam aliquot diebus Quadrageſimæ, nempè octo, ſanè virtute huius Bullæ poterit anno ſequenti octo dies primos Quadrageſimæ veſci ouis, ac lacticiniis ſi hi dies intra annum cadant, non enim vltra annum Bulla extenditur. Quod videtur dicẽdum, ſiuè annus durationis Bullæ ſit naturalis, vel Eccleſiaſticus: nam in ea concedit pontifex, poſſe eo priuilegio frui per totam Quadrageſimam; ergo, vt hoc priuilegium ſortiatur effectum, integram oportet Quadrageſimam eo frui; non autem integra erit in caſu poſito, niſi ſequenti anno id per eos dies liceat, igitur licebit. Fateor, hanc Bullam ſemper promulgari ante Quadrageſimam, ideóque non eſſe locum huic quæſtioni practicè. Sed ſi accideret hæc ſera promulgatio, ſtandum eſſet ſententiæ, quam quiſque tueretur de anno durationis Bullæ ſiuè naturali, ſiuè Eccleſiaſtico, ita vt in ſententia tenente eſſe naturalem illum annum, ſi prima dies Martij anni ſequentis eſſet ante Quadrageſimam, nõ liceret vlla die frui priuilegio Bullæ antecedentis, ſi verò eſſet non ſolum poſt octo, ſed poſt quindecim dies tranſactos Quadrageſimæ, poſſet quis omnibus illis diebus hoc priuilegio fungi. Pariter in ſententia defendente annum Eccleſiaſticum durationis Bullæ, poſſet eiuſmodi priuilegium fauere, vſque dum alia Bulla publicaretur, & non ampliùs; ſiue nullus, ſiuè plures dies Quadrageſimæ tranſiſſent. Quia mens Pontificis ſolum eſt, vt ea Bulla profit intra annum, per accidenſque eſt, vt res ita eueniat; hunc modum dicendi, defendit Trullench, annum tamen Eccleſiaſticum propugnans.

8 Nec forſan deerit, qui contendat, hanc Bullam ad nullum diem Quadrageſimæ ſequentis extendi, etiam ſi dies aliqui eiuſmodi Quadrageſimæ comprehenditur in anno naturali, aut Eccleſiaſtico. Quippè cum hæc Bulla pro toto integro anno non durat, ſed pro determinato tempore, mens Pontificis ea videtur, vt duret pro Quadrageſima illius anni, in quo publicatur, & non ampliùs; & quòd ex duabus Quadrageſimis tẽpus illius non coadunetur. Et quidem ponamus, promulgari hanc Bullam prima die Martij, quæ ſit ante Quadrageſimam, & aliquem virtute illius integram Quadrageſimam veſci ouis, & lacticiniis: ſanè ſi ſtatim nõ ceſſaret eius priuilegium, & anno ſequenti incideret Quadrageſima in diẽ decimumquintum Februarij, poſſet quis virtute eiuſdem Bullę Lacticinia, & oua edere illis primis diebus Quadrageſimæ ante primam diem Martij, quo fieret, vt vnica Bulla inſeruiret pro integra vna Quadrageſima, & pro parte alterius, quod, neſcio, an conforme ſit menti Pontificis, & praxi, ac perſuaſioni communi. Niſi inſtetur in Bulla communi viuorum, ratione cuius poteſt laicus edere oua, & lacticinia tota illa Quadrageſima propoſita in hoc caſu, & in ſequenti Quadrageſima etiam illis diebus ante menſem Martium. Sed inſtantiæ poterit quis reſpondere, magis limitatam eſſe in durationis tempore hanc Bullam pro Eccleſiaſticis, quàm illam, tempuſque non extendi vltra Quadrageſimam anni publicationis: deficit enim ratio, quæ in Bulla communi iuuat ad illud aſſerendum, nempè conceſſionem eſſe pro toto anno, qui quomodocumque ſumatur, debet expleri; conceſſio verò præſentis Bullæ non eſt pro toto anno, ſed pro Quadrageſima. Tutior equidem eſt hic ſentiendi modus; an autem probabilior, certiorvè præcedenti, aliis diiucandum relinquo: primus enim mihi practicè tutus apparet, imò & probabilior,

probabilior, vt annus expleatur, qui omnibus Bullis communis eſt. Da enim, hanc Bullam interſeri in Bulla communi, & Sacerdotem eam accipere, ſanè omnibus priuilegiis illius, & conſequenter hoc veſcendi ouis, per totum annum frueretur, etiam ſi intra annum pars Quadrageſimæ ſequentis incideret. Nihil autem refert, quòd ſeorſim hæc Bulla ſumatur.

9 Nec ad probandum prædictam opinationem, vtor titulo affixo in hac Bulla Hiſpana, nempè. *Bula concedida, &c. para que en tiempo de Quareſma puedan comer en eſte año de* 1648. Nam ſufficienter reſpondet Trullench *num.* 11. (oppoſitum ſentiens huic poſtremo modo dicendi) eundem proportionatè titulum affigi Bullæ communi viuorum, & tamen durat annum naturalem, ſeu Eccleſiaſticum à die publicationis, qui annus in ſe includit & annum, cuius numerus Bullæ præfigitur, & partem ſequentis anni, donec publicationis annus expleatur, aut annus naturalis, qui incipiat à die publicationis, non verò à prima die Ianuarij, à qua annus abſolutè incipit.

10 Hic aduerte, Canonicos Regulares non frui priuilegio huius Bullæ, quia abſolutè, & perfectè Religioſi ſunt, & in Religione approbata verſantur; dum tamen profeſſionem emiſerint: nam nouitij, vt dixi *diſp.* 18. *cap.* 2. in fauorabilibus pro Religioſis computantur, non verò in odioſis, atque adeò non intelliguntur excepti in Bulla communi viuorum à priuilegio veſcendi ouis, ac lacticiniis; atque adeò virtute illius Bullæ poterunt eis veſci.

CAPVT II.

Exponuntur dubia circa eleemoſynam erogandam pro hac Bulla lacticiniorum ab Eccleſiaſticis, & circa perſonas, quæ vti illa poſſunt.

11 TAxata eſt eleemoſyna ab Eccleſiaſticis eroganda pro hac Bulla per Commiſſarium Generalem Cruciatæ, quæ videri poteſt *loco ſuprà relato.* Circa illam verò aliqua ſunt exponenda. Primò, Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates erogare debent viginti quatuor drachmas, quæ vtique ſunt argenteæ, cuiuſmodi pro qualibet Bulla eleemoſyna deſignatur. Hi autem ad id tenentur, ſiuè copioſos, ſiuè exiguos, ac tenues fructus, aut emolumenta percipiant; vel etiam ſi ſint Archiepiſcopi, Epiſcopi, Patriarchæ, aut Abbates, abſque diœceſi, vel Prouincia, eo quòd ea à Catholicis non habitetur: nam hi etiam comprehenduntur ſub nomine Archiepiſcoporum, &c. quibus abſolutè, attendendo eorum muneri, ac dignitati, eam quantitatem iniunxit Commiſſarius, cui ſoluendæ communiter omnes hi copiam habent. An verò Archiepiſcopi, &c. intelligantur electi, approbati, aut iam conſecrati, vel etiam qui poſt electionem, approbationem, aut conſecrationem Epiſcopatui renuntiarunt, egimus *diſp.* 18. hicque omnino *ibi* dicta ſunt aptanda. Abbates verò intelliguntur, non monaſtici, ſed benedicti, aut quaſi Epiſcopalem in ſuo territorio iuriſdictionem exercentes, vt in Hiſpania, Abbas Sancti Iſidori Legionenſis (cui iuxta dicta de Epiſcopis, ſi ſint Regulares, non obſtat eſſe Regularem, ad fruendum hoc indulto) Abbas Alcalæ Regalis, vulgo *Alcala la Real*, & ſimiles.

12 Quòd ſi caput alicuius Eccleſiæ Cathedralis, aut Collegiatæ ſit Abbas, nullam tamen aliam iuriſdictionem habeat, niſi eam dignitatem, qua in aliis Eccleſiis funguntur Decani, aut Priores, cenſeo non includi in hac taxa Abbatibus deſignata; nam in ſequenti immediatè taxa collocantur Dignitates Eccleſiarum, nempè Decani, & ſimiles, inter quos hi Abbates ſunt annumerandi, cum eadem omnino ſit ratio de vtroque, Commiſſariuſque attenderit non nomini, ſed dignitati, & muneri; quare Epiſcopis annexuit eos Abbates, qui quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habent, ideóque non exiguam cum eis ſimilitudinem, & affinitatem. Alioqui ſequeretur, Decanum Eccleſiæ Toletanæ, aut Hiſpalenſis octo drachmas erogare iuxta taxam ſequentem, & Abbatem alterius Eccleſiæ, nihil vlteriùs in ea, quam illos in ſuis, authoritatis, iuriſdictionisvè potientem, parcioreſque redditus annuos comparantem, viginti quatuor drachmas fore elargiturum, quod contra mentem Commiſſarij eſſe nullus dubitabit.

13 Secundò, debent octo drachmas erogare pro hac Bulla Dignitates, & Canonici Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum. Nec intereſt, quòd aliqui ex his Canonicis minores reditus potiantur, quàm alij, de quibus ſtatim dicemus, minus eleemoſynæ eſſe erogaturos: attenditur enim in præſenti taxa non ſolùm redditibus, ſed & muneri, ac dignitati. Non autem comprehenduntur hic Coadiutores Dignitatum, ſiue Canonicorum, nam hi propriè Canonici, aut Dignitates non ſunt, vt docent Garcia *de benefic. par.* 4. *c.* 5. *num.* 74. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 62. *n.* 14. quos ſectatur Trullench *in Bull. ad fin. in appendice, num. vltimo.*

14 Dices, ex hac taxa Commiſſarij colligi Dignitates, & Canonicos Regulares poſſe frui hac Bulla, ſi deſignatam erogent eleemoſynam, cum non reſtringat Commiſſarius ad Dignitates, & Canonicos non Regulares, ſicut

Digitized by Google

ſicut nos *ſuprà* diximus, Patriarchas, Archiepiſcopos, &c. poſſe hac Bulla fungi, etiam ſi Regulares ſint, quia non reſtringit Pontifex ad non Regulares Patriarchas, Archiepiſcopos, &c. Nego hanc illationem: ſupponit enim Commiſſarius Generalis terminos habiles, nempè Dignitates, & Canonicos comprehenſos in conceſſione Bullæ Latinæ, in hac autem indultum præſens exhibetur Primatibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Prælatis, & Presbyteris ſæcularibus. Sub his autem debent comprehendi omnes, pro quibus eleemoſyna taxatur à Commiſſario, Canonici verò, & Dignitates Regulares non continentur ſub nomine Presbyterorum ſæcularium, vt patet, nec item ſub nomine Prælatorum, vt nomen Prælati ſumitur, & expoſitum eſt *diſp.* 18. Non ergo continentur ſub perſonis, quibus hoc priuilegium indulget Pontifex. Secùs eſt de Abbatibus iuriſdictionem Eccleſiaſticam habentibus, qui ſub nomine Prælatorum comprehenduntur, & cum non reſtringatur à Pontifice, debere eſſe eos non Regulares, hinc aſſeruimus, Abbates Regulares iuriſdictione pollentes, vt Abbatem Sancti Iſidori Legionenſis, poſſe hac Bulla frui, & ſimiliter poſſe quoſvis alios Prælatos, vt ſunt Epiſcopi, aut Patriarchæ, etiam ſi ſint Regulares.

15 Nec reſtrictio eſt ea vox *ſæcularibus* appoſita in hac Bulla: nam non cadit ſupra Patriarchas, &c. ſed ſupra vocem *Presbyteris* immediatam, aſſeritur enim *Presbyteris ſæcularibus*, nec vllum fundamentum eſt, vt intelligatur cadere ſupra cæteros mediatè antecedentes. Non tamen ex his inferre licet, Abbatem, aut Priorem cœnobij, qui ſimul iuriſdictionem Eccleſiaſticam erga ſæculares habet in aliquo oppido, poſſe hac Bulla fungi; nam ille accidentaliter potitur ea iuriſdictione, vt annexa muneri Abbatis, aut Prioris, ratione autem Abbatis, aut Prioris nequit hac Bulla fungi, imò debet ſubditis Religioſis exemplo præire, vt *ſuprà* dicebamus, quæ ratio præponderat, cui adiungitur id, quod nunc aſſerui de accidentali coniunctione Prælaturæ, vt inde iudicemus, mentem Pontificis fuiſſe hoc indultum non concedere eiuſmodi Abbatibus, aut Prioribus. Quòd ſi vrgeas de Abbate S. Iſidori Legionenſi, qui etiam ſubditos Regulares habet, quibus debet exemplo præire; Reſpondeo, longè aliter rem ſe habere; nam is Abbas deſignat Priorem, qui Communitati præeſt; ipſe verò, eſtò Monaſterio coniunctam habeat Domum, tamen ſeparatus à Canonicis degit, potiturque in inceſſu, in famulitio, & in aliis, authoritate, ac decenti pompa Epiſcopali; & eſt Dignitas ex ſe perpetua cum pluribus prærogatiuis, quæ in aliis Abbatibus Regularibus Monaſticis non dantur.

16 Nec item inferre licet ex dictis, Regulares, qui votum ſolemne emiſerant abſtinendi ab eſu ouorum, & lacticiniorum, cuiuſmodi ſunt Religioſi Ordinis Minimorum, ſi poſteà Epiſcopi ſint, poſſe hác Bulla fungi. Ratio eſt, quia priuilegium huius Bullæ dumtaxàt eximit à lege generali Eccleſiaſtica omnes obligante ad abſtinendum ab ouis, & lacticiniis diebus Quadrageſimalibus, à qua abſque priuilegio nullus excipitur; præſens autem priuilegium excipit Patriarchas, Epiſcopos, &c. etiam ſi ſint Regulares, ab ea lege generali, non verò liberat à voto illo ſolemni, quod adhùc vrget eos Regulares Epiſcopos, cum poſſit obſeruari in ſtatu Epiſcopali. Quare hi Epiſcopi nullo anni tempore poſſunt edere carnes, nec oua, aut lacticinia, ſicque ſenſiſſe Vrbanum VIII. vocaſſeque ignorantem quemdam, qui coram ipſo, & Generali Minimorum, contrarium reſpondit, affirmat Diana.

17 Tertiò debent pro hac Bulla ſex drachmas argenteas erogare, qui in Eccleſiis Cathedralibus, aut Collegiatis (quæ non ſpecificantur in hac taxa, ſed in præcedenti, iuxta quam hæc eſt intelligenda, præcipuè cum non fiat diſtinctio, aut reſtrictio.) Portiones (vulgò *Raciones*) integras, aut dimidias habent, item Parochi, & qui Beneficia ſimplicia aut ſeruitium expoſcentia obtinent, dummodò eorum redditus non ſint infra trecenta ducata. Ducata autem ſingula vndecim drachmas continent. Sic enim in Regnis Caſtellæ recenſentur, vbi Commiſſarius hanc taxam deſignat iuxta communem in his Regnis modum in ſumma pecuniarum numeranda. Nomine verò redditUum non debet computari eleemoſyna, quæ pro Miſſarum ſacrificiis erogatur (dummodò non ſit fixa, & annexa ipſi Beneficio, aut capellaniæ.) Etenim liberum eſt ei beneficiario Miſſam pro ſe, aut pro alio celebrare, nec cenſendus eſt redditus annuus, qui non ratione muneris, aut Beneficij, ſed contingenter, liberè, ac per accidens prouenit, idemque in taxa ſequenti eſt obſeruandum. Diſtributiones autem quotidianæ ſunt redditus, licèt non ſint fructus, ideóque in præſenti computandæ. Vide Bonacinam *de hor. canonic. d. 2. q. 2. punct. 1.*

18 In vtraque etiam, quia odia ſunt reſtringenda, ita debent recenſeri redditus; Vt, ſi à numero præfixo per Cõmiſſarium aliquid deficiat in illis, nec accedant ad trecenta ducata, ſeu in taxa ſequenti ad ducenta, etiam ſi defectus ſit exiguus, fereque ad eum numerũ redditus accedant, non tenebitur eleemoſynam hic præfixam erogare accipiens hanc Bullam, ſed minorem iuxta aſſignationem Commiſſarij.

Commiſſarij. Redditus autem annui ſunt computandi, deductis expenſis, & oneribus Beneficij, vt tenet Trullench *vbi ſuprà n.*13. quia ſolum eſt in bonis beneficiarij, quod liberum manet. Sic, cum ſoluitur media annata Beneficij à Pontifice impetrati, ſolùm computantur bona, quæ libera beneficiario remanent. Quomodo autem computandus ſit valor Beneficij impetrandi à Pontifice, tractat Gonzalez *ſuper regul.*8. *Cancellar. in proœm.* §.7. *à num.* 162. & alij, quos Trullench *ſuprà* refert.

19 Nec propterea cenſendum eſt onus Beneficij, ſi quis per alium ei inſeruiat, aut Miſſas celebrari faciat, cui partem redituum tradat; ea quippè pars non eſt deducenda, ſicut non deduceretur, ſi ipſe per ſemetipſum Beneficio inſeruiret. Deducendum autem eſt ſubſidium, & excuſatum, vt vulgò vocatur; item & eleemoſyna pro Miſſis, ſi plures ſint præfixæ in inſtitutione Beneficij, quàm eæ, quas poteſt ipſe beneficiarius celebrare; aliaque huiuſmodi. Cæterùm, quamvis nomine Beneficij abſolutè prolati intelligantur præſtimonia, capellaniæ, & alia, quæ recenſui *diſp.*11. *cap.* 1. in præſenti tamen non intelliguntur, licèt redditus illarum ad trecenta ducata accedant: tum quia non fit mentio de Capellaniis in hac taxa, & & in ſequenti fit, etiam ſi in ſequenti ſimul de Beneficiis fiat expreſſio; vnde colligitur nomine Beneficiorum non comprehendi in præſenti capellanias, aliàs non exprimerentur in taxa ſequenti; tum quia capellaniæ, etſi comprehendantur ſub nomine Beneficij abſolutè prolati, non verò videntur comprehendi, quando Beneficium reſtringitur, vt in præſenti, ad ſimplex, aut expoſcens ſeruitium: nam hæ ſunt ſpecies quædam determinatæ Beneficiorum.

20 Hic nota, ſumptus, qui fiunt in adminiſtratione reddituum Beneficij, ſi adminiſtratio illa nequeat fieri per ipſum beneficiarium, etiam deducendos fore, quia non ſunt in bonis illius, expenſæque, ac onus iudicantur. Nota etiam, ea verba, *cuya renta no baxe de trecientos ducados*, poſſe appellare, vel ſupra omnes antecedentes, nempè habentes Rationes, ſiue Portiones, Parochos, & Beneficiarios, ita vt ſi trecentorum ſumma ducatorum non fruantur ſingulis annis, non teneantur ſex drachmas pro Bulla hac erogare, vel poteſt appellare ſolùm ſuprà immediatè antecedentes, nempè Beneficio ſimplici, aut non ſimplici potientes: ita vt hi ſolummodò excuſentur ab erogatione ſex drachmarum, ſi redditus Beneficij non ſint trecenta ducata: Parochi verò, & habentes ſupradictas Portiones erogare teneantur ſex drachmas, etiam ſi redditus eorum magis exigui ſint. Prima expoſitio fortè alicui placebit, ne odia reſtringamus, cum poſſint ea verba ſupra omnes eos appellare.

21 Nihilominùs mihi magis placet ſecunda. Etenim aliàs ſequitur abſurdum aliquod; nam in ſequenti taxa quatuor drachmarum, quas debent ſoluere Sacerdotes, qui Beneficia, penſiones, aut præſtimonia habent, quorum redditus accedant ad ducenta ducata, nulla fit mentio Parochorum, nec eorum, qui Portiones, aut Rationes in Eccleſiis Cathedràlibus, aut Collegiatis habent. Ponamus ergo, vnum ex his frui ducentis ducatis in redditus annuos, vel ducentis, & quinquaginta; ſanè is nec deberet erogare ſex drachmas, ſi prima expoſitio *ſuprà* poſita eſſet vera, eo quòd eius redditus non eſſent trecenta ducata, nec item quatuor drachmas, quia hæ deſignantur pro habentibus Beneficia, aut penſiones; nec exprimuntur Parochi, & habentes eas Portiones in taxa quatuor drachmarum, exprimendique eſſent, ſi eos taxa illa comprehenderet, ſicut exprimuntur in taxa ſex drachmarum. Quo fieret, vt ſolùm deberent erogare duas drachmas in vltima taxa pro pauperioribus Sacerdotibus aſſignatas; quod eſt contra mentem Commiſſarij, qui cum deſignet ſaltem quatuor drachmas pro his, qui redditus ducentorum ducatorum habent, nonnulli vt Parochi, & Portionibus fruentes, ſimileſque adminùs redditus comparantes, duas tantummodò erogent drachmas. Itaque, vt hæc vitetur abſurditas, cenſeo, eos, quacumque ſumma reddituum fruantur, teneri ad erogationem ſex drachmarum pro Bulla; in qua taxa deſignanda abſque dubio Commiſſarius attendit ad munus, & dignitatem ſpecialem illorum, ſicut in taxa octo drachmarum ad idem attendit, quantumvis in aliquibus Eccleſiis, maximè Collegiatis, Canonicatus, imò & Dignitates exiguis annuis redditibus potiantur, nonque adeò copioſis, ac ſunt redditus aliquorum Beneficiorum, quin tamen beneficiarij octo drachmas erogare teneatur.

22 Quartò tenentur pro hac Bulla præſtare quatuor drachmas argenteas, qui Beneficia, Capellanias, penſiones, aut alios redditus Eccleſiaſticos potiuntur, ita vt ad ducenta ducata accedant ſingulis annis, eo modo, quo in præcedenti taxa ad trecenta ducata redditus fore acceſſuros, ſtatuimus. In præſenti non ſpecificatur, qualia debeant eſſe Beneficia, ſed intelligi debent ſimplicia, aut ſeruitium requirentia: nam immediatè in antecedenti taxa ita fuere expreſſa, & cùm hic immediatè ſubſequenter exprimantur capellaniæ, penſiones, & alij redditus, ſignum eſt, nomine Beneficij non comprehenſa fuiſſe omnia, quæ ſub eo nomine abſolutè

Digitized by Google

abſolutè ſumpto continentur; aliàs opus non fuiſſet exprimere cætera. Capellaniæ, de quibus hic, ſunt Eccleſiaſticæ, nam merè laicæ, quæ nec ad recitandas Horas Canonicas, aut officium parvum obligant, abſolutè Capellaniæ non ſunt, & ſaltem non ſunt Eccleſiaſticæ; hic autem de redditibus Eccleſiaſticis fit ſumma, & mentio, non de ſæcularibus: vnde, quamvis Sacerdos habeat ingentes redditus ſæculares, non propterea tenetur maiorem pro Bulla hac eleemoſynam elargiri, quàm correſpondentem redditibus Eccleſiaſticis, aut Dignitati, vel muneri, quibus gaudet.

23 Nomine penſionum quid intelligatur, perſpicuum eſt. Additur autem in hac taxa, *ò renta que no baxe de docientos ducados*: vbi illa vox *renta*, ſeu redditus non extenditur ad redditus ſæculares, iuxta *nuper* dicta, & ex contextu, & ex taxa antecedenti conſtat. Intelligitur ergo quicumque redditus titulo Eccleſiaſtico proueniens, ſiuè ex præſtimonio, ſiuè ex alio ſimili capite adquiſitus. Dices, ſub hac voce vniuerſali poſſidentium redditus comprehendi Parochos, & habentes Portiones, ſeu Rationes in Cathedralibus, ſeu Collegiatis Eccleſiis, infra trecenta ducata in ſingulos annos potientes: ideóque hos non in taxa antecedenti, vt *n.* 21. aſſeruimus, ſed in hac contineri. Contrà, quia hi debuiſſent exprimi in hac taxa, ſicut in præcedenti, ſi in hac continerentur, ne res adeò obſcura maneret; imò potiùs hi eſſent exprimendi, quàm habentes beneficia, capellanias, ſeu penſiones, qui hic exprimuntur, & in munere, ac dignitate ſunt inferiores illis. Prætereà, vt iam notaui, in eleemoſyna deſignanda præcipuè attendit Commiſſarius generalis officio, ac excellentiæ Eccleſiaſticorum, quàm eorum redditibus (& communiter redditus iuxtà dignitatem, & munus creſcunt, quamvis ſecùs aliquando contingat, atque id etiam Commiſſarius reſpexit) vnde in antecedenti eleemoſynæ erogandæ deſignatione, non in hac comprehenduntur.

24 Quintò, & vltimò duas drachmas argenteas præbere pro hac bulla tenentur cæteri omnes Clerici, qui in præcedentibus non continentur. Vbi vox *Clerici*, appoſita in præſenti non in tota ſua latitudine eſt accipienda, ſed ſolùm, provt ſignificat Sacerdotes: nam, qui Sacerdotes non ſunt, virtute Bullæ communis poſſunt edere oua, & lacticinia, etiam ſi diaconatus Ordine ſint initiati, vt tradidimus *diſp.* 18. *num.* 7. niſi fortè ſint Prælati: hæc autem Bulla ſpecialis ſolùm conceditur illis, qui ratione Bullæ communis nequeunt veſci lacticiniis; quippè eſt ſpeciale priuilegium, aliquidque ſpeciale debet operari, ne ſit ſuperfluum. Ad calcem iubet Commiſſarius, hanc Bullam cum cæteris publicari.

BVLLÆ COMPOSITIONIS EXPLICATIO.

DISPVTATIO XXXII.

Quis, & quomodo Bullam Compoſitionis concedere poſſit?

Accedimus ad expoſitionem Bullæ Compoſitionis, qua ſcilicèt bona incerta, aut debita Eccleſiæ, ſiuè pauperibus componuntur media erogatione eleemoſynæ taxatæ à Commiſſario, libérque manet à reſtitutione is, qui illa ſoluere debebat. In Bulla Latina, vt conſtat ex *diſp.* 1. *cap.* 1. immediatè ad alia indulta conceditur Commiſſario generali Cruciatæ, vt eam compoſitionem facere queat; ipſe verò ex ea facultate ſibi à Pontifice conceſſa Bullam Compoſitionis edidit, quæ ita noſtro Hiſpano idiomate incipit. *Bula de compoſicion ſobre bienes mal auidos, y adquiridos, de cuyos proprios dueños no conſta, concedida por las Santidades de nueſtros muy ſantos Padres Paulo Quinto, y Vrbano Octauo, de felice recordacion y mandada publicar por nueſtro muy ſanto Padre Innocencio Decimo, que al preſente rige, y gouierna la ſanta Sede Apoſtolica, en fauor de los que ayudaren à los gaſtos del Rey Don Felipe nueſtro ſeñor, en la guerra contra los infieles, enemigos de nueſtra ſanta Fè Catolica.*

CAPVT I.

An Pontifex poſſit Bullam compoſitionis concedere?

1 Bona de quibus fieri valet compoſitio, exponentur *diſp. ſeq.* Componere bona debita, eſt, deſignare minorem quantitatem præſtandam alicui operi pio loco maioris quantitatis, quæ debebatur, & erat perſoluenda pauperibus, aut Eccleſiæ,

Digitized by Google

eo quòd non eſſet, aut non compareret alius dominus, cui reſtitueretur; ita tamen, vt præſtita ea minori quantitate, tutus maneat in conſcientia debitor, nec amplius reſtituere teneatur. Hæc tamen compoſitio non poteſt à quolibet fieri, ſed ab eo, qui habeat circa ea bona debita aliquod ius dominij, diſpenſationis, ſeu adminiſtrationis. Quinam autem hi ſint, nunc inueſtigamus.

2 Poſſe Pontificem componere eiuſmodi bona, ſeu Bullam compoſitionis concedere, indubitabile mihi eſt. Et ſic ſentiunt Ledeſma *quæſt.* 18. *articul.*5. *fol.*266. Sotus *de iuſtit. & iur. lib.*4. *quæſt.* 7. *artic.*1. *ad* 3. *diſp.* 21. *quæſt.* 2. *artic.* 2. Medina D. Antonin. Nauarr. Corduba, Rodriguez, Syluester, Argomanas, & alij, quos refert, & ſequitur P. Henriquez *lib.*7. *de indulg. cap.*33. *n.*5. & *in gloſſ. lit. M.* Sayrus, & Villalobos, quos citat, & ſectatur Trullench *in Bull. lib.*3. *dub.* 1. *n.*2. Cardinalis Lugo *tom.* 1. *de iuſt. & iur. diſp.*6. *ſect.*12. *n.*150. P. Dicaſtillo *tom.* 1. *de iuſtit. & iur. lib.*2. *tractat.* 2. *diſp.*9. *dub.*14. *num.* 371. Ludouic. à Cruce *in Bull. diſp.* 3. *dub.*1. Garnica *in explic. Bull. pag.*55. & plures alij.

3 Probatur primò ratione deſumpta ex D. Thom. 2.2. *quæſt.* 100. *artic.* 1. Pontifex habet pleniſſimam poteſtatem ſuper perſonas, & bona ſubditorum, cum de ſalute animarum agitur, vtpotè cui incumbit eorum ſpirituali bono conſulere; at ad hoc bonum ſpectat bonorum incertorum compoſitio, vtpotè quæ difficilè reſtituuntur integrè, indeque plures obnoxij ſunt damnationi; aliundè etiam ea bona compoſita cedunt in beneficium Eccleſiæ, cum pio operi publico, vt eſt bellum contra infideles, applicantur; ſuntque prætereà bona, quæ Eccleſiæ, vel pauperibus debentur: Pontifex autem habet generalem adminiſtrationem bonorum, quæ pauperibus, & Eccleſiæ ſunt debita, vt Caietanus *in locum citatum D. Thomæ*, & communis cum eo docet; igitur Pontifex Bullam compoſitionis valet elargiri, bonaque incerta componere. Videatur Ludouicus Carbon *tractat. de reſtitut. quæſt.* 86. eaque poteſtas diſponendi de bonis Eccleſiaſticis conſtat ex *cap.* 2. *de præbendis, Clementin.* 2. *Vt lite pendente.*

4 Dices: Pontifex non eſt dominus bonorum, ita vt contra voluntatem veri domini queat de eis diſponere, maximè componendo magnam quantitatem pro exigua. Contra primò, quia Pontifex eſt ſupremus diſpenſator omnium bonorum in ordine ad finem ſpiritualem, qualis hic datur, ne ſcilicèt difficultate reſtituendi grauatæ conſcientiæ rem alienam in ſua poteſtate retineant: dominus autem cum compoſitio fit, eſt incertus: quare nullus determinatè reclamare poteſt, indeterminatè verò omnes eſſent irrationabiliter inuiti, ſi nollent ea bona, cuiuſcumque ſint, ita componi; maximè cum verus dominus, ſi compareat, poſſit rem ſuam repetere, & vindicare; ſiquidem hæc compoſitio fori interni eſt, non pro foro externo. Et quidem eos ſpontaneos eſſe debere, inde etiam ſuadetur, quia ea compoſitio cedit in bonum commune, cuius ipſi participes ſunt, & redduntur authores eius pij operis, quod eſt valdè æſtimabile: prætereaque non exiguam compenſationem elargiri Pontifex in conceſſione tot bonorum ſpiritualium, ac indulgentiarum, quas in Bulla, quæ ab omnibus accipi poteſt, communi viuorum præſtat, in qua conceſſione maximè attendit ad ſubſidium belli contra infideles, non ſolùm comparandum ex eleemoſyna, quæ erogatur pro ipſa Bulla communi viuorum, ſed etiam pro aliis, & pro compoſitione bonorum incertorum.

5 Probatur ſecundò concluſio. Bona incerta iure naturæ, & gentium deuoluuntur ad Rempublicam, poſſuntque hi, qui Reipublicæ ſunt capita, vt Pontifex eſt caput totius Reipublicæ Catholicæ, vt veri, ac legitimi adminiſtratores horum bonorum, conuertere ea in quoſcumque vſus vtilitati publicæ neceſſarios, non ſecùs ac alia Reipublicæ bona communia; vt docent P. Vazquez *de reſtitut. cap.*5. §.4. *dub.*1. *à num.*7. Bañez, Nauarra, Leſſius, & alij, quos refert P. Dicaſtillo *vbi ſuprà.* Ergo poteſt Pontifex applicare ea bona in ſubſidium belli contra infideles, & poſt applicationem factam tranſigere cum debitore pro minori quantitate.

6 Dices, ex hac applicatione ſequi, debitorem non poſſe non tradere ea bona incerta à ſe debita in ſubſidium Cruciatæ, vel integrè, vel facta compoſitione, adeoque non eſſe liberum, vt ea integrè reſtituat pauperibus, quibus poſſe reſtitui, imò debere, communis tenet. Reſpondeo cum Cardinali Lugo *vbi ſuprà*, negando ſequelam. Quippè poteſt Pontifex facere eam applicationem ſubordinatam voluntati debitoris, quaſi dicat: Ego hæc bona incerta applico ſubſidio Cruciatæ, ſeu Regi in illud ſubſidium, ſi debitor voluerit hoc vti priuilegio, tranſigens cum ipſo Rege, aut Commiſſario ſuper componenda quantitate, quòd ſi noluerit, non applico, ſed teneatur debitor reſtituere integrè ea bona, quin aliquid ex eis detrahatur, illis, quibus iure debentur.

7 Probatur demùm à poſteriori. Pontifex Bullas Compoſitionis multis ab hinc retrò annis concedit: ergo poteſt id præſtare. Impium namque eſſet, aſſerere, feciſſe, ac facere tot Pontifices id abſque legitima poteſtate: quod vel de Principe ſæculari pronuntiat

Digitized by Google

pronuntiat *lex ſacrilegium, Cod. de diuerſis reſcriptis, ibi: Inſtar ſacrilegij eſt, de poteſtate Principis dubitare.* Igitur id, quod poteſt facere Pontifex, in exercitio poſitum, cum adeſt rationabilis cauſa, nulli ſubiacet abſurdo. Rationabilem autem cauſam eſſe ſubſidium belli contra infideles, Eccleſiæque hoſtes, nullus dubitare valet. Quòd autem quantitas, quæ pro compoſitione præſtatur, ſit exigua, non obeſt, quia ſimul collecta nõ eſt exigua cenſenda, ſicut *diſp.* 1. dicebamus, eleemoſynam pro Bulla communi viuorum præſtitam non eſſe exiguam, ſi attendatur ad ſummam, quæ ab omnibus eam ſumentibus comparatur, atque adeò ſufficienti titulo, ac cauſa concedi à Pontifice tot indulgentias, & priuilegia cuilibet eam accipienti, eſtò quilibet exiguam eroget eleemoſynam.

8 Primus, qui hoc priuilegium, ſeu facultatem componendi bona incerta, conceſſit, fuit Alexander VI. vt teſtatur P. Henriq. *ſuprà*, cui plurimum Hiſpania debet, vtpote qui viam aperuit huic ſubſidio belli contra infideles; ſimulque debitores bonorum incertorum ingenti grauamine exonerauit; & qui Regi Catholico ius in orbem Indicum donauit, in quem Religionem Chriſtianam Hiſpani induxerunt, & ex eo toti huic alteri orbi ditando facultates reportarunt. Cæterùm Pontifex non deſignat quantitatem, quæ eroganda eſt pro compoſitione maioris ſummæ, ſed id relinquit Commiſſario generali, vt hic illam deſignat, quod conſtat ex verbis *diſp. ſeqq.* afferendis, in quibus ait Pontifex, ſe concedere prædicto Commiſſario, vt compoſitionem bonorum incertorum faciat, quin aliquid aliud taxet, aut limitet: ſub qua commiſſionis formula apertè liquet, taxam relinqui Commiſſario, ſiquidem compoſitio nequit fieri, niſi taxa apponatur, de qua nobis infrà erit ſermo.

9 Doctrina *in hoc capite* tradita apertiùs locum habet in bonis ad Eccleſiam pertinentibus, qualia ſunt, quæ reſtitui debent ex omiſſione recitationis Officij Canonici, item ex retentione fructuum malè partorum ratione alicuius irregularitatis, quæ reddebat incapacem eum, qui ex Beneficio fructus ſibi adquirebat; quæ bona poſſe componi à Commiſſario, conſtabit, *diſp.* 34. *& diſp.* 37. *c.* 5. Hæc autem reſtitui debebant Eccleſiæ ipſi, aut ſaltem ei poterant reddi, etiam ſi aliis operibus piis, aut pauperibus reſtitui valerent. Pontifex ergo ſpecialiter eſt ſupremus diſpenſator, ac adminiſtrator bonorum Eccleſiæ, poteſtq; ea applicare operi adeò pio, ac eſt Cruciata; ſicut poteſt in Beneficiis, ac præbendis pẽſiões imponere, & ſicut Regi Hiſpaniarum ad bellum nauale contra infideles, & contra quoſvis ſuorum Regnorum hoſtes conceſſit ſubſidium, & quod vocamus vulgò *eſcuſado* ex omnibus beneficiis Eccleſiaſticis colligendum eo modo, quo dicemus *diſput.* 38. *cap.* 3.

10 Infertur ex dictis, poſſe quoſcumque bonorum incertorum, & prætereà bonorum ad Eccleſiam ſpectantium debitores, vbicumque gentium ſint, Pontificem adire pro compoſitione, eumque poſſe bona prædicta, ſeu quantitatem pro compoſitione præſtitam cuilibet operi pio applicare. Infertur prætereà, hanc compoſitionem eſſe tutam in conſcientia, & poſt eam factam debitorem non teneri in foro interno aliquid vlterius reſtituere, etiam ſi poſteà verus dominus eiuſmodi bonorum compareat. De quibus *diſp. ſequenti c.* 3. *&* 4. ex profeſſò agemus.

CAPVT II.

An Epiſcopus bona incerta componere poſſit; & Bullam compoſitionis pro ſua diœceſi expedire.

11 De facto in diœceſibus, vbi Bulla Cruciatæ valet, ait Trullench loquendo generaliter, *lib.* 3. *dub.* 1 *num.* 6. nequeunt Epiſcopi bona incerta ſubditorum componere, nec Bullam compoſitionis expedire. Enim verò Commiſſarius generalis, cui plena à Pontifice delegatur iuriſdictio in ordine ad præcipiendum, aut prohibendum ea omnia, quæ expedire iudicauerit in ordine ad hoc, vt ſubſidium Cruciatæ augeatur, nec aliqua via minuatur, ait in fine Bullæ Compoſitionis Hiſpaniæ. *Item Nos el dicho Comiſſario general ordenamos, declaramos; y mandamos ſo pena de excomunion mayor lata ſententia; que ningun Comiſſario, Pradicador, Teſorero, ni Recetor de la ſanta Cruzada, ſe entremeta à bazar, ni haga ninguna compoſicion de qualquier forma que ſea, en manera alguna; pues ſi alguna perſona tuuiere neceſidad de ſer compueſta en mas cantidad de lo contenido en eſta Bula, ha de acudir ante Nos, como eſtà dicho y la compoſicion que de otra manera ſe hiziere, ſerà en ſi ninguna, y de ningun efeto.*

12 Vbi expendo pro Trullench, & ſi præceptum Commiſſarij videatur ſolùm auferre compoſitionem per Miniſtros Cruciatæ peragendam, nihilominus ad omnes extendi: tum quia ait Commiſſarius, quòd ante ipſum comparere debeat, quicumque per Bullas Compoſitionis non potuerit componi, quæ clauſula eſt excluſiua cuiuſcumque compoſitionis aliter factæ: non enim obſeruaretur id præceptum, ſi quis ante Epiſcopum compareret, & cum eo componeretur; tum quia vltima verba ſunt generalia, & ſignificant, quamlibet compoſitionem non factam

Digitized by Google

ſubditorum incerta debentium, & æqua ratione aliundè credi poteſt, eam eſſe voluntatem creditorum, dum certi non ſunt, & non apparent, vt Epiſcopus ea bona componat ſubditorum conſcientias exonerans. Aliunde Epiſcopus eſt adminiſtrator, ſeu diſpenſator bonorum, quæ ad pauperes ſpectant in ſua diœceſi, ſicut Pontifex in toto orbe Chriſtiano, & prætereà nullo iure nec naturali, nec humano (ſi excipias prohibitionem *ſuperiùs* expoſitam) prohibetur, ne eam compoſitionem præſtet: ergo, ſicut Pontifex poteſt bona incerta omnium fidelium componere, ſic & Epiſcopus bona incerta ſuorum ſubditorum; præcipuè comuni aſſerto ſtando, quòd proportionatè poteſt Epiſcopus in ſua diœceſi, quod Pontifex in tota Eccleſia, niſi prohibitio aliqua adſit. Tutè cæterùm in praxi hanc compoſitionem præſtare poterit, cum ſaltem noſtra ſententia practicè ob authoritatem ſit probabilis, & ob rationem mihi veriſſima.

18 Confirmatur: quia reſtitutionem bonorum incertorum eſſe caſum Epiſcopo reſeruatum affirmat P. Henriquez *ſuprà*, & Nauarrus ab eo allatus *in gloſſ. litt. D.* Ideò autem reſeruatur, vt Epiſcopus ea bona in pauperes, & opera pia diſtribuat: igitur ad Epiſcopum attinet diſpenſatio, & adminiſtratio eiuſmodi bonorum. Vnde, ſicut, quia Pontifex eſt adminiſtrator, & diſpenſator omnium bonorum, quæ ad pauperes, ac pia opera ſpectant, & quæ bonum ſpirituale fidelium concernunt, poteſt bona incerta omnium componere; pariter eadem ratione proportionatè ſumpta poterit Epiſcopus bona incerta ſubditorum componere. Aduerte tamen obiter, eam reſtitutionem eſſe reſeruatam Epiſcopo, non ratione peccati, ſed diſtributionis bonorum: quare ſi debitor ea reſtituit pauperibus, non opus habet recurſu ad Epiſcopum, ſed à quolibet confeſſario poterit abſolui. Etenim licet ipſis debitoribus, bona incerta pauperibus, operibuſque piis reſtituere. Iura enim, quæ committunt diſtributionem eiuſmodi bonorum Epiſcopis, nempè *cap. cum ſit, de Iudæis, cap. quamquam, de vſur. in 6.* vel intelligenda ſunt caſu, quo ipſe debitor præfatam reſtitutionem non peregiſſet, vel conſuetudine, quæ poteſt derogare iuri, abrogata ſunt. Ita colligitur ex Scoto *in 4. diſt. 15. q. 2.* Ricard. *artic. 5. q. 4.* Docent Sotus *de iuſtit. lib. 4. q. 7. artic. 1. ad 3.* Medina *de reſtit. q. 3. cauſa 10.* Syluester *verbo reſtitutio 8. §. 5. & 6.* Nauarrus Henriquez, & alij, qui affirmant, hoc eſſe commune.

19 Sed aduerſus noſtram ſententiam arguitur primò. Solum ad Principem ſupremum Eccleſiæ ſpectat diſpenſatio bonorum communium illius; at bona incerta ſunt theſauri communis Eccleſiæ: ergo ad Papam dumtaxat, qui eſt ſupremus Princeps illius, non ad Epiſcopum ſpectat diſpenſatio, & compoſitio. Hoc vtitur fundamento Rodriguez, ſed imbecilli. Nam ad ſolum Principem totius Eccleſiæ ſpectat, poſſe diſpenſare quæcumque bona incerta omnium fidelium; quia ipſe ſolus reſpectu omnium ſimul eſt ſuperior; ſicut ipſe ſolus poteſt omnibus indulgentias, & alias facultates concedere, at hoc non tollit, Epiſcopum ſuis ſubditis gratias, & facultates poſſe elargiri, & ſimiliter bona incerta componere, cum ſit diſtributor, & diſpenſator eiuſmodi bonorum reſpectu ſuæ diœceſis: quod non impedit, Papam in ipſa diœceſi, & in cæteris id poſſe præſtare.

20 Arguitur ſecundò ex conſuetudine; qua ſolus Pontifex, & non Epiſcopi, Bullam Compoſitionis concedere valent. Reſpondeo, in locis, vbi Bulla Compoſitionis valet, iuxta Trullench (de quo nos *infrà*) prohibitum eſſe Epiſcopis bona incerta componere: in aliis autem locis, non afferri probationem pro eiuſmodi conſuedine. Et ſanè contingit aliquando, aut propter ignorantiam eorum, qui poſſunt facultatem aliquam expoſcere, aut propter ſcrupulum: illorum, qui eam valent concedere, eſſe non vſum illius; quod tamen poteſtatem non tollit. Et quidem ex ipſa prohibitione, qua cauetur à Commiſſario Generali, compoſitiones factas, niſi coram ipſo, fore irritas, non inualidè ſuadetur, eſſe poteſtatem in Epiſcopis ad eas faciendas, & conſuetudinem non ſemper fuiſſe contrariam. Etenim fruſtra prohiberetur adeò enixè id, quod nec abſolutè poterat peragi, nec vſus vnquam fuerat, vt perageretur.

21 Arguitur tertiò. Ex iure Canonico bona incerta debentur pauperibus; ſed Epiſcopus non eſt ſupra ius Canonicum, ſicut eſt Pontifex: ergo nequit in eo iure diſpenſare, auferendo ea bona à pauperibus, & compoſitionem præſtando, quod Pontifex exequi poteſt, quia ſupra ius Canonicum eſt. Reſpondeo in primis, non omnia bona incerta deberi pauperibus, nam bona inuenta, quorum dominus non comparet, iuxta probabilem valdè opinionem eis non debentur, de quo *diſp. ſequent. cap. 2.* Deindè ius Canonicum non tollit ab Epiſcopis poteſtatem diſponendi de eis bonis in vſus pios, & conſequenter ea componendi, cum ad bonum animarum expedierit; ſed deſignat, cui ſint reſtituenda ea bona à debitoribus, & prætereà, quomodocumque componantur, aut diſpenſentur, cui ſit applicanda compoſitio, aut ſumma ex diſpenſatione illorum reſultans, nempè pauperibus, aut operibus piis: hæc enim

Digitized by Google

enim etiam nomine pauperum veniunt.

22 Nec audiendi ſunt, qui affirmant, Pontificem ſibi reſeruaſſe compoſitionem bonorum incertorum. Quippè hoc abſque fundamento aſſeritur, cum ea reſeruatio ex nullo iure, aut Decreto Pontificio conſtet. Quod de Epiſcopis aſſeruimus, intelligendum eſt etiam ex paritate rationis de illis Prælatis, qui quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habent; hi enim Epiſcopis æquiparantur in his, quæ iuriſdictionem concernunt. Cęterum nequeunt ſibi applicare quantitatem ex compoſitione reſultantem, ſed in pauperes, aut opus pium facienda eſt diſtributio; circa quod vide dicta *diſput.* 1. *num.* 32. vbi egimus de eleemoſyna, quæ propter gratias, ac facultates ab Epiſcopis conceſſas poteſt præſtari, & exigi. Alij autem inferiores, vt Parochi, ac Confeſſarij, nequeunt bona incerta componere, cum nullo titulo eis competat ad id poteſtas, ac iuriſdictio.

23 Hic aduerte, ſi pauper ſit is, qui tenetur bona incerta reſtituere, poſſe Epiſcopum ea ipſi, vt pauperi, applicare, ita vt ex tunc ceſſet obligatio reſtituendi, non ſecùs ac ſi aliis pauperibus reſtituiſſet: vnde, ſicut in hoc caſu, non teneretur domino poſteà comparenti ea iterum reddere pro foro interno, ſic nec in caſu, in quo ſibi ea applicata fuiſſent ab Epiſco. Quippè ad Epiſcopum, vt dixi, ſpectat, bona pauperum in ſua diœceſi adminiſtrare, ac diſpenſare; quare, ſicut poſſet applicare huic pauperi, de quo loquimur, bona incerta ab homine diuite reſtituta, non eſt, cur non poſſit applicare ea, quæ ipſe debet. Nam poſſet Eqiſcopus ea accipere, ſi pauper ille reſtitueret de facto, & accepta diſtribuere pauperibus, & prætereà ipſi, vt vni pauperum, illa donare; hincque iterum eiuſmodi bona ad illius redirent poteſtatem: materialiter autem ſe habet, quòd ipſe pauper ea reſtituat, vel ſibi abſque reſtitutione applicentur, ſi in caſu reſtitutionis, poſſunt ei reddi bona præfata.

24 Sed dubitabis primò, an etiam pro foro externo valeat hæc applicatio, ita vt etiam comparente domino, & exigente, pauper ille poſſit ſe in iudicio ea applicatione authenticè facta defendere, nam ſi ſecretò, & in foro conſciétiæ fiat, certum eſt, nullam ibi eſſe defenſionem. Idemque poteſt inquiri, ſi quis de facto reſtituat bona incerta pauperibus iuxta applicationem ab Epiſcopo factam. Supponendum eſt, de facto, vbi Bulla valet, eam applicationem publicam non fieri ab Epiſcopo in ſubſidium pauperum, cum ea bona attineant ad Cruciatam per applicationem Pontificis, vel aliqua ex illis etiam ad Ordines Sanctiſſimæ Trinitatis, & B. Mariæ de Mercede ad præuentionem, & nullus Epiſcopus à tam piis operibus aliquid detrahere velit, & ſi poſſit.

25 Abſolutè autem cenſeo poſſe pro foro externo Epiſcopum ea incerta bona applicare in pauperes, & opera pia, adhibita priùs ſufficienti diligentia pro inueniendo domino, poſſeque eum, qui reſtituit, defendere ſe in iudicio. Cui doctrinæ fauet P. Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 33. *n.* 4. Etenim ille fecit, quantum erat in ſe, vt ſatisfaceret vero domino, quo non comparens, executus eſt, quod debebat, reddens bona iis, quibus ſtatutũ eſt omni iure, reddi; Epiſcopus prætereà vt publicus diſpenſator eiuſmodi bonorum ea expendit in opera pia, quæ ſuccedunt loco veri domini: ergo reſtituens etiam in foro externo debet liberari ab onere reddendi iterùm ipſa. Et verus dominus erit irrationabiliter inuitus, ſi in circunſtantiis prædictis nolit, eum liberum remanere. Imò ſi aliqua manet actio domino, ſanè potiùs dabitur ad repetendum bona præfata ab eis, quibus applicata fuere, ſi conſtet de illis, eaque bona non fuerint conſumpta, vt ſi xenodochio, aut Eccleſiæ fuiſſent præſtita, & adhuc in ſe, vel in æſtimatione ſui durarent.

26 Dubitabis ſecundò, an Confeſſarius poſſit applicare bona incerta, quę pauper debet, ipſi pauperi, vel ipſemet ſibi abſque interuentu alterius? Non loquor de bonis inuentis, de quibus *diſp. ſequent.* ſed de aliis, quæ quis debet ex iniuſta adquiſitione, vel læſione aut ex cauſa ſimili. Reſpondeo, ipſum non poſſe ſibimet applicare illa, eſtò non teneatur reſtituere dum non habet, vnde reſtituat, vel ſi habet paſſurus ſit magnum incommodum, de quo in materia *de reſtitutione* latè pertractant Authores. Non poſſe ipſum, indè conſtat, quia aliàs res exponeretur periculis iniuſtitiæ, dum quis non rectus iudex in propria cauſa iudicaret in ſe forſan paupertatem, quæ talis cenſeri non deberet, aperireturque via ad non reſtituendum bona aliena, ſed ea ſibi reſeruandum. At ſi pauper ita doctus, & timoratus eſſet, vt rectum iudicium de ſua egeſtate proferret, iudicio, poſſe ſibi applicare, ſicut poterat abſque vllius interuentu reſtituere pauperibus, tunc enim ſe habet, ac ſi ea bona ab alio in eleemoſynam acciperet; ſicut poſſet ea bona reſtituere Epiſcopo, aut Confeſſario, vt in pauperes diſtribueret, & poſtmodùm poſcere ab ipſis eleemoſynam, ſi aliquam haberent pauperibus applicandam, & eademmet bona à ſe reſtituta iterùm accipere, quod, vt *ſuprà* attigi, valdè materialiter ſe habet. At hæc ferè metaphyſica ſunt in euentu, difficile nempè eſt, pauperem illum & ſuam neceſſitatem pendere, & quantitatem taxare neceſſariam ad ſuam miſeriam ſubleuandam, aliaque huiuſmodi, quare

Digitized by Google

quare practicè nunquam, aut rarò id licebit.

27 Confeſſarius autem rectè poterit eam applicationem facere in foro conſcientiæ. Sicut enim poſſet conſulere pœnitenti, vt ea omnia bona integrè reſtitueret pauperibus, vt tenetur reſtituere potens, ita poteſt, non quidem vtendo aliqua iuriſdictione, aut poteſtate, conſilium præbere de retinenda ſibi ea quantitate. Quod ſuadent dicta *num. præcedenti*, & aliundè ceſſat inconueniens *ibi* attactum; cum Confeſſarius polleat prudentia, & ſcientia ad diſcernendum, vtrùm ſit cauſa ſufficiens ad retinenda, & non reſtituenda ea bona. Vnde id præſtare poterit idem Confeſſarius extrà forum Sacramenti imò quilibet vir doctus. Etenim hic modus applicationis, de quo in hoc dubio quæſtio eſt, non inuoluit vllum iuriſdictionis actum, ſed quoddam iudicium rectum de titulo, qui eſt in homine prædicto, vt poſſit ſibi ea bona aſſeruare, ſeu eis, vt eleemoſyna, non vt bonis alienis iniuſtè adquiſitis, vti, redduntur enim ea bona per incertitudinem domini ad ſpeciem eleemoſynæ ex iure ipſo, & in eam ſpeciem redacta, declarat Confeſſarius, aut vir doctus poſſe eum ſibi illa comparare. Et mihi perſuadeo ita eſſe in praxi Confeſſariorum; dum deobligant pauperem ad reſtituendum; id enim perindè ſe habet, ac ſi ea bona incerta ablata, eleemoſynæ titulo, pro tunc poſſe ſibi reſeruare aſſererent.

28 Hoc autem eſt diſcrimen inter applicationem factam ab Epiſcopo, & hanc quaſi applicationem, quòd per illam transfertur dominium ſaltem pro foro interno, ita vt, comparente domino, non teneatur in foro conſcientiæ ad reſtitutionem is, cui applicatio eſt facta, id enim potuit præſtare Epiſcopus, vt diſpenſator eiuſmodi bonorum, non ſecùs ac ſi ille ipſe reſtituiſſet ea bona aliis pauperibus, etiam comparente domino, non teneretur in foro interno ad ſecundam reſtitutionem, ad quam nullus in eo foro obligatur, prima ritè facta. Cœterùm per eam quaſi applicationem præſtitam à Confeſſario nullum transfertur dominium, cum Confeſſarius, aut quiuis inferior Epiſcopo non habeat iuriſdictionem diſpenſandi bona incerta, quare, comparente domino, ſi ille cui quaſi applicata ſunt, poſſet iam commodè reſtituere, ad id teneretur, nam ea quaſi applicatio ſolùm eſt declaratio, quod in circunſtantiis incertitudinis domini, & paupertatis debitoris deobligatus eſt ad reſtituendum, ſicut ob paupertatem eſſet deobligatus, quamvis dominus eſſet certus; vndè mutata paupertate, teneretur ad reſtitutionem faciendam domino certo, vel, ſi adhuc hic non comparuiſſet, pauperibus, aut ad compoſitionem debiti virtute Cruciatæ faciendam.

29 Dices, ſi, hic reſtituiſſet ea bona pauperibus, non teneretur ea reddere iterùm domino cõparenti; igitur nec tenetur, ſi ſibi pauperi quaſi applicata ſunt. Nego conſequentiam, diſparitas conſtat ex dictis, quia nemo tenetur bis eadem bona reſtituere, ſi ſemel rectè reſtituit; per eam autem quaſi applicationem nec ſemel reſtituit, nec acquiſiuit dominium, ſed dumtaxàt deobligatus eſſe fuit iudicatus ad reſtituendum, attenta eius paupertate, quæ reſtitutionem non patiebatur. Vide P. Molin. *de iuſtit. diſp.* 247.

CAPVT III.

An Reges, Principes, & Reſpublica poſſint bona incerta componere?

30 BOna incerta ſunt in differentia duplici; alia iuſtè adquiſita, qualia ſunt inuenta, & quævis alia abſque fraude poſſeſſa, alia verò ſunt iniuſtè adquiſita, ſeu ex iniuſta læſione reſultantia. De vtriſque eſt quæſtio. Circa prima, vt ſit locus dubitationi, ſupponendum eſt, ea debere reſtitui juxta probabilem opinionem, nam ſi reſtitutio non ſit debita, non erit opus compoſitione. An autem ſit debita, *ſequenti diſp.* dirimemus. Igitur loquendo de his bonis, communis, ac vera ſententia tenet, Regem, Principem, aut Rempublicam poſſe, bona incerta componere. Ita Cordoua *lib.* 5. *quæſt. vltim.* Rodriguez *in Bull. compoſit.* §. *vnic. dub.* 5. *numer.* 7. P. Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 33. *num.* 3. Trullench *in Bull. lib.* 3. *dub.* 1. *num.* 4. P. Dicaſtillo *tom.* 1. *de iuſt. lib.* 2. *tra.* 2. *diſp.* 9. *dub.* 14. *num.* 371.

31 Ratio eſt, quia Reſpublica ſuccedit loco domini incerti, ergo poteſt ea bona remittere, componere, aut applicare, cui maluerit, ſicut poteſt dominus id circa ſua bona præſtare. Antecedens conſtat ex iure gentium, rectè quidem introducto, nam bonorum, cuius dominus non comparet, non eſt titulus, vt alius ſit dominus, niſi Reſpublica ipſa, quæ eſt mater ciuium, omneſque ciues repræſentat, quare etiam repræſentat ciuem, qui erat dominus verus; & eſtò eſſet exterus, aut alienigena, tamen, dum in ea extitit Republica, ibique ea bona amiſit, factus eſt quaſi ciuis, & ratione territorij ea bona diſpoſitioni ſubiacent Reipublicæ, quæ ſupponit, ea bona fuiſſe alicuius ciuis, cum apposita ſufficienti diligentia, nequeat oppoſitum explorare.

32 Hinc etiam Rex poteſt bona incerta componere, quia eſt caput Reipublicæ, præſtareque poteſt omnia, quæ Reſpublica poſſet,

Digitized by Google

poſſet. Quod à poſteriori confirmatur, quia de facto Rex Hiſpaniarum bona incerta inuenta,quæ vocantur Hiſpano idiomate *Moſtrenco* applicauit aliquibus, vt *inferiùs* cõſtabit,& rectè P.Henriquez *ſuprà in gloſ.litt.Q.* ait,falſo aſſeruiſſe Couarruuias, leges Regni de his bonis diſponentes eſſe iniuſtas. Fit ex hac concluſione,etiam Regem,& Rempublicam gentilium poſſe,bona incerta componere,cum hæc poteſtas non ex iure Eccleſiaſtico dimanet ſed ex iure gentium, quod hominibus cunctis eſt commune, *inſtitut. de iur. gent. in princip.*

33 Loquendo de bonis iniuſtè adquiſitis, non poſſe Regem, aut Rempublicam facere compoſitionem, tuentur Sotus *in 4.diſt. 21. quæſt. 2. art.* 4. Rodrig. *ſuprà*; Villalobos *tractat.*10.*n.*10. Ludouicus à Cruce *in explic. Bull. diſp.* 3. *dub.* 3. *numer.* 4. Trullench *ſuprà*. Contrarium tenet P. Henriquez *vbi nuper*, & plures, qui indiſtinctè compoſitionis faciendæ poteſtatem Regi, & Reipublicæ adſcribunt, videntur eſſe ab hac ſententia, cum non limitent, nec diſtinguant. Videantur P.Dicaſtillo *ſuperiùs*, & Authores ab eo relati.

34 Huic ſecundæ ſententiæ meum fero ſuffragium. Quippè, etiam ſi iniuſtè ſint illa bona aquiſita, dum dominus eſt incertus, ſuccedit Reſpublica loco veri domini,qui ſane non inuitus eſſe debet in ea ſucceſſione, cum ſit filius, & membrum eius Reipublicæ, & aliundè ex iure gentium non diſtinguitur, aut limitatur hoc dominium; præſertim cum id ius commune ſit omnibus gentibus, inter quas plura ſunt Regna Gentilium, & in his non datur alius, qui ea bona poſſit diſpenſare,remittere,aut componere, atq; adeò Reſpublica in hæc munera ſufficitur; ergo ea poteſt prædicta bona cõponere,ſicut poteſt remittere, aut applicare in aliqua opera ipſi Reipublicæ vtilia.Cõfirmatur. Suppoſuimus *nu.*30. bona incerta iuſtè adquiſita. vt ſit locus quæſtioni,debere reſtitui,& tamen communis ſententia docet, ea poſſe componi à Republica,quamvis ad conſcientiæ exonerationem reſtitutio ſpectaret;ergo, licet ad ipſam ſpectet reſtitutio malè adquiſitorum,poterit Reſpublica illa componere, & liberare debitorem ab obligatione reſtituendi. Quippè, quid refert, quod præfata bona iuſtè,aut iniuſtè fuerint adquiſita,ſi iniuſtè vtraque retinentur, & ideò ad exonerandam conſcientiam vtraque debent reſtitui? aut quid amplius circa reſtitutionem attinet ad bonum conſcientiæ reſtitutio malè adquiſitorum, ac adquiſitorum iuſtè? ergo non rectè à contrariis negatur facultas componendi bona incerta iniuſtè adquiſita, ſi ſemel concedunt facultatem ad componenda bona iuſtè adquiſita, & vtraque reſtutioni eſſe obnoxia tuentur.

35 Etenim indè mouentur aduerſarij ad ſuam opinionem aſſeuerandam,nempè quod ea bona ad conſcientiæ exonerationem pertinẽt,ad quam opus eſt Eccleſię clauibus,reſpectu fidelium. Sed contra, quia reſpectu Gentilium nihil poſſunt Eccleſiæ claues; ergo ſaltem reſpectu illorum poterit Reſpublica bona incerta malè adquiſita componere,aliàs non erit publicus eorum bonorum diſpenſator iure gentium inſtitutus,quod incredibile eſt. Deindè, ſi Reſpublicæ Gentilium eam compoſitionem iure gentium facere queunt, quare id nequeant Reſpublicæ fidelium? Contrà ſecundò efficaciùs: nam etiam,vt aſſerui,reſtitutio bonorum iuſtè adquiſitorum ad conſcientiam ſpectat,aliàs non eſſet opus reſtitutione, nec compoſitione indigeretur, & tamen Reſpublica tum fidelium, tum Gentilium poteſt eiuſmodi bona componere,etiam iuxta aduerſarios;ergo bona iniuſtè, adquiſita, quamvis ad conſcientiam ſpectent, & cum hæc ratio fori interni conſcientiæ non diſſuadeat ſecundum, nec primum diſſuadebit.

36 Hinc etiam refutatur aliud argumentum,ſcilicèt compoſitionem de rebus iniuſtis adquiſitis excedere finem Reipublicæ ciuilis, id eſt,pacem,& iuſtitiam publicam.Nam cur hæc compoſitio excedat,& non excedat compoſitio de rebus iuſtè adquiſitis,ſedquę reſtitui debent,cum in vtriſque conſcientiæ exoneratio interueniat? Vnde, ſicut in horum compoſitione non exceditur finis Reipublicę ciuilis,nec pax, aut iuſtitia, ita nec in eorum, quæ malè parta ſunt,compoſitione idem finis excedetur,maximè,cum ad iuſtitiam, & pacem Reipublicæ pertineat, vt nullus fruatur bonis iniuſtè comparatis, etiam ſi dominus ſit incertus;& quòd ea bona deuoluantur ad Rempublicam,quæ dominum verum repræſentat,& inde poſſit ea diſpenſare,& componere, vt ſic faciliùs debitores reſtituant, & non ſuccumbant periculo auaritiæ,ſibi ea bona iniuſtè retinendo.

37 Demùm non obſtat, quod ait Trullench,Principes non ſolere bona incerta malè adquiſia componere. Quippè hoc non probat defectum poteſtatis in illis, ſed conuenientiam non exercendi illam publicè, ac per leges,ſicut per leges eam exercent, circa bona incerta iuſtè adquiſita,qualia ſunt inuẽta;tum quia in pœnam culpæ,quæ interuenit in adquiſitione iniuſta eorum bonorum, poteſt à Principibus ea compoſitio negari; ne etiam fortè ex ea anſam arripiant homines auari adquirendi iniuſtè, & per fraudes aliena bona, ex confidentia compoſitionis; tum quia adquiſitio iniuſta bonorum ſolet eſſe oculta

Digitized by Google

occulta communiùs, ideóque circa illam leges.& edicta non proferuntur,præcipuè,quia alia bona incerta inuenta, præcipitur, voce præconis publicari ſæpiſſimè, vt dominus poſſit in eorum peruenire notitiam, antequam applicentur fiſco,aut operi pio;quod ſi præſtaretur circa ea bona iniuſtè adquiſita, publicaretur delinquens occultus, qui ea ſubripuit, vel eſſet periculum, vt publicaretur, quod nec leges iuſtè ſtatuerent, nec ille debitor vteretur compoſitione, qua eius culpa eſſet manifeſtanda; atque adeò inutilis eſſet lex circa talem compoſitionem. Denique, quia peccatum iniuſtæ adquiſitionis inter fideles, de quorum Regibus loquitur Trullench, deferendum eſt ad claues Eccleſiæ, nolunt Reges quidquam diſponere circa reſtitutionem, quæ ex eiuſmodi peccato dimanat,ſed,vt acceſſorium ſequatur principale, & eiſdem clauibus peccatum, ac reſtitutio, ſeu compoſitio ſubiaceat.

38 An autem obligent in conſcientia leges poſitiuæ à Regibus latæ ſuper reſtitutione bonorum incertorum, aliquid *diſp. ſeq.* attingemus viderique poſſunt Nauarra *lib.4. de reſtitut. cap. 2. num.*82. P. Molin. *de iuſt. diſp.*749. *&* 750. Aduertit Cardinalis Lugo *tom.*1. *de iuſt. diſp.6.num.*152. plures aſſerere, non eſſe eas leges ſub obligatione receptas, alios autem affirmare, dumtaxàt pro foro externo obligare, ipſe verò aſſeuerat, attendendum eſſe ad verba legum, & ſimul ad conſuetudinem, quæ eſt optima legum interpres.

39 Ex dictis infero primò,caſu quo milites iniuſtè aliquam vrbem læſiſſent, ita vt non facilè conſtaret de dominis, quibus vnuſquiſque miles nocumentum intulerat, vel etiam omnes ſimul, poſſe Regem, aut dominum vrbis cum eis militibus compoſitionem facere ſuper damno illato, quantumvis incolæ vrbis inuiti eſſent, dum non conſtaret, quiſnam eſſet damnificatus. Imò etſi conſtaret, poſſet alio titulo Rex eam compoſitionem facere, nempè pro communi pace; habet enim Rex dominium altum bonorum, quæ ſui ſubditi poſſident, vt eis vtatur, cum bonum publicum, cui priuatum cedere debet, expoſcit. Aſſentiunt huic illationi Sotus *de iuſt. lib.*4. *quæſt.*7. *art.*1. *ad* 3. Cordub. *lib.* 1. *quæſt.* 39. *& lib.*5. *q.vlt.* P. Henriquez *lib.*7. *de indulg. cap.*33. *n.* 3.

40 Infero ſecundò, Hiſpanos quoſdam, eiuſque ſucceſſores, qui apud Indos iniuſto bello contra Regis Catholici inſtructionem obtinuerunt bona, aut retinent oppida, potuiſſe,& poſſe cum Rege facere compoſitionem: quia cum non poſſit agnoſci verus dominus,nec eius hæres,Rex ſuccedit loco veri domini, & aliundè, cum ea bona fuerint Indorum infidelium,de bonis eorum nihil Pontifex diſponit. Quamvis,quia iam ea bona ad fideles peruenerunt, iudicat tutius P.Henriquez *vbi nuper*, ſimul cum Pontifice compoſitionem facere,& ſic monet Epiſcopus Chiapæ *tract. de regulis confeſſor. Indiæ prop.*3. Ego quidem, licèt non inficier, hoc eſſe tutius, illud tamen tutum eſſe cenſeo,quia bona illa iniuſtè à fidelibus adquiſita, non ſunt fidelium, ſed infidelium, bona autem Infidelium non ſubiacent clauibus Eccleſiæ; Rex verò ſuccedit in ea bona loco veri domini, quia Rex eſt legitimus Indorum, vt *toto primo tomo de iure Indiarum* innumeris conuincit rationibus Don Ioannes de Solorzano.

41 Aduertendum ad finem capitis eſt nomine Reipublicæ, quæ valet bona incerta componere, intelligi eam,quæ non habet ſupremum Principem, aut caput, penes quem ſtet ſuprema iuriſdictio, quantumvis à Senatoribus,aut ciuibus fuerit ei conceſſa.Si enim totam iuriſdictionem ille habet, apud ipſum reſidet poteſtas componendi bona incerta ciuium,vtpotè qui ſupra illos, eorumque bona iuriſdictione potitur, quare ad eum bona eiuſmodi deuoluuntur. Vt autem Reſpublica poſſit illa bona componere, oportet, vt apud ſe, aut apud ſuum Senatum iuriſdictio ſuprema remanſerit, quamvis aliquod ſibi caput, aut Ducem cum iuriſdictione, vel poteſtate limitata elegerit; compoſitioque fieri debet ab his,qui Rempublicam repræſentant,& iuriſdictione præfata funguntur. Vnde oppida, & vrbes, quæ Regi ſubiacent, aut Principi ſupremo, vt in Hiſpania, Germania, Gallia, & ſimilibus Principatibus, nequeunt bona incerta componere.

42 Difficilius eſt, an non ſolus Princeps ſupremus (quo nomine veniunt hi, qui ſunt domini abſoluti, ſupremaque iuriſdictione ordinaria gaudent, eſtò aliquod feudum alij Principi perſoluant, aut ſub eius exiſtant patrocinio) ſed etiam quicumq; domini vaſſallorum,ſub Regis tamen, aut Principis ſupremi poteſtate conſtituti bona incerta modo *ſuperiùs* dicto queant componere abſolutè,& præſcindendo à præcepto iniuncto à Commiſſario Generali Cruciatæ de non componendis ab alio,niſi à ſe bonis incertis:Cenſeo, eos neutiquam poſſe bona incerta componere. Quippè hæc poteſtas componendi eſt actus ſupremæ iuriſdictionis,qua illi non potiuntur;ſi quidem fundatur in eo, quòd componens ſit dominus eorum bonorum loco certi domini;at hi domini vaſallorum nequaquam ſuccedunt loco certi domini, nec habent dominium altum, ſeu excellentiæ in bona ſubditorum, nec eis vectigalia poſſunt iniungere. Et aliundè Rex conſeruat illud dominium in eos ſubditos, quare eis tributa,

Digitized by Google

& vectigalia imponit, cogitque, vt ſoluant, quæ in ipſos diſtribuuntur. Rursùs nunquã hi domini vaſſallorũ bona incerta ſibi comparare ſtudent, quod à poſteriori probat, eis non competere, aliàs non paterentur, ea ſibi bona è manibus eripi. Quare in ipſis oppidis ad illorum ditionem ſpectantibus, de bonis incertis vel fiſcus Regius vel Tribunal nuncupatum Hiſpanè *de la Meſta*, aut Cruciatæ Miniſtri, aut demùm Ordines Sanctiſſimæ Trinitatis, & B. Mariæ de Mercede, eiuſmodi bona occupant, quin domini ius ad illa prętendant, imò nec vnquam prætenderint, etiam cum priuilegia Pontificia, legeſque Regię non applicauerant hæc bona in opera pia. Et quidem hi domini, præcisè vt tales, ſolum gaudent facultate gubernandi ſua oppida per ſe, vel per alios, à ſe electos, vel confirmatos; nihil verò poſſident bonorũ, aut redditüum, quæ ex oppidis eiuſmodi proueniunt, niſi vel à Regibus emerint vel acceperint, quare dominium hoc oppidorum non affert ſecum dominationem in bona, diſpenſationemque eorum, vnde nec compoſitionis præſtandæ facultatem.

43 Quòd ſi alicubi conſuetudo contraria præſcripta legitimè fuerit, ei erit ſtandum: nam ea conſuetudo, quæ legis vim habet, iuriſdictionem tribuit ad actum componendi bona incerta exercendum, & aliũdè in eo caſu cernitur, Regem, aut Principem conniuere, & tacitè eamdem iuriſdictionem concedere, ratihabere, aut confirmare. Sicut enim Rex ipſe poteſt bona incerta componere, ita & delegare alteri eam poteſtatem; imò delegatus illius valebit ſubdelegare eamdemmet poteſtatem; quippè, vt commune eſt apud Authores, dum agunt de iudiciis, & conſtat ex iure, delegatus ſummi Principis poteſt ſuam iuriſdictionem ſubdelegare, quod & *cap. ſeq.* attingemus, & *diſp.* 38. firmabimus. Hinc poterunt bona incerta componere, quicumque à Regibus, ac Principibus ſupremis eam poteſtatem delegatam habeant; nullum autem de facto ea poteſtate delegata gaudere, eſt certum. Nec ideò, quia ſupra dicti Principes poſſunt bona incerta componere, queunt ſimul Bullam compoſitionis expedire, hoc enim pertinet ad poteſtatem Eccleſiaſticam, nec competit ſæcularibus.

CAPVT IV.

An Commiſſarius Generalis Cruciatæ poſſit bona incerta componere?

44 EX adhuc dictis prompta eſt huius quęſtionis reſolutio. Quippe ſtatuimus *c.* 1. poſſe Pontificem, bona incerta componere; at hanc poteſtatem delegat Commiſſario Generali Cruciatæ, vt conſtat ex verbis Bullæ Latinæ *diſp.* 34. afferendis; ergo Commiſſarius poteſt bona incerta componere; imò, quia delegatus eſt ſummi Principis Eccleſiæ, valet eam poteſtatem ſibi delegatam ſubdelegare, vt de facto ſubdelegat Commiſſariis Cruciatæ in Indiis, quod fiet manifeſtum *diſp.* 38.

45 Ex hac poteſtate ſibi delegata Commiſſarius Generalis authoritatem habet ad Bullas compoſitionis conficiendas, quas à Pontificibus fuiſſe conceſſas, aſſeritur in ipſarum titulo, quia Pontifices delegarunt Commiſſario eam poteſtatem compoſitionis faciendæ. Et quia difficile valdè erat ipſum Commiſſarium adire pro quibuſlibet bonis componendis, maximè cum hæc eſſent exiguæ quantitatis, ideò, vt ad manum eſset hoc compoſitionis ſuffugium, Commiſsarius eas Bullas confecit, quæ, ſicut cœteræ à Quæſtoribus traduntur, ipſiſque eleemoſyna pro illis erogatur.

46 Commiſsarium autem potuiſse has Bullas conficere, indubium eſt; ipſi enim à Pontificibus committitur, vt apponat taxam eleemoſynæ erogandæ pro obtentione priuilegiorum, quæ in Bulla Latina continentur. Quare Commiſsarius diſperſit ea priuilegia in Bullas varias, nempè communem viuorũ, defunctorum, & compoſitionis, quibus addidit aliam lacticiniorum pro Eccleſiaſticis ratione noui à priuilegij conceſſi à Pontifice in fauorem, ac ſubſidium Cruciatæ. Et quidem potuiſset Commiſsarius in plures Bullas diſperſiſse eiuſmodi priuilegia, ſed tum in hoc, tum in taxa eleemoſynæ deſignanda curauit, ne nimium onus imponeretur, quo creſcente, plures fortaſse Bullas non acciperent, fraudarenturque ipſi priuilegiis, & Cruciata ſubſidio ab eis prouenturo.

47 Cæterùm Commiſsarius limitauit quantitatem, quæ per Bullas componi poteſt, vt *cap. ſeq.* oſtendemus; ita vt, ſi maior quantitas, quàm ab eo deſignata, ſit componenda, ipſe ſit pro compoſitione adeundus. Sufficit enim quantitas, quæ ab eo deſignatur, vt caſus communiùs contingentes circa bona incerta decidantur. Quòd ſi quantitas debita ſit maior, conueniens fuit, vt non adeò facilem compoſitionem ſortiretur; tum in pœnã delicti, ſi bona fuerunt iniuſtè comparata, tum vt maius ſubſidium præſtaretur Cruciatæ ex ingentiori ſumma; nec adeò exigua compoſitione, ac eſt ea, quæ per Bullas peragitur, quiſquam magnam quantitatem alienam ſibi reſeruaret. Etenim Commiſsarius decimam partem bonorum, quæ componit, exigere ſolet in Cruciatæ ſubſidium, & id exigi iubet Commiſsariis ſubdelegatis Indiarum in compoſitionibus, quas præſtiterint. Hinc, ſi quis debeat ex bonis alienis incertis ingentem quanti

Digitized by Google

quantitatem, quæ integrè per Bullas componi nequit, licet poſſit à Commiſſario petere totius quantitatis debitæ à ſe compoſitionem, tamen minori pretio illi ſtabit, ſi componat per Bullas totum, quod per eas componi valet, & pro quantitatis reſtantis compoſitione Commiſſarium adeat; nam illum adire, non tollit, quod quis Bullas accipiat ſimul, cum in hoc nulla ſit limitatio, aut reſtrictio. Quod præ oculis habeatur, vt benigniùs debitoribus ſubueniri queat, & obuiam eatur difficultati, quæ communiter in reſtitutione, etiam per viam compoſitionis, reperitur.

48 Ad Commiſſarium autem recurrendum fore, vbi prædicta maior quantitas eſt componenda, aſſeritur in ipſa Bulla Hiſpana compoſitionis, cuius verba attulimus *ſuprà num.* 11. Nec vlla eſt limitatio facta Commiſſario à Pontifice in ordine ad componenda bona incerta, quare poteſt quæcumque componere (non ſecus ac ipſe Pontifex in tota Eccleſia) in omnibus Prouinciis, in quibus Bulla Cruciatæ valet. Hæc compoſitio ſiuè per Bullas, ſiuè per Commiſſarium ſolum valet pro foro interno conſcientiæ, ita vt quis non teneatur ea bona incerta reſtituere, etiam ſi poſt compoſitionem factam dominus verus compareat, vt ſtabiliemus *diſp. ſeq. cap.* 3. & ſimul probabimus *ibi cap.* 4. tutum manere in conſcientia, qui bona incerta per Bullas, aut per Commiſſarium compoſuit. At pro foro externo non valet hæc compoſitio, quare dominus verus poterit ea bona, certior de illis factus, in iudicio petere ac vindicare. Et quamvis poſſet dari compoſitio pro foro externo, de quo *ſuperiùs*, attamen conuenientius apparet, non ſic eam fuiſſe conceſſam, nec Pontificem ad id præſtitiſſe facultatem, ne iudicia turbarentur; daretúrque locus offenſioni, ac querelis, ac aliqua vis inferri dominis videretur, eorum bona auferendo. Quæ omnia & ſi honeſtari poſſent, attamen non facilè veri domini comparentes acquieſcerent. Et licèt in Bulla Latina non aſſerat Pontifex, ſe concedere Commiſſario facultatem componendi bona incerta pro foro conſcientiæ dumtaxàt, id ita intelligendum eſſe, omnes Expoſitores ſupponunt, & confirmat praxis, ac perſuaſio fidelium. Reſtringitur autem hic fauor, ne abſurdum ex ampliatione ſequatur, ſcilicèt ea inconuenientia, quæ nunc attigimus, prouentura ex compoſitione pro foro externo & prætereà, quia plures negabunt, poſſe Pontificem compoſitionem facere de bonis incertis, non Eccleſiaſticis, pro foro externo; & forſan ipſe Pontifex hanc ſequitur ſententiam: vnde cum facultatem componendi concedit Commiſſario, pro foro ſolùm interno, pro quo certè poteſt componere ipſe Pontifex, & ex quo nullum ſequitur abſurdum, eam elargitur.

Mendo in Bull. Cruciat.

CAPVT V.

De quantitate, quæ per Bullas componi poteſt, & de taxa eleemoſynæ pro eis eroganda.

49 Olim per quamlibet Bullam componebantur quinquies mille dipondia, Hiſpanè *marauedis*, quorum triginta quatuor vnam drachmam conflant; vnde per vnamquamque Bullam ex bonis incertis debitis centum ſeptuaginta ſex drachmæ; & dimidia, componebantur. Iam verò non adeò ampla quantitas componi poteſt. Quòd fortaſſe ideò præſtitum eſt; quia decreſcentibus Hiſpaniarum incolis; creſcentibuſque neceſſitatibus belli, oportuit, vt eleemoſyna augeretur in Cruciatæ ſubſidium, minorem quantitatem bonorum incertorum per ſingulas Bullas componi, ſic enim plures Bullæ ſumentur, vt magna quantitas componi queat. Forſan etiam animaduerſum eſt, exiguam apparere eleemoſynam; quæ pro Bullis erogabatur ad tantam quantitatem componendam, & ne aliquis ſcrupulos iniiceret conſcientiis, exiſtimans, non manere tutum, qui ſic componebatur, minuta eſt quantitas, quæ per ſingulas Bullas componi valet.

50 Igitur nunc per vnamquamque Bullam bis mille dipondia componuntur, quæ conflant quinquaginta octo drachmas, ac viginti octo dipondia. Poteſt autem vnuſquiſque quolibet anno durationis Bullæ quinquaginta Bullas compoſitionis accipere; & non amplius, quibus componentur centies mille dipondia, ſeu duo millia, & nongentæ; quadraginta vna drachmæ, & ſex dipondia. Ad praxim autem rei valdè communis; aliqua ſunt aduertenda. In primis, eas quinquaginta Bullas ſiuè collectim ſiuè diuiſim ſumptas non poſſe excedi vnius anni ſpatio. Quare ſi eo anno maior ſit quantitas componenda, debet Commiſſarius adiri. Cum autem pœnitentes declarant Confeſſariis, ſe ſurripuiſſe bona incerta, eavè poſſidere, Confeſſarij duo præſtare debent, alterum, de diligentia præſtita in domino vero inquirendo inueſtigare, vt hæc præcedat compoſitionem; alterum, ſi quantitas alia ſit compoſita eo anno per Bullas, poteſt enim contingere, vt iam alias Bullas compoſitionis acceperit pœnitens, & nequeat plures iam ſumere, ſi expletus fuit numerus, vel ſaltem non poſſit tot accipere, quot ſufficiant ad componenda ea bona, quæ de nouo debet; ideóque opus ſit, aut adire pro

Digitized by Google

compoſitione Commiſſarium ; aut integrè pauperibus reſtituere bona, ad quæ Bullæ compoſitionis accipiendæ non ſufficiunt.

51 Rursùs, ſi cui debitori eiuſmodi bonorum, qui iã plures Bullas accipere nequit, eo quod quinquaginta ſumpſerit, ſuppetat facultas ad ea componenda cum Commiſſario, vel integrè reſtituenda, non poteſt differre compoſitionem hanc, ſeu reſtitutionem ad annum ſequentem, vt in illo alias Bullas compoſitionis accipiat. Quippè reſtituere quis tenetur illicò, ac poteſt, ergo & cõponi, ſi compoſitionis vti beneficio velit, cum compoſitio in locum reſtitutionis ſuccedat. Quare grauiter peccabit, qui diſtulerit compoſitionem, aut reſtitutionem ad annum ſequentem, niſi iudicio Confeſſarij ob inopiam ea dilatio licita cenſeatur. Si autem diſtulerit de facto, etiam culpatè, adhuc anno ſequenti poterit per Bullas Componi: Quod praxis confirmat, nam ſæpè per Bullas monentur cõponi etiam hi, qui multis retrò annis bona incerta debebant, quantumvis culpatè non reſtituerint. Nec obſtat, quòd quis differat compoſitionẽ intuitu Bullarum, quas anno ſequenti accipere intendit, quia Bulla compoſitionis dumtaxàt eis non ſuffragatur, qui ex confidentia ipſius bona aliena furantur, aut occupant, vt dicemus *diſput. proxima à num.* 41. hic autem, qui differt compoſitionem, non occupauit bona aliena ex ea confidentia, vt ſupponimus; ſed reſtitutionem, vel compoſitionem diſtulit poſt occupata bona, quod longè aliud eſt: nec ad hoc eſt extendenda ea diſpoſitio, vtpote odioſa, & quæ circa diuerſam actionem verſatur. quòd ſi ea confidentia obſtare diceretur, adhuc eſſet inſpiciendum, verùm diſtuliſſet quis compoſitionem ex confidentia, vel cum confidentia compoſitionis per Bullam; nam dilatio cum confidentia non obeſſet compoſitioni iuxta dicenda *loco citato à n.* 42.

52 Prætereà Bulla compoſitionis accepta non debet retineri ab accipiente; quod à fortiori eſt verum in noſtra ſententia *ſuperiùs* ſtabilita tenente, nec Bullam communem viuorum eſſe neceſſariò retinendam, vt quis eius fruatur priuilegiis. In Bulla autem compoſitionis hoc eſt certius, quippè ipſa acceptione obtinetur priuilegium compoſitionis, nec vltrà manet aliquod priuilegium decurſu temporis obtinendum, ad quod ſit neceſſarium, eam retinere. Vnde non reſtat ad quid ſit opus eiuſmodi retentione; ideoque accipiens poterit eam illicò rumpere; imò hoc ſæpè erit vtilius, ne peccatum manifeſtetur, compoſitione manifeſtata.

53 Sed dices primò: ergo erogans eleemoſynam pro Bulla compoſitionis poterit illam apud Quæſtorem relinquere, ſi retentio non eſt neceſſaria, & aliundè eleemoſynam erogauit, per quam componitur debitum, ſeu in quam commutatur reſtitutio, cum finis huius compoſitionis ſit eleemoſyna; quæ in ſubſidium Cruciatæ confertur. Reſpondeo, id eſſe admittendum, caſu quo Quæſtor eam Bullam rumperet, & alij non præberet, hocque certò conſtaret. Attamen quia Quæſtor poteſt alij Bullam illam concedere, & deindè, cum reddat rationem Rationalibus Cruciatæ, non teneatur, niſi de Bullis ſibi traditis eleemoſynam comparatam manifeſtare, aut Bullas non conſumptas reddere, (vt dicemus *diſput.* 38.) Quæſtor poterit ſibi reſeruare eleemoſynam præſtitam ab eo qui apud ipſum reliquit Bullam compoſitionis, & indè nullum accreſcet Cruciatæ ex ea compoſitione ſubſidium. Quare oportet, vt periculum eiuſmodi vitetur, eam Bullam defacto accipere: eademque ratione accipienda eſt Bulla defunctorum, etiam ſi non ſit opus, eam ſeruari; cum non liberetur anima à Purgatorio per retentionem illius; ſed per acceptionem, ſeu erogationem eleemoſynæ. Qua etiam ratione conuenit, Bullam communem viuorum, & item lacticiniorum accipi; eſto dicatur, non eſſe opus retentione ad fruenda priuilegia: prꝛterquàm quòd eſt valdè expediens Bullam communem viuorum aſſeruari ad fines, quos propoſuimus ſuo loco: & prætereà Bullam lacticiniorum, vt ſi quis reprehendatur, aut accuſetur de eſu lacticiniorum, poſſit oſtendere priuilegium Bullæ, quo vtitur.

54 Dices ſecundò, in Bulla Hiſpana compoſitionis hæc eſſe verba: *Y por quanto vos N. &c. Y mandamos preciſamente, que recibais en vos eſta ſanta Bulla, porque aſſi lo quiere, y manda ſu Santidad, y que de otra manera no gozeis de la compoſicion, que por ella ſe os concede.* Vnde conſtat, neceſſum eſſe, & Bullam hanc accipi, & aſſeruari: & prætereà locus, qui relinquitur, vt nomen accipientis ſcribatur, hoc ipſum confirmat: ſuperfluum namque eſſet nomen inſcribi, ſi non eſset cuſtodienda Bulla.

55 Reſpondeo, idem fieri argumentum, vt opus ſit, Bullam communem viuorum aſseruari ob verba ſimilia, quæ in ea continentur, & illud ſoluimus *ſuperiùs*, ac docuimus, id opus non eſse. Itaque hæc verba appoſita ſunt, vt de facto Bulla accipiatur, & apud Quæſtorem non relinquatur, ne locus ſit fraudi dictæ *numer.* 53. At in his verbis non peæcipitur retentio, ſed acceptio. Deinde ideò relinquitur locus nomini accipientis inſcribendo, vt intelligatur, cum accipiente fieri compoſitionem, & cum eo loqui Commiſsarium: quod patefaciunt ea verba

verba : *Y por quanto vos.* Præterea, vt, ſi Bulla illa ſeruanda ſit, nullus alius fraudulenter ea vti præſumat, ſi eam inueniat, aut ſubripiat. Et demùm, vt hominibus vulgaribus indulgeatur, qui, niſi nomen ſuum in Bulla inſcribatur, non iudicant, ipſis prodeſſe. Imò in Bulla communi viuorum, etiam in communi ſententia tuente, neceſſarium eſſe, illam ſeruare, adhuc neceſſarium non eſt, nomen in loco vacuo, qui in ea relinquitur, inſcribere : multò ergo minùs erit neceſſarium in Bulla compoſitionis : cum in hac non militent vllæ vtilitates ex his, ob quas conuenit nomen inſcribere in ea Bulla communi, quas ſuo loco libauimus. Maneat ergo, Bullam compoſitionis poſſe rumpi ſtatim, ac accipitur.

56 Sed adhuc inſurges : ſi quis repentè obeat, nec declarauerit, quæ bona incerta reſtituerit aut compoſuerit, conſtetque apud illum eſſe bona incerta, oportere, in cuſtodia eſſe Bullas compoſitionis, quas acceperit, vt hæredes non teneantur iterùm componere, aut reſtituere eiuſmodi bona. Reſpondeo, vt hæredes liberi maneant ab onere reſtituendi, aut componendi bona incerta, quæ conſtiterit eſſe inter facultates defuncti, nihil prorſus intereſſe, Bullas compoſitionis aſſeruari. Etenim, eſtò ſeruatæ fuerint, nequeunt hæredes cognoſcere, an bona incerta per illas Bullas compoſita ſint ea, de quibus conſtat ; an alia, quæ ignorantur, & forſan à defuncto conſumpta fuerunt : an eæ Bullæ acceptæ fuerint ob damnum illatum incertis perſonis, ratione cuius reſtiſtitutio debebatur : nullum enim horum ex ipſis Bullis conſtat, cum in eis non ſcribatur, quæ bona per eas de facto componantur ; & dum hæredes de hoc dubitent, & poſſeſſio ſtet pro obligatione reſtituendi, tenentur reſtituere, aut componere ea bona incerta manifeſtè aliena : nec ob Bullas retentas omittere queunt reſtitutionem, aut compoſitionem. Si autem ea bona poſſidens ante mortem declarauit, ſe ea compoſuiſſe, ad nihil vltra tenebuntur hæredes, quantumvis Bullæ compoſitionis non fuerint aſſeruatæ, quod omnes dicere debent nam potuit ille homo ea bona compoſuiſſe per Bullam aliquo anno retrò elapſo, & nullus aſſeret Bullas poſt annum debere ſeruari.

57 Vltimò aduertendum eſt, caſu, quo quis debeat bona incerta in ea quantitate, quæ non accedat ad illam, quæ per ſingulas Bullas componi poteſt, adhuc commodius eſſe Bullas compoſitionis accipere, v. g. debet quis triginta drachmas, monendus eſt, vt vnam Bullam compoſitionis accipiat, quamvis hæc ad maiorem quantitatem, ſi deberetur, prodeſſe poteſt : ſimiliter, ſi debet octoginta drachmas, duplicem Bullam accipiat, & ſic deinceps ; commodius namque eſt, duas, aut quatuor drachmas erogare, quàm triginta, aut octoginta reſtituere. Sed obſerua, per Bullam, qua illæ triginta drachmæ ſunt compoſitæ, ſi poſteà iterùm ille alia bona incerta occupet, non poſſe componi quantitatem, quæ poſſet ante acceptionem ipſius Bullæ componi : nam ante acceptionem componi valerent quinquaginta octo drachmæ, & viginti octo dipondia: at de facto triginta compoſitæ ſunt, quia non amplius debebatur : ſi poſteà de nouo debeantur ab eodem viginti octo, quæ cum illis triginta complent quantitatem, quæ per ſingulas Bullas componi valet, non poterunt componi per Bullam antecedentem, quia per eam componitur, quod debetur de facto; non, quod debebitur de futuro, & per acceptionem Bullæ terminatur compoſitio, nec vltrà progreditur.

58 Quantitas cæterùm per vnamquamque Bullam componenda poteſt ex diuerſis debitis conflari, ita vt ſi quis ab vno viginti, ab alio triginta drachmas fuerit furatus, illæ omnes per vnam Bullam componantur. Quare communiſſimum eſt, componi per Bullas bona incerta, quæ inſtitores, ſartores, ſutores, vendentes vinum, aut alij ſimiles retinent, eo quòd paulatim in ſingulis menſuris, aut ponderibus vſurpauerint aliquid vltra iuſtum pretium à diuerſis perſonis, quas iam nequeunt vllo pacto agnoſcere, nec probabiliter ſperare, vt iterum redeant ad alias merces emendas, vt ſic eis reſtituere poſſent.

59 Taxa eleemoſynæ deſignata à Commiſſario pro ſingulis Bullis compoſitionis vna, & eadem eſt pro omnibus perſonis, tam in Indiis, quàm in cæteris Europæ Regnis : eſt autem duplex drachma argentea, vt diximus *diſp. 1. c. 3. n. 9.* & conſtat ex verbis ipſius Bullæ Hiſpanæ : (quæ verba in nulla Bulla compoſitionis mutantur :) *Y por quanto vos N. diſtes dos reales de plata, que es la cantidad que aſſi hemos taſſado, arbitrado, y moderado, en virtud de la dicha autoridad, y facultad Apoſtolica, que para ello tenemos, quedais libres, y abſueltos de las reſtituciones inciertas, que fueredes à cargo, haſta en candidad de los dichos dos mil marauedis, ò dende abajo.* Si verò compoſitio fiat bonorum, quæ debentur ob defectum recitationis Officij diuini, Eccleſiæ, vbi eſt Beneficium, erogandæ ſunt tot drachmæ, quot Cruciatæ erogantur, vt *diſp. 34.* exponemus.

60 Ad calcem inquires, an, ſi vnus debeat triginta drachmas domino incerto, alius verò viginti poſſint ambo ſimul vnicam Bullam compoſitionis accipere, & cum ea

Digitized by Google

componi? Reſpondeo negatiuè, quia vnaquæque bulla vni dumtaxàt conceditur, vt conſtat ex verbis ipſius, & ex praxi, ac ex mente, & animo Commiſſarij: alias etiam duo poſſent vnicam bullam communem viuorum accipere, erogantes partim eleemoſynam, & priuilegia eius bullæ quæ diuiſibilia ſunt, partim obtinere, nempè vnus hæc, alter illa. Attamen in caſu propoſito, poterit quiuis illorum alterius debitum ſupra ſe accipere, eum à reſtitutione liberando, ſeu pro illo reſtituturus, in quo nulla fraus verſatur, cum vtatur iure ſuo, ſæpéque contingat, vnum pro altero ſoluere: & poſt acceptum in ſe debitum, poterit illud ſimul cum ſuo debito componere per vnicam bullam, cum reſtitutioni eius debiti ſic ſatisfiat. Nec fraus in Cruciatam committitur vbi quis nihil illicitum exequitur, ſed quod ſibi licet in bonum alterius incumbendo operi mandat.

DISPVTATIO XXXIII.

De bonis in communi, pro quibus Bulla compoſitionis prodeſt.

Sequenti diſputatione de caſibus ſpecialibus, in quibus bulla compoſitionis locum habet, agemus, nunc de bonis in communi, pro quibus componendis prodeſt, diſputabimus. Hæc bona compoſitioni ſubiacent, vel quia ad pauperes, ſeu Eccleſiam ſpectant, Pontifexque adminiſtrator eſt bonorum Eccleſiæ, ac pauperum, & ideò componere valet, quæ eis debentur: vel quia bona incerta ſunt, ſeu incerti, vel quaſi incerti domini: & cum proprio domino nequeant reſtitui vt conſcientiæ exonerentur, debebant pauperibus reſtitui, ſic enim iudicatur, ſeu præſumitur, dominum proprium velle, nempè vt pauperibus, in quorum perſona Chriſto, cuius omnia ſunt bona, præſtatur obſequium, ſuccurratur, eorum ſubleuando miſeriam quare vt adminiſtrator bonorum, quæ ad pauperes ſpectant, Pontifex ea bona incerta componit. Igitur Bulla Latina concedit Commiſſario facultatem, vt ſuper his bonis compoſitionem præſtet: Pontifex exprimit aliquos caſus; Commiſſarius verò plures, de quibus ſingillatim *diſp. ſeqq.* Bulla autem Hiſpana incipit: * *Bulla de compoſicion ſobre bienes mal auidos, y adquiridos, de cuyos proprios dueños no conſta.* * Et inferiùs inſtituto ſermone de Pontificibus, qui Bullam Cruciatæ conceſſerunt, aut prorogarunt, aſſeritur. * *Y dan poder, y faculetad à Nos N. Comiſario Apoſtolico general de la Santa Cruzada, y demas gracias en todos los Reynos, y Señorios de ſu Mageſtad, para que en los bienes de inciertos dueños podamos à nueſtro aluedrio taſar, y moderar las deudas.*

CAPVT I.

Quæ ſint bona incerta? & cuius fiant?

1 VT conſtet, de quibus bonis poſſit fieri hæc per bullam compoſitio, cum ea dixerimus, eſſe maiori ex parte incerta, dignoſcendum eſt priùs quæ ſint, ac iudicentur incerta bona? Latè bona incerta nuncupantur ea, quæ numquam dominum habuere, vel, etſi habuerint, illo de facto carent: ſtrictè verò bona incerta ſunt, quæ dominum habent, attamen is ignoratur. Ad hoc duplex caput reducuntur bona, de quibus, vt de incertis, dubitari poteſt an compoſitio fieri queat per bullam: oportet autem in ſpeciali ea exponere, vt clariùs priuilegium bullæ, aut eius neceſſitas manifeſtetur.

2 In primis videamus quid iuris ſit de theſauris. Non ſumimus theſaurum pro ingenti pecuniæ ſumma, aut diuitiarum cumulo, cuius dominus agnoſcitur, ſed pro pecunia, aut alia re pretioſa mobili olim ab aliquo depoſita alicubi, cuius dominus penitus ignoratur: quæ acceptio extat in *l. vnic. C. de theſaur. lib.* 10. Iure naturali, & iure gentium inſpecto, theſauri dominium comparat ſibi integrè inuentor, ſiuè in proprio, ſiue in alieno agro illum reperiat. Quòd ſi in proprio agro inueniat illum, etiam ſpectato iure communi, integrè ſibi eum adquirit, iuxta *§. Theſaur. Inſtit. de rer. diuiſ.* At ſi in alieno fundo reperiatur theſaurus fortuitò, dimidium inuentori, dimidium domino fundi adſtruitur, ita vt etiam ante ſententiam teneatur inuentor dimidium domino fundi reddere, quia æquitas poſcit, vt commodum dominus reportet ex inuentis in ſuo fundo; quæ domino carent. Ita Anton. Gom. *l.* 45. *Tauri, num.* 50. P. Rebel. *de oblig. iuſtit. lib.* 1. *q.* 15. *ſect.* 2. *n.* 13. Quòd ſi non fortuitò, ſed ex intentione quis quærat, ac inueniat theſaurum in fundo alieno: ad dominum fundi totum theſaurum pertinere, deciditur in *l. vnic. præfata.* Sed an ante latam ſententiam teneatur inuentor illum domino reddere, necne, lis eſt inter Authores Couarr. *reg. peccatum* 3. *p.* §. 2. *n.* 3. cui aliqui adſtipulantur, cenſent, teneri: eo quod hæc redditio theſauri non in pœnam delicti ſit ſtatuta, ſed ne vllus audeat in alieno fundo theſaurum inquirere, domino inconſulto. Communior, ac verior mihi eſt ſententia oppoſita, quam

tenent

Digitized by Google

tenent P. Leſſius *de iuſt. lib.* 2. *c.* 15. *dub.* 15. *n.*59. Mercatus *de contract. c.* 15. *fol.* 128. & alij, qui fundamentum habent in prædicta *lege vnica*, vbi præcipitur quòd nemo audeat, inuitis dominis abditas opes ſuo nomine perſcrutari, qui verò ſecùs fecerit, totum theſaurum inuentum locorum domino reddere compellatur. Vbi vox *nemo audeat*, denotat delictum committere eum, qui theſaurum alieno in fundo ſcrutatur, in cuius delicti pœnam iniungitur, vt totum domino reddere compellatur: compelli autem denotat iudicis actionem, ſeu ſententiam: vnde ante illam non tenetur theſaurum reddere inuentor.

3 Quòd ſi quis petita à domino agri licentia, quærat & inueniat theſaurum, affirmauit Anton. Gom. *ſuprà*, adhuc teneri totum domino reddere at Nauar. *in ſum. c.*17. *n.* 175. aſſerit, totum fieri inuentoris: ſed Molina *de iuſt. tr.* 2. *diſp.* 56. *poſt initium* cum aliis docet, teneri inuentorem reddere integrum theſaurum domino, caſu quo certò ſciret, ibi eſſe theſaurum, cum licentiam ad quærendum illum poſtulauit quia hæc licentia ex errore conceſſa perindè ſe habet, ac ſi conceſſa non fuiſſet: at ſi ſolùm licentiam petiuit ſub ſpe reperiendi theſaurum, totum illum, ſi inueniat, ſibi adquirere: nam tunc dominus ſuo iuri ceſſit, nec fraus, aut error interuenit. Hæc opinio eſt veritati conformior.

4 Cæterùm ſi quis ſciat, theſaurum abſconditum eſſe in alieno fundo, poteſt fundum emere eo pretio, quo poſſet, ſi ibi non eſſet theſaurus, & poſt adquiſitionem fundi media emptione, ſibi comparare theſaurum, vtpotè in proprio fundo repertum: quippè ante emptionem non tenebatur emptor manifeſtare priori domino theſauri notitiam qua ignorata, nulla ex eo vtilitas domino accreſcebat, & conſequenter non erat reſpectu ipſius æſtimabilior fundus. Hæc reſolutio colligitur eſt parabola Chriſti D. de theſauro abſcondito in agro apud Matth. *c.*13. & docetur D. Thom. 2. 2. *q.* 66. *art.* 5. *ad* 2. Soto *lib.* 5. *de iuſt. q.* 3. *art.* 3. *ad* 1. & eſt communis. Secùs contingit in ſupradictis omnibus, ſi arte magica, aut alia via in qua theſaurus inueniatur: tunc enim fiſco Regis integrè debetur, ita in *prædicta lege vnica*. Non tamen eſt improbabile, dominum fundi, in quo theſaurus ea via fuit inuentus, non fore ſua dimidia parte priuandum, cum pœnæ non debeant niſi authores culpæ pertingere; *leg. ſancimus, Cod. de pœnis*, P. Rebellus *lib.* 1. *q.* 15. *ſect.* 2. *num.* 14.

5 Diſpoſitiones prædictæ, attento iure communi procedunt; at inſpecto iure Caſtellæ; quod extat *in leg.* 1. *tit.* 13. *lib.* 6. *nouæ collectionis*, quarta ſolummodò pars theſauri inuentori adquiritur, reliquum Principi comparatur; quod equidem potuit Regnum, aut Reſpublica, ad quam attinet bonorum communium diſtributio, ita diſponere vt bono, ac vtilitati publicæ expediens. Si autem arte magica theſaurus inueniatur, nec quarta pars adquiritur inuentori. Ad ius tamen commune attendendo, quis dicatur dominus loci, in quo theſaurus inuenitur, vt ei dimidia pars tradatur, prolixa eſt quæſtio inter Authores, pluribuſque quæſtiunculis implexa, de qua extra rem eſſet, nunc pertractare. Videantur Couarruvias *ſuprà* §. 2. Faber, §. *Theſauros, Inſtit. de rer. diuiſ.* P. Leſſius, Molina, Rebellus *ſuperiùs* citati; P. Caſtro Palao *tom.* 1. *de iuſt. & iur. tract.* 31. *diſp. vnic. punct.* 17. *à num.* 6.

6 Diuerſimodè philoſophandum eſt de aliis rebus, etiam pretioſis, quas quis inuenerit in ſuperficie terræ, in via publica, in angulo domus, aut inter merces, quas emit, vt ſi in lana, quam emiſti, aurum abſconditum reperires. Hæc enim omnia, præſumendum eſt, habere dominum, nec extinctam eſſe domini memoriam, vt reſpectu theſaurorum contingit, quare inueſtigandus eſt ſedulò dominus, eique comparenti reddenda ſunt. Quòd ſi non compareant, ea bona iudicanda ſunt ſtrictè incerta, de eiſque, quid ſit præſtandum, *paulò infrà* dicemus. Ita P. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 15. *n.* 62. P. Layman *lib.* 3. *ſum. ſect.* 5. *tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 23.

7 Venas metallorum cedere primo inuentori, ſpectato iure naturali, ſatis probabile eſſe, aliqui exiſtimarunt; certius tamen eſt, iuxta illud ius ad dominum prædij, in quo inueniuntur, pertinere, non ſecùs ac venas aquæ, & ſaxorum. Videantur Gabriel *in* 4. *diſtinct.* 15. *quæſt.* 3. *artic.* 3. *dub.* 7. P. Molina *tract.* 2. *diſp.* 54. Vbi rectè docet, hæc procedere, attento iure communi; nam iuxta ius priuatum Regnorum communiter Regi venæ præfatæ adiudicantur, aliquaque pars inuentori, & domino prædij perſoluitur, cui etiam debet compenſari detrimentum, quod in venarum inquiſitione, & fodinis, prædio prouenerit. Conſtat ergo in omnibus præfatis nullum manere Bullæ compoſitionis locum, cum ſit iam per leges dominus deſignatus.

8 Præter dicta, ſunt alia bona, quæ nullius domini fuerunt: veluti feræ, lapilli, gemmæ, & alia, quæ in littore maris, non ex naufragio, reperiuntur; quæ ſecundum ius naturale primi occupantis fiunt, vt vulgare

Digitized by Google

vulgare eſt ex *§. Feræ, Inſtit. de rer. diuiſ. §. Lapillorum, §. Inſulæ, eodem titulo, leg. 1. ff. de adquirend. poſſeſſ. leg. 3. ff. de adquirendo rer. domin.* Hæc ergo poteſt quis ſibi comparare, nec alicui reddere tenetur, vnde non indiget ad illa Bulla compoſitionis. Aſſerendum eſt idem de nummis, aut rebus, quæ in aliquo ſpectaculo, aut ſolemnitate profunduntur; *leg. qua ratione. §. penult. ff. de adquirend. rer. dom. §. Hoc amplius, Inſtit. de rer. diuiſ.* Item & de bonis à domino derelictis, qui eo ipſo quòd illa derelinquit, primo occupanti cenſetur permitere dominium. *leg. 1. & ſequent. ff. pro derelicto, §. penult. & vltim. Inſtit. de rer. diuiſ.* Ligna verò, quævi fluminis aliqua inundatione aſportantur, ſi pretij ſint exigui, dominuſque longè abſit, inter bona derelicta computantur: ſecùs ſi talia ſint, vt prudenter iudicetur, dominum velle, ſibi reſeruari. Videatur P. Molin. *vbi ſuprà diſp. 55. in fine.*

9 Nec inter bona derelicta ſunt computanda ea, quæ iactantur, vrgente tempeſtate, vel incendio: nec etenim quis ea proijcit negligendo, ſed non potens ea conſeruare: & quamvis intentionem, aut ſpem recuperationis non habeat, tamen nec vellet ea proijcere, & optaret recuperare: ita liquet ex *leg. iactum, ff. de furtis, leg. nauigia, Cod. de furt.* Quod adeò verum eſt, vt & ſi res peritura eſſet, niſi quis illam ſeruaret, adhuc non adquireret illius dominium, quia hoc à ſe dominus illius non abdicauit, *leg. Pomponius, 44. ff. de adquirendo rer. domin.* Hinc aduerſus ſurripientes bona naufragantium extat excommunicatio Pontifici reſeruata in Bulla Cœnæ Domini. An autem Bulla compoſitionis proſit pro bonis naufragantium inuentis, aut ſurreptis, quando dominus ignoratur, conſtabit *diſp. ſequent.*

10 Adhuc non ſunt cenſenda derelicta bona vacantia, quæ ſic nuncupantur, quia domino vacant, ex eo quòd dominus eorum obierit, nullo prorſus hærede relicto, qui ab inteſtato ei ſuccedat. Etenim hæc bona, ſi ius commune attendatur, ad fiſcum pertinent, *leg. vacantia, Cod. de bonis vacantibus, lib. 10. leg. 1. §. vlt. ff. de iure fiſci.* Spectato iure noſtræ Caſtellæ, idem eſt aſſerendum, *leg. 12. titul. 8. lib. 5. noua collection.* Item attento iure Luſitaniæ, *lib. 2. ordinament. tit. 15. §. 16.* Hæc tamen bona, quæ ad ſuum fiſcum pertinebant, Rex ad redimendos captiuos applicauit, *lib. 1. ordinat. titul. 69. § 2. & in reformatis titul. 89. n. 1.* At ſi bona ſint vacantia ob peregrini alicuius obitum, authoritate Epiſcopi eius loci, in quo ille obijt, ad pia opera ſunt applicanda, vt conſtat ex *lege Regia, titul. 1. part. 6. Authentica omnes peregrini, Cod. communia, de ſucceſſionibus.* Excipe autem, niſi peregrinus obierit in aliquo xenodochio, quod habeat priuilegium ſuccedendi in huiuſmodi bonis vacantibus; quod priuilegio regulariter gaudere omnia Hiſpaniæ xenodochia, affirmat P. Caſtro Palao *tom. 1. de iuſt. & iur. diſp. vnic. tract. 31. punct. 19. n. 9.* cum Couarruu. Petro Nauarra, & P. Molin. Cernitur ergo, in prædictis non eſſe locum compoſitioni per Bullam, quia adeſt dominus certus eiuſmodi bonorum.

CAPVT II.

Quæ ſint bona ſtrictè incerta, & cui competant?

11 Bona ſtrictè incerta ſunt, quæ dominum habent, ſed ignotum; vt ſi in via reperies nummos, gemmas, bouem, aut aliud animal ex manſuetis, quæ vſibus humanis inſeruiunt. Non verò incerta ſunt bona, quorum vnus è tribus, aut quatuor, noſcitur eſſe eorum dominus, etſi ignoretur, quis illorum ſit determinatè. Quare hæc bona eis tradi debent, vt inter ſe diuidant, aut alia inter ſe compoſitione vtantur; Ita Petr. Nauarr. *lib. 4. c. 2. n. 61.* P. Rebellus *de obligat. iuſtit. lib. 2. q. 12. ſect. 3. num. 22.* & alij. Quòd ſi, diuiſis eiuſmodi bonis inter illos tres, aut quatuor, conſtaret poſteà, vnum ex illis determinatè eſſe dominum, non proptereà reliqui ſuas partes ei reddere tenebuntur; quia, dum ex omnium conſenſu bona fuere diuiſa, vnuſquiſque ſuo iuri ceſſit. Sic P. Caſtro Palao, *vbi ſuprà, punct. 19. n. 1.* Hæc bona incerta ſunt in duplici differentia; alia inanimata, & ſe non mouentia; vt lapilli, aurum, argentum, &c. Alia animata, ſe mouentia, quæ in Hiſpania noſtra vocantur *moſtrencos:* vt boues, equi &c. Aliquando tamen eo nomine vocantur vulgariter etiam primi generis bona. Vide *infrà diſp. 38. num. 53.*

12 Inuentorem cuiuſcumque ex his bonis incertis teneri ad inquirendum dominum, adhibita ſedula cura, & iudicio prudentum, ſufficienti moraliter diligentia, certum, ac indubitatum eſt apud omnes Authores: cum enim inuentor non adquirat ſibi dominium eorum bonorum per primam occupationem, & iuſtitia exigat, vt ſuum cuique tribuatur, ſequitur, adhibendum eſſe conatum, vt domino proprio eiuſmodi bona reſtituantur; qui tamen tenebitur inuentori præſtare, quidquid ille ſumptuum fecerit in bonis ſeruandis, & in ipſo inueſtigando domino. Quòd ſi inuentor nolit, aut nequeat adhibere diligentiam ad dominum inueſtigandum, huncque laborem recuſet, debet

Digitized by Google

debet bona inuenta his tradere, qui deputati ſunt, (de quibus *infrà*) eos admonens, ſe nullam, aut non ſufficientem appoſuiſſe diligentiam ad explorandum dominum, vt illi eam apponant; tutóque poteſt illis fidere, & ſuam conſcientiam exonerare, hoc adhibito medio. Aſt, ſi inuentor moraliter ſufficientem diligentiam pro inueniendo domino adhibuerit, & adhuc ille non compareat, quid de eis bonis repertis ſit præſtandum, magna eſt controuerſia.

13 Deberi in pauperes, aut pia opera expendi ea bona, ex præſumpta domini voluntate, docent D.Thom. 2.2. *q.66. art.5. ad 2.* Caietanus *ibi, & in ſumma, verbo Furtum*, Abbas *in c. ſi dilecti, de accuſat. n.12.* P.Leſſius *de iuſtit. lib.2. cap.14. n.49.* Syluester, Couarr. Nauarr. P.Rebel. & alij, quos citat Dicaſtil. *tom.1. de iuſt. & iur. lib.2. tract.2. diſp. 9. dub.15.* Hancque ſententiam piam, & tutiorem, licèt probabilem reputet ſequentem, defendit P. Layman *lib.3. ſumm. ſect.5. tract. 1. cap.5. in fin.* Cui ſubſcribit P.Caſtro Palao *vbi ſuprà punct.19. n.4.* Secunda ſententia docet, poſſe inuentorem ſibi ea bona reſeruare, ita Sotus *de iuſtit. lib.5. quæſt. 3. artic.3. ad 2.* Bartholomæus de Medina *in ſum. lib.1. cap.14. §. Quarta cabeza, regul.5.* Mercado *de contract. lib. cap.15. verſic. De los hallazgos.* Ledeſma, Lopez, Nauarra, Salon, P. Saa, quos refert Trullench *in Bull. lib. 3. caſ.14.* & ſequitur eos *in Decalog. lib.7. ſect.3. cap.9. dub.5. num.3.* loquendo de rebus inuentis inanimatis. Idem tenet P. Dicaſtillo *vbi nuper*, exceptis rebus inuentis, de quibus in regno ſunt ſpeciales leges, quæ, vtpote iuſtæ, obligant in conſcientia; de his autem ſtatim loquemur. Alij demùm ſuppreſſo nomine citati à P. Dicaſtillo, tuentur, ea bona, tradenda eſſe Fratribus Ordinum Sanctiſſimæ Trinitatis, aut Beatæ Mariæ de Mercede, quibus per Reges Caſtellæ ſunt applicata, & à Pontificibus confirmata eſt applicatio: quare hi Fratres ad redimendos captiuos cum præuentione hæc bona inueſtigant, & occupant.

14 Cæterùm prædictis Fratribus competere ſola bona ſe mouentia, ſeu *de Moſtrenco*, ex ipſa applicatione Regum conatur oſtendere P. Dicaſtillo *ſuprà.* At P.Molina apertè ait, omnia bona inuenta applicata eſſe à Regibus in fauorem præfatorum Ordinum, ſed non eſſe in vſu, vt illis tradantur, niſi bona ſe mouentia; quare P.Henriquez *lib. 7. de indulg. cap.36. n.6.* ait, prædictos Fratres extendere ius ſuum ad bona quævis inuenta, etiam inanimata. Commiſſarius etiam Cruciatæ promulgat, inuenta bona in fauorem Cruciatæ eſſe tradenda; quare in ſingulis locis, cura hæc eſt Officialium Cruciatæ, vt res inuentas occupent. Vnde videtur, locum eſſe præuentioni inter Cruciatam, & Ordines ſupradictos; ſed credam Cruciatæ miniſtros non præſtituros locum præuentioni in rebus non ſe mouentibus, cum iuxta nuper dicta cenſeant plures Authores, ea non pertinere ad præfatos ſacros Ordines Trinitatis, & Mercedis.

15 Cardinalis Lugo *tom.1. de iuſtit. & iure, diſput.6. ſect.12.* in hac quæſtione diſtinguit incertitudinem domini. Vel enim adeò incertus eſt dominus, vt nulla ſpes ſit, quòd compareat, nec ei potuerit vlla manere fiducia recuperandi bona per ſe, nec per ſuos hæredes; vt ſi nauigans per mare, fortè in ſaxo, aut inſula, ad quam appulit & ad quam nunquam erit occaſio redeundi, gemmam amiſit, hæcque ab aliquo poſteà inueniatur. Vel non eſt adeò incertus dominus, vt ſpes omnis nuper dicta abſit, ſed potiùs tempore ſuccedente, reque inuenta palam manifeſtata, credi poſſit, fore ab eo recuperandam. In primo caſu defendit Cardinalis, poſſe inuentorem ſibi appropriare rem inuentam, præſumitur enim prudenter, dominum eam pro derelicto relinquere, nec curare ampliùs de illa, ſiuè diſtrahatur, ſiuè non inueniatur. In ſecundo autem caſu ait, rem præſtandam eſſe pauperibus; præſumitur quippè, dominum velle, rem ſibi ſartam tectam ſeruari, vel ſaltem in commodum publicum, piaque opera diſtribui. Imò aſſerit, ac repetit *diſp. 21. ſect.7.* in aliquibus caſibus, rem inuentam non fore tradendam pauperibus, nec conſequenter Cruciatæ, aut præfatis ſacris Religionibus, nec poſſe compoſitionem de illa per Bullas fieri; tunc ſcilicèt, cum prudenter iudicatur, dominum malle, vt res ſibi quaſi in depoſito aſſeruetur; v.g. amiſit quis in vrbe magna torquem auream, aut gemmis intertextam, & non audit, vbi publicatur, fuiſſe inuentam, tunc non poteſt pauperibus, aut prædictis operibus piis donari, ſed ſeruari debet, vt tandem domino tradatur, quem, ſperari poteſt, fore cognoſcendum. Indè conſequenter ait, ſi hæc torques fuiſſet xenodochio, aut Eccleſiæ applicata, comparente domino, fore ei reddendam, nec per applicationem ablatum fuiſſe dominium illius.

16 Inter hanc ſententiarum varietatem, meum iudicium eſt, primam opinionem *num.13.* appoſitam, eſſe valdè probabilem, & tutiorem; quia ea videtur eſſe conſuetudo fidelium, vt res inuentas pauperibus diſtribuant; quod Pontifices confirmant, dum ei ſententiæ annuentes applicant bona inuenta Ordinibus ſuprà dictis, & Cruciatæ, quibus concedunt, vt compellant ſub excommunicationis pœna detentores, ea bona

ipſis

Digitized by Google

ipſis exhibere. Et quidem, niſi Pontifices iudicarent, præfatam ſententiam ſequendo, ineſſe obligationem inuentoribus præſtandi bona inuenta in opera pia, non præciperent ſub excommunicationis pœna, vt in tale opus pium determinatè ea applicarent. Nec enim præcipiunt ſub ea pœna Pontifices, vt quiſquam bona ſua propria, ſeu quæ propria fecit, eroget aliis.

17 Nihilominùs cenſeo, ſecundam ſententiam *eodem num.* 13. relatam, tutam eſſe in praxi, & in ſe veriorem. Et in primis authoritate ſatis, ſuperque fulcitur; deindè quia nec iure naturali, nec iure poſitiuo bona inuenta debent tribui pauperibus, aut operibus piis, ergò inuentor poteſt ſibi ea comparare. Probatur antecedens primùm de iure naturali, quod omnibus gentibus eſt commune; quippe iuxta hoc potiùs præſumi debet, dominum rei velle, vt inuentor ſibi rem appropriet, cum onere tamen, vt comparenti ipſi domino reſtituat, quàm vt in pauperes, aut pia opera expendatur. Præſumptio hæc inde ſuadetur, nam debemus iudicare de domino, id velle, quod ſibi poſſet eſſe commodius, cum quiſque vtilitati propriæ, potiùs quàm alienæ, prouideat; at commodius eſt domino, ſi inuentor rem cum præfato onere ſibi adſciſcat, quàm ſi diſtribuat in pauperes; nam ſi rem ſeruet inuentor, caſu quo dominus ipſe compareat, poterit recupare; ſi verò in pia opera diſtribuat, non poterit, nec poterit, ſi per Bullas ille componatur, cum, iuxta dicenda *infrà*, facta compoſitione, in foro interno nihil debeat reddere inuentor, etiam ſi dominus compareat; igitur prudentiùs præſumitur, dominum velle, vt inuentor rem ſibi comparet, quàm vt in pia opera diſtribuat, vel ſuper ea per Bullas componatur.

18 Deindè ſuperiùs antecedens de iure poſitiuo probatur; quippè nullus eſt in iure textus, qui de his bonis inuentis diſponat: ergo, attento iure poſitiuo, non tenetur quis ea bona pauperibus, aut piis operibus diſtribuere. Suadetur diſcurrendo per textus, qui ab aduerſantibus afferri ſolent; etenim textus *in cap. cum ſit*, *de iudiciis*, *cap. cum tu*, *de vſuris*, loquuntur expreſsè de bonis incertis; iniuſtè tamen, per vſuras, aut alia iniqua via adquiſitis, quæ piis operibus, aut pauperibus debentur, in omnium ſententia: meritò enim à poſſidente iniuſto auferuntur, ne habeat lucrum iniquitatis, cum aliundè nullum ei ſit ius ad ea bona, quæ iniquè accepit, vel occupauit. Textus verò *in cap. multi*, *cap. ſi quid inueniſti*, 14. *q.* 5. in quibus damnatur furti, qui non reddit inuenta, intelligendi ſunt iuxta gloſſam *ibidem*, ſi inuentor non habeat animum reddendi illa domino comparenti; vel, vt ait Trullench, de eo, qui nullam diligentiam adhibet, vt dominum reperiat.

19 Hinc ad fundamenta contrariorum reſpondetur, ius non fauere ipſorum ſententiæ; nec prætereà præſumi de voluntate dominorum, vt bona inuenta velint erogari in opera pia; nec item Pontificum priuilegia, & excommunicationes, de quibus *n.*16. eam ſententiam, vt certam, ſtatuere, vel definire; ſed eam ſequentes, velut probabilem, & fortè ipſis certiorem, eiuſmodi priuilegia induſiſſe; excommunicationiſque pœnam in eos decreuiſſe, qui ſuam ipſorum ſequentes ſententiam, praua conſcientia, prædicta bona retinerent; quæ tamen pœna ſectantes noſtram ſententiam non vrgebit, nec in illam incident, quamvis bona inuenta non manifeſtent, nec tradant. Conſuetudo demum, à qua arguitur, non eſt conſtans; quin potiùs credam, conſuetudinem contrariam plùs vigere; & inuentores ſibi res inuentas appropriare, (vtinam id præſtent poſt diligentiam in domino inueſtigando adhibitam,) cum non deſint, qui eis ſententiam noſtram, ſaltem probabilem (de quo dubitari nequit inſpectat authoritate extrinſeca) indicent, quam libentiùs ſequentur, quàm oppoſitam.

20 Authores ſententiæ oppoſitæ diſputant, quo iure ea bona inuenta debeantur pauperibus idemque omnes tractant de bonis incertis iniuſtè adquiſitis, quæ eis communi conſenſu Authorum debentur? Videatur Cardinalis Lugo *vbi ſuprà*, qui rectè oſtendit, iure naturali deberi ea bona in vſus pios expendi. Idem etiam *ea diſp.* 6. *de iuſtit. & iur. num.*148. cum communi docet, ſi pauper ſit inuentor, poſſe ſibi bona applicare in caſibus, in quibus tenebatur ea reddere pauperibus. Quod idem dicendum eſt, ſi bona incerta ſint iniuſtè adquiſita; animaduertendo tamen, non amplius poſſe ſibi aſſeruare, quàm quod alij pauperi eſſet reddendum, vel quod neceſſarium ſit ad ſuccurrendum ſuæ paupertati.

21 Sententia autem ipſius Cardinalis appoſita *num.* 15. quatenùs nobis contrariatur, ſat manet impugnata noſtris fundamentis. Fateorque eſſe pluribus ſcrupulis obnoxiam, dum explorat inuentor, an dominus rei, velit, vt res inuenta in cuſtodia ſeruetur; an vt pauperibus diſtribuatur, an demùm vt diſtrahatur quomodocumque, ita vt poſſit eam ſibi inuentor ſeruare. Quare regula generalis in noſtra ſententia hæc traditur. Quando bona incerta ſunt iniuſtè adquiſita, nec poſt adhibitam ſedulam diligentiam dominus comparet, debentur piis operibus. Quando autem ſunt iuſtè occupata, vt ſunt inuenta,

inuenta, poſt eam diligentiam, poteſt quis ſibi aſſerare, cum intentione reddendi ea domino, ſi compareat intra legitimum tempus, de quo *paulò infrà.*

22 Iam ergo iuxta noſtram concluſionem cernitur, nullam eſſe in conſcientia obligationem reddendi bona incerta inuenta, ſiuè inanimata, ſiuè animata, Cruciatæ, aut ſacris Religionibus Trinitatis, vel B. Mariæ de Mercede; quod abſolutè affirmat Nauarra *lib. 4. cap. 2. num. 64.* & propendent in id P. Molina *tractat. 2. diſp. 681. poſt initium, ac diſput. 750. circa finem,* & P. Caſtro Palao *tom. 1. de iuſt. & iur. tract. 31. diſp. vnica, punct. 19. numer. 6.* Etenim inuentor tuta conſcientia poteſt ſibi ea bona aſſeruare; & priuilegia, ac excomunicationes quævis, etiam quæ nuncupantur Paulinæ; & ſolent à Fratribus prædictarum Religionum pro bonis inuentis, ſibi manifeſtandis impetrari, contrarium non conuincunt, vt conſtat *ex numer. 19.* Idemque dicendum eſt de Cruciata, quamvis excommunicationis pœnam ferat contra detentores eiuſmodi bonorum. Verum tamen eſt, in foro externo comppellendum foro inuentorem à prædictis, vt inuenta tradat, ſi de illis conſtet.

23 Cœterùm inuentor, qui bona ſibi, quæ reperit applicauit, domino comparente tenetur ea ipſi reddere, dum tamen compareat, antequam tranſigatur tempus neceſſarium ad præſcribendum, ſeu vſucapiendum iuxta qualitatem rei inuentæ; de quo tempore ex profeſſo tractant Iuriſtæ *in tit. de praſcrip. & in tit. de veſucapion.* necnon Theologi in *tract. de iuſt. & iur.* Videantur Sotus, Card. Lugo. PP. Leſſius, Molin. Rebellus, Dicaſtillo, Franciſc. Amicus, Caſtr. Palao, Oñate & alij. Etenim, donec illud tempus tranſeat, dominium manet apud priorem dominum, qui adhuc illud non amiſit, eſtò habeat vſum inuentor, & dominium, ſub conditione, quòd dominus non compareat intra tempus opportunum; quòd dominium poſita huiuſmodi conditione, redditur abſolutum. Quod ſi tempus illud eſt tranſactum, etiam ſi prior dominus compareat, inuentor non tenetur ei reddere quidquam; nam iam ſibi acquiſiuit abſolutè dominium rei inuentæ per vſucapionem, aut præſcriptionem; quam præceſſerunt omnia requiſita neceſſaria; nempè bona fides, cum iniuſtè non poſſederit rem inuentor; titulus ſufficiens, nempè inuentio eius rei, ac diligentia adhibita in domino inueſtigando; ac demùm tempus à iure ſtatutum. Doctrinam huius aſſerti tenent Salon. 2. 2. *quæſt. 66. artic. 5. controu. 1. fol. 1316.* Trullench *in Bulla lib. 3. caſ. 14. num. 14. & in Decalog. lib. 7.* Mendo in Bull. Cruciat. *ſect. 3. cap. 9. dub. 5. num. 4.* Sayrus *in Claui Regia, l. 50. tr. 5. c. 2. n. 32.* & alij.

24 Duo ad calcem aduerte. Primum, caſu quo bona inuenta tradantur Fratribus Sanctiſſimæ Trinitatis, aut B. Mariæ de Mercede, eos teneri per ſpatium quatuordecim menſium in diebus, quos vocant Hiſpani *mercatus*, publicè illa bona exponere; & voce præconis publici de domino inquiſitionem facere; vt cauetur *lege Regia 7. tit. 13. lib. 6. noua collectionis*, & affert P. Dicaſtillo *tom. 1. de iuſt. & iur. lib. 2. tract. 2. diſput. 9. dub. 15.* Quas conditiones niſi obſeruent, nequeunt ea bona ad redimendos captiuos applicare: non enim illis conceſſa ſunt, niſi ſub his conditionibus. Secundum, aliqua eſſe bona, quorum etſi perſona determinata non ſit dominus, tamen non ideò ſunt incerta iudicanda, ſcilicet bona, ideò auferuntur à Communitate; vt ſi populetur quis ſyluam, aut prata, quæ ſunt ciuitatis Salmenticenſis in communi; aut facultates, quæ ſunt alicuius Confraternitatis, Monaſterij, aut Collegij. Quare hæc bona reſtituenda ſunt eidem Communitati, nec poſſunt in opera expendi, aut per Bullas fieri de eis compoſitio; vt inter alios docent Cardinalis Lugo *tom. 1. de iuſtit. & iur. diſput. 6. ſect. 12.* P. Dicaſtillo *tom. 1. de iuſtit. & iur. tract. 2. diſput. 9. num. 364.* Aliter philoſophandum eſt de bonis incertis pertinentibus ad aliquem, ſeu aliquos ex Communitate, ſed ignoratur, quinam determinatè ij ſint; vt ſi quis vſuras acceperit ab aliquibus, quos, conſtat, eſſe Salmanticenſes; aut merces cariùs iuſto pretio eis vendiderit, aut fraudibus vſus fuerit in pondere, vel menſura, ignorat tamen penitus, quinam ſint, nec explorari id certò poteſt. Quibus caſibus non debent ea bona reſtitui Communitati, ſeu Ciuitati Salmanticinæ, Sed vel præſtanda ſunt operibus piis, vel facienda eſt de illis per Bullas compoſitio. Idem dicito, ſi quis inueniat rem, quam, conſtet, eſſe alicuius ciuis Salmanticenſis; ſed poſt appoſitum ſufficientem diligentem non compareat, non tenebitur inuentor rem Communitati, ſeu ciuitati reddere, ſed poterit ſibi retinere, iuxta noſtram doctrinam, & in ſententia contraria tenebitur in vſus prios expendere, niſi per Bullas componatur.

CAPVT III.

Quomodò, & in quibus bonis incertis Bulla compoſitionis locum habeat.

25 Solùm pro bonis incertis Bulla compoſitionis conceditur, ſeu pro his, quæ Eccleſiæ, pauperibus, aut piis operibus

Kk debentur,

Digitized by Google

debentur, eiuſmodi enim bonorum adminiſtrator eſt Pontifex; vndè licet, vt videbimus *diſp. ſequenti* concedatur compoſitio ſuper medietate legatorum, etiam non ignorato legatario, cum negligens fuit in recuperandis legatis, tamen hæc bona in radice ſunt incerta, nam ſunt legata relicta ob reſtituenda bona incerta, quæ debebat teſtator, qui legauit. Itaque Bulla compoſitionis locum habet in bonis incertis iniuſtè adquiſitis; hæc namque pauperibus debentur.

26 Bona autem incerta non iniuſtè adquiſita, veluti inuenta, poteſt quis ſibi retinere modo explicato *cap. præced.* vnde non eſt neceſſaria Bulla compoſitionis ad illa. Quòd ſi quis nolit noſtræ ſententiæ conformari, cum debeat iuxta oppoſitam opinionem ea bona reddere aut piis operibus, aut Cruciatæ, vel Religionibus Sanctiſſimæ Trinitatis, ſeu B. Mariæ de Mercede, locum habebit in eis bonis compoſitio; ſicque debitor, minoribus expenſis, ſuæ conſcientiæ ſatisfaciet: ea eſt enim vis compoſitionis, vt ſumma maior reddita iudicetur in ordine ad conſcientiæ ſecuritatem, minori reddita ſumma, ea ſcilicèt, quæ in Bulla deſignatur.

27 Quòd ſi quis compoſitionem fecit de bonis incertis, quæ debebat, mediis Bullis, aut cum Commiſſario Generali Cruciatæ, ſiuè bona iniuſtè, ſiue iuſtè eſſent adquiſita, comparente domino poſt compoſitionem, nihil ei reddere tenetur in foro interno conſcientiæ, pro quo ſolo hæc compoſitio conceditur: in externo enim poterit à priori domino conueniri, à iudiceque cogi, vt bona ea perſoluat. Hanc concluſionem defendunt Bañez 2.2. *q.*6. *art.* 5. *dub.*8. Acoſta *in Bull. quæſt.* 93. Trullench *ibidem lib.* 3. *dub.* 4. *n.*8. P. Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 34. *n.* 6. Vbi *in gloſſa littera E.* citat pro hoc aſſerto Sotum, Mercado, Syluester. Nauarrum, Victoriam, Ledeſm. Medinam, Nauarram, Antonium Gabr. & alios. Item Cardinalis Lugo *tom.* 1. *de iuſtit. diſp.* 21 *ſect.* 7.

28 Probatur primò ex praxi. Secundò quia hic modus compoſitionis eſt genus quoddam transferendi dominium, ſicut præſcriptio; ergo, ſicut præſcripta re, non tenetur præſcribens eam reddere domino comparenti, ita nec re compoſita. Suadetur antecedens; quippe, ſicut Reſpublica habet facultatem transferendi dominia media præſcriptione, ita & Pontifex media compoſitione: facultas enim ea competit Reipublicæ, quatenùs habet dominium abſolutum, ſeu excellentiæ vel amniſtrationem in bona ciuium, cum caſus ſimiles vrgent; Pontifex autem etiam habet ſimile dominium, ſiuè adminiſtrationem in bona fidelium, quatenùs concernunt bonum ſpirituale animarum, & caſus vrget, in quo ea bona pro eo ſtatu debebantur pauperibus. Confirmatur, nam Pontifex non concedit hanc bonorum compoſitionem ſub conditione, quòd dominus non compareat, ſed abſolutè, ſicut concedit ei, qui non recitauit, compoſitionem fructuum, qui Eccleſiæ debebantur.

29 Vlteriùs, quia, ſi is, qui componitur, ea bona pauperibus diſtribuiſſet, nec ipſe, nec pauperes abſumentes ea bona, quidquam domino deberent, etiam ſi compareret, ſi rem abſumpſiſſent; ſed facta compoſitione, res eodem modo ſe habet, quia is partem dedit in fauorem Cruciatæ, quod eſt opus pium: reliquam verò partem Pontifex, qui Bullas compoſitionis concedit, ſibi relinquit expendendam in opera pia, ſibique aſſumit curam ſatisfaciendi pro eis, vel temporalibus eleemoſynis, vel ſpiritualibus indulgentiarum; ergo non tenetur reddere ea bona domino comparenti; aliàs eo comparente, onus eſſet, non ſubſidium, hæc compoſitio, cum & bona integrè eſſent reddenda, & in compoſitione fuiſſet alia ſumma ſoluta. Maior argumenti probatur ex eo, quòd pauperes rem iuſtè & bona fide abſumentes, domino ſucceſſerunt, argumento *capitis Bona fides*, 83. *de regulis iur. in* 6. Quin Sotus *de iuſtit. lib.* 5. *q.* 3. *art.* 3. quem ſequuntur Ledeſma, & Nauarra allati à P. Caſtro Palao *tom.* 1. *de iuſtit. & iure, tract.* 31. *diſp. vnic. punct.* 19. *n.* 8. tuentur, pauperes in caſu prædicto excuſari à reſtitutione rei, ſibi diſtributæ, quamvis res in propria ſpecie exiſtat, aut ditiores facti fuerint per eius conſumptionem. Hoc licèt ſit probabile, tamen oppoſitum eſt verius, vti cenſent P. Molina, & Layman, quos ſequitur *vbi nuper* P. Caſtro Palao; eo quòd non ſit veroſimile, Rempublicam in hoc caſu intendere, vt priuetur dominus re ſua abſolutè; ſed tantùm, quòd, domino non comparente, pauperes habeant vſum illius, ac dominium; ac propterea dominus poteſt rem ſuam vindicare, vbicumque ſit. Quæ doctrina pariter locum habet in eo, qui ſibi tanquam pauperi, bona incerta applicauit. Limitarem tamen ego, niſi in caſu, quo tempus legitimæ vſucapionis, aut præſcriptionis tranſactum fuerit: tunc enim dominus deſinit eſſe talis, nec rem valet recuperare, cum abſolutè fuerit translatum dominium per eam præſcriptionem.

30 Sed dices: ergo etiam facta compoſitione per Bullas, aut cum Commiſſario, non adhuc tranſacto præſcriptionis tempore, tenebitur quis domino comparenti rem reſtituere ſi in ſpecie exiſtat, vel ſi ditior factus fuerit ex eius abſumptione. Probatur ſequela, quia id aſſeruimus, contingere, ſi res ſit diſtributa pauperibus; ex quo caſu

arguebamus

Digitized by Google

arguebamus *ſuprà* ad compoſitionem; nempe hac facta, non teneri quem reddere rem domino comparenti, ſicut re præſtita pauperibus non tenebatur; vnde à contrario valebit conſequentia; ergo in caſu quo re præſtita pauperibus, hi tenentur reddere eam domino, etiam quis tenebitur, facta compoſitione. Introſpice attentè ratiocinationem, comperieſque fallaciam; nam ex hoc antecedenti: re præſtita pauperibus, ſi in ſpecie exiſtat, aut ditiores facti fuerint, domino comparenti tenentur pauperes eam reddere, non verò tenetur is, qui pauperibus rem præſtitit; hæc debebat inferri conſequentia; ergo re compoſita cum Pontifice, & Cruciata, qui loco pauperum ſe habent, domino comparenti tenebuntur Pontifex, ac Cruciata rem reſtituere, non verò is, qui ſe de ea compoſuit, ac eleemoſynam in ſubſidium belli contra Infideles præſtitit, perindeque ſe habuit, ac ſi rem pauperibus dediſſet, cum compoſitio ſit genus quoddam, ſaltem æquiualens rem diſtribuendi pauperibus, aut operibus piis. Hinc cernes diſcrimen in paritate, quæ opponitur. Quare argumentum pro noſtra concluſione factum à caſu, quo inter pauperes res eſſet diuiſa, locum habet, cum cætera ſint paria; non verò argumentum *initio huius numeri* poſitum, cum cætera ſint imparia, terminique mutentur. Sed nec Cruciata, nec Pontifex rem in eo caſu tenentur domino reſtituere; non Cruciata, quia à Pontifice id ſibi applicatur, potente applicare iuxta *ſuprà* dicta; non Pontifex, quia fecit applicationem, quatenùs dominus, ſeu adminiſtrator bonorum temporalium, prout ad bonum ſpirituale animarum concernentium, ſemelque facta applicatione tranſtulit dominium, vt iam aſſeruimus; ſicut per præſcriptionem transfertur; neque etenim neganda eſt ſupremo capiti fidelium poteſtas transferendi dominium bonorum temporalium, cum animarum intereſt, ſi conceditur Reipublicæ facultas transferendi dominium, cum ad bonum publicum ciuile refert. Vnde oritur alia diſparitas ad obiectionem factam; nam applicata re pauperibus, & adhuc non præſcripta, ius naturale, aut poſitivum non transfert dominium, niſi caſu, quo dominus non compareat; eo tamen comparente, & re in ſpecie exiſtente; aut ditiore facto eo, qui illam abſumpſit, rationi; ac veritati conſentaneum videtur, vt noluerit Reſpublica transferre dominium.

31 Dices rursùs: adhuc facta compoſitione cum Commiſſario Cruciatæ, aut per Bullas, dominus comparens poteſt rem petere, & ſibi vindicare, non ſecùs, ac ſi eſſet diuiſa pauperibus, ac in ſpecie exiſteret; ergo quia dominium non amiſit, ac conſequenter, qui compoſuit debitum, non manet dominus, reddereque illud in conſcientia tenebitur. Reſpondeo, eſſe ſeparabile dominium in foro interno conſcientiæ à dominio in foro externo, primumque abſque ſecundo, imò ſecundum abſque primo reperiri. Exemplum ſit in eo qui impotens recupare à Petro pecunias ſibi debitas, clam aſſumeret vas aureum illius, vt inde ſatisfaceret ſibi; ſi coram iudice conueniatur, nec poſſit probare, debitas ſibi eſſe pecunias, cogetur reddere vas, cuius dominium profectò habebat in foro conſcientiæ, & in foro externo non habet. Deindè quoties lis agitatur inter duos, quorum vnus verè, & realiter eſt dominus rei, de qua litigatur, alter verò ſcit, ad ſe non pertinere, ſi iudex per ignorantiam, aut militiam applicet rem huic ſecundo, ſanè hic dominium in foro externo, non in foro conſcientiæ habet; alter verò è contrà. Poſito igitur, quòd hæc dominia ſeparari queunt, facilè reſpondeo ad obiectionem; per compoſitionem ſolùm præſtari dominium in foro conſcientiæ, dum in foro externo res non vendicatur à domino comparente, qui ſi vendicet, in vtroque foro retinet dominium illius, poſt eam enim vendicatam, nec in foro conſcientiæ primus manet dominus illius, quare nequit ſatisfactionem clam ſumere ex bonis illius domini, cum dominium in foro conſcientiæ dumtaxàt fuerit ei præſtitum, dum in foro externo res non vindicaretur. Secùs contingit, ſi res ſit applicata pauperibus, hique ditiores ex ea facti, vel in ſpecie ea exiſtat: tunc enim dominium eis eſt præſtitum, donec dominus compareat, non verò donec dominus comparens rem in iudicio ſibi vendicet.

32 Nec debet cenſeri ingens onus, quòd is, qui in conſcientia iam eſt de re compoſitus, & eleemoſynam in ſubſidium Cruciatæ tribuit, ſi dominus comparens in iudicio rem vendicet, teneatur eam reddere, indeque amittere ex bonis ſuis, quod Cruciatæ conceſſit. Etenim, cum præfatam fecit compoſitionem dumtaxàt in conſcientia, ſponte ſe huic incommodo ſubiecit; quippè maiora commoda præuidit, æqualiter contingentia, imò, & frequentiùs; nempè quòd in conſcientia nec rem integram teneatur elargiri pauperibus, nec item domino comparenti, dum hic in iudicio externo illam ſibi non vendicet; frequens autem non eſt, hæc omnia ſimul coniungi, dominum comparere, noſcere eum, qui rem habet, poſcere in iudicio, & obtinere; maximè cum ſupponatur, adhibitam fuiſſe ſedulam diligentiam ad dominum explorandum, nec tamen comparuiſſe.

Digitized by Google

33 Non defuere Authores, qui cenſerent, adhuc facta compoſitione præfata, ſi dominus compareat, teneri quem in foro conſcientiæ rem ſtatim domino reſtituere ante iudicis ſententiam. Ita Ludouic. à Cruc. *in Bull. diſput.* 3. *dub.* 4. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 29. *num.* 9. Emanuel *in Bulla compoſition.* §. *vnic. dub.* 6. vbi citat Caietanum, Cordubam, & Sotum; ſed ea cum limitatione loquitur, vt ſolùm teneatur ille reſtituere id, quod in ſua adhuc poteſtate exiſtit, vel in propria ſpecie, vel in diuerſa, & quod lucratus fuerit ex poſſeſſione eiuſmodi bonorum; non tamen id, quod bona fide in pia opera diuiſit, inde non factus locupletior. Mouentur hi Authores ex eo, quòd Pontifex non videtur præſtitiſſe compoſitionem, niſi ſub conditione, quòd dominus non compareret; nec dominus cenſetur ſuo dominio ceſſiſſe, dum de ipſo notitia eſt in occupante rem illam. Sed his iam fecimus ſatis; de ea namque conditione non conſtat in Pontificis conceſſione; quin imò oppoſitum prudenter iudicatur; tum ex modo abſoluto concedendi, qui, cum ſit fauor, non eſt reſtringendus, nec limitandus; tum quia hoc genus compoſitionis eſt quaſi præſcriptio in foro conſcientiæ, ſeu tranſlatio dominij, eaque abſoluta in eo foro, ſicut præſcriptio in foro externo eſt abſoluta tranſlatio; vnde nihil refert, quòd dominus comparens mallet, ſibi rem reſtitui: nam etiam comparens poſt legitimam præſcriptionem mallet, ſibi reddi rem, quàm apud præſcribentem manere: & diuiſa re inter pauperes bona fide, (quòd ſi præſtitum ſit, nec in ſententia Emanuëlis res domino comparenti debetur) mallet dominus, ſibi reſtitui, maximè ſi ſit res multùm æſtimabilis. Et prætereà ius vendicationis in iudicio externo retinet, quo ſufficienter ſatisfit eius voluntati, in quantum rationi conſentanea eſt, omnibus inſpectis circunſtantiis, conſentanea autem non eſt, ſi amplius exigat, aut velit.

CAPVT IV.

An maneat tutus in conſcientia, qui debita incerta per Bullas, aut cum Commiſſario compoſuit.

34 QVidam Authores docti, vt ait P. Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 34. *n.* 6. *fine*, trepidant, & obmurmurant, hanc compoſitionem cum Commiſſario, vel per Bullas non omnino eſſe tutam. Syluester *in ſum. verbo: Reſtitutio* 8. §. 8. cum D. Antonino referente alios, 2. *part. tit.* 2. *cap.* 6. negat, hanc compoſitionem licere, quando dubium eſt, an debitor poſſit reſtituere totum. Sotus non nihil hæſitat, & plus Ledeſma. Prætereà Nauarrus *cap.* 17. *num.* 93. ait, valere compoſitionem, ſi non ſit indiſcreta, vt remittere viginti pro quatuor, & citat Caietanum 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. Et Peña allatus ab eodem P. Henriquez *eo cap. num.* 4. *in gloſſa*, *litt. T.* ait ſe non abſoluturum fore diuitem cum adeò exigua compoſitione, niſi reſtitueret medietatem, vel amplius.

35 Nihilominùs tenendum eſt, tutiſſimam eſſe in conſcientia hanc compoſitionem. Ita ſentiunt allatus P. Henriquez cum pluribus, quos citat *cap.* 33. *num.* 5. *in gloſſ. litt. M.* Trullench *in Bull. lib.* 3. *dub.* 3. *fine*, & communiter Expoſitores Bullæ Cruciatæ, & Compoſitionis. Item Cardinalis Lugo *tom.* 1. *de iuſtit. & iur. diſp.* 6. *ſect.* 12. P. Dicaſtillo *tom.* 1. *de iuſtit. lib.* 2. *tract.* 2. *diſp.* 9. *num.* 371. P. Franciſcus amicus *tom.* 5. *operis Theologici*, *qui tomus eſt de iure, & iuſtitia*, *diſp.* 61. *dub.* 12. & cæteri omnes, qui cenſent, Pontificem poſſe debita incerta componere.

36 Probatur aſſertum primò ex fidelium praxi qui tutos ſe iudicant in conſcientia manere, aſſentientibus Confeſſariis timoratis, & doctis, aliiſque viris ſapientibus. Secundò, quia nefas eſt iudicare, imò nec ſuſpicari Pontifices ſua poteſtate abuti, concedendo id, quod non poſſunt; fallereque ſuos ſubditos, laqueumque perditionis eorum animabus inijcere, dum hunc compoſitionis modum, tanquam tutum, proponunt; imò id præſtant, vt bono ſpirituali eorum prouideant. Et, quamvis Pontifices in Bulla Latina non deſignent quantitatem erogandam in belli ſubſidium ab eo, qui ſua debita componit, ſed relinquant deſignationem faciendam à Commiſſario, tamen ignorare nequeunt, quænam quantitas ſit ab eo deſignata; & aliundè Commiſſarium eam deſignaſſe circunſpectè, reque optimè conſiderata, & cum viris Litteratis conſulta, omnino eſt iudicandum.

37 Prætereà ſic argumentor. Bulla Cruciatæ communis viuorum, item & defunctorum pro exigua conceditur eleemoſyna, indulgentiæque ibi contentæ per opera non difficilia obtinentur; quòd ſi etiam contra aduerſarios arguatur, non eſſe valida eiuſmodi priuilegia, eo quòd ingentia ſint, & eleemoſyna, quæ conceditur, ac opera, quæ præſtantur, modica; ipſi cum omnibus reſpondent, eam eleemoſynam coniunctam ab omnibus fidelibus, qui bullam accipiunt, ingentem efficere ſummam, quæ eſt ſummi commodi ad opus pium belli contra infideles; & rurſus cauſas, quibus mouetur Pontifex ad concedenda ea priuilegia, ac indulgentias, eſſe grauiſſimas, vtilitatique Eccleſiæ, & bono

Digitized by Google

bono animarum valdè conſentaneas; ergo ſimiliter debent in noſtro caſu reſpondere, cum obijciunt, (quod eſt eorum fundamentum) paruam eſſe ſummam, quæ pro vnaquaque Bulla compoſitionis erogatur, vel quæ Commiſſario tribuitur, vt ſumma adeò excedens eam remittatur. Et ſanè vtilitati fidelium maximè proſpicitur, cum enim homines adeò difficilè bona, quæ ſemel congregauerunt, euomant, paucique ſint, qui alacri animo aliena reſtituant, vnde eis ſtatus, imminet damnationis; rectiſſimè prouiſum eſt, vt via ſuauis eis pateat, qua poſſint conſcientias exonerare, ablata reſtituere, & in ſtatum ſalutis æternæ reduci.

38 Dices, hanc compoſitionem eſſe in præiudicium tertij; quod non ſequitur ex conceſſione aliorum priuilegiorum, & indulgentiarum. Contrà, quia cùm ſit compoſitio, ſupponitur, dominum non comparere, atque adeò ei non præiudicatur actu. Quòd ſi poſteà compareat, datur ei actio recuperandi rem in foro externo. Quamvis autem in foro interno non teneatur is, qui debita incerta compoſuit, reſtituere ea domino comparenti, is non propterea rationabiliter erit inuitus, cum ſit ſubiectus Pontifici, & ſub eius poteſtate ſint ipſius bona, quatenùs ad bonum ſpirituale eorum adminiſtratio conducit, vt conducebat, cum facta fuit compoſitio, & tranſlatio domini; ſicut præſcriptio non iudicatur in præiudicium tertij poſteà comparentis, quia iuſta de cauſa fuit conceſſa à Republica habente poteſtatem ſuper bona temporalia, quatenùs ad vtilitatem ciuilem publicam conducunt. Et quidem in præſcriptione inſtantur, quæ in præſenti obijci queunt, paucis mutatis.

39 Deindè nec compoſitio cenſenda eſt in præiudicium pauperum; quia nullus pauper determinatè ius ad ea bona habebat; imò poterant non præſtari pauperibus, ſed in opus pium, vt in Eccleſiam, expendi; opus autem pium eſt bellum contra infideles, & hoſtes Eccleſiæ; applicatis autem à Pontifice huic operi pio, nullus alius ius ad ea poteſt prætendere. Rex verò, cui ex ea applicatione ius competere videtur, ea eleemoſyna à Commiſſario deſignata, quaſi cedit cæteris partibus quæ debebant reſtitui, & expendi in opus pium belli, quod ipſe ſuis ſumptibus fouet. Quid? quòd, vt ait Cardinalis Lugo, Pontifex ſibi munus aſſumit pauperibus ſatisfaciendi tum temporalibus eleemoſynis, tum ſpiritualibus. Vnde nullum præiudicium ex hac compoſitione ſequitur.

40 Hic nota cum P. Henriquez *lib. 7. de indulg. cap. 34. num. 7.* Et Trullench *in Bulla lib. 3. dub. 2. num.* 3. eum, qui reſtituere tenetur bona incerta, quæ poſſidet, non eſſe in ſtatu peccati, dum parat adire Commiſſarium pro compoſitione, aut Bullas accipere, dum non habeat intentionem non reſtituendi, caſu quo vel ad compoſitionem non admittatur, aut Bullas nequeat accipere: ſi enim hanc intentionem haberet, in ea ipſa peccaret. Ratio autem huius aſſerti eſt, quia ſolùm eſt peccaminoſa retentio rei alienæ, cum quis aut non vult eam reſtituere, aut potens id facere, differt abſque cauſa ſufficienti reſtitutionem; at in caſu poſito nec primum, nec ſecundum interuenit, cum ille paret compoſitionem de his, quæ reſtituere tenetur: igitur in ſtatu peccaminoſo non exiſtit. Exemplis deſumptis à materiis moralibus id probant etiam præfati *nuper* Authores, ſed in re clara ſufficit ratio libata.

Mendo in Bull. Cruciat.

CAPVT V.

Quibus perſonis proſit Bulla compoſitionis? quibus non proſit?

41 NOn prodeſt Bulla compoſitionis his, qui ex confidentia ipſius bona aliena ſurripiunt, aut detrimentum inferunt bonis aliorum, ſeu quomodocumque occupant, aut poſſident, quæ ſua non ſunt, ſed incertorum dominorum; quare integrè ea reſtituere tenentur his, quibus debent reſtitui iuxta rei qualitatem. Sic habetur expreſsè in Bulla Hiſpana Compoſitionis ibi: *Lo qual todo entendemos con condicion, que los tales deudores no ayan auido las coſas, ò cantidad, de lo que ſe vuiere de componer; en confianza deſta compoſicion, porque en tal caſo no ſe pueden componer.* Non exprimitur hæc conditio in Bulla Latina, attamen dum Pontifex Commiſſario Cruciatæ committit modum componendi eiuſmodi debita, & aliundè facultatem præſtat declarandi, quæ obſcurè in Bulla Latina latuerint, ita vt non ſit declaratio contra verba mentemque Bullæ, fit vt Commiſſarius potuerit hanc apponere conditionem, quæ nullatenùs menti Pontificis contrariatur. Conditio autem prædicta eſt omnino neceſſaria & ſine qua non, vt ex verbis eam enuntiantibus, & ex communi omnium expoſitorum intelligentia conſtat.

42 Duplex autem eſt confidentia Bullæ, alia poſitiua, alia negatiua; quas explicauimus *diſp. 4. num. 2.* & latiùs *diſp. 27. à numer.* 37. In præſenti ergo ſolùm obeſt compoſitioni confidentia, ſeu fiducia poſitiua, qua quis ita occupat, aut retinet aliena, vt nullo modo ea occuparet, aut retineret, niſi confideret, per Bullas compoſitionis liberandum fore à reſtitutione integræ quantitatis. Non autem obeſt confidentia, ſiuè fiducia negatiua, qua non impellitur, aut mouetur ad

 occupandum,

Digitized by Google

occupandum, ſeu retinendum aliena, ſed à ſua auaritia, cupiditateque motus ea rapit, & quaſi ſolatium indè comparat, quod ea per Bullas componere valebit; attamen eodem modo ea raperet, licèt non eſſet talis modus compoſitionis. Hanc confidentiam non eſſe, quam Commiſſarius excipit, conſtat ex locis *nuper* citatis;& quia hæc non influit in actionem furandi aliena,ſed comcomitanter, materialiterque ſe habet; & in ordine ad patrationem eius furti perindè eſt,ac ſi non daretur: quare non eſt,cur intelligatur, Commiſſarium de hac fuiſſe locutum; cum ſolùm contenderit, non miniſtrare anſam cupidis, & auaris, vt aliena raperent, ſpe compoſitionis, aliàs non rapturis, niſi ſpes hæc adeſſet; in caſu autem confidentiæ negatiuæ, non arripitur anſa furandi ex eo quòd dentur Bullæ compoſitionis,cum eodem modo, ſupponamus, eum eſſe furaturum, qui negatiuam confidentiam habet, ſi Bullæ eiuſmodi non fuiſſent conceſſæ. Hanc confidentiam negatiuam non excludi in præſenti,ſed poſitiuam dumtaxàt,tuentur Ludouicus à Cruce, Rodriguez,P.Henriquez,ac alij, quos ſequitur Trullench *in Bull.lib.3.dub.2.* Difficultas, quæ illicò oculis obijcitur, quomodo poſſit quis moueri, aut inclinari ad furandum bona aliena, ſpe compoſitionis per Bullas, ſi in ipſa Bulla expreſsè excipitur, vt nequeat componi, & aufertur ab eo omnis ſpes obtinendi compoſitionem, ſoluta eſt in ſimili *ſuprà diſp.27.n.39.* ibi recolatur.

43 Notauerim, eum qui ex confidentia poſitiua compoſitionis retinuit, aut occupauit bona aliena quorum dominus erat incertus, ſeu quorum noſcebat vel ſperabat, dominum decurſu temporis eſſe ignorandum, (vt qui in venditione mercium defraudat emptores, & cum fraudem committit, videt, ac noſcit defraudatum, ſed poſteà emptores varij multiplicantur, ac ignorantur præ confuſione, aut præ multitudine, quæ certam ſingulorum notitiam, & quantitatis debiti recordationem aboleuit,) poſſe adhuc adire per ſe, vel per alium, ipſum Commiſſarium, explicataque ſua confidentia,expoſcere ab eo compoſitionem, fortaſſis enim eam concedet, inſpectis cauſis, ac circunſtantiis, deſignataque quantitate præſtanda pro compoſitione iuxta qualitatem debiti, perſonæ, & aliorum, quæ concurrunt. Commiſſarius quippè eam poteſt præſtare; tum quia ipſe conditionem præfatam confidentiæ appoſuit, quam in aliquo caſu tollere valet, ſeu in ſua lege diſpenſare, vtpotè cui à Pontifice commiſſus eſt modus componendi omnia debita incerta; tum quia ea conditio ſolùm videtur appoſita ad excludendum à compoſitione per Bullas eum, qui confidentiam prædictam poſitiuam habuerit; non verò ad excludendum à compoſitione cum ipſo Commiſſario facienda, cum nequeat iudicari, ipſum prohibere aditum cuiquam ad ſuum tribunal, nolleque vllo in caſu poteſtatem exercere, qua pollet; poterit ſanè ipſe negare in hoc caſu compoſitionem, ſed non oportet de conceſſione deſperare, & nihil tentaſſe, nocebit.

44 Addo vlteriùs, ſuppoſita ſententia, de qua *diſp. præcedenti*, poſſe Epiſcopum componere bona incerta,etiam ſi quis habuerit poſitiuam confidentiam in compoſitione per Bullas, aut cum Commiſſario, poſſe Epiſcopum ei compoſitionem indulgere: quippè ipſe non habet hanc poteſtatem componendi cum limitatione,ſi non præceſſerit ea confidentia: nec Pontifex, nomineuè illius Commiſſarius eius poteſtatem in præſenti impedit, aut limitat, ſicut non impedit, aut limitat poteſtatem ad indulgentias concedendas, vota commutanda, hiſque ſimilia. Quod ſpecialiter conſtat: nam, cum exceptio firmet regulam in contrarium, à Commiſſario generali excipiuntur in Bulla hac aliquæ perſonæ, quæ compoſitionem facere nequeant, & inualida ea declaratur, ſi fiat, non tamen excipiuntur Epiſcopi. Verba Bullæ Hiſpanæ ſunt: *Item nos el dicho Comiſſario general, ordenamos, declaramos, y mandamos, ſopena de excommunion mayor lata ſententiæ, que ningun Comiſſario, Predicador, Teſorero, ni Recetor de la ſanta Cruzada, ſe entrometa à hazer, ni haga ninguna compoſicion, de qualquier forma que ſea, en manera alguna; pues ſi alguna perſona tuuiere neceſſidad de ſer compueſta en mas cantidad de lo contenido en eſta Bulla, ha de acudir ante Nos, como eſta dicho. Y la compoſicion que de otra manera ſe hiziere, ſera en ſi ninguna, y de ningun efecto.* Conſtat ex his, nihil de Epiſcoporum facultate limitari. Hi autem, quibus interdicitur hiſcè verbis conceſſio compoſitionis, ex ſe non habent poteſtatem ad eam concedendam: ſed ne errent contrarium intelligentes,eo quòd ſint miniſtri Cruciatæ,vel quòd eis aliqua facultas generalis à Commiſſario delegata ſit, oportuit exprimere, eam non extendi ad compoſitionem concedendam. Hinc obiter manet impugnatus Trullench, cuius ſententiam attulimus *diſput. præced. cap.2. n.11.*

45 Notandum etiam eſt,eum,qui ex confidentia poſitiua Bullæ aliena bona incerta occupauit, ac retinet, debere ea bona integrè Cruciatæ reſtituere:cum enim piis operibus debeantur, à Cõmiſſario applicantur pio operi Cruciatæ, ex commiſſione Pontificis. Conſtat hoc ex Bulla Hiſpana compoſitionis, ibi: *Con tanto, que el que aſſi ſe huuiere de*

Digitized by Google

de componer, no aya auido las coſas, ò quantia, de que aſſi ſe compuſiere, en confiança deſta compoſicion, porque entonces ſerà obligado à lo reſtituir enteramente à la ſanta Cruzada, para ayuda de los dichos gaſtos de la guerra contra Infieles.

46 Si tamen is ea bona incerta pauperibus, aut alij operi pio applicauerit, exiſtimat Trullench *in Bull. lib.* 3. *caſu* 19. *num.* 2. *ad fin.* valere applicationem,quia Commiſſarius aliter factum non irritat: & addit, illum in hoc fore peccaturum,eo quòd agat contra iuſtum,piumque præceptum,niſi forte ignorantia ipſum excuſet, aut hoc præceptum Commiſſarij non ſit conſuetudine receptum. Cenſeo in primis, de hac conſuedine non poſſe conſtare:rarus quippè eſt caſus, in quo quis per confidentiam poſitiuam operetur: qui enim bona aliena furatur, communiter trahitur ab auaritia, cupiditate, aut neceſſitata, ſiuè inopia,quam patitur,rerum temporalium, eodemque modo furàretur, etſi Bulla compoſitionis non fuiſſet conceſſa: maximè ſi noſcat conditionem præfatam à Commiſſario iniunctam, qua cognita,ineptè omnino fideret compoſitioni faciendæ, cum cerneret eam ſibi negari, dum in ea ſolà inniteretur. Deindè, etſi ſupponendum videatur; cum contrarium non conſtat, Commiſſario conceſſas eſſe à Pontifice facultates eas, quibus vtitur,tamen cũ hæc poteſtas applicandi bona illa Cruciatæ non reperiatur in Bulla Latina, poſſet aliquis hærere, ac optare notitiam eius conceſſionis: nec tamen ideò damnaret eam applicationem factam à Commiſſario: nam, cum bona illa incerta iniuſtè adquiſita debeantur piis operibus, potuit Commiſſarius proponere pium opus Cruciatæ, cui reſtituerentur. Sed eſtò,quod iudico certum, à Pontifice eam facultatem habeat, rectè auſpicatur Trullench, nolle irritare applicationem aliis piis operibus factam, nec velle, vt bis eadem bona perſoluantur. Rurſùs, ſi quis cum Epiſcopo compoſitionem faciat, ſequens ſententiam affirmantem, id fieri poſſe, non peccabit contra præceptum Commiſſarij: is etenim non tollit, aut minuit Epiſcopi poteſtatem, *vt num.* 44. aſſeruimus: quare præceptum ita intelligendum erit, vt, caſu, quo is debitor ea bona integrè ſit piis operibus reſtitutus, nec licita via poſſit de illis componi, teneatur ea reſtituere Cruciatæ. Imo aliquis forſan hæſitabit, an hoc ſit præceptum Commiſſarij, an conſilium, ſeu manifeſtatio pij operis,cui fiat reſtitutio; maximè cum in ſententia Trullench, non annullet applicationem factam pauperibus, indeque videatur permittere, nec illicitam eam reddere. Alius hoc videat: ego in ſententiam præfati Authoris propendeo, cum ſæpè in moralibus videamus, per legem relinqui valorem aliquibus actionibus, quæ tamen illicitæ euadunt, quia legi non irritanti; ſed prohibenti contrariantur. Et cum hic caſus meo iudicio ſit ferè metaphyſicus, non eſt nimis ei inſiſtendum.

47 Cathecumenis non prodeſt Bulla compoſitionis. Hæc concluſio eſt contra P. Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 34. *num.* 3. Trullench *in Bull. lib.* 3. *dub.* 2. & alios, quos retulimus *diſput.* 4. *cap.* 2. Defenditur tamen à Cardinali Lugo aliiſque *eodem loco allatis.* Probandaque eſt eadem ratione, qua ibi probauimus, Bullam communem viuorum nullatenus prodeſſe cathecumenis quoad vllum effectum, & ab obiectionibus contrariis aſſertum vindicauimus. Videantur *ibi* dicta, & hic applicentur: fruſtraneum namque eſſet,eadem omnino repetere.

48 Prodeſt autem Bulla compoſitionis omnibus his, quibus ea *diſput.* 4. prodeſſe Bullam communem viuorum diximus:nempè non exiſtentibus in gratia: Religioſis, ſi fortè detur caſus, in quo ea indigeant: excommunicatis, Hæreticis, (quibus Bullam communem viuorum certis cum limitationibus, ſeu ad aliquos effectus prodeſſe, ſuaſimus:) Infantibus item,& amentibus. Etenim Religioſi in primis non excipiuntur, quominùs, ſi indigeant,Bulla compoſitionis vtantur,ſicut cæteri fideles:nec in Religionibus aliquod eſt priuilegium Pontificis id impediens. Deindè ſtatus gratiæ opus non eſt ad hanc compoſitionem: cum enim in ea nihil pœnæ debitæ pro culpis remittatur, non eſt obex peccatum. Quare meretrices, vſurarij, & quilibet alij peccatores poſſunt Bullæ compoſitionis frui priuilegio. Rurſùs excommunicatio non tollit compoſitionem hanc, nec excommunicatos illius vſu priuat: nec item hæreticos: cum per hanc compoſitionem nulla eis præſtetur ab hæreſi abſolutio,quæ à Pontifice, & à Fidei Quæſitoribus ſolùm poteſt præſtari, ſi hæreſis fuerit externa per ſe cognoſcibilis,vt *diſput.* 23. ſtabiliuimus.

49 Ad hæc, amentes, & infantes poſſunt habere aliqua bona aliena incerta, quæ ex hæreditate, aut alia via ad eos peruenerint: vnde queunt hi, qui eorum tutelam, curam, aut adminiſtrationem habent, ea bona per Bullas componere, aut cum Commiſſario: (qui enim poſſunt has Bullas accipere, etiam componi cum Commiſſario queunt:) agunt enim perſonam infantium, vel amentium, quoad eorum negotia tractanda:& habentes adminiſtrationem bonorum,deberent aliena bona reſtituere: ſicut deberent, ſi per iudicis ſententiam cogerentur: vnde loco reſtitu-

tionis poterunt hanc compoſitionem peragere.

50 Defunctum poſſe ante mortem ſuo hæredi, aut teſtamentario mandare, vt Bullas compoſitionis ſumat pro ſua exoneranda conſcientia circa aliquam quantitatem; quam dominis debet incertis, tuentur P. Henriquez, & Trullench *vbi ſuprà*. Sentio, in ordine ad effectum realiter rem ſe habere, ac ſi id præſtaret is, qui obijt: nam declarare valet, ſe hanc, aut illam quantitatem debere, mandareque hæredi, ad quem ſua bona ſunt peruentura, vt eam reſtituat operibus piis, aut componat nomine proprio per Bullas, aut cum Commiſſario: ſic enim ſuæ conſcientiæ ſatisfaciet moribundus, cui non vacat locus, aut facultas id immediatè per ſe præſtandi, ſicut in ſententia prædictorum ſatisfacit, mandans, Bullas compoſitionis accipi: & hæres aliundè non magis grauatur, ſi ſuo nomine, ac ſi nomine defuncti Bullas accipiat: nec magis timeri, aut ſperari de eo poteſt, quòd id ſuo nomine, quàm nomine alterius præſtet, cum ijdem ſint vtrobique ſumptus: & ad vtrumque poſſit per teſtamentarium compelli. At formaliter loquendo, iudico, non poſſe defunctum, antequam obeat, mandare, vt poſt ſuum obitum nomine ipſius Bullæ compoſitionis accipiantur. Moueor eadem ratione, qua *diſp.4.c.5.* aſſerui, Bullam communem viuorum defuncto, qui ea carebat, non prodeſſe, ſi pro eo ſumatur, ad vllum effectum, nempè vt abſoluatur ab excommunicatione, aut tempore interdicti in loco ſacro ſepeliatur: indidem recolatur, nam in præſenti pari militat efficacia, vt cuique perpendenti erit planum.

DISPVTATIO XXXIV.

De ſingulis caſibus in Bulla compoſitionis contentis.

Iam ad ſingulos caſus, in quibus Bulla compoſitionis & compoſitio cum Commiſſario (de vtroque enim eodem modo penitùs eſt philoſophandum) locum habet, accedamus. Eorum aliquos expreſſit Pontifex in Bulla Latina: cæteros ſub vniuerſali propoſitione incluſit, ibi: *Ac ſuper illicitè habitis necnon, &c.* Et rursùs: *Necnon ſuper malè ablatis, & per vſurariam prauitatem, aut aliter malè adquiſitis, ſi in omnibus præmiſſis caſibus, &c.* Exindè Commiſſarius generalis & eamdem propoſitionem vniuerſalem apponit in Bulla Hiſpana compoſitionis: & eoſdem caſus ſingulares, quos Pontifex, & alios ſub ea vniuerſali propoſitione contentos: quod præſtat, vt rem ampliùs declaret, Confeſſariique, ac viri docti indè ad alios caſus, ſi fortè occurrant, diſcurrere queant.

CAPVT I.

De caſu primo Bullæ compoſitionis. Vbi de vſuris, aliiſque quæſtibus illicitis.

1 Primvs caſus Bullæ Hiſpanæ continetur in verbis Bullæ Latinæ *nuper allatis in proœmio*: aſſeritur namque in ea: *Primeramente ſe puede componer ſobre lo mal ganado, y auido, ſobre lo mal lleuado, y adquirido por logros, vſuras, ò otra qualquier manera, no conſtando de los dueños, à quien ſe debe hazer la legitima reſtitucion, hecha la debida diligencia.* Hæc vltima verba manent *duplici diſp. præcedenti* expoſita, vbi explicauimus, plura, quæ ſunt communia omnibus, aut ferè omnibus caſibus ſequentibus: nempè bona debere eſſe incerti domini, & quænam hæc ſint, diligentiam priùs eſſe adhibendam ad inueſtigandum dominum, & quanta requiratur: & de iuramento, quod Pontifex in Bulla Latina exigit de diligentia eiuſmodi appoſita. Quare hæc omnia applicanda ſunt ſingulis caſibus, nec vlteriùs repetenda, ne actum agamus.

2 Igitur in hoc caſu, & in ſequentibus illud cum communi eſt annotandum, quòd licèt in ſuperiori clauſula Bullæ Latinæ addatur: *Præſtito per reſtituentem iuramento de diligentia per eum facta pro inueniendo creditore, & non inuento*: tamen hoc iuramentum ſolum eſſe neceſſarium, cum compoſitio fit cum Commiſſario generali: ſecùs, cum per Bullas compoſitionis: tunc enim ſat eſt, ſi quis in ſua conſcientia tutus ſit de ea diligentia præſtita: & hoc quidem confirmatur ex praxi Confeſſariorum qui id iuramentum non expoſcunt.

3 Deindè aduertendum eſt, hunc caſum videri coincidere cum vltimo, in quo aſſeritur: *Item generalmente ſe pueden componer de qualquier genero de hazienda ilicita, y malamente auida, mal ganada, y adquirida, aſſi por vſura, ò logro, como en otra qualquier forma, ò manera, oficio, ò trato, &c.* Poſſetque dici, claritatis maioris gratia, ad ſcrupuloſque omnino tollendos, idem fuiſſe repetitum. Nihilominùs ſic ego hos caſus condiſtinguo: quòd in vltimo detur regula generalis ad componendas quaſvis opes malè adquiſitas, ſiuè aliquo ex modis contentis in omnibus caſibus antecedentibus de quibus caſus vltimus facit aliquam mentionem ſpecialiter de primo, ibi: *Aſſi por vſura, ò logro*: quo relato, ad

cæteros ſequentes relationem facit: ſiuè alio modo, quicumque ſit: cum enim omnes modi adquirendi illicitè diuitias non potuerint facilè, & breuiter comprehendi, expreſſis modis communioribus per octodecim caſus, vltimus caſus omnes alios complectitur: exprimuntur autem plures modi, vt res clarior reddatur, & queant viri docti ex illis alios colligere. Cæterùm in hoc primo caſu, vt condiſtinguatur ab vltimo, nec ſit adeò generalis, intelligo illa verba: *Por logros, ò vſuras, ò de otra qualquier manera:* non de quovis alio modo generaliſſimè ſumpto: ſed de quovis alio modo, qui ſit ſimilis vtcumque vſurario. Quomodo ergo per vſuras, & alios quæſtus malè comparentur opes, quiſque ſit reſtituendi, exponamus, vt conſtet, quando locum habeat compoſitio.

4 Vſura eſt lucrum immediatè ex mutuo proueniens: lucrum ſcilicèt temporale pretio æſtimabile, & proueniens ex mutuo, tamquam debitum ſtrictum, cum debitum non ſit. Alia eſt mentalis, qua intenditur vi mutui aliquid obtineri, vt ex iuſtitia conferendum: alia realis, quà lucrum de facto recipitur, aut ex pacto deſignatur recipiendum. Rursùs alia eſt propria, quæ in mutui contractu intercedit: alia minùs propria, quæ in contractu venditionis, cùm præcisè ob anticipatam ſolutionem merces emuntur infra iuſtum pretium: aut plùs iuſto venduntur ob ſolutionem dilatam.

5 Vſura prohibita eſt in primis inter Catholicos, & declaratur in *Clement. vnic. de vſur.* Deinde iure diuino in teſtamento veteri, & nouo prohibetur, vt conſtat ex *cap. quia in omnibus, cap. ſuper eo, c. conſuluit, de vſur.* Demum etiam iure naturæ eſſe prohibitam, liquet ex eo, quòd nullis gentibus licitæ ſunt, aut fuerunt, vt videri poteſt *c. 1. & ſequent.* 14. *q.* 3. Vnde, ſi vſura permiſſa eſt lege ciuili, vt *l. 1. & 2. C. de vſur. & l. 2. C. de nautico fænore:* vel ob maiora mala vitanda, etiam ſi illicita ſit, id fuit præſtitum: vel ſaltem eæ leges per ius Canonicum fuere abrogatæ. Videantur P. Salas *tract. de vſur.* P. Layman *lib. 3. ſum. tract. 4. cap. 16.* & communiter alij.

6 Non eſt vſura, accipere aliquid, vltra mutuum, præſtitum ex gratitudine, quod tamen præſtandum non foret, ſi mutuum non interceſſiſſet. Ita Sotus *lib. 6. de iuſt. q. 1 art. 2. & 4.* P. Rebellus *2. p. lib. 8. q. 3. & 4.* & alij communiùs. Non item eſſe vſuram, exigere à mutuatario familiaritatem, aut amicitiam, tenent D. Thom. 2. 2. *q. 78. art 2.* Bañez *ibi,* cum aliquibus: aliis contrarium ſentientibus. Vſura tamen eſt, exigere ab illo remiſſionem iniuriæ, quam facere non tenebatur. Sic cùm communi Conrad. *de contract. quæſt. 37. concl. 2.* P. Molin. *diſp.* 307.

7 Nec eſt vſura, nolle mutuare, niſi ei, qui ſimile beneficium præſtare valet, aut præſtare offert: item non eſt vſura, mutuare, dum alius tuas ſcholas frequentat, aut quid ſimile, dum tamen hæc non exigantur, vt pretium mutui, ſed vt gratia, aut retributio pro beneficio. Ita P. Leſſius *de iuſtit. & iur. lib. 2. cap. 20. dub. 8. & 9.* & alij. Vſura verò erit, mutuare ſub conditiòne, quòd gabellas non ſoluas. Prætereà committitur vſura, ſi pactum fiat, vt mutuatarius partem mutui recipiat in aliquo, qui eam debet mutuanti, dum tamen ad recuperationem illius debiti neceſſaria ſit diligentia non compenſanda à mutuante: ea enim diligentia præſtatur à mutuatario vltra ſortem principalem: ſi verò mutuatarius, vt gratum ſe oſtendat, vult præſtare diligentias opportunas ad recuperationem debiti, non erit vſura. Sic P. Salas *tractat. de vſur. dub. 16. num. 6.* Si mutuum accepiſti ſub vſuris, & in alium ſub eiſdem illud transfers, non eris vſurarius, quia non mutuas ſub vſuris, ſed tuam obligationem in alium conſentientem deriuas. Ita Angel. *verb. Vſura 1. n. 22.* P. Saa *verb. Mutuum, in fin.*

8 Non interuenit vſura, ſi vendas merces in vno loco, cum pacto, vt ſoluantur in alio, ſi in ea ſolutione non grauetur emptor: ſecùs, ſi grauetur. Si mutues centum cum pacto, vt mutuatarius partem in mercibus recipiat, vſura eſt: vt docet cum communi Cardinalis Tolet. *lib. 5. ſumm. c. 30.* niſi tù petenti mutuum offeras merces, illeque ſponte accipiat. Vſura eſt, mutuare cum pacto, vt accipiens mutuum fideiuſſor ſit, ſic Salon 2. 2. *quæſt. 78. artic. 2. controu. 4.* & communis. Non autem eſt vſura, exigere à mutuatario fideiuſſorem pro mutuo, aut pignus, cum non adeſt omnimoda ſecuritas recuperandi poſteà mutuum, vt docet Aragon 2. 2. *quæſt. 78. art. 2. dub. 1. caſu* 3.

9 Vſurarius non eſt, qui mutuat pecuniam, aut merces cum pacto, vt in eadem ſpecie ſibi reddantur, ſi incertum ſit, tempore ſolutionis, augendum, aut minuendum fore pretium pecuniæ, aut mercium, cum in hoc nulla ſit inæqualitas: colligitur *ex l. vinum, ff. ſi certum petatur, cap. Nauigantium, de vſur.* Si verò augendum ſit pretium, poteſt mutuans exigere illud incrementum, cum non teneatur ratione mutui iacturam ſuorum bonorum facere: deductis tamen expenſis, ſi quæ faciendæ eſſent in conſeruatione mercium, vſque ad illud tempus: ſic Nauarra *lib. 3. de reſtit. 2. part. c. 2. dub. 5.* Quòd ſi quis non ſeruaturus eſſet merces, aut pecuniam vſque ad tempus, quo pretium eſt augendum, probabilius eſt, committi vſuram,

Digitized by Google

vſuram, ſi incrementum ex mutuo exigatur, ſic P.Layman *l.3.ſum.ſect.5.tract.4.c.16.à n.*14. Probabile tamen eſt oppoſitum. Poteſt triticum vetus mutuari cum pacto,vt nouum reddatur,ſi non conſtet, nouum plus valiturum. Rursùs etiam ſi ſcis, valorem pecuniæ, aut mercium fore minuendum, potes, dum mutuas, exigere,vt reddatur tibi valor æqualis mutuo,non enim quid vltra ſortem poſtulas.Ita P.Salas *tr. de vſur. dub.24. & 25.in fin. vtriuſque.*

10 Adhuc vſura non eſt, obligare mutuatarium, vt aliquod aliud debitum tibi ex iuſtitia ſoluat: vt docet Caietan. *in ſum. verb. Vſura exterior. caſu* 2. Imò nec exigere à mutuatario, vt præſtet id, quod ex charitate debet, erit vſura, cum potiùs in mutuatarij, quam in mutuantis commodum hoc cedat: ita Ioan. Medina *q.4. de vſuris*, §. *iam patet*, Leſſius, & aliqui alij. Quin obligare illum, vt præſtet, quæ ex gratitudine debet, probabiliter docuerunt nonnulli,vſuram non eſſe,vt Couarruuias 3. *variar.cap.*1. Almainus, Maior,& alij;verius tamen eſt oppoſitum, cum D.Thom.2.2.*q.*78 *art.*2. *ad* 2. & communi.

11 Ratione lucri ceſſantis, quod mutuans eſſet comparaturus,poteſt abſque vſura aliquid vltra ſortem exigere, vt contra Scotum tenet communis. Item ratione damni emergentis ex mutuo, vt aduerſus aliquos antiquiores docent ferè omnes Authores.Quod tamen manifeſtandum eſt mutuatario, dum mutuum accipit, fortè namque id onus recuſabit: ita P. Rebellus 2. *part libe.* 8. *à q.* 5. Debetque lucrum, ſeu damnum quaſi certò, aut ſaltem probabiliter eſſe conſtans, vt docet Gutierrez *de iuram.*1.*p.c.*2.*n.*4. Nec exigi poteſt, quantum eſſet obtinendum in lucro ceſſante, ſed quantum æſtimatur ſpes lucri, ſic P. Molina *de iuſt.d.*316.§.*Hinc iam.* Apud quem, & alios *ſuprà* adductos plura inuenientur huc concernentia. Poteſt etiam imponi mutuatario conſentienti pœna, quam ſoluat, ſi tempore præſcripto non reddat mutuum, quamvis non intercedat lucrum ceſſans, aut damnum emergens: nam tunc ipſe mutuatarius ſibi ipſi imponere pœnam cenſetur, ad cuius ſolutionem ſe obligare valet. Sic Gloſſa *in cap. conqueſtus ad fin. de vſur.* Panormitan. & Innocent. *in cap. ſuam, de pœnis.* Non decet tamen apponi pœna in fraudem vſuræ, ita vt potiùs attendatur ad lucrum adquirendum, quàm ad potentiam ſoluendi tempore præſcripto: Gloſſa *in cap. quæcumque* 25. *q.* 2. Aliæ conditiones ad hoc vt licitè ea pæna apponatur, videantur apud P. Salas *de vſur.dub* 21.Leſſium *l.*2.*c.*20.*dub.*15. & alios *vbi ſuperiùs.*

12 Ob periculum recuperandi mutui, aut pretij poteſt aliquid vltra ſortem exigi, aut res cariùs vendi, quia non eſt obligatio ſubeundi gratis illud periculum, aut difficultatem Ita P.Saa *verb.Venditio,n.*3. Aragon 2.2. *q.*77.*ar.*4.Cordou.*in ſum.q.*84. Molina Valentia, Leſſius, aliique plures. Etiam poteſt quis aliquid vltra ſortem accipere, ſi ſortis mutuatæ ſecuritatem periculoſam in ſe ſuſcipiat,dum mutuat: vt ſi det mutuum eunti ad nundinas,vel nauiganti:nam mutuatariùs tenebatur reddere ſortem ſecuram,& dum deobligatur ab hoc & ſpontaneus,non ex vi mutui,init huiuſmodi pactum, iuſtè ſoluere exigitur aliquid vltra ſortem. Ita cum aliis P. Layman *lib.*3.*ſum.ſect.*5.*tr.*4.*c.*16.*n.*13. Vnde non ob hoc damnatur,vt vſurarius *in c. nauiganti, de vſuris*, qui aliquid vltra ſortem recipit, ſed quia, vel quia Pontifex loquitur de præſumptione fori externi, vel quia mutuans obligauit ex vi mutui mutuatarium ad reddendum aliquid vltra ſortem, & voluit in ſe ſuſcipere periculum ſecuritatis, vt docet Couarruu. 3.*variar.cap.*2.& communiter Doctores.

13 Fructus pignoris pro mutui ſecuritate præſtiti nequit ſibi percipere mutuans, niſi ratione damni emergentis, aut lucri ceſſantis: eſſet enim perceptio vſuraria, vtporè vltra ſortem: *cap. conqueſtus, de vſur. cap. cum contra, de pignor.lib.*1. *&* 2. *C. de pignoratitia actione.* Gener, qui à patre ſuæ vxoris pignus dotale percepit, fructus pignoris abſque vſura capere valet, *cap. ſalubriter, de vſur.* quia non ratione mutui id recipit vltra ſortem dotis, ſed ob alias rationes, de quibus controuertunt inter ſe Authores: Videantur Nauarrus *comment.de vſur.num.*71. Lopez 2.*part.inſtruct.c.*60. P. Molina *diſput.*321. Medina *C. de reſtit. de rebus per vſuram adquiſitis*, *q.* 2. Couarruu *lib.* 3. *variar. cap.*1. Sotus *lib.*6.*de iuſtit.q.* 1. *artic.* 2. *ad vltim.* At diſſoluto matrimonio nequit ille fructus pignoris dotalis percipere: Sic P. Salas *tract.de vſur.dub.*30.*à num.*5. Ipſa verò vxor, mortuo marito, poterit fructus pignoris dotalis abſque vſura percipere:nam ſuſtentatio vxoris tempore viduitatis ad onera matrimonij pertinet, & dos ſuſtentationi deſignatur,quare,dote non præſtita, vxor licitè ex pignore fructus capit. Ita Emanuel Rodri.1. *p.ſum.c.*97.*n.*5. Mercatus *de vſur. c.* 4. P. Saa *verb. Dos,n.*18.

14 Mortuo marito, poteſt vxor, dum ſua ei dos ſoluitur, percipere quantitatem aliquam ex bonis mariti abſque vſura, quia non recipitur ob expectatam dotis ſolutionem; ſed ob vitandas lites, quæ tunc emergere ſolent ex lucro ceſſante, ſeu damno emergente, & aliis huiuſmodi, licitè

Reſpublica

Digitized by Google

Reſpublica deſignat quantitatem ſoluendam viduæ. Sic Bañez 2. 2. *q.* 78. *artic.* 2. *ad fin.* & alij. Quoties dominus feudi dedit mutuum feudatario, & in pignus accipit rem, in qua eſt feudum, abſque vſura vltra ſortem percipere valet fructus illius, *c.* 1. *de feudo, c. conqueſtus, de vſur.* Quam eſſe conſuetudinem introductam in contractu feudali, aſſerunt aliqui: ſed de hoc, & de conditionibus, ac circunſtantiis huius euentus vide P. Molin. *d.* 323. P. Salas *de vſur. dub.* 31. Idem aſſerendum eſt de pignore emphyteutico: vt tenet communis: imò de pignore vſufructuario, vſuario, & conductitio idem docuit cum aliquibus Vega, *verb. Vſura, caſu* 56. quod eſt probabile, ſed probabilius oppoſitum.

15 Pactum legis commiſſoriæ in emptione, & venditione non eſt vſurarium, *leg.* 1. *ff. de lege commiſſoria:* vt ſi in eo contractu præfigatur, hoc ipſo, quòd non ſoluatur tali tempore pretium, rem non intelligi venditam. Vſurarium autem eſt in pignore pro mutuo, vt, ſi non ſoluatur tali tempore mutuum, maneat pignus apud mutuantem: ſolet enim communiter plus valere pignus, quàm ſors mutui: *cap. ſignificaſti, de pignor. leg.* 1. *& vltim. Cod. de pactis pignorat. lege regia* 41. *titul.* 11. Poteſt autem pactum iniri, vt pignus iuſto pretio tempore præfixo, vendatur, non ſoluto mutuo. Cæterùm non eſſe pactum vſurarium, ſi fideiuſſori pignus tradatur ea lege, vt penes ipſum maneat omnino, vt ſoluat, ſi mutuatarius, aut debitor præſcripto tempore non ſoluerit, docet Couarruu. 3. *variar. cap.* 2. *num.* 7. ſed ſanè eadem in fideiuſſore, ac in creditore ratio militat, ideoque veriùs oppoſitum docet P. Vazquez, *opuſcul. de pignor. cap.* 4. *num.* 10.

16 Montes pietatis vſurarij non ſunt, vt omnes Authores fatentur, apud quos paſſim reperies, quomodo ab vſuræ labe excuſentur. Conſulens, aut ſuadens vſuras, tenetur reſtituere: ita Sotus *lib.* 6. *de iuſtit. quæſt.* 1. *artic.* 4. PP. Molina Salas, & alij plures: ſed non eſt improbabile oppoſitum, quod tenet Sylueſt. *verb. Vſura* 7. *q.* 2. Cardinalis Tolet. *in ſumm. lib.* 5. *cap.* 6. & ob authoritatem extrinſecam eſt probabile. Mutuans, aut pecunias deponens, vt alius vſuras præſtet, non tenetur reſtituere: ita Leſſius *de iuſtit. lib.* 2. *c.* 20. *dub.* 21. *in fin.* Tenentur verò reſtituere iudices, aduocati, domini temporales, qui ſuo patrocinio, præcepto, aut ſtatuto ſunt cauſæ, vt vſuræ committantur, aut non reſtituantur: *Clementin. ex graui, de vſur. cap.* 1. *de vſur. in* 6. Excuſabuntur autem domini, ſi intercedat bonum publicum, & grauis neceſſitas Reipublicæ: vt docet P. Azor, *lib.* 8. *inſtitut. c.* 22. *q.* 13. *dub.* 3. Præstereà tenentur reſtituere tabelliones conficientes inſtrumentum expreſſum, aut palliatum, vi cuius exigi poſſint vſuræ; etiam in loco, vbi permittuntur. Idemque tenendum eſt de teſtibus eius inſtrumenti. Amanuenſem verò, qui inſtrumentum exarat, quia parum, vel nihil cooperatur ad exactionem vſurarum, probabile eſt, non teneri ad reſtitutionem, vt tuetur Sotus *lib.* 6. *de iuſtit. quæſt.* 1. *artic.* 4. *in fin.*

17 Qui nomine alteriùs, vt actor, fœneratur, & reſtituere debet, in principalis domini non reſtituentis defectum, vtpotè cauſa exactionis fœnoris, ſeu vſuræ. Ita communis. Famulos iuſſu dominorum deferentes, aut exigentes vſuras non teneri ad reſtitutionem, eſt probabile: docet Tabiena *verbo Vſura* 7. *quæſt.* 5. & alij. Certum autem, non teneri cuſtodem pecuniæ vſurariæ, qui nullo modo eſt cauſa exactionis illius. Sæpéque cooperatores vſurarum excuſantur à reſtitutione, quia ignorant, contractum eſſe vſurarium; vel quia mutuatarius non vult eis præfatam reſtituendi obligationem imponere, eo quòd nullum ex vſura commodum perceperunt. Plura alia de vſuris diſcuſſa videantur apud Me *in ſtatera opinionum benignarum, diſſertat.* 6. *ex num.* 39.

18 Redegi in epilogum, quæ mihi veriora apud Authores circa vſuras videntur, vt indè conſtet, quando locum habeat Bulla compoſitionis. Etenim vſurarius tenetur reſtituere vſuras, & lucrum ceſſans, ac damnum emergens ex earum perceptione: in caſibus igitur, in quibus interuenit vſura, & in quibus cooperatores ad reſtitutionem tenentur, dum concurrant conditiones *in ſuperioribus* expoſitæ, vt incertitudo domini, & aliæ declaratæ, poteſt debitum per Bullas componi.

19 In Bulla vulgari compoſitionis, vt conſtat ex *num.* 1. aſſeritur, poſſe componi bona malè adquiſita *Por logros, ò vſuras:* Vbi nota nomen *Vſura*, poſſe ſumi in ſignificatione latiori comprehendente quemcumque quæſtum illicitum prouenientem ex mutuo pecuniæ, aut cuiuſvis mercis, vel fructuum terræ: & prætereà prout extenditur ad vſuram propriam, & minùs propriam, de qua *num.* 4. Item ſumi poteſt in acceptione ſtrictiori ſolùm comprehendente quæſtum illicitum reſultantem ex mutuo pecuniæ, aut ſolummodò ſe extendente ad vſuram propriam. Quo ſenſu accipi iudico, in verbis Bullæ præfatis, vt condiſtinguatur ab alio quæſtu nuncupato vulgariter *Logro*, vel *renueuo*, qui ex mutuo fructuum terræ prouenit, vel ex vſura minùs

propria

Digitized by Google

propria reſultat. Sic Latina vox *Fænus*, etſi pro quæſtu ex quovis mutuo proueniente interdum accipiatur, ſtrictiùs verò ſumitur pro quæſtu ex fundo, aut fundi fructibus ratione mutui percepto. Hac diſtinctione appoſita, intelligitur, quo pacto nõ idem repetatur in ea duplici voce Bullæ Hiſpanæ, quæ ad maiorem claritatem fuit adiuncta.

20 Additur in hoc primo caſu, poſſe componi bona illicitè obtenta *Por otra qualquier manera*, quæ verba expoſui *n.3.* intelligenda eſſe de quocumque modo ſimilitudinem habente cum vſura, aut fœnore in quolibet contractu, in quo fraudes, ſeu quæſtus illiciti intercedant. Sed quod maximè vſuræ aſſimilatur eſt *mohatra*, palliatam vſuram continens, ſcilicèt quis indigus pecuniæ emit ab inſtitore merces creditò, & illicò ipſas eidem vendit viliori pretio, & numerata pecunia, remanetque debitor ſoluendi quantitatem illam quæ, dum ipſe emit, in pactum eſt deducta. Quippè in hoc contractu realiter mutuum præſtatur ab inſtitore, & maior quantitas illi eſt reddenda ratione mutui: ſolumque quædam fictio emptionis, ac venditionis interceſſit Id ergo, quod inſtitor accipit vltrà ſortem pecuniæ, quam ipſe præſtitit, tenetur reſtituere: & poterit per Bullas componi, dum cætera requiſita ad eam compoſitionem adſint, de quibus *diſput. praecedenti.*

21 Obſeruandum verò eſt, ſi mercator bona fide, ac iuſto pretio, inſcius animi emptoris, omnique amota fraude, vendat creditò merces: & poſteà eas emat, vt quivis alius emere poſſet, non tamen infra pretium iuſtum, etſi viliùs, quàm ipſe vendiderat, non teneri ad reſtitutionem, quia non eſt contractus illicitus: ita Caietanus, Angelus, Nauarrus, P. Molin. & Leſſius, quos refert, & ſequitur Villalob. *2. p. tract. 21. diffi. 19.* Intercedit etiam vſura palliata in alio emptionis, ac venditionis genere: nempe non habet quis aliquas merces, ſeu fructus, & diſſimulat ſe habere, ac quaſi in ſuo dominio exiſtentes vendit creditò alteri, qui obligatur, eos ſoluere præfixo tempore & vendens illicò ipſos fructus; aut merces emit ab emptore viliori pretio, numerata pecunia; tunc enim reipſa mutuat eam pecuniam, & ratione illius præſtitæ de facto, poſteà maiorem quantitatem recipit: vnde reſtituere tenetur: poteritque per Bullas componi, ſi dominus ſit incertus, cæteræque circunſtantiæ concurrant. Facile erit, ex dictis in aliis caſibus philoſophari.

CAPVT II.

De caſu ſecundo Bullæ compoſitionis. Vbi de reſtitutione ob defectum recitationis Officij Canonici, & parui Beatæ Mariæ.

22 SEcundus caſus in Bulla Hiſpana compoſitionis contentus eſt: *Iten ſe puede componer ſobre los fruto de los beneficios, y otras rentas Eccleſiaſticas, mal auidas, y lleuadas por defecto de no auer rezado las Horas Canonicas: con que demas, y aliende de los dos reales, que ſe han de dar en liſmoſna por la compoſicion de los dichos dos mil marauedis, aya de dar la perſona, que aſſi ſe compuſiere de los dichos frutos, otros dos reales à la fabrica de la Igleſia, donde fuere el tal Beneficio, porque hiziere la compoſition, y al miſmo reſpecto de lo que mas ſe compuſiere, y por la orden ſuſodicha, y declarada.* In Bulla verò Latina ſic extat: *Item etiam datur facultas eidem Commiſſario componendi cum eis, qui ad reſtitutionem fructuum ex omiſſione Horarum Canonicarum tenentur; ita vt quantitas compoſitionis pro medietate Eccleſiis, vel aliis locis, quarum, vel quorum ratione Horas prædictas recitare, debent, & pro altera medietate in ſubuentionem huius negotij detur.* Variis ex capitibus poteſt teneri ad reſtitutionem is, qui redditus poſſidet Eccleſiaſticos, ſed in præſenti caſu dumtaxàt eſt ſermo de reſtitutione debita ob defectum recitandi; concediturque bona reſtituenda poſſe per Bullas componi, ita tamen, vt fabricæ Eccleſiæ, ad quam redditus Eccleſiaſtici pertinent, tot drachmæ perſoluantur, quot ipſi Cruciatæ; quare, ſi vnica Bulla compoſitionis accipiatur, duplex drachma fabricæ præſtetur; ſi duplex Bulla, quatuor drachmæ tradantur, & ſic deinceps reſpectiuè. In quo Pontifex attendit ad Eccleſiarum emolumentũ, ne omnibus priuentur redditibus, quos ab ipſis illicitè percipiunt Eccleſiaſtici; & quidem Pontifex, vt Adminiſtrator ſupremus bonorum Eccleſiæ, poteſt ea componere, partimque remittere, ob damna vitanda; & ſubſidium Cruciatæ adaugendum Eæ autem drachmæ, quæ fabricæ Eccleſiæ ſunt tradendæ, debent eſſe argenteæ aut æqualis valoris, quod apertè oſtenditur illis verbis, *otros dos reales*, quæ in eadem acceptione manifeſtè ſumuntur, ac duæ drachmæ pro Bulla compoſitionis erogandæ, nempè argenteæ, de quibus paulò ante mentio facta fuerat, & ad quas appellant eæ voces, *otros dos reales*: Et ſic praxis indubitata confirmat, omneſque Bullæ Expoſitores ſupponunt. Cæterùm, vt conſtet, quando compoſitio fieri poſſit ob defectum recitationis, quænam ob id quantitas debeat reſtitui, & quomodo id ad praxim

Digitized by Google

praxim ſit reducendum; vtile erit, breuiter rem totam præſtringere. Supponendumque eſt, præter obligationem reſtitutionis, interuenire peccatum lethale, dum quis redditibus gaudens Eccleſiaſticis, non recitat, ſi illi accedant ad tertiam partem ſuſtentationis neceſſariæ reſpectu hominis moderatè viuentis. Quare Doctores aliqui Salmanticenſes iudicarunt, non eſſe quem obligatum ad recitandum, (ſi initiatus non ſit ſacris,) dum redditus Eccleſiaſtici, quibus fruitur, non acceſſerint ad tertiam partem centum ducatorum; eo quòd moderatiſſimè viuens centum ducatis in ſingulos annos ad ſui ſuſtentationem, ac domeſticas, perſonaleſque neceſſitates indigeat; vnde reſtituere non tenebitur, nec peccabit non recitans, ſi eius Eccleſiaſtici redditus ad eam quantitatem non pertingant.

23 Iudicauit Trullench *in expoſit. Bull. lib.* 3. *caſu* 2. *n.*1. minus probabilem eſſe opinionem aſſerentem, opus eſſe ad obligationem recitandi, vt redditus Eccleſiaſtici ſatis ſint ad tertiam, aut quartam partem ſuſtentationis. Sed equidem probabiliſſima mihi hæc ſententia videtur, quam docuit Aragon 2.2. *q.*83. *art.*12. Malderus *in* 2.2. *tract.*10. *cap.*2. *dub.*3. quippè valde durum eſt, vt propter minores redditus teneatur quis recitare; maximè cum redditus, etiam in præſtimoniis, ac Beneficiis nullo alio onere grauatis, non correſpondeant adæquatè recitationi, ſed ſolùm tertia pars illorum, vt illicò dicemus de reſtitutione. Habeat ergo quis duodecim ſolùm ducata in ſingulos quoque annos prouenientia ex Beneficio; cui non videatur abſonum, propter quatuor ducata, quæ ſunt tertia pars, & quæ dumtaxàt eſſent reſtituenda à non recitante, etiam ſi obligatus eſſet ad recitandum, imponi ab Eccleſia onus recitandi toto integro anno.

24 Igitur à tempore, quo quis incipit per collationem aut inſtitutionem habere ius in re ſeu in Beneficio, tenetur ſub lethali recitare officium diuinum, vel à tempore poſſeſſionis malitiosè non dilatæ, vt aliqui probabiliter tuentur; primis autem ſex menſibus non recitans, peccat quidem, ſed reſtituere non tenetur; poſt ſex verò menſes ad reſtitutionem obligatur, vt diſpoſuit Concilium Lateranenſe ſub Leone X. §. *ſtatuimus*; & confirmauit Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Ex proximo Lateranenſi*; vbi decernit, omittentem totum officium diei teneri ad reſtitutionem omnium fructuum correſpondentium illi diei; omittentem autem Matutinum, ad reſtitutionem dimidiæ partis; & ad alteram dimidiam partem teneri omittentem cæteras Horas minores ſimul; & demum ad ſextam partem pro qualibet ex his Horis ſeorſim omiſſis. Cæterùm, cum ait Pontifex, reſtituendos fructus correſpondentes illi diei, intelligi debet, correſpondentes pro recitatione officij diuini, & cum non omnes fructus recitationi correſpondeant, non omnes abſolutè debent reſtitui; ſicque; & non aliter Bullam Pij V. fuiſſe acceptam; docet cum P. Henriquez, P. Thomas Sanchez *lib.*2. *cap.*2. *dub.*84. *in tom.*1. *Conſilior. moral.*

25 Ibidem ergo Thom. Sanch. & P. Henriquez *lib.*13. *de excomm. c.*13. *n.*2. *in gloſſ. littera V, & Z.* tenent, Epiſcopum non recitantem teneri ad reſtitutionem quintæ partis fructuum; Canonicum verò, & Parochum ad reſtituendam quartam partem, cæteros verò beneficiarios, etiam ſimplicia beneficia, præſtimonia, capellanias, aut penſiones obtinentes, ad tertiam partem: nam reliquas partes fructuum iure ſibi reſeruare queunt ob onera beneficiorum, aut dignitatum, & ob titulum, ob quem ea poſſident; & vbi deficiunt onera, titulus ſufficit ad retinendam partem deſignatam. Huius ſententiæ fuit Medina relatus à Thom. Sanch. quò ad primam, & ſecundam partem, licèt circa beneficia ſimplicia, & præſtimonia diſſenſerit.

26 Obſeruandum tamen eſt, aliquos eſſe Canonicos quarumdam Eccleſiarum Collegiatarum, qui nullo onere aſſiſtendi Choro grauantur, vt in Principatu Aſturico in Eccleſia Collegiata de Couadonga ob inopiam redditium, & paucitatem Canonicorum non celebrantur Officia diuina vt ſolent in aliis Eccleſiis Collegiatis; & item aliquas eſſe Dignitates, quæ nulli ſubiacēt oneri; hos autem, iudicauerim, ſi non recitent, ſolam tertiam partem fructuum poſſe ſibi reſeruare, non ſecùs ac eos, qui beneficia ſimplicia habent, cum eadem militet in vtriſque ratio, & non ſuperſit titulus reſeruandi ſibi maiorem partem fructuum, deficientibus oneribus. Qui fruuntur aliqua penſione Eccleſiaſtica, dummodò ad tertiam partem moderatæ ſuſtentationis in redditus annuos accedat, tenentur recitare Officium paruum B. Mariæ, & reſtituere, ſi non recitent, tertiam partem; quæ obligatio exprimitur in Bulla prædicta Pij V. Qui autem bona fide inculpatè recitationem omiſit, reſtituere non tenetur, quia non obligatur ad pœnam, qui non ligatur à culpa; Ita P. Th. Sanch. *vbi ſuprà dub.*86. cum Nauarro.

27 Iam igitur pars reſtituenda ob defectum recitationis debetur fabricæ Eccleſiæ, vel pauperibus, vt cum aliis docet ipſe Sanchez *dub.* 87. quare ait, compoſitionem eiuſmodi bonorum, quæ reſtitui debent, poſſe fieri cum Pontifice, aut eius Nuntio, ſi ad id facultatem habeat; quippè Pontifex eſt admini-

Digitized by Google

adminiſtrator bonorum Eccleſiæ, ac pauperum. Hinc fit, poſſe componi ea bona per Bullas ab ipſo Pontifice conceſſas, qualis eſt Bulla compoſitionis. Ad praxim autem, inſpiciendum eſt, quot diebus quis omiſerit recitationem, quanti æſtimentur eius redditus annui Eccleſiaſtici; quæ ſumma cuilibet diei correſpondeat; & ex ea ſumma ſeparanda eſt pars, quæ iuxta dicta debetur, eaque componenda per Bullas. Verbi gratia, omiſit quis integro anno Officium diuinum, & eius redditus annui ex beneficio ſimplici ſunt trecenta ducata, debet reſtituere centum, quia ſunt tertia pars; vt verò ea componat, accipere debet nouemdecim Bullas, erogans Cruciatæ triginta octo drachmas argenteas, & totidem fabricæ Eccleſiæ, in qua eſt ſitum beneficium: ſicque tota ea quantitas debita componitur, & immunis à reſtitutionis obligatione manet. Hinc proportione ſeruata ad alios caſus norma ſumatur; quippè ſi ille eſſet Canonicus, aut parochus, minus reſtituere teneretur, vt diximus.

28 Quamvis Bulla compoſitionis non faciat mentionem de bonis, quæ reſtitui debent à penſionariis ob defectum recitationis Officij parui B.Mariæ, ſolúmque aſſerat, poſſe componi eos, qui non perſoluerunt Officium diuinum; attamen in hac conceſſione includi etiam compoſitionem ob omiſſum Officium parvum praxis communis interpretatur, & mihi eſt certum. Moueor primò, quia in maiori videtur incluſum minus; vnde conceſſa compoſitione pro omiſſione Officij diuini maioris, cenſetur conceſſa pro omiſſione officij minoris, ſeu parui. Secundò: nam qui ad Officium parvum recitandum tenetur, ſuæ obligationi ſatisfaciet, ſi Officium maius Canonicum perſoluat: da ergo, eum elegiſſe recitationem huius Officij, aut voto ſe obſtrinxiſſe ad illud recitandum pro penſione, tunc poterit componi debitum contractum ob omiſſionem recitationis: ergo abſolutè poteſt componi debitum pro omiſſione Officij parui Beatæ Mariæ. Demùm etiam ſi in hoc caſu ſecundo Bullæ non contineatur conceſſio pro componendis debitis bonis ex defectu recitandi Officium parvum, attamen in generali continetur conceſſione huius ipſius Bullæ, per quam bona debita pauperibus, ſeu quæ debentur incertis dominis, indeque pauperibus applicantur, componi indulgetur.

29 Quando plura quis poſſidet beneficia in diuerſis Eccleſiis, tum reſtitutio, ſi integrè fiat fabricæ, tum illæ drachmæ fabricæ concedendæ, ſi per Bullas fiat compoſitio, debent præſtari partitim inter fabricas, attentis redditibus vniuſcuiuſque beneficij, ita vt proportio ſeruetur, pluſque præſtetur fabricæ Eccleſiæ, in qua beneficium plures redditus habet. Si verò reſtitutio ſit facienda ratione omiſſionis Officij debiti propter penſionem, præſtabitur fabricæ Eccleſiæ, in qua ſitum eſt beneficium, Dignitas, aut Canonicatus, ſupra quos penſio eſt. Si verò penſio ſit ſupra ipſos Epiſcopi redditus, cenſeo, poſſe fieri vel Eccleſiæ Matrici reſtitutionem, vel cuivis alij, in qua Epiſcopus redditus Eccleſiaſticos habeat, ex quibus poſſit eiuſmodi penſio ſolui; In hoc enim euentu non deſignatur Eccleſia à Pontifice, aut à Commiſſario. Si verò redditus Eccleſiaſtici non ad Eccleſiam, ſed ad alium locum pium expectent, vt puta eremitorium, xenodochium, Capellam, confraternitatem ei loco eſt reſtitutio facienda & medietas compoſitionis applicanda, vt manifeſtè exprimitur in Bulla Latina, verbis allatis *initio capitis*; & licèt in Bulla Hiſpana breuitatis ergo ſolummodò Eccleſia exprimatur: at nomine Eccleſiæ omnia ea loca ſolere comprehendi in acceptione communi, ſæpè *in ſuperioribus* repetiuimus.

30 Diana *tract.* 12. *de Horis Canonic. reſol.* 26. afferens pro ſe Filliucium, docet, non eſſe obligationem reſtituendi pro omiſſione minori, quàm vnius Horæ Canonicæ integræ, etiam ſi omiſſio illius ſit peccatum graue, & fructus reſpondentes illi parti omiſſæ ſint magnæ, ac notabilis quantitatis. Deindè tenet cum Petro Moneta *tract. de diſtribut. p.* 2. *cap.* 3. *n.* 22. nec eſſe obligatum reſtituere eum, qui ex qualibet Hora paucos verſiculos omiſit, licèt ſimul ſumpti notabilem materiam conſtituant; quod non improbabile cenſuit Bonacina *tract. de Horis Canonic. diſp.* 1. *q.* 5. *punct.* 2. *n.* 15. Mouetur, quia leges Eccleſiaſticæ iniungentes reſtitutionem loquuntur de omiſſione Horarum integrarum, ideóque deſignant partem reſtituendam pro ſingulis Horis. Idem tenet Bonartius *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 11.

31 Veriùs tamen mihi eſt oppoſitum, quod ex P.Suario docet Reginaldus *lib.* 30. *tract.* 3. *cap.* 4. *num.* 44. Caſtro Palao *tom.* 2. *diſp.* 2. *punct.* 7. *num.* 5. Etenim, qui omittit aliquid in recitatione, malè, ac abſque titulo accipit fructus correſpondentes parti omiſſæ; quo enim titulo, aut iure eos facit ſuos? Sed eſt obligatio reſtituendi id, quod malè, & abſque titulo accipitur, vt eſt manifeſtum, ergo eſt obligatio reſtituendi fructus correſpondentes illi parti Horarum omiſſæ. Nec probat quidquam aduerſariorum fundamentum: nam leges Eccleſiaſticæ in primis abſolutè iniungunt obligationem reſtituendi fructus ob omiſſionem Horarum; deindè, vt dignoſceretur, quæ pars correſpon

Digitized by Google

correſponderet cuilibet Horæ, & proportio ſeruaretur deſignant, quotâ pars reſtitutionis pro ſingulis Horis ſit præſtanda; nec oportebat deſcendere ad deſignandam partem correſpondentem omiſſioni partis vnius Horæ, tum quia ſemel poſito, quænam pars toti Horæ correſpondeat, in quo aliquod poſſet eſſe dubium; facilè cuivis eſſet, deſignare portionem reſpondentem omiſſioni illius partis Horæ iuxta eius quantitatem; tum quia, cum in qualibet Hora ſint plurimæ partes, non poterat à Legibus determinari, quanta pars eſſet reſtituenda, ſi quidem maxima, maior, minor, aut minima pars valeret omitti. Non tamen negant eæ leges, deberi præfatam reſtitutionem, quin potiùs eam iniungunt in obligatione abſoluta generali, quàm imponunt; ex qua noſtra reſolutio confirmatur.

CAPVT III.

Reſoluuntur aliqui caſus circa compoſitionem redditunm Eccleſiaſticorum per Bullas.

32 QVamvis hæc attineant ad vltimam conceſſionem Bullæ compoſitionis, in qua generaliter indulgetur, poſſe componi bona incerta, ac malè parta, quæ expreſſa non ſunt in caſibus antecedentibus ſpecialibus; vt non ſunt expreſſa ea, de quibus nunc agemus; tamen, quia *cap. præcedenti* de compoſitione aliquorum redditũum Eccleſiaſticorum egimus, meritò ei annectimus, quid de aliis bonis Eccleſiaſticis ſit tenendum.

33 Cum Eccleſiaſticus non intereſt Eccleſiæ, tenetur non percipere, aut, ſi percepit, reſtituere diſtributiones quotidianas, nec poteſt de illis per Bullas componi, quia illæ non debentur pauperibus; aut fabricæ Eccleſiæ, ſed cæteris intereſſentibus; *cap. vnico de clericis non reſident in 6.* Tridentinum *ſeſſ.24. de reformat. cap.12.* ibi: *Diſtributiones verò, qui ſtatis horis interfuerint, recipiant: reliqui, quavis colluſione, aut remiſſione excluſa, his careant.* Quare communis expoſitorum tenet, has diſtributiones non poſſe per Bullas componi. Videantur P. Henriquez *lib.7. de indulgentiis cap.36.n.3.* & Authores citati ab ipſo *in gloſſ. littera S.* Trullench *in Bull. lib.3. caſ.2. n.5.* Cæterùm aliquæ cauſæ ſunt, propter quas etiam non intereſſentes poſſunt diſtributiones quotidianas lucrari, vt infirmitas, aut alia iuſta ratio, ob quam Eccleſia ipſa eos præſentes faciat. Quòd ſi quis aſſiſtat choro, etiam ſi non recitet, aut cantet Horas, poteſt lucrari diſtributiones; vt docet P.Thom. Sanch. *lib.1. conſil. mor. c.2. dub. 88.* apud quem plura de his inuenies.

34 Rursùs Epiſcopus, & Parochus in ſuis Eccleſiis ſub mortali culpa, & ſub aliis pœnis tenentur reſidere; *cap. 2. cap. conquerente, de Clericis non reſidentib.* Tridentinum *ſeſſ.23. de reformat. cap.1.* Vbi cauſas exponit, propter quas ab Eccleſiis abeſſe poſſunt; & deſignat tempus, quo valent ab eis abſcedere, quando nulla eſt cauſa ex illis. Si verò non reſideant, non faciunt fructus ſuos; ſed hi fabricæ Eccleſiæ, aut pauperibus ſunt erogandi; nec queunt per Bullas componi; prohibetur enim hoc expreſsè in Tridentino loco relato, ibi: *Prohibita quacumque conuentione, vel compoſitione, quæ pro fructibus malè perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur; non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis cuicumque Collegio, aut fabricæ conceſſis.* Nec per Bullam Cruciatæ huic prohibitioni derogatur, cum diſpoſitionibus Tridentini, vt variis locis attigimus, nullatenùs intenderit Pontifex in Bulla obſiſtere, & aliàs per Tridentinum quæcumque priuilegia remoueantur. Vnde omnes Authores affirmant, non poſſe fieri compoſitionem prædictorum fructuum per Bullas. Ita P. Henriquez *vbi ſuprà:* Nauarr. Ludouic. à Cruce, Lopez, Rodriguez, quos refert, & ſequitur Trullench *vbi ſuperiùs num.6.*

35 Vbi benè cum Sayro notat, poſſe per Bullas fieri compoſitionem ab habentibus alia beneficia non curata ſuper fructibus, quos non reſidentes perceperunt. Etenim non prohibetur hæc compoſitio à Tridentino, quod dumtaxàt loquitur de Epiſcopis, & de habentibus beneficia, quibus cura animarum eſt annexa: aliundè illi fructus debentur Eccleſiæ, aut pauperibus, bonaque ſic debita queunt per Bullas componi, dum aliqua ſpecialis prohibitio nō obſtat: igitur poſſunt ij fructus per Bullas componi. Et, quamvis Trullench ſolùm agat de fructibus beneficiorum ſimplicium; ego tamen id extendi ad omnia beneficia non curata, vt Canonicatus, Capellaniæ, & alia ad quorum fructus licitè percipiendos reſidentia requiritur; ſi aliunde fructus non reſidentium non accreſcant aliis reſidentibus: tunc enim compoſitio nequibit præſtari, vt de diſtributionibus quotidianis dicebamus *n.33.* In aliis verò caſibus, in quibus non facta ſit aliis fructuum applicatio, eadem ratio militat, ac in beneficiis ſimplicibus.

36 Deinde notat ex reſponſione præſtita à Commiſſario Generali Cruciatæ caſu quo quis duo beneficia incompatibilia habeat, (quod prohibetur in *Extrauag. Execrabilis, de præbend.*) non poſſe componi per Bullas ſuper fructibus beneficij, in quo non reſedit vt ex Tridentino conſtat *eo cap. 1.*

Fructus autem beneficij, cui adſtitit, poſſe ſibi retinere, nec teneri ad reſtitutionem ante iudicis ſententiam. Attamen hanc doctrinam intelligo, ſi illud beneficium, in quo non reſedit, curam animarum habeat, de hoc enim agit Tridentinum: quare, ſi id beneficium eam curam non habeat, & fructus non reſidentis nequaquam accreſcant aliis reſidentibus, poterunt componi per Bullas iuxta dicta *num. antecedenti*.

37 Adhuc obſeruat idem Trullench *n.* 5. ſi ex ſtatuto aliquo diſtributiones non intereſſentium, aut non recitantium alicui pio loco applicentur, non poſſe per Bullas componi, eo quòd iam detur certus dominus, aſſertque pro hac reſolutione Emanuelem Ludouicum Lopez, & Henriquez. Sed hic vltimus id aſſerit ex quorumdam ſententia, ſuamque non profert, imò videtur ex eo oppoſitum inferri: nam in *gloſſ. litt. I*, ait, eos, qui id ſentiunt, ſimiliter aſſerere, pecus amiſſum eſſe omnino ante petitionem reddendum eis, quibus lex applicat. Ipſe verò *ibidem* §. 5. docet pecus perditum, ſi exigatur, deberi exigenti iuxta leges tradi: ſi verò non exigatur, poſſe in pia opera conuerti, aut per Bullas componi: ergo, cum æquiparet caſum pecoris perditi, & caſum ſuperiorem diſtributionum, quæ aliqua lege, vel ſtatuto pio operi debentur, infertur, ſenſiſſe, has diſtributiones poſſe vel pio operi tradi, aut per Bullas componi. Accedit, bona non recitantis Officium diuinum deberi Eccleſiæ, vel pauperibus, qui diſiunctiuè ſunt certi domini, & tamen, quia Pontifex eſt ſupremus adminiſtrator bonorum Eccleſiæ, ac pauperum, indulget, ea bona per Bullas componi: ergo, cum ſit adminiſtrator etiam cuiuſvis pij operis, cenſendus eſt indulgere compoſitionem de bonis, quæ ei debentur reſtitui, ad quæ ius in re non potiùs habet, quàm Eccleſia, & pauperes reſpectu bonorum, quæ à non recitante debentur, & aliorum, quæ per Bullas, poſſunt componi.

38 At tutior eſt reſolutio oppoſita, quamvis hæc ſpecie probabilitatis non careat. Etenim in caſu poſito habet ſe ille pius locus, non ſecùs ac alij intereſſentes reſpectu diſtributionum, quæ eis accreſcunt ex abſentibus: ergo, ſicut non poſſunt ab abſentibus illæ diſtributiones componi per Bullas quia pertinent ad alios præſentes: ita, nec quæ pertinent ad locum pium ſuccedentem loco intereſſentium. Deindè, quia intereſſentes videntur cedere, aut ſaltem conſentire, vt diſtributiones quæ inter ipſos ex iure, vel conſuetudine eſſent diuidendæ, ei pio loco tradantur: vnde, ſi non poſſent componi, dum ipſis immediatè accreſcerent, ita nec, cum ipſi cedunt accrementum in pium locum. Denique, nam per illud ſtatutum habet pius locus ius in re, & ſtatim ac quis non intereſt Officiis diuinis, diſtributiones, quas amittit, fiunt illius, adeóque componi nequeunt, cum iam dominum determinatum habeat; etenim per illud ſtatutum applicatæ ſunt eæ diſtributiones pio loco tanquam proprij redditus, quibus, vt ſuis fruatur, non ſecùs ac pia loca aliis redditibus annuis fruuntur: quare, ſicut hi redditus nequeunt à debitore componi, ita nec illi. Quòd enim illi non ſint fixi, ac determinati, non obſtat: ſicut tributa aliqua, quæ Regibus ſoluuntur, ſunt indeterminata: ſi enim in aliqua merce determinata conſtituatur tributum, & ea non vendatur, nullum ſoluetur tributum, ſi autem vendatur, tributum ad Regem pertinebit: ſic in noſtro caſu, ſi omnes interſint Officiis diuinis, nullæ diſtributiones ad eum pium locum pertinebunt, ſecùs verò, ſi non interſint.

39 Difficultas reſtat, an per Bullas componi queant fructus malè percepti ab eo, qui beneficium canonicè non obtinuit, aut poſtquàm illud poſſidet, incidit in cenſuras? Et vt dilucida ſit reſolutio, aduertere oportet, pluribus modis poſſe quem inualidè accipere beneficium vt ſi accipiat ſimoniacè; ſubreptitiè, abſque ætate legitima, cenſuris irretitus, exiſtens irregularis, aliiſque huiuſmodi impedimentis; in quibus caſibus tenetur reſtituere fructus, vtpotè non ſuos. An autem ſemper teneatur beneficium ipſum ante iudicis declarationem relinquere; an poſſit titulum ſecretò, aut publicè reualidare ſimul cum fructibus à ſe iam perceptis; an queat inde excerpere ſibi ſuſtentationem congruam, maximè ſi pauper eſt, & onera beneficij ſuſcepit, pluraque id generis, non eſt noſtri inſtituti tractare. Videantur Alterius *de cenſur. tom. 1. lib. 2. diſp. 6. cap.* 5. Leſſius *de iuſt. lib. 2. cap.* 34. *dub.* 22. Coninch *de Sac. diſp.* 14. *dub.* 17. Præpoſitus *in* 3. *p. q.* 2. *dub.* 22. Suarez, Raynaudus, Layman, Auila, Gaſpar Hurtad. Filiucius, Henriquez, Turrianus, Villalob. quos diuiſim citatos reperies in ſumma Dianæ *verbo Beneficium, à num.* 20.

40 Obſeruandum eſt prætereà, beneficiarium, ſtatim ac excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus eſt, iuxta communem ſententiam non facere fructus ſuos. De quo, & ſimiliter an poſſit reſeruare fructus ſuæ ſuſtentationi neceſſarios, maximè ſi beneficij oneribus ſatisfecit, vide Doctores *in capit. Paſtoralis, de appellat.* Suarium *de cenſur. diſp.* 13. Sayrum, & Henriquez apud Trullench *vbi ſuprà lib.* 3. *caſu* 3. *à n.* 12. Vbi cum Bonacina iudicat probabile, beneficiarium excommunicatum, ſuſpenſum, aut interdictum,

Digitized by Google

interdictum, ſi ſit toleratus non vitandus, & in cenſuras inciderit poſt aſſecutionem legitimam beneficij poſſe ſibi fructus retinere, dummodò beneficij onera ſit executus, eo quòd non priuetur illis ipſo facto ante iudicis ſententiam, ſed poſt illam. In qua ſententia is non indigebit compoſitione per Bullas ante iudicis ſententiam; poſt illam verò Bullæ non ei ſuffragabuntur, cum fructus integros reſtituere teneatur.

41 Demùm obſeruandum eſt, cui debeatur reſtitutio fructuum adhuc prædictorum. Quippè hi aut in Eccleſiæ vtilitatem ſunt conuertendi, aut, ſi ſint fructus beneficij inualidè obtenti, ſucceſſori ſunt præſtandi, dum tamen in ea Prouincia, aut Eccleſia conſuetudo ſit, vt à die vacationis beneficij, vel à tempore ſtatuto poſt vacationem fructus ſucceſſori reſeruentur, (cum vacare beneficium cenſeatur, dum legitimè non poſſidetur,) de quo conſulantur Nauarrus *de ſpoliis cleric.* §.12. Syluester, Zerola, Bonacina, Barboſa, Couarruuias, Felinus, Nicolaüs Garcia relati à Trullench *ſuprà num.9.* Qui *num.*15. notat ex P. Suario, ſub vtilitate Eccleſiæ comprehendi etiam aliquam ſubuentionem pauperum, quibus præſtari debet, quod ipſe beneficiarius prudentis arbitrio erat erogaturus.

42 His poſitis, cenſeo primò, vbi non eſt conſuetudo, vt fructus ſucceſſori in beneficio tradantur, poſſe omnes fructus ſupradictos per Bullas componi. Moueor, quia hi fructus, vt nuper obſeruaui, debentur Eccleſiæ, aut pauperibus: ſed bona, quæ eis debentur, (non quidem debito ſolutionis reddituum, quibus Eccleſia gaudet, ſed debito applicationis propter iniuſtam perceptionem, qua iniuſtitia deficiente, ij fructus non eſſent ad Eccleſiam peruenturi) Pontifex poteſt componere, vt adminiſtrator eorum, & per has Bullas indulget, poſſe de eis compoſitionem fieri: ergo omnes illi fructus poſſunt per Bullas componi. Conſequentia eſt legitima. Minor ſepè in ſuperioribus declarata. Et quidem ego non inuenio, cur potiùs queant per Bullas componi fructus non recitantis, quàm prædicti: cum vtrique ad Eccleſiam pertineant; & pariter poſſet dici, dari dominum certum illorum, ac horum, nempè Eccleſiam, & quoad hoc, cum vtrique non poſſint retineri à beneficiario, pares ſunt: & Eccleſia in re ius non habet ad eos, & poteſt ideò Pontifex eos applicare Cruciatæ, antequam Eccleſia habeat ius in re.

43 Dices, diſpares eſſe: tum quia compoſitio fructuum non perſoluentis Officium Canonicum exprimitur in ipſa Bulla Latina, & Hiſpana, non verò exprimitur compoſitio fructuum, de quibus in præſenti: tum quia olim in Bulla Hiſpana compoſitionis aſſerebatur: *Y no tener canonicamente ſus beneficios; ò auer lleuado los frutos dellos, eſtando deſcomulgados.* Quæ clauſula nunc non apponitur, quaſi, re meliùs inſpecta, compoſitio horum fructuum nequeat per Bullam fieri.

44 Reſpondeo ad primum, ex non expreſſione in Bulla præcisè nequaquam poſſe inferri, compoſitionem non valere præſtari: etenim in Bulla Hiſpana plures caſus exprimuntur, qui in Latina non ſunt expreſſi: & in vtraque apponitur clauſula generalis, qua conceditur compoſitio ſuper omnibus bonis illicitè habitis, ſub eaque comprehenditur præſens caſus: nec enim omnes potuerunt exprimi, breuitati conſulendo; maximè cum varij, & innumeri queant in diuerſis materiis excogitari; atque adeò ſat fuit; aliquos caſus frequentiores exempli gratia apponere: aliàs ſi omnes fuiſſent in ſpeciali expreſſi, fruſtrà ea clauſula generalis adderetur. Hinc reſpondeo ad ſecundum, eos quibus à Commiſſario Generali commendata fuit Bullæ Hiſpanæ confectio, potuiſſe exprimere ea verba, quæ nunc deſunt, iudicantes, rectè ex clauſula generali eam conceſſionem deduci: poſt verò forſan alios, quibus ea cura demandata eſt, noluiſſe apponere præfata verba, vel ad prolixitatem vitandam; vel vt hunc caſum prudentum, ac ſapientum iudicio relinquerent, ſi forſitan aliqua erat in eo dubitandi ratio. Etenim à Commiſſario Generali committi confectionem Bullæ Hiſpanæ compoſitionis, aut emendationem alicui viro apprimè docto, eſt certum, & ſe id vidiſſe teſtatur Rodriguez *in Bull. in addit. ad §. vnicum Bullæ compoſitionis ad num.*13

45 Ægidius Trullench huic noſtræ concluſioni duplici via contrariatur: nam, & limitationem à nobis in ea poſitam non admittit, ſcilicèt ea de fructibus ſucceſſori ſeruandis, vbi eſt conſuetudo, tunc enim aſſerui, non habere locum Bullam compoſitionis, vt *concluſione ſecunda* probabo; & præterea *ſuprà num.*11. poſtquàm defenderat, poſſe componi per Bullas fructus præfatos, excipit fructus acceptos ab eo, qui inualidè habuit beneficium ex eo, quòd illud acceperit exiſtens in irregularitate contracta ex ſimonia, ex homicidio voluntario, hæreſi, apoſtaſia, aut mala Ordinum ſuſceptione. Probat, quia in his caſibus non poteſt Commiſſarius Generalis titulum beneficij reualidare, nec irregularitatem tollere, vt ex eius facultatibus eſt conſtans: ergo neque poteſt fructuum compoſitionem concedere.

46 Hæc exceptio ſuſtinenda non eſt; ſed de his fructibus pariter philoſophandum, ac de aliis, quia in omnibus æquè militat ratio

Digitized by Google

concluſionis. Probatio huius Authoris eſt eneruis; ex eo enim, quòd Commiſſarius nequeat reualidare titulum beneficij, nec irregularitatem tollere, ſolùm ſequitur non poſſe reualidare fructuum perceptionem poſſeſſam ab eiuſmodi beneficiario, nec diſpenſare, vt fructus eos ſibi adquirat: ſicut poteſt diſpenſare, & reualidare fructus beneficij, cuius titulum reualidare valet, vt dicemus *diſp.* 37.*cap.* 5. non autem ſequitur, non poſſe componere eos fructus: quippè ea reualidatio negatur ei à Pontifice, non verò negatur compoſitio. In reualidatione fit, vt, qui fructus iniuſtè percepit, iuſtè ſibi retineat abſque onere compoſitionis, vel reſtitutionis; at in compoſitione non tollitur obligatio reſtituendi, ſed reſtitutio componitur, quod eſt multò minus. Et ſanè forma arguendi Ægidij nequaquam eſt recta: nam Commiſſarius non poteſt tollere excommunicationem ab homine impoſitam ab Epiſcopo, vel à Pontifice, ſicut non poteſt tollere irregularitatem *ſuprà* allatam, & tamen non ſequitur, non poſſe facere compoſitionem fructuum, quos percepit eiuſmodi excommunicatus: nam poſſe, fatetur ipſe Author. Deindè non poteſt Cõmiſſarius reualidare contractum illicitum vſurarium, aliosvè ſimiles, ſicut non poteſt reualidare titulum beneficij præfatum, & tamen non indè ſequitur, nequire componere bona incerto domino debita, ideoque Eccleſiæ, aut pauperibus reſtituenda, ex eo vſurario contractu percepta. Mille aliis exemplis hoc conſtat, ex quibus probatio poſita nullius roboris redditur.

47 Dico ſecundò, vbi conſuetudo eſt, vt fructus beneficij vacantis ſucceſſori reſeruentur, non poſſe componi per Bullas fructus beneficij inualidè obtenti. Etenim, dum inualidè obtinetur, vacans iudicatur: ergo eius fructus ad ſucceſſorem pertinent, qui eſt certus dominus; bona autem, quæ certum habent dominum, ei reſtitui debent, nequeuntque componi. Vnde, ſi reualidetur titulus beneficij eidem, qui inualidè illud poſſidebat, nihil tenebitur reſtituere, quia ipſe eſt ſucceſſor in eo beneficio reſpectu eius, qui vltimò illud legitimè poſſedit.

48 Confirmatur: Si quidam furatus eſſet ea bona, quæ ex illo beneficio prouenerant, eodem tempore, quo iniuſtè poſſidebat ille beneficium, non poſſet ad eorum reſtitutionem vti Bullis compoſitionis, vt videtur ex ſe conſpicuum, nec ſcio, poſſe oppoſitum in praxi ſuaderi; at eodem modo ſe haberet reſpectu eiuſmodi bonorum, aut fructuum ille, qui inualidè beneficium obtinebat: ergo non valeret vti compoſitione. Probatur minor. Tam hic, quam ille iniuſtè retinerent eiuſmodi bona, ſeu fructus: & tam non eſſent vnius, quàm alterius ijdem fructus, & demùm tam certus eſſet dominus reſpectu vtriuſque; igitur eodem modo ſe haberent. Quippè diuerſus modus iniuſtæ actionis, per quam fructus fuerant percepti ab vtroque, materialiter ſe habet in ordine ad onus reſtitutionis: quocumque enim pacto res aliena vſurpata iniuſtè fuerit, eadem prorſus dimanat reſtitutionis obligatio.

49 Dices primò: Fructus beneficiorum, de quibus *in concluſione prima*, poteſt per Bullas componere ipſe, qui beneficium poſſidet: & tamen, ſi alius eos furaretur, nequiret componere: ergo ex eo, quòd alius nequeat componere fructus iniuſtè ablatos, non infertur, eos non valere componi ab ipſo habente inualidè beneficium. Reſpondeo, in primo caſu reſpectu habentis beneficium non reperiri certum dominum, nec exiſtentem, nec extiturum, aut ſucceſſorem, quare non militat aduerſus eum ratio huius ſecundi aſſerti, & faciunt pro eo primi aſſerti rationes: reſpectu autem alterius cuiuſvis, qui fructus illorum beneficiorum furaretur, reperiri certum dominum, adeoque verum eſſe, vti non poſſe compoſitione: Nam certus dominus ab eo eſſet reputandus ipſe obtinens beneficium: cum enim non conſtaret, inualidè ab eo beneficium obtineri, aut etiam ſi conſtaret furanti, tamen poſſet ille beneficiatus obtinere à Pontifice reualidationem beneficij, & fructuum, ſanè furtipiens fructus ei iniuriam faceret, & ei reſtituere teneretur. Imò hoc ipſo quòd ſciret, inualidè ab illo beneficium poſſideri, fructuſque non fieri ſuos, deberet iudicare, ab eo reſtitui eos fructus, quare teneretur eos reddere ipſi, vt reſtitueret: ne è propriis bonis cogeretur reſtitutionem præſtare, quo fieret pauperior, & non ſolùm aliena, ſed ſua amitteret. Hinc iam video, te poſſe hac ratione vti, vt aſſeras, in caſu poſito in confirmatione, *num. præcedenti*, etiam teneri ad reſtitutionem integram eum, qui furaretur fructus, & non poſſe compoſitione gaudere. Sed non eneruatur adhuc vis confirmationis: quia, ſi dicas, eum hominem furantem fructus in eo caſu, non poſſe componi, nam daretur reſpectu illius certus dominus, ſicut nos aſſerimus, dari in hoc ſecundo caſu argumenti: ergo nec poſſet componi ipſe poſſidens beneficium inualidè in illo primo caſu, ſiquidem etiam reſpectu ipſius daretur certus dominus. At in hoc ſecundo caſu argumenti non daretur certus dominus reſpectu habentis beneficium, eſtò daretur, aut reputaretur talis reſpectu furantis fructus: igitur diſparitas intercedit inter primum, & ſecundum caſum.

50 Dices

Digitized by Google

50 Dices ſecundo, quamvis bona habentis inualidè beneficium peruentura ſint ad ſucceſſorem, tamen ea bona, ſeu fructus beneficij non adhuc ad illum peruenerunt, & antequam perueniant, poteſt Pontifex ea componere, & per Bullas applicare ipſi habenti inualidè illud beneficium. Contrà, quia Pontificis mens non eſt, vt ea bona, quæ certo, ac determinato domino ſunt applicata, poſſint per Bullas componi: vult enim ius ſuum vnicuique tribuere, & abſque vllius iniuria, ſeu detrimento compoſitionem præſtare: quod ſatis in ſua Bulla oſtendit: quam mentem ſequens Commiſſarius valdè in id incumbit, vt certus dominus requiratur: quare res inuentas non priùs applicat Cruciatæ, quam longo ſpatio temporis pro certo domino reperiendo diligentiæ adhibeantur. Et quidem, quamvis nondum ſciatur, quis determinatè ſit futurus in beneficio ſucceſſor, tamen ſcitur, eos fructus eſſe determinatè ſucceſſoris, quicumque ſit: quare poſt mortem beneficiati depoſitarius eorum fructum deſignatur, qui nomine ſucceſſoris eos accipit, ac ſeruat, tanquam bono, quæ proprium dominum habent. Sicut, cum lis inter duos, aut plures verſatur ſuper aliquibus bonis teſtatoris, nondum fixus eſt dominus illorum, nec ſcitur, quis ſit determinatè: & nihilominùs, nemo dubitat, dari certum dominum illorum, ſcilicèt quicumque litem obtineat, cuius nomine apud depoſitarium ea bona ſeruantur: nec poſſet depoſitarius ipſe, aut alius ea furans per Bullas componi, quamvis in foro externo non cogeretur ad reſtititutionem, incuria, aut ignorantia domini. Ferè ſimilis eſt in omnibus noſtræ aſſertionis caſus, idemque in eo eſt tenendum.

CAPVT IV.

De caſu tertio Bullæ compoſitionis circa legata per legatarij negligentiam vnius anni ſpatio non exacta.

51 Conceditur compoſitio in Bulla Latina: *Item ſuper medietate legatorum omnium, quæ propter malè ablata facta ſunt, ſi legatarij in exactione per annum negligentes fuerint.* Vertit Bulla vulgaris: *Item ſe pueda componer ſobre la mitad de los legados, que fueren hechos en deſcargo de lo mal lleuado: ſiendo las perſonas à quien ſe huuieren hecho las mandas, negligentes por vn año en la cobrança; aunque ſe ſepa, quien ſon los tales legatarios, y perſonas.*

52 Debebat quis v. g. centum ducata domino incerto, nec adhuc reſtituerat, legat illa in teſtamento alicui pauperi, aut loco pio. Decedit poſt teſtamentum, & legatarij: nempè homo ille pauper, aut viri, vel fœminæ repreſentantes eum locum pium. Monaſterium ſcilicèt, Collegium, aut Confraternitatem, adhuc poſtquam ſibi de legato innoteſcit, nec illud exigunt, nec de illlo curant: poterit hæres per Bullas componere quinquaginta ducata, quæ eſt medietas eius legati, & reliqua quinquaginta tenebitur integrè reddere legatario.

53 Legatum ſanè eſt donatio quædam à defuncto relicta, ab hærede præſtanda, ideoque non videbatur nuncupandum fore legatum id, quod eſt reſtitutio debiti, non donatio liberalis; attamen nomine legati comprehenduntur, quæcumque iuſſu teſtatoris hæres eſt ex hæreditate ſoluturus, quia legatum eſt delibatio quædam hæreditatis. Idemque, quod in hoc caſu, & in ſequenti aſſeritur de legatis, intelligendum erit pariter de fideicommiſſis in teſtamento relictis ratione debiti ſoluendi, cuius dominus non comparet: etenim fideicommiſſum eſt, quod fidei hæredis committitur præſtandum: & quamvis differat à legato in aliquibus, tum, quia legatum directis verbis legatario relinquitur; fideicommiſſum verò hæredi verbis committitur precatoriis: tum quia legatario poteſt hæres committere quid alicui præſtandum, eritque fideicommiſſum; non verò poteſt legatario relinquere onus legati præſtandi ab ipſo alteri; tum demum in aliis, quæ potiùs ad formam, quàm ad ſubſtantiam ſpectant: attamen re ipſa, & in ordine ad obligationem, ac effectus, perindè ſe habet, ſi teſtator leget, ac ſi fideicommittat: nam legata, & fideicommiſſa per omnia exæquantur, *leg.* 1. *ff. de legat.* 1. Hoc tamen aduerte, compoſitionem ſuper medietate legati, de qua in præſenti, ſolùm poſſe fieri ab hærede teſtatoris, vel, ſi hæres decedat, ab eo, qui in eius bonis ſucceſſit. At, ſi non ſit legatum relictum pro eiuſmodi debito ſoluendo, ſed fideicommiſſum, tunc compoſitionem ſuper medietate faciendam eſſe ab eo, cui fideicommiſſum teſtator iniunxit: quare ſi fidei hæredis commiſſum eſt, vt ſoluat illud debitum, hæres poterit medietatem componere: ſi verò legatarij fidei id ſit commiſſum, legatarius, non hæres, compoſitionem poterit facere, vtpotè in cuius poteſtatem peruenit ſumma, ex qua fideicommiſſum eſt perſoluendum: nam ea ſumma continetur tunc in legato & legatum ab hærede legatario perſolui.

54 Hæc compoſitio in præſenti conceſſa ſupponit, legatarium eſſe certum vt conſtat ex verbis Bullæ vulgaris allatis *numer.* 51. & ex Bulla Latina clarè infertur: nam

Digitized by Google

in caſu ſequenti conceditur compoſitio ſuper integris legataris, ſi legatarij incerti ſunt, ſeu inueniri non poſſunt: ergo in caſu præſenti loquitur Pontifex de legatis, cum legatarij ſunt certi, & poſſunt inueniri: aliàs inter ſe non poſſent concordare hæ duæ conceſſiones, vt ex ipſarum apprehenſione patet. Præterea inferiùs in Bulla Latina iniungitur, quantum ſit curandum de domino inueniendo, nec faciendam eſſe compoſitionem, niſi conſtet, incertum eſſe dominum, excipit tamen: *Præterquam dictâ annalis negligentia*, in quo caſu, etiam certò domino exiſtentẽ compoſitio conceditur. Et quidem, quamvis reſpectu legati ſit dominus certus, attamen bona, propter quæ ſit legatum, incerto domino debentur, atque adeò in radice ſunt incerta, & ad exonerandam conſcientiam relicta: quare Pontifex valet ea applicare Cruciatæ media compoſitione. Etenim, vt notat Trullench *in Bullam lib.3. caſu 3. numer. 2.* etſi legatarius à teſtatoris morte ius adquiſitum in re habeat ad illud legatum, non tamen omnino perfectum, ſed, cauſa iuſta intercedente, à Pontifice reuocabile: iuſta autem cauſa cenſetur, quòd ille negligens in exactione fuerit, (quapropter ſibi imputet, quod medietate legati priuetur,) & quòd bona per legatum relicta ſint ex ſe incerta, atque adeò Pontificis adminiſtrationi ſubiaceant, & demùm quòd ad exonerationem conſcientiæ legatum pertineat, ea verò, quæ conſcientiam concernunt, in his circunſtantiis Pontifex valet diſponere.

55 Nec mirum eſſe debet, in pœnam negligentiæ priuari legatarium medietate legati: nam hæc pœna ſolet in legatis apponi ob aliquam negligentiam, non quidem ab ipſo teſtatore, ſed à legibus. Sic legatarius, qui tenetur adimplere aliqua onera teſtamenti, ſi per annum à die monitionis per iudicem negligens in adimpletione ſit, priuatur legato, & hoc pro anima defuncti teſtatoris applicatur, vt docent Anton. Gomez *tom. 1. ad fin. verb. Teſtamentum*: Perez *leg. 4. tit. 2. lib. 5. ordin. pagin.* 141. Syluеſter *verbo Teſtamentum* 2. §. 6. Nauarra *de reſtit. lib. 3. cap. 4. num.* 166. P. Henriquez *lib. 7. de indulgen. cap.* 37. *num.* 1. Ideò etiam hæres triginta annis præſcribit actionem petendi legatum aduerſus legatarium negligentem, & præſcriptio hæc partim in pœnam negligentiæ eſt introducta: vt tuetur Couarruuias *regul. poſſeſſor, 2. part. §. 11 num. 5.* vbi refert ſe *ad lib. 1. variar. cap. 9. num. 5.* vnde tunc hæres mala fide non præſcribit. Demùm facta monitione in Synodo contra executores teſtamentorum negligentes intra annum, eo ipſo in pœnam negligentiæ ius eorum ad executionem eiuſmodi deuoluitur ad Epiſcopum: vt oſtendunt Palacios *in cap. per veſtras, in princ.* §. 18. *n.* 21. & alij relati à P. Henriq. *vbi ſup. in gloſ. litt. E.*

56. Cæterùm negligentia per annum debet recenſeri nonà die legati in teſtamento relicti, nec à die mortis teſtatoris; ſed à die, qua per hæredem, aut teſtamentarium denuntiatur legatario, fuiſſe relictum ei à teſtatore legatum: dũ enim ipſi non innoteſcit, nullius negligentiæ reus eſt. Tenetur autem hæres, aut teſtamentarius id notum facere, vt poſſit ille exigere, quod legatum eſt: aliàs enim iniuſtè legatum ſupprimetur. Quòd ſi legatum relictum ſit pauperibus in communi, aut alicui pio loco, monendus eſt de legato procurator pauperum, aut pij loci, ſeu perſona, cuius curæ ſit commiſſus locus pius: & ſi hi negligentes fuerint per annum in exactione legati, medietas poteſt per Bullas componi.

57 Sed dubitari poterat, an in eo euentu eiuſmodi procuratores negligentes teneantur ex ſuis bonis eam medietatem legati compoſitam pauperibus, aut pio loco præſtare, ne pauperes, aut opus pium priuentur eo commodo propter procuratoris incuriam: quia ſanè, ſi non teneatur ex ſuis eam medietatem præſtare, nullas ſuæ negligentiæ pœnas luet, ſiquidem non tollitur ab eo, quòd ipſe eſſet poſſeſſurus, ſi diligens foret; ſed tollitur à pauperibus, & loco pio, in quibus nulla fuit negligentia, cuius pœnam in ſe experiantur. Video, poſſe ſæpè in domini damnum verti procuratorum actiones, & tamen paſſurum dominum eſſe id damnum quia, quę per procuratorem agit, per ſe ipſum agere iudicatur, ideoque & commoda, & incommoda medio illo prouenientia ſuſtinere debet. At ſi procurator culpam grauem habeat, ratione cuius bona eius, cuius procurator eſt, minuantur, aut deteriorentur, tenetur damna reſarcire, ſi habeat, vnde id præſtet, iuxta qualitatem culpæ, aut negligentiæ. Vndè cenſeo, obligari prædictum procuratorem ad præſtandam è ſuis bonis medietatem legati, ſi ex officio, & munere ſuo eam curam gerat, quaſi ex iuſtitia: ſcilicèt vel quia procurationis ratione ſtipendium lucratur, vel quia muneri ſuo annexa eſt ea procuratio. Nam, ſi eam ex ſola charitate gerat ad nihil tenebitur.

58 Hic aliqua ſunt obſeruanda. In primis legatum, de quo in caſu præſenti, neceſſariò relinquendum eſſe pauperibus, Eccleſiæ, aut operi pio, non enim exonerari conſcientia poteſt, ſi id, quod domino incerto debetur, legetur homini non pauperi, aut operi publico non pio. Deindè teſtator valet id ipſum, quod legat ob debitum

Digitized by Google

tum eiuſmodi, per Bullas componere, aut hæredi mandare, vt componat, & conſequenter non tenetur abſolutè illud legatum relinquere. Rursùs, ſi medietas legati excedat quantitatem, quæ per Bullas poteſt componi, valet Commiſſarius componere id, quod reſtat vſque ad prædictam medietatem: nam Pontifex ei indulget, vt medietatem prædicti legati queat componere; ipſe verò Commiſſarius concedit, vt id fiat per Bullas compoſitionis, deſignando quantitatem per eas componendam: quòd ſi vltra eam quãtitatem aliquid adhuc reſtet, datur in illo facultas ad compoſitionem præſtandam. Præterea illud commune eſt huic caſui, & cæteris omnibus, quòd bona componenda per Bullas non fuerint ablata, aut retenta ex confidentia poſitiua Bullæ. Quare, ſi conſtaret, bona contenta in legato ex ea confidentia fuiſſe poſſeſſa, non valeret componi medietas legati adhuc in circunſtantiis huius caſus, quia ea bona ab origine, & radice afficerentur conditione repugnante compoſitioni prout à Pontifice conceſſæ.

59 Denique noto, ſub appellatione operis pij etiam fore intelligenda ſuffragia pro animabus Purgatorij, quibus ſubuenire, piiſſimum, ſanctum, & ſalubre eſt. Nec immeritò inter pauperes, & egentes adnumeraueris illas, vtpotè quæ ſub cruciatuum miſeriis inuolutæ ſolatium à viuentibus expoſcunt, quod mediis ſuffragiis, ac ſacrificiis eis præſtatur. Ideò probauerim praxim Confeſſariorum, qui bona debita incerto domino ad Miſſas pro defunctis celebrandas erogare, monent pœnitentes. Hoc tamen de bonis debitis certo domino moueri non licet, vt forſan aliqui minùs gnari monent.

CAPVT V.

De quarto caſu Bullæ compoſitionis circa quæcumque legata, quando legatarij non comparent. Vbi etiam de fideicommiſſis.

60 VErba Bullæ Hiſpanæ ſunt: *Item, ſe puede componer ſobre los legado hechos antes de dora, ò que en el tiempo de la predicacion deſta Bulla ſe hizieren, cuyos legatarios no ſe hallaren, hecha la debida diligencia.* Quæ de aliis bonis incertis in communi proferuntur, huiuſmodi legatis aptantur: ea enim, quando dominus poſt adhibitam diligentiam, de qua *in ſuperioribus*, non comparet, incerta bona ſunt: nullum namque certum dominum habent: non hæredem defuncti, ad quem non pertinent legata, niſi cum teſtator exprimit, quòd in aliquo caſu, vel ſub aliqua conditione illa non ſoluat, vt inter Iuriſprudentes eſt conſtans: non vllum alium, cum nullus dominus reſtet: vnde pauperibus debentur, ſicut alia bona incerta: indeque Pontifex, veluti diſpenſator, ſeu adminiſtrator bonorum, quæ pauperibus debentur, ea legata incerta componere valet, & id in ſubſidium Cruciatæ præſtat. Compoſitio autem fit cum hærede, aut teſtamentariis, quibus incumbit legata perſoluere, qui, facta hac compoſitione, reliquam partem legatorum ſibi poſſunt aſſeruare: eo tamen onere, vt legatariis comparentibus, & legata apud iudicem exigentibus, perſoluere teneantur, cum hæc compoſitio dumtaxàt pro foro interno proſit.

61 Dices, nullum titulum eſſe penes hæredem, aut teſtamentarium, ratione cuius poſſit ſibi aſſeruare reliquam legatorum partem: & aliundè magis de voluntate teſtatoris eſſe, vt ea pars inſumatur in ſuffragiis pro ipſius anima offerendis. Reſpondeo, eum eſſe titulum, quo, qui bona incerta inuenit, poteſt ſibi ea retinere, facta per Bullas cõpoſitione: cum enim ea legata non ſint iam bona defuncti, qui incapax eſt dominij: & nullum alium dominum certum habeant, perindè ſunt, ac ſi inuenta forent. Rurſus teſtatoris voluntas æqua eſt, vt inſumantur in iis, quæ iura diſponunt, diſpoſitum autem in iure extat, vt pauperibus tradantur: quare Pontifex valet ea bona pauperibus aliundè perſoluenda in ſubſidium Cruciatæ componere cum eo, qui, perſoluere tenebatur: is autem erat hæres, aut teſtamenti executor, vel ſimilis. Vnde ex ea compoſitione, & Pontificis applicatione titulum obtinet, vt pro foro interno ea legata ſibi reſeruet.

62 Replicas: ergo, ſicut in opinione probabili, qui inuenit bona incerta, non comparente domino, poteſt ſibi ea retinere, poterit etiam hæres, aut teſtamentarius retinere ſibi legata, non comparentibus legatariis, quin in opinione prædicta indigeat compoſitione. Aliquis forſan concedat ſequelam, & abſurda, quæ indè ſequi intendantur, in bonis inuentis infringere conetur. Ego tamen nego: nam in ea opinione inuentio ipſa eſt titulus, vt inuentor bona inuenta retinere queat: quare, etſi bona incerta ſint, non poterit alius è domo inuentoris ſibi illa extrahere, etiam antequam inuentor fiat eorum dominus, eo quòd non adhuc diligentiam pro reperiendo domino adhibuerit: in hærede autem vel teſtamentario non eſt titulus ille inuentionis legatorum, nec alia ſimilis. Hinc verò non eneruatur paritas facta *numer. præcedenti* inter legata huiuſmodi, & bona inuenta: quippe facta eſt in ſententia aſſerente, bona inuenta deberi pauperibus, ſicut debentur

debentur hæc legata : quo debito non obſtante, poteſt inuentor, (cui in hac ſententia titulus inuentionis non ſuffragatur, vt dominium adquirat,) facta per Bullas compoſitione retinere ſibi bona inuenta:ergo quamvis ea legata debeantur pauperibus, poterit hæres, aut is, qui perſoluere legatariis tenetur, facta ſimili compoſitione, ſibi legata aſſeruare,per applicatiónem Pontificis,quæ eadem eſt in vtroque caſu.

63 Doctrina tradita militat pariter in quibuſcumque legatis, ſiuè ſint pura, ſiuè conditionalia, ſiuè in diem certum, aut incertum.Id tamen aduerte,ſi legatarius non compareat, ſic verò eius hæres neceſſarius, legatum hæredi fore præſtandum, non ſecùs ac ſi legatarius poſt mortem teſtatoris obiiſſet, quo caſu legatum purum, & etiam conditionatum, ſi adimpleta ſit conditio, tranſmittitur ad hæredes legatarij : *leg. vnica*, §. *cum igitur, Cod. de caduc. tollend.* Aliter ſe res habet, ſi legatum ſit conditionatum : & legatarius ante impletam conditionem obeat, tunc enim legatum non tranſmittitur ad hæredes legatarij, ſed penes hæredem defuncti manet: *dicta leg.vnica,§.fin.autem aliquid.* Idemque eſt, ſi legatum relinquatur in diem incertum, quia dies incertus conditionem in teſtamento facit: *leg.dies incertus, ff.de condition.& demonſtrat.* Videatur Ioannes Machado, de perfecto Confeſſario, *t.1.lib.3 part.6. tr.4.document.1.*

64 Eadem doctrina de legatis extenditur ad fideicommiſſa, nam hæc illis æquiparantur : *leg. Illud , ff. ad legem Aquiliam.* Et quidem fideicommiſſum, vt definit Syluester, *verbo fideicommiſſum*, eſt legatum, quod fidei hæredis commiſſum eſt, vt aliter ab eo præſtetur : atque, vt obſeruat P. Fagundez *tom.de iuſtit.lib.6.cap.1.num.17.* hodie parùm, aut nihil differunt legatum, ac fideicommiſſum, ſed hoc poteſt dici ſpecies quædam legati vrbanioris : fit enim per verba, volo, peto, rogo, mando, fidei tuæ committo. Hinc diſpoſitum in vno æquiparatorum, nempè in legatis, ad aliud æquiparatum, ſcilicèt fideicommiſſa, eſt extendendum : ac prætereà fideicommiſſa,non comparente eo, cui præſtanda eſſent, inter bona incerta ſunt annumeranda, atque adeò per Bullas componi queunt.

65 Adhuc doctrina ſtabilita extendi debet ad donationes, cauſa mortis, cum donatarius non comparet. Eſt autem donatio cauſa mortis, cum quis ſic donat, vt res ſit donatarij poſt mortem donantis : *leg.1.ff.de donat. cauſ. mort.* Quæ donatio effectum non ſortitur, ſi donans ſuperuiuat, aut donationem reuocet, aut donatarius ante mortem donantis obeat,vt conſtat *ex leg.non omnis,ff.ſi certum petatur : leg. 6. titul. 12. lib. 3 .fori*, ex aliiſque iuribus allatis, Machado *vbi ſuprà, document.2.num.7.in margine, littera G.* Donationes igitur cauſa mortis ferè per omnia non abſimiles ſunt vltimis voluntatibus : §. 1. *Inſtit.de donat. cauſa mort.leg.fin.Cod. eodem titul.* Matienço *ad leg. 7. titul.10. libr.5.* Gomez *2.variar.capit.4.num.16.* Vnde aptanda ſunt quoad præſens eadem, quæ de legatis, ac fideicommiſſis tradimus. Et ſanè, non comparente donatario, & mortuo donante, ea bona donata ſunt incerta, atque adeò per Bullas poſſunt componi.

66 Cæterùm legata, fideicommiſſa, & donationes præfatæ componi valent, ſiuè factæ fuerint ante publicationem Bullæ, ſiuè durante publicationis anno, quod conſtat ex verbis Bullæ Hiſpanæ allatis *ſuprà*, ex verbiſque Bullæ Latinæ, ibi : *Ac ſuper illis, quæ facta erunt, & quæ, anno durante, fient, ſi legatarij inueniri non potuerint.* Compoſitio autem per Bullas ſolummodò fieri poteſt vſque ad eam quantitatem, de qua *diſput. 32. à num.50.* Vltra eam verò, ſi reſtent adhuc bona, componenda ſunt cum Commiſſario generali : ſic obſeruant in præſenti omnes Bullæ Expoſitores, Villalobos *tract.29.n.21.* P.Henriq.*lib.7.de indulg.c.37.n.4.in fine*,Garnica, Rodriguez, & Trullench.

67 Emmanuel Rodriguez *in addition. ad n.20. ſuper Bullam compoſitionis, n. 11.* impugnat Patrem Henriquez,eo quòd hic *vbi nuper,n.3.& n.4.*aſſerat compoſitionem in præſenti conceſſam non reſtringi ad legata facta ante Bullæ publicationem, ſeu tempore publicationis durante : contenditque Rodriguez, ſubobſcurè loquens, diſcrimen quoad hoc dari inter legata, in quibus exigendis fuit annalis negligentia, modo explicato in *cap. præcedenti*, & inter ea legata, quorum dominus non comparet. Sed profectò quoad hoc nullum eſt diſcrimen, vt ex verbis Bullæ ſit planum, & ex adhuc dictis ſatis conſtat, nec P. Henriquez in ſua expoſitione fallitur, vt ait Rodriguez, quin ipſe videtur in aliquo æquiuoco laborare.

CAPVT VI.

An acceptum ob turpem cauſam debeat reſtitui?

68 VT planiorem ad aliquos caſus ſequentes gradum faciamus, hanc quæſtionem expedire, neceſſum eſt. Etenim compoſitio in eis conceditur circa bona ob turpem cauſam accepta, ſupponiturque ea debere reſtitui, aliàs non eſſet opus compoſitione. Oportet ergo explorare, an ſemper & omnia bona obturpem cauſam habita reſtitui debeant ? vt indè dignoſcatur, quando ſit

Digitized by Google

ſit opus compoſitione circa ea bona, & quando, ſaltem iuxta opinionem probabilem, reſtitutio non debeatur, atque adeò nec opus ſit, compoſitione vti. Quippè, dum eſt duplex opinio, vtraque probabilis, altera reſtitutionem iniungens, altera eam neceſſariam negans, Commiſſarius primam, vtpotè tutiorem, & Cruciatæ magis opportunam, ac fauentem, ſequens, compoſitionem indulget. At quilibet, ſi ſententia oppoſita ſit probabilis, poterit illam ſectari, & à compoſitione abſtinere: eſtò conſultius ſit, partem tutiorem ſequi, ac in ſubſidium Cruciatæ eleemoſynam, media compoſitione, præſtare. Quod ad omnes caſus ſequentes præmiſſum volo.

69 Prima igitur ſententia tenet; acceptum ob turpem, ſeu iniuſtam cauſam debere reſtitui. Ita Syluester. *verbo Reſtitutio* 2. §. 2. Medina *de reſtitut.q.*26.*&* 27.*ad* 4 Palud. Couar. Nauarrus. Adriam. Corduba, Ledeſma, Mercado, & alij, quos refert P. Henriquez *lib.*7.*de indulgent. cap.*35 *num* 4 *in gloſſ. litt. N.* & ipſe ex parte eos *in textu* ſequitur. Hi tamen non adeò generaliter loquũtur, vt aliquos caſus non excipiant, nempè cum meretrix publica pro actu turpi pretium accipit, nam ad illud in vtroque foro datur actio, eo quòd vendiderit voluptatem, & corporis ſui operas locauerit. Alij, vt Nauarrus, & Henriquez, excipiunt etiam caſus, in quibus pretium accipit quis pro opere patrando, ad quod nec authoritate publica, nec ex officio tenetur, indeque iniuſtum euadit opus, vt cum quis pretium accipit, vt hoſtem alicuius occidat. Imò & in iudice, qui ex officio tenetur proferre ſententias, ſi pretium accipiat pro iniuſta ſententia, non teneri reſtituere, affirmat idem Nauarrus; dum tamen ſententia ſit vtilis.

70 Authores tamen præfatæ ſententiæ diſſident inter ſe, circa perſonam, cui facienda eſt huiuſmodi reſtitutio. Quidam enim aiunt, faciendam eſſe eidem, qui pretium contulit. Ita Sotus *de iuſtit. lib.* 4. *q.* 7. *ad* 2: qui idem docet de pretio accepto pro ſimonia completa. Alij autem tenent, pauperibus fore pretium reſtituendum, quod tutius eſſe, ait P. Henriquez. Horum ſententiam ſequutus Commiſſarius generalis, apponit aliquos caſus in Bulla compoſitionis, vt *infrà* videbimus: ea namque bona, quæ pauperibus debentur, poteſt ipſe authoritate Pontificis, qua fungitur, in ſubſidium Cruciatæ componere. Quare adhuc in hac opinione reſtitutionem iniungente, non eſt locus compoſitioni, ſi ſtetur placito eorum, qui non pauperibus, ſed primo domino reſtituendum eſſe pretium, tutantur: ſolùmque compoſitio locum habet, ſtando iudicio eorum, qui pauperibus reſtitutionem applicant.

71 Secunda ſententia, quam tutam in praxi, & veriorem iudico cum limitationibus *infrà* apponendis, docet, pretium acceptum ob turpem cauſam, pretio æſtimabilem, non debere reſtitui. Et quia in hac re plures, ac diuerſi ſunt caſus, aliqui Authores de hoc, vel illo caſu in ſingulari loquuntur, ita tamen, vt ratio, qua mouentur, in cæteris etiam militet: alij verò generaliùs loquuntur. P. Henriquez *vbi ſuprà*, cum multis Recentioribus citatis ab ipſo *in gloſſ. littera* R. ait, ex libera domini voluntate poſſe pro re vtili pretium iniuſtè acceptum retinere ſibi iudicem, qui protulit iniuſtam ſententiam: aduocatum ferentem patrocinium iniuſtum, quando clientulus iniuſtitiam nouit: teſtem iniquum, tabellionem, alioſque iuſtitiæ miniſtros iniuſtam cauſam fauentes: necnon, & adulteram pro iniuſta voluptate pretium accipientem.

72 De adultera idem (contra P. Molinam aſſerentem *tom.* 1. *de iuſt. tr.* 2. *diſp.* 94. debere reſtituere marito lucrum ex adulterio, quem non pauci ſectantur,) docent Megalius *in p.*2 *lib.* 2. *cap.*32. Diana *part.*2.*tractat.*17.*reſol.*7. cum Bonacina, & Graffis. Iudicat id probabile Machado *tom.* 2. *de perfecto Confeſſario*, *lib.* 6. *part.* 7. *tract.* 4. *docum.* 7.*n.* 2. quamvis exiſtimet oppoſitum probabilius cum Couarruuias; P. Reginaldo, & Trullench, quos in margine refert *littera A*:

73 De tabellione, qui inſtrumenta iniqua conficit, v. g. vſuraria, de conſenſu partium, non teneri reſtituere pretium acceptum pro inſtrumentorum confectione, tuentur P. Molin. & Rebellus, quos refert, ac ſequitur Bonacina *de præcept. Decalog. diſp.* 10. *q.*3.*punct.vltim.n.*4. Machado *vbi nuper, part.* 3.*tract.*2.*doc.*4.*n.*4. Cardinalis Lugo *tom.* 2. *de iuſt.diſp.*41.*ſect.*2.*n.*20

74 Iudicem accipientem pretium pro ſuo munere gerendo à Legibus prohibitum non teneri reſtituere, docent Couarruu. *in regula peccatum*, 2. *part.* §.2. *num.* 7. Syluest. *verbo Excommunicatio*, 10. *num.vlt.* Alcocer. *in ſum. cap.*26. Caietanus *in ſumm. verbo Iudices.* Medina *Codic. de reſtitut. q.* 20. Gutierrez, Palacios, & alij quos refert P. Thom. Sanchez *tom.*1.*conſil.libr.*3.*cap.vnic.dub.*1.*num.*28. qui id ſatis probabile dicit, licèt contrarium abſolutè defendat *num.* 26. cui aſſentiuntur graues Authores, P. Molina *de iuſtit.tom.*2. *diſp.* 83. *in princip.* Nauarra *libr.* 3. *de reſtitut. cap.* 13. *num.* 14. Trullench *in Decal. tom.*2. *lib.*7. *cap.*14. *dub.*6.*nu.*4. Cæterùm ex Authoribus tuentibus, iudicem debere reſtituere iniuſtè acceptum pretium, aliqui contra P. Leſſium de

Digitized by Google

de iuſt. lib. 2. cap. 14. dub. 9. & alios, inquiunt, hoc fore intelligendum, ſi iudex pretium accepit ab ipſo litigante, non autem, ſi ab alio, quia licèt iudex teneatur proferre ſententiam in bonum Petri, non tamen tenetur id præſtare in gratiam Pauli. Sic Sotus *de iuſt. lib. 4. q. 7. art. 1. ad 2.* P. Azor *p. 3. l. 4. c. 21. q. 6.* Machado *vbi ſuprà, lib. 6. part. 2. tract. 1. doc. 9. num. 4*

75 Plures caſus ſunt excogitabiles, & in eis cum proportione philoſophandum eſt, in quibus accipitur pretium pro re iniuſta; vel accipitur pro re iuſta iniuſtè, cum ſcilicèt extat prohibitio acceptionis, aut quis ex munere tenetur ad eam rem exequendam, v.g. ſi quis pretium ferat pro ſuo præſtando ſuffragio, vt aliquis indignus, vel dignus obtineat Cathedram, aut quid ſimile, ſeu ſi accipat pretium, vt fœminam ad peccandum alliciat, vel domi ſuæ peccatum patrari permittat, aut aſſiſtat peccanti, ne patiatur damnum, aliauè huiuſmodi gerat.

76 Iam verò hæc ſententia in communi ſuadetur. Reſtitutio eſt actus iuſtitiæ, quo debitum alteri redditur ad æqualitatem, eiuſque obligatio ſolùm oritur ex cauſis aut delictis, quæ ſunt contra iuſtitiam, non verò ex eis, quæ ſunt contra aliam virtutem; quod principium eſt Authoribus conſtans *in tr. de reſtitutione*: at acceptio lucri ob turpem cauſam, cuius executio in ſe non eſt debita, & aliundè eſt pretio æſtimabilis, non eſt contra virtutem iuſtitiæ, eſtò ſit contra aliam: ergo indè non oritur obligatio reſtituendi, nec eſt æqualitas, quæ ſeruetur, cum nulla præceſſerit inæqualitas, aut iniuria. Sola minor indiget probatione.

77 Probatur ergo: In caſu, quo quis accepit pecunias à Petro, vt occideret Paulum, (idem dicito in cæteris ſimilibus caſibus) actus occidendi non debetur Petro, & eſt æſtimabilis pretio, cum occiſor ſuam induſtriam ſit applicaturus, & exponatur laboribus, ac periculis propriis, quæ pretium merentur; aliundè in occiſione iniuria fit Paulo, non Petro, qui pecunias tradidit, & emit eam occiſionem: tam longè enim abeſt, vt ei inferatur iniuria; quòd potiùs præſtatur obſequium: & rursùs ex iniuria illata Paulo non oritur obligatio reſtituendi pecunias acceptas ob occiſionem Petro, nec pauperibus: tum quia occiſor iuſtè retinet, quod ſuus labor, ac induſtria meretur, licèt iniuſtè acceperit, vt de meretrice ſolet affirmari: tum quia ex iniuria illata Paulo alia conſurgit obligatio iuſtitiæ, ad quam diſparatè ſe habet acceptio, ac retentio pecuniarum, eadem enim conſurgeret, ſi ille occidiſſet Paulum ex odio proprio, & non propter pecunias; nec diſputo num, quæ obligatio ſit hæc, an vita ſit pretio æſtimabilis, nec ne, quod alienum eſt à præſenti inſtituto. Igitur nullum eſt caput, ob quod acceptio, & retentio eiuſmodi lucri ſit iniurioſa, & contra virtutem iuſtitiæ. Pariter, ſi quis accipiat pecuniam, vt pro indigno ferat ſuffragium, aut ſententiam dicat iniuſtam in aliqua lite, actio ſuffragij præſtiti, & ſententiæ latæ erit contra iuſtitiam, indeque orietur obligatio reſtituendi, non quidem pecunias, quas accepit, ſed damnum, quod infert. Quare obligatio orta ex actione, quæ ſit contra virtutem iuſtitiæ, non à nobis negatur, ſed ea eſt longè diuerſa ab obligatione reſtituendi lucrum acceptum ob turpem cauſam, hanc enim, non video fundari in aliquo actu iniurioſo.

78 Confirmatur à paritate meretricis publicæ, quam, omnes fatentur, turpiter adquirere, ſed non turpiter retinere: at eadem ratio militat in cæteris turpiter adquirentibus ob cauſam pretio æſtimabilem: ergo. Etenim tam hi, quàm illa ſuas operas locant, & in vtriſque eſt praua operatio; & non alia ratione meretrix iuſtè retinet, niſi quia in actione accipiendi pecunias nemini fecit iniuriam, & vendit voluptatem, quod idem in cæteris contingit. Nec diſcrimen poteſt excogitari ex eo, quòd à Republica permittatur meretrix publica, eaque venditio voluptatis. Quippè à Republica, etſi prohibeatur homicidium, non prohibetur, quòd pecunia ſemel accepta ob illud patrandum, retineatur, nec tranſlatio dominij pecuniæ à tradente ad occiſorem impeditur: quod ſufficit, vt ex eo capite poſſit hæc pecunia retineri ab occiſore, ſicut poteſt à meretrice. Itaque aliud eſt, contractum eſſe illicitum, quia ad prauum finem tendit, aliud, eſſe illicitum, quia in eo non ſeruatur æqualitas: Si contractus emptionis, & venditionis ſit ſecundo modo illicitus, non datur tranſlatio dominij: & ideò ſi meretrix pretium vltra ſummum exigeret pro voluptate, vel occiſor pro homicidio, reſtituere tenerentur exceſſum pretij, cuius dominium non adquiſiuerant. Si verò contractus emptionis ſit illicitus primo modo, peccatur in eo conficiendo, non autem reſultat obligatio reſtituendi, cum non prohibeatur tranſlatio dominij; & ſic contingit in noſtris caſibus. Hoc etiam videre eſt in contractibus, qui fiunt contra leges pœnales, vt, cùm prohibetur, aliquas merces vendi, ſanè, ſi vendantur, transfertur dominium, quamvis is contractus per leges ſit prohibitus.

79 Hinc,

Digitized by Google

79 Hinc, vt propoſui *num.*74. non pauci tuentur, non teneri reſtituere iudicem dona, quæ accepit, & ſi Legibus ſit prohibitum iudicibus, accipere munera, (& quidem iuſtiſſimè, vt grauiter, & eruditè, vt aſſolet, expendit Don Ioannes de Solorzano *tom.*1. *de iure Indiarum lib.*4. *capit.*4. *à numer.*17.) Etenim tunc datur obligatio reſtituendi ratione contractus contra leges facti, cum contractus caſſatur ob defectum ſolemnitatis in iure ſtatutæ, aut ob defectum conſenſus in donante, qui defectus non intercedit in hoc caſu, atque adeò non eſt, cur dominium non transferatur in iudicem munera accipientem, abſque obligatione reſtituendi. Nec leges prohibentes hæc munera tranſlationem dominij impediunt; quippè, inquit P. Fagundez *in præcept. Decalog. lib.* 8. *capit.* 27. *num.* 8. Leges merè pœnales, quales hæ prohibentes ſunt, ſolùm poſt ſententiam iudicis obligant; nec ſimpliciter, & abſolutè reddunt incapacem iudicem dominij. Quare tunc dumtaxàt incapax ille redditur, cum lex non eſt pœnalis, ſicque interpretatur Fagundez legem *non dubium*, *Codic. de leg.* referens, ac ſequens Syluestrum, *verbo Lex*, *quæſt.* 28. Panormitan. & Cardinal. *in Clement.* 1. *de reſcript.* Nec diſſentit Machado *tom.* 2. *libr.*6. *part.* 2. *tr.*1. *doc.*9. *num.*3.

80 Ego tamen cum communiori cenſeo, teneri iudicem reſtituere ea munera. Etenim ex officio tenetur iuſtitiam adminiſtrare, & ſententiam ferre, & à lege, ſeu Republica ei deſignatur conferendum ſtipendium; quare pro eodem actu duplicatum ſtipendium nequit accipere; nec, quod aliunde debet, diuerſo ſtipendio, poteſt exigere, vt ſibi compenſetur. Et quidem tribuens munera iudici non vltronea voluntate operatur; ſed timens, ne ſibi ſit iudex contrarius, aut affectu aliquo erga aduerſarium feratur. Dum enim quis ſuæ iuſtitiæ conſcius crederet tutò, iudicem non fore iniuſtum, ea munera non præſtaret. Cum ergo nec ex affectu liberalitatis, nec ex debito vllo largiatur, conſtat, largitionem non eſſe ſimpliciter voluntariam, conſenſumque verum in donante deficere: & inde obligationem reſtituendi conſurgere.

81 Aliud erit, ſi iudici aliquid conferatur, vt ſententiam iniuſtam proferat, vt dicebamus *n.* 77. Aliud etiam, ſi dona ei tribuantur poſt ſententiam latam, omnino vltroneè; & ex liberalitatis affectu: tunc enim, etſi acceptio ſit prohibita per legem pœnalem, tamen ſentio cum Fagundez, non prohiberi dominium. Idem tenendum eſt, quando vſu eſt receptum, vt aliqua munuſcula, maximè eſculenta, & poculenta iudicibus tribuantur.

82 Omnia autem argumenta, quæ contra ſtabilitam aſſertionem fiunt, duplici poſito principio eneruantur; nempè nullam fieri iniuriam tertio in acceptione, & retentione lucri ob turpem actum, pretio æſtimabilem, eſtò in patratione actus interueniat iniuria, ex qua diuerſa obligatio conſurgat; & prætereà non fieri, ſaltem ipſo facto, incapacem dominij per leges eum, qui lucrum accipit, vt rem turpem exerceat.

83 Tradita tamen doctrina limitationibus ſequentibus eſt temperanda. Primò circa ſimoniacos. Sciendum quippè eſt, accipientem beneficia Eccleſiaſtica ob pretium temporale teneri ea dimittere, nec facere fructus ſuos, vt conſtat ex *Extrauag. Cum deteſtabile*, *de ſimonia*: Si verò quis accipiat alias res ſpirituales ſimoniacè, vt Sacramenta, aut profeſſionem in Religione ad nullam reſtitutionem tenetur, & actus ſunt validi, cum ad eorum valorem ſolùm requiratur poteſtas in conferente, ac intentio, & in ſuſcipiente capacitas. Ita P. Suarez *tom.* 1. *de Relig. libr.* 4. *capit.* 59. *à numer.*28. P. Caſtro Palao *tom.* 3. *tract. vlt. diſp.* 3. *punct.* 26. *num.* 1. P. Leſſius *de iuſtit. lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 29. *&* 30. Machado *tom.*1. *lib.*3. *tract.* 4. *docum.* 2. E contrà verò qui accepit pretium temporale pro re ſpirituali, antequam hanc tradat, iure naturali tenetur reſtituere, vt affirmant Caietanus *verbo Simonia cap.*3. & communis; & quidem ipſi domino, qui pretium tradidit, vt contra P. Azor 1. *part. lib.*12. *cap.*20. *q.*11. tenet communior. Videatur Bonacina *de ſimon. diſ.* 1. *q.*7. *p.*3. *diffic.*1. *n.*2.

84 Rursùs accipiens pretium ob præſentationem, collationem, aut confirmationem beneficij iam traditi tenetur ſaltem iure Eccleſiaſtico illud reſtituere iuxta *cap. de hoc, de ſimon.* Et iuxta communiorem ſententiam, ante præceptum iudicis. Pretium autem acceptum propter ingreſſum, aut profeſſionem in Religione, ante iudicis ſententiam non datur reſtituendi obligatio. Ita P. Suarez *ſuprà cap.*60. *à num.*9. Leſſius, Caſtro Palao, & communiter alij. Idem dicito de pretio accepto ob collationem Ordinum, vt ijdem Authores docent. Reſtitutionem autem præſtandam eſſe Eccleſiæ, colligitur *ex cap. de hoc, de ſimon. Authentic. de ſanctiſſ. Epiſc.* §. *ſi verò*, *collat.*9. Poſſe tamen fieri pauperibus, doctrina eſt valdè communis cum D. Thom. 2.2. *q.*100. *art.*6. *ad* 3. quamvis, ſi reſtitutio fiat ante ſententiam iudicis, debere ei præſtari, qui pretium tradidit, poſt ſententiam verò, ei, cui iudex reſtitutionem applicauerit, tuentur Sotus *de iuſtit. lib.*9. *q.*8.

*art.*1. Bañez 2.2. *q.* 32. *art.*7. Aragon 2. 2. *q.*100. *art.*6. *verſu. Ad ſecundum* Rodriguez 2.*tom. ſum. cap.* 66. *num.*4. Villalob. *tom.*2. *tract.*37. *diffic.*40. *num.*2. P.Caſtro Palao *tom.* 3. *tract.vlt. diſp.*3. *punct.*26. *n.*5. & alij apud ipſum.

85 Non infirma confirmatio eſt concluſionis *ſuperiùs* ſancitæ hæc doctrina de ſimoniacis contractibus; ſiquidem, vt *nuper* vidimus, ſæpè in eis obligatio reſtituendi non datur, & tamen accipitur turpiter pretium: igitur in aliis caſibus idem contingit, maximè cum ſtrictiùs caueatur in iure, ne contractus ſimoniaci peragantur. Deindè aliquando datur iuxta dicta obligatio reſtituendi pretium ſimoniacè acceptum; quia ius ita expreſsè diſponit; ſed exceptio firmat regulam in contrarium: ergo in aliis caſibus, vbi non datur expreſſa diſpoſitio iuris, vt acceptum ob turpem cauſam pretiò æſtimabilem reſtituatur, non datur obligatio reſtituendi.

86 Secundò limitanda eſt ſuperior aſſertio, ſi acceptum ob turpem cauſam excedat iuſtum rei turpis pretium, attentis circunſtantiis. Etenim tunc ex parte conferentis non adeſt legitimus conſenſus, cuius defectu dominium non transfertur. Idem eſt, ſi dolo, aut mendaciis pretium actus turpis ſupra iuſtum exigatur, vt ſi fœmina iam deflorata virginem ſe fingens pretium voluptatis expoſceret, quod neutiquam eſſet conferendum, ſi virgo non crederetur. Cæterùm, cum quis præ nimio affectu, quo in fœminam trahitur, munera ei confert, quæ longè ſuperant voluptatis pretium, adhuc non conſurgit reſtituendi obligatio; quia ex affectu liberalitatis, abſque doli interuentione, tradita cenſentur. Similiter, ſi vir nobilis, aut Dynaſta munera pretioſiora concedat, dominium ſimpliciter transfertur: quia attenta qualitate donantis, dignaque eo liberalitate, legitimus in ipſo conſenſus præſumitur. Ex his facilè ad plures decernendos caſus fit gradus.

87 Tertiò limitanda eſt eadem concluſio, ſi ob turpem cauſam accipiatur ab eo, qui dare non poteſt. Supponimus quippè in aſſertione noſtra, poſſe donare, & contractus perficere eum, qui ob turpem cauſam lucrum tradit ſolúmque eo tetendit difficultas, an præcisè ob turpitudinem cauſæ dominium lucri non transferretur in accipientem? Non autem eſt huius loci, inueſtigare, quinam ſint, qui donare, & contractus peragere nequeant, an religioſi, filij familias, minores viginti quinque annis ſub poteſtate curatoris exiſtentes, fœminæ vxoratæ, & ſimiles. Videantur Nauarra *lib.*3. *de reſtit. c.*1. *dub.*3. *num.*183. Syluest. *verbo Religio* 6. *q.*7. Rodriguez *tom.*2. *qq. regul. q.*125. *art.*2. Bañez 2. 2. *q.*62. *artic.*5. *dub.* 5. P. Molina *tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 140. P. Rebellus *de oblig. iuſt.* 2. *p. lib.*12. *q.*4. *ſect.*8. Gutierrez *in Authent. Sacramenta puberum*, *num.* 47. *Cod. ſi aduerſus venditionem*, Matienzo *in leg.* 22. *titul.* 11. *lib.* 5. *recop. gloſſ.* 8. *n.*10. Azeuedo *ibidem n.*2. Sotus *lib.* 4. *de iuſt. q.* 5. *art.* 2. Villalob. *tom.*2. *tract.*28. *diffic.* 5. Diana 1. *part. tract.* 8. *reſ.* 67. P. Leſſius *de iuſt. lib.*2. *c.*26. *dub.*5. Salon *de iuſtit. q.* 5. *art.* 4. Machado *tom.* 2. *lib.*6. *part.* 7. *tr.*7. *à docum.*13. Pinel. *de bonis mater. in* 3. *p. lib.*1. *n.* 52. Trullench *in præcept. dec. tom.*2. *lib.*7. *c.*5. *dub.*8. Baeza *de non meliorandis c.*11. *n.* 59. & alij paſſim. Videndus etiam ſum ego *Tomo de Iure Academico*, *lib.*3. *ex num.*179. *& ex n.*193. Si tamen accipiatur pretium ab eo, qui nequit illud conferre, reſtitutio non eſt præſtanda pauperibus, ſed ei, penes quem eſt dominium, aut adminiſtratio rei acceptæ, atque adeò locus compoſitioni non datur, nec Bulla quidquam circa hoc poteſt operari.

88 Similiter ſi accipiens pretium ob turpem cauſam incapax eſt dominij illius, reſtituere tenebitur ei, cuius fiunt omnia illius bona. Sic plures cenſent, adulteram teneri reſtituere marito pretium turpiter adquiſitum, de quo *inferiùs*: non tamen tenetur reſtituere ei, qui contulit, is enim conferre debuit ob voluptatem habitam pretio æſtimabilem, cum aliundè ſupponatur capax donandi, & transferendi bonorum ſuorum dominium. Religioſus etiam ſuæ Religioni reſtituere tenetur, quæ adquiſiuit. Vnde in his caſibus, cum eiuſmodi bona non debeantur Eccleſiæ, vel pauperibus, locus compoſitioni per Bullas non datur. Ex dictis *in hoc capite* plures caſus ex ſequentibus dilucidè explanabuntur.

CAPVT VII.

De caſu quinto Bullæ compoſitionis circa Iudices ordinarios, Delegatos, aut Aſſeſſores, qui pro ſententia iniqua, vel pro iniuſta dilatione ſententiæ proferendæ quidquam recipiunt.

89 VErba Bullæ Hiſpanæ ſunt: *Item ſi algun juez ordinario, ò delegado, ò aſſeſſor ouieren recibido algun dinero, ò otra coſa, por dar mala, ò iniuſta ſentencia, ò por dilatar la cauſa en perjuizio de la parte, ò por hazer algun agrauio, ò otra coſa, que no deban, en tal caſo ſe pueden, y deben componer de lo que aſſi recibieren: quedando à ſaluo el daño que la parte recibio, para que ſe ſatisfaga.*

90 Sequitur Commiſſarius generalis ſententiam tutiorem propoſitam *cap. præced.* quæ defendit, reſtituendum eſſe pauperibus, quod

quod pro turpitudine aliqua, aut iniuſtitia patranda accipitur: bona autem pauperibus debita poteſt componere; authoritate tradita ipſi à Pontifice, qui adminiſtrator eſt eiuſmodi bonorum, & eorum, quæ ad conſcientiæ exonerationem ſpectant, qualia hæc ſunt. Monetur tamen ab ipſo, iudicem, qui iniquè pecunias, aut alia bona accepit, præter compoſitionem, ſatisfacturum eſſe parti læſæ: quippè ea ſatisfactio debetur ratione ſententiæ iniuſtæ, aut ob dilationem iniuſtam, propter quam pars læſa fuit, & damnum percepit. Itaque iudex, in hac ſententia, duplici obligatione tenetur: alia reſtituendi bona iniquè accepta: alia reſtituendi damnum illatum: quod penſandum eſt, attentis circunſtantiis.

91 In ſententia autem oppoſita tenetur quidem reſtituere damnum illatum, cum peregit actionem iniuſtam, & ex actu contra iuſtitiam reſultat obligatio reſtituendi, vt media reſtitutione ſeruetur æqualitas, quæ per prauam, ac iniuſtam actionem fuerat ablata. Non verò tenetur reſtituere, quod accepit pro ea actione iniuſta peragenda, cum in acceptione preciſè ſumpta, & ſeparata ab actione iniuſta proferendi iniquam ſententiam, aut malitioſè differendi illam, nulli fecerit iniuriam, nec actum contra virtutem Iuſtitiæ exercuerit, ſed ſolùm quaſi vendiderit actionem à ſe peragendam, iniquè quidem, ſed tamen ad æqualitatem, cum æſtimabile ſit pretio, iudicem in prolatione ſententiæ iniuſtæ exponi periculis aduerſus ſuam famam, ac facultates, & prætereà obnoxium manere reſtitutioni faciendæ parti læſæ. Ideò in hac ſententia opus non eſt compoſitione. Et quidem nec in hac, nec in oppoſita, reſtitutio parti læſæ præſtanda poteſt per Bullas componi, cum non debeatur pauperibus, nec domino incerto, ſed certo. Quare expreſsè aſſeritur in clauſula *ſuprà* præfixa, poſſe componi de iniuſtè acceptis, ſaluo tamen damno partis læſæ, quod integrè reſtituendum eſt eidem parti. Niſi excipias caſum, in quo iudex plures olim iniuſtas protuliſſet ſententias, & ad locum diſtantem profectus nequiret poſteà in notitiam deuenire partium, quas læſit: tunc enim componere poſſet, quæ reſtituere tenebatur, vtpotè incertis dominis debita. Qui caſus poſſet contingere iudicibus, qui ab Hiſpania ad Indias, ſeu alia remota Regna, vel ad Hiſpaniam ab Indiis tranſmearent: à quibus tamen diligentia adhibenda eſt, vt certis dominis damna reſtituant.

92 Quæ diximus de bonis acceptis pro iniuſta ſententia ferenda, aut pro dilatione iniuſta ſententia, extenduntur ad quamvis aliam iniuriam, ſeu actionem iniuſtam, pro qua exercenda iudex ea bona accipiat. Multipliciter enim in litis progreſſu poteſt iniuriam parti irrogare, & ex qualibet actione iniuſta conſurgit obligatio reſtituendi parti læſæ damnum. Et ſanè hæc obligatio eadem eſt, ſiuè pecunias acceperit, ſiuè non; pro eiuſmodi damni illatione, hincque confirmatur ſententia ſecunda, de qua *num. præcedenti*, ſcilicèt non aliam eſſe actionem contra iuſtitiam in iudice accipiente bona ob iniquam ſententiam ferendam, niſi ipſam ſententiæ promulgationem: nam acceptio bonorum nec lædit conferentem, nec item partem, quæ aliundè per ſententiam læditur, & indè totum damnum, quod percipit, ei debet reſtitui. In quibus autem iudices agant iniuſtè, ac in quibus peccent; recenſet P. Petrus de Oñate *tom. 2. de contractib. diſput.* 35. *ſect.* 4. Vbi iudicum Eccleſiaſticorum, ac ſæcularium obligationes affert, quæ etiam extant *in leg.* 17. *tit.* 4. *lib.* 3. *Recopilat.* Et apud P. Buſembaum *in medulla Theolog. mor. lib.* 4. *cap.* 3. *ex dub.* 2.

93 Bona, de quibus in præſenti, ac cæteris caſibus compoſitio indulgetur, ſunt pecuniæ, aut alia quævis pretio æſtimabilia; quæ quidem iuſtè taxanda ſunt, vt inſpiciatur, quæ quantitas componenda reſultet & accedatur pro compoſitione ad Commiſſarium Generalem, ſi excedatur quantitas, quæ per Bullas valet componi.

94 Deſignantur in caſu præſenti iudex ordinarius, delegatus, ac aſſeſſor. Verùm non propterea excluduntur alij iudices, arbitri, compromiſſarij, ſubdelegati, & quicumque alij ſententiam proferre poſſunt ex munere, delegatione, aut conſenſu partium. Eadem enim eſt ratio, vt hi componi valeant de bonis acceptis ob iniuriam parti litiganti inferendam, ac illi; nec obſtat, quòd eorum mentio non fiat, tum quia fit mentio de aliquibus iudicibus, ſolùm quaſi exempli gratia, cæteris non excluſis; tum quia, cum bona illa debeantur pauperibus, in ſententia tutiori, quam ſequitur Commiſſarius, poſſunt per Bullas componi, iuxta conceſſionem generalem in hac Bulla appoſitam, quòd omnia bona certum dominum non habentia indeque ad pauperes ſpectantia, poſſunt per Bullas componi.

95 Reſtat tamen, vt interpretemur textum in *cap. non ſanè*, 14. *quæſt.* 5. deſumptum ex D. Auguſtino *epiſtol.* 54. *ad Macedonium*, ex quo videtur conſtare, bona, de quibus adhuc egimus, omnino debere reſtitui, nec poſſe iudicem ea, abſque compoſitione ſaltem, ſibi retinere. Ibi enim aſſeritur:

Digitized by Google

Cum autem iudicia, & teſtimonia, (quæ nec iuſta, nec vera vendenda ſunt,) iniqua, & falſa venduntur, multò ſceleratiùs vtique pecunia ſumitur, quia ſcelerate etiam, quamvis à volentibus, datur. Ille tamen ſolet malè ſibi ablatam pecuniam repetere, qui iuſtum iudicium emit, quoniam venale eſſe non debuit. Qui vero pro iniquo iudicio dedit, vellet quidem repetere, niſi timeret, vel puderet emiſſe.

96 Vbi expendo primò, ſceleratiùs accipere iudicem bona pro ſententia iniqua, quàm pro iuſta; ea enim fit in hoc textu comparatio, vt ex antecedentibus conſtat; ergo, ſi pecunia præſtita pro iuſto iudicio, tanquam debita, repetitur, etiam repeti poteſt, quæ pro iniuſto iudicio præſtatur. Expendo ſecundò eum, qui pro iniquo iudicio pecuniam dedit, velle, ſi non timeret, aut puderet dediſſe, pecuniam repetere: ergo, quia inuitus dedit, atque adeò legitimus conſenſus in eo defuit, cuius defectu dominium pecuniæ nequiuit in iudicem transferri.

97 Verumtamen hic textus non contrariatur ſententiæ poſitæ *num.* 91. Et quidem in primis ex diſcurſu *nuper* facto ſolùm probatur, iudicem teneri reſtituere ipſi danti malè ab eo acceptum, & non pauperibus, quare locus non erit compoſitioni per Bullas; ſiquidem obligatio reſtituendi infertur ex actione, quam habet ad repetendum pecuniam is, qui dedit tàm pro iudicio iuſto, quàm pro iniquo. Deinde in textu ſolùm contenditur, ſceleratam eſſe eam pecuniæ acceptionem, quod non inficiamur: neutiquam verò aſſeritur, acceptionem eſſe contra virtutem iuſtitiæ, vnde obligatio reſtituendi reſultet. Comparatio verò non eò tendit, vt ſit potiùs debitum reſtituendi in iudice accipiente pecunias pro iudicio iniquo, quàm in accipiente pro iudicio iuſto; ſed eò dumtaxàt, vt ſcelus ipſum dignoſcatur. Iudex etenim, qui pro iuſto iudicio pecuniam accipit, vnicum ſcelus patrat, ſcilicèt venditionis ſui muneris rectè gerendi, ad quod aliundè tenetur. Qui verò pro iniuſto iudicio, vendit ſuummet peccatum, & poſteà actionem iniuſtam exercet in prolatione ſententiæ iniquæ, inferens iniuriam proximo; quod vtrumque eſt ſcelus, & grauius, quàm illud, quod in primo caſu committitur.

98 Rursùs non probatur, dantem pro iniqua ſententia pecuniam fuiſſe inuitum, quin potiùs in ipſo textu aſſeritur, eum dediſſe vltroneum, ibi. *Quamvis à volentibus datur.* Quòd autem vellet repetere, non conuincit defectum voluntarij in donatione; ſed oſtendit, eam eſſe auaritiam aliquorum, vt poſtquam per iniuſtam ſententiam, à ſe emptam, bona aliena obtinuerunt, vellent ſimul pretium emptionis reſtaurare, vt gratis ſibi ſtaret iniqua poſſeſſio; ſed tamen non repetunt pretium, quia animaduertunt, inſtare periculum, quòd puniantur, vel quòd ſententia reuocetur, & ſpolientur bonis malè poſſeſſis, & contractus ille ſceleratus caſſetur, reddita ipſis pecunia, ac ablatis per iuſtum iudicium bonis. Aliundè etiam, cum maneant obnoxij reſtitutioni bonorum, quæ per iniquam ſententiam poſſident, nec valeant ea retinere, vellent ſaltem non amiſiſſe eam pecuniam, quam pro ſententia præſtiterunt, ſiquidem nullum lucrum penes ipſos manet, dummodò bona reddant. Non tamen hoc indicat, non fuiſſe omnino voluntarios, quando pecuniam tradidere.

99 Ex eodem textu validè confirmatur hæc doctrina: nam loquens D. Auguſtinus de iudicibus ſceleratè accipientibus bona præfata inquit: *Iſti, ſi viam vitæ mutauerint, aut excellentioris conſcenderint ſanctitatis gradum, faciliùs ea, quæ hoc modo acquiſierunt, tanquam ſua, pauperibus largiuntur, quam eis, à quibus accepta ſunt, tanquam aliena, reſtituant.* Ecce dantes pecuniam non habent ius repetendi, nec manent domini pecuniæ datæ, ſiquidem non eis eſt poſtmodùm largienda, nec, vt aliena, ipſis reſtituenda. Præterea iudices eam pecuniam, etſi laudabiliter pauperibus largiantur, tamen id ex obligatione non debent: tum quia id non ſignificatur per verbum reſtitutionis, ſed largitionis, quod liberalitatem denotat; non debitum iuſtitiæ, tum quia largiuntur, tanquam ſua, non tanquam aliena, quòd ſi aliena eſſent, non tanquam ſua largirentur, ſed tanquam aliena eis, à quibus accepta ſunt, reſtituerent; tum demum quia tunc largiuntur, cum ſanctitatis excellentioris gradum conſcendunt, quaſi dicatur, non eſſe neceſſariam eam largitionem, vt præcisè ſatisfiat legi, & præcepto diuino: ſi enim ad hoc eſſet neceſſaria, quamvis illi ad eum gradum ſanctitatis non perueniſſent, largiri tenerentur. Solùm ergo ea largitio per modum conſilij iniungitur iis, qui abiurantes vitam laxiorem, omnino ſe, & ſua Deo tradunt: tunc enim, & miſericordia in pauperes debet eſſe profuſior, & non ſunt retenturi bona, in quorum retentione poteſt eſſe aliqua ſcrupuloſa anxietas animi; ſi quidem, vt ſæpè diximus, tutius eſt, ea bona dari pauperibus, quam retineri, etſi retentio iuxta opinionem illam probabilem ſit in conſcientia tuta.

100 Et quidem ille, qui pecunias dedit ob turpem actum adimpleta conditione, ius repetendi non habet, vt ex *leg.* 1. *ff. de condit. ob turp. cauſ.* probat Rodriguez *in explicat. Bull. compoſit.* §. *vnico*, *caſu* 4. *num.* 22. affirmans, id ex multis decretis Iuris Canonici, &

& ciuilis conſtare. Dixi, *adimpleta conditione*, nam ante adimpletionem illius tum Iudex, tum quivis alius accipiens bona ob turpem cauſam exercendam, tenetur parti ipſi danti ea reſtituere, vt *ſuperiùs* annotauimus, & ex D. Iſidoro obſeruat Rodriguez *vbi nuper, num.* 21. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 29. *n.* 23. & communior, licèt aliqui, quos refert Medina *de reſtitut. q.* 3. *not.* 10. contrarium opinentur.

101 Hîc nota, iudicem in proferenda ſententia negligentem, & ob negligentiam non condemnantem, non teneri reſtituere fiſco, aut parti læſæ pœnam pecuniariam; aliàs debitam, quia fiſcus, & pars ante ſententiam nondum acquiſierunt ius ad eiuſmodi mulctam; &, vt aliqui docent, non ſatis conſtans eſt, iudicem ex iuſtitia teneri, ea emolumenta fiſco, ac parti, procurare. Sic contra P. Molin. *tom.* 1. *de iuſtit. tract.* 2. *diſp.* 95. *n.* 36. tuentur P. Leſſius *de iuſtit. lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 18. *n.* 114. Diana 3. *part. tract.* 6. *reſ.* 35.

102 De officio iudicis agunt, præter Summiſtas verbo *Iudex*, plures Authores, qui de iuſtitia, & iure ſcripſerunt, Sotus, Molina, Rebellus, Leſſius, Amicus, Buſembaum, & alij, & in ſpeciali P. Oñate *tom.* 2. *de contract. diſp.* 35. *ſect.* 4. Machado *tom.* 2. *lib.* 6. *part.* 2. *tract.* 1. Cardinalis Lugo *tom.* 2. *de iuſtit. diſp.* 37. & plura in ſuis operibus diſperſa habet Diana, quæ congerit in ſumma Auſonius Noctinot *verbo Iudex.* Apud quos videri poſſunt plura, quæ ſpectant ad caſum *in hoc capite* expoſitum, & ad caſus *infrà* exponendos *cap.* 11. *&* 13.

CAPVT VIII.

De caſu ſexto in Bulla compoſitionis præfixo circa Aduocatos ob patrocinium cauſæ iniuſtæ ſtipendium accipientes.

103 IN Bulla compoſitionis Hiſpana aſſeritur: *Item, que ſi algun abogado recibio alguna coſa, por abogar en cauſa iniuſta, ſabiendolo ſu parte, ſe puede dello componer; pero à la parte, à quien perjudico, ha de hazer ſatisfaccion del daño.* Supponendum eſt primò ad clariorem huius caſus explanationem, aduocatum licitè accipere à cliente, cuius partes agit, ſui laboris, ac ſtudij ſtipendium; etenim nemo ingenuus cogitur officium ſuum gratis exercere, iuxta *leg. ſi mandauero* 22. §. *ſicut autem, ff. mandati.* Et licèt iudex nequeat vendere iuſtum iudicium, nec teſtis teſtimonium verum, at, vt ait D. Auguſtinus allatus *in cap. non ſanè*, 14. *quæſt.* 5. licitè aduocatus vendit iuſtum patrocinium, & iuriſperitus verum conſilium: nam iudex, ac teſtis inter vtramque partem ad examen adhibentur, aduocatus, & iuriſperitus ex vna parte conſiſtunt. Quare, ſi iudex, aut teſtis aliquid acciperent ab vno ex litigantibus, ad eum inclinarent & non inter vtrumque æqua lance veritatem trutinaturi conſiſterent; aduocatus autem vnius dumtaxat partes agit, eius iuſtitiam ſaltem probabilem iudicans. Vnde aduocatus nequit vtriuſque litigantis partes ſimul agere, nec ab vtroque pro defenſione ſtipendium accipere; hoc quippè eſſet, præuaricari, cum præuaricator ſit, qui ex vtraque parte conſiſtit.

104 Supponendum eſt ſecundò, aduocatum ſolummodò poſſe accipere ſtipendium, quod, attentis circunſtantiis, ſibi debetur: aliàs tenebitur exceſſum reſtituere ipſi danti, non pauperibus, nec de eo poterit per Bullas componi; niſi id, quod excedit iuſtum ſtipendium, ei tribuatur omnino vltroneè, vel in gratitudinis ſignum, vel quia tribuens, vtpotè vir nobilis, ſeu Dynaſta ſuæ magnitudini conſulens larga eum manu remuneret. Poteſt etiam annuum ſalarium à cliente recipere, etiam ſi ille aliquo anno nullas cauſas habeat, vt contra Flores de Mena *lib.* 1. *q.* 8. *n.* 54. tuetur Gutierrez *lib.* 1. *q.* 32. *à num.* 1. quidquid hoc limitet Diana *part.* 2. *tract.* 15. *reſ.* 42. Idem enim de aduocato dicendum eſt, ac de medico, & chirurgo, qui licitè ſtipendium annuum accipiunt, etſi aliquo anno nullus æger fuerit, tum quia per eos non ſtat, operam ſuam non adhibere, tum quia alio anno maior ab eis erit labor adhibendus, quàm eſt ſtipendium deſignatum, ideoque eſt æqua compenſatio.

105 Supponendum eſt tertiò, non poſſe aduocatum defendere cauſam iniuſtam, aliàs tenebitur omnia damna parti reſtituere, vt tenet communis teſte Trullench *in precept. tom.* 2. *lib.* 8. *cap.* 5. *dub.* 13. *num.* 3. niſi cum ignorantia inculpabili eam cauſam tutatus fuiſſet, vt docent Caietanus 1. 2. *q.* 6. *art.* 8. & alij. Si culpa in eo ſit lata, quæ dolo æquiparatur, reſtituere damna tenetur; non verò, ſi leuiſſima, aut leuis. Ita docent Ortiz *in ſum. c.* 8. *n.* 3. Turrianus *tom.* 2. *in* 2. 2. *diſp.* 11. *dub.* 4. *à n.* 4. Leſſius *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 7. *à num.* 31. & plures contra P. Molina, & alios. Etiam tenetur damna reſtituere, ſi ſe in ſufficientem agnoſcat, imò, & ab officio deſiſtere, vt cum communi docet Machado *tom.* 2. *lib.* 6. *part.* 3. *tract.* 1. *doc.* 3. *num.* 4. niſi cliens eius inſufficientiæ conſcius vellet ſe ipſius patrocinio committere: nam ſcienti, & conſentienti nulla fit iniuria, neque dolus, *leg.* 1. §. *vſque adeò, ff. de iniuriis*, cum aliis iuribus vulgatis.

106 Cæterùm aduocatus poteſt patrocinari cauſæ minùs probabili, admonito cliente de minori probabilitate, aliàs tenebitur

Digitized by Google

ei damna reſtituere. Sic communis. Item cauſæ dubiæ vt docent plures apud Dianam *part.2.tr.11.reſ.6. & part.4. tr.3.reſ.47.* De opinionibus autem, quas poteſt ſequi aduocatus, de eius officio, ac obligationibus, videantur Ioannes Sanchez *in ſelect. diſp.64. n.63.* P.Thom. Sanchez *in ſum. tom.1. lib.1. cap.9.* Machado *vbi ſuprà.* Cardinalis Lugo *tom.2. de iuſt. diſp.41.* Valerus *in differ. vtriuſque fori, verbo damnum,* P. Azor *3.part. lib.3. cap.29. dub.5.* Fagundez *in præcept. lib.8. capit.38.* Toletus *in ſum. lib. 5. cap.62.* & alij *ſuperiùs* citati. Nobis, hæc attigiſſe, ſufficiat. Et videndus ſum *in ſtatera opinionum benignarum, diſſertat.13. ex n.219.*

107 Igitur, cum aduocatus nequeat defendere cauſam iniuſtam, ſi accipiat aliquid à cliente iniuſtitiæ conſcio, pro defenſione iniquæ cauſæ, tenetur in primis parti contrariæ damna inde ſecuta reſtituere, in quo non datur compoſitio, cum ſit certus dominus, cui facienda eſt reſtitutio. Deindè in ſententia tutiori, quam ſequitur in præſenti Commiſſarius Generalis Cruciatæ, docente, lucrum ob turpem cauſam acceptum debere pauperibus reſtitui, tenetur reſtituere illis id, quòd à cliente accepit. Concedit autem Commiſſarius authoritate Pontificis, vt id, quod pauperibus erat reſtituendum, per Bullas componatur: dummodò non excedat quantitatem deſignatam, quæ per eas componi valet, ſi enim excedat, erit cum Commiſſario ipſo facienda de exceſſu compoſitio. Sic hunc caſum explicant Bullæ Expoſitores, Rodriguez, Villalob. Trullench, P. Henriq. *lib.7. de indulg. cap.35. n.4.*

108 Aduertit autem Commiſſarius, parti contrariæ læſæ ab aduocato fore ſatisfaciendum, quod & nos *nuper* monuimus. Aduertit, etiam clientem debere eſſe conſcium iniuſtitiæ ſuæ cauſæ, pro cuius patrocinio ſtipendium præſtitit aduocato. Etenim ſi inſcius ſit, aduocatus tenetur reſtituere ei tum acceptam ab ipſo pro defenſione cauſæ iniuſtæ pecuniam, tum expenſas, & damna ſecuta, quæ non percepiſſet, ſi aduocatus iniuſtitiam cauſæ, vt debebat, declaraſſet, patrociniumque nullatenùs ſuſcepiſſet. Quare inuitus eſt cenſendus tunc cliens circa pecuniam, quam aduocato præſtitit, & circa cætera damna, quæ ſuſtinet. Et de his compoſitio non indulgetur à Pontifice, cum non pauperibus, ſed clienti reſtitutio debeatur. Excipe caſum generalem, in quo eiuſmodi cliens, adhibita ſufficienti diligentia, non compareret; nam tunc bona ei debita, quaſi incerti domini, poſſent per Bullas componi, ſuppoſito etiam, nullum hæredem comparere.

109 Attamen in ſententia probabili, & tuta, de qua *cap.6.* aduocatus accipiens aliquid à cliente conſcio iniuſtitiæ ſuæ cauſæ pro eius patrocinio, nihil ex accepta pecunia, dummodò non excedat laboris, ac operæ ſtipendium, tenetur reſtituere pauperibus, aut ipſi clienti, ſed ſibi retinere poteſt, atque adeò non indiget compoſitione per Bullas, aut cum Commiſſario. Et de aduocato loquens expreſsè fauet P. Henriquez *vbi ſuprà*, etſi tutius, aſſerat, eſſe, reſtitui pauperibus. Adhuc verò tunc tenebitur aduerſariæ parti læſæ nocumenta reſtituere, quæ ortum habuerunt ex actione iniuſta patrocinij illius cauſæ; non ex acceptione pecuniæ pro patrocinio illius, quæ acceptio non fuit contra virtutem iuſtitiæ; ſed contra aliam, ideoque ex illa obligatio reſtituendi non reſultauit. Recolantur dicta *loco citato.*

110 Notandum eſt cum Rodriguez *in præſenti, caſu 5. n.24.* aduocatum, qui accepit pecuniam pro patrocinio cauſæ iniuſtæ ſuſcipiendo à cliente conſcio iniuſtitiæ, antequam ei cauſæ patrocinetur, teneri reſtituere acceptam pecuniam ipſi parti danti, cum nondum ipſe præſtiterit ſuam operam, & ſi prauam, pretio æſtimabilem. Quare Confeſſarius, ſi ad pœnitentiæ Sacramentum is aduocatus accedat, debet iniungere ei obligationem hanc reſtituendi, & reſcindendi contractum eiuſmodi iniquum.

CAPVT IX.

Exponitur caſus ſeptimus Bullæ compoſitionis de Teſte, Fiſcali, aut Accuſatore, qui pretium acceperunt pro accuſatione, ſeu depoſitione iniuſta, aut pro omiſſione accuſationis, ſeu depoſitionis debitæ.

111 IN Bulla compoſitionis Hiſpana ſic habetur: *Item, que ſi algun teſtigo, por teſtificar falſo, ò algun fiſcal, ò acuſador, por acuſar à alguno falſamente, ò dexarle de acuſar, ſiendo obligado de acuſarle, recibio alguna coſa, ſe puede componer de lo que aſſi recibio, y ha de ſatisfacer à la parte, à quien periudico.* Circa hunc caſum nihil aliud Bullæ Expoſitores aiunt, niſi quòd eodem modo eſt intelligendus, ac præcedens. Aptanda ergo ſunt, quæ de aduocato ſtatuimus, proportione ſeruata, fiſcali, accuſatori, & teſti.

112 Itaque iuxta tutiorem ſententiam, cui adhæret Commiſſarius generalis Cruciatæ, teſtis, fiſcalis, & accuſator accipientes pretium aliquod pro actione iniuſta exercenda in teſtificando, accuſando, ſeu deferendo, aut pro omiſſione teſtificationis, accuſationis, ſeu delationis, ad quam ex munere, aut aliundè tenebantur, & in qua omiſſione peccant

peccant contra ſuum munus, aut alicui damnum inferunt, debent id pretium reſtituere pauperibus poſt peractum opus, nam, antequam peragant, ipſi danti tenentur reddere. Id verò quod pauperibus inde debetur, componi poteſt per Bullas; ſed ſimul debent ſatisfacere parti læſæ, omnia ei nocumenta illata reſarciendo. Cæterùm in ſententia oppoſita probabili practicè, ſtabilita *cap.6.* poſt peractum opus, pro quo pretium acceperunt, quod pretium non excedat operis æſtimabilitatem, attentis circunſtantiis, non tenentur illud reſtituere, ſed ſibi aſſeruare queunt, quare compoſitione per Bullas non indigent: debent tamen parti læſæ damna reſarcire, in quo non eſt locus compoſitioni, niſi pars læſa poſt adhibitam ſufficientem diligentiam non compareat, nec vllus eius hæres.

113 Vt autem dignoſcatur, quando iniquè agant prædicti, indeque conſtet, pretium acceptum pro iniqua actione exercenda acceptum, eſſe reſtitutioni obnoxium, ac per Bullas poſſe componi, breuiter præſtringemus aliqua, quæ mihi ſunt certiora. Cætera videri poterunt apud Summiſtas *verbo Teſtis, Accuſator*, & apud Cardin. Lugo *tom.2. de iuſt. diſp.* 38. *&* 39. Machad. *tom.2. lib.6. part.4. tract.1. & 2. & part.3. tr.1.*

114 Iniuſtè agit teſtis, dum iniquo teſtimonio alteri damnum infert. Item is, qui iurat, ſe certò ſcire aliquid, propterea quod audiuerit à viro optimæ famæ: nam, etſi hoc ſufficiat ad iurandum abſque labe periurij extra iudicium; non verò intra, quaſi id ex certa ſcientia noſcens, cum nequeat ſui dicti reddere rationem: nec teſtes ex auditu ſolùm, ſunt teſtes ex certa ſcientia. Conſulatur P.Th. Sanch. *in ſum. tom.1. lib.3. c.4. num.13.* Iuridicè, & legitimè interrogatus tenetur verum dicere: etiam ſi dubitet, an legitimè interrogetur, niſi indè ipſi, aut tertiæ perſonæ graue immineat periculum abſque pernicie publica. Sic P. Leſſius *de iuſt. lib.2. c.31. dub. 3, n.10.*

115 Peccat grauiter teſtis, qui, etiam non interrogatus, non teſtificatur, quando ob eius teſtimonium liber à graui damno eſſet euaſurus innocens, niſi ipſi teſti graue indè detrimentum immineret. Ita P.Fagundez *in præcept. lib.8. c.42. n.6.* Peccat rursùs, qui citatus à iudice, vt teſtificetur, abſcedit, ne id faciat quando eius teſtimonium neceſſarium eſt, vt pars litigans ſententiam pro ſe nanciſcatur. Sic Trullench *in præcept. tom.2. lib.8. cap.3. dub.10.* Si vnicus ſit teſtis alicuius delicti, an teneatur aperire veritatem, probabile eſt vtrumque. Legantur Sotus *de iuſtit. lib.5. quæſt.7. art.1.* Ioannes Sanchez *in ſelect. diſp 43. n.3.* Ioannes de la Cruz *in directi. conſc. part.1. pr.8. art.4.*

116 Grauiter delinquit, qui ſciens delictum vergens in Reipublicæ detrimentum, non accuſat delinquentem, aut ſaltem non denunciat. Ita communis cum D.Thom. 1.2. *q.68. art.1.* Ea autem inter accuſatorem, & denuntiatorem intercedit diuerſitas, quòd accuſator tenetur probare delictum, ſecùs denuntiator. Etiam mortaliter peccat, qui falsò accuſat, vt cum omnibus tradit P.Filiucius *tom.2. tr.40. c.7. n 205.* Imò, & qui verè accuſat, ſed praua intentione ductus, odij, aut vindictæ, vt ex ſe eſt manifeſtum.

117 Et quia, quod in præſenti caſu aſſeritur de accuſatore, extendendum eſt ad denuntiatorem, cum ſit par ratio quoad præſens, ſcire oportet, poſt edicta à Prælatis promulgata, peccare grauiter eum qui delictum alterius non denuntiat, dummodò alter non ſit pater, mater, filius frater, coniux, quamvis hi etiam denuntiandi ſint de hæreſis delicto. Videatur P.Suarez *de cenſur. diſ. 10. ſec.4. n.21.* Et ego *in ſtatera opinionum benignarum, differt.1. ex n.122.* De blaſphemia autem hæreticali non eſſe obligationem denuntiandi hos ipſos, tenent Villalob. Leſſius, & alij apud Dianam *p.2. tr.5. miſcel. reſol.* 100. An verò quis teneatur denuntiare alia delicta ad ſacrum Inquiſitionis tribunal non pertinentia, quando ipſe ſolus eſt illorum conſcius, vtrumque eſt probabile. Legantur P.Suar. *de Relig. tr. de fid. diſ.10. ſect 4. num.7.* Bonacin. *tom.1. de onere denuntiandi, diſ.6. punct.1. § 4 n.5.* Machad. *tom.1. lib.1. p.3. tr.7. doc.5.*

118 Grauiter delinquit, qui non denuntiat hæreticum, aut de hæreſi ſuſpectum, quamvis ſub iuramento, aut ſub naturali ſecreto cognouerit delictum. Ita cum P. Caſtro Palao docet Diana *part.4 tr.5. reſ.32.* De obligatione autem denuntiandi Confeſſarium ſollicitantem ad turpia, plures latè, & doctè ſcripſerunt. Seraphin de Freit. Caſtr. Palao, Souſa, Fagundez, Peyrinus, quos congeſtos reperies in ſum. Dianæ, *verb. Denuntiare Confeſſarium ſollicitantem,* nec enim huc redigi queunt, quæ circa hanc materiam ventilantur. Plura apud Me inuenies *in ſtatera opinionum benignarum, differt.1 ex n* 105.

119 Fiſcalis in cauſis criminalibus, qui omittit accuſationem delinquentis, & non curat, vt puniatur iuxta criminis qualitatem, mortaliter peccat, cum ſuo muneri in re graui non ſatisfaciat. Fiſcalis verò in cauſis ciuilibus ad Regem pertinentibus, cum gerat munus Aduocati Regij, eiſdem obligationibus tenetur, ac cæteri Aduocati in cauſis ſuorum clientum, de quibus egimus *cap. præcedenti.* Cæterùm Fiſcali in criminalibus ſunt communia ferè ea omnia, quæ de accuſatore ſuperiùs protulimus.

Digitized by Google

120 Hæc eadem aptanda ſunt, ſeruata proportione, Fiſcali ſanctæ Inquiſitionis, qui etiam grauiter peccaret, ſi informationem ad puritatem ſanguinis ſpectantem, (ad eum quippe pertinet omnes eiuſmodi præuidere,) non rectè examinaret, quoſuiſque defectus notabiles in ea repertos ad tribunal non deferret. Videatur de Fiſcali hoc D. Ioann. de Eſcobar *de nobilitat. & puritate lib. 2. cap. 4.* In his omnibus caſibus, in quibus diximus, peccare accuſatorem, Denuntiatorem, Teſtem, & Fiſcalem, ſi pretium accipant pro eis actibus peccaminoſis exercendis, conceditur à Commiſſario Cruciatæ, vt de illo pretio, quod reſtituere tenebantur iuxta opinionem tutiorem, poſſint per Bullas componi.

CAPVT X.

Explicatio caſus octaui in Bulla compoſitionis expreſſi circa Tabelliones, Notarios, Secretarios, alioſque officiales publicos, qui pro munere ſuo iniquè gerendo aliquid lucrati ſunt.

121 ASſeritur in Bulla compoſitionis Hiſpana: *Item los, officiales, Eſcriuanos, Notarios, ò Secretarios, que por hazer algo injuſtamente en ſu oficio, recibieron alguna coſa, ſe puedan dello componer; pero à las partes à quien perjudicaron, han de hazer ſatisfacion del daño.* In huius caſus declaratione Expoſitores Bullæ nihil addendum ſupereſſe, aiunt, ſed eodem modo explanandum, ac præcedentes.

122 Tabellio eſt perſona habens publicam authoritatem ſcribendi inſtrumenta ad faciendum fidem, vt deſumitur ex *l. Generali, Cod. de tabul. ſcriben.* De Tabellionis munere, ac obligationibus agunt præter alios P. Oñate *t. 2. de contract. diſp. 35. ſec. 5.* Machad. *to. 2. de perfect. Confeſ. lib. 6. p. 3. tr. 2. doc. 2.* Trullench *tom. 2. in precept. lib. 7. c. 8. dub. 2.* Syluest. *verb. Tabellio.* & extant de eo *tit. 24. & 25. in lib. 4. Recop.*

123 Peccat Tabellio inſtrumentum falſum conficiens: rursùs ſi nolit inſtrumenta partibus manifeſtare, aut ea occultet, vel ob negligentiam ea non tranſcribat, vt apud ſe aſſeruet, aut ea non verbatim, ſed per compendium exaret. Deindè, ſi inſtrumenta vſuraria conficiat, aut obligationes ſoluendi vſuras: *ment. 1. de vſur.* Videantur P. Suar. *de cenſ. diſp. 13. ſec. 15. nu. 25.* Præterea grauiter delinquit, ſi perficiat inſtrumenta aduerſus Eccleſiæ libertatem: *cap. graue, c. nouerit de ſent. excom.* Vide Bonacin. *de precep. Dec. diſput. 10. q. 3. punct. vlt. nu. 4.* Item Tabellio excommunicatus non toleratus peccat instrumenta conficiens: legatur Faber. *de cenſur. in 4. ſent. diſt. 25. q. 1. diſp. 4. c. 6. 201.* Atque etiam peccatum eſt, accipere pro inſtrumentis pretium excedens, ſaltem laborem, attentis circunſtantiis.

124 Et abſolutè loquendo nequit ſtipendium accipere, ſi munus ſuum malè gerat, quod eſt commune omnibus exercentibus officia publica, vt tradit Alexan. *in addit. ad l. cum ſeruum, C. de ſeru. fugit.* Cæterùm vt noueris, de qua culpa teneatur tum ipſe Tabellio, tum alij officia gerentes, aduerte cum P. Oñate *vbi ſup. diſp. 45. nu. 11.* officialem non exercentem ſtrenuè munus teneri de dolo, & lata culpa ſolum in officio gratis aſſumpto: in mercenario autem de culpa leui: & aliquos teneri de leuiſſima, eos ſcilicèt, quorum officium exactiſſimam diligentiam requirit, eoquòd ab ipſis vita, honor, ſalus publica, aut pax dependeant: eiuſmodi ſunt gubernatores belli, & pacis, Nauarchi, Medici, & ſimiles.

125 Notarius ad res Eccleſiaſticas eſt deputatus, idemque circa eas præſtat, ac Tabellio circa negotia ciuilia, & profana, atque adeò, proportione ſeruata, in eiſdem poteſt peccare, ac Tabellio, & ad eadem ferè tenetur. Agit de Notario Cardinalis Lugo *tom. 2. de iuſt. diſput. 41.* & de illo fit mentio *in l. 20. tit. 25. lib. 4. Recop.*

126 De Secretariis publicis extat *tit. 8. in lib. 2. Reco.* & agit de illis Machad. *ſup. doc. 1.* Peccat Secretarius, qui ſui muneris debito non ſatisfacit. Tenetur autem ſeruare veritatem, ac fidelitatem in ſuo munere exequendo: accipere ſtipendia, quæ non excedant ſuum laborem, & operam, attentis circunſtantiis: & non reccipere, nec petere directè, aut indirectè, per ſe, aut per alium, munera, eſculenta, poculenta, aut dona in gratitudinis ſignum: ad quod in foro conſcientiæ tenetur, vt conſtat ex *leg. 1. tit. 18. l. 2. Recop.* & obſeruant Menchaca *lib. 1. controu. c. 7. nu. 4.* Sotus *de iuſt. lib. 1. q. 6. artc. 6.* P. Tho. Sanch. *tom. 1. conſil. lib. 3. cap. vnic. dub. 1. num. 4.* Præterea Secretarius Epiſcopi, aut quilibet eius Miniſter, dum ipſe Epiſcopus viſitat, aut alius eius nomine, nequeunt aliquid à partibus accipere, niſi ob laborem tranſcribendi inſtrumenta. Idem dic de aliis, qui munus viſitationis gerunt ratione propriæ dignitatis, & de ipſorum Miniſtris, qui præter ſtipenda vſu recepta, aut in Synodo deſtinata, non valent aliquid aliud accipere. Eiuſmodi verò Epiſcoporum Secretarij extra viſitationem tenentur ad nihil aliud accipiendum, præter ſibi deſignata ſtipendia, niſi aliud ferat conſuetudo recepta, cui etiam ſtandum eſt reſpectu aliorum, qui officia publica gerunt circa dona, quæ ad cibum, & potum ſpectant.

127 Officiales

Digitized by Google

127 Officiales publici in caſu præſenti, prout condiſtincti à cæteris, de quibus adhuc egimus, intelliguntur hi, qui munus quodcumque in Republica, in Senatibus, aut in Tribunalibus gerunt: eiuſmodi ſunt Relatores, Procuratores, Lictores, Cuſtodes ad merces prohibitas non tranſportandas appoſiti: Adminiſtratores gazæ Regiæ. Item in bello Duces, aliique Miniſtri. De quibus agunt P. Oñate, & Machado *locis relatis in tractatibus antecedentibus, & ſubſequentibus*, & ſparſim alij Authores *ſuperius* citati.

128 Igitur Tabelliones, Notarij, Secretari, alijque officiales publici, ſi aliquid accipiant pro actione exercenda, in qua peccant, muneri ſuo non ſatisfacientes, tenentur id reſtituere pauperibus iuxta ſententiam tutiorem, quam in præſenti ſequitur Commiſſarius, à quo conceditur in hoc caſu octauo, vt poſſint de eo per Bullas componi. In ſententia autem oppoſita allata *c.6.* cum id reſtituere non teneantur, compoſitione non indigent. Aptanda hic ſunt, quæ *capitibus præcedentibus* annotauimus, vt res tota clarè innoteſcat.

CAPVT XI.

De caſu nono Bullæ compoſitionis circa iudices ſæculares, & Eccleſiaſticos in cauſis temporalibus pro debita iuſtitiæ adminiſtratione aliquid indebitum vſurpantes.

129 BVlla Hiſpana compoſitionis ſic habet: *Item, ſe pueden componer todos los juezes ſeculares, y los Eccleſiaſticos en cauſas temporales, de lo que por razon de adminiſtrar la iuſticia, que debian à las partes conforme à derecho, huuieren, recibido, aſſi dineros, como en otra eſpecie.*

130 Poſuimus *ſup. c. 6.* iudices ob adminiſtrandam iuſtitiam non poſſe pretium à litigantibus accipere: quippè qui habet ſtipendium integrum à Republica, nequit pro eodem exercitio accipere ab aliis pretiũ, quia bis acciperet. Ita P. Oñat. *t.2. de contract. diſp. 45. ſec.1.n.9.* citans Bartol. Tuſc. & alios. Et per iura Hiſpaniæ ſtrictiſſima eſt prohibitio accipiendi munera reſpectu iudicum *in l.3. tit.9. lib.5. Recop. & in lib. 1. tit.6. lib.3. Recop.* Diximus tamen *eo cap. 6.* iuxta aliquos Authores poſſe iudicem accipere aliquid non ab ipſo litigante, ſed ab alio, in cuius gratiam ſententiam proferat: poſſe, inquam, pro foro conſcientiæ, eſtò contra leges operetur, quas ſolum pœnales eſſe aliqui contendunt. Imò cum omnino ex liberalitate, & non ad redimendam vexationem, præſtatur aliquid iudici contra leges, non teneri illum abſolutè reſtitutionem; tuentur nonnulli, vt ibidem libauimus.

131 Rursùs tenet P. Layman *lib.3. tract. 4. c.4.n.9.* & Diana *p.3. tract.5. reſ.45.* poſſe iudicem aliquid accipere à litigante vt illius cauſam expediat ante aliam, quæ ſimul cum illa fuit ab alio litigante ad ipſum allata: quia in hoc nulli infert iniuriam, & æſtimabilis eſt pretio obligatio expediendi priùs eam cauſam; hoc tamen tuentur, ſpectato iure naturali: nam per ius poſitiuum legũ prohibitum eſt. Sicut, eo iure ſpectato, tutatur etiam P. Leſſius *de iuſt. lib.2. cap.14. dub.9.* iudicem aliquid accipientem ab eo, in cuius fauorem ſententiam tulit ſequens ſententiam probabilem, cum poterat quamlibet partem ſequi, non teneri ad reſtitutionem, nec contra iuſtitiam in acceptione delinquere, quippè non accipit id pro ſententia ferenda, ſed pro prælatione vnius opinionis, cum aliam ſequi valeret, nec teneretur iuxta illam iudicare. Propoſui opiniones præfatas, vt alij iuxta illas in hoc caſu philoſophentur, ſi earum probabilitati aſſentiantur. Certum eſt, oppoſitas eſſe tutiores.

132 Id omnibus eſt conſtans, cum litigans aliquid iudici præſtat ad ſuam redimendam vexationem, eo quòd aliàs iudex non ſit prolaturus iuſtam ſententiam in eius fauorem, teneri iudicem, reſtituere acceptum ipſi danti: nam abſolutè dominium non fuit tranſlatum, deficiente legitimo conſenſu in ipſo, qui dedit. Quare in hoc caſu non datur locus compoſitioni per Bullas.

133 Qui velit ſequi aliquam ex opinionibus *ſuprà* libatis, in eis caſibus, in quibus reſtituere non tenetur, non indiget compoſitione. Verum in communiori, magiſque tutâ ſententia ad reſtitutionem obligatur. At, cum litigans non concurrit ad turpitudinem, cum aliquid præſtat, eoquòd vel exiſtimet, ſe teneri ad præſtandum, vel compulſus id faciat, iudex debet ipſi reſtituere, quod accepit. Ita P. Molin. *de iuſt. tract. 2. diſp. 89.* P. Fagundez *in præcept. Decal. l.8. c.27. n.12.* Machado *tom. 2. lib.6. part.2. tr.1. doc.9. n.7.* Nauar. Salon, Leſſius, Villalob. Ludouicus à Cruce, quos refert, & ſequitur Trullench *in Expoſ. Bull. lib. 3. caſ.9. n.2.* Vnde in hoc euentu compoſitio per Bullas nequit dari.

134 Cum autem litigans præſtat aliquid iudici, animo ſubornandi illum, quamvis aliundè fauorabilis ei ſententia debeatur, quod non callebat litigans, ideóque ob turpem cauſam pretium dedit, tunc iudex noſcens, ſe proferre ſententiam iuſtam, ac debitam litiganti, non habet titulum, ob quem pretium retineat, & indè illud reſtituere tenetur. Et quidem antequam exequatur id, ob quod pretium ei fuit collatum, debet reſtituere

tuere ipſi conferenti, vt *ſuperioribus* annotauimus; poſt executionem verò reſtituendum eſſe pauperibus, & in hoc caſu concedi compoſitionē per Bullas à Commiſſario generali, docent Trullench *vbi nuper:* Rodrig. *in explic. Bull. compoſ.* §. *vnic.* Villalob. *caſ.* 7. *tr.* 29. *num.* 27. Ludo. à Cruce *in expoſ. Bull. diſp.* 3. *dub.* 11. *nu.* 3. P. Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 35 *num.* 3. Qui tamen hoc defendit, ſi cauſa ſit omnino dubia, in qua etiam iudex proferens ſententiam pro dante pretium turpiter operatur.

135 Itaque, quando litigans ſubornare iudicem intendit, aut ſuam cauſam iudicans dubiam, ſeu iniuſtam, eſtò talis ſit, vel non ſit, aliquid iudici confert, ſanè abdicat à ſe dominium illius, & legitimè in translationem conſentit: vnde opere ſecuto, (ipſe enim non vult à ſe dominium abdicare, niſi ſub conditione operis ſecuturi,) titulo caret, ratione cuius ipſi debeatur reſtitutio. Deindè iudex, ſi cauſa ſit iuſta, (nam ſi iniuſta ſit, *ſuperiùs* ſtabiliuimus, quid facere debeat;) nullum habet titulum ad retentionem: quare, cum reſtituere debeat acceptum, reſtant ſolummodò pauperes, quibus ſit reſtitutio præſtanda, atque adeò per Bullas componi valet.

136 Cæterùm, ſi iudex de ambitu, aut acceptione eius pretij accuſetur, & condemnetur, tenebitur pretium reddere Fiſco, aut ei, cui condemnans applicauerit. Quòd ſi antecedenter non reſtituerat illud, non tenebitur ad aliam reſtitutionem præter eam, ad quam damnatur. Si verò iam reſtituerat, aut Bullas compoſitionis acceperat, adhuc nihilominùs obligabitur ad reſtitutionem iniunctam per ſententiam præſtandam, quia compoſitio per Bullas ſolùm pro foro interno valet, nec tollit ius, quod datur ad agendum in foro externo: & præterea reſtitutio antecedens pro foro conſcientiæ facta non obſtat, quominùs iudex redditionem pretij iniungat, & fiſcus illud recuperet.

137 In caſibus, in quibus iudex tenetur ipſi litiganti pretium reſtituere, ſi, facta debita dilegentia, litigans non compareat, nec eius hæres, poterit iudex per Bullas componi, vt notant in præſenti Expoſitores Bullæ: hoc etenim commune eſt omnibus debitis, quorum dominus eſt incertus, aut nòn comparet: cum, domino comparente, res incerti domini ſit.

138 Notatur in hoc caſu, poſſe componi etiam iudicem in cauſis temporalibus, quamvis ſit Eccleſiaſticus, apud cuius tribunal plures cauſæ temporales Eccleſiaſticorum ventilantur. Quo excluditur compoſitio in cauſis ſpiritualibus, pro quibus acceptio pretij eſt ſimonia. Cauſæ autem ſpirituales in præſenti non ſolùm ſunt in Ordine, & Beneficio, vt P. Henriq. *vbi ſuprà* docet, cuius opinionem, ait Trullench, non eſſe improbabilem; ſed quælibet cauſæ ſpirituales, cum omnes excludantur, quando aſſeritur, iudicem Eccleſiaſticum ſolùm poſſe componi de pretio accepto pro ſententia iuſta in cauſis temporalibus. Aſſerit Trullench, Pontificem ſolùm prohibere compoſitionem, & diſpenſationem in ſimonia ex beneficio, apoſtaſia, hæreſi, homicidio, & mala Ordinum ſuſceptione. Benè; ſed indè ſolùm poteſt inferri, conceſſam fuiſſe à Pontifice poteſtatem Cōmiſſario, vt queat componere ipſe pretium in aliis ſimoniis acceptum: non verò infertur, Commiſſarium hanc compoſitionem per Bullas indulgere: ipſe quippè pluribus fruitur facultatibus, de quibus *in inferioribus*, quas in Bulla non communicat; ſed per ſe vult eas, vtpotè grauiores, exercere. Cum ergo ex verbis Bullæ conſtet apertè, non concedi iudici Eccleſiaſtico compoſitionem de pretio ſimoniacè accepto, tenendum eſt, Commiſſarium noluiſſe hanc compoſitionem indulgere, eſtò ipſe valeat eam præſtare.

139 Hic aduerte, iudicem non ſolùm teneri reſtituere, quando iniuſtè aliquid accipit pro iniuſta, aut iuſta ſententia, eo modo, quo adhuc expoſuimus; ſed cum committit in accipiendo culpam, quam Hiſpanè dicimus *Barateria*, quæ inſtar repetundarum eſt, & licèt in pœnis adæquentur, tamen reipſa diuerſæ ſunt. Etenim tunc illa committitur, cum Magiſtratus accipit aliquid pro officiis, quæ ipſe diſtribuit: aut pactum init cum litigante ſuper pœnis, quarum pars ad ipſum iudicem attinet, ante ſententiæ prolationem: aut ſi ſtipendium pro ſententia deſignatum, antecedenter tulit: vel ſi obligationem indemnitatis exegit, vt iniuſtam ſententiam promulgaret: aut ſi pœnam in Regiis pragmaticis ſtatutum minuit, vt litigans eam acceptet, & partem ad iudicem ſpectantem perſoluat: ſeu demùm, ſi Magiſtratus abutens dignitate, cariùs res ſuas venderet, aut viliùs emeret res aliorum. Videatur de hoc Don Ioannes de Solorçano in ſua Politica Indica, *lib.* 5. *cap.* 11. *pag.* 835. & ab ipſo in margine allati Boſſius, Paz, Bobadilla, Maſcardus, Decianus, Matienço, & Berartus. De compoſitione autem ſuper pretio huiuſmodi accepto à iudice philoſophandum eſt eo modo, quo in antecedentibus. Non tamen poterit componi iudex de exceſſu pretij in venditione, & de defectu illius in emptione, ſi domini ſint certi, & compareant, quia ipſiſmet debetur ſolutio, ac reſtitutio, vtpotè abſolutè inuitis in iis contractibus iniquis.

CAP. XII.

Digitized by Google

CAPVT XII.

Explicatur decimus caſus in Bulla compoſitionis, deſignatus circa Tabelliones, Secretarios, Notarios, aliosque publicos Iuſtitiæ officiales, qui ſtipendia excedentia leges, ac Ordinationes pro ipſis ſtatutas iniuſtè reportant.

140 IN Bulla Hiſpana ſic habetur: *Item, ſe pueden componer los Eſcriuanos, Notarios, y Secretarios, y los otros oficiales de juſticia, que huuieren recibido, y lleuado derechos demaſiados, por razon de oficios, contra las leyes, y ordenanças que les eſtan dadas, no ſabiendo las perſonas à quien ſe deben reſtituir.* Supponit in præſenti Commiſſarius Cruciatæ, non eſſe compoſitioni locum, cum certus eſt is dominus, qui ſtipendia ſupra leges eiuſmodi officialibus contulit. Quippè in hoc caſu non eſt ſermo de his, qui pretium conferunt ſupra debitum, vt aliquid iniuſtū exerceatur: his etenim reſtitutio non eſt facienda, vtpotè qui ad iniquitatem cooperantur, & vltronei pretium in alterius dominium trāsferunt. Sermo igitur eſt de illis, qui ſtipendia præbent vltra leges, quia officiales exigunt, nec aliter ſuum gerere munus volunt: vnde præbentes, vt vexationem redimant, non ſpontanei, ſed inuiti exceſſum ſtipendij præſtāt, &, cum legitimus conſenſus in eis non adſit, dominium abſolutè in accipientes non transfertur, atque adeò hi obnoxij ſunt reſtitutioni faciendæ eis ipſis, qui pretij exceſſum contulere. At ſi, adhibita ſufficienti diligentia, non compareant, cum illa reſtitutio pauperibus debeatur, per Bullas præſtari valet iuxta doctrinam ſæpè repetitam: & hoc dumtaxàt exprimitur in ſpeciali à Commiſſario in caſu præſenti.

141 Poſſunt autem hoc compoſitionis priuilegio gaudere, quicumque ſtipendia accipiunt ſupra id, quod in legibus, Ordinationibus, aut Pragmaticis deſignatur: ſcilicèt Tabelliones, Notarij, Secretarij, officialeſque alij iuſtitiæ, quibus ſtipendiorum taxā à Principe, vel à Republica eſt deſignata. Imò, etſi deſignata non ſit, & pretium, vltra rationabiliter debitum, exigant, ac accipiant, nolentes aliter ſuum gerere munus, tenentur reſtituere exceſſum pretij conferentibus, &, ſi non compareant, pauperibus, ideóque etiam poterunt per Bullas componi, iuxta ſæpè dicta. Quod pariter extendendum eſt ad omnes alios officiales, ac artifices, & inſtitores: qui, ſi ſuas operas, aut merces nolint locare, aut vendere niſi propter pretium vltra omnino debitum, idque accipiant, reſtituere tenentur, & dominus certis non comparentibus, valent per Bullas componi.

142 Cæterùm, vt pleniùs hic caſus elucidetur, ſciendum eſt, *in l. vnic. tit. 27. lib. 4. Recop.* deſignari ſtipendia pro inſtrumentis, quæ à Tabellionibus conficiuntur: & *in leg. vlt. tit. 3. lib. 2. ordina.* præcipi, vt Tabelliones iurent, ſe ſeruaturos fore ordinationes circa ipſos ſtatutas. Legem autem deſignātem ſtipendia, non ſolum eſſe pœnalem, ſed abſolutam obligantem in conſcientia, atque adeò, ſi non ſeruetur, conſurgere obligationem reſtituendi, non ſecùs, ac ſi non ſeruetur lex taxans pretium pro frumento, aliiſque mercibus, defendit tutior ſententia. Ita Sotus, Medina, Nauarrus, Caſtillo, Corduba, quos ſequitur, & affert in margine *Rodrig. in præſenti, caſu* 8. Villalob. *tract. 29. num.* 28. Trullench *in explic. Bull. lib.* 3. *caſ.* 10, ſecutus Sayrum, & Salon. Tolet. *in ſum. lib. 5. cap.* 61. Reginald. *lib. 25. n.* 691. & alij, quos citat, & ſectatur Baſſeus *verb. Notarius, n.* 4. In hac ſententia locum habent dicta *ſuperiùs* de compoſitione.

143 At eam legem eſſe pœnalem, & non obligare in conſcientia, plurimi docent; quorum opinio eſt practicè tuta. Ita P. Molin. *de iuſt. diſput.* 88. Fagund. *tom. 2. de præcep. Decalog. præcep. 8. c. 27. n.* 8. Th. Sanch. *lib. 3. ſum. cap. 14. n.* 14. Molfeſius *in ſum. tom. 2. tract. 12. c. 5. nu.* 67. Diana 2. *part. tr. 3. miſcel. reſ.* 60. Etenim, vt ait Machad. *tom. 2. lib. 6. part. 3. tract. 2. doc.* 5. hæ taxæ appoſitæ olim fuerunt, dū aurea ſæcula vigebāt, reſque omnes viliori pretio emebantur, & familiæ multò minoribus ſumptibus, quàm nunc, victitabant. Hinc, etſi eiuſmodi taxæ excedantur tùm à Tabellionibus, tùm ab aliis, pro quibus ſunt deſignatæ, nec hi peccabunt, nec reſtituere tenebuntur: quare nec compoſitione indigebunt. Niſi fortè pretium exigant, ac accipiant vltra naturale, ac iuſtum arbitrio viri prudentis, ac timorati deſignandum, tunc namque & erunt reſtitutioni obnoxij: & compoſitione per Bullas vti valebunt, ſi domini non compareant.

144 Nec contra hanc ſententiam obſtat, Tabelliones iurare, ſe ſeruaturos fore ordinationes circa ipſos ſtabilitas. Quippè iuramentum interpretandum, ac intelligendū eſt iuxta naturam actus, cui adiungitur, vt tenet Machado *vbi nuper numer.* 3. cum Nauarro, Claui Regia, Rodriguez, & aliis. Cum igitur iuxta hanc ſecundam ſententiam lex illa taxans ſtipendia ſit dumtaxàt pœnalis, obligans præcisè ad pœnam perſoluendam poſt ſententiam iudicis, iuramentum emiſſum de illa lege ſeruanda ſolum obligat ad eam pœnam perſoluendam, ita vt, ſi Tabellio à iudice damnatus adhuc nollet pœnam perſoluere, reus eſſet periurij. In quo cernitur, quam vim illud habeat iuramentum, & quem effectum.

145 Nec

Digitized by Google

145 Nec anſa præbetur Tabellionibus, & aliis iuſtitiæ officialibus, vt nimia exigant ſtipendia: nam ſemel ſtatuto iuſto pretio pro quovis inſtrumento perſoluendo, attentis circunſtantiis temporis, laboris, ac ſimilibus, quidquid vlteriùs accipiant, (dummodò non eis donetur omnino vltroneè, aut in ſignum gratitudinis, aut à Dynaſtis ſuam manifeſtantibus liberalitatem,) iniquè retinent, & ad reſtitutionem tenentur. Pretium autem iuſtum, vt omnis fraus abſit, à viris prudentibus, peritis, ac timoratis, cum quibus res eſt conſulenda, debet aſſignari.

CAPVT XIII.

Caſus vndecimus Bullæ compoſitionis elucidatur. Vbi de iis, qui pro impetratione apud iudices facienda, vt iniuſtæ cauſæ faueant, aut reum iuſtè in carcere detentum ſoluant, pretium aliquod capiunt.

146 ASſeritur in Bulla compoſitionis Hiſpana: *Item, que ſi alguno injuſta, ò indeuidamente, por rogar, y fauorecer; que no ſe haga juſticia, ò que ſuelten aquel que juſtamente eſtaba preſo por delitos, lleuò dineros, ò otras coſas algunas, ſe podra componer en lo que aſſi lleuò, ſatisfaciendo el daño de la parte, à quien ſe hizo el agrauio.* Hunc caſum intelligendum eſſe eodem modo, quo caſus quintus, ſextus, ac ſeptimus expoſiti ſunt, docent Rodrignez *in præſenti, caſu* 9. Villalobos *tractat.* 29. *num.* 29. Ludouicus à Cruce *in explicat. Bull. diſp.* 3. *dub.* 22. Trullench *in expoſit. Bull. lib.* 3. *caſu* 11.

147 Addunt tamen, vt ſit locus compoſitioni, debere reperiri turpitudinem in dante: quippè, ſi ea abſit, & ad redimendum ſuã vexationem aliquid tribuat, ipſimet debet reſtitui, cum non abdicauerit à ſe dominium. Hæc limitatio non videtur locum habere in caſu præſenti, in quo ſupponitur, aliquid dari, vt iuſta ſententia non proferatur, aut è carcere liberetur, qui ob delicta erat ibi detentus, & detineri debebat: quare in dante nequit non eſſe turpido, cùm rem iniuſtam exigat, ob quam obtinendam aliquid præbet. Et ſanè, ſi ob rem iuſtam conſequendam aliquid tribueret, ſuam vexationem redimens, mutaretur caſus, eſſetque caſus nonus *ſuprà* explanatus.

148 Igitur Commiſſarius Cruciatæ ſequens opinionem tutiorem docentem, acceptum ob turpem cauſam pauperibus fore reſtituendum, compoſitionem indulget per Bullas: annotans tamen, eum, qui accepit iniuſtè, & propter ſolutionem delinquentis in carcere detenti, aut propter ceſſationem à iuſta ſententia ferenda, damnum intulit parti, debere ei ſatisfacere in qua ſatisfactione locus compoſitioni non datur. Hinc, ſi nullum alicui detrimentum inferatur ex non punitione delinquentis, opus non erit ſatisfacere, cum pars læſa non detur.

149 At in ſententia practicè tuta, de qua *ſuprà cap.* 6. acceptum ob turpem cauſam prætio æſtimabilem non debere reſtitui, docente: is qui accepit aliquid ob præfatas res obeundas, nec tenebitur ad reſtitionem, nec compoſitione indigebit: niſi pretium excedens arduitatem, ac periculum ſuæ iniquitatis acceperit. Tenebitur tamen parti læſæ ſatisfacere. Videantur dicta *cap. relato.*

150 Vnum hîc omnino eſt animaduertendum, non ſolùm eum, qui aliquid accepit ob rem iniuſtam exercendam, ex qua damnum alteri infertur, teneri ſatisfacere eiuſmodi damnum; ſed etiam teneri eum, qui aliquid dedit ob hunc finem: ita vt inter vtrumque ſatisfactio adæquata fiat: & vno ex eis nolente ſatisfacere, alter in integrum teneatur iuxta regulas generales reſtitutionis faciendæ ab his, qui ſimul ad damnum alteri inferendum concurrunt. Etenim is, qui dedit aliquid, vt damnum alteri inferretur, mediatè ſpontè concurrit ad damnum, non ſecùs ac iubens, aut conſilians, qui ſanè reſtituere tenetur iuxta vulgarem verſiculum: *Iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus*, & his rectè æquiparatur, qui donat aliquid, vt alius dono alliciatur ad damnum reipſa inferendum. Certum autem eſt, eum, qui efficaciter iuuat, aut mouet executorem damni, ad reſtitutionem teneri. Legantur Bonacina *de reſtit. diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 3. *n.* 2. P. Gaſpar Hurtado *diſp.* 5. *de reſtit. diffic.* 7. Machad. *t.* 1. *lib.* 2. *part.* 3. *tract.* 21. *doc.* 2. *n.* 2. & communiter omnes.

151 Nec obſtat Commiſſarium in caſu præſenti, & in aliis, Expoſitoreſque Bullæ ſolùm aduertere, eum, qui accepit aliquid ob rem iniuſtam, teneri ſatisfacere parti læſæ. Etenim non excludunt ab hac obligatione eum, qui dedit, ſed id omittunt, cum ſolùm loquantur de eo, qui poteſt per Bullas componi; is autem eſt accipiens, eam obligationẽ ob oculos proponit, ne per compoſitionem liberari à ſatisfactione præſtanda ſuſpicetur. Extra rem autem erat, annotare eamdem obligationem eſſe in dante, ac in accipiente: cùm ſupponatur, omnes concurrentes ad damnificandum alteri, ad reſtitutionem damni illati teneri.

CAP. XIV.

Digitized by Google

CAPVT XIV.

De caſu duodecimo in Bulla compoſitionis explicito circa eos, qui ratione ludi tenentur aliquid reſtituere pauperibus.

152 SIc extat in Bulla: *Item ſe puede componer, de lo que por juegos fueren obligados à reſtituir à pobres; pero auiendo interuenido engaño en ellos, ò ganando à perſonas, què no pudieſſen enagenar lo que perdieron, no ſe pueden componer, y ſabiendo à quien ſe lo ganaron, ſon obligados à ſe lo reſtituir, y no lo ſabiendo, ſe pueden componer en eſte caſo, como en el de arriba.* In hoc caſu dumtaxàt conceditur compoſitio, quando bona obnoxia ſunt reſtitutioni, eo quòd in ludo per fraudem ſint adquiſita aut à non potentibus ea alienare quis fuerit lucratus; ſi tamen aut non compareat is, cuius erant bona, aut in cuius poteſtatem erant redigenda, aut ſit incertus eorum dominus. Nam, ſi is compareat, ſeu de eo conſtet, compoſitioni non datur locus. Sic ipſe Commiſſarius exprimit, & omnes Bullæ Expoſitores in præſenti docent. Quare hic caſus decerptus eſt ex ea conceſſione generali componendi omnia bona, quæ incertis, aut non comparentibus dominis debentur, & propterea pauperibus ſunt reſtituenda. Bonorum autem, quæ pauperibus debita ſunt ad conſcientiæ exonerationem, adminiſtrator eſt Pontifex, atque adeò Commiſſario Cruciatæ committit, vt ea valeat componere.

153 Non igitur habet locum compoſitio, cùm certus eſt ille, ad quem reſtitutio ratione ludi attinet. Generaliter autem quidquid per fraudem aliquam in ludo adquiritur, reſtitui debet; cum indè reſultet inæqualitas. Prætereà, cum quis lucratur à non potentibus alienare, reſtituere tenetur, ſi quidem non fuit in ipſum dominium tranſlatum, cum illi dominium transferre nequiuerint. Has regulas in generali tradunt Authores *in tr. de iuſt. & iur.* & Summiſtæ *verbo Ludus.* Oportet tamen ſpecialiter aliqua circa hanc materiam præſtringere, quæ mihi ſunt certiora ex his, quæ fusè ſolent tractari, vt indè inſpiciatur, quando detur obligatio reſtituendi, & conſequenter ſit locus compoſitioni, dummodò ignoretur, cui ſit facienda reſtitutio.

154 Aliqui ludi per leges prohibentur; ſi tamen quis in illis pecuniam lucretur, non tenetur ad reſtitutionem: nam leges vel hoc non intendunt, vel in eo ſenſu non ſunt receptæ. Ita P. Salas *de contract. dub.* 20. *n.* 6. & alij. Datur tamen amittenti actio ad repetendum *in leg. alearum, Cod. de Religioſ. & ſumpt. funer.* Vnde rectè infert P. Leſſius *de iuſt. lib.* 2. *c.* 26. *dub.* 4. non teneri in conſcientia eum qui amittit, ſoluere: nam, cui datur actio ad repetendum, conceditur exceptio ad non ſoluendum.

155 Qui ſub fide credita in quovis ludo, etiam non prohibito, amittit aliquid, non tenetur ſoluere. Habetur in *leg.* 8. *& 9. tit.* 7. *lib.* 8. *Recopilation.* etiam ſi pignus, aut chirographum appoſuerit. Si tamen ſoluere iurauerit, tenetur; poteſt tamen ab habente poteſtatem relaxari iuramentum, etiam inſcio eo, in cuius fauorem factum eſt, & tunc non dabitur ſoluendi obligatio, vt docet P. Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 35. *n.* 6. Si tamen ſoluatur pecunia, quæ ſub fide credita fuit in ludo adquiſita, non tenetur adquirens ad eam reſtituendam. Ita tuentur Bañez, Medina, Alcocer, Couar. Caſtro, Gutierrez, Auendaño, & alij allati à P. Henriquez *vbi nuper in gloſſ. litt. N.*

156 Cùm fraus in ludo intercedit, certum eſt, vt aſſeruimus, dari obligationem reſtituendi. Si quis per fraudem vno iactu aliquid lucretur, etſi poſteà idipſum amittat, reſtituere debet eam quantitatem per fraudem obtentam; quia ſinguli iactus in ludo ſunt quaſi diuerſi contractus, & in ſingulis habet quilibet colludens actionem diuerſam ad lucrandum, & debet æqualitas ſeruari inter colludentes. Fraudes autem illæ ſunt, quæ in ſingulis ludis neutiquam permittuntur, quarum periti ludentes ſunt conſcij, ipſique rectè dignoſcunt, quando fraudibus vtantur. Aliquæ autem in ludo ſimulationes ſunt, quæ, etſi fraudum ſpeciem præferant, abſolutè tamen ſunt licitæ. Videantur apud Cardinalem Lugo *tom.* 2. *de iuſt. diſ.* 31. *ſect.* 2. *n.* 34.

157 Si nimius exceſſus in peritia ludendi detur in vno ex colludentibus, ita vt adſit moralis certitudo lucrandi, tenetur reſtituere, quod adquiſiuerit, ob defectum æqualitatis non ſeruatæ. Ita cum communi P. Molina *de iuſt. tract.* 2. *diſp.* 517. Si verò alter conſcius peritiæ colludentis adhuc cum eo ludere voluerit, an detur obligatio reſtituendi ipſi, quod ab eo fuerit adquiſitum, controuerſum eſt; probabilius, eſt dari: non enim iudicatur cedere ſuo iuri, ſed cupiditate, & affectu trahi. Videantur Alcocer *de Ludo c.* 19. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 28. *diffic.* 4. Bonacina *de reſtitut. diſp.* 2. *q.* 3. *punct.* 2. *num.* 5. Eligius Baſſeus *verbo Ludus* 2. *num.* 5. P. Rebellus *lib.* 12. *q.* 3. *num.* 5. Diana *part.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 186. P. Azor *tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 25. *q.* 4. P. Thom. Sanch. *lib.* 1. *conſil. cap.* 8. *dub.* 13. *num.* 11.

158 Quando ludens habet animum non ſoluendi, quod amiſerit, aut repetendi illud, non poſſe retinere, quod fuerit lucratus, docet

docet P. Dicaſtillo *de iuſtit. lib.* 2. *tract.* 18, *diſp.* 1. *dub.* 3. *num.* 25. Oppoſitum probabile eſt, quia ad valorem contractus non requiritur intentio ſoluendi, aut non repetendi; ſed obligandi ſe ea obligatione, cuius eſt capax contractus. Legatur P. Gaſp. Hurtado *de contr. diſp.* 8. *diffic.* 5.

159 Quoties quis lucrum adquirit in ludo ab his, qui alienare nequeunt id, quod ludo exponitur, tenetur illud reſtituere, cùm dominium tunc in ipſum non transferatur. Quæ autem perſonæ nequeant alienare, & quam quantitatem poſſint ludo exponere, latè diſcutitur ab Authoribus *hoc cap.* citatis; legantur etiam Machado *tom.* 1. *tract.* 7. *& tom.* 2. vbi de ſeruis, filiis familias, fœminis vxoratis, & Religioſis tractat: Rodrig. *ſuper Bullam compoſitionis* §. *vnic. caſu* 10. Trullench *in Decal. lib.* 7. *cap.* 12. P. Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 35. *numero* 6. Leſſius *de iuſt. lib.* 2. *cap.* 20. P. Buſembaum *in medulla Theolog. moral. lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 3. *dub.* 13. Et ego *tom. de Iure Academico, lib.* 3. *ex num.* 193.

160 Probabile eſt, ludentem cum minori, qui ſub poteſtate tutoris, aut curatoris exiſtit, non teneri reſtituere, ſi lucretur; quia in contractu oneroſo ludi non videtur eſſe intentio legum, quæ reſcindunt contractus minorum, vt minor poſſit lucrari ſentiens commodum, & non debeat ſoluere experiens onus. Ita P. Dicaſtillo, & cum eo Diana 7. *part. tract.* 9. *reſ.* 13. Probabiliſſimum autem eſt, minorem non teneri ſoluere. Filius autem familias ſub poteſtate patris exiſtens, dum extra domum paternam degit in Academia, aut in Regis aula, poteſt ludo exponere quinque pro ſingulis centum, quæ ei ad victum mittuntur à parentibus, ita vt, ſi v. g. mille drachmæ pro vnoquoque anno ei ſuppeditentur, poſſit quinquaginta exponere ludo, quin ſit obligatio reſtituendi in lucrante. Iudicantur quippè parentes conſentire, & alias eſſent irrationabiliter inuiti, cum honeſta recreatio debeat permitti filiis. Sic cenſuere Magiſtri Salmanticenſes eruditi à me conſulti, poſt quorum opinionem id ipſum reperi apud Auſonium Noctinot *in compendio* 7. *part. Dianæ, verbo Filius familias, num.* 3. Et apud P. Buſembaum, *vbi ſuprà.* Valet etiam filius familias exponere ludo, quidquid ipſe in ludo lucratur. Quòd ſi in domo paterna ſit, id valebit ludo deſtinare, quod attenta ſui ſtatus ratione, & aliis circunſtantiis, contra voluntatem rationabilem parentum non eſſe prudentes arbitrabuntur. Quin P. Dicaſtillus *de iuſtit. libr.* 2. *tractat.* 18. *diſput.* 4. *dub.* 2. *num.* 7. cum P. Molina cenſet, ſi filius degens extra parentum domum maiorem quantitatem exponeret ludo, & amitteret, dum exindè à parentibus augmentum pecuniæ annuæ non expoſceret; ſed reſtantibus alimentis victitaret, non teneri colluſorem ad reſtitutionem. In aliis autem caſibus tenetur, &, quamvis ipſe filius nolit accipere pecuniam reſtitutam, non liberatur ille ab onere reſtituendi eam parentibus, ad quos ſpectat: niſi iudicaretur, eos ægrè laturos, fieri ſimilem reſtitutionem quaſi ſuo honori præiudicaretur, indeque non cenſeantur inuiti, vt, ſemel iam amiſſa à filiis pecunia, eius dominium in lucrantem transferatur.

161 Fœmina coniugata poteſt ludo exponere bona, quæ ei ad libitum expendenda tradit maritus, & etiam paraphernalia, quorum dominium, ac adminiſtrationem habet, vel etiam, ſi aliorum bonorum ſit adminiſtratrix, ac item, ſi induſtria, ſua aliqua bona adquiſiuit, quæ ad familiæ ſuæ gubernationem non ſunt neceſſaria, & demùm iuxta ſtatus ſui conditionem, ea, quæ maritus debet rationabiliter permittere. Alia bona, qui à coniungata lucretur, debet reſtituere. Videatur Caſpenſis *t.* 2. *tr.* 18. *diſp.* 18. *ſec.* 3. *num.* 20.

162 Circa ſeruos ea eſt regula generalis, debere reſtitui, quidquid ab eis adquiritur in ludo, ſi id ſit domini; non verò, ſi ſit ipſorum. Etenim, licèt iure ſtatutum ſit, quidquid ſervus adquirit, domino adquirere, attamen poteſt aliquid proprium ſervus habere adquiſitum per opera domino non debita, aut ei donatum ea conditione, vt in dominum non transferatur dominium. Videatur Diana *part.* 7. *tract.* 7. *reſ.* 33. *& tract.* 9. *reſolut.* 12. vbi iura circa ſeruos interpretatur.

163 A religioſis ſi quis lucretur aut magnam quantitatem, quam, nequit præſumi, ſuperiorem conceſſiſſe ludo exponendam, aut etiam exiguam, quam ſuperior non permiſit, ludo exponi, aut quam prohibent Ordinis conſtitutiones, ſeu in ludo prohibito, ac inhoneſto, (circa quod non valet præſumi ſuperioris licentia,) tenetur reſtituere Religioni, aut ipſi Religioſo, eo quòd non debeat conſtituere rem in meliori ſtatu, quam anteà fuiſſet: Legatur Villalobos *tom.* 2. *tr.* 28. *diffic.* 5. *n.* 10. Qui autem ludo honeſto exiguam quantitatem lucretur à religioſo, non tenetur reſtituere, cum præſumere debeat licentiam ſuperioris ad honeſtam recreationem. De licentia ſuperioris poſſe Religioſum exponere notabilem quantitatem ludo tenet cum Leſſio P. Amicus *tom.* 5. *de iuſt. diſ.* 28. *ſec.* 4. *n.* 35. eo quòd ſuperior poſſit validè celebrare contractus, & ludus ſit

contractus

Digitized by Google

contractus expoſitus æquè iacturæ, ac lucro. Imò Bartholom. à S. Fauſto *in ſpec. diſp.* 32. *q.* 21. *n.* 5. docet, ſi ſuperior licentiam generalem conceſſerit ad expendendam pecuniæ quantitatem, & ſubditus eam in ludo amittat, (etſi hic peccet,) non dari obligationem reſtitutionis, quia non cenſetur ſuperior inuitus quoad ſubſtantiam alienationis, quamvis inuitus ſit, quoad modum.

164 His opinionibus probabilitatem non inficior, eo quòd & citatos Authores, & alios defenſores habeant; attamen mihi oppoſitæ ſunt veræ. Quippè in generali conceſſione non cenſentur conceſſa, quæ ſpecialiter expreſſa denegarentur, iuxta *cap. in generali, de reg. iur. in* 6. *c. Quintauallis, de iureiur. leg.* 3. *ff. de euict.* Superior autem concedens licentiam generalem ad expendendam quantitatem notabilem pecuniæ, non concederet, ſi exprimeretur, fore in ludo inſumendam. Videatur Machado *tom.* 2. *lib.* 5. *part.* 2. *tract.* 1. *docum.* 11. *num.* 3. Deindè ſuperior nequit, adhuc validè, licentiam concedere, vt notabilis quantitas ludo exponatur; ipſe enim ædificator, non diſſipator eſt; adminiſtrator, non dominus. Quæ autem ludo exponuntur, periculum manifeſtum diſſipationis ſubeunt, qui autem nequit bona diſſipare validè, nequit ea manifeſto diſſipationis periculo obijcere. Contractus verò, quos validè celebrare poteſt, ij ſunt, qui incommodum ſuæ Domus vergunt, neque periculum proximum iacturæ ſubeunt. Pone, annuos redditus Domus ſimul exponi ludo, & amitti, ita vt, vnde ſuſtentari Monaſterium queat, non ſuperſit: quis hunc contractum validum affirmet, & lucrantem liberet ab onere reſtitutionis? Declaratur exemplo. Si dominus œconomio commendet adminiſtrationem bonorum, & facultatem tribuat celebrandi contractus ſuæ familiæ congruentes, an œconomus ludo exponeret, & amitteret omnia domini bona, aut redditus annuos, eſſet validus hic contractus? Nutiquam profectò. Igitur non ſequitur, validum eſſe contractum ludi, ex eo, quòd ſuperior poſſit celebrare validè contractus ſuæ familiæ conuenientes. Conſule de his P. Thom. Sanch. *lib.* 7. *mor. cap.* 19. *à n.* 80. Peyrinum *tom.* 1. *de ſubdit. Relig. q.* 2. *cap.* 2. *§.* 6. Angelum *in florib.* 2. *part. q. de lud. reſtit. artic. vnic. dub.* 1. *propoſ.* 4. Lopez 1. *part. inſtruct. cap.* 183.

165 Hic aduerte, Religioſum, & cæteros alios, quando nequeunt in ludo amittere bona, &, ſi amittant, ea debent reſtitui, nec poſſe lucrari, &, ſi lucrentur teneri ad reſtitutionem: vt ſic in ludo, qui eſt contractus oneroſus, ſeruetur æqualitas, nam, vbicumque æqualitas deficit, claudicatio contractus non admittitur, iuxta *leg. ſi id, quod, ff. de reſcind. vend.* Aliqui oppoſitum defendunt, quorum opinionem non probo propter rationem libatam.

166 Dicta adhuc de Religioſis non extenduntur ad equites Religioſos quoad bona quæ ex Commendis percipiunt: ea enim non adquirunt titulo Eccleſiaſtico, ſed militari; nec votum paupertatis eos aliter obligat, quàm in ſuo Ordine ſeruari conſueuit; conſuetudo autem eſt, vt poſſint transferre dominium eiuſmodi bonorum abſque onere reſtitutionis. Ita cum P. Dicaſtillo tenet Diana 7. *part. tr.* 9. *reſ.* 17. Et ego latè *tom. de Ordinibus Militarib. diſquiſit.* 10. *num.* 30. Clericis etiam amittentibus in ludo bona, quæ ab Eccleſia percipiunt, non debent reſtitui à lucrante: nam, iuxta probabiliſſimam opinionem ſunt verè domini fructuum indè perceptorum. Legantur Alcocer *de ludo, cap.* 38. Maior *in* 4. *diſt.* 24. *q.* 17. Couarruu. & alij apud Dianam 7. *part. tr.* 9. *reſ.* 16. P. Fagundez *de iuſtit. lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 9. vbi cum Iulio Claro, Patiſio, Nicolao de Vbaldis, Guilielmo de Monte Laudato, & aliis, docet, poſſe clericum beneficiarium validè, & licitè teſtari de diſtributionibus quotidianis in vſus profanos: vnde ſequitur, poſſe eas validè ludo profano amittendas exponere.

167 Ex adhuc libatis faciliùs dignoſcitur, quid concedatur à Commiſſario Generali Cruciatæ in caſu præſenti; nempè eum, qui lucratus eſt in ludo aliqua bona, in euentibus poſitis, in quibus onere reſtitutionis grauatur, ſi ignoret, cui facienda ſit reſtitutio, nec is compareat poſt adhibitam ſufficientem diligentiam, poſſe per Bullas componi. Qui caſus rarò locum habebit in lucrante bona à Religioſo, quæ reſtituere teneatur, cum Religio non pereat, nec poſſit eſſe exemptio domini non comparentis. Niſi fortè quis conſcius, ſe lucratum fuiſſe à Religioſo, omnino ſit oblitus, cuius ille Religionis fuerit, nec id inueſtigare valeat; aut poſt lucrum adquiſitum, ad eam regionem proficiſcatur, in qua non extat vlla eius Religionis domus, nec poteſt quantitas tranſmitti. Et quidem, ſi reſtitutio non fiat eidem Religioſo, qui bona in ludo amiſit, facienda eſt Domui, aut Monaſterio, in quo ille degebat, dum amiſit. Quòd ſi è regione remota nequeat illuc tranſmitti, facienda eſt Monaſterio eiuſdem Ordinis, ſi in ea regione extet: ſic enim abſolutè reſtituitur quantitas debita proprio domino, cum Religio ſit dominus, aut adminiſtrator omnium bonorum, quæ in ſingulis Domibus poſſidentur: quare poſſunt ſuperiores totius ordinis, aut Prouinciarum, iuſta de cauſa aliqua bona, maximè ea, quæ

Digitized by Google

ſuperſunt in vna Domo, alteri Monaſterio, aut Domo applicare. In caſu autem poſito, cum nequeat tranſmitti ea quantitas Monaſterio, in quo degebat Religioſus, qui illam amiſit, præſumitur, iuſta de cauſa, applicata Monaſterio ſito in ea alia regione.

CAPVT XV.

Declaratur caſus decimus tertius Bullæ compoſitionis de adquirentibus, aut impetrantibus, dona, vel eleemoſynas, fictione aliqua ad id concurrente.

168 BVlla Hiſpana ſic habet: *Item, ſi alguno diſſimulando en ſi, lo que no ay en el, ò otra coſa ſemejante, de lo que en eſte color huuiere recibido, ſe puede componer. Y el que pide limoſna, fingiendo ſer pobre, no lo ſiendo, de lo que por eſta cauſa ouiere recibido, ſe puede componer, no ſabiendo en ambos eſtos caſos, à quien, como dicho es, ſe debe reſtituir.*

169 Pecunias, aut alia bona erogata pauperi ficto eſſe ab hoc reſtituenda ipſis dominis, qui erogauerunt, tenet Caietan. Sotus, Medina, Victoria, Mant. Peña, apud P. Henriquez *lib. 7. de indulg. cap. 35. num. 5. in gloſſ. litt. X.* Horum ſententiam ſecutus Commiſſarius in caſu præſenti ait, eiuſmodi bona per fictionem adquiſita reſtituenda fore veris dominis, ſi compareant: ſi autem non compareant, poſſe per Bullas componi. Cæterùm eas eleemoſynas ſic acquiſitas non dominis, ſed veris pauperibus reſtituendas eſſe, docent Trullench *in expoſ. Bull. lib. 3. caſu 13. n. 2.* P. Henriquez *vbi nuper*, afferens pro ſe *in gloſſ. litt. Y*, Nauarrum, & alios: Villalob. *tom. 1. tract. 22. diffic. 9. num. 4.* citans Ioannem Andream. Mouentur, quia erogantes eleemoſynam intendunt eam donare Chriſto in paupere, vt eius miſeriam ſubleuent, quare abſolutè transferunt dominium in pauperes, ideoque his aptè fit reſtitutio. Iuxta hanc ſententiam ſemper poteſt componi per Bullas eleemoſyna ſic obtenta, quamvis primi domini, qui erogauere, compareant; cum debeatur pauperibus, non ſecùs ac ſi illi domini non comparuiſſent; bona autem pauperibus debita poſſe per Bullas componi, ſæpiùs repetiuimus, & in præſenti caſu id expreſsè indulget Commiſſarius.

170 Meum iudicium eſt, poſſe quidem ea bona reſtitui pauperibus ob rationem factam, & ob authoritatem id docentium, eſſe hanc ſententiam in praxi tutam, atque adeò dari compoſitioni locum. Attamen ea bona poſſe etiam reſtitui ipſis dominis erogantibus, tum quia accipiens, dum reſtitutioni eſt obnoxius, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi rem conſtituat ibi, vnde accepit, vt non ſemel *in ſuperioribus* tradidimus: tum quia, etſi erogans intenderit propter Chriſtum ſuccurrere pauperi, at, dum accipiens non eſt pauper, reſpectu eius eſt inuoluntaria illa largitio: remanet autem ius penes erogantem, vt eligat pauperes, quibus idipſum largiatur: imò vt mutet voluntatem, & nolit erogare: aut ſi tempore reſtitutionis faciendæ ipſe indigeat ea eleemoſyna, aut aliquis conſanguineus, vel amicus, eam pro libito applicet.

171 Angelus *in ſum. verb. Reſtitutio*, §. 8. cenſuit, eum, qui ficta ſanctitate, aut paupertate eleemoſynas adquiſiuit, non obligari ad reſtitutionem. Sed rectè impugnatur communiter ab Authoribus: quippè erogans eleemoſynam non erogaret, niſi ſubſiſteret ea cauſa, propterquam erogat: vnde, ea non ſubſiſtente, abſolutè eſt inuoluntarius, ſaltem circa tranſlationem dominij in eum, qui finxit ſanctitatem, aut paupertatem. Quod vt meliùs intelligatur, duplex cauſa, propter quam aliquid fit, diſtinguitur, alia impulſiua, alia motiua. Impulſiua eſt, quæ allicit alium, vt rem peragat, donet, aut diſpenſet, qua adhuc non ſtante, ille rem perageret; &, quamvis hæc cauſa ſit ficta, valida eſt donatio, aut gratiæ conceſſio, quia non fit indè inuoluntarius donans, aut concedens. Motiua eſt illa, qua non ſubſiſtente, res non peragerętur, aut donaretur iuxta *leg. 2. §. fin. ff. de donat.*

172 Hinc, ſi conſanguinitas, ſanctitas, aut paupertas ficta fuit ſolùm cauſa impulſiua ad impetrandum donum, vel eleemoſynam, non tenebitur reſtituere accipiens; ſic verò, ſi ſit cauſa motiua. Et ſanè, cum aliquid per modum eleemoſynæ tribuitur pauperi ficto, paupertas cenſenda eſt cauſa motiua, cum non appareat tunc alia, ob quam eleemoſyna erogetur. Prudentum autem arbitrio relinquitur, vt ſincerè iudicent, an cauſa fuerit motiua, vel impulſiua: nam hoc ex circunſtantiis eſt inferendum.

173 Ægidius Trullench, *vbi ſuprà*, docet, cum, qui ficta conſanguinitate aliquid in eleemoſynam accepit, reſtituturum id pauperibus conſanguineis ipſius dantis. Sed contrà, nàm conſanguinitas cum paupertate coniuncta potuit eſſe cauſa motiua, vt huic perſonæ daretur aliquid, aliis conſanguineis non dandum, quia fortè dans eos odio habet; atque adeò erit contra voluntatem ipſius, vt conſanguineis reſtituatur, quantumvis pauperibus, cum paupertas in hoc caſu non fuerit cauſa adæquata, vt ille erogaret eleemoſynã, ſed paupertas ſimul cum conſanguinitate talis perſonæ. Vnde poſſet contingere, illũ non fore largiturũ eam eleemoſynam aliis pauperibus non conſanguineis, nec aliis conſanguineis pauperibus. Quare cenſeo, ipſi danti fore reſtituen-

Digitized by Google

reſtituendam; &, ſi non compareat, dabitur locus compoſitioni per Bullas.

174 P. Henriquez *vbi ſuprà* cum Soto, Nauarro, Victoria, Medina, & aliis quos *n.5. affert in gloſſ. litt. T.* docet, non debere reſtitui eleemoſynas per fictam paupertatem à multis obtentas, ſi ſint tenues, quia ſubſiſtit principalis cauſa, vt nomine Chriſti erogantes dederint illas. Veriùs defendit oppoſitum Rodriguez *in explic. Bullæ compoſit. § vnico, caſu* 11. *n.*49. Loquens de ſanctitate ſimulata, quæ ſit cauſa finalis erogationis eleemoſynæ, eademque ratio eſt de paupertate ficta. Probatur hæc ſententia; nam, cauſa motiua deficiente, non ſubſiſtit id, quod propter illam peragitur; at in præſenti non ſubſiſtit paupertas, quæ eſt cauſa motiua, cum intendatur ab erogante, eam propter Chriſtum leuare: ergo non ſubſiſtit tranſlatio dominij eleemoſynæ in accipientem. Et licèt ſubſiſtat, quòd nomine Chriſti fuerit erogata, non tamen erogatur vtcumque, ſed pauperi, vnde, eſtò ſit voluntarius erogans, vt ea eleemoſyna tradatur, ſeu reſtituatur veris pauperibus, non verò, vt ſimulatus pauper ſibi illam retineat. Deindè iuxta P. Henriquez, ſi ſit pinguis eleemoſyna, quæ per ſimulationem poſcitur, & accipitur, debet reſtitui: igitur, &, ſi ſit tenuis, cum eadem ſit radix reſtitutionis, &, vbi ob aliquam cauſam reſultat obligatio reſtituendi, non attenditur ad quantitatem tenuem, aut pinguem: hæc enim conſideratio ſolum tendit, ad dignoſcendum, an ſit peccatum lethale, vel veniale, non reſtituere, in quo ad paruitatem, & magnitudinem materiæ attenditur. Quoties autem datur reſtituendi obligatio ſub lethali, quia materia eſt grauis, datur obligatio ſub veniali, ſi ſit leuis.

175 Quando quis iuſtam licentiam à Prælato obtinuit ad petendum eleemoſynas vno, vel duobus annis, non poſſe id ius petendi locare alteri, quòd, ſi locet, teneri reſtituere pauperibus, aut componi per Bullas de pretio locationis, quaſi de turpi lucro, affirmant Rodriguez *vbi ſuprà num.*51. Corduba *caſ.* 98. Sed nec ad reſtitutionem, nec ad compoſitionem teneri, rectiùs docent P. Henriquez *vbi ſuprà*, Trullench *n.*4. Quippè ea locatio nullo iure eſt prohibita, nec locans eſt inhabilis, vt id pretium accipiat, aut retineat. Et quidem intentio Prælati concedentis licentiam, (quo occurrimus argumento Emmanuëlis Rodriguez,) eſt, vt miſeria, ac paupertas eius, cui licentia conceditur, ſubleuetur; locato autem iure petendi, ſubleuatur per pretium locationis & non minùs, aut ampliùs, à fidelibus poſcitur eleemoſyna, ſi per ipſum, aut per alium vice ipſius poſcatur. Confirmatur: ſi ille morbo impediretur, poſſet alius poſcere eleemoſynam nomine illius, vt quotidie præſtatur, tum pro pauperibus impeditis, tum pro his, qui palam poſcere ratione ſui ſtatus erubeſcunt; ergo ſimiliter poteſt alius, locato iure petendi, id efficere, cum re vera ſubſtantia non mutetur, ſed modus. Hic obſerua, ea, quæ diximus de paupertate, conſanguinitate, ac ſanctitate ficta, pariter locum habere, ſi fingatur morbus, vulnus, aut quidvis aliud quod ſit cauſa obtinendi eleemoſynas, aut dona.

176 Si verò quis ficta per hypocriſim ſanctitate Beneficium obtinuit, ſi dignè illud adminiſtret, poterit retinere, vt tuentur P. Henriquez *vbi ſuprà*, Trullench *n.* 3. Ludouicus à Cruce *in expoſ. Bull. diſp.*3. *dub.* 14. Rodriguez *ſuprà n.*48. citans Alexandrum de Ales; Medina *Cod. de reſtit. q.*2. Sotus *de iuſt. lib.*9. *q.*7. *art,* 3. *ad* 4. Et fauet D. Chryſoſtomus *hom.* 37. *ad populum*. Etenim eiuſmodi dignitates abſolutè, & ſine conditione dantur; & dum dignè exerceantur, obtinetur finis principalis, nempè conſtitutio miniſtri apti ad Eccleſiam. Attamen, ſi is eſſet ineptus ad Beneficium, & per ſimulationem virtutis, & ſcientiæ fefelliſſet conferentem, teneretur beneficium dimittere; aliàs, præter peccatum lethale, quod in retinendo illo patraret, teneretur ad reſtitutionem fructuum malè perceptorum. Idem aſſerito de eo, qui per ſimulatam peritiam aliquod munus, ſeu dignitatem, etiam laicam obtinuiſſet, cuius rectæ adminiſtrationis eſſet incapax.

CAPVT XVI.

Expoſitio decimiquarti caſus in Bulla compoſitionis appoſiti circa inuentores rerum, quarum dominus non comparet. Vbi de bonis naufragantium.

177 IN Bulla compoſitionis Hiſpana ſic extat. *Item, en todas las coſas, que alguno ouiere hallado, hecha primero ſuficiente diligencia, no parecciendo ſus dueños, ni à quien competen de ſer reſtituidas, ſe puede componer.* Huius caſus materies diſcuſſa manet *ſuprà diſp.* 33. *cap.* 2. Vbi ſtabiliuimus, probabile eſſe, ac tutum in praxi, poſſe inuentorem retinere ſibi bona inuenta, dum dominus poſt ſedulam adhibitam diligentiam non compareat. Conceſſio autem præſens nititur ſententiæ oppoſitæ probabili, ac tutiori, quæ docet, ea bona præſtanda eſſe pauperibus; bona verò, quæ pauperibus reſtitui debent, poſſe per Bullas componi, paſſim aſſeruimus.

178 Circa bona naufragantium ſciendum eſt, duplicem extare excommunicationem in illos, qui ea ſurripiunt; aliam non reſeruatam *in cap. excommunicationi, de raptoribus*;

aliam Pontifici reſeruatam in Bulla Cænæ, quæ eſt quarta inter appoſitas ibi: In quas tamen in aliquibus caſibus non incurritur, eo quòd in eis non detur raptus eiuſmodi bonorum, nempè ſi bona iudicentur à propriis dominis deſerta, ac derelicta, quod dignoſcendum eſt, tum ex natura ipſorum bonorum, tum ex eo, quòd dominus illa in mare proiecerit extra periculum vrgentis tempeſtatis, aut ex modo ea proiiciendi, vel ſi poſtquàm proiecit, nullam adhibuit diligentiam, cùm poſſet, ad ea inuenienda. Hæc bona, ſi non compareat dominus, poterit inuentor ſibi retinere, tanquam periculo empta, in quo tamen, vt monet Trullench *in expoſ. Bull. lib. 3. caſ.* 14. *num.* 16. vtendum eſt conſilio Confeſſarij. Si verò dominus compareat, tenetur ſoluere inuentori expenſas, ac laborem, quem in bonis ſeruandis, & extrahendis ex mari inſumpſit.

179 Rursùs non contrahit eam excommunicationē is, qui ex bonis naufragantium caperet aliquid, vt extremæ neceſſitati propriæ, aut perſonæ alterius ſibi coniunctæ ſuccurreret; aut qui cum probabili ſuæ vitæ periculo extraxiſſet bona, quæ aliter eſſent peritura: nec prætereà, qui ea caperet animo ſeruandi, & reddendi domino; nec qui raperet ab eo, qui primò ſurripuit; nec demum qui bona infidelium, aut hęreticorum naufragantium caperet; aut bona, quæ eſſent eiuſmodi infidelium, quamvis vectarentur in nauibus fidelium. Videantur Trullench *loco relato*; Salon *in* 2. 2. *q.* 66. *art.* 1. *controu.* 1 *in fin.* Bonacina *tom.* 3. *diſput.* 1. *p.* 5. Sayrus *in Theſaur. lib.* 3. *cap.* 8.

180 Probabile etiam eſt, non contrahi hanc excommunicationem ab eo, qui rapit bona nauis, quæ incendio periit, aut quæ ab hoſte fuit demerſa in mare; nam in his euentibus non dicitur nauis paſſa naufragium, & cenſura, vtpotè odioſa, eſt reſtringenda. Sic tenent aliqui, quos ſuppreſſo nomine refert, & ſequitur Filiucius *tom.* 1. *tr.* 16. *num.* 89. Etſi contrarium, citans Vſualdum, & alios doceat Vgolinus *part.* 2. *c.* 20. Vtramque opinionem proponit Machado *t.* 1. *lib.* 1. *part.* 3. *tr.* 6. *doc.* 5. *n.* 9. nec ſuam ſententiam promit.

181 Bona igitur naufragantium qui inueniret, adhibere ſummam diligentiam debet, vt domino reſtituat. At, ſi facta diligentia, dominus non compareat, docent Sotus *de iuſt. lib.* 5. *q.* 3. *art.* 3. Trullench *vbi ſuprà, num.* 15. cum Caietano, & Couarruuias, bona deferenda eſſe ab inuentore ad Ordinarium loci, vt pro ſua prudentia de eis diſponat. At Nauarr. *lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 70. ait, in hoc caſu, ea bona fieri inuenientis, ac occupantis quod admittit Trullench in rebus exigui pretij, non in aliis, quæ ſi occupans ad Ordinarium non deferat, incurrere excommunicationes præfatas, tuetur.

182 Ego quidem non cogerem occupantem in hoc caſu, vt bona ad Ordinarium deferret poſt factam diligentiam, & amiſſa ſpe reperiendi dominum; ſed vt tutiùs procederet, monerem, componi per Bullas de eiuſmodi bonis, quaſi debitis pauperibus in opinione tutiori; vel abſolutè poſſe ſibi ea bona retinere abſque compoſitione, & reſtitutione, conſequenter ad opinionem tutam in praxi docentem, poſſe inuentorem retinere ſibi bona reperta, domino non comparente poſt adhibitam ſufficientem inquiſitionem. Etenim ea bona ad Ordinarium præcipiuntur deferri, vt prudenter pauperibus, operibuſque piis diſtribuat, non verò, vt ſibi aſſeruet: is autem finis obtinetur per compoſitionem, cum per Bullas componatur, quod operibus piis, ac pauperibus erat diſtribuendum, quin ſit periculum imprudentiæ, ſi quidem à Pontifice, & à Commiſſario fit compoſitio prudentiſſimè, applicata eleemoſyna ad piiſſimum opus gerendi belli contra Infideles. Deindè, ſi alia bona reperta poteſt inuentor abſolutè ſibi retinere, domino non comparente, nulla eſt ratio, quare nequeat bona naufragantium inuenta; ſiquidem etiam de aliis bonis inuentis diſpoſitum eſt iuxta ſententiam contrariam, vt pauperibus, vel Cruciatæ, vel Religioni priuilegium habenti tradantur: ſicut diſpoſitum eſt, vt bona inuenta naufragantium tradantur Ordinario loci, qui ea piis operibus diſtribuat; & tamen non obſtante ea diſpoſitione, opinio tuta defendit, poſſe inuentorem alia bona reperta ſibi retinere: ergo, non obſtante hac alia diſpoſitione, poterit inuentor bona naufragantium ſibi retinere. Quod enim eſt inter vtrumque diſcrimen? Specialis quippè diſpoſitio circa bona naufragantium, & cenſuræ aduerſus raptores latæ eo tendunt, ne afflictis addatur afflictio, ſi poſt naufragium adhuc bona naufragantium ab aliquo ſurripiantur; quæ ratio omnino ceſſat in caſu propoſito; cum non detur raptus malitioſus bonorum, ſed eorum inuentio, dominis non comparentibus nulla addatur afflictio, ſicut non adderetur, ſi ea bona ab Ordinario piis operibus diſtribuerentur; & quidem dominus illorum tam eis careret, vt præſtita illa diſtributione ab Ordinario, quàm retentis bonis ab inuentore.

183 Bona in incendio domus proiecta, ac inuenta reddi debent domino. Quòd ſi plures domus, aut ferè locus integer incendatur, dominuſque bonorum ſedulò quæſitus non compareat, tenendum eſt idem, ac de aliis bonis inuentis. Cum verò in fluuiorum inundationibus aliqua deferuntur, is, qui ea inuenit,

Digitized by Google

inuenit, aut extrahit, ſeruare debet, vt domino comparenti reddat, ſi res ſint eiuſmodi, vt iudicetur, dominum non habere eas pro derelictis, veluti, ſi arbor deferatur per fluuium, aut quid ſimile. In aliis verò, ſi dominus inquiſitus non compareat, obſeruandum eſt idem, ac in aliis rebus inuentis. Trullench *vbi ſuprà num.* 17. diſtinguit inter res parui, & magni momenti per fluuium delatas, ſicut inter bona naufragantium, de quibus *ſuperiùs diximus num.* 181. Sed impugnandus eſt eodem modo, quo eius doctrinam *numer. præcedenti* refutauimus. Etenim, ſi dominus non compareat, res adhuc maioris momenti fient inuentoris, iuxta ſententiam probabilem, & tutam: & iuxta tutiorem dabitur locus compoſitioni per Bullas, cum ea bona in hac ſententia debeantur pauperibus.

CAPVT XVII.

Explicatur caſus decimus quintus Bullæ compoſitionis, circa retinentes apud ſe depoſita bona aliqua, quæ domino proprio reſtitui nequeunt.

184 SIc habetur in Bulla compoſitionis Hiſpana: *Item, el que tuuiere alguna, ò algunas coſas en ſu poder, de perſona, ò perſonas que no pueden ſer auidas, para reſtituirſelo, auiendoſe para ello hecho la debida diligencia neceſſaria, ſe podrà componer de lo que aquello montare.*

185 Variis titulis res aliena poteſt eſſe apud aliquem: vel quia in depoſitum ei tradita fuit à proprio domino: vel quia mutuò fuit præſtita, aut in pignus, ſeu medio aliquo contractu, vel quaſi contractu ex his, in quibus rei dominium non transfertur. Igitur quocumque modo ex his res extet, ſi dominus non compareat, aut ad remotam regionem ſit profectus, quò res mitti abſque magnis expenſis non poteſt, & aliundè illum venturum fore, non ſperatur, poterit is, apud quem res ſeruatur, facta per Bullas compoſitione, rem ſibi retinere: quia ea res in eo caſu reddenda erat pauperibus iuxta communem Authorum ſententiam: res autem pauperibus debitæ poſſunt per Bullas componi.

186 Ante compoſitionem autem neceſſe eſt, ſufficientem pro domino reperiendo diligentiam adhiberi: quòd ſi ad remotam regionem fuerit profectus, debet eſſe prudens, ſeu moralis certitudo, eum non fore rediturum. Deindè, ſi ſit hæres illius, res hæredi præſtanda eſt, vt in ſimilibus non ſemel annotauimus. Rursùs conſultò dixi, poſſe fieri compoſitionem, cum res à proprio domino in depoſitum eſt tradita: quippè depoſitum aliud eſt particulare, nempè cum à domino res apud aliquem cuſtodienda deponitur: aliud iudiciale, quod in iure vocatur ſequeſtrum: *leg. ſequeſter, ff. de verbor. ſignif.* ſcilicèt cum à iudice res apud aliquem deponitur, vt, cuius ſit, decernatur. In quo caſu depoſitarius tenetur rem ei reddere, cui eam iudex aſſignauerit: nec depoſitarius decernere poteſt, an ad hunc, vel ad illum dominum ſpectet, quare nec valet diſcernere, an proprius dominus non compareat. Quòd ſi à iudice dominus deſignetur, & is non compareat, tenetur depoſitarius rem iudici reddere, vt ipſe, quid præſtandum de ea ſit, ſtabiliat: ea enim eſt depoſiti natura, vt in integrum deponenti debeat reſtitui: iudex autem fuit in hoc euentu deponens loco veri domini. Poſtquam verò iudex rem ſuo domino deſignauit, & ſuo officio eſt functus, nec rem ipſe exigit; ſed depoſitario curam reddendi illam demandat, iam res apud depoſitarium extat nomine veri domini; non aliter, ac ſi is eam apud ipſum depoſuiſſet; quare, ſi deinceps non compareat, erit locus compoſitioni.

187 Depoſitarius autem rem debet ſeruare, dum de domino reperiendo agitur, eâdem cura, ac ſi dominus præſtò eſſet ad eam repetendam. Tenetur autem depoſitarius diligentiam adhibere, ne res pereat. Quòd ſi pro cuſtodia nihil mercedis accipiat, ſolùm tenebitur de dolo, & lata culpa, vt cum Molfeſio, & aliis communiter tenet Diana 1. *part. tractat.* 8. *reſol.* 44. Imò probabile eſt, idem procedere in foro conſcientiæ, quamvis aliqua ei merces præbeatur, vt contra P. Molinam tuetur P. Rebellus *part.* 2. *lib.* 1. *q.* 10. *nu.* 11. etſi pro foro externo, ad vitandas fraudes, de culpa leuiſſima teneatur: vt defendunt aliqui apud Dianam *part.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 21. At nec in foro externo teneri de caſu fortuito, nec de cauſa leuiſſima, ſed de leui in euentu prædito, tuetur cum P. Leſſio, Filliucio, & aliis Machado *tom* 1. *lib.* 3. *part.* 5. *tract.* 10. *doc.* 2. *num.* 3. Apud quem obligationis depoſitarij reperies: & apud P. Leſſium *de iuſtit. lib.* 2. *cap.* 27. *dub.* 4. Reginaldum *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 47. *ſect.* 6. Molinam *tractat.* 2. *diſp.* 524. Garcia *de contract. cap.* 5. Malder. *de iuſtit. tractat.* 4. *c.* 7. *dub.* 5. & alios paſſim, vbi plura de depoſito tractantur. Hic aduerte, ſi depoſitarius dolo, aut culpa lata depoſitum amiſit, aut deteriorauit, & dominus non compareat, teneri ad reſtituendum pauperibus illud detrimentum, & poſſe de eo per Bullas componi. Si autem dubitet, an culpa ſua depoſitum perierit, aut detrimentum acceperit, non teneri ad reſtitutionem, docet, cum P. Thom. Sanchez, *Diana* 3. *part. tract.* 6. *reſo.* 49. & 4. *tract.* 3. *reſol.* 30.

quia in dubio non præſumitur fuiſſe in depoſitario peccatum mortale, & abſque culpa mortali non dari obligationem reſtituendi in depoſitario, tenent P. Leſſius *de iuſtit. lib. 2. c. 7. dub. 8. & cap. 27. dub. 3.* contra Angel. & Syluest. & id probabile iudicat Machado *vbi ſup.* cum aliquibus, quos affert *in margine litt. M.*

CAPVT XVIII.

Elucidatio caſus decimiſexti in Bulla compoſitionis expreſſi de damnis per venationem, aut quemlibet alium modum illatis incerto domino, in meſſibus, aliiſvè terræ fructibus.

188 SIc extat in Bulla Hiſpana compoſitionis: *Item, ſe pueden componer de los daños que han hecho andando à caza, con ſus ganados, ò de otra manera, aſſi en los panes, y viñas, como en otros qualeſquier heredamientos, no ſabiendo, à quien ſe hecho el daño.* Ratione damni accepti conſurgit reſtitutionis obligatio, ea autem facienda eſt illi, qui nocumentum accepit: conceditur ergo in præſenti, quòd, ſi ignoretur poſt adhibitam ſufficientem diligentiam damnificatus, poſſit per Bullas componi valor, qui erat ei reſtituendus, &, eo non comparente, pauperibus. Et quidem indulgetur huiuſmodi compoſitio, ſiuè quis dum venationi incumbit, intulerit damnum vineis, ſegetibus, pratis, aut arboribus, ſi canes, equi, aut venatores ea conculcent, paſcant, aut diſtrahant: ſiuè extra venationem armenta, oues, equi, aut ipſe dominus armentorum id nocumentum inferat: ſiuè quocumque alio modo quis damnificet. Quod pariter extendendum eſt ad damna alia non expreſſa in huius Bullæ caſibus, quæ quis intulerit facultatibus alienis, quouis modo ea fiat. Quippè reſtituere tenetur domino damna, & eo ignorato, aut non comparente, pauperibus: & exindè componi per Bullas valet iuxta ſæpè dicta.

189. Vt autem habeatur præ oculis, quando ſit locus compoſitioni, oportebit breuiter recenſere euentus, in quibus ratione venationis, piſcationis, & ſimilium conſurgit obligatio reſtituendi: cum enim hæc datur, compoſitio per Bullas fieri valet. Igitur qui venationi, aut piſcationi indulget eo tempore, aut eo modo, quo à lege prohibetur, nempè ſi à lege prohibeatur, vt in tali menſe nullus venetur, vel vt nullus mittat retia in fluuium, adhuc non tenetur reſtituere: abſolutè enim nihil alienum occupat. Ita P. Henriquez *libr. 7. de indulgent. cap. 35. num. 7.* Sotus *lib. 4. de iuſtit. q. 6. artic. 4.* Medin. *C. de reſtit. q. 12.* & alij.

190 Nec ad reſtitutionem obligatur, qui venatur in nemore domini certi non concluſo: hoc enim ipſo, quòd non concludatur, feræ, ac beſtiæ, nullius domini cenſentur, quare primi occupantis fiunt: *§. beſtiæ, Inſtitut. de rerum diuiſio.* Docent P. Henriquez *vbi nuper:* Rodriguez *in explicat. Bullæ compoſit. caſu 12. num. 54.* Syluester, & Summiſtæ communiter, *verb. Venatio.* At reſtituere tenebitur, ſi in nemore concluſo capiat feras, cuniculos, aut alia animantia, cum ea certum dominum habeant.

191 Capiens columbas, niſi per leucam diſtent à columbario, domino tenetur reſtituere, *leg. 7. titul. 8. lib. 7. Recopilation.* Sotus *de iuſtit. lib. 4. quæſt. 5. artic. 4.* & alij. Nec benè Corduba *caſu 121.* propendet in id, quod teneatur reſtituere, etiam ſi vltra leucam capiat. Etenim communis Authorum à reſtitutione illum excuſat, & tunc columbæ cenſentur dominum non habere. Imò P. Henriquez *vbi ſuprà in gloſſ. litter. B.* refert, & non improbat opinionem tuentem excuſari à reſtitutione eum, qui aliquas columbas de non cicuribus intra leucam aucupatur, quando earum ſtragem non fecit. De venatione conſule Sebaſt. Medic. *in tractat. de venat. quæſt. 65.* Interpretes inſtitutionum Imperialium *in §. pauonum, Inſtitut. de rerum diuiſ.* P. Molina *diſput. 50.* Villalobos *tom. 2. tract. 10. difficul. 18. Baſſeum verb.* Columbarium: Trullench. *in præcept. tom. 2 lib. 7. cap. 3. dub. 3.* Machad. *tom. 2. lib. 6. part. 8. tract. 9.* Layman. *lib. 3. tract. 1. cap. 5.*

192 Leges prohibentes piſcationem hoc, vel illo modo, his, aut illis inſtrumentis, ſolùm eſſe pœnales, & non obligare in conſcientia, nec ad reſtitutionem, communior ſententia eſt, quam defendunt P. Reginaldus *lib. 5. c. 6. ſect. 5. n. 60.* & plures, quos refert, & ſequitur Diana *1. par. tract. 10. reſol. 17. & 20.* contra P. Suarium, & Thom. Sanch. qui probabilem reddunt ſententiam oppoſitam.

193 Cædens ligna in nemore, aut monte communi totius oppidi, cuius incola eſt, etiam tempore prohibito, nec peccat, nec reſtituere tenetur; ſed ſolùm pœnæ legis ſubiacet: quippè non aufert alienum, & leges id prohibentes ſunt dumtaxat pœnales. Sic P. Henriquez *vbi ſuprà* Sotus, Molina, Villalob. & communis. Cæterùm, ſi quouis tempore cædat plures arbores, ſtragem, & damnum notabile inferens, reſtituere tenetur: quia proportionatè omnes incolæ pariter debent gaudere vtilitate lignorum, quam ille ſibi ſupra debitum applicat: reſtitutio autem præſtanda eſt communitati compenſando exceſſum arbitrio viri prudentis, ac timorati.

194 Nec rectè Trullench *in præcept. tom. 2. lib. 7. cap. 3. dub. 7. num. 2.* aſſerit, P. Thomas Sanchez iudicare probabile, non eſſe adhuc veniale

Digitized by Google

veniale peccatum, ſtragem inferre notabilem cædendo ligna, & arbores: quippè ſolùm defendit Sanchez *tom.1.conſil.lib.1.cap.5.dub.1.n.22.* non eſſe veniale peccatum, cædere ligna, abſque ingenti ſtrage, eo modo, quo cæteri loci incolæ cædere ſolent, etiam ſi id tempore à Republica prohibito præſtetur: vt annotauit Machado *ſup.doc.12.n.3.*

195 Reſtituere adhuc non tenentur incolæ vnius loci cædentes ligna è monte, aut nemore alterius loci vicini, dum etiam ipſi proprium nemus, aut montem habeant, ex quo alterius oppidi incolæ ligna cædant: ſic enim mutua datur compenſatio: tenebuntur tamen reſtituere, ſi mons, aut nemus proprium ipſorum nullum ſit, vnde compenſatio proueniat. Ita Rodriguez *in explicat. Bull. compoſit caſu 12. num.59.* Et addit benè *num. 60.* dominos vaſſallorum, qui prohibent, ne lædantur feræ, etiam ſi damnum agris inferant, ſequto damno, teneri reſtituere illud dominis agrorum, qui non fugauere faras ob prohibitionem illam iniuſtam, quam tranſgredi non audent.

196 Si nemus, aut mons non ſit totius oppidi; ſed alicuius domini priuati, tunc cædens ligna tenetur reſtituere, quando ipſe dominus arbores plantauit, aut ſepem monti circumdedit, vel etiam, ſi neutrum horum detur, cum ſtrages arborum fuit ingens: vt docent Villalobos *tom.2.tract.10. diffic.19. n. 4.* & alij plures. At, cum ſtrages magna non ſit, nec dominus plantauit arbores, probabile, ac tutum eſt, cædentem ligna non peccare, nec obligari ad reſtitutionem; ſed ſolùm pœnæ ſubiacere: ſic namque vſus communis oſtendit: & conſuetudo interpretatur, dominium montium non vlteriùs extendi. Ita affirmant Ledeſma *to.2. tract.8. cap.9. concl.13.* Bañez *de iuſtit.q.62.* Villalob. *vbi ſup. n.4.* & alij contra P. Molin.

197 Doctrina adhuc tradita applicanda eſt eis, qui ſuos greges paſcunt in nemoribus, aut agris vicinis, vel oppidi, cuius incolæ ſunt, vel domini priuati: & eis, qui ſiliquas ad paſcendum gregem colligunt, & aliis ſimilibus. In quibus omnibus caſibus, vbi obligatio reſtituendi intercedit, ſi dominus ignoretur, aut non compareat poſt adhibitam ſedulam diligentiam, compoſitio per Bullas locum habet.

CAPVT XIX.

Declaratio caſus decimiſeptimi allati in Bulla compoſitionis, circa meretrices pretium iniquum reportantes: & item circa viros, qui à fœminis matrimonio ſolutis ob turpem cauſam aliquid percipiunt.

198 Aſſeritur in Bulla Hiſpana: *Item, todas las mugeres, que no ſon publicamente deshoneſtes, ſe pueden componer de qualquier dinero, ò joyas, que por cauſa fea ouieren recibido: y los hombres, ſi de mugeres que no tienen maridos, ſe pueden componer por la miſma razon.*

199 Cenſuerunt Cymus D. Antonin. Panormitan. apud Nauarr. *in ſumm. cap.17. num.34.* Rodriguez *in explicat. Bull.compoſit. caſu.13.num.65.* fœminam occultè inpudicam non vxoratam minimè poſſe retinere pretium acceptum ob turpem actum; ſed teneri reſtituere non domino, verùm pauperibus. Hanc ſententiam ſecutus Commiſſarius generalis Cruciatæ concedit compoſitionem eiuſmodi pretij per Bullas. At neceſſariam non eſſe compoſitionem, docuimus *ſuprà cap.6.* niſi in aliquibus circunſtantiis, tuentes acceptum op turpem cauſam non debere reſtitui. Et quidem Rodriguez inconſequenter defendit *num.66.* fœminam vxoratam occultè impudicam poſſe retinere acceptum ob turpem actum, quia ei titulo donationis præſtatur, & nulla lege prohibetur hæc donatio. Cur enim fœmina non vxorata nequeat pariter titulo donationis acceptum retinere? aut qua lege hæc donatio prohibetur; Nec etenim ampliùs hæc fœmina, quàm illa, cooperatur ad peccatum: & aliundè ſupponitur ibidem à Rodriguez, fœminam coniugatam non eſſe dominam ſui corporis, ſic verò non coniugatam, quod potiùs ſuadet, hanc poſſe retinere, quod pro vſu ſui corporis accipit, quàm illam.

200 Ideò oppoſita ſententia verior eſt, ac communior, quam docent P. Henriquez *lib.7. de indulg. cap.35.num.3.* cum Caietano, Nauarro, & Soto, quos affert *in gloſſ. litt. E.* Villalobos *tom.2.tract.11.diffic.16.* Salon. 2.2. *q.62.artic.5.controu.4.* Couarru. *in regul.peccatum part.2.§.2.n.3.* Trullench. *in Decal.lib.7. ſect.3.cap.8.dub.8.n.5. Et in expoſit. Bul. lib.3. caſ.17.n.5.* ac plures alij. Et probanda eſt hæc ſententia rationibus allatis *ſup.c.6.* quæ pro ea omnino faciunt.

201 Attamen, ſi fœmina impudica, quæcumque illa ſit, per fraudem aliquid ab amaſio extorſit, tenetur ei ipſi reſtituere, quia non fuit translatum dominium ob defectum legitimi conſenſus in donante. Quòd ſi ignoretur,

Digitized by Google

retur, aut non compareat, poterit per Bullas fieri compoſitio. Secùs eſt de muneribus, quæ fœmina blanditiis, ac precibus obtinuit, cùm non defuerit verus in dante conſenſus.

202 Rursùs meretrix publica, quæ reſtituere non tenetur pretium ob turpitudinem acceptum, vt in hoc caſu ſupponitur; ſi tamen pretium exceſſivum exigat, quod non cenſeatur præſtitum ex liberalitate donantis, ſed præſtitum, quia ipſa exegit, vltra conſuetudinem populi, in quo verſatur, volens ſui corporis turpem locationem vendere cariùs, quàm par eſt; tenetur exceſſum reſtituere ipſi danti, &, hoc ignorato, aut non comparente, poterit per Bullas componi de exceſſu, quem alias tenebatur pauperibus reddere. Cæterùm fœmina occultè inhoneſta poteſt retinere, quidquid circa fraudem accepit. In rebus enim non neceſſariis ad victum, ac veſtimentum, vt docet Nauarrus *lib. 4. cap. 2. num. 93.* & plures cum eo, pretium iuſtum eſt, quod ex conuentione partium deſignatur. Reſpectu autem fœminæ impudicæ occultæ non eſt taxata merces lege, aut conſuetudine, ſicut reſpectu meretricis publicæ, quæ etiam minus pretium meretur, quia vili æſtimatur, & omnibus exponitur, quare aſſeritur *Prouerbior. cap. 6. Pretium ſcorti vix vnius panis.* At occultè inhoneſta plùs ſe æſtimare poteſt, & iuſtè: exigereque, ac retinere, quod pro turpi actu ei exhibetur. Caſus Thamar *Geneſ.* 38. hoc confirmat. Videatur Carbon *de reſtit. q.* 48. & Authores *ſuperiùs* citati.

203 Tenetur autem reſtituere, quæcumque fœmina impudica, quod accepit à non potente alienare. Qui autem alienare nequeant, diximus *cap.* 14. Et quidem, ſi à Religioſis accipiant, alienum retinent: quippè Religioſus nihil proprium habet, cuius dominium transferre poſſit, atque adeò opus habet facultate Prælati, vt aliquid donet. Prælatus autem facultatem concedere non valet, vt ſubditus præſtet aliquid in ordine ad actum turpem conſequendum, vt in ſimili diximus *eo capit.* 14. Attamen, ſi fœmina ſit meretrix publica, & aliquid à Religioſo acceperit non excedens mercedem debitam operis corporis, quas locauit, cenſeo, poſſe poſt actum turpem illud ſibi retinere: quia, actu completo, iuſta eſt ſolutio, & ad eam valet Prælatus licentiam indulgere. Quare meretrix in vtroque foro poteſt petere, quod ſibi pro actu turpi debetur, eoquòd ſolutio ſit iuſta, etſi ex iniquo actu ſecuta. Aliæ autem fœminæ ſimilem actionem non habent ad exigendum, & retinendum, quod accipiunt: actioque in illis ſolùm datur ex conuentione partium, quæ eſt quidam contractus: ea autem conuentio facta cum Religioſo, non ſolùm eſt illicita, ſed inualida: quia fit cum eo, qui alienare non poteſt. Sicut ludus eſt quidam contractus oneroſus; & lucrum indè adquiſitum à Religioſo excedens id, ad quod poteſt licentia Prælati extendi, ſeu id, ad quod de facto extenditur, inualidus eſt, & lucrum nequit reportari; quia obtinetur à non potente alienare. Id autem diſcrimen inter vtrumque intercedit, quòd ad ludum, in quo exigua quantitas exponitur iacturæ, poteſt à Prælato facultas concedi, vtpotè ad actum non peccaminoſum, imò honeſtum, ſi fiat debitis cum circunſtantiis: at nequit facultas dari ad eam conuentionem cum fœmina, etiam ſi conuentio ſit de exigua quantitate, quia eſt peccaminoſa, & contra votum caſtitatis. Nec fœmina hæc, ſecuto actu, gaudet aliquo titulo, ratione cuius retineat acceptum à Religioſo: cum id non ſit pretium locationis, ſiquidem ipſa non locat operas ſui corporis, quod eſt proprium publicæ meretricis, & conuentio antecedenter facta ei non fauet: nec donatio gratuita Religioſi transfert dominium, cum non poſſit donare. Imputet autem ſibi hæc fœmina, quòd omnia perdiderit; quandoquidem cum Religioſo non potente inſumere quidquam turpiter conuenit; aut quaſi contraxit.

204 Idem ſolet aſſeri de fœmina accipiente aliquid à filio familias, qui alienare non poteſt. & ita habet Trullench *in Bullam ſuprà num.* 5. Verùm hoc temperandum eſt, aliàs mille patet ſcrupulis, cum filij familias in Curia, in Academiis, aliiſque in locis non exiguos ſumptus cum fœminis impudicis, adhuc occultis faciant, quas ad reſtitutionem non obligant viri docti, & timorati in omnibus caſibus. Cenſeo igitur, tunc eas teneri ad reſtitutionem, cùm immodici ſumptus fiunt à filiis familias: poſſeque ſeruari eamdem regulam circa hoc, quam de ludo eorum tradidimus *ſuprà capit.* 14. Etenim, licèt parentes, (idem dico de curatoribus reſpectu minorum,) ſint inuiti circa filiorum culpas, & laſciuiendi licentiam; attamen ſi ſemel peccent, iudicantur ſpontanei circa eos moderatos ſumptus cum fœminis, & ſciunt, hoc ipſo quòd cum eis turpiter, agatur, aliquid fore inſumendum, circa quod abſolutè non ſunt inuiti. Et diſcrimen verſatur circa hoc inter eos, & Prælatos Religionum: nam illi ſunt veri domini ſuarum facultatum, & poſſunt permittere, quòd à filiis etiam turpiter operantibus transferatur dominium aliquorum munerum, & quòd valida ſit donatio à filiis facta, & conuentio cum fœminis: quod nequeunt præſtare Prælati: quia

munus

Digitized by Google

munus gerunt diſpenſatorum dumtaxàt, non dominorum. Cæterùm curatores in ordine ad facultates, minorum ſuccedunt loco parentum quoad hoc, quare eis permittere valent, quod poſſent parentes.

205 Si autem reſtitutio facienda ſit propter exceſſum ſumptuum, circa quos inuiti iudicantur prudenter curatores, & parentes, diximus *eo cap.* 14. cui ſit facienda, & quando detur compoſitioni locus. Ibi etiam tradidimus, cui ſit reſtituendum, quod à Religioſis adquiritur, cum retineri nequit: eadem enim eſt ratio de lucro adquiſito ab his perſonis in ludo, ac in aliorum actuum turpium exercitio, quando adeſt reſtituendi obligatio. Aduertunt tamen Authores, fœminam non teneri reſtituere, ſi bona fide accepit, niſi id, in quo facta eſt locupletior. Imò adquiſita in ludo bona fide ab eo, qui alienare non poteſt, non debere reſtitui, affirmant P. Leſſius *de iuſtit. lib. 2. cap. 26. dub. 5. num.* 36. Sotus, Salon, & alij. Vnde Villalobos *tom. 2. tractat.* 28. *diffic.* 5. *num.* 13. Machado *tom. 2. lib. 6. p. 7. tr. 7. document.* 15. *num.* 3. & non pauci, tuentur, difficile eſſe, reperiri obligationem reſtituendi in lucrante: quia ſemper ferè bona fides in eo datur: cum non aliter ſuam pecuniam exponeret iacturæ, niſi crederet, etiam eſſe locum lucro. Quæ doctrina colligitur ex *leg. rem alienam, ff. de contrahend. emption. &* argumento *leg.* 2. *Cod. ſi minor maiorem ſe eſſe dixerit.* Quod tamen non militat reſpectu Religioſi: nam conſenſus Prælati nequit dari, & abſque eo res alienari nequit à ſubdito: vnde deficiente ea bona fide, poſtquam lucrans in ludo, aut fœmina agnouit, ſe retinere alienum, reſtituere debent, quamvis bona fides eos excuſet à peccato in acceptione, aut adquiſitione. Conſenſus verò parentis in his circunſtantiis rectè præſumi poteſt, maximè dum leges firmant eum contractum bona fide initum. Video, alicui non fore parum probabile id etiam reſpectu religioſi ex vi conſequentiæ: mihi tamen ob dicta ſufficiens apparet diſparitas.

206 Si fœmina ſit coniugata, pretium pro adulterio teneri reſtituere ipſi marito, vt eius corporis domino, niſi acceptum ſit à non potente alienare, cui tunc eſſe reſtitutionem præſtandam, tuentur P. Molina *de iuſtit. tom.* 1 *tract.* 2. *diſput.* 94. Reginaldus *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 14. *num.* 193. Trullench *in Bullam ſuprà n.* 5. limitans, ſi acceptum eſſet quid notabile, ita vt pro ratione rei, & conſuetudine Regni, & Prouinciæ, tenerentur reddere id marito, ſicut & alia, quæ labore manuum ſuarum adquirunt. Et monet, eo caſu reſtitutionem fore occultè faciendam ad vitandum propriæ famæ diſpendium. In hac ſententia non datur locus compoſitioni per Bullas, niſi caſu, quo aliquid acceptum eſſet à non potente alienare, ſi is ignoraretur, aut non compareret.

207 Verùm poſſe fœminam coniugatam ſibi retinere pretium ob turpes actus adquiſitos, quin debeat illud reſtituere pauperibus, aut marito: & pariter poſſe filium, aut filiam retinere ſibi, quin reſtituat patri; & ſeruum, quin domino reſtituat, eo quòd ad bona illicitè adquiſita ab vxore, filio; & ſeruo, nullum ius detur in marito, patre, ac domino, qui ius dumtaxàt ad adquiſita licitè habent, & de hoc iure leges ſint intelligendæ, valdè probabilis, & tuta in praxi ſententia eſt, quam docent Bonacina *de contract. diſp.* 1. *q.* 3. *num.* 12. Graffis *tom.* 1. *conſil. lib.* 5. *de furt. conſil.* 2. Diana 2. *part. tract.* 17. *reſol.* 7. & alij non pauci. In hac ſententia non habet locum compoſitio, niſi in caſu poſito *fine num. præcedentis.* An autem fœmina coniugata debeat afferre in partitionem bonorum lucrum turpe, vel ſibi retinere omnino queat, non eſt noſtri inſtituti, pendetque à conſuetudine cuiuſque Regni: nam in Caſtella contrahit vxor cum marito contractu ſocietatis bonorum, indeque adducere debet in partitionem tam ipſa, quàm ille, omnia bona quomodocumque adquiſita, iuſtè retenta. Si verò in aliis Regnis, aut Prouinciis ſolùm contrahat contractu dotali, poterit ſibi omnino aſſeruare turpe lucrum, ſi adquiſiuit, quin defuerit gubernationi, ac rebus neceſſariis ſuæ domus: aliàs marito reſtituere tenebitur. Videantur Bonacina *diſput.* 1. *de reſtit. quæſt.* 3. *punct.* 3. Diana 1. *part. tract.* 3. *miſcellan. reſol.* 3. Trullench *in Decal. lib.* 7. *ſect.* 3. *c.* 9. *dub.* 9. *& in expoſ. Bull. lib.* 3. *caſ.* 17. *n.* 5. Machad. *t.* 1. *lib.* 6. *p.* 7. *tract.* 4. *à docum.* 6. & alij ab ipſo in margine allati.

208 E contra verò, ſi fœmina coniugata ob turpem cauſam aliquid præſtet, dum de bonis paraphernalibus ſit, non datur in accipiente reſtituendi obligatio, atque adeò non indiget compoſitione, niſi ſectari velit tutiorem ſententiam, quæ defendit, acceptum ob turpem cauſam debere reſtitui pauperibus: iuxta quam ſententiam idem dicendum eſt, ſi aliquid accipiat à fœmina non coniugata. Si autem fœmina non potens alienare, vt filia, minor, Monialis, id tribuat, omnino eſt obſeruandum, quod adhuc tradidimus de filio, minore, ac Religioſo donante, ſeruata proportione. Quippè minùs debet præſumi conſenſus in patre, vt filia bona ſua cum amaſiis diſperdat, & alienet, quàm vt filius: cum fœmina, quæ maiorem famæ, ac honoris iacturam patitur, potiùs accipere debeat aliquid in compenſationem qualemcumque, quàm donare.

209 Quòd ſi coniugata fœmina de bonis non paraphernalibus aliquid tribuat, ipſi marito

Digitized by Google

marito reſtituendum eſt, nec compoſitio per Bullas prodeſt. Probabile tamen eſt, vt aduertit cum aliquibus Machado *vbi ſuprà, docum.8. num.3.* fœminam aſſumentem aliquid ex bonis communibus, in quibus ſua ei pars eſt, non teneri reſtituere marito, ſicut pupillus non tenetur reſtituere tutori bona, quæ ex ſuiſmet facultatibus ab illo ſurripuit. Tenebitur tamen fœmina poſteà in bonorum partitione compenſationem præſtare eorum, quæ accepit: ſicut & filij, ac minores, quando inter ipſos fit partitio, eam tenentur præſtare, ſi aliquis plus, quàm cæteri, inſumpſit, aut accepit, niſi id à patre antecedenter fuerit condonatum, & non excedat tertium, & quintum facultatũ, de quo pater diſponere valet.

210 Monialem accipientem aliquid ob turpem cauſam poſſe ſibi retinere, niſi id ſit ampla ſupellex, quem deberet Monaſterio reſtituere, docet *vbi ſuprà* Trullench. Quæ doctrina niſi in recto ſenſu explicetur, non eſt vera. Etenim Monialis, ſicut quilibet alius Religioſus, nihil proprium ſibi retinere valet, ſed tantummodò vſum rerum de licentia Prælati, ſeu Abbatiſſæ: vnde monialis, ſi licentiam in generali, aut in ſpeciali obtinuerit, poterit vti bonis adquiſitis, ſeu ea donare, proprietas autem ſemper eſt, penes Monaſterium, quare valet Prælatus, ſeu Abbatiſſa abſolutè diſponere de rebus Monialis ad vſus honeſtos, maximè Communitati conſentaneos. Quòd ſi Monialis bona abſcondat, &, vt propria, abſque facultate diſpenſare velit, culpam proprietatis contra paupertatis votum committit, & donationes factæ inualidæ ſunt: quare donatarius, dum ei bona fides non faueat, tenetur accepta dona, vtpotè aliena reſtituere.

211. Quod de fœminis ob turpem cauſam bona accipientibus traditum eſt, pariter debet aptari viris, ſi ob ſimilem cauſam à fœminis, ſeu etiam ab aliis viris, accipiant. Eadem doctrina locum habet, ſi quidquam detur ſcurris, mimis, paraſitis, hiſtrionibus, ioculatoribus, vt ſinant, alapis cædi, aut quouis alio modo ignominioſo tractari, vt cum Sayro annotat Trullench *in Expoſ. Bull. ſuprà n.7.*

CAPVT XX.

Caſus decimus octauus Bullæ compoſitionis diſcutitur circa vendentes vinum limphatum, & ipſos, ac quoſvis alios inſtitores, qui ſuas merces vendunt, aliqua interueniente fraude in pendere, menſura aut earum qualitate.

212 IN Bulla Hiſpana ſic extat: *Item, ſi alguno ha vendido vino aguado por puro, ò medido con falſa medida, ò huuiere vendido otra coſa alguna con menores peſos, ò medidas, ò vendido vna coſa por otra, ò mezclado, ò peſado, ò mal medido, no ſabiendo, à quien ſe ouiere vendido, ſe puedan componer.*

213 Quotieſcumque fraus ſit emptori in re vendita, teneri venditorem reſtituere illi, quidquid per fraudem adquiſiuit, eſt doctrina communis cum D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 77. Soto *de iuſtit. lib. 6. quæſt.* 3. *artic.* 2. Couarruuias *regul. poſſeſſor*, 2. *p.* §. 11. *numer.* 5. Pinell. *leg.* 2. *de reſcinden. vendit.* 3. *part. cap.* 4. *numer.* 19. Fraus autem poteſt eſſe in ſubſtantia rei venditæ, in quantitate, in qualitate, in numero, & in menſura. Quomodocumque ergo contingat, ſi non ſit dominus certus, cui reſtitutio præſtetur, conceditur à Commiſſario in præſenti, vt compoſitio per Bullas fieri queat. Etenim id pauperibus debebat reſtitui, & vt ſæpiùs diximus, à Pontifice conceſſum eſt, vt debita bona pauperibus, quorum ipſe eſt adminiſtrator, in ſubſidium belli contra infideles media compoſitione applicentur.

214 Villalob. *p.1. tract.29. nu.36.* ait vendentem cum fraude vinum in aliquo oppido, non poſſe per Bullas componi, ſed teneri reſtituere acceptum per fraudem ipſi oppido ad publicos, & communes ſumptus: vel vendere deinceps viliori pretio vinum, donec ablatum compenſetur. Refert hanc opinionem Trullench *in expoſ. Bull. lib.3. caſ.* 18. & aſſentire videtur, quia non improbat. Mihi autem improbatur, non quia non cenſeam, ſic ſatisfieri reſtituendo obligationi, ſed quia iudico, non id ita opus eſſe, vt locus compoſitioni per Bullas non detur. Etenim Commiſſarius loquens de vendente vinum ſupponit, communiter vinum exponi omnibus venale, & adhuc inuenit locum compoſitioni, qui non daretur, ſi neceſſariò eſſet reſtituẽdum eo modo, quem ſtatuit Villalobos; ſolùm quippè remaneret locus compoſitioni in caſu, quo quis vtens fraude vendidiſſet vinum vni, vel alteri, & hi non comparerent: qui caſus minùs communis eſt, cum communiùs vinum pluribus exponatur inſumendum, & fraudes ſint frequentiores, cum publicè venditur.

215 Deinde abſolutè ignoratur dominus, cum varij, & multi emunt vinum, cum poſſit contingere, plures ex illis non iterùm emere illud, vel quia non ſunt incolæ loci, ſed aduenæ, vel ob alias cauſas, vnde reſtitutio facta modo *ſuprà* poſito, non fit certo domino, & aliundè, ſi fiat communitati, poteſt contingere, vt plures defraudati ex illa non ſint: & quòd reſtituta pecunia expendatur in vſus, qui nullius commodi ſint his, qui in emptione vini fraudem ſuſtinuerunt.

Digitized by Google

ſuſtinuerunt. Cum ergo ſit hæc incertitudo circa dominos veros; rectè fiet per Bullas compoſitio. Dixi autem, ſatisfieri obligationi reſtituendi eo modo, quem Villalobos aſſignat tum ob probabilitatem ſaltem extrinſecam eius opinionis; tum quia hi, qui fraudem acceperunt, cum nequeant ipſi ob incertitudinem compenſationem accipere, videntur annuere, vt compenſatio fiat in bonum commune, aut in pauperes; indeque vel per reſtitutionem præfatam, vel per compoſitionem rectè fiet.

216 Sotus relatus ab Emmanuele Rodriguez *in explic. Bull. compoſ. num.* 73. *caſ.* 14. tenet, tunc poſſe vendentem vinum, aut quid aliud, menſuram decurtare, aut aquam miſcere, cum, etiam hoc præſtito, merces iuſto pretio venditur. Pone caſum, amphoram vini vendi decem drachmis, nec poſſe hoc pretium excedi à venditore: ſi ipſi ſtet ea amphora ſex drachmis, quas pro illa ſoluit, & deindè quatuor drachmas ſit præſtiturus colligentibus vectigalia, ſanè ipſe nullum lucrum percipiet, nec pro labore, nec ad victitandum; vnde, vt habeat aliquod lucrum ſentit Sotus, poſſe aliqua induſtria vti. Cuius ſententiam vidi à doctis viris approbatam, nec ego reprobo. Quod autem ad impugnationem affert Rodriguez, nempè eos inſtitores, etſi ſemel iacturam patiantur, pluries lucrum reportare, facilè ſoluitur; Nam lucrum hoc non adeò exceſſivum eſſe ſolet, vt poſſit illud damnum ſarcire, rursùs contingens eſt id lucrum, & neceſſarium aliundè, vt inſtitor habeat, quo victitet, dum ſuppeditat populo merces opportunas. Attamen cum moderamine debet id permitti, & non niſi hominibus timoratæ conſcientiæ, aliàs patebit fraudibus licentia. Subſcribit Machado *tom.* 2. *lib.*6. *part.*8. *tract.*5. *docum.* 2. *n.* 3.

217 Hinc contra Ledeſmam, & Rebellum docent rectè Bonacin. *tom.* 2. *diſ.*3. *de contract. q.*2. *punct.* 6. *num.* 17. P. Leſſius *de iuſt. lib.* 2. *c.*21. *dub.* 11. *num.* 82. Homobonus, & Lopez quos refert, & ſequitur Diana 1. *p.tr.*8. *reſ.*51. cum, qui apud ſe habet vinum venale, quod valdè excedit in qualitate vinum, quod ab aliis eiuſdem loci eodem pretio venditur, poſſe quidem illud miſcere alio vino deteriori, aut aqua, ita vt nec excedat, nec excedatur à vino ab aliis vendito: ſic enim emptori non fit iniuria, cùm vinum ei tradatur eiuſdem qualitatis, ac à cæteris traditur. De hoc latiùs diſputo *in ſtatera opinionum benignarum, diſſertat.* 6. *ex num.* 17.

218 Generaliter autem venditores noſcentes in vendita re defectum aliquem tenentur illum emptori manifeſtare, aliàs reſtitutioni manent obnoxij. Niſi in caſu, quo res iuſto pretio venditur, quamvis defectus aliquis taceatur, etiam ſi, manifeſtato defectu, non foret eo pretio emenda; quia emptor non damnificatur, dum res tantum valet, quantùm ipſe ſoluit: Ita Sotus citatus à Rodriguez *ſuprà num.* 72. qui hunc caſum obſcurè reſoluit, & *initio numeri* idem, quòd nos, pro concluſione præfigit, & *fine* contrarium videtur aſſerere. Quando verò defectus eſt valdè manifeſtus, vt, ſi equus ſit claudus, aut vno oculo carens, non eſt neceſſarium, illum oſtendere. Ipſe etiam emptor, ſi ſciat, rem multò ampliùs valere, quàm à venditore æſtimatur; ſi exceſſum non aperiat, & ſoluat, tenebitur reſtituere venditori.

219 Circa exercentes mercaturam varia ſunt tum in iure ciuili, tum in Hiſpano diſpoſita. Debent hi emptori manifeſtare, ex quo loco allatæ ſint, ſeu in quo elaboratæ merces ſericæ, panneæ, aureæ, & argenteæ, plùs etenim valet filum aureum v.g. Mediolani elaboratum, quàm in noſtra Hiſpania, & ſerica in vrbe Granatæ texta, quàm in aliquibus aliis locis. Debent etiam quoſcumque defectus mercium emptoribus aperire, quod item præſtare tenentur ſartores, cùm veſtes conficiunt, *leg.*1. *tit.*12. *lib.*5. *Recopilat. leg.*6. *ibidem*, *leg.*1. §. *præterea*, *ff. de offic. Praefect. vrb.* Menſura autem, & pondus, quibus vtuntur, debent eſſe ex receptis, & deſignatis à Rege, aut Republica, & ſeruare tenentur in menſura modum conſuetudine receptum, nempè vt pollicem ſupra ſingulas vlnas addant, & alia, quæ videri poſſunt *in leg.* 2.3. *&* 5. *tit.*12. *lib.*5. *Recopilat. leg.*1. *tit.*13. *ibidem*; *leg.*115. *tit.*13. *lib.* 7. *Recop.* Videantur circa obligationes mercatorum Machado *tom.*2. *lib.*6. *part.*8. *tr.*3 Azeued. *in leges nuper citatas Recopilat.* Matienzo *ibidem*; Ioannes Regnandus *in tract. de menſuris*; Curia Philippica *tom.*2. *lib.* 1. *cap.* 11. Nauarrus *cap.*23. *n.*55. Couar. *in reg. peccatum, part.* 2. §.5. & Authores agentes *de contract.* Quotieſcumque igitur inſtitores, & quamlibet mercaturam exercentes per fraudem quidquam ab emptoribus accipiunt, & ignorant, quinam illi ſint, aut illi non comparent, poſſunt debitum per Bullas componere. Nomine autem fraudis intelligo quamcumque actionem, ratione cuius emptor damnificatur, exercendo eam mercatore contra leges, quæ non ſint dumtaxàt pœnales, aut contra conſuetudinem habentem vim legis, aut contra ſui muneris obligationem.

Digitized by Google

DISPVTATIO XXXV.

De aliis caſibus, in quibus Bulla compoſitionis locum habere poteſt.

Longam elaboraueram diſputationem, per omnia ferè munera, & officia Reipublicæ diſcurrens, vt propoſitis his, ad quæ quiſque teneretur, clariùs dignoſceretur, in quibus caſibus reſtitutioni eſſet obnoxius, & quando per Bullas componi valeret; quod ad frequentem Confeſſariorum vſum, & praxim iudicaueram opportunum. Incidi tamen poſteà in aliquos Authores, quos non videram, agentes ex profeſſo de hac materia; præcipuè Ioannem Machado *tom. 2. de perfecto Confeſ.* P. Petrum de Oñate *tom. 2. de contractibus*, nouiſſimè in lucem editos. Quare decreui, & plura ab hac diſputatione præſcindere, & reliqua in epilogum reuocare, tum, ne viderer tranſcribere, quæ illi proferunt, cum multa ſint certa & proptereà ab omnibus ſectanda; tum quia quod pro Confeſſorum commodo optaueram, illi perfecere, apud quos doctè diſcuſſa hæc omnia reperientur.

CAPVT I.

Explicatur in communi, quid concedatur à Pontifice, & à Commiſſario Generali Cruciatæ circa compoſitionem bonorum incertorum in caſibus non expreſſis in hac Bulla.

1 IN Bulla Hiſpana Compoſitionis habetur: *Item generalmente ſe pueden componer de qualquier genero de hazienda illicita, y malamente auida, mal ganada, y adquirida, aſſi par vſura, ò logrò, como en otra qualquier forma, ò manera, oficio, ò trato, que ſea, ò ſer pueda, no ſabiendo el dueño, à quien legitimamente ſe pueda, y deba hazer la reſtitucion.* Et in fine concludit Commiſſarius: *En los caſos, y coſas, que aqui particularmente no van expreſſados, atento que la facultad, y comiſſion à nos dada, y concedida por ſu Santidad es general, y comprehende otras mas coſas, en que ſe puede hazer la dicha compoſicion, lo remitimos al arbitrio de los Confeſſores, para que ellos, como medicos eſpirituales, digan, y declaren à ſus penitentes, de todo lo que en virtud deſta Bula, y facultad Apoſtolica, ſe podran componer para el deſcargo, y ſatisfacion de ſus animas, y conciencias, demas de los caſos en eſta Bula declarados.* Facultas autem Pontificis conceſſa Commiſſario continetur in illis verbis Bullæ Latinæ: *Ac ſuper illicitè habitis, &c.* quæ *in ſuperioribus* tranſcripſimus.

2 Propoſuit Commiſſarius aliquos caſus in ſpeciali, in quibus compoſitioni eſt locus, & quia non poſſunt omnes ad breue redigi compendium, ideò nunc aſſerit, in cæteris omnibus poſſe quem componi de bonis incerto domino debitis, & à ſe illicitè adquiſitis, aut etiam licitè habitis; & Confeſſariis committit, vt pœnitentibus declarent, quando poſſint debita per Bullas componere. Quippè Confeſſarij tenentur monere pœnitentes de obligatione reſtituendi, eam præcipientes; imò aliquando beneficium abſolutionis non præſtantes, niſi illi priùs reſtituant, aut aliquam curationem præbeant: aliundè dignoſcere debent, quando reſtitutio pauperibus, aut operibus piis ſit applicanda, indeque compoſitionem per Bullas hortari poſſunt, vt ſic promptiùs, alacriùs, & certiùs fiat reſtitutio, cum minus grauentur pœnitentes, dum minus reddunt. Ex caſibus autem expreſſis à Commiſſario poterunt inferre Confeſſarij à ſimili, in quibus aliis compoſitio locum habeat. Quare Bullam compoſitionis præ manibus habeant, quia frequenter caſus contingunt, in quibus eius vſum monere poſſunt; & timendum eſt, ne homines reſtitutioni obnoxij eam differant, aut omittant, negligendo ſalutem propriam ob conſeruationem bonorum, quibus ſe ſpoliare renuunt, & hi ſanè compoſitionem per Bullas non inuiti ſuſcipient, cum exiguam quantitatem ſint ſoluturi, quo eorum animabus proſpicitur.

3 Hanc verò conceſſionem generalem à ſe fieri, inquit Commiſſarius, authoritate à Pontifice ipſi tradita. Quippè Pontifex, vt ex Bulla Latina conſtat, ei committit, vt in ſubſidium expeditionis Cruciatæ componere queat bona illicitè, aut quovis modo adquiſita, quæ reſtitui debent, ſi dominus ſit incertus, & poſt ſufficientem diligentiam appoſitam non compareat. Ad Pontificem etenim ſpectat, vt ſæpè aſſeruimus, diſponere de bonis, quæ ad pauperes, & pia opera pertinent ratione reſtitutionis, ad exonerandas conſcientias, ac animarum ſaluti prouidendum; &, cum ea bona incerto domino ſint debita, & pauperibus forent reſtituenda, & ad exonerationem conſcientiarum attineant, æquo iure Pontifex de illis diſponit, concedens Commiſſario, vt ea in pium opus belli aduerſus Infideles applicet; qua conceſſione Commiſſarius vtens Bullas expedit pro certa ſummæ quantitate componenda, & vlteriorem ſummam ſibi componendam reſeruat, de quo *in ſuperioribus* latè diſſeruimus.

4 Exprimit Commiſſarius, componi poſſe per Bullas bona adquiſita illicitè per contractus

Digitized by Google

contractus iniquos, nempè vſuram, & alios. Quæ verba ferè eadem in primo caſu Bullæ compoſitionis etiam apponuntur; quem tamen ſenſum ibi, & hic habeant, diximus *diſp.34. cap.1.* Vbi explicauimus contractus vſurarios, & alios, ex quibus reſtituendi obligatio reſultat. Addendum eſt autem illis monopolium, quod eſt conuentio, ſeu pactum mercatorum, vt nemo illorum vendat aliquam mercem infra tale pretium; quod eſt contra iuſtitiam, quamvis conſpiratio eſſet, vt nullus venderet, niſi pretio ſupremo iuſto. Hinc quod creſcit in pretio ex eiuſmodi conuentione, reſtituere mercatores tenentur.

5 Quando autem aliqui mercatores eam conuentionem ineunt, & vnus aut alter ad illam non concurrit, adhuc nequit hic pro merce pretium auctum accipere: cum enim pretium ſit iniuſtum reſpectu aliorum, non poteſt eſſe iuſtum reſpectu ipſius, vt docet P. Rebellus *part.2.lib.9.q.7.n.5.* Nec vim ingerit, quod pro contraria opinione affert P. Reginaldus *tom.2.lib.25.cap.22.n.330*, & probabile iudicat Diana *part.1. tract.8. reſ.24.* nempè mercatorem, qui non fuit author monopolij, vendere tunc pretio communi, quod proindè iuſtum eſt, etſi fraudibus aliorum creuerit. Etenim id pretium non eſt commune ex ſe, ſed ex malitia aliquorum, quæ nequit efficere, vt ſit iuſtum; imò nec, vt ſit abſolutè commune, ſiquidem emptores illud ſoluunt reluctantes, ac inuiti, & vt redimant vexationem, cum ea merces ſit neceſſaria, & non aliter eam habere queant.

6 Monopolium etiam ſignificat pactum, ſeu conuentionem emptorum, vt aliquam mercem non emant, niſi tali pretio, infra iuſtum, attentis circunſtantiis. Quod pactum eſt iniquum, & reſtituere tenentur damnum illatum venditori; ſcilicèt conueniant emptores, ne pretium iuſtum ſoluant pro tali merce, quæ neceſſariò à mercatore ſit vendenda, reſtituere debent ei, quidquid à pretio iuſto detrahitur. Non tamen erit monopolium, ſi inter ſe conueniant, ne ſoluant ſupra pretium iuſtum.

7 Etiam teneretur reſtituere ille, qui vi, minis, aut metu cogeret alios, ne emerent vectigalia, aut officia, vel res, quæ venduntur, ſub haſta, vt ipſe emeret pretio infimo, ſed iuſto: non tamen teneretur, ſi non cogeret, ſed rogaret. Sic P. Reginald. *tom.2.lib.25. cap.22. n.379.* De emptione, & venditione vide plura apud Bonacin. *de contract. diſp.3.* P. Molinam *t.2. tract.2. diſp.353.* Leſſium *lib.2.c.21.* Malderum *in 2.2.tr.5.c.7.* Magalam *in 2.2.lib. 2.c.6.* & alios agentes *de contractibus.* Quoties igitur ratione fraudis, aut contractus, ſiuè conuentionis iniquæ conſurgit debitum reſtituendi, ſi ignoretur, aut non compareat dominus, compoſitio per Bullas locum habet.

8 Concedit rursùs Commiſſarius in verbis ſuperioribus, poſſe per Bullas componi, quidquid incerto domino debetur, & adquiſitum fuit iniquè in exercitio alicuius muneris, artis, aut officij. Tunc autem iniquè adquiritur, cum dolus, vel fraus intercedit, aut ab inuito exigitur plus quàm opus meretur, vel labor; aut quis muneri ſuo non ſatisfacit inferens alteri damnum. Allati autem ſunt *in ſuperioribus* plures caſus huiuſmodi, & expoſita munera, ac obligationes multorum; qui in Republica munera, & officia exercent; *in ſequentibus* breui addemus aliquos; non omnes, ob rationem *in proœmio huius diſputationis* allatam.

CAPVT II.

In quibus caſibus Architecti, Pictores, & alij Magiſtri, ac executores artium liberalium Bulla compoſitionis vti queant?

9 ARchitectus, qui domos, templa, & quævis alia ædificia fabricatur, & officiales, qui ad diuerſa munia exercenda in his operibus ſunt deſtinati, tenentur exequi, quod in conuentione paciſcuntur, & ità opus peragere, vt ruinam non minetur. Hinc debent reſtituere, quidquid damni euenerit, eorum cauſa, & etiam quidquid laboris è conuentione facta detraxerint. Imò quamvis nullum lucrum ipſi perceperint, ſi tamen ob incuriam, & negligentiam ipſorum damnum ſequatur, ad reſtitutionem tenentur, iuxta doctrinam communem, debere ſcilicèt reſtitui ab eo, qui cauſa eſt damni, quamvis nullum emolumentum percipiat. Ita communis cum S. Thom. 2.2. q.62. art.8. ad 2. Gloſſa *in regula peccatum, verbo Ablatum, de regul. iur.* niſi culpa eius eſſet leuiſſima, aut leuis, vt cum pluribus docet Barboſa *in leg. ſi mora; n 43. ff. ſoluto matrimonio.*

10 Reſtitutio autem præſtanda eſt ei, qui damnum ſentit, & difficile eſt, dominum eſſe incertum, aut ipſum, vel eius hæredes non comparere, vt poſſit eſſe locus compoſitioni per Bullam, niſi debitor ad remotam profectus eſſet regionem, vnde nequiret reſtitutionem tranſmittere. Hic nota, ſi reſtitutio facienda ſit Eccleſiæ, eo quòd fraus aliqua patrata eſt, dum ea extruebatur, non ideò poſſe debitorem componi per Bullas: quia à Pontifice, ac Commiſſario non conceditur compoſitio de bonis, quæ certo domino debentur; in hoc autem caſu certus eſt dominus, nempè ea determinata Eccleſia; nec conceditur de omnibus bonis pertinentibus ad pia opera, quorum Pontifex eſt adminiſtrator; ſed

Digitized by Google

ſtipendium acceptauit. Sic Baſſeus *in ſumm. verbo Culpa, num.6.* Item, ſi cogat ad afferenda medicamenta, quæ pharmacopola ignarus, aut fraudibus vtens conficiat, quæ ægroto plus nocumenti, quàm vtilitatis ſint allatura. Ita Trullench *in Decal. tom. 1. lib. 4. c. 1. dub. 11.* Plura de medicis videri queunt apud P. Thom. Sanch. *lib. 3. mor. cap. 16.* Fagundez *de præcept. Decal. lib. 2. c. 25.* Rodrig. *tom. 1. ſum. cap. 246.* Caietan. *in ſum. verb. Medicus.*

18 In caſibus igitur, quibus, diximus, teneri medicum ad reſtitutionem, eam præſtare debet illis, queis damnum intulit, vel eorum hæredibus: quòd ſi præ multitudine, aut alia de cauſa incerti ſint, aut non compareant, ſeu nequeat ipſis reſtitutio fieri ob diſtantiam, poterit medicus vti compoſitione per Bullas.

19 Quæ de medico protulimus, proportione ſeruata, applicanda ſunt chirurgo in his, quæ ad ipſum pertinent, nempè vulnerum medela. Nec ſe intromittere poteſt ad ea quæ ſui muneris non ſunt, ſed ad medicum ſpectant, aliàs, ſi proindè nocumenti ſit cauſa, tenebitur damnum reſtituere. Quid ſit conſtitutum circa chirurgos, reperies *in leg. 10. codicis additi.* Hiſpanè *del quaderno añadido*, quæ correctoria eſt *legis 13. tit. 7. lib. 1. Recopil.* Videatur Narbon. *in leg. 10. gloſſ. 1. tit. 16. lib. 3. Recopil.*

20 Pharmacopola, niſi fideliter medicamenta conficiat, iniuſtitiæ eſt reus, atque adeò reſtitutioni obnoxius. Quippè ex illis ſalus, & morborum medela pendet, & poteſt tum vita periclitari, tum ægritudo graueſcere, ob fraudem pharmacopolæ, ſi medicamina corrupta, malè diſpoſita, aut alia, quæ non poſtulantur, miniſtret. Nec tenetur ſolum ad reſtitutionem pretij quod per dolum adquirit; ſed etiam damni, quod ex eius culpa reſultat. Præstereà, inconſulto medico, nequit pharmaca, maximè violenta, præberè, cùm ex eorum acceptione poſſit ægrotùs periclitari. Videatur P. Molina *tom. 4. de iuſt. tr. 3. diſ. 27. in fin. & lex 3. ff. ad leg. Cornel. de ſiccariis.*

21 Nequit rursùs pharmacopola vendere toxica, & venena, quæ ad aliqua medicamenta temperanda, & miſcenda apud ſe habet, niſi Medicus præcipiat, vt eis ad aliquod remedium à ſe applicandum vtatur; aut ea vendat, vel tradat viro ab omni ſuſpicione libero, timorato, ac prudenti quem moraliter eſt certum, non fore eis abuſurum, vt alicui vitam, vel mentem eripiat. Quòd ſi ea traderet, aut venderet homini ignoto, ſeu ei, de quo poſſet iuſtè timeri, fore illis abuſurum, cooperaretur ad nocumenta indè ſecuta, atque ad reſtitutionem obligaretur. Cætera circa ſcientiam, & approbationem pharmacopolæ communia ſunt cum his, quæ de medico, ac chirurgo libauimus, ſicut etiam ea, quæ de compoſitione per Bullas ſtatuimus.

22 Circa Tonſores aliqua diſpoſita ſunt, videnda *in leg. ſi quis, Cod. de profeſſoribus, & medic. lib. 10. leg. 1. tit. 17. lib. 3. Recop.* & *ibi* Azeuedo. Equidem ſcientia ad ſuum munus requiſita pollere debent, venas inciſuri, aliaque executuri, ex quibus ſi rectè non peragantur, poteſt mors, aut grauis ægritudo ſequi. Hinc, ſi ea munia perficiant abſque neceſſaria ſcientia, aut ægrotis opportuno tempore non ſucurrant, & peccant, & reſtituere damna tenentur; omninoque eis aptatur, quod de medicis aſſeruimus.

23 Aliquæ quæſtiones de Tonſoribus non ſunt huius loci, an ſcilicèt teneantur ad ieiunium diebus ab Eccleſia præceptis; à quo eos plures graues Authores excuſant; & an diebus feſtis poſſint barbam tondere licitè; ac poſſe in locis, vbi id conſuetudine eſt introductum, & vbi lucrum præcipuum, aut ſaltem ingens his diebus habetur, non pauci probabiliter docent. Videantur Baſſeus *verbo Feſtum 3. n. 5.* P. Fagundez *de præcept. Eccl. præc. 4. lib. 1. cap. 7. à n. 15.* Caietan. *2. 2. q. 122. artic. 4.* P. Suarez *de relig. tom. 1. lib. 2. cap. 33. n. 9.* Diana cum pluribus à ſe relatis *1. part. tr. 9. reſol. 8. & tract. 15. reſ. 34.* Et ego *in ſtatera opinionum benignarum, diſſert. 8. ex n. 36.*

24 Proportionatè applicari debet doctrina *hoc capite* tradita aliis, qui non omnibus morbis, aut vulneribus medendis deſtinantur, ſed aliquibus in ſpeciali, vt ſunt hi, qui oſſa conſolidant, ſeu ea ad ſuum ſitum reuocant qui dentibus medendis, ac extrahendis incumbunt, qui varia medicamenta proponunt venalia ad diuerſos morbos curandos; & hi quidem à Confeſſario ſedulò ſunt interrogandi, an fraudibus vtantur, vel remedia inopportuna vendant? Item fœminæ, quæ parturientibus ex munere proprio aſſiſtunt, & demùm ſimiles alij, quorum munus ad corporum ſanitatem tendit.

CAPVT IV.

In quibus euentibus fabri lignarij, ſartores, ſutores, alijque huiuſmodi Bulla compoſitionis gaudere poſſint?

25 Aliquos exprimo ex his, qui in Republica artes exercent, tum quia ſunt frequentiores, tum quia dicenda de illis facilè cæteris adaptantur. Nomine fabri lignarij poſſunt comprehendi plures diuerſa officia exequentes, vt ſunt hi, qui imagines ligneas elaborant; qui ianuas, oſtia & his ſimilia conficiunt, atque alij huiuſmodi. Hi

Digitized by Google

*tract.*4.*reſol.*176. & cenſet probabilius Trullench *loco relato*, quibus aſſentire videtur Machado *ſuperiùs.*

32 Non ſpectat ad nos, inueſtigare, an ſartores diebus ieiunij, teneantur illud obſeruare, & minimè teneri, docent graues Authores: &, an diebus feſt is licitè aliquando laborare queant, (præter caſum, quo neceſſarius eſſet omnino labor ad ſuſtentationem,) & poſſe, quando ad aliquod funus veſtes luctuoſæ ſunt neceſſariæ, vel ad perficiendum opus die profeſto adhuc poſt mediam noctem, vt poſſit ſatisfieri his, quibus promiſſum eſt, tenent viri docti. Conſulantur Ledeſma *tom.*2.*ſumm.cap.*4.*quæſt.*17.*artic.*3.*dub.*6. P. Sa. *verbo Ieiunium*, *nu.*9. Layman *lib.*4.*tract.*7.*cap.*7.*& tract.*8.*cap.*3. Reginald. *tom.*1.*lib.*4.*cap.*17.*n.*216. Molfeſſius *in ſumm. tom.*1.*tract.*10 *capit.*4.*n.*43. Diana 4.*part. tr.* 4.*reſol.*62.*&* 134. Fagundez *in præcept. Eccleſ. præcept.*4 *lib.*1.*c.*7.*à n.*15.

33 Circa ſutores nihil ſpeciale occurrit, quod non ſit aliis artificibus commune: quia autem eorum ars adeò in Republica eſt neceſſaria, mentionem eorum in ſpeciali fecimus, vt dignoſcatur, ipſorum officium, niſi rectè peragatur, eſſe frequenter reſtitutioni obnoxium. Quare debent non plùs iuſto calceos vendere, eoſque non perfunctoriè elaborare, nec aliqua vti fraude, tum in horum materiæ qualitate, tum in elaboratione, aliàs obligantur ad reſtitutionem.

34 Igitur fabri lignarij, ſartores, ac ſutores, cùm ad reſtitutionem tenentur, ſi dominùs ignoretur, aut non compareat, aut præ multitudine nequeant domini dignoſci, aut eis reſtitutio præſtari, compoſitione per Bullas vti valent, de conſilio Confeſſarij, aut viri timorati, ac docti, qui rectè diſcernat priùs, vtrùm propriis dominis reſtituere ablata, aut damna ſecuta valeant: quippè ſi id fieri queat, compoſitioni locus non ſupereſt.

35 Hæc omnia aptantur reliquis artificibus, vt ſunt argentarij, fabri ferrarij, coriari, & ſimiles: quos ad reſtitutionem teneri, cum fraudibus vtuntur, & plùs iuſto res ſuas, aut operas vendunt, conſtat: indeque poſſe gaudere compoſitione per Bullas, cùm dominus ignoratur. Facilè autem eſt, dignoſcere, quando fraudibus vtantur: nulluſque meliùs, quàm ipſi eas callet: Confeſſarioque manifeſtabunt, ſi animæ ſalutem optant. Quare ille tunc, perſpectis attentè circunſtantiis, reſtitutionem integram, ſi datur dominus certus: aut ſi non datur, compoſitionem per Bullas iniungat, prudentem, ac moralem certitudinem concipiens, quòd præſtabitur id, quod admonet, ne temerè abſoluat.

CAPVT V.

Vtrùm in aliquibus caſibus Quæſtores, lictores, aliique ſimiles miniſtri publici, & officiales valeant Bulla compoſitionis vti?

36 EGimus *diſp. præcedenti* de iudicibus, aliiſque iuſtitiæ miniſtris, & late propoſuimus, quando poſſint vti beneficio compoſitionis per Bullam, & in quibus caſibus non teneantur reſtituere. Ibi dicta recolantur. Breuiter nunc aliqua attingemus. Quæſtor eſt, apud quem deponitur pecunia cõmunis Reipublicæ, aut gaza Regia, aut quę à vectigalibus colligitur, Regique aſſeruatur. Et quia Quæſtores perſoluunt creditoribus Regis annuos redditus, qui eis debentur, vel quia à Rege fuere ipſi donati, vel quia ipſi à Rege emerunt, oportet dignoſcere caſus valde frequentes, in quibus illi, & reſtitutionis, & peccati rei manent, vt præ oculis à Confeſſariis habeantur.

37 Quæſtor differens ſolutionem, aut negans eo intuitu, vt aliquid ei à creditore donetur, tuncque propter ſolutionem accipiens: vel etiam, ſi ipſe adhuc ſolutionem non diſtulerit, accipiens aliquid, quod, certò ſcit, ſibi præſtari, vt ſtatim ſoluat, nam aliàs, non eſſet adeò breuiter ſoluturus, vt ex experimentis ab ipſo habitis, poteſt conſtare, teneturomnino acceptum reſtituere: id quippè retinet, inuito domino, qui non vltroneus donauit, ſed renuenti animo, vt ſuam redimeret vexationem, & pecuniam ſibi debitam perciperet. Quod nemo inficiabitur, ita contingere. Et quidem nullus titulus fauet Quæſtori, vt acceptum id retinere queat: non ſanè donatio voluntaria, vt *nuper* aſſerui; nec ratio mercedis pro labore: nam à Rege ei ſtipendium ſufficiens perſoluitur, & aliundè ex conductione pecuniæ, aut illius vſu ſolet amplum lucrum percipere: vnde non debet à creditoribus quidquam pro labore detrahere.

38 Aliud erit, ſi ipſe creditor omnino vltroneus in ſignum gratitudinis, eo quòd ei ſolutio promptè fuerit facta, aliquid concedat Quæſtori: tunc enim poterit hic accipere, & retinere. Rursùs ſi plures creditores concurrant, nec poſſit ſimul omnibus ſatisfieri, ſed ſucceſſiuè, poteſt Quæſtor aliquid accipere ab vno, vel alio, vt eos cæteris anteponat, ac priùs eis debitum ſoluat: quippè æſtimabilis eſt ea antelatio, & in commodum vergit creditoris, nec ad eam Quæſtor tenetur. Rursùs ſi adhibita à ſe ſufficienti diligentia, adhuc gazan Regiam non perceperit, & ſoluat creditoribus, poterit aliquid accipere: tum pro periculo,

Digitized by Google

cui exponitur, amittendi id, quod ſoluit, & non adhuc à debitoribus Regis percepit: tum ob lucrum ceſſans, ſi cum ea pecunia, quam ſoluit, aliquid pôterat lucrari. Ob quod lucrum ceſſans etiam poteſt aliquid accipere, ſi anticipatè ſoluat. Idem, quod de Quæſtore aſſerimus, aptatur etiam Adminiſtratoribus, vel œconomis tum ipſius Regis, tum Dynaſtarum, & aliorum Equitum, quando eis incumbit perſoluere debita creditoribus.

39 Nec valet, ſi dicatur, Quæſtores exiguos redditus annuos percipere propter munus, quod exercent, maximè cum plurimam operam, ac ſedulam curam impendant, vt libros, ac rationes dati, & accepti diſponant: & poſtmodùm cogantur multis expenſis in Curia oſtendere quomodo ſuum perfecerint officium. Etenim maiora ſunt lucra, quàm expenſæ: & merces, quam recipiunt, prudenter taxata eſt iuxta qualitatem laboris, & impenſarum. Quòd ſi muneri ſuo ſatisfaciant, omninoque creditoribus perſoluant, facillimè, ac nullis ferè expenſis in Curia rationem ſui reddent. Equidem ideò exigua merces Quæſtoribus videtur ea, quam percipiunt, quia exiſtimant, talem ſibi deberi, qua valeant familiam amplam, & luxum, ac apparatum ſuſtentare, & ditiores indè reddi. In quo maximè falluntur, nec id eis fauet, vt poſſint accipere à creditoribus coactis ſummas pecuniæ ſibi traditas: quippè ſtipendium eſt iuſtum, quamvis ad ea omnia non ſufficiat, dum pro qualitate laboris taxetur: quis autem dubitet, ita eſſe taxatum? Aliàs omnibus Regiis Miniſtris liceret vti eadem licentia, affirmantibus, ſtipendium non ſibi perſolui iuſtum. Et ſanè non adeò hæc munera Quæſtorum ambirentur, ſi lucrum aliundè non eſſet ſufficiens: aut non iuſtè optarentur, ſi ſimul ad eum tenderetur ſcopum, quòd à creditoribus eſſent lucra extorquenda, vtendo iniuſtis ſolutionis prorogationibus. Rursùs, ſi aliqui apud Curiam in rationibus reddendis expenſas faciunt, ideò ferè ſemper accidit, quia non omnem pecuniam apud ſe depoſitam perſoluerunt Regi, aut eius creditoribus: quod ſibi imputare debent, & anticipatè nequeunt ea incommoda ſarcire.

40 Hinc cenſeo, Confeſſarios teneri, dum huiuſmodi Miniſtrorum confeſſiones excipiunt, ad eos interrogandos circa ſui muneris functionem, nec facilè eorum excuſationibus acquieſcere; ſed omnino eos obligare, vt reſtituant, quæ iuxta doctrinam traditam nequiuerunt accipere. Quippè experientia conſtat, eos ex his quæſturis valdè diteſcere: & creditores inuitos, ac repugnantes eis donatiuum præbere, vt ſic ſuos adquirant redditus: aliàs, ſi nihil donent, ſæpè repulſam patiuntur, ſolutio differtur, & plures indè eis expenſæ proueniunt. Nec ſermo eſt de omnibus, cum plures ſint timoratæ conſcientiæ, & promptè creditoribus ſatisfaciant: plures tamen adhuc eſſe, qui & acceptionis perſonarum in ſoluendo, & induſtriæ ad capiendum ex creditoribus lucrum rei ſunt, frequentiſſima horum querela teſtatur.

41 Lictores tenentur exequi, quæ à iudicibus præcipiuntur: cum autem vt creditoribus ſoluatur, iubentur accipere à debitoribus pignora, aut eos cogere, vt perſoluant media executione: ita debent fideliter, ac ſedulo id præſtare, vt ad reſtitutionem damni teneantur, ſi ipſorum incuria ſolutio non fiat, aut debitum amittatur. Videndus eſt Pater Molina *de iuſtit. diſp.* 739. Id diſponit *lex* 2. *titul.* 3. *libr.* 2. *fori*, quæ non eſt dumtaxàt pœnalis: declarat enim obligationem, quæ ex iuſtitia lictoribus incumbit, vt annotat Machado *tom.* 2. *de perfecto Confeſſario, libr.* 6. *part.* 3. *tr.* 3. *docum.* 2. *num.* 2.

42 Lictorum etiam eſt munus, nocturno tempore per oppidum vagari, vt vitentur delicta, quæ tunc patrari ſolent. Quòd ſi id omittant, controuerſum eſt, an præter peccatum, cuius fiunt rei, ad reſtitutionem obligentur eorum, quæ perſoluenda veroſimiliter eſſent ab his, quos eo tempore offerent afferentes arma prohibita, aut quid illicitum exequentes? Obligari defendunt Petrus Nauarra *de reſtitut. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 142. P. Molina *de iuſtit. t.* 3. *diſp.* 739. *n.* 56. Villalobos *t.* 3. *tr.* 11. *difficul.* 9. *nu.* 3. Verùm non obligari, certius mihi eſt cum Sylueſtro *verb. Reſtitutio, quæſt.* 5. P. Leſſio *de iuſtit. lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 13. *nu.* 73. & aliis. Etenim damnum indè reſultat in Rempublicam: hanc autem, credi nequit, voluiſſe lictoribus hanc obligationem iniungere, vt id damnum reſtituerent: quod indè ſuadetur, nam de facto poteſtas publica nunquam eos obligat ad eiuſmodi reſtitutionem, quamvis in ea incuria deprehendat. Deindè quia non adeò rigoroſè impoſitæ ſunt pœnæ aduerſus eos, qui nocturno tempore, horis prohibitis, per locum diuagantur, adhuc armis muniti, vt, etiam ſi reperiantur, debeat ab illis ſolutio extorqueri ſub onere reſtitutionis: cùm ſæpè iudices, & lictores reperiant aliquos, quos hortantur, vt domum eant, quin ab eis pœnam percipiant, nec ideò obligatos eſſe ad reſtitutionem, communiter ſit perſuaſum. Demùm quia lictores, vt plures Authores docent, non tenentur ex iuſtitia ad ditandam Rempublicam ſolutione pœnarum; ſed ad curandum, vt delicta, & exceſſus vitentur.

43 Hinc

Digitized by Google

43 Hinc gradus fit ad aliam quæſtionem, an lictores, ſi delicta, quæ noſcunt, iudici non denuncient, (ad denuntiandum autem tenentur, de quo videatur Bobadilla *in Politic. tom.1.lib.1.cap.13. num.40.*) debeant reſtituere pœnas, quæ ſoluendæ forent à denuntiandis? Et quidem debere, tuentur P. Molin. *tom.3.diſp.139.num.5.* Villalob. *tom.2. tractat. 11. diffic.9. num.3.* eoquòd dammum Reipublicæ ſequatur, cui illæ pœnæ eſſent perſoluendæ. Oppoſitum, quod mihi valdè probabile eſt, & ad doctrinam traditam conſequentius, defendunt Nauarrus *in man.cap. 25.num 34.* Diana *3.part.tract.5.miſcel. reſol. 54.* Trullench. *tom.2.in pract.lib.8.c.5.dub.3. n.6.* Syluest. *verb.Reſtitutio 3.q.5.§.7.* P. Leſſius *de iuſt.lib.2.cap.13.dub.10.num.73.* P. Tannerus *in 2.2.diſp.4. q.6. dub. 2. num.86.* Fundamentum huius ſententiæ eſt, quod appoſui *ſine num. præceden.* ſcilicèt, non incumbere lictoribus, nec aliis miniſtris publicis ditare Rempublicam; ſed impedire delicta: quo occurritur rationi aduerſantium.

44 Sed quid, ſi lictor aliquid accipiat, ne denunciet delictum? Domino, aut pauperibus iuxta varios ſentiendi modos foro id reſtituendum, tenet quædam ſententia. Conſulantur Medina *Cod. de reſtit. q. 2. dub. 2.* Corduba *lib.1 q. 32. artic. 3.* Aragon *de iuſtit. q. 62. art. 5. concl. 7.* Alia verò docet, poſſe acceptum retineri in foro conſcientiæ, donec iudex in foro externo lictorem condemnet. Sic Couarruu. *in reg. peccatum, 2.p.§.2.nu.7.* Villalob. *vbi ſuprà, diffic. 9. nu. 9.* P. Leſſius *lib.2.c.14. dub.8. num.56.* Nauarrus *cap.17.n.36.* In hac quæſtione idem aſſerendum eſt, ac in ſimili diximus de denuntiatore accipiente aliquid, ne denuntiet, *ſup. diſput. 34. à num. 112.* Videantur *ibi* dicta, ne repetantur. Quoad hoc enim pares ſunt lictor, & quilibet alius, qui denũtiare tenetur.

45 Obſeruant autem benè recentiores cum P. Molina *tom. 2. de iuſtit. diſput. 739. num.5.* non quia aliquando lictor diſſimulet, & denuntiationem omittat, iudicandum eſſe, grauiter peccare, & ad reſtitutionem teneri: cum prudenter hoc debeat inſpici, nec de publica poteſtate debeat præſumi, ita conſtringere ratione muneris, ac iuramenti præſtiti lictores, ac ſimiles miniſtros, vt ob quamlibet diſſimulationem, aut denuntiationis omiſſionem lethaliter delinquant, & reſtituere obligentur.

46 Applicanda eſt doctrina poſita aliis miniſtris iuſtitiæ, quocumque munere, & nomine gaudeant. Qui omnes in caſibus, in quibus reſtituere debent, ſi dominus non ſit certus, aut poſt adhibitam ſedulam diligentiam ignoretur, vel non compareat, poterunt vti bulla compoſitionis.

CAPVT VI.

De cæteris caſibus in quibus Bulla compoſitionis prodeſſe poteſt.

47 QVamvis plurimi caſus *in ſuperioribus* exprimantur, in quibus datur locus compoſitioni per Bullas, attamen nequeunt omnes in compendium redigi. Facilè ex poſitis quiſque valebit philoſophari: & ex his regulis generalibus, quas nunc tradémus, ad euentus ſingulares gradum facere. Prima regula ſit. Bulla compoſitionis non prodeſt in caſibus, in quibus datur dominus certus, cui ſit facienda reſtitutio: & obiter animaduertendum eſt, errorem, ſeu ignorantiam eſſe aliquorum, ſi qui ſunt, iniungentium, reſtitutionem fieri animabus Purgatorij, mediis ſacrificiis, quæ fortaſsè optant; vt ipſis commendentur, & eleemoſyna tradatur: dum etenim dominus eſt certus, ipſi fieri debet reſtitutio, & non operi pio.

48 Secunda regula ſit. Etſi ille, cui reſtitutio debebatur, fuerit vita functus, ſi tamen datur hæres illius, quamvis hæres ſit anima ipſius, aut Eccleſia, vel pium opus, integrè eſt reſtituendum hæredi, nec Bullæ compoſitionis beneficium fauet; quippè hæres ſuccedit in iura, ac actiones defuncti; atque adeò eſt dominus proprius, & certus.

49 Tertia regula ſit. Bulla compoſitionis vti nequit is, qui ex confidentia poſitiua illius quidquam ſurripuit, aut intulit damnum, quamvis incertus ſit dominus: cùm expreſsè id caueatur à Pontifice in Bulla Latina, & in Hiſpana à Commiſſario generali Cruciatæ: & quãvis idem aſſeratur ab aliquibus de confidentia negatiua, teſte Ludouico à Cruce *in expoſit. Bull.diſp.3. dub.5.* attamen ſatis à nobis ſtatutum eſt cum communi, ſolam confidentiam poſitiuam obſtare compoſitioni.

50 Quarta regula ſit. Antequam fiat compoſitio, debet ſedula, ac ſufficiens diligentia adhiberi ſuper domino inueniendo, idque tempus expectari, quod prudenter videatur eſſe ſatis, vt dominus compareat. Et in hoc ſtandum eſt arbitrio prudentis. & maximè Confeſſarij docti, cuius conſilio pœnitens vtatur ad ſuæ conſcientiæ exonerationem.

51 Quinta regula ſit. Nomine incerti domini, quoad compoſitionem etiam comprehenditur dominus longo terrarum ſpatio diſtans, nunquam indè profecturus, ſi nequeat reſtitutio ad illum trãſmitti, aut magnis expenſis foret tranſmittenda, & non ſuperſit ſpes moralis, quòd debitor propriùs ſit acceſſurus, vnde reſtituere ei, vel eius hæredi valeat.

Digitized by Google

52 Sexta regula ſit. Dum præfata requiſita concurrant, poſſunt componi per Bullas quæcumque bona, quæ quovis titulo reſtituenda ſunt, & ex quocumque capitè, aut radice oriatur reſtituendi obligatio, ſiuè peccatum præceſſerit, ſiuè non, ſiuè iuſtè, ſiue iniuſtè bona aliena ad poteſtatem debitoris peruenerint; ſeu reſtitutio debeatur ex contractu, vel quaſi contractu iniquo: ſiuè ex iniuſta acceptione, aut ex damno illato, aut praua muneris executione, dummodò non ſit ex contractu ſimoniaco. Itaque priùs inſpiciendum eſt, an quis ad reſtitutionem teneatur, & conſtante obligatione reſtituendi, dummodò dominùs ignoretur, vel non compareat, aut nimiùm diſtet, poterit per Bullas fieri compoſitio. In caſibus autem, in quibus controuerſum eſt, an quis reſtituere teneatur, non indigebit compoſitione, ſi ſequatur opinionem probabilem deobligantem: tutiùs verò procedet, ſi ſectans oppoſitam ſententiam componatur per Bullas.

53 Septima regula ſit. Fructus reſtituendi Eccleſiæ propter omiſſionem Officij diuini, aut etiam parui B. Mariæ in percipientibus penſiones Eccleſiaſticas, componi queunt per Bullas: dummodò tot drachmæ argenteæ, quot pro Bullis erogantur, præbeantur Eccleſiæ, cui reſtitutio fructuum erat præſtanda.

54 Octaua regula ſit. Quantitas, quæ ſingulis Bullis componi poteſt, ſunt bis mille teruntij: & vnoquoque anno poteſt quis quinquaginta Bullas accipere, & de centies mille teruntiis componi. Quòd ſi maior ſit quantitas reſtituenda, exceſſum debet integrè reſtituere Eccleſiæ, vel pauperibus iuxtà debiti qualitatem: aut poterit cum ipſo Generali Cruciatæ Commiſſario compoſitionem peragere, ille etenim abſque limitatione valet cuiuſvis quantitatis compoſitionem concedere.

55 Compoſitione autem per Bullas, aut cum Commiſſario facta, manet quis in conſcientia tutus, & quamvis poſtmodùm dominus compareat, nòn tenetur reſtituere ei quidquam in foro interno: eſtò, ſi de debito cõſtet poſſit in foro externo à iudice cogi, vt reſtituat. Cæterùm Bullas compoſitionis quas à Quæſtore Cruciatæ accipit, non tenetur aſſeruare, nec in eis ſuum nomen inſcribere: quin conuenientius eſt ad propriæ famæ conſeruationem, vt diſrumpat.

56 Hæ omnes regulæ ſunt ſtabilitæ *in ſuperioribus*, & longè, latèque diſcuſſæ, quas ſimul coniunxi, vt facilè Confeſſarij totam rem in promptu habeant, & propriis locis *ſuprà* inquirant ea, quorum explicationem deſiderauerint.

CAPVT VII.

Illationes aliquæ circa caſus, in quibus exercentes munera, ac officia publica reſtitutioni ſunt obnoxij, & Bullæ compoſitionis fauore vti queunt.

57 EX adhuc dictis infero primò, Bullæ compoſitionis fauorem eſſe maximè vtilem his, qui munera publica, ac officia exercent: cùm enim ſoleant accipere aliqua ſibi indebita, vel in pondere, menſura, qualitate mercium, earum pretio, aut in operis propriis conductis, aut aliqua induſtria doloſa vti, aut ſupra iuſtum pretium exigere, & aliundè innumeri ſint hi, cum quibus agunt, aut qui ad eorum officinas concurrunt: ferè ſemper dominus certus ignoratur, nec facile eſt, eum agnoſci: vnde à ſe neceſſariò reſtituenda componere per Bullas valent. Hi cæterum ſunt omnes miniſtri publici, de quibus iam egimus: & cæteri Magiſtri, ac officiales exercentes tum artes liberales, tum mechanicas, quorum plures congeſſimus, & de reliquis poſſunt conſuli Alcocer *in ſumma à cap. 26. vſque ad* 32. Ioannes Machado *de perfecto Confeſſario tom. 2. penè per totum.*

58 Infero ſecundò, frequenter occurrere caſus, in quibus Bulla compoſitionis vtendum eſt, ne pœnitentes grauentur, in damnis ſcilicèt, quæ ſolent inferri ab itinerantibus: qui, maximè cum plures conueniunt, & adoleſcentes ſunt, (vt videri poteſt in ſcholaſticis euntibus ad Academias, & indè redeuntibus,) in hoſpitiis, in locis, per quæ tranſeunt, & in agris nocumenta inferunt, vel fructus ex vineis, atque ex arboribus decerpendo, vel ſegetes conculcando, aut alia ſimilia exequendo: tunc enim, vel ſi per eadem loca non ſint redituri ipſi, aut alij, quibus reſtitutionem commendent, aut ignorent, cui damnum inflixerint, nec moraliter id conſtare queat: Bulla compoſitionis vti poterunt.

59 Infero tertiò, eos, qui munera publica, ac artes exercent, ſi ſemel ſua debita per Bullas componant, & exindè, cum exiguam quãtitatem perſoluant in compoſitione, non vereantur deinceps alias fraudes cõmittere, aut paulatim ab amptoribus aliquid ſupra iuſtum accipere, non poſſe de his per Bullas componi quia ex confidentia poſitiua Bullæ ſunt operati, cuius ſignum eſt ea promptitudo ad fraudes proſequendas concepta ex pretio exiguo, quo ſe in eiuſmodi prima compoſitione expoliarunt. Quod attentè introſpiciat Confeſſarius, ne, vnde animarum remedium ſperatur, licentia ad fraudes, ac furta, ob hominum abuſum, prauamque indolem, proueniat.

60 Infero

Digitized by Google

60 Infero quartò, etſi propria authoritate poſſint huiuſmodi miniſtri, ac cæteri, qui retinent bona aliena, accipere Bullas compoſitionis, & poſtmodùm, cum ad Sacramentum pœnitentiæ accedunt, fateri peccatum, quod patrarunt, & addere factam iam fuiſſe à ſe debitam reſtitutionem, tamen communiter non id ita executuros, ne periculo errandi exponantur, cum non perfectè calleant, an in talibus circunſtantiis poſſint gaudere beneficio compoſitionis, & quam debeant quantitatem reſtituere, quot ſumere Bullas, & alia huiuſmodi, in quibus ipſis etiã Confeſſariis doctrina, ac notitia eſt opus. quare communiter nequeunt tuti eſſe in conſcientia, ſi eam compoſitionem propria authoritate peragant: aut ſi ſaltem poſt illam peractam, non reddant ſyncerè rationem Confeſſario eorum, quæ fecere, vt defectus, ſi qui ſunt, ſuppleat. Dixi communiter id non fore præſtandum: quia aliquando poteſt eſſe vir doctus, ac prudens ad reſtitutionem obligatus, qui rectè eiuſmodi compoſitionem exequatur. Sed quia in cauſa propria nemo cenſetur iudex aptus, conſultius erit, rem totam Confeſſario deferre. Alias omitto illationes, quæ ex dictis cuique erunt promptæ, & vt plurimum decurſu *in ſuperioribus* ſunt libatæ.

CAPVT VIII.

Vtrùm pauperes bona incerta, quæ reſtituerè tenentur, ſibi ipſis applicare valeant?

61 SCilicèt quæſtio eſt de bonis, quæ incerto domino debentur, & proptereà vel pauperibus erant reſtituenda, vel componenda per Bullas. Et ſupponitur, eos pauperes, qui reſtituere incerto domino debent, non adeò inopia laborare, vt non habeant, quo reſtituant: ſi enim non haberent, ad reſtitutionem, vtpotè impoſſibilem, non obligarentur, dum eſſent conſtituti in ea extrema, aut graui inopię, preſſura. Igitur ſermo eſt de pauperibus, qui abſolutè deberent reſtituere bona, ſi daretur dominus certus, eoquòd ea bona apud ipſos ſint; attamen ſunt aliundè pauperes, non habentes neceſſaria ad ſui ſubſtentationem, nec id percipere valentes labore manum ſuarum.

62 Vnde ſupponendum, eſt cum reſtitutio facienda eſt pauperibus, intelligi nomine pauperum tum quælibet opera pia vbicumque ſita: tum non ſolùm mendicos; ſed etiam eos, qui iuxta ſui ſtatus qualitatem indigentes ſunt: nec opus eſt, vt pauperioribus reſtitutio præſterur, cùm ſufficiat præſtari etiam minùs egenis, etſi ſint amici, aut ſanguine, vel affinitate coniuncti. Videantur Nauarrus *cap.* 17. *numer.* 93. P. Nauarra *de reſtit. lib.* 4. *cap.* 1. *numer.* 44. P. Fagund. *in* 7. *Decal. præcept. lib.* 7. *cap.* 22. *num.* 22. Hinc, ſi poſſit ſibi pauper applicare reſtitutionem, valebit id exequi, quamvis non ſit pauper mendicans, dummodò abſolutè ſit pauper, carens neceſſariis ad ſui, & familiæ ſuſtentationem.

63 Quo poſito, aſſero primo, ſi is, qui tenetur reſtituere, conſtitutus ſit in neceſſitate certa, ipſe ſibi poteſt reſtitutionem applicare, quin indigeat authoritate Epiſcopi, aut Confeſſarij. Ita Nauarrus, & Petr. Nauarra *locis nuper citatis*: Medina *quæſt.* 3. *cauſ.* 10. P. Fagundez *ſuprà numer.* 25. Probatur, ille tunc verè præſtat pauperi, quod debet: ergo debito ſatisfacit: quippè non redditur deterioris conditionis ex eo, quòd ipſe ſit debitor, ſi tamen eſt pauper, cum rectè ſtet, ipſum, vt debitorem applicare ſibi debitum, vt pauperi: nam in reſtitutione debita pauperibus eò tenditur, vt miſeria ſubleuetur, qui finis ſi obtineatur, præſumitur, dominum bonorum incertum eſſe ſpontaneum: hic autem finis in caſu præſenti obtinetur. Confirmatur. Hic debitor pauper ſuæ obligationi ſatisfaceret; ſi ea bona debita traderet Epiſcopo, Confeſſario, aut viro timorato, vt applicarent illa pauperibus: & hi poſſent poſteà eadem bona ipſi pauperi applicare, ſicque ſatisfieret reſtitutioni: ergo etiam ſatisfit, ſi ipſe pauper ſibi eam applicet: cum illa traditio, & reciproca redditio valdè materialiter ſe habeant, ſiquidem realiter ea pecunia, aut bona tandem in eiuſdem pauperis debitoris poteſtate manent. Cæterùm conſultiùs eſt, conuenire Confeſſarium, vt Authores admonent, vt tutior quis ſit ſequens eius conſilium, cùm propriæ cauſæ iudex difficulter quis ſit: Confeſſarius autem rectiùs diſcernet de paupertate, & neceſſitate.

64 Aſſero ſecundò, ſi neceſſitas debitoris non ſit certa; ſed incerta, non poſſe authoritate propria ſibi debitum applicare; ſed indigere conſultatione Epiſcopi, aut Confeſſarij. Sic Authores *ſuprà* relati. Etenim iudicare de neceſſitate, quæ videtur dubia, an ſit ſufficiens, vt ille abſolutè pauper cenſeatur, non pertinet ad ipſum: aliàs non eſſet ipſe dubius de certitudine neceſſitatis: & cum homines trahat nimiùm cupiditas, æquo iure timeri poſſet, eum temerè ſibi applicaturum bona, quæ fortaſſe non poſſent ei applicari: vnde animæ periculum ſubiret, nec conſcientiæ exonerationem obtineret, ſiquidẽ bona fides non valeret dari, vbi de ipſa neceſſitate dabatur dubia conſcientia.

65 Aſſero tertiò, ſemel facta applicatione reſtitutionis ipſi pauperi, vel à ſe ipſo in

in neceſſitate certa, vel de conſilio Epiſcopi, ſeu Confeſſarij, in dubia, non indiget ille compoſitione per Bullas, ſiquidem reſtitutio eſt integrè præſtita, non ſecùs ac ſi aliis pauperibus diuerſis eſſet facta; nec rursùs, etiam ſi dominus, qui erat incertus, compareat, tenetur in foro interno conſcientiæ quidquam ei reſtituere. Etenim eodem modo ſe habet ille, ac ſi totam quantitatem aliis reſtituiſſet pauperibus: qui autem pauperibus bona domini incerti reſtituit, non obligatur, etiam ſi compareat, in foro conſcientiæ repetere reſtitutionem, quippè bona fides non patitur, vt ſolutum ampliùs exigatur, iuxta *leg. bona fides, ff. de reg. iur. c. bona fides, de reg. iur. in 6.* Et ita docent communiter Authores apud P. Fagundez *in 7. Decalog. pracept. lib. 7. c. 22.* Machad. *tom. 1. lib. 2. part. 3. tr. 21. doc. 10. n. 6.*

66 Hinc obſeruo, ſi fortè Religioſus, vel ratione eius Monaſterium, teneatur aliquid reſtituere pauperibus, aut operibus piis, poſſe eam reſtitutionem Monaſterio applicari, & de licentia Prælati, alicui Religioſo. Etenim quod traditur Monaſterio, traditur operi pio: & prætereà Religiones communiter pauperum numero recenſentur, & quilibet Religioſus in ſpeciali eſt pauper, voto paupertatis adſtrictus, nihil proprium habens, ac Prælati facultate indigens, vt accipiat, expendat, aut donet.

67 Rursùs obſeruo cum Acuña *in decr. p. 1. d. 87. cap. 9. num. 3.* tres claſſes eſſe miſerorum: prima eſt pauperum re, & ſpe: qui videlicèt reipſa indigentes ſunt, nec ſpem prudentem habere queunt, quòd ad pinguiorem fortunam ſint peruenturi. Et hi quidem applicare ſibi valent reſtituenda pauperibus bona. Secunda eſt pauperum re; ſed non ſpe: qui actu pauperie grauantur, at ſpem prudentem concipiunt ob aliquas circunſtantias, quòd diteſcent. Hi etiam poſſunt reſtitutionem ſibi applicare: quippè neceſſitas actualis eorum eſt certa, cui ſuccurrendæ ea bona proſunt, & dum ea premuntur, eleemoſyna eſt, quod eis confertur cùm aliundè eam ſpem non habeant in remedium præſentis miſeriæ; ſed in ſolatium. Tertia eſt pauperum in ſpe, & diuitum in re: qui actu habent ea omnia, quibus indigent; ſed timent, ſe fore ſuis fortunis ſpoliandos, aut propter aliquam litem pendentem, aut aliam ob cauſam. Hi nequaquam valent applicare ſibi debitam reſtitutionem, quippè actu non ſunt pauperes, nec datur egeſtas, cui ſubueniatur, atque adeò non fieret reſtitutio pauperibus, & aliundè eſt contingens, vt ad miſeriam deueniant, & ſub ea conditione dubia non eſſet tuta applicatio. Quare conſequenter iuxta Dian. 3. *part. tract. 6. reſol. 40.* ſi domus eſſent inſtitutæ pro alendis pauperum, non diuitum filiis, & hi diuites timentes paupertatem ibi ſuos filios alendos exponerent, tenerentur reſtituere alimenta eiuſmodi domibus.

CAPVT IX.

An, & quæ dilatio compoſitionis bonorum, quæ domino incerto debentur, ſit peccatum lethale?

68 EA ſaltem dilatio, quæ in reſtitutione facienda eſſet peccatum lethale, etiam erit in compoſitione per Bullas exequenda, quando quis bona domini incerti retinet, & ea per Bullas decernit componere. Etenim compoſitio in locum reſtitutionis integræ ſubrogatur, quare tunc debet fieri, cum reſtitui debebat. Prætereà ipſa compoſitio eſt reſtitutio, quam Pontificis poteſtas, & pietas non tollunt, ſed minuunt: vnde dilatio, in ipſa præſtanda, ea erit graue peccatum, quæ in communi reſpectu reſtitutionis vt ſit tale peccatum cenſetur. Itaque per Bullas non tollitur obligatio reſtituendi tempore debito; ſed conceditur, vt ea obligatio ad minorem quantitatem eodem tempore tendat.

69 Dixi, eam ſaltem dilationem, quæ in reſtitutione peccatum lethale eſt, etiam eſſe in cōpoſitione: nam etiam minor dilatio erit aliquando graue peccatum. Quippè à reſtitutione illicò facienda ſæpè excuſat impotentia, quæ non excuſabit à compoſitione præſtanda, cum poſſit eſſe impotentia ad reſtitutionem integram, quin ſit ad compoſitionem, ad quam multò minus exigitur. Pone, quem teneri ad reſtituendum quinquaginta drachmas: ſi duas tantùm argenteas apud ſe habeat, excuſatur à reſtitutione ſtatim facienda, donec alias drachmas eis duabus adiungat, ne minutim reſtituat: (niſi in aliquo caſu teneretur eas ſolas reddere, ne conſumeret, & id poſſet abſque inconuenienti exequi:) At ſi per Bullas compoſitionem decernat de eis quinquaginta drachmis debitis, illicò obligatur ad compoſitionem, cum ad hanc reſpectu eius quantitatis vnica Bulla ſufficiat, quæ, erogatis illis duabus drachmis argenteis, quas apud ſe habet, obtinetur. Nec fas eſt expectare illud tempus, quod ad reſtitutionem integrè faciendam eſſet neceſſarium: quia non adeſt ratio excuſans, nempè impotentia, nec alia ſimilis: cum autem non præſtò eſt ratio, quæ dilationem excuſet, non licèt differre reſtitutionem.

70 Igitur in generali attingemus aliqua, quæ circa tempus reſtitutionis faciendæ, Authores

Digitized by Google

Authores præfigunt. Quando aliquid ſoluendum eſt ratione contractus in diem deſignatum, accedente die, tenetur debitor ſoluere, quamvis creditor non expoſcat: nam dies interpellat pro homine; *leg. Magnum* 12. *Cod. de contrah. & commit. ſtipul. cap. fin. de locat. & conduct.* Quòd ſi non ſoluat, ſi poteſt, omiſſio erit peccatum contra iuſtitiam. Quòd ſi dies non ſit præfixus, ſoluere tenetur, cùm primum valet. Hæc etiam promptitudo ſeruanda eſt, quando aliquid reſtituere tenetur. Non tamen ita mathematicè deſumendum eſt tempus; quo quis ad ſolutionem, aut reſtitutionem obligatur, vt nulla mora phyſica debeat intercedere; ſed id moraliter eſt conſiderandum, ita vt quis tunc debeat reſtituere, cùm abſque graui incommodo poteſt, dum ſimile incommodum in creditore non datur, & cùm dilatio eſt contra voluntatem rationabilem creditoris. In quo nequit regula fixa ſtatui; ſed iudicio prudentis tempus eſt præfigendum.

71 Qui autem potens reſtituere differt reſtitutionem contra voluntatem rationabilem domini, peccat grauiter contra iuſtitiam; atque adeò, ſi ex omiſſione reſtitutionis domino damnum ſequatur, tenebitur debitor illud reſtituere; cum eius dilatio fuerit in præiudicium tertij, & cauſa damni ſecuti. Ita communis apud P. Molin. *tom.* 3. *tract.* 2. *diſ.* 753. *n.* 6. Bonacina *de reſtit. diſ.* 1. *q.* 6. *punct. vnic. n.* 1.

72 Et quamvis Caietanus 2.2. *q.* 63. *art.* 3. *ad* 3. apud P. Hurt. *diſp.* 8. *de circunſtant. reſt. diſ.* 5. cenſuerit, dilationem in reſtituendo non eſſe novum peccatum; ſed differentem reſtituere, in ſtatu primi peccati perſeuerare commiſſi in acceptione rei, aut illatione damni; tamen contraria ſententia eſt communior, ac vera; cum ratio iuſtitiæ obliget, tum ad non auferendum bona aliena; tum ad non retinenda. Imò non ſolùm eſſe vnum peccatum lethale novum dilationem malitioſam reſtitutionis, ſed toties novum peccatum patrari, quoties moraliter interrumpitur intentio non reſtituendi, ſentiunt P. Vazq. Bonacina, Hurtado, & alij, quos in margine affert Machado *tom.* 1. *lib.* 2. *part.* 3. *tr.* 21. *docum.* 14. *n.* 5. Alij autem valdè probabiliter cenſent, eſſe quamdam omiſſionem continuatam, & ſufficere, ſi in confeſſione pœnitens manifeſtet tempus, quo malitioſè reſtitutionem diſtulit. Ita Ouandus *in* 4. *diſt.* 16. *propoſ.* 23. Aragon 2.2. *q* 62. *art.* 5. *circa* 2. *argum.* P. Henriquez *lib.* 2. *de pœnit. cap.* 5. §. 5. & alij plures.

73 Excuſat autem à reſtitutione neceſſitas non ſolùm extrema, ſed grauis, niſi creditor neceſſitatem granem patiatur. Quippè non tenetur quis cum tanto diſpendio reſtituere, niſi idem in creditore detur, vt cum Sanchez, & aliis docet Diana *part.* 5. *tract.* 5. *reſolut.* 62. Debet autem reſtituere, cùm primum ceſſauerit neceſſitas. Sed aduerte, cum P. Caſtro Palao *tom.* 1. *tract.* 6. *diſp.* 2. *punct.* 10. *num.* 166. ſi quis ante neceſſitatem fuiſſet rem furatus, eamque in extrema neceſſitate conſumpſiſſet, non teneri poſteà eam reſtituere, etiam ſi ad pinguiorem fortunam deueniat, quippè licitè eam conſumpſit in ea neceſſitate; nec obſtat, quòd ante illam fuerit furatus, nam hoc non tollit ius naturæ, quod tunc facit omnia bona communia: ſicut ſi eam rem furatus fuiſſet iam conſtitutus in extrema neceſſitate, reſtituere non deberet. Vide P. Leſſium *de iuſtit. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 69. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 22. *diffic.* 2. *num.* 12. Dianam *part.* 5. *tract.* 8. *reſ.* 9. *& reſ.* 23. An verò pauper in valdè graui neceſſitate poſſit furari alienum, non eſt huius loci. Conſulantur P. Granado *in* 2.2. *controu.* 3. *tr.* 11. *diſp.* 7. *num.* 4. P. Caſtro Palao *tom.* 1. *tr.* 6. *diſp.* 2. *punct.* 10. *n.* 5.

74 A reſtitutione etiam excuſatur is, qui vtitur beneficio ceſſionis bonorum, quamvis retineat neceſſaria ad ſui, & familiæ ſuæ ſuſtentationem. At, ſi ad pinguiorem fortunam perueniat, illicò ad reſtituendum obligatur, vt cum communi docet P. Leſſius, *vbi nuper, cap.* 16. *dub.* 3.

75 Quæ de neceſſitate excuſante à reſtitutione ſtatim, aut abſolutè facienda tradidimus, intelligenda etiam ſunt de neceſſitate perſonæ coniunctæ debitori, vt eſt parens, auus, filius, nepos, vxor, & omnes aſcendentes, ac deſcendentes, cui neceſſitati poteſt debitor ſuccurrere, antequam reſtituat, quia iudicatur propria. Sic P. Layman *lib.* 3. *ſect.* 5. *tr.* 2. *c.* 12. Baſſeus *verbo Reſtitutio* 5. *num.* 4. & alij. Pariter differre poteſt reſtitutionem, vt ſuccurrat alicui in extrema neceſſitate conſtituto; quin id debet præſtare, ſi alius non ſuccurrat.

76 Cæterùm ſi, reſtitutione præſtita, quis ſui ſtatus decentiam conſeruare non poſſit, cæteris paribus, differre reſtitutionem valet, ne id diſpendium patiatur. Ita P. Valentia *tom.* 2. *diſp.* 5. *q.* 6. *punct.* 4. Salon *in* 2.2. *q.* 62. *art.* 2. Aragon *ibidem, dub.* 2. Bonacin. *de reſtit. tom.* 2. *diſp.* 1. *q. vlt. p.* 1. *n.* 24. P. Fagundez *in* 7. *Decalog. pracept. lib.* 7. *c.* 27. *num.* 13. Hortari tamen Confeſſarius debet eiuſmodi hominem, vt moderetur ſumptus ſuæ familiæ ad reſtitutionem promptiùs faciendam. Attamen ſi quis decentiam talis ſtatus non ex propriis habebat, ſed per fraudes, vſuras, ac contractus iniquos diteſcens eam adquiſiuit, tenebitur illicò reſtituere, quamvis eiuſmodi decentia ſit defectura: nam hoc caſu, non amittit propria ſui ſtatus, ſed ad ea rediti,

Digitized by Google

ſiquidem maiori luxu indebitè fruebatur. Sic ſentiunt Sotus, Nauarra, Bonacina quos affert in margine Machado *vbi ſuprà tr.* 22. *docum.* 2. *n.* 3. *litt.N.* P.Filliucius *tom.* 2. *tr.* 31. *c.* 6. *n.* 147. Oppoſitum docent aliqui ; ſed minùs probabiliter.

76 Poteſt adhuc reſtitutio differri, ſi non poſſit quis eam præſtare, niſi cum maiori damno, quàm eſt illud, quod ſequitur ex dilatione creditori: nam eo caſu irrationabiliter eſſet creditor inuitus circa dilationem: vt docent P.Azor 3. *part. lib.* 4. *c.* 39. & communis. Hinc non tenetur debitor, vt reſtituat, ſua bona diſperdere, nec vendere ſupellectilem ſuæ domui neceſſariam, ſaltem quando damnum creditoris ex dilatione reſtitutionis ſecutum non eſt maius, aut æquale: ſi enim ſit, reſtitutionem non eſſe differendam, tuentur Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 1. *de reſtit. q. vlt. p.* 1. *n.* 23. *&* 29. Baſſeus *verbo Reſtitutio* 5. *n.* 3.

77 Præterea, cum debitor, ſi ſtatim reſtituit, amittit ingens lucrum, quod optat, vt non ſolùm vni, ſed aliis creditoribus ſatisfaciat, poſſe reſtitutionem differre, etſi eam vni ex illis valeret illicò præſtare, tuentur rectè P.Molin. *tom.* 3. *diſp.* 754. Petr. Nauarra *de reſtit. lib.* 4. *c.* 4. *n.* 52. Nauarrus *in manual. c.* 17. *n.* 59. Clauis Regia, Turrianus, Valentia Leſſius, Salon, & alij, quos citat, & ſectatur Bonacina *vbi nuper.* Quippè ea dilatio tendit ad vitanda damna aliorum creditorum, quare ſinguli eſſent irrationabiliter inuiti circa illam. At, quando non intenditur lucrum, vt reſtituatur omnibus creditoribus, non poteſt, quis reſtitutionem protendere, ne lucrum amittat, cùm creditor non debeat incommodum experiri, vt debitor commodum ſentiat. Ita cum aliis P.Hurtado *de iuſtit. diſp.* 11. *de reſtit. diffic.* 1. *in fine.*

78 Demùm, vt defendunt Bonacina, Baſſeus, & alij *locis relatis*, & deſumunt ex *cap. officij, de pænit. & remiſſ.* non tenetur debitor reſtituere bona inferioris ordinis, ſi exponat periculo bona ordinis ſuperioris: quippè hoc non poteſt velle, aut exigere creditor, niſi irrationabiliter. Bona autem, iuxta Caietanum 2. 2. *q.* 92. *art.* 6. ſunt in triplici differentia, & ordine; infimo, medio, & ſupremò. In infimo ſunt diuitiæ: in medio ſunt honor, fama, & exiſtimatio, in ſupremo ſunt vita, ſalus, libertas, virginitas, membra, & ſimilia. Eſtò aliqui Authores præponant honorem vitæ. Videantur Salon 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. Villalob. *tom.* 2. *tr.* 11. *diffic.* 21.

79 Vt autem regula generalis tradatur circa dilationem reſtitutionis, ex qua inferri poſſint caſus omnes ſingulares, ſumenda eſt ex Scoto *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 1. *art.* 4. Scilicèt tunc reſtitutionem poſſe omitti, aut differri etiam contra voluntatem creditoris, quando ipſe ſi ſequatur prudens rationis dictamen, debet velle, vt omittatur, aut differatur, atque adeò rationabiliter non eſt inuitus circa omiſſionem, ac dilationem.

CAPVT X.

Aliqua dubia circa compoſitionem bonorum incertorum explorantur.

80 DVbitatur primò, an, cum quis debet bona incerto domino, & non habet, vnde reſtituat ea integrè pauperibus, habet verò quantitatem, qua poſſit Bullas compoſitionis ſumere, teneatur ad eas ſumendas? Videtur teneri: nam obligatus eſt ad reſtitutionem præſtandam eo modo, quo poteſt: ſupponitur autem poſſe per compoſitionem. Nihilominùs oppoſitum apparet probabilius, quia eſt priuilegium compoſitio, & is non tenetur ſumere priuilegium ad reſtituendum. Etenim ſicut abſolutè virtus iuſtitiæ obligat ad reſtituendum, ita etiam virtus obedientiæ ex præcepto Eccleſiaſtico obligat ad audiendam Miſſam die feſto: & tamen, cum impoſitum eſt interdictum, & quis non poteſt ob id impedimentum audire Miſſam, non tenetur ſumere Bullam communem viatorum, vt poſſit, & vt impedimentum tollatur: ergo, ſi quis eſt impotens reſtituere, & impedimentum adeſt, non tenetur ſumere Bullam; vt ſic poſſit reſtituere, & impedimentum auferatur. Video aliquod diſcrimen eſſe ex eo, quòd debitor tenetur inquirere modum reſtituendi; at hic modus debet eſſe communis, adquirendo nempè facultates, quibus reſtituat; non verò priuilegium. Ideò conſultò *cap. præcedenti* appoſui, tunc non poſſe differri compoſitionem, ad quam datur ſufficiens facultas, cum quis decreuit reſtituere media compoſitione. Poteſt autem non id decernere; ſed potiùs integrè pauperibus reſtituere debitum, & cum id nequeat exequi, valet expectare tempus commodius.

81 Dubitatur ſecundò, an poſſit per Bullas fieri compoſitio, quando quis poſt acceptam pecuniam à diuerſis in eleemoſynam pro Miſſis à ſe celebrandis non recordatur, à quibus acceperit, nec quibus ſacrificia ſit applicaturus? Reſpondeo negatiuè cùm Trullench *in expoſ. Bull. lib.* 3. *caſ.* 19. *num. vltim.* Ludouico à Cruce *in Bull. diſput.* 3. *dub.* 16. Etenim ſatisfacit ille, ſi offerat ſacrificium pro his, quibus fuit applicatum ab erogantibus eleemoſynam: & cum valor ſacrificij eodem modo proſit viuis, aut defunctis, ſi Sacerdos illud offerat iuxta intentionem erogantium, non eſt caput, ex quo aliqua incertitudo ad rem hanc apta deſumatur,

Digitized by Google

deſumatur; nec titulus vllus ad compoſitionem.

82 Dubitatur tertiò, an Confeſſarius debeat perſuadere bonorum incertorum debitoribus, aut officium Diuinum omittentibus reſtitutionem integram pauperibus, vel operi pio præſtandam potiùs, quam compoſitionem per Bullas? Iudico, compoſitionem fore ſuadendam, tum vt piiſſimum opus Cruciatæ promoueatur; quod Pontifex intendit, tum vt ſuauiùs reſtitutio adimpleatur; & pœnitentes gaudeant hoc priuilegio compoſitionis, longiúſque abſit periculum omittendi, aut nimiùm differendi reſtitutionem, ſi integrè ſit facienda. Sed quid, ſi in pœnitente feruor dignoſcatur promptus ad integram reſtitutionem? Aſſero ſi ille determinatè hoc eligat, ac optet, eſſe ei aſſentiendum, vt meritum eius accreſcat ex ſpoliatione maiori bonorum. Si verò ille non id eligat, ſed promptus ſit ad reſtitutionem integram, Confeſſarius compoſitionem per Bullas ei ſuadeat, & ſimul, vt aliquas eleemoſynas pauperibus eroget. Quo fiet, vt Cruciatæ ſubueniatur, pauperes ſubleuentur, & pœnitens meritum ſuæ promptitudinis obtineat; nec ideò grauabitur, ſi eleemoſyna eroganda pauperibus; & tribuenda pro Bullis compoſitionis ſimul ſumpta non excedat quantitatem integræ reſtitutionis.

BVLLÆ DEFVNCTORVM ELVCIDATIO.

DISPVTATIO XXXVI.

Expoſitio Bullæ defunctorum.

CAPVT I.

Conceſſio facta in hac Bulla declaratur.

1 TRANSCRIPTVM Bullæ defunctorum Hiſpanum habes *diſp.* 1. *cap.* 2. quod Commiſſarius Generalis Cruciatæ decerpſit ex Bullæ Latinæ clauſula, vt *diſput.* 12. *cap.* 1. notauimus. Taxa item eleemoſynæ erogandæ pro hac Bulla appoſita eſt *ea diſp.* 1. *cap.* 3. Concedit igitur Pontifex ſumenti huiuſmodi Bullam, vt anima liberetur à pœnis purgatorij. Infallibilitas autem huius liberationis electio animæ, quam ſumens Bullam maluerit; poteſtas Papæ ad applicandum theſaurum Eccleſiæ pro animabus Purgatorij; applicatio illis facta per modum ſuffragij; manent iam latè expoſita *diſp.* 6. & ſpecialiter *diſp.* 12.

2 Aduertendum eſt *ex num.* 12. *&* 13. *eius diſp.* 12. ſumentem hanc Bullam defunctorum poſſe determinare animam à Purgatorio liberandam; poſſe item eam à Deo determinandam relinquere; poſſe demùm pro pluribus, vel pro omnibus Bullam hanc accipere, vt inter eas diuidatur fructus indulgentiæ qui ſufficeret vnam liberare. Etenim ibi oſtendimus, poſſe id præſtare proficiſcentes, ſeu mittentes propriis expenſis ad bellum contra Infideles; idem autem poſſunt, qui eleemoſynam erogant pro hac Bulla: Commiſſarius enim decerpens hanc Bullam ab illa clauſula Bullæ Latinæ, vbi id implicitè conceſſum fuiſſe monſtrauimus *loco relato*, non poteſt ſubſtantiam mutare, id ipſum reſtringendo contra Pontificis mentem.

3 Nec obeſt, quòd in Bulla Hiſpana defunctorum aſſeratur: *en fauor del anima de, &c.* quaſi deſignando, reſtringendum eſſe accipientem ad animam determinandam: etenim id aſſeritur, quia ſemper, aut ferè ſemper, qui Bullam hanc accipit, in id intendit, vt aliquam animam determinatam à pœnis Purgatorij eruat; & vt intelligat accipiens, ſe poſſe illam determinare: non tamen tollitur per hoc, quòd non determinet, illam, & quòd pro pluribus applicet hoc ſuffragium.

4 Hic aduerte, piiſſimum eſſe vſum fidelium ſumentium plures Bullas, vel vno, vel pluribus annis pro eadem anima, ſicut & illorum qui pluries ad idem intentum altaria viſitant, aut alias indulgentias lucrantur: etenim poſſunt adeſſe circunſtantiæ, ratione quarum anima non liberetur à Purgatorio prima, aut ſecunda vice, ſcilicèt ſi contingat, non eſſe cauſam ſufficientem ad aliquam indulgentiam; vel ſi non ſit quis in ſtatu gratiæ, cum eam applicat defuncto, cum opinionibus ſit obnoxium, an ſit ad hanc applicationem ſortituram effectum neceſſatius ſtatus gratiæ: aliaque his ſimilia: quare vt tutior, certiorque ſit animæ liberatio, congruum eſt, ea media repetere. Quòd ſi anima, pro qua Bulla ſumitur, iam in cœlo beetur, gaudium ei accidentale accreſcit; lætatur

Digitized by Google

namque, quòd Deus à fidelibus per bona opera honoretur, quibus gratiores Deo reddantur exequentes. Et fortaſsè hoc caſu hanc ſatisfactionem acceptat Deus pro alia anima, vel pro ipſo applicante: cum de eius beneuolentia dubitare ſit nefas, quidquid largitatis, & liberalitatis eſt; aut profectò ea ſatisfactio in Eccleſiæ theſauro remanebit. Idemque dicito, ſi anima, pro qua offertur, in damnationis ſtatu exiſtat.

5 Tunc autem anima à Purgatorio liberabitur, cum erogans eleemoſynam pro Bulla defunctorum, ſuffragium ei applicauerit: ea enim applicatio eſt vltimum requiſitum, quo poſito, obtinetur indulgentiæ fructus. Communiter autem fideles, cùm accipiunt Bullam hanc, applicant eam; poſſunt autem non ſtatim applicare; maximè ſi non ſint in ſtatu gratiæ; licèt enim ſpeculatiuè loquendo, illum non eſſe opus, *infrà* aſſeremus, maximè in appllicatione ſuffragij Bullæ; tamen qui tutiſſimam partem ſequi velit non incongruè ante applicationem in ſtatu gratiæ eſſe conabitur. Pro eodemmet defuncto ſingulis annis duplex poteſt accipi Bulla; id enim conceſſit Gregorius XIII. anno 1573. cum ante eum vnica poſſet ſumi quotannis. Poſſunt autem ſumere hanc Bullam illi ipſi, qui pro ſe poſſunt Bullas viuorum accipere; & pro illorum animis, qui viuentes indulgentiis fungi valerent. De quibus egimus *diſp.*4.

6 Demùm notari debet *ex d.*1. *num.*10. *&* 11. in Hiſpaniis pro qualibet Bulla defunctorum duas drachmas argenteas eſſe erogandas; in Indiis verò aſſeritur ibi in taxa eleemoſynæ, quatuor drachmas argenteas eſſe præſtandas, ſi Hiſpanus ſit, qui eam accipit: & ille item, pro cuius anima accipit: excipiuntur tamen regulares vtriuſque ſexus, item famulantes, Hiſpani etiam pauperes, & Indi, ac Æthyopes, qui duas tãtùm drachmas erogare tenentur. Vbi obſerua, ſi Hiſpanus accipiat Bullam pro anima Indi, non teneri quatuor, ſed duas drachmas argenteas erogare: quia vbi requiruntur quatuor, exprimitur pro anima defuncti Hiſpani. Deinde Regulares in Hiſpana taxa ſignificari hac voce: *Frayles, y Monjas*; voce autem Fratrum omnes Regulares comprehenduntur, licèt ea appellatione communiter non vocentur aliqui, vt Clerici Regulares, & Societatis Religioſi; ea tamen vox Fratrum ad omnes extenditur. Regulares autem debent eſſe tales ſtrictè, ſcilicèt alicuius Religionis approbatæ.

7 Præterea nomine pauperum Hiſpanorum (qui, & cæteri excepti, ſolùm duplicem drachmam præſtare tenentur, etſi Bullam accipiant pro Hiſpano) intelliguntur egeni mendicantes, & illi, qui ex labore quotidiano victitant, ſcilicèt mercenarij: ijque demùm, quos prudenter quis iudicet, abſolutè pauperes eſſe. Nomine autem famulantium hi comprehenduntur, qui obſequio alicuius adſtricti propriè famulatum exercent; cuiuſmodi non ſunt, qui Regis famuli vocantur, eo quòd aliquod munus Adminiſtratorum gazæ Regiæ, vel ſimile aliud exequuntur: imò nec illi, qui Adminiſtratores ſunt gazæ aliorum Dominorum: ſi aliundè habent, vndè commodè ſuam familiam alant, hi namque, ſi Adminiſtratorum, aut ſimile munus non haberent, profectò quatuor drachmas pro Bulla defunctorum in Indiis eſſent erogaturi: irrationabile autem videtur eleemoſynam eis minui, eo quòd munus, aut officium habeant, quo ditiores redduntur.

8 Nomine Indorum non hi comprehenduntur, qui in Indiis nati ſunt, ſed ex Indica ſtirpe ibi ſunt generati: ita vt ille cenſeatur Indus, qui ex patre Indo genitus eſt, licèt ſit mater Hiſpana, quia origo à patre deſumitur, ſi verò mater ſit Indica, & ancilla, etiam Indus erit filius cenſendus: quia partus ſequitur ventrem, quoad libertatem, vel ſeruitutem: filius autem, qui ob matrem ancillam ſervus naſcitur, ab illa, & non à patre originem trahere eſt dicendus.

9 Demum Æthyopes (ſic verto eos, qui in taxa Hiſpana ſignificantur hac voce, *morenos*, quam vocem vſus communis dedit his, quos ſtatim enumero) ſunt illi, qui ad Indias afferuntur ex Æthyopia Africana continente Angolam, Guineam, Monicongum, aliaſque vicinas Prouincias.

CAPVT II.

An opus ſit, eſſe in gratia ad applicandum ſuffragium Bullæ defunctorum, aut quamvis indulgentiam defuncto, vt illi proſit?

10 OMnes Authores, vt videre eſt apud Trullench *in Bull. lib.* 4. *dub.* 10. rectè ſupponunt, Bullam defunctorum prodeſſe ipſis, etiam ſi accipiens illam non ſit in gratia, quia Pontifex applicat theſaurum Eccleſiæ, eiuſmodique indulgentiam per modum ſuffragij ex opere operato, apponitque dumtaxàt conditionem, vt eleemoſyna taxata erogetur, quod fieri à peccatore non inconuenit, nec, quia is peccator eſt, anima defuncti priuatur applicatione theſauri: ſicut qui per ſervum peccatorem eleemoſynam erogat inopi, non amittit meritum, neque præmium; & ſicut Miſſa celebrata à Sacerdote peccatore prodeſt defuncto, quia ex opere operato ſatisfit per eam. Hoc ex ſequentibus fiet certius.

11 Indulgentiam autem, quæ applicatur

per

Digitized by Google

per modum ſuffragij defunctis, non prodeſſe, ſi applicans non ſit in gratia tenent Caietan. Angelus, Cardinalis, Emmanuel Rodriguez, & videtur ſentire Sotus *in 4.d.45.q.2. ar.3. ad fin.* licèt oppoſitum inſinuet *diſt.21. q.2. ar.3.* Poterat hæc opinio fundari in eo, quòd hæ indulgentiæ defunctis applicandæ, non aliter conceduntur, nec ſortiuntur effectum, niſi priùs per viuos obtineantur, obtineri autem nequeant, ſi in gratia non exiſtant. Sed contrà, quia licèt communiter conferantur hæ indulgentiæ pro defunctis, mediis viuorum operibus; tamen his ſimpliciter opus non eſt, cum Pontifex, vt diſpenſator theſauri Eccleſiæ, queat illum immediatè pro animis defunctorum applicare, ſi iuſta cauſa intercedat. Deindè, eſtò opus ſit operibus viuorum, quæ ſint conditio quædam, tamen non apponitur pro conditione, quòd debeat applicans exiſtere in gratia; quare hic fauor non eſt ad hoc reſtringendus. Quòd ſi indulgentia ita concedatur, vt viuo ſimul, ac defuncto proſit, dum non exprimatur, (vt non exprimitur) non aliter defuncto poſſe applicari, niſi ſimul obtineatur à viuente, ad quod, opus eſt ſtatus gratiæ, ſanè etiam ſi applicans exiſtat in lethali, poterit indulgentiam defuncto applicare eique proderit; nequibit tamen ipſe viuens obtinere ſibi ob peccati obicem; quare ea indulgentia ſortietur effectum quoad defunctum, non verò quoad applicantem. Rodriguez nullum pro ſe affert fundamentum, aitque dumtaxat, eſſe in gratia ad applicandum pro defuncto indulgentiam, eſſe ſecurius. Fateor.

12 Sed oppoſita ſententia ſtatum gratiæ in applicante non deſiderans eſt verior, atque communior. Docent illam Nauarrus *de indulg. notab.12. num.31. & not.17. num.4.* Paludan. *in 4. diſt. 45. q. 1.* Felinus *de indul. col.8.* Ancona *de poteſt. Eccl. q.32. ar.4.* Corduba *q. 11. dub. 4. prop. 3.* Gabriel *in addit. ad lection. 57.* Villalobos *tom. 1. tr.28. n.3.* Trullench *lib.1. §.6. dub.4.* Cardinalis Bellarmin. *lib.2. de purgator. c.17.* Cardinal. Toletus *in ſum. l.6. cap.16.* P.Suarez *tom.4. in 3. p.d.53. ſec.4.* citans D.Thomam, & Ricardum P. Henriquez *l.7. de indulg. c.9. num. 6.* afferens plures *in gloſſ. litt.Z.*

13 Probatur: quia ſtatus gratiæ in ordine ad indulgentiam ſolùm requiritur vt obex amoueatur, ideoque gratia eſt diſpoſitio in obtenturo indulgentiam, cum nequeat ei pœna relaxari per indulgentiam, dum peccatum lethale non eſt remiſſum per gratiam: At applicans indulgentiam defuncto, non eſt recepturus effectum eius indulgentiæ, remiſſionemque pœnæ per illam auferendæ, nec defunctus obicem habet, cùm omnes animæ exiſtentes in Purgatorio ſint in ſtatu gratiæ: igitur opus non eſt in applicante illis indulgentiæ ſuffragium ſtatus gratiæ, vt de Sacerdote peccatore aſſerebam applicante pro defuncto Miſſæ ſacrificium; quare applicans, habet ſe, vt Sacerdos in ſacrificio, ſeruus in erogatione eleemoſynæ iuſſu domini; eſtque velut miniſter Eccleſiæ, meruſque executor operis, quod pro conditione eſt appoſitum, vt Pontifex illud indulgentiæ ſuffragium defuncto concedat; nec ſibi priùs obtinet ſatisfactionem, quam poſteà applicet defuncto. In quo ſanè diſcrimen non reperiò inter applicantem huiuſmodi indulgentiam, & inter ſumentem Bullam, erogantemque eleemoſynam pro Bullâ defunctorum taxatam: ſicut enim opus pium erogationis eleemoſynæ non debet in ſtatu gratiæ, fieri, ita nec opus pium ieiunij, viſitationis altarium, recitationis precum, & ſimilia.

14 Hic obiter notauerim Martinum Carrillo *in expoſitione Bullæ defunctorum*, etſi quoad dicta diſcrimen non appoſuerit inter Bullam defunctorum, & indulgentiam per modum ſuffragij defunctis applicandam ſiuè in altari priuilegiato, ſiuè quovis alio modo; tamen inter eas aliud diſcrimen excogitaſſe, ſed non aptè. Ait etenim, per alias indulgentias, eam animam à pœnis Purgatorij liberari, quæ magis eſt diſpoſita; per Bullam verò defunctorum eam determinatè, pro qua ſumitur Bulla, ſi tamen ſit diſpoſita; quòd ſi ſecùs eueniat, per Bullam diſponi, vt citiùs per alia ſuffragia liberetur. Contrà tamen primò, quia eneruat vim ſuffragij Bullæ defunctorum, dum aufert ab ea liberationem animæ, pro qua ſumitur, in caſu non diſpoſitionis, & conſequenter indè inferri videtur, tolli à Pontifice poteſtatem ita applicandi theſaurum Eccleſiæ pro quavis anima Purgatorij, vt certò liberetur: Quòd ſi à Pontifice non licet poteſtatem eiuſmodi tollere, eam omnino exercere, credendum eſt, dum ſuffragia pro defunctis non reſtringit, ſicut non reſtringit in Bulla, vnde Commiſſarius generalis Cruciatæ locum determinandæ animæ liberandæ relinquit in Bulla defunctorum, eo quòd hæc determinatio ſit implicita in conceſſione facta à Pontifice in Bulla Latina. Contrà ſecundò quia non alia diſpoſitio requiritur ad obtinendum effectum indulgentiæ, quàm eſſe in gratia; at animæ Purgatorij ſunt in gratia: ergo diſpoſitæ ad illum obtinendum, & conſequenter diſtinctio illa animæ diſpoſitæ, & non diſpoſitæ eſt inepta: vel aſſignet Carrillo diſpoſitionem. Nec enim diſpoſitio eſt, vicinitas maior beatitudinis, minuſque pœnarum debitum: nam in theſauro Eccleſiæ ſuperabundant ſatisfactiones, queis animæ à Purgatorio liberentur: Pontifex autem eas non limitat; ſed tantum

Digitized by Google

de theſauro applicat, quantum opus eſt, vt liberetur anima, quam mauult applicans indulgentiam, aut accipiens Bullam, vel quam relinquit determinandam à Deo; ſi ipſe determinare illam nolit.

CAPVT III.

Expediuntur aliqua circa Bullam, & indulgentias defunctorum.

15 DVo ſuppoſuimus, Alterum, eſſe Purgatorium, in quo animæ decedentes in gratia, quæ non plenè ſatisfecerant pro pœnis, quibus ob culpas erant obnoxiæ, purgantur in tormentis, & ſatiſpatiuntur, cum extra viam locus ſatisfactioni non ſit, ſed ſatiſpaſſioni; & cum plenè ſoluerint, liberantur, & beatitudinem nanciſcuntur. Qui Purgatorij locus in ſinu quodam terræ eſt ſitus: eiuſque veritatem, capacitatemque animarum Purgatorij, vt per ſuffragia viuorum iuuentur, eiſque pœnæ remittantur, fides docet, Concilia, & Patres affirmant, vſuſque Eccleſiæ orandi pro defunctis, quem eſſe ſanctam, ſalubremque cogitationem, Scriptura teſtatur. Imò, & ratio ſuadet, non niſi purificatas ab omni labis vmbra, & reatu, animas in viſionem Dei claram, æternamque fœlicitatem extolli debere. Quod ſuppoſitum extra rem noſtram eſt, ex profeſſo declarare: Videatur inter alios Cardinalis Bellarmin. *in lib. de purgator.* Quomodo autem torqueri ibi poſſint animæ purè ſpirituales à tormentis materialibus, ſicut, & dæmones, & animæ damnatæ, ad materiam *de Angelis* ſpectat.

16 Alterum: Pontificem poſſe indulgentias defunctis impertiri, vt earum capacibus. Quod omnes Theologi fatentur *in 4. diſt.* 20. *&* 45. Videatur P. Suarez *tom.*4. *in* 3. *p. d.* 53. & alij paſſim, quorum meminimus *diſp.*6. *n.*16. Nec hoc enim aptè in præſenti demonſtraretur. Vſus autem facultatis Pontificiæ concedendi has indulgentias, ſatis apertè oſtendit, eſſe eiuſmodi facultatem, cùm in re adeò graui, per tot ſæcula conſtante, iniquum eſſet, ſuſpicari errorem, & in his caſibus ab actu ad potentiam rectè valet conſequentia; licèt in moralibus non ſemper valeat. Quæ poteſtas exindè colligitur, quia Pontifici traditus eſt à Chriſto domino theſaurus Eccleſiæ, quem iuſtè diſpenſet, eoque poteſt vti, ſoluendo, quæ animæ defunctorum ſoluere tenebantur. Modus enim applicandi defunctis indulgentias diuerſus eſt à modo, quo viuis conceduntur; quem iam expoſuimus *diſput.* 2. Videndus etiam ſum ego *in ſtatera opinionum benignarum, differt.* 12. *n.* 27. *& differt.* 13. *n.* 103.

17 Nunc iam dubitatur primò, quis poſſit de iure ordinario indulgentiam, vel Bullam pro defunctis concedere? Solum Pontificem poſſe, tenet communis, veraque ſententia: De qua videri poſſunt Martin. Carrillo 2. *part. Bull. defunct. c.*8. Nauarr. *de indulg. notab.* 22. *num.*4. Trullench *in Bull. l.*4. *dub.* 9. *n.*9. P. Henriquez *l.*7. *de indulgent. c.*32. *n.*2. Nullum enim ius extat, vnde in aliis Prælatis, præter Pontificem, ea poteſtas reperiri colligatur, nec Pontifex, cum eis deſignat, quaſnam indulgentias concedere valeant, vllam de defunctis mentionem facit. Recolantur dicta *diſp.*6. *à num.* 17. Vnde ait P. Henriquez *vbi nuper, in gloſſ. litt. N.* Archiepiſcopum Toletanum Siliceum, qui anno 1551. pro defunctis Bullam conceſſit, erraſſe in ea conceſſione, niſi à Pontifice commiſſionem ad id ſpecialem habuiſſet.

18 In Epiſcopis eſſe facultatem ad concedendum pro defunctis indulgentias, tenet Supplementum *diſ.*45. *q.*3. *art.* 2. *propoſ.* 6. pro ſe alios afferens, & ex eo probat, quia Pontifex, dum concedit Epiſcopis, vt indulgentias elargiantur, non reſtringit, vt ſolum pro viuentibus præſtent. Sed contra; quia Pontifex non exprimit, quòd valeant pro defunctis concedere illas: in hac autem materia ipſum non exprimere, reſtringere eſt: Sic, cum abſolutè indulgentia conceditur, non poteſt defunctis applicari per modum ſuffragij, niſi exprimatur: quia iuxta communem modum loquendi indulgentia abſolutè conceſſa ſtat pro viuis, nec defuncti ſub illa comprehenduntur, niſi exprimantur. Quod ex praxi Epiſcoporum confirmatur, qui nunquam pro defunctis indulgentias elargiuntur, non equidem ob aliam rationem: niſi quia facultate concedendi carent, quod ſibi perſuaſum habent, vt manifeſtum.

19 Fatetur Cruz *in Bull. d.*2. *dub.* 9. *n.* 6. Gabrielem citans, de facto non poſſe Epiſcopos, nec alios Prælatos indulgentiam pro defunctis concedere, quia impedita eſt eis à Pontifice poteſtas, quam tamen ipſis de iure diuino competere affirmat. Sed contrà, quia *diſp.*6. *n.*17. aſſerui, & probaui, poteſtatem concedendi indulgentias non competere Epiſcopis de iure diuino. Et quidem, ſi competeret, cur ita à Pontifice impediatur, vt nunquam in actum prodeat, indeque inanis, & fruſtranea cenſeatur? Illud fateor, ſi de iure diuino competeret Epiſcopis facultas concedendi indulgentias pro viuis, competituram etiam pro defunctis: non enim vllum fundamentum poteſt aſſignari, vnde diſcrimen inter vtramque facultatem colligatur, negata hac, illa verò conceſſa. Hinc tamen confirmo, facultatem concedendi indulgentias

Digitized by Google

indulgentias non competere Epiſcopis de iure diuino: quia, ſi competeret, poſſent pro defunctis eas elargiri, nec ita conſtanter ea facultas à Pontifice impediretur.

20 Dubitatur ſecundò, an poſſit Pontifex euacuare Purgatorium, concedendo indulgentiam plenariam per modum ſuffragij omnibus, & ſingulis animabus, quæ in eo cruciantur? Poſſe, ſi detur legitima cauſa, qualis eſſet vrgentiſſima Eccleſiæ neceſſitas, affirmat Cruz *in Bull. d. 2. dub. 1. n. 7.* & non eſſe improbabile, ait Trullench *in Bull. l. 4. dub. 9. n. 8.* Meo iudicio, hic caſus purè metaphyſicus eſt, non practicus. Etenim ſi detur cauſa ſufficiens, quæ ſemper requiritur ad valorem indulgentiæ, poſſe id à Pontifice præſtari, cenſeo: ſicut enim poteſt vni, & pluribus defunctorum animis indulgentiam præfatam concedere, poteſt & omnibus: cum non ſit diuerſa vtriuſque ratio, & aliundè theſaurus Eccleſiæ exhauriri nequeat, ex eiuſque ſatisfactionibus pro omnibus animis queat ſolui. Cæterùm iudico, (vel valdè dubito,) fore nunquam ſufficientem cauſam ad hoc: nec vrgentiſſimæ Eccleſiæ neceſſitates, quæ adhuc extiterunt, dum tyrannorum ſæuiebant perſecutiones, dum hæreſes graſſabantur, dum Catholici grauiſſimis malis vndiquè vexabantur, Pontificiam pietatem mouerunt, vt omnibus animabus indulgentiam elargiretur: nunquamque Pontifices effecturos, quod ab initio vſque adhuc non effecerunt, credibilius eſt: niſi fortè in conſummatione mundi, cum Eccleſia calamitates vltimas, cæteris præcedentibus miſerabiliores, experiatur, cauſa cenſeatur, & ſit ſufficiens ad illud præſtandum.

21 Sed dicat aliquis Pontificem non rarò concedere in Iubilæis indulgentiam plenariam, quam ſinguli, & omnes Catholici per totum orbem poſſunt lucrari, immuneſques munere ab omni pœna debita pro peccatis quoad culpam remiſſis, quam ſoluere debebant in hac vita, aut in Purgatorio: cauſa autem ad tantam indulgentiam omnibus præſtandam ſufficiens, cur etiam ipſa, vel ſimilis non ſufficiat ad applicandum omnibus animabus Purgatorij indulgentiam? Reſpondeo, eſſe valdè diſparem rationem, nam cauſa prædicta etiam partim conflatur ex operibus piis, quæ in indulgentia iniunguntur, quibus fideles à peccatis abſtinent, de eis conteruntur, & ad virtutem, obſequiumque diuinum excitantur: animæ autem Purgatorij nihil huiuſmodi exequi valent. Deindè æquior cauſa eſt, vt viatoribus iuuamina præſtentur, queis fœliciter ad viæ terminum accedant, cùm in via tot periculis animæ, ſuggeſtionibus, & tétationibus dæmonum ſint obnoxij: quàm vt animabus defunctorum, quæ in tuto ſunt, nec periculis expoſitæ, ſimilia adiutoria concedantur. Præthereà viuentes ſubditi ſunt Pontifici, æquiuſque eſt, vt in ſubditos iuriſdictionem fauorabilem exerceat per modum abſolutionis in indulgentiarum conceſſione, quàm vt pro non ſubditis ſoluat ex theſauro Eccleſiæ ita adæquatè, vt nihil vlli ex animabus Purgatorij, quæ ſubditæ non ſunt, ſoluendum per ſatiſpaſſionem relinquat. Alias congruitatis rationes omitto.

22 Vlteriùs quis dicat, Pontificem de facto concedere in Bulla defunctorum, & in Bulla communi indulgentias defunctis applicandas, quas ſi omnes Bullam habentes, viſitando altaria lucrarentur, & rurſùs quilibet ſumeret, quotquod Bullas poſſet defunctorum, prætereáque ſimul in omnibus altaribus priuilegiatis pro defunctis Miſſæ celebrarentur, præſtarenturque alia huiuſmodi, de facto euacuaretur Purgatorium. Sed reſpondeo: ſi hæc omnia ita fierent, numeruſque animarum Purgatorij non eſſet maior, quàm qui per ea media liberari à pœnis poſſet, fateor, illud fore euacuandum; ſed ideò aſſerui, caſum eſſe metaphyſicum, vel dubium ſaltem practicè: nam in primis forſan multò plures erunt animæ Purgatorij, quàm quæ per omnia ea media queunt liberari; de quo non poteſt conſtare: deindè non omnia ea media executioni mandantur, nec ab omnibus: imò nec ea ipſa, quæ apponuntur, debito, & ſufficienti modo ab omnibus ſemper præſtantur: quare illa euacuatio Purgatorij practicè non contingit.

23 Sed inquires, an animam, quæ à corpore ſoluta in Purgatorium eſt deſtinata, poſſit Pontifex ita liberare, vt neutiquam in Purgatorium ingrediatur. Aſſerui *diſput.* 12. non aliter concedi indulgentiam à Pontifice pro defunctis, niſi mediis viuorum operibus, licèt poſſit ſine his concedi, dum ſit cauſa iuſta ſufficiens. Hinc ſi opus à viuente exequendum ſit poſt diſceſſum animæ à corpore, conſtat, plura inſtantia eſſe neceſſaria, vt executioni mandetur, ideóque per illa inſtantia animam in Purgatorio fore torquendam. Prætereà ſi Pontifex expectet obitum, vt indulgentiam elargiatur, licèt citiſſimè eam præſtet, aliquot iam interuallis anima in Purgatorio torquebitur, dum elargitio, applicatioque indulgentiæ fit. Cæterùm non reperio, cur nequeat Pontifex ante obitum aſſerere, (ſi iuſta cauſa adſit,) concedo indulgentiam plenariam per modum ſuffragij huic animæ, cùm primùm à corpore ſoluatur, illicò ei applicandam, aut immediatè, aut medio opere, quod, vt conditionem exigo ab alio viuenti, ab hoc apponendam, antequam ille

Digitized by Google

moriatur, vt ſtatim ſoluatur è theſauro Eccleſiæ, quidquid debeat. Quæ enim repugnantia eſt, vt indulgentia concedatur pro tempore ſequenti, ſicut & alia priuilegia ſic concedi poſſunt? Quòd ſi ſic indulgentia concederetur, iuſta interueniente cauſa, certius eſſet, quòd abſque pœnarum experimento anima bearetur, quàm ſi in articulo mortis indulgentia plenaria ei fuiſſet conceſſa, & ab ipſa anima adhuc viuente obtenta: nam per eam indulgentiam non omnis pœna remittitur, ſed pœna correſpondens culpis remiſſis: poteſt autem contingere, moribundum non doluiſſe de aliquo, aut de aliquibus peccatis venialibus, eaque non fuiſſe remiſſa vſque ad inſtans poſt obitum: pœnaque pro eis debita non fuit per eam indulgentiam relaxata; ſed eſt in Purgatorio ſoluenda: quod non contingit in caſu poſito, in quo indulgentia per modum ſuffragij applicetur pro primo inſtanti poſt mortem, in quo omnis culpa, ſi aliqua reſtabat, remittitur, medio actu doloris, quem tunc elicere animam defuncti, affirmant plures, vel per Dei condonationem.

24 Hic nota, aliquos fideles facere, dum viuunt, vt pro ſuis animis Miſſæ defunctorum celebrentur In quo, ſi exiſtiment, fructum ſatisfactionis non obtineri ab ipſis, niſi poſt mortem, falluntur: ſtatim enim eis pœna remittitur, dum ſint in gratia, debita pro culpis, in ea quantitate, quam poſſunt æquare illa ſacrificia: quæ ſanè ex opere operato ſatisfactionem important, & hæc in pendenti nequit eſſe: nam, ſi capax eſt per gratiam perſona, quæ ſatisfactionem per Miſſas obtentam adquirit, illico illa fruitur: ſi autem in gratia non ſit, nullum opus ex ſe ſatisfactorium ei prodeſt, cum non remiſſa culpa, non remittatur pœna, nec ſeruatur ſatisfactio operis ex ſe boni, facti à peccatore, ad illud tempus, in quo liber ſit à peccato. Quòd ſi ille in gratia ſit, & cum ea opera exequitur, nulla indiget ſatisfactione, quia nullius pœnæ tunc debitor eſt, ſatisfactio in theſaurum Eccleſiæ confertur: nec aſſeruata eſt, vt, cum primùm ea eguerit, ipſi applicetur. Hinc non cerno ſpecialem vtilitatem in eis Miſſis defunctorum, quas pro ſe viuens celebrare facit: potiùs quàm in aliis Miſſis, quæ celebrarentur: & fortè aptiùs: nam illæ primæ Miſſæ deſignatæ ſunt ab Eccleſia pro iam defunctis. Quæſtiones aliquæ circa animas Purgatorij tractantur à Trullench *in Bull. lib.* 4. quarum nonnullas *diſput.* 12. reſoluimus: aliæ verò non huc ſpectant, nec ad Bullæ huius intelligentiam conducunt. Videantur Carrillo *vbi ſuprà*: Cardinal. Bellarmin. *lib. de purgat.* P. Conninch. *de Sacram. d.* 11. P. Suár. *tom.* 4. *in* 3. *p. à d.*45. D. Bonauent. *in* 4. *diſtin.* 20. *part.* 1. *art.*1. *quæſt.* 2. Sotus *diſt.* 19. *q.* 3. *ar.*2. Cruz & alij relati à prædictis. Et Ego *in ſtatera Opinionum benignarum, diſſert.*1. *ex n.*22. *& diſſ.* 13. *num.* 306.

FACVLTATVM COMMISSARII GENERALIS CRVCIATÆ, EXPOSITIO.

DISPVTATIO XXXVII.

De facultatibus Commiſſarij generalis Cruciatæ.

SPECIALES aliquas facultates habet Commiſſarius generalis ſibi à Pontifice delegatas, tum in ordine ad bonum animarum, tum ad rectam expeditionem eorum, quæ ad Cruciatæ ſubſidium ſpectant. Quæ facultates in Bulla Hiſpana non extant; ſed in Latina, & in aliis Breuibus in fauorem Commiſſarij expeditis. Eas *in hac diſp.* proponemus, & explanabimus.

CAPVT I.

De facultate Commiſſarij generalis in ordine ad pœnas pecuniarias: & ad puniendum delinquentes in Cruciatam.

1 PRæmittendum eſt in Bulla Latina precedere hanc clauſulam ante facultatem in titulo præfixam: * *Item omnes Ordinary,*

nary, Epiſcopi, & Archiepiſcopi dictorum Regnorum, Inſularum, terrarum, oppidorum, & dominiorum prædictorum enixè rogantur, & in virtute ſanctæ obedientiæ eis præcipitur, vt omnes pœnas pecuniarias, etiam loco corporalium, durante dicto anno imponendas, ſeu exigendas, huic tam pio operi velint applicare: eaque pænæ omnes, de quarum tamen quantitate aſſertioni Ordinariorum, quorum conſcientia onerantur, ſtandum eſſe decernitur, theſauro eiuſdem expeditionis contra Turcas, & alios Infideles, ex tunc, prout ex nunc, applicantur, & appropriantur, vna cum pænis eorum, qui aliquid in huius expeditionis præiudicium, vel ad eam euntium, patrauerint. * Conſtabit *diſp. ſequenti*, ſolam iam medietatem pœnarum eiuſmodi, quæ ab Ordinariis infliguntur, deberi Cruciatæ. Pœna autem pecuniaria delinquentium in Cruciatam integrè applicanda eſt illi: hæc enim non eſt ex pœnis, quas vocant Cameræ, ab Ordinariis iniunctis; ſed ab ipſo Commiſſario, vel eius ſubdelegatis iniungenda, vtpotè quæ reſultat ex condemnatione rei, qui ab illis eſt puniendus, non ab Ordinariis: priuilegium autem Regium de ſola medietate pœnæ pecuniariæ applicanda Cruciatæ verſatur circa pœnas pecuniarias ab Ordinariis infligenda.

2 Ordinarij autem ſunt omnes illi, qui iuriſdictione ordinaria gaudent in iudicio externo, in quò cauſas dirimunt; tales ſunt aliqui Abbates, & alij ſimili dignitate pollentes. Itaque Ordinarij, Epiſcopi, & Archiepiſcopi reos aliquando pœna pecuniaria damnant, (nec nomine pœnæ intelligimus ſolutionem pecuniæ, de qua inter partes litigatur, & vnus cogitur, vt alteri ſoluat,) ob aliquam culpam ab eis commiſſam: imò reus corporalem pœnam ob delictum merens, ſolet pœna pecuniaria dumtaxàt mulctari, in hanc illa commutata. Hæc igitur pœna modo dicto applicanda eſt in ſubſidium Cruciatæ: quippè Pontifex, vt adminiſtrator, & diſpenſator fidelis bonorum quomódocumque Eccleſiaſticorum, deſignat eas pœnas inflictas reis in iudicio Eccleſiaſtico ad piiſſimum Cruciatæ opus: & ſimiliter pœnas pecuniarias, quibus Commiſſarius damnauerit delinquentes in Cruciatam. Et quia illæ pœnæ ab Ordinariis paulatim iniunctæ, coniunctæ poſteà ſunt tradendæ Cruciatæ, vt fides debita Epiſcopis, & Ordinariis non detrahatur, eorum ſimplici aſſerto eſt ſtandum, circa quantitatem, quæ fuit congeſta. Solent in Diœceſibus aliqui locare eas pœnas in ſingulos annos, qua locatione facta pro certa quantitate præfixa, non eſt opus alia inueſtigatione quantitatis.

3 Si autem Ordinarij, minorem quantitatem, quàm congeſta fuit, aſſererent, ac præſtarent, lethaliter delinquerent, dum quantitas non præſtita eſſet ſufficiens ad furtum lethale: quare eorum conſcientiæ onerantur in veritatis propalatione. Quippè, cum hæc pecunia non ſit propria eorum; ſed applicata à Pontifice, qui eſt diſpenſator illius, in ſubſidium Cruciatæ, rem alienam retinerent non præſtantes eam Cruciatæ. Vnde conſequenter, ſi partem, vel totum, quod ad Cruciatam attinet, reſeruarent, ac occultarent, reſtituere tenerentur. Ita Villalob. *tom. 1. tr. 27. n. 23.* Acoſta *in Bull. q. 89. in fin.* Rodrig. *in explic. Bull. §. 13. n. 11.* Trullench *in Bull. lib. 2. §. 1. n. 4.* Etenim qui rem alienam retinet, eam reſtituere tenetur, vt nullus ignorat; ſed ea pecunia eſt aliena, nempè Cruciatæ, cuius ſit ex tunc, cùm infligitur; ergò reſtituere illam Ordinarij tenentur, non ſecùs ac tenerentur, qui eas locant, aut conducunt, aut Quæſtores Cruciatæ, in quorum poteſtatem deueniunt, ſi ſibi ipſis illas retinerent: idemque titulus, aut radix reſtitutionis in omnibus his datur.

4 Quòd autem peccent lethaliter Ordinarij non applicantes pœnas præfatas Cruciatæ, (præter peccatum, quod eſſet in iniuſta retentione,) conſtat, quia eis præcipitur à Pontifice applicatio in virtute ſanctæ obedientiæ: cum autem ſuperior ſub hac forma aliquid iubet, & materia eſt capax, ſicut eſt præſens; ad mortale obligat: quare tranſgreſſio mandati peccatum eſt mortale inobedientiæ. Sic prædicti *nuper* Authores, & Nauarr. *de indulg. notab. 32. n. 51.* aliique paſſim, & colligitur *ex Clementina exiui, §. cum autem, de verb. ſignif.* Quòd ſi ſubditus ſit ligatus voto obedientiæ, & non auſcultaret præcepto eiuſmodi Prælati, eius inobedientia eſſet ſacrilegium, vtpotè contra votum. Quin Ordinarij in caſu noſtro duplex peccatum lethale patrarent: aliud inobedientiæ, aliud furti: licèt enim, cum præcipitur à legiſlatore, vel à Deo, aliquid in materia determinata, vt, *non furaberis, ſolues decimas*: in furto, & in non ſolutione vnum dumtaxat peccatum ſit contra ſpecialem virtutem, ad quam materia pertinet, & inobedientia communis omnibus peccatis ibi imbibitur; tamen cum obedientia debetur mandato, quod ſe habet per modum præcepti, quia eſt obedientia ſpecialis, ſicut eſt ſpecialis ille modus præcipiendi, præter peccatum, quod committitur in ipſa materia, vt in præſenti, in furto rei alienæ aliud committitur inobedientiæ ſpecialis contra illud præceptum. Exemplis res patefit: ſi religioſo præciperetur à ſuperiore in virtute ſanctæ obedientiæ, vt audiret ſacrum die feſto, vel quis votum emiſiſſet audiendi illud, & non audiret, quamvis auditio aliàs præcepta ſit ab Eccle-

ſia,

Digitized by Google

ſia, tamen non ſolùm ob id peccaret lethaliter; verum & circunſtantia mutante ſpeciem ſacrilegium commiteret contra præceptum ſuperioris, ad quod exequendum tenebatur ex voto, aut contra votum audiendi ſacrum: diuerſæ enim virtutes eum obligabant. Pariter in præſenti obligant Ordinarios diuerſæ virtutes, nempè iuſtitiæ, & obedientiæ ſpecialis, ideóque peccarent culpa inobedientiæ ſpecialis, & furti: aliàs fruſtraneum fuiſſet, præceptũ adeò ſtrictum addi, cùm ad delinquendum ſolo peccato furti, ſufficeret, quòd Pontifex aſſereret: applicamus pœnas pecuniarias Cruciatæ: iam hoc præcisè poſito, eæ pœnæ deberentur Cruciatæ, earumque ablatio eſſet contrectatio rei alienæ, inuito domino.

5 Sed quid, ſi Ordinarij eas pœnas minuerent reis, vel abſolutè nullas infligerent, vt ad Cruciatam non peruenirent? Cenſeo in primis, hoc fore peccatum lethale, eoquòd eſſet fraus iniqua, animuſque prauus erga ſanctam adeò expeditionem contra Infideles. Quòd ſi eas pœnas in alias corporales commutarent, non eſſet peccatum prauæ adminiſtrationis ſuæ iuriſdictionis, ſeu iuſtitiæ punitiuæ. Si verò in nullas commutarent, rei eſſent iniuſtitiæ legalis punitiuæ, ſuppoſito, quòd rei pœnam ob delicta mererentur. Attamen ſi non in odium Cruciatæ: ſed propter alias rationabiles cauſas Ordinarij pœnam corporalem reis ſemper infligerent proportionatam culpæ & non iniungerent vnquam pœnam pecuniariam, nullo modo peccarent: quia liberum eſt eis, vti iure ſuo in ordine ad infligendam, quam maluerint, pœnam ex his, quas iniungere queunt: & Pontifex non præcipit, vt pœnam pecuniariam imponant, ſed quòd impoſitam, ſeu ſi impoſita fuerit, Cruciatæ applicent. Excipe, ſi in iure, aut per ſuperiores Prælatos, determinata ſit pœna pecuniaria, reſpectu aliquorum criminum: tunc etenim Ordinarij eam debent iniungere, non aliam.

6 At adhuc inquires, ſi in hoc vltimo caſu Ordinarij pœnam pecuniariam non iniungerent, teneantur ipſi eam reſtituere Cruciatæ, ſiquidem ad eam attineret, ſi iniuncta eſſet vt debuit, & propter culpam Ordinariorum defraudatur ea pecunia? Idem queri poteſt, in caſu quo propter odium, aut prauum animum in Cruciatam pœnæ pecuniariæ minuerentur, aut omnino non imponerentur, ita vt nec eſſet commutatio illarum in alias pœnas corporales, Nam ſi aliæ pœnæ corporales infligantur, etiam ſi fiat ex eo animo prauo, non videtur eſſe reſtitutio obligationis: cum enim liberum eſt alicui, hanc, aut illam pœnam iniungere, ſi vnam iniungat, quamvis aliam ex prauo animo non imponat, ſatisfacit ſuo muneri, etſi peccet ratione illius animi praui ſicut ſi mihi liberum eſt, præmium vni è duobus neceſſariò præſtandum, alterutri donare, etſi ex odio in alterum, alteri tribuam, iniuſtus non ſum, nec reſtituere teneor: & iudex, qui ſententiam iuſtam profert, etſi ex odio in litigantem doleat de eius bono, tamen muneri ſuo ſatisfacit: & in caſu poſito, cum tota pœna debita ſit inflicta, non eſt, vnde radix reſtitutionis oriatur.

7 Ad quæſtionem propoſitam, reſpondeo, (ſupponendo, reum non teneri ad eam pœnam reſtituendam, cùm in hoc caſu non ſit, vnde teneri poſſit, niſi ex ſententia; hæc autem non damnauit illum eiuſmodi pœna,) ſub diſtinctione: ſi pœna ſit commiſſa arbitrio iudicis, hæc etiam ſi minuatur intra æquitatem, nulla indè obligatio reſultat: nam iudex eam pœnam poteſt augere, & minuere, *l. quid ergo, ff. de his qui notantur infamia*. Si verò pœna eſt taxata à legibus, vel minuitur infra æquitatem, nec iudex inferior poteſt eam minuere, nec tollere, vt tenent Azor, Clauis Regia, Syluest. Angel. Armilla, Menoch. Farinac: quos affert, & ſequitur P. Dicaſtill. *tom. 1. de iuſt. & iur. lib. 2. tract. 1. diſ. 5. dub. 5.* tenetur que reſtituere parti læſæ, vt ipſe Author ait *num.* 110. quia iniuriam facit iis, qui habebant ius petendi pœnam lege taxatam. Cum ergo Pontifex applicet Cruciatæ eas pœnas, ius competit Cruciatæ petendi eas, quæ à iure ſunt taxatæ, vel quæ ſunt ſecundum æquitatem. Quod magis patet, ſi quis emiſſet, aut conduxiſſet eas pœnas, cui fieret iniuria, eas minuendo, aut tollendo.

8 Nec ſatisfacies, ſi dicas, non fieri ei iniuriam, ſi Ordinarius ſemper iniungeret pœnas corporales, & non pecuniarias. Etenim hæc actio eſt iuſta, & per iuſtam actionem nulli fit iniuria, eſtò per accidens damnum ei ſequatur. Reſolutio prædicta vim habet, quando pœna pecuniaria aſſignata eſt à iure, cuius inferior eſt Ordinarius; at ſi non aſſignata ſit, etſi iudex deberet infligere, vel pœnam pecuniariam, vel corporalem, quamvis neutram infligeret, vel primam minueret infra æquitatem, quin augeret ſecundam, non teneretur reſtituere: quia ſuo muneri ſatisfaceret, ſi pœnam corporalem iniunxiſſet, & non pecuniariam; & ex non iniunctione pœnæ corporalis non teneretur reſtituere, & ipſe poſſet elegiſſe, hanc iniungere, non illam. Quare tunc ſolùm tenebitur reſtituere, cum non fuiſſet electio penes ipſum huius, vel illius pœnæ; ſed determinatè debuiſſet iniungere pœnam pecuniariam, vel aſſignatam à legibus, vel ipſius arbitrio commiſſam ſecundùm æquitatem.

9 Hic nota, ſi Ordinarij eas pœnas pecuniarias applicaſſent alicui operi pio, non ſecùs teneri

Digitized by Google

teneri ad reſtitutionem,quàm ſi ſibi reſeruaſſent,aut alij tradidiſſent:quia bona aliena certi domini nequeunt in opus pium expendi, cùm hæc expenſio fiat, inuito domino:quare iniuria ei erogata debet per reſtitutionem compenſari. Cæterùm bona,quæ reſtituuntur Cruciatæ,tradenda ſunt Commiſſariis,vt ipſi Quæſtoribus ea exhibeant.

10 His præmiſſis, ait Pontifex in Bulla Latina: * *Item Reuerendo N. Commiſſario, & Receptori Generali huius expeditionis deputato, & conſtituto, vt ſupra Ordinariorum huiuſmodi pœnis inquirere, & contra eos, qui in præiudicium huius expeditionis, aut ad eam euntium, aliquid patrauerint, procedere.** Nulla iam eſt in conceſſione huius facultatis dubietas. Indulgetur enim Commiſſario generali, vt poſſit inquiſitionem, etiam iudicialem, facere, ad inueſtigandum, vtrùm Ordinarij has pœnas pecuniarias applicauerint Cruciatæ, & quam quantitatem. Quòd ſi non præſtiterint applicationem,poterit eos compellere, vt eas tradant: ad hoc enim iuriſdictio delegatur ei à Pontifice, quæ completa non eſſet in ordine ad bonum Cruciatæ, ſi poſſet ſolùm inquirere de præfatis pœnis, & nequiret eas exigere, atque ad ſolutionem compellere. Et quidem in rebus Cruciatæ valet Commiſſarius quoſcumque obligare,ne illam defraudent.

11 Pariter conceditur ei facultas ad coercendum, ac puniendum eos, qui aliquid patrauerint aduerſus expeditionem Cruciatæ, aut contra euntes ad bellum in Infideles,vt Cruciatæ gratiis fruantur. Nam,qui ad bellum, etiam contra Infideles,tendunt propter ſtipendium, aut propter alium finem, non includuntur in præſenti, cum illi non pergant ratione Cruciatæ: ideóque, qui hos imperet, non poſſet à Commiſſario puniri, ſiquidem ea actio extra eius eſt iuriſdictionem. Igitur in præiudicium Cruciatæ operari,eſt, impedire Bullæ publicationem, aut detinere: bona ad Cruciatam ſpectantia furari, aut occultare; Miniſtrorum Cruciatæ priuilegiis contraire: euntes in bellum malitioſè detinere,aut vulnerare,ne eant: & alia huiuſmodi. Pœnæ autem, quibus Commiſſarius delinquentes poteſt mulctare, ſunt communes cuiuis iuriſdictioni Eccleſiaſticæ: nēpè pœnæ pecuniariæ, incarceratio; exilium, publica traductio, flagra, damnatio ad triremes,ac ſimilia: ac item remiſſio delinquentis ad iudices ſæculares,ſi crimen adeò enorme eſſet, vt pœnam capitalem mereretur, aut alicuius membri abſciſſionem.

CAPVT II.

De facultate Commiſſarij generalis ſubdelegandi ſuam iuriſdictionem, aliaque munia in rectam Cruciatæ adminiſtrationem præſtanda.

12 ASſerit in Bulla Pontifex: * *Item eidem Commiſſario datur etiam facultas ad ſingulas Prouincias Commiſſarios deputandi, & eligendi, per Ordinarios locorum præuia matura deliberatione, (onerando eorum conſcientias,) approbandos: cum ſimili, & limitata facultate, etiam pro collectione pecuniarum. Item eidem Commiſſario conceditur facultas deputandi Notarios, quorum opera vtendum erit,ab Ordinariis tamen locorum, in quibus illi deputandi ſunt, ſimiliter approbandos. Necnon cogendi tabelliones, & quemlibet alium ad exhibitionem quarumcumque ſcripturarum, vel inſtrumentorum huic negotio pertinentium: & deinde inhibendi, quibus inhibendum erit. Neque poſſit Commiſſarius generalis prædictus coram alio, quàm Nobis, neque ab eo deputandi poſſint coram alio,quam ipſo Commiſſario, pro re ad hoc munus pertinente, quamdiu illis negotiis vacauerint, in iudicium trahi. Poſſit tamen à locorum Ordinariis, quibus ſubierint, ſi ibi deliquerint, coërceri,& puniri.**

13 Commiſſarius generalis iuriſdictionem delegatam à Pontifice habet, eſtque iudex delegatus:attamen, vt conſtat ex præfatis verbis,ſuam iuriſdictionem,ſeu integram, ſeu partialem ſubdelegare poteſt. Quod, vt rectè intelligatur, notandum eſt cum communi,(de quo videri poteſt P. Layman *tom. 1. tract.6.cap.2.*) iudicem, alium eſſe Ordinarium, alium eſſe delegatum. Ordinarius eſt, qui ex proprio iure ſuo, ſi ſupremus eſt, vel ex Principis beneficio,ſi eſt ſubordinatus, ius dicit, & cauſis præeſt. Delegatus eſt, cui vices ſuas Ordinarius commiſit, vel ad vniuerſas, vel ad cauſam ſpecialem terminandam: *lege,ſolet,& ſequent. ff. de iuriſd. omnium iud.* Delegatus alteri cauſam ſubdelegare non poteſt, niſi ſit ſummi Principis delegatus: hic enim poteſt: *c.Paſtoralis,de offic.iudic. deleg.cap.cum cauſam, §. vlt.de appel.l.à iudice, C.de iudiciis.* Ex his fit, Commiſſarium generalem, vtpotè delegatum ſummi Principis Eccleſiaſtici poſſe ſuam iuriſdictionem ſubdelegare: quod tamen, ne vllus dubitet, exprimitur à Pontifice: at etiam ſi non expreſſiſſet, iuxta principia iuris poſita, valeret Commiſſarius exequi.

14 Quos autem ſubdelegatos habeat, & quam eis iuriſdictionem conferat, (poteſt namque totam ſuam facultatem ſubdelegare,vel cum limitatione,)Commiſſarius generalis in Hiſpania, Sicilia, ac Indiis; & plura

ad

Digitized by Google

ad eos ſpectantia: item exemptio à iudicibùs ſæcularibus, modusque reſpectu eorum obſeruandus: præterea vis cogendi tabelliones,& quoſvis alios ad manifeſtandum quælibet inſtrumenta,quæ ad Cruciatam poſſunt prodeſſe:demùm exemptio in rebus Cruciatæ miniſtrorum illius à iudicibus aliis,ex profeſſo *ſeqq.diſp.*exponentur.

15 Tam Commiſſarij ſubdelegati, quam Notarij à Commiſſario generali inſtituti debent approbari à locorum Ordinariis, an ſcilicet idonei ſint ad munia ſibi commiſſa: nec poſſunt exercere ſuum munus, quin ea approbatio præcedat:non enim aliter Pontifex, à cuius voluntate hæc iuriſdictio, & modus ſubdelegandi ipſam dependet,vult,eos Commiſſarios ſubdelegatos,prędictoſque notarios eſſe habiles ad ſua officia, niſi prius approbentur ab Ordinariis:quare earum actus ante approbationem inualidi erunt,eoquòd proximè capaces non ſint illi iuriſdictionis,aut publicæ authoritatis ad res Cruciatæ; niſi præuia approbatione: ad modum quo Sacerdos non eſt proximè capax iuriſdictionis ad Sacramentum pœnitentiæ miniſtrandum, niſi priùs ab Epiſcopo fuerit approbatus, quia ea approbatio requiritur à Tridentino.

16 Delicta,propter quæ miniſtri Cruciatæ poſſunt ab Ordinariis locorum coërceri, & puniri, ſunt omnia, quæ in Cruciatam non patrantur:nam, ſi ipſi in Cruciatam delinquerent,non ſecùs ac quivis alij aduerſus ipſammet Cruciatam crimen commitentes,à Commiſſario, aut eius ſubdelegatis reſpectiuè debent puniri. Et Ordinarij tenentur remittere delinquentes ad ipſos, vt dicemus *diſp. ſeqq.* Commiſſarius autem generalis, ſuper rebus Cruciatæ,coram nullo,niſi coram Pontifice, poteſt conueniri: nec coram Nuntio Apoſtolico: vterque enim in rebus diuerſis eſt immediatè delegatus Pontificis, abſque ſubordinatione iuriſdictionis. Dixi, *ſuper rebus Cruciatæ*: nam ipſe Pontifex in verbis illatis id ait ibi: *pro re ad munus pertinente*: quæ referuntur ad Commiſſarium reſpectu Pontificis, & ad miniſtros Cruciatæ reſpectu Commiſſarij, vt ex ipſius clauſulæ tenore patet. Quare ſuper rebus aliis poterit Commiſſarius coram proprio iudice conueniri.

CAPVT III.

De facultate Commiſſarij generalis ad ſuſpendendum interdictum tempore publicationis Bullæ,& ad alia exequenda in fauorem Cruciatæ.

17 VErba ſunt Bullæ; * *Item, quòd ſi in loco, vbi erit facienda publicatio, fuerit interdictum, poſſit huiuſmodi interdictum per octo dies anteà, & poſt, ſuſpendere. Item, quòd monere poſſit habentes pecunias, & bona in hoc opus deſtinata, ſeu inſtrumenta, aut ſcripturas hoc negotium principaliter, vel ſecundariò concernentes, vt ſtatim, cum copiam Commiſſarij, aut ab eo deputati habuerint, propalare teneantur ſub pœnis pecuniariis in ſubſidium:quod Epiſcopos, & alios maiores Prælatos, ſuſpenſionis à diuinis, & interdicti in Eccleſiam ingreſſus: quoad alios, excommunicationis latæ ſententiæ; à qua non niſi à Sede Apoſtolica abſolui poſſint: & qui ſcienter aliquod prædictorum retinuerit, nullo modo poſſit harum litterarum, & gratiarum beneficio frui.* *

18 Interdictum omne poteſt ſuſpendere Commiſſarius prædictis diebus publicationis Bullæ, à quocumque fuerit latum interdictum,etiam à Summo Pontifice, cùm non reſtringatur hæc facultas, nec concedatur circa aliqua interdicta determinatè; ſed circa omnia indefinitè. Eóque tendit hæc ablatio interdicti, vt ſolemniùs Bulla publicetur,& fideles publicè queant recipere Sacramenta ſicque diſponi ad indulgentias Bullæ conſequendas. Quòd ſi ceſſatio à diuinis fuerit indicta, non poterit à Commiſſario ſuſpendi,cum eius facultas non exprimat ceſſationem, & ad hanc ab interdicto non ſit argumentum: etſi enim finis ſuſpendendi interdictum ſit idem, ac is, qui militaret in ſuſpendenda ceſſatione; tamen quia hæc eſt ſignum ingentis mœſtitiæ Eccleſiæ ob grauiſſimæ contumaciæ peccatum,voluit Pontifex concedere facultatem ad ſuſpendendum interdictum, quod eſt minus, non ad ceſſationem,quod eſt amplius.

19 Interdictum, de quo in præſenti, non eſt purè perſonale;ſed locale: quod denotant ea verba Bullæ: *Si in loco, vbi facienda erit publicatio, fuerit interdictum*: & finis facultatis obtinetur per ſuſpenſionem interdicti localis; niſi caſu quo in vrbe, aut oppido fuiſſet interdictum perſonale generale: nam ſi nulla perſona poſſet in Eccleſiam adhuc non interdictam ingredi, ad Officia ſolemnia, quibus publicatur Bulla, nec valeret recipere Sacramenta, omnino impediretur publicatio interdicti:quare tunc cenſeo,poſſe ſuſpendi à Commiſſario: nam id interdictum perindè eſt, ac locale in ordine ad præſens,& in illo loco poteſt dici eſſe eiuſmodi interdictum, atque adeò comprehendi ſub verbis præfatis Bullæ, ſiquidem omnes perſonæ in eo loco ſunt interdictæ. Quare illæ perſonæ pro tunc non ſunt reputandæ interdictæ, ſic verò elapſis eis diebus, intra quos, ſi contumaces in culpa non perſiſtant, à peccatis poterunt abſolui: non verò ab interdicto,quia tunc non ſunt interdictæ.

20 Idem aliquis forſan dicat, ſi interdictum ſit

ſit locale, & ſimul perſonale reſpectu alicuius, aut aliquorum, qui cauſam interdicto dederunt, (nam ſi ſit locale, & perſonale generale, ratio *nuper* facta, idem dicendum eſſe ſuadet,) aut ſi interdictum non ſit locale; ſed purè perſonale particulare: nempè in vtroque caſu ſuſpendi interdictum reſpectu eorum: tum quia Pontifex non eſt iudicandus limitaſſe facultatem, cum non egerit expreſsè de interdicto locali, verbaque *ſuprà* poſita ſic queant intelligi: ſcilicèt vt poſſit Commiſſarius ſuſpendere interdictum in loco, in quo Bulla publicatur, ſiuè interdictum fuerit locale perſonale, aut mixtum: generale, vel particulare, fauores enim ſunt ampliandi. Tum quia cenſendum eſt, velle Pontificem, vt omnes indiſcriminatim ſolemni Bullæ promulgationi aſſiſtant, eiuſque gratiis, ac beneficiis potiantur.

21 Cæterùm, etſi hoc ob benignitatem magis arrideat, ob rationem plùs placet oppoſitum. Si etenim verba præfata Bullæ rectè introſpiciantur, cuique ex ipſis conſtabit, non eſſe ſermonem de interdicto particulari perſonali. Pone, eſſe Salmanticæ vnum hominem interdictum; non verò locum, aut Eccleſiam: quis ſeriò dicet, in loco Salmantino eſſe interdictum? Deinde ſolemnitati publicationis Bullæ non detrahitur per interdictum perſonale vnius, aut alterius: bonoque communi fidelium, & ſubſidio Cruciatæ ſat attenditur, ſi interdictum generale oppidi, aut Pareciæ ſuſpendatur: nec vult Pontifex, vt, qui contumax eſt, fruatur Bullæ ſpiritualibus bonis, cum hoc detrimentum non æquiualeat aliis bonis, quæ repeкриuntur in eo homine arcendo ab ingreſſu in Eccleſiam, vt culpæ puniantur, & cenſuris Eccleſiaſticis exhibeatur reuerentia. Et quamvis hoc vltimum etiam vim habeat, cum interdictum eſt perſonale generale: tamen in eo maius, & communius detrimentum ſequeretur, & aliundè illud in verbis Bullæ, abſque violentia incluſum aſſeueratur: poſſetque ſeriò affirmari, Salmanticæ eſſe interdictum, ſi omnes perſonæ Salmanticæ eſſent interdictæ: aut ſaltem maior numerus illarum.

22 Fateor, & hoc difficile apparere ex eo, quòd in oppido ingenti, vt Matriti, Panormi, aut Syracuſis, poſſet contingere, vt innumeri incolæ eſſent perſonaliter interdicti, & non omnes: imò plures non eſſent interdicti: quo fieret, vt nec ſolemnis publicatio Bullæ impediretur, nec generale interdictum perſonale eſſet: & tamen aliundè innumeri illi non fruerentur tunc beneficio Bullæ, eſſetque non exiguum detrimentum. Sanè excogitatis his caſibus, neceſſe eſt concedi ſequelam, inſiſtendo rationi traditæ doctrinæ, qua ſatisfit abſurdo apparenti. Verùm caſus metaphyſicus eſt iuxta communem praxim. Numquam enim audiui, interdictum dari perſonale generale, vel reſpectu tot perſonarum, quot in difficultate objiciuntur, quin ſimul detur interdictum locale; ad id autem, quod communiter contingit, diſpoſitiones legiſlatorum in moralibus attendunt, non ad id, quod, inſpectis eſſentiis rerum, nempè interdicti localis, perſonalis, & mixti generalis, quæ ad inuicem abſolutè, ſeu ſine repugnantia ſeparari queunt, contingere poſſet etiam abſolutè, nunquam tamen continget, iuxta communem formam Iudicum ferentium interdictum.

23 Dies, pro quibus poteſt à Commiſſario ſuſpendi interdictum, ſunt ſeptemdecim: quippè ſunt octo dies ante publicationem Bullæ, & octo dies poſt publicationem, ſeu poſt diem publicationis. Itaque ipſe dies publicationis, & octo dies ante, octo verò poſt illum componunt prædictos ſeptemdecim, quæ ampliatio in verbis prædictis rectè, & abſque inconuenienti ſubſiſtit; nec eſt, cur reſtringatur, cum ſit fauor, & Commiſſarij, & fidelium. Vide hæc omnia latiùs *ſuprà diſp.* 30.

24 Deindè facultas indulgetur Commiſſario monendi quaſcumque perſonas, vt ſub pœnis *ſuprà* contentis exhibeant bona, aut inſtrumenta quomodolibet ad Cruciatam ſpectantia. Pœnæ illæ non incurruntur, niſi poſt monitionem à Commiſſario præſtitam, & inobedientiam contumacem eorum, qui non manifeſtant eiuſmodi bona, ſeu inſtrumenta: quare opus eſt etiam, vt ad horum notitiam monitio perueniat. Excommunicatio autem, quæ in præſenti fertur, neutiquam eſt præciſè ad terrorem, ſeu ferenda; quinimò lata, & quæ illicò, ac inobedientia detur, incurritur. Id enim denotat ea vox *Latæ ſententiæ*, iuxta id, quod communiter Authores tradunt in materia *de excommunicatione*. Idem dicendum eſt de ſuſpenſione à diuinis, & pœna interdicti in Eccleſiam ingreſſus, quæ Prælatis iniungitur. Etenim, cum idem ſit tenor pœnæ inferendæ, eademque clauſula, ſicut excommunicatio eſt latæ ſententiæ; ita etiam, & hæc ſuſpenſio, ac prohibitio ingreſſus in Eccleſiam; & prætereà non ait Pontifex, ſub pœna ingreſſus in Eccleſiam, *interdicendi*, ſed *interdicti*, ſicut in pœna excommunicationis non inquit *ferendæ*; ſed *Latæ*; quare, ſicut ex hoc infertur, excommunicationem ipſo facto incurri, ita & ex illo colligitur, eam pœnam incurri ipſo facto.

25 Vt autem diſcrimen intercedat inter Prælatos, & alios, non illis eadem, aut tanta pœna, ac his iniungitur. Attamen firmatur hinc, quod *ſuperiùs* attigi. Commiſſarium Generalem

in prædicto cap. ſignificaſti, num.8. Eius autem poteſtas, ac iuriſdictio expirat eo ipſo, quòd ſententiam definitiuam (ſi ſit delegatus ad aliquam cauſam,) à ſe latam plenè executioni mandauit per ſe, vel per alium: *cap. in litteris, de officio delegati.* Delegatus verò ſummi Pontificis circa cauſam ſibi commiſſam, vnum dumtaxàt annum ad executionem ſententiæ à die prolationis illius potitur: *cap. quærenti, de officio delegati*, eoque anno elapſo, nequit ad finem perducere executionem. Ita autem expirat iuriſdictio poſt executionem ſententiæ etiam ante annum elapſum, vt ſi non in continenti, ſed aliquo adiecto interuallo, turbaretur is, in cuius fauorem lata eſt ſententia, nihil poſſet circa id, ille delegatus; ſed ad alium iudicem eſſet recurrendum: *cap. in litteris, de officio delegati:* niſi in litteris Apoſtolicis delegationis apponatur, quòd, quoties opus fuerit, delegatus aſſiſtat, faciens, contenta in ipſis litteris inuiolabiter in poſterum obſeruari.

36 Quando terminus temporis præſcribitur delegato, elapſo eo tempore, expirat eius iuriſdictio, niſi ante temporis tranſactionem ab ipſiſmet partibus conſentientibus ei terminus prorogetur. Poteſt attamen delegatus cauſas non integras, ſed cœptas, ac pendentes ex tempore delegationis, eo tranſacto, finire, quia iuriſdictio ſemel habita, & re non integra, non expirat, quovſque cauſa finiatur: Res autem iudicatur non integra, ſed cœpta, ac pendens, quando iam lis eſt conteſtata. Ita Anton. Gabr. *tom. 2. tit. de prabend.* §. 35. *&* 41. Syluеſt. *verb. Conſeruator,* §. 6. Palacios *in cap. per veſtras, notab. 2. n.* 48. Auendaño *de exequend. mandat. cap.* 1. *n.* 16. Aufrerius *in capel. Toloſan. q.* 12.

37 Hinc conſtat, in clauſula, quam exponimus, nihil ſpeciale concedi Commiſſario; ſed referri, quod eſt de iure communi: nempè, vt delegatus eſt, poſſe, adhuc tranſacto termino delegationis, lites pendentes, ſeu conteſtatas, aut non integras finire. Quod ſupponit P. Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 11. *n.* 3. *in gloſſ. litt. H. in fine.*

CAPVT V.

De facultate Commiſſarij generalis Cruciatæ ad diſpenſandum in aliquibus irregularitatibus.

38 VErba Bullæ Latinæ ſunt: * *Item ſimiliter conceditur facultas dicto Commiſſario diſpenſandi, & componendi ſuper irregularitate cum his, qui quibuſvis Eccleſiaſticis cenſuris ligati Miſſas, & alia diuina officia (non tamen in contemptum clauium,) celebrauerint, ſeu aliàs ſe immiſcuerint: & ſuper alia illis qualibet irregularitate, præterquàm homicidij voluntarij, aut ſimoniæ, vel apoſtaſiæ à fide, aut hæreſis, vel propter malam Ordinum ſuſceptionem, contractam: cum retentione Beneficiorum, & fructuum ex eis perceptorum: & infamiæ, ac inhabilitatis exindè prouenientis abolitione, & executione Ordinum non malè ſuſceptorum.*

39 Summa huius facultatis eſt. Poteſt Commiſſarius diſpenſare in omnibus irregularitatibus ex delicto prouenientibus, quantumvis publicis, & pro foro externo: exceptis tamen irregularitatibus prouenientibus ex homicidio voluntario, ſimonia, apoſtaſia à fide, hæreſi, mala Ordinum ſuſceptione, celebratione Miſſæ, aut diuinorum officiorum in contemptum clauium, dum quis ligatus cenſuris celebrauerit cum eo contemptu. Poteſt præterea Commiſſarius indulgere, vt irregularis, cum quo diſpenſauit, retineat Beneficia, percipiatque fructus ex eis prouenientes, & Ordines, quos malè non ſuſceperit, exequatur. Demum valet abolere infamiam, & inhabilitatem quamlibet procedentem ex irregularitatibus, in quibus diſpenſat. Hæc ſumma prædictæ facultatis eſt, quam ad praxim hoc, & ſequentibus capitibus exponemus, vt liquidò conſtet, in quibus poſſit, aut non poſſit Commiſſarius irregularitatibus diſpenſare.

40 Supponendum eſt primò, in eis verbis, *diſpenſandi, & componendi*, includi facultatem tum diſpenſandi in prædictis irregularitatibus, tum aliquam eleemoſynam accipiendi in ſubſidium Cruciatæ ab his, cum quibus diſpenſatur: quæ eleemoſyna eſt quædam quaſi compoſitio, & commutatio ipſius pœnæ irregularitatis. Ideoque hac voce compoſitionis vtitur Commiſſarius, vt conſtabit *diſp. ſequenti*, in inſtructione, quam præbet Commiſſarius Generalibus Subdelegatis Indiarum, aſſerens, vt in his diſpenſationibus, & in aliis, de quibus *inferiùs*, pro compoſitione accipiant, quam ipſe taxat. Præterea includitur ſub ea voce compoſitio, quam poteſt Commiſſarius facere pro retentione fructuum, quam valet concedere his, quibus diſpenſationem in irregularitate, quæ eos fructuum reddebat incapaces, largitur.

41 Supponendum eſt ſecundò, non concedi facultatem Commiſſario, ad diſpenſandum in vlla irregularitate; quæ non proueniat ex delicto: vt enim attigi *diſp.* 10. aliquæ irregularitates contrahuntur ſine culpa, non ſine cauſa: vt bigamia, aut ſi quis habet naturale vitium corporis, vel animi, aut cum iudex, vel Dux in bello authoritate publica iuſtè præcipit, aliquem occidi: & his ſimilia. Aliæ irregularitates contrahuntur cum culpa: quæ tamen quales ſint, libauimus *loco nuper*

Digitized by Google

nuper relato, & videri poſſunt apud Bonacinam, Suarium, Toletum, Turrianum, Auilam, Layman, Gibalinum, & alios communiter, vbi de cenſuris, & in ſpeciali, de irregularitate tractant.

42 Igitur in his omnibus irregularitatibus ex delicto prouenientibus (exceptis illis de quibus *num.* 39.) poteſt Commiſſarius Generalis Cruciatæ diſpenſare: quippè nulla alia excipitur, & ea exceptio firmat regulam in contrarium. Verbaque Bullæ ſunt generalia: *ſuper alia qualibet irregularitate.* Quæ generalitas, etiam ſi non ſit expreſſiua irregularitatum ex delicto prouenientium, & videatur cæteras etiam includere, tamen de ſolis illis, quæ ex delicto oboriuntur, intelligenda eſt. Ita P. Henriquez *lib.*7. *de indulg. cap.*13. *num.*5. Rodriguez *in expoſit. Bull. in additionibus ad* §.13. *num.*3. Villalob. *tom.*1. *tract.*27. *clauſul.*11 *num.*7. Trullench *in Bull. lib.*2. §.3. *dub.*1. *num.*1.

43 Diſplicet verò ratio, qua id probat Trullench: nempè quòd, cum Papa excipit ab hac facultate conceſſa Commiſſario aliquas irregularitates, loquitur de his, quæ ex delicto oriuntur: ergo ſimiliter in conceſſione intelligendum eſt de irregularitatibus, quæ ex delicto proueniunt. Hoc quidem non conuincit: nam quæ eſt repugnantia in eo, quòd Pontifex facultatem præſtet diſpenſandi in omnibus irregularitatibus tam ex delicto, quàm ex aliis capitibus prouenientibus, & ex his omnibus ſolùm excipiat aliquas ortas ex delicto, & nullam è cæteris, cum ab eius voluntate, tam conceſſio, quàm exceptio dependeat, & poſſit concedere facultatem ad omnes, vel negare, aut limitare pro libito?

44 Igitur probandum eſt aſſertum, primò ex communi intelligentia verborum Pontificis, ex omniumque perſuaſione, qua conſtat, non extendi eam facultatem ad irregularitates non prouenientes ex delicto. Secundò, quia in conceſſione generali non intelligitur conceſſum id, quod in ſpeciali non eſſet veroſimiliter concedendum: at in ſpeciali non eſt veroſimile, Pontificem conceſſurum fore facultatem ad diſpenſandum in irregularitatibus non ex delicto prouenientibus: tum quia ipſe Pontifex difficulter diſpenſat in illis, vt in bigamia, prout aſſeritur communiter ab Authoribus, & liquet ex praxi; imò difficiliùs diſpenſat in aliquibus irregularitatibus non ortis ex delicto; quàm in aliquibus ex his, quas excipit à facultate Commiſſarij, vnde non eſt credibile, Pontificem conceſſiſſe facultatem ad irregularitates, ad quas tollendas plus eſt difficultatis in ipſo, vt diſpenſante, negata ea facultate ad eas, in quibus faciliùs ipſe diſpenſat. Tum quia, in Tridentino *ſeſſ.*24. *cap.*6: *de reformat.* aſſeritur: *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare.* Vbi limitatur facultas ad irregularitates ex delicto prouenientes, eo quòd cæteras ſibi Pontifex communiter reſeruet: ergo, licèt ea limitatio non apponatur in facultate præſtita Commiſſario, ibi ſubintelligenda eſt, vt ſtetur communi ſtylo, & modo impertiendi eiuſmodi facultatem.

45 Confirmatur primò à paritate, quia nec Nuntius Sedis Apoſtolicæ, legatus à latere, facultatem habet ad diſpenſandum in omnibus irregularitatibus prouenientibus ex aliis cauſis, & non ex delicto; ſed ad aliquas, vt ad eam, quæ prouenit ex defectu natalium: & licèt non ſequatur infallibiliter ex hoc Commiſſarium ea facultate carere, non tamen eſt veroſimile, eum adeò excedere iuriſdictionem Nuntij Apoſtolici in poteſtate tanti momenti. Confirmatur ſecundò euidenter, quia ſi Commiſſarius facultate præfata polleret, ea ſanè vteretur, commodiuſque eſſet irregularibus, eum pro diſpenſatione adire, quàm Pontificem: & ipſe quidem diſpenſaret, ne inutilis ſua iuriſdictio eſſet, & Cruciata fraudaretur eleemoſyna præſtanda pro diſpenſatione: certum autem eſt, nec Cruciatæ Commiſſarium adiri pro eiuſmodi diſpenſatione, nec ab eo præſtari.

46 Facultas Commiſſarij ad diſpenſandum in irregularitatibus viget etiam reſpectu Religioſorum: non enim limitatur à Pontifice, quòd ſolùm ſit reſpectu ſæcularium; & non Regularium, & cum ſit Pontificis delegatus, etiam in exemptos valet iuriſdictionem exercere, vt notauit Trullench *ſuprà*, qui limitat, niſi in aliqua Religione aliud ſtatutum ſit ex priuilegio Pontificio: ſcilicèt quòd nequeat delegatus Papæ diſpenſare cum irregularibus illius Ordinis, quod priuilegium non eſt cenſendum reuocari per hanc facultatem Commiſſario conceſſam. Sed valdè dubitauerim, aliquod eiuſmodi eſſe priuilegium. Habent quidem plures Religioſi Ordines aliud fauorabilius priuilegium: nempè quòd eorum Prælati poſſint in ſubditorum ſaltem aliquibus irregularitatibus diſpenſare. De quo vide *ſuprà diſput.*25. *n.*34.

47 Nec limitatur facultas ad irregularitates ex delicto occulto, nec ad forum internum: quare ea reſtrictio à nobis non eſt ponenda, cum ad eam non ſit fundamentum: atque adeò aſſerendum, poſſe Commiſſarium diſpenſare in prædictis irregularitatibus in vtroque foro, interno & externo, etiam ſi publicæ ſint, & ex delicto publico proue-

Digitized by Google

prouenientes. Vnde affirmat Viualdus adductus à Rodriguez *vbi ſuprà*, ſe vidiſſe Madridij anno 1577. Commiſſarium Generalem in quadam ex his irregularitatibus diſpenſaſſe. Hoc aſſertum tenet Rodriguez *in addition. ad* §. 13. mutans propoſitionem, quam aſſeuerauerat *in ipſa explicatione* §. 13. *n.* 1. ratione cuius pro oppoſita ſententia affertur à P. Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 13. *n.* 5. *in gloſſa litt. T.*

48 Notant in præſenti ipſe Rodriguez, & Trullench, ſi Commiſſarius ſit Confeſſarius, & excipiat confeſſionem alicuius irregularis, poſſe tunc diſpenſare cum illo, non prout Confeſſorem agit, ſic enim ad id iuriſdictione non gaudet; ſed prout ſimul eſt Commiſſarius, poſteaque ei litteras diſpenſationis præbere, obtenta ab eo priùs facultate: ne reuelet delictum, & irregularitatem ab eo ortam, quam intra forum confeſſionis audiuit. Illud tamen obſeruandum, vt valida ſit diſpenſatio Commiſſarij, ab eo neceſſariò iniungendam aliquam eleemoſynam in ſubſidium Cruciatæ, quam eroget is, cum quo diſpenſat: nullaque erit diſpenſatio abſque eo onere conceſſa: tum quia finis concedendi hanc facultatem Commiſſario fuit augmentum ſubſidij erga Cruciatam, tum quia id denotant verba Bullæ, *diſpenſandi, & componendi*, hoc eſt, diſpenſandi cum compoſitione: non enim poſſunt accipi niſi in eo ſenſu copulatiuo: nam alius ſenſus, qui in eam formam verborum poſſet cadere, non valet præſenti aptari materiæ: nimirum quòd conceditur facultas Commiſſario, tum diſpenſandi ſeorſim à compoſitione in irregularitate, tum componendi ſuper illa ſeorſim à diſpenſatione: quippè, ſi non diſpenſetur in irregularitate: hæc per ſolam compoſitionem non tollitur: quare compoſitio cum diſpenſatione ſimul debet neceſſariò præſtari.

49 Ex dictis conſpicitur, Commiſſarium excedere Epiſcopum in iuriſdictione ad diſpenſandum in irregularitatibus quoad aliqua, & quoad alia excedi ab Epiſcopo. Excedit Epiſcopum, quia poteſt diſpenſare etiam pro foro externo, & in irregularitatibus ex delicto publico prouenientibus, atque fructuum malè partorum compoſitionem facere: Epiſcopus verò, vt conſtat ex *num.* 44. ſolùm poteſt pro foro interno, & in irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, non in publicis, nec in deductis ad forum contentioſum, & in his poteſt Commiſſarius, cùm non ſint exceptæ in eius facultate, ſicut ſunt in facultate Epiſcopi. Nec valet Epiſcopus, ſaltem de facto compoſitionem fructuum facere, cum per Bullam Cruciatæ Pontifex interdixerit, ne aliqua bonorum fiat compoſitio, niſi virtute Cruciatæ, vt ſic eius ſubſidium augeatur.

50 Exceditur autem Commiſſarius ab Epiſcopo, quia Epiſcopus, vt liquet ex loco allato Tridentini *prædicto num.* 44. adiuncto *cap.* 7. *ſeſſ.* 14. *de reformatione*, in eodem Tridentino, poteſt diſpenſare in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, excepto homicidio voluntario, non tamen excepto homicidio, quod non ex propoſito; ſed caſu, aut vim vi repellendo committitur, ratione cuius ſit neceſſaria diſpenſatio. Vnde poteſt Epiſcopus diſpenſare in irregularitatibus ſimoniæ, hæreſis, apoſtaſiæ à fide, & malæ ſuſceptionis Ordinum, dum tamen ſint occulta delicta. In his verò neutiquam poteſt diſpenſare Commiſſarius, cum ab eius facultate excipiantur, adhuc ſi occulta delicta fuerint. Quod intelligendum eſt, ſi propter hæreſim occultam incurratur irregularitas: nam non incurri diximus *diſp.* 10. *cap.* 1. & etiam ſi propter ſimoniam, & alia crimina *nuper* relata incurratur, ſi ſint occulta, de quibus *infrà*. Commiſſarius autem non poteſt diſpenſare, ſi contrahi irregularitatem dicatur, vt aliqui dicunt.

51 Iam autem inquires, cur, cum concedatur facultas Commiſſario diſpenſandi in qualibet irregularitate, exceptis *ſuperiùs dictis*, exprimatur in particulari facultas diſpenſandi in irregularitate proueniente ex celebratione Miſſæ, aut diuinorum officiorum, cum eo, qui innodatus cenſuris ea celebrauit? Reſpondeo, hanc expreſſam fuiſſe, quia limitatio ei facultati erat adhibenda, nempè quòd ſi in contemptum clauium ille celebrauerit, qui eam irregularitatem contraxit, nequeat cum illo diſpenſare Commiſſarius. Tunc autem in contemptum clauium illud munus præſtatur, cum ſubditus paruipendit cenſuras, & Prælatum, ita vt formaliter nolit ei obedire. Itaque dupliciter poteſt frangi ſuperioris præceptum, vt aduertunt hic Expoſitores Bullæ: primò ex fragilitate humana, dum quis aliquo affectu immoderato rapitur ad exequendum rem oppoſitam præcepto; vt ſi præciperet ſuperior ieiunium, & tu ex affectu gulæ illud frangeres: quod non eſt formalis inobedientia, nec in contemptum iuriſdictionis præcipientis, quamvis pluries frangeres præceptum: ſecundò ex motiuo non obediendi, vilipendendo ſuperiorem, eiuſque præceptum, tuncque eſt inobedientia formalis, & in contemptum poteſtatis ſuperioris. Hinc ergo cernes, quando ligatus cenſuris dicatur celebrare ex contemptu, aut in contemptum clauium, hoc eſt, iuriſdictionis Prælati, qua eum per cenſuras ligauit.

Digitized by Google

52 Vt tamen intelligatur apertius, quæ ſit facultas hæc diſpenſandi in irregularitate propter celebrationem Miſſæ, aut diuinorum Officiorum, aut quia quis aliàs ſe illis immiſceret, oportebit ipſam irregularitatem breuiter proponere. Igitur iuxta Abbat. Couarr. & alios, quos refert, & ſequitur Villalob. *tr.21. diſ.14.n.3.* Excommunicatus faciens coram ſe celebrari, incurrit irregularitatem, quamvis id neget Præpoſitus *in 3.p.quæſt.5.dub.6.n.38.* Et id reſtringat ad Sacerdotes excommunicatos facientes coram ſe celebrari, P.Suarez de cenſur. *diſp.11.ſect.1.num.5 & 8.* In iure autem ſoli clerico excommunicato celebrationi ſe ingerenti videtur irregularitas hæc iniuncta. *cap.illud, de clerico excom.celeb.iuncto canone in eodem capite relato* Hinc capies, cur Pontifex appoſuerit in verbis Bullæ, de quibus in præſenti: *aut aliàs ſe immiſcuerint.* Quibus conſonant verba ipſius *cap. illud nuper.* citati: *Celebrationi ſe ingeſſerit*: nam non ſolùm ex celebratione diuinorum cum cenſuris, ſed ex immixtione, ſeu ingeſſione in illa modo dicto contrahitur irregularitas.

53 Prætereà non eſt opus, vt quis ligatus cenſura, ſiuè excommunicationis, ſiuè ſuſpenſionis, aut interdicti, celebret Miſſam, vt maneat irregularis: nam non ſolùm celebrans, ſed exercens Ordinem maiorem, contrahit irregularitatem, ſiue Ordo ſit Diaconatus, ſeu Subdiaconatus: vt conſtat ex toto titulo *de clerico excommunicato celebrante, cap. is, qui, de ſentent.excommunic.in 6.cap.1. de ſent.& re iudicata, in 6.* Huc reſpiciunt verba Pontificis in noſtra Bulla: *Miſſas, & alia diuina officia celebrauerint*, ſunt enim Officia diuina, quæ Diaconus, & Subdiaconus celebrare queunt, quæ etiam à fortiori à Sacerdotibus celebrari poſſunt. Non verò fit irregularis ligatus cenſura, qui exercet actum Ordinis minoris. Ita Villalobos *ſuprà nu.1.* P. Auila *de cenſur.part.7.diſput.9.ſect.2. dub.3.* Nec manet irregularis, qui excommunicatus recitatus horas diceret *Dominus vobiſcum:* Videatur ſumma Dianæ, *verb. Irregularitas ex delicto, num.36.* & Gaſpar Hurtad. *de cenſura excommunic. difficult. 2. diſput. 5. numer. 3.* Excommunicatus miniſtrans Sacramentum Euchariſtiæ ſeu Pœnitentiæ, contrahit irregularitatem, etiam ſi excommunicatio, aut delictum ſit occultum: imò etiam, ſi abſolutio ob culpam pœnitentis eſſet inualida. Sic Portellius *verb. Irregularitas, n.13.* Bonac. *de cenſ.diſp.7.q.1.punct.5.n.6.*

54 Si quis exiſtimans ſe eſſe cenſura ligatum, cùm tamen realiter non ſit, aliquid prædictorum exerceat, non contrahit irregularitatem: quia hæc infligitur exercenti prædicta cum cenſura vera, non ficta. Ita Mercerus *in 3.part.quæſt.21.dub.5.* Si verò dubitet, & adhibeat diligentiam, eadem diligentia, quæ ſatis eſt ad liberandum eum à culpa mortali, excuſat ab irregularitate, & è contrà. Sic Diana *5.part.tract.9.reſol.94.* Alias irregularitates vide apud Authores relatos. Hæc ſufficiant, vt cõſtet de facultate Commiſſarij ad diſpenſandum in his, & ſimilibus, dum non detur contemptus clauium.

55 Irregularis quomodocumque, & qui contraxit irregularitatem ex celebratione cum cenſura, non poteſt de nouo vllum Beneficium, etiam ſimplex, nec penſionem Eccleſiaſticam accipere, collatioque Beneficij ei facta erit nulla, nec faciet fructus ſuos; ſed malè illos percipiet. Ita Couarr. *in cap. alma mater, 1.p.§.7. & 8.num.6.* Vgolinus *de irregul.cap.65.n.1.* Nauarrus *lib. 5. conſil. 41. de homicid.* Auila *de cenſur.p. 7. diſput.2. dub. 6. concl.3.* Suar. *de cenſur.diſp.40. ſect.2. num. 30.* Henriq. *de irregular. c.2.n.5.* Villalob. *ſup. diſfic.2.n.12.*

56 Hinc intelliguntur verba facultatis Commiſſarij, ibi: *Cum retentione Beneficiorum, & fructuum ex eis perceptorum: & infamia, ac inhabilitatis exindè prouenientis abolitione, & executione Ordinum non malè ſuſceptorum.* Hoc eſt: poteſt Commiſſarius diſpenſare cum eo, cum quo poteſt in irregularitate diſpenſare, vt Beneficium, quod propter eam irregularitatem inualidè accepit, validè retineat: & fructus, quos indè malè percepit, compoſitione facta, aſſeruet abſque onere reſtituendi. Poteſt prætereà tollere inhabilitatem, quam ratione irregularitatis contraxerat ille ad Beneficia de nouo accipienda, & fructus ſibi comparandos. Rursùs abolere valet quamlibet ex irregularitate infamiam exortam, ratione cuius priuaretur honoribus, priuilegiis, ac vtilitatibus. Demùm conſequenter diſpenſando in irregularitate efficit Commiſſarius, vt ille actus ſuorum Ordinum licitè exercere Valeat, quod exercitium per irregularitatem erat ei impeditum. Conſonant huic explicationi Rodriguez *in Bull.in addition. ad §.13 n. 9.* Trullench *in Bull.lib.2.§.3.dub.3.n.2.*

57 Dixi, poſſe Commiſſarium diſpenſare, vt retineat Beneficia, & fructus is, in cuius irregularitate valet diſpenſare: nam in cuius nequit irregularitate diſpenſare, vt in homicida voluntario, in accipiente ſimoniacè Beneficium & in aliis eiuſmodi, nequibit diſpenſare, vt Beneficia, & fructus retineantur: quippè hæc ſecunda diſpenſatio eſt acceſſoria, & conſectaria ad illam principalem vndè, ſicut illam nequit concedere nec tollere eam irregularitatem, & inhabilitatem in aliquibus, ita nec in illis poteſt diſpenſare, vt Beneficia, & fructus retineant. Sic ſentiunt Rodriguez *ſup.* Trullench *vbi nuper numer.1.*

 Villalob.

Digitized by Google

Villalob. *tom.* 1. *tractat.* 27. *clauſ.* 13. *nu.* 10.

58 Dixi etiam, poſſe diſpenſare Commiſſarium ad retinendum Beneficia, & fructus cum his, qui poſt contractam irregularitatem Beneficia acceperunt. Quippè, qui poſt Beneficium habitum contrahit irregularitatem, non ammittit ipſo iure Beneficium, nec fructus. Ita Innocent. *cap. cum noſtris, de conceſſione præbendæ*: Abbas *ibi num.* 22. Rebuffus *cap. poſtulaſti, not.* 4. *num.* 186. Vgolinus *de irregularit. cap.* 65. *num.* 2. Suar. *de cenſur. diſp.* 40. *ſec.* 2. *num.* 5. Auila *vbi ſup.* Villalob. *tract.* 21. *difficult.* 2. *num.* 9. Vndè non indiget is diſpenſatione vlla ad retentionem Beneficij, & fructuum. Quòd ſi ex ſententia iudicis Beneficio priuaretur, poſſet retinere fructus iam adquiſitos. At quia Beneficium datur propter officium, vt commune fert proloquium, ſi aliquod officium ſit annexum Beneficio præter recitationem Officij diuini, ſufficiet, per alium ſatisfeciſſe ei Officio, & muneri, dum quis erat irregularis, & diſpenſationem impetrare conabatur: ſi autem omiſit illud munus, nec per alium ei ſatisfecit, poterit ſibi reſeruare fructus, qui correſpondent recitationi Officij diuini, & tenetur reſtituere fructus correſpondentes muneri, quod omiſit, taxandos iuxta qualitatem, & laborem muneris. Quòd ſi diſpenſationem nequiret impetrare, tenetur omittere Beneficium, cum non poſſet ei deſeruire.

59 Ex doctrina adhuc tradita infero primò, poſſe Commiſſarium diſpenſare in irregularitate proueniente ex mutilatione membrorum: etenim, vt notant Rodriguez *vbi ſuprà num.* 6. & Trullench *dub.* 2. *num.* 2. Licèt in iure homicidium voluntarium, & mutilatio æquiparentur, *Clementin. vnic. de homicid.* hoc tamen eſt in ordine ad producendum irregularitatis effectum, non verò in ordine ad diſpenſationem, Vnde Tridentinum concedens Epiſcopis facultatem diſpenſandi in omnibus irregularitatibus ex occulto delicto prouenientibus, excepto homicidio voluntario, cenſetur concedere ad irregularitatem prouenientem ex mutilatione, vt docent Nauarrus, & Rodriguez citati à Trullench. Et ratio eſt, quia minus delictum eſt mutilatio, quàm homicidium: ergo ablata facultate ad diſpenſandum in eo, quod maius eſt, non aufertur ad diſpenſandum in eo, quod minus eſt, præcisè per illam ablationem. Vnde Commiſſario non aufertur facultas diſpenſandi in irregularitate orta à mutilatione, ex eo quòd auferatur ad diſpenſandum in irregularitate orta ex homicidio voluntario.

60 Infero ſecundò, non poſſe Commiſſarium diſpenſare in irregularitate cum Neophytis, hoc eſt, in adulta ætate conuerſis, & baptizatis. Quippè hæc irregularitas, licèt ſupponat eos in alia ſecta extitiſſe ante baptiſmum, tamen directè non impoſita eſt propter delictum; ſed quia recens conuerſus in ætate adulta, novuſque Chriſtianus minùs decenter ex ſe ad ſacros Ordines, & Beneficia Eccleſiaſtica promoueretur, ad quod, opus eſt, eſſe quem vitæ probatæ, fidei firmæ, & maturæ virtutis. Ideò irregularitas non durat perpetuò in Neophytis, ſed vel ad arbitrium Epiſcopi, vt tenent P. Filliucius *tom.* 1. *tractat.* 20. *cap.* 9. *nu.* 240. Diana 4. *part. tract.* 2. *reſol.* 50. vel ad ſummum decem annis poſt baptiſmum, vt docet Gaſp. Hurtad. *de irregularit. diſput.* 2. *diffi.* 19. *num.* 61.

61 Infero tertiò, poſſe Commiſſarium diſpenſare in irregularitate proueniente ex bigamia, quæ non eſt talis, niſi iuris fictione, & ex bigamia ſimilitudinaria, quia procedunt ex delicto, & Commiſſarius facultatem habet diſpenſandi in omni irregularitate orta ex delicto, exceptis quibuſdam ſæpè repetitis: in quibus non includuntur hæ, de quibus nunc agimus: ergo, cum hæ ex delicto proueniant, poterit in illis diſpenſare. Huius ſententiæ ſunt Rodriguez *in Bull. in addition. ad* §. 13. *n.* 3. Villalob. *tr.* 27. *clauſ.* 13. *num.* 8. Diana 1. *p. tr.* 11. *reſol.* 115. *ad medium*: Ludouic. à Cruc. *in expl. Bull. diſp.* 1. *cap.* 9. *dub.* 7. *nu.* 11. Contrarium tenet Trullench *in Bull. lib.* 2. §. 3. *dub.* 1. *num.* 7. non rectè citans pro ſe P. Henriquez *lib.* 7. *de indulg. cap.* 13. nam *ibi nu.* 5. vbi agit de irregularitatibus, in quibus poteſt Commiſſarius diſpenſare, ſolum ait, Commiſſarium diſpenſare poſſe in illis, quæ ex delicto proueniunt, non in aliis, vt non poteſt cum bigamo. In quo ſupponit, bigamiam eſſe veram, aut interpretatiuam, quæ ſine delicto datur, non verò hanc, de qua nos in præſenti tractamus.

62 Vt autem illatio poſita manifeſtiùs clareat, id obiter dixerim, bigamum eſse, qui ſucceſſiuè duplex contrahit matrimonium validum cum duplici fœmina virgine: quæ eſt bigamia vera: vel vnicum matrimonium cum fœmina non virgine, quæ eſt bigamia interpretatiua. De quibus variæ quæſtiones, & opiniones videantur collectæ in ſumma Dianæ, *verbo Irregularitas ex defectu.* Bigamus ergo eſt irregularis ex defectu ſignificationis, vt aiunt: quia non contractum fuit ab illo matrimonium aptum ad ſignificandam coniunctionem Chriſti cum Eccleſia: quæ eſt vnica eius Sponſa, ac virgo à nullo aliquo ſponſo turpata, ſeu cum nullo alio coniuncta. Vnde bigamia prædicta, etſi eum defectum habeat, non tamen includit delictum, ſine quo contrahitur irregularitas.

63 Aliam finxit ius bigamiam, quæ nec vera,

Digitized by Google

vera, nec interpretatiua eſt, ſed à iure ficta, nempè, cum quis, ſuperſtite vxore, cum alia contrahit fictum matrimonium: vel mortua vxore, contrahit cum alia, cum qua non poteſt ob impedimentum dirimens. Ex hac bigamia, vt communiùs docetur, incurritur irregularitas: eſtò eam negauerit Diana, videatur ſumma ipſius *vbi nuper*, & aliqui alii. Adhuc eſt alia bigamia ſimilitudinaria, ſcilicèt dum quis initiatus ordine Sacro, aut Profeſſus in Religione, vel poſt vota biennij in Societate Iesv, contraheret fictum, ſeu inualidum matrimonium cum fœmina: indeque prouenit irregularitas: *capit. quotquot*, 27. *quæſt.* 1. *cap.* 1. *qui clerici, vel vouentes.* An verò ſit opus ad contrahendam hanc irregularitatem à ſæcularibus Ordine Sacro initiatis, quòd contrahant cum fœmina iam deflorata, vel ſufficiat cum virgine, vt ſufficit in præfatis Religioſis, conſulantur Turrianus, Hurtado, & alij adducti à Diana 4. *part. tract.* 1. *reſol.* 39. Conſtat ex his, bigamiam à iure fictam, & ſimilitudinariam prouenire ex delicto, vnde poterit in eis irregularitatibus, quæ naſcuntur exindè, diſpenſare Commiſſarius.

64 Sed ait Trullench, Commiſſarium ſolùm poſſe diſpenſare in irregularitatibus prouenientibus ex delicto per ſe, non per accidens: irregularitas autem in præfatis bigamiis prouenit ex delicto per accidens, & per ſe ex defectu Sacramenti, & ſignificationis. Contrà primò, quia hæc eſt reſtrictio facultatis fauorabilis, quæ potiùs eſt amplianda, maximè cum ad oppoſitum non eſt ſufficiens fundamentum. Contrà ſecundò, quia in prædictis bigamiis cum non detur matrimonium, nec datur ſignificatio, aut defectus ſignificationis, vt ait Bonacina *de cenſur. diſput.* 7. *quæſt.* 2. *punct.* 5. *numer.* 8. Hinc aſseruit *vbi ſuprà* Diana cum P. Auila, & Nauarro, qui ſic deciſum fuiſſe in Sacra Pœnitentiaria teſtatur, laicum, qui ſemel contrahit cum vnica fœmina; ſed inualidè, etiam ſi conſummauerit matrimonium, & illa non eſſet virgo, non contrahere irregularitatem: nam tunc non fuit locus defectui ſignificationis. Quare non ex hoc defectu; ſed potiùs ex delicto contrahi irregularitatem in bigamiis prædictis, eſt dicendum, & impoſitam ratione delicti, non defectus ſignificationis, eſtò ob quandam ſimilitudinem nomen bigamiæ ad eos caſus fuerit tranſlatum. Nec inficiari valet Trullench, noſtram opinionem, ſaltem ob authoritatem extrinſecam eſſe probabilem, poſſeque Commiſsarium ei ſe conformare, ac diſpenſare.

65 Infero demùm, ſicut delicta, ex quibus oriuntur irregularitates, ſunt plura, & in grauitate inæqualia, ita debere Commiſſarium inæquale eleemoſynæ onus in diſpenſationibus iniungere ad Cruciatæ ſubſidium, vt pro qualitate delicti minuatur, aut creſcat compoſitio. Quod ita in praxi præſtatur: & in inſtructione, quam mittit Commiſſarius ſuis Subdelegatis in Indiis, de qua *diſp. ſeq.* aſſignat taxam eleemoſynæ accipiendam in his diſpenſationibus, augendo illam, cum delicta ſunt grauiora: & quia cuilibet delicto, non facile eſt, ſpecialem proportionare taxam, ideò, ſub duplici deſignatione eleemoſynæ in ea inſtructione omnes hæ diſpenſationes includuntur.

CAPVT VI.

In cuius homicidij irregularitate nequeat diſpenſare Commiſſarius Generalis Cruciatæ?

66 EX verbis Bullæ Latinæ *præcedenti capite* appoſitis conſtat Commiſſarium Generalem non poſſe diſpenſare in irregularitate proueniente ex homicidio voluntario. Sed quia non vno modo ea irregularitas contrahitur, videndum eſt, an denegetur facultas ad diſpenſandum in qualibet? Homicidium aliud eſt voluntarium, in ſe directè volitum, ac ex intentione, & propoſito patratum: aliud eſt caſuale, quod iterùm ſubdiuiditur in fortuitum, & omnino inuoluntarium: ac in illud, quod in ſe directè non intenditur, eſt tamen aliquo modo in ſua cauſa volitum: vt, ſi famulus, cui præcepit dominus, vt hominem verberaret, aut fuſtibus cæderet, illum occideret, tunc dominus diceretur homicida: aut ſi quis ſe defendendo, non intendens occidere, excederet modum iuſtæ defenſionis, & occideret: aut demùm ſi pater, vel magiſter excedentes modum caſtigationis iuſtæ occiderent filium, ſeu diſcipulum.

67 Machado *tom.* 1. *lib.* 1. *part.* 3. *tract.* 16. *docum.* 7. enumerat cum aliquibus Authoribus inter homicidia caſualia, ſi quis in rixa, quæ repentè ſuboritur, alium occideret, adhuc intendens occiſionem, dum tamen antecedenter ad rixam animum occidendi non habuiſset. Sed vt ait P. Suarez *de cenſur. diſp.* 44. *ſec.* 1. *numer.* 3. in fin. hæc nimia ampliatio & extenſio eſt: nam homicidium caſuale eſt, quod non fit ex propoſito: hoc eſt, ex voluntate occidendi: in caſu autem præſenti ille homo directè habet occidendi voluntatem, quæ ſtat cum contentione repentè ſuborta.

68 In irregularitate contracta ex homicidio perfectè voluntario nequit Epiſcopus diſpenſare, vt conſtat ex Trident. *ſeſ.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* Nec item Commiſſarius Cruciatæ, vt liquet ex verbis Bullæ allatis *c.* 5. quæ ſaltem id negant. Ex homicidio caſuali

Digitized by Google

caſuali omnino fortuito, & minimè volito non contrahitur irregularitas, cum in eo non detur delictum. Ex homicidio autem caſuali indirectè, ac in cauſa volito irregularitas oritur. Et in hac poſſe Epiſcopum in foro conſcientiæ diſpenſare docent communiter Authores, id ex verbis Tridentini *vbi ſuprà* colligentes.

69 In hac etiam irregularitate cenſeo; poſſe Commiſſarium in vtroque foro (cum non limitetur forum à Pontifice, ſicut limitatur Epiſcopo à Tridentino,) diſpenſare. Ita docent Rodriguez *in explic. Bull. in addit. ad* §. 13. *num.6*. Villalob. 1. *part. tr.* 27. *clauſul.* 12. *num.* 7. Diana 1. *part. tract.* 11. *reſol.* 112. Trullench *in expoſ. Bull. lib.* 2. §. 3. *dub.* 2. *num.* 2. Suadetur. Nam vbi excipitur à Pontifice facultas diſpenſandi in irregularitate ex homicidio voluntario, debet intelligi de homicidio perfectè voluntario: ergo in irregularitate ex homicidio caſuali, non tollitur facultas, vt Commiſſarius diſpenſet. Probatur antecedens: tum quia voluntarium abſolutè non dicitur, quod eſt indirectè dumtaxàt voluntarium: & cum hæc facultas diſpenſandi ſit priuilegium, ac gratia, non in ſenſu ſtricto; ſed amplo debet intelligi: eſſetque reſtrictio, ſi extenderetur exceptio ad homicidium caſuale: tum quia Epiſcopus, cui etiam negatur facultas diſpenſandi in irregularitate ex homicidio voluntario, poteſt diſpenſare, ſi homicidium ſit caſuale: eademque ratio militat reſpectu Commiſſarij, nempè quòd homicidium caſuale non comprehenditur ſub nomine homicidij voluntarij.

70 An ex homicidio omnino occulto, quod probari nequit, incurratur irregularitas: rursùs an eam contrahat is, qui dedit cauſam abortui dubitans, vtrùm eſſet animatus fœtus, diſputant latè Authores, P. Th. Sanchez *tom.* 1. *mor. lib.* 1. *c.* 10. Barboſ. *in collect. ad c. ad audientiam, de homic. num.* 15. Caſtro *de leg. pæn. lib.* 2. *cap. vlt. concl.* 3. In vtroque dubio communior, & verior ſententia eſt affirmatiua. Poterit igitur in his irregularitatibus Commiſſarius diſpenſare, quando homicidium non fuerit directè in ſe volitum.

71 In Societate IESV poteſt Præpoſitus generalis diſpenſare cum ſubditis in irregularitate contracta ex homicidio voluntario, dum non fuerit notorium: imò abſque limitatione conceſſa eſt ei poteſtas diſpenſandi in quacumque irregularitate quavis occaſione contracta, in foro conſcientiæ. Conſtat ex Compendio priuilegiorum Societatis, *verb. Diſpenſatio*, §. 5. *&* 6. Cæteri autem Superiores Societatis diſpenſare poſſunt cum ſubditis in omnibus irregularitatibus in foro conſcientiæ, præterquàm in contractis ex bigamia, homicidio, mutilatione membrorum, & enormi ſanguinis effuſione. Conſtat *ibid.* §. 6.

CAPVT VII.

De irregularitate ex ſimonia prouenienté, in qua Commiſſario generali denegatur facultas diſpenſandi.

72 SImoniacus in Beneficio non incurrit irregularitatem, vt defendit communior, ac verior ſententia. Simoniacum verò in Ordine contrahere irregularitatem, tuentur Couarr. Sotus, Syluest. Angel. Cordou. & alij, quos affert, & ſequitur Rodrig. *in explic. Bull. in addit. ad* §. 13. *numer.* 8. Quorum ſententiam ſecutus Pontifex denegat Commiſſario facultatem diſpenſandi in eiuſmodi irregularitate, & reualidandi titulum Beneficij ſimoniacè accepti, ac præſtandi compoſitionem ſuper fructibus illius. In quo ſupponitur irregularitatem immediatè ex ſimonia prouenire.

73 Cæterum ſimoniacum in Ordine non incurrere irregularitatem, verior mihi ſententia eſt, quam docet P. Suar. *de cenſur. diſp.* 43. *ſec.* 4. Villalob. & Diana, quos refert, & ſequitur Trull. *in Bull. lib.* 2. §. 3. *dub.* 2. *numer.* 4. P. Henriq. *lib.* 7. *de indulg. c.* 13. *n.* 5. cum aliis, quos citat *in gloſ. litt. D.* Machad. *tom.* 2. *lib.* 4. *part.* 5. *tract.* 1. *doc.* 2. *nu.* 5. Etenim hæc irregularitas non extat in iure: nec pœnæ extendendæ ſunt vltra ſtatutum in iure poſitiuo. Aliæ quidem pœnæ decretæ ſunt contra ſimoniacos, quæ videri poſſunt apud Trullench *vbi nuper à n.* 3. Et apud Me *in ſtatera opinionum benignarum diſſert.* 1. *n.* 300.

74 Hinc opus non eſt diſpenſatione, nec Pontificis, nec alterius. Ab excommunicatione autem, & ſuſpenſione, quæ propter ſimoniam contrahitur, iuxta doctrinam generalem traditam in ſuperioribus, poterit Confeſſor approbatus virtute Bullæ abſoluere. Quòd ſi ſimoniacus excommunicatus celebret, fiet irregularis, eoquòd cenſuram violauerit. At poterit Commiſſarius diſpenſare in ea irregularitate, quæ non ex ſimonia; ſed ex praua Ordinum executione immediatè dimanauit, iuxta dicta *c.* 5. & conſequenter valebit reualidare titulum Beneficij, fructus componere, & infamiam indè ortam abolere. Hæc namque facultas, vt conſtat ex ipſis verbis Bullæ *ſuprà* allatis, conceditur Commiſſario reſpectu eorum, in quorum irregularitate contracta propter malam Ordinum, executionem poteſt diſpenſare. Quod intelligendum eſt de ſimoniaco in Ordine. Quippè, ſi in Beneficio ſimoniacus ſit, inhabilis remanet, vt illud retineat: & Commiſſarius nequit hanc inhabilitatem

Digitized by Google

inhabilitatem tollere, cum non extet facultas ad id in Bulla à Pontifice ei conceſſa. Pontifex quidem poteſt eam tollere, vt cum communi affirmat P. Leſſius *de iuſt. lib. 2. c. 35. dub. 25. n.* 140. At, ſi ſimonia non fuerit confidentialis, & ſit occulta, atque inſcio beneficiario, patrata, poſſe Epiſcopum eam tollere, docet Trullench *ſup. n.* 15. Communior tamen, & quæ in praxi ſeruatur, eſt ſententia contraria, vt tuentur Leſſius *lib. 2. c. 35. dub. 25. num.* 140. Zerola *p. 2. verſ. Simonia, dub.* 15. Reginald. *lib. 23. c. 12. ſect. 4. n.* 186. & alij.

CAPVT VIII.

De cæteris irregularitatibus ex delicto prouenientibus, in quibus nequit Commiſſarius generalis Cruciatæ diſpenſare.

75 DEnegat Pontifex Commiſſario facultatem diſpenſandi in irregularitate contracta propter hæreſim, aut apoſtaſiam à fide: nempè externam: nam propter merè internam nulla pœna contrahitur. Propter hæreſim, aut apoſtaſiam à fide publicam incurri irregularitatem, nullus dubitare valet: ſiquidem propter eas contrahitur infamia, ſcilicèt opinio praua de vita, & moribus alicuius, & ſaltem hoc titulo inducitur irregularitas, quæ in iure infamibus eſt indicta: ſiuè infamia ſit facti, ſiuè iuris. Conſulantur Bonac. *de cenſur. diſp. 7. q. 3. p. 1. à nu.* 4. Garcia *de benef. part. 7. c. 8. n.* 44. Nauarrus *in man. cap. 27. n.* 204. & alij paſſim.

76 Attamen ex apoſtaſia à fide, aut hæreſi occultis an contrahatur irregularitas, valdè controuertitur inter Authores. Contrahi, tuentur Marchin. *de Sacram. Ord. tr. 1. p. 8. c. 2.* P. Suar. *de cenſur. diſp.* 43. *ſect. 1. n.* 4. P. Thom. Sanch. *t. 1. moral. lib. 2. c. 24. n.* 2. Caſtro, Canus, Mancius, & alij apud Rodrig. *in explic. Bull.* §. 13. *num.* 4.

77 At non contrahi irregularitatem, defendunt apud ipſum Rodriguez *ibidem* Sotus, Medina, Cordoua, quibus ipſe aſſentire videtur Cornejo *in 3. part. tr. 5. de irregular.* P. Henriquez *lib. 7. de indulg. cap.* 13. *n.* 5. cum aliquibus quos, affert *in gloſ. litt. D.* Auila *de cenſur. p. 7. diſp. 4. dub.* 2. Sayrus, P. Sa, & alij, quos citant, & ſectantur Diana 1. *p. tr. 11. reſol.* 104. *&* 4. *part. tr. 2. reſol.* 46. ac Trullench *in expoſit. Bull. lib. 2.* §. 3. *dub. 2. n.* 16.

78 Fundatur hæc ſententia, quæ mihi probabilior apparet, in eo, quòd nullibi in iure ea irregularitas eſt expreſſa: & eſtò ea contrahatur ob hæreſim publicam, tamen ideò eſt, quia hæreſis publica impingit infamiam, ac contra infames irregularitas in iure ſtabilitur: *cap. infames, 6. q. 1. c. qui in aliquo, diſt. 51. c. ap. teſtes, 2. q. 7. reg. penult. de reg. iur. in 6.* Quæ ratio non militat in hæreſi occulta ex qua non oritur infamia.

79 Nec obſtat Clementem VIII. in Bulla ſpeciali, quæ incipit, *Cum ſit*, conceſſiſſe ſacræ Fidei Quæſitoribus, vt in irregularitate contracta ex hæreſi diſpenſare queant; vbi ſupponit, eam dari irregularitatem: Quippè vel loquitur Clemens de irregularitate proueniente ex hæreſi publica: vel ſequitur opinionem noſtræ contrariam, & iuxta eam concedit facultatem diſpenſandi in irregularitate contracta adhuc ex hæreſi occulta.

80 Hic aduerte, ſi ea irregularitas contrahatur ex oculta hæreſi, poſſe Epiſcopum in ea diſpenſare iuxta conceſſionem generalem ei factam in Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 6. de reformat.* Et licèt nequeat abſoluere ab hæreſi, de quo *in ſuperioribus*, tamen ſtat facultas diſpenſandi in irregularitate ex delicto occulto, quæ non eſt reuocata, cùm impotentia abſoluendi à delicto. Aduerte deindè, ſi hæreticus occultus, qui propter hæreſim excommunicationem incurrit, celebret, fieri irregularem, & in hac irregularitate proueniente ex violatione cenſuræ poſſe Commiſſarium diſpenſare iuxta dicta *cap. præcedenti.*

81 Denegat demùm Pontifex Commiſſario poteſtatem diſpenſandi in irregularitate contracta ex mala Ordinum ſuſceptione. Plures irregularitates deſignantur ab aliquibus Authoribus ex præfata ſuſceptione, quæ ab aliis negantur. Eas breuiter attingemus. Prima eſt, ſi quis ſuſcepit Ordines ab Epiſcopo, qui iam renunciauerat Epiſcopatui, quoad locum, & dignitatem. At ab eo non contrahi irregularitatem; ſed ſuſpenſionem, conſtat *ex cap. 1. de ordinato ab Epiſcopo, qui &c.* Et docet P. Filiuc. *tom. 1. tract. 20. num.* 190. Secunda, ſi quis ligatus cenſura Ordines ſuſcepit. Verùm hæc etiam eſt ſuſpenſio: *cap. cum illorum, de ſent. excom. cap. 1. de eo, qui furtiuè, &c.* Tenet Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. 2. part. allegat. 47. numer.* 2. Tertia, cum quis initiatur Ordine ab Epiſcopo alieno, abſque licentia proprij. Hanc tamen ſolùm eſſe ſuſpenſionem, probatur ex Bulla Pij V. quæ incipit: *Sanctum, & ſalutare.* Tueturque Suarez *de cenſur. diſp. 42. ſect.* 3.

82 Quarta, ſi irregularis Ordines ſuſcipiat. At hunc deponendum eſſe, & non contrahere pœnam alterius irregularitatis, colligit ex iure Villalob. *tom. 1. tract. 21. diffic.* 12. Quinta, ſi quis ordinetur ab Epiſcopo irregulari, aut cenſura ligato. Sed hanc non eſſe irregularitatem, defendit cum communi Trullench *in expoſ. Bull. libr. 2.* §. 3. *dub. 2. numer.* 18. Sexta, cum quis Ordines ſuſcipit per fraudem, ſeu furtiuè, hoc eſt, non approbatus ab Epiſcopo, ſeu alium ſuo nomine

Digitized by Google

nomine ad examen intromittens. Hanc niſi in ſuſceptione Diaconatus, non eſſe irregularitatem, probat Bonacin. *de cenſur. diſp.7. q.3. p.4. num. 6.* Septima, ſi initietur quis ab Epiſcopo non baptizato, aut non conſecrato. Hanc contra Maiolum non admittunt Authores. Videatur Machad. *tom.1. lib.1. p.3. tr. 6. doc.3. n.5.* Octaua, cum quis eumdem Ordinem bis ſuſcipit. Sed hanc non eſſe irregularitatem tuetur Marchinus *de Sacram. Ordin. tr.1. p.4. c.3. n.9.*

83 Nona, ſi quis ab Epiſcopo omnino idiota ordinetur. Quam nullatenus admittit P. Suarez *vbi ſup.* Decima, ſi publicus peccator Ordines ſuſcipiat. Idem Suarez *nu.4* hanc reſpuit, quippè ille ob infamiam eſt irregularis, non ob ſuſceptionem Ordinum. Vndecima, cùm quis ordinatur ab Epiſcopo diuerſi idiomatis, aut à duobus Epiſcopis, quorum vnus formam, alter materiam ſuppeditet. At ex his irregularitatem non incurri, tuetur cum communi P. Filliucius *vbi ſuprà numer.* 203. Duodecima, ſi quis ante Sacramentum Confirmationis ad Ordines accedat. Sed hæc non admittitur à Marchino *vbi nuper numer.6.* cum communi. Decimatertia, cùm quis ante legitimam ætatem, aut per ſaltum, vel extra tempora, ſeu non ſeruatis interſtitiis, ſuſcipit Ordines. Quam non eſſe irregularitatem; ſed ſuſpenſionem, tenet cum aliis. P. Henriquez *lib.7. de indulg. cap. 13. numer.5.* Decimaquarta, ſi quis exercet Ordinem, quo non eſt initiatus: aut ſi ſæcularis actum Ordinis exequatur, ſeu quis adminiſtret Sacramenta abſque Ordine requiſito. Diana 4. *p. tractat.2. reſol. 56.* licèt non audeat recedere ab opinione affirmatiua, tamen ait, aliquibus videri probabile, adminiſtrantem Sacramenta abſquè debito Ordine non fieri irregularem. Probabile, addit, eſſe, laicum exercentem Ordinem non contrahere irregularitatem.

84 Aſſentior Authoribus negantibus prædictas irregularitates: quia nemo cenſendus eſt irregularis, niſi ſit expreſſus in iure, & odia ſunt reſtringenda: cùm igitur illæ non ſint in iure expreſſæ, non debent admitti. Hinc non eſt opus diſpenſatione in illis: ſi verò in aliqua eſt opus, nequit à Commiſſario præſtari. In ſuſpenſionibus autem non eſt neceſſaria diſpenſatio; ſed abſolutio, quam Confeſſarius virtute Bullæ poteſt impertiri.

CAPVT IX.

De facultate Commiſſarij Generalis Cruciatæ ad diſpenſandum, poſt contractum matrimonium inualidè, in primo, & ſecundo gradu affinitatis ante matrimonium ex fornicatione prouenientis, & ad reualidandum eiuſmodi matrimonium.

85 VErba Bullæ Latinæ ſunt: *Ac (nullis datis litteris, ſeu per Confeſſores laceratis,) cum his, qui primo, & ſecundo affinitatis ex fornicatione contractæ gradibus coniuncti matrimonium contraxerunt, dummodò, ſi poſt Concilium Tridentinum, illius formam ſeruauerint, ac impedimenta huiuſmodi penitùs occulta ſint, & alter contrahentium tempore contracti matrimonij impedimenti ignarus extiterit, vt altero, ita vt prædicitur, impedimentum ignorante de nullitate prioris conſenſus priùs certificato, tacitaque ſi videbitur, cauſa nullitatis, matrimonium inter ſe etiam ſecretè, de nouo contrahere, in foro conſcientiæ dumtaxàt, ſi ad euitanda grauia ſcandala diſpenſandam iudicauerit, diſpenſare, prolemque ſuſceptam, & ſuſcipiendam exindè legitimam decernere. Necnon etiam in ſuperueniente ſimili affinitatis impedimento, ſimiliter diſpenſare, vt debitum petere poſſint.* In hoc, & ſequenti duplici capite hæc verba expediemus.

86 Conſtat ex Trident. *ſeſſ. 24. cap. 4.* affinitatem contractam ex copula illicita in primo, & ſecundo gradu dumtaxàt, eſſe impedimentum impediens, & dirimens matrimonium. Siquis ergo contraxit matrimonium cum fœmina, cuius erat affinis in promo, aut ſecundo gradu, eoquòd copulam habuerit cum conſanguinea illius in primo, vel ſecundo gradu, id matrimonium abſque diſpenſatione initum eſt inualidum. In præſenti autem datur Commiſſario poteſtas diſpenſandi in eo impedimento, & reualidandi matrimonium, dum adſint conditiones ſequentes.

87 Prima eſt, diſpenſationem ſolummodò valituram in foro conſcientiæ, non in externo: atque adeò, ſi impedimentum publicetur, neceſſariò adeundus erit pro diſpenſatione Pontifex, ceſſatque illicò vis diſpenſationis à Commiſſario præſtitæ, quare nequibunt coniuges vti matrimonio, donec diſpenſatio impetretur. Hinc Commiſſarius non debet indulgere hāc diſpenſationem corā tabellione, & teſtibus; ſed ſecretò per verba, aut per litteras, quę Confeſſario tradantur, & ab ipſo, poſtquam eas legerit, dilacerentur. Quòd ſi Commiſſarius eſſet cauſa publicationis impedimenti, teneretur præſtare expenſas pro diſpenſatione à Pontifice obtinenda.

88 Secunda

88 Secunda eſt, quòd in eo matrimonio à Commiſſario reualidando, quando fuit contractum, ſeruata fuerit forma à Tridentino præfixa: (iam enim non ſuperſunt coniuges, qui ante Tridentinum contraxerint: nec datur Commiſſarius Cruciatæ in Prouinciis, in quibus non eſt acceptum Tridentinum:) ſcilicèt vt celebratum fuerit coram Parocho, & teſtibus; quòd denuntiationes in Eccleſia præceſſerint, niſi ex iuſta cauſa Epiſcopus in illis diſpenſauerit: quæ forma habetur in Tridentin. *ſeſſ.* 24. *cap.*1. *de reformat.* Vndè, ſi malitioſè fuiſſent omiſſæ deuuntiationes, nequiret Commiſſarius diſpenſationem prædictam præbere. Secùs eſſet, ſi bona fide eſſent omiſſæ: nam tunc non daretur iniquitas, temeritas, & contemptus ſolemnitatum Eccleſiæ, quibus non vult fauere Pontifex, dum negat Commiſſario poteſtatem diſpenſandi, caſu quo non fuerit forma Tridentini ſeruata.

89 Tertia eſt, quòd impedimentum, in quo diſpenſandum eſt, ſit occultum. Sumitur autem occultum, provt à publico condiſtinguitur: & à nobis *in ſuperioribus*, quid nomine occulti intelligatur, ſat fuit expoſitum. Quarta, quòd iam ſit contractum matrimonium: quare nequit diſpenſare in eo impedimento Commiſſarius, antequam matrimonium contrahatur. Quinta, quòd ex matrimonij diſſolutione timeantur grauia ſcandala; quæ ſanè communiter timeri queunt. Sexta, quòd vnus ex coniugibus bona fide, & impedimenti ignarus contraxerit. Vltima, quòd is certior fiat de nullitate prioris conſenſus, & ambo iterum inter ſe occultè contrahant elicientes de nouo conſenſum. Non autem erit opus declarare ignoranti, quodnam impedimentum interceſſerit: imò ſi fœmina ante matrimonium copulam habuit cum conſanguineo viri in primo, vel ſecundo gradu, omninò diſſimulandum erit impedimentum, ne fœmina apud virum notata maneat cum periculo vitæ. Quo caſu prudens Confeſſarius modum excogitet, quo conſenſus vtriùſque reualidetur: nempè fœmina inter blanditias dicat viro, ſe propter pudorem, aut ignorantiam non elicuiſſe legitimum conſenſum, quando matrimonium contraxerunt, atque adeò opus eſſe, vt vterque de nouo conſentiat. In quo mendacium illa non proferet, ſiquidem conſenſus ille non fuit ſufficiens ad matrimonium ratione impedimenti, atque adeò non legitimus.

90 Quid tamen dicendum, ſi aliter coniux, qui copulam habuerat, ex qua impedimentum dimanauit, adeò ignarus ſit, vt impedimentum non callueri, & bona fide contraxerit; alter verò illud nouerit, & mala fide matrimonium inierit? Reſpondeo, ſi præſumptioni innitendum ſit, non poſſe Commiſſarium diſpenſare: quia tunc vnus ſupponitur mala fide contrahens, & id ipſum de altero præſumitur, nempè videtur, illum, qui copulam habuit, non potuiſſe ignorare impedimentum. Quòd ſi conſtet, re vera eum ignoraſſe impedimentum, cenſeo, poſſe Commiſſariũ diſpenſare: quia ei datur ad diſpenſandum poteſtas, dummodò alter contrahens bona fide proceſſerit, quin exprimatur, quiſnam ex contrahentibus eam bonam fidẽ fuerit habiturus: quamvis, vt cõmuniter accidit, ea bona fides extare ſupponatur penes coniugem, qui copulam non habuit. At reipſâ eſt eadem ratio, ſi penes vnum, aut penes alium bona fides ſit reperta: ſcilicèt quòd ex parte vtriuſque malitia non interceſſerit.

91 Nota in præſenti primò, gradum affinitatis primum, ac ſecundum ſumendum eſſe quomodolibet, ſeu in linea recta ſeu in tranſuerſali, nullus enim excipitur: & cũ Pontifex poſſit in quolibet diſpẽſare, totam ſuam poteſtatem Commiſſario concedere, eſt iudicandum, ſiquidem eam non reſtringit. Nota ſecundò, Epiſcopum poſſe diſpenſare in eo impedimento, ſi detur vrgens neceſſitas. An verò in eo, & aliis poſſit diſpẽſare adhuc antè initum matrimonium, vrgẽtiſſima neceſſitate id poſtulante: & an cum diſpenſat in impedimẽto, de quo adhuc, neceſſarium ſit, alterum coniugem certiorem fieri, conſulantur P. Th. Sanch. *lib.*2. *de matr. diſ.*36. *&* 40. P. Henriq. *lib.*2. *de matr. c.*3. Tota ferè doctrina huius capitis cõmunis eſt inter Authores. Videantur Ioan. de la Cruz *in direct. caſ. p.*2. *tr. de matr. ar.*6. *dub.*12. *conc.*4. Villalob. *t.*1. *tr.*27. *clauſ.*13. *n.*11. Fernand. *in exam. Theol. p.*3. *c.*9. §.20. Machad. *tom.*2. *lib.*4. *p.*5. *tr.*1. *doc.*3. Trullench *in Bull. lib.*2. §.4 *dub.*1. vbi refert Dian. Rodrig. Ludouic. à Cruce, P. Henriq. & alios.

CAPVT X.

De poteſtate, quam habet Commiſſarius Generalis Cruciatæ ad legitimandam prolem ſuſceptam, & ſuſcipiendam ex matrimonio, quod contractum fuit inualidè ratione impedimenti affinitatis ex fornicatione prouenientis.

92 EX verbis Bullæ allatis *initio capitis præcedentis* conſtat, poſſe Commiſſarium legitimare prolem conceptam ex matrimonio, de quo *ibi* egimus, quæ illegitima erat ante diſpenſationem, cum matrimonium eſſet nullum, per ipſam verò diſpenſationem, poſtquam validè contrahebatur, conſequenter proles ſuſcipienda legitima ſit. Hæc legitimatio iuxta omnes Authores prodeſt ad Ordines ſuſcipiendos, & obtinenda

Digitized by Google

obtinenda Beneficia. Ad ſuccedendum in bona temporalia etiam prodeſſe hanc diſpenſationem, cenſent P.Henriq. *lib.7. de indulg. c.13. n.5.* Trullench *in Bull.lib.2. §.4. dub.2.n.2.* Eſtò P. Thom. Sanchez *lib. 8. de matr. diſp.6. n.25.* & Vilalob.*tom.1. tract.27. clauſ.13.n.12.* contrarium ſentiant: quamvis iudicent, ex alio capite poſſe filios ex eo matrimonio ſuſceptos in bona ſuccedere, nempè quia habiti fuerunt ex matrimonio, licèt irrito; ſed bona fide contracto.

93 Sed contra primò, quia à Pontifice abſolutè conceditur ea poteſtas Commiſſario ad legitimandam prolem, quin reſtringat, quòd legitimet quoad actus ſpirituales, non temporales. Contrà ſecundò, quia poteſt contingere, vt bona fides initio matrimonij habita ceſſauerit ante diſpenſationem, & tunc filij concepti fuerint, qui, ſi legitimatio facta à Commiſſario non valeat, non poterunt ſuccedere in bona paterna, ſi ſtetur rationi aduerſantium. Contrà tertiò, quia ſi Epiſcopus, aut alius Comiſſarius Cruciatæ diſpenſaſſent in impedimento eius matrimonij, quin legitimaſſent, poſſet alius Commiſſarius eos quoad omnia legitimare, quia diuerſæ ſunt actiones, & per diuerſos exerceri queunt: ergo Commiſſarius non ſolùm declarat, eos filios eſſe legitimos, vt vult P. Thom. Sanch. ſed poteſtate ſibi commiſſa eos legitimos reddit. Aliàs nec eſſet actus eiuſmodi poteſtatis legitimatio quoad Ordines, & Beneficia; ſed eſſet ſolùm declaratio.

94 Inter has duas ſententias mediam eligo: & cenſeo, eam poteſtatem conceſſam Commiſſario vim habere quoad legitimationem, tàm ad actus ſpirituales, quàm temporales, cùm proles non fuit concepta bona fide, vt in ſecunda impugnatione libauimus; ſi verò bona fides præceſſerit, non habere vim eam poteſtatem, eoquòd neceſſaria non ſit. Probatur: nam in *cap. ex tenore 14. Qui filij ſint legitimi*, declarat Innocentius III. prolem bona fide in matrimonio præſumpto conceptam eſſe legitimam: ergo, vbi bona fides datur, non eſt opus legitimatione Commiſſarij: at è contrario, vbi non datur, neceſſaria erit, cùm nullo alio iure proles mala fide concepta legitimetur. Quo ſoluuntur argumenta vtriuſque ſententiæ, qua parte aduerſantur.

CAPVT XI.

De facultate præſtita Commiſſario Generali Cruciatæ ad diſpenſandum, vt poſſit petere debitum is, qui poſt initum matrimonium affinitatis impedimentum contraxit.

95 EXtat etiam hæc facultas in verbis Bullæ allatis *c. 9. num. 85.* Quoties igitur quis cum conſanguinea vxoris ſuæ (vel è contrà,) in primo, aut in ſecundo gradu habet carnalem copulam, contrahit indè affinitatem cum ſua vxore, & licèt ei poſſit reddere debitum, nequit tamen illud petere. Conceditur ergo Commiſſario poteſtas à Pontifice, vt diſpenſet in eo, quòd poſſit debitum petere. Eandem facultatem diſpenſandi habet Epiſcopus. Et in Societate IESV per communicationem priuilegij Fratrum Minorum indulti à Pio V. die 27. Septembris anno 1569. poſſunt Prouinciales, & Confeſſarij, quibus illi commiſerint, eam diſpenſationem impertiri. Conſtat ex *Compend. priuileg. Societ. verbo Diſpenſatio, §.8.* Admonerique debet pœnitens, vt, ſi coniugi ſit ſuperſtes, iterùm ne contrahat abſque diſpenſatione impedimenti inceſtus impedientis, ſi eo loco voluerit contrahere, vbi illud non fuerit conſuetudine legitimè abrogatum.

96 Eandem diſpenſationem poſſe concedere Superiores aliorum Religionum & Confeſſarios ab eis deputatos, docet Lezana *tom.1. verbo Affinitas, num.4.* Cæterùm id impedimentum inceſtus, ſicut, & alia impedimenta criminis impedientis matrimonium contrahendum, eſſe per conſuetudinem diuturnam ſublata, docet Coninch *de Sac. diſp.30. dub.3. n.25.* Diana *3. part. tr.4. reſol.259.* Alij dicunt, non impedire niſi præceſſerit ſententia declaratoria iudicis. Ita Palacios *in 4. diſt.34. diſp.2.* Simancas *lib. 1. inſtit. Catholic. t.9. n.202.* Videatur P. Thom. Sanch. *lib.7. de matr. diſp.15.*

97 Hic animaduerte cum Trullench *in Bull. lib.2. §.4. dub.3.* contra Rodriguez, & Villalob. & cum P. Th.Sanch. *lib.8. de matr. diſp.15. num.13.* non poſſe Commiſſarium diſpenſare ad petendum debitum in impedimento cognationis ſpiritualis, quando vir, aut vxor abſque neceſſitate filium baptizauit. Quippè poteſtas ad diſpenſandum in hoc impedimento nec conceditur Commiſſario à Pontifice, nec includitur in ea, quæ conceditur, & neceſſaria non eſt, vt illa ſuum effectum ſortiatur, ſed diſparatè ſe habet. Vndè, etſi ſi minor poteſtas, non tamen ideò cenſetur conceſſa, & quamvis eam habeat Epiſcopus, non ideò habet Commiſſarius, cum in poteſtate, vt non ſemel annotauimus, habeāt ſe

Digitized by Google

ſe tanquam excedens, & exceſſum. Quo occurritur fundamentis contrariis.

CAPVT XII.

De poteſtate Commiſſarij Generalis Cruciatæ concedendi priuilegium perſonis nobilibus, vt per horam ante lucem, & per horam poſt meridiem Miſſam audire queant, & celebrari faciant.

98 SIc extat in Bulla Latina: *Item etiam conceditur facultas dicto Commiſſario, quod perſonis nobilibus, & quæ iuxta ipſius Commiſſarij arbitrium qualificatæ fuerint, vt Miſſas per horam ante lucem, & poſt meridiem audire, & celebrare facere valeant, indulgere poſſit.* Supponendum eſt ex Rubricis Miſſalis, & Summiſtis *verbo Miſſa*, non licere, inchoari Miſſam poſt meridiem, (etſi ante inchoata poſſit finiri, niſi ex iuſta cauſa Epiſcopus diſpenſet: aut Sacerdos itinerans nequiuerit antè celebrare: aut die ſolemni poſt Miſſam celebriorem, Sacerdos aliquis non celebrauerit, & plures, aut aliqui Miſſam non audiuerint. Quibus caſibus vna hora, & non ampliùs poſt meridiem licet inchoare Miſſam. Rurſus ante auroram non poteſt celebrari, ſaltem finiri Miſſa: nam poſſe antè inchoari, dum eius finis ſit ſub initium auroræ, tuetur Victoria relatus à Trullench *in Bull. lib.* 2. §.5. *dub.* 3. *n.* 3.) niſi de licentia Epiſcopi, aut ſi Sacerdos ſit iter facturus, aut operarij ad laborem licitum profecturi Miſſam audire debeant, vel ad communicandum infirmum morti proximum: quæ licent abſque facultate Epiſcopi, ſi abſens ſit. Aurora autem eſt crepuſculum primum diei, quod, diuerſis anni temporibus, plus, aut minùs antecedit Solis ortum: atque adeò, cùm non poſſit hora apta ad Miſſam celebrandam mathematicè, ſed moraliter deſignari, ait P. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. q.* 83. *art.* 2. *diſp.* 80. *ſect.* 4. poſſe celebrari Miſſam vna hora, & dimidia ante Solis ortum.

99 Commiſſarius autem poteſt concedere facultatem, vt vna hora poſt meridiem Miſſa incipiatur, & vna hora ante crepuſculum celebretur, quare duabus horis, & dimidia ante Solis ortum poterit de eius licentia celebrari. Hanc facultatem concedere valet perſonis nobilibus, arbitrio ipſius Commiſſarij Nobiles verò cenſentur non ſolùm, qui re vera tales ſunt; ſed qui, vt tales, in publica æſtimatione iudicantur. Quòd ſi Sacerdotes ſint, poterunt de licentia Commiſſarij celebrare: nam, cum poſſint facere, vt alius celebret Miſſam, quam ipſi ea hora audiant, ipſi etiam, ſi Sacerdotes ſint, celebrare valebunt, iuxta doctrinam generalem, quòd is, qui facultatem aliis poteſt concedere, poteſt & ſibi. Cæterùm qui eiuſmodi facultatem à Commiſſario habeat, poterit ea vti etiam tempore interdicti, & in Oratorio, ſi Bullam communem viuorum acceperit, cum priuilegia ad vtrumque ex hac facultate Commiſſarij, & ex ea Bulla dimanent.

Mendo in Bull. Cruciat.

CAPVT XIII.

De facultate Commiſſarij Generalis Cruciatæ ad conuertendum Bullam Latinam in vulgare idioma Prouinciarum, in quibus publicatur.

100 VErba Bullæ Latinæ ſunt: *Cæterùm vt omnibus pateſiat hoc præſens ſummarium, de Latino idiomate in vulgari lingua iuxta ritus Prouinciarum, vbi publicatio facienda erit, non mutata illius ſubſtantia, ac præmiſſo aliquo conuenienti, ac pro præſentium temporum conditione idoneo proœmio, conuerti, additis etiam nominatim pro ſingulorum notitia diebus ſtationis totius anni intra, & extra muros huius Almæ vrbis, ipſorum Commiſſarij, & deputandorum arbitrio imprimi.*

101 Æquiſſimo iure hæc facultas Commiſſario indulgetur à Pontifice, vt fideles omnes, etiam Latinæ linguæ ignari, legere, & intelligere queant priuilegia, ac gratias in Bulla conceſſas, vt ſic eis gaudeant, & vtantur. Quare Commiſſarius facultate hac vtens vertit in linguam vernaculam Bullam Latinam, ex ea depromens Bullam communem viuorum, Compoſitionis, & Defunctorum, ac demùm ex priuilegio ad lacticinia edenda à Sacerdotibus non Regularibus Bullam Lacticiniorum pro illis, etiam vernacula lingua, conflat. Quòd præſtatur in ſingulis Regnis, ac Prouinciis, in quibus eſt Commiſſarius.

102 Subſtantia autem Bullæ Latinæ in verſione non debet mutari, vt non ſemel decurſu Operis annotauimus. Non tamen integrè tota Bulla Latina in vulgares transfertur: quia in eis ſolum apponuntur priuilegia, & gratiæ, quibus gaudere queunt fideles, qui eas accipiunt; non verò alia, quæ de facto eis non conceduntur, quia penes Commiſſarium remanet poteſtas ad eorum conceſſionem, qualia ſunt, quæ *hac diſputatione* continentur, quorum conſcij Confeſſarij poterunt pœnitentes hortari, vt cum aliqua ex his facultate indigeant, impetrent à Commiſſario, erogata eleemoſyna, quam ipſe deſignauerit ad belli ſubſidium contra Infideles. Singulis quoque annis in noſtra Hiſpania, cùm in Bulla Cruciatæ publicatur, in edictis Commiſſarij plures ex facultatibus, quibus ipſe gaudet, declarantur, vt

Digitized by Google

omnibus innoteſcant, & poſſint ad eum accedere: quas etiam Concionatores Bullæ debent populo declarare.

CAPVT XIV.

De facultate Commiſſarij Generalis Cruciatæ addendi prooemium, & deſignandi dies Stationum intra, & extra muros vrbis, quibus Indulgentiæ obtinentur, in ſummariis Bullæ vulgari lingua confectis.

103 EXtant hæ facultates in verbis Bullæ Latinæ *cap. præcedenti* allatis. Concedit Pontifex Commiſſario, vt in ſummariis Bullæ lingua vernacula tranſcriptis poſſit præfigere prooemium aliquod pro temporum opportunitate conueniens, quo ſignificet tum Sedis Apoſtolicæ largam benignitatem in conferendis gratiis, ac priuilegiis, quibus fideles foueantur: tum ipſarum gratiarum magnitudinem, vt alliciantur fideles ad eas obtinendas media acceptione Bullæ: tum demùm neceſſitatem publicam debellandi Infideles, & promouendum bellum contra ipſos, & his ſimilia, quæ à Pontifice non exprimuntur; ſed arbitrio Commiſſarij ſubiacent, qui eiuſmodi vtens facultate in ſingulis tranſumptis Bullæ prooemium apponit deſumptum ex Scriptura, aut SS. Patribus, & vnoquoque anno diuerſum præfigit, vt ſic plura dicantur ex his, quæ circa vtilitatem, neceſſitatem, & excellentiam priuilegiorum, quæ in ſingulis Bullis continentur, aſſeri iure optimo poſſunt.

104 Concedit præterea Commiſſario Pontifex, vt poſſit apponere in Summariis Bullæ nominatim dies Stationum, quibus intra, & extra muros Vrbis indulgentia obtinetur, quo poſſint accipientes Bullam certiores fieri dierum, quibus ipſi viſitando Eccleſias, aut altaria eaſdem indulgentias lucrari queunt. Quippè id conceditur à Pontifice in Bulla, & ab ipſo dies non deſignantur; ſed in communi profertur, vt latè tradidimus *diſput.*40. quòd erogantes in ſubſidium Cruciatæ eleemoſynam à Commiſſario taxandam, poſſint obtinere indulgentias eiuſmodi Stationum, media viſitatione Eccleſiarum, vel altarium. Hac poteſtate vtens Commiſſarius in calce Bullæ communis viuorum recenſet dies, quibus indulgentia plenaria obtinetur, ac dies, quibus anima à Purgatorio liberatur.

CAPVT XV.

An habeat poteſtatem Commiſſarius Generalis Cruciatæ ad concedendum Oratoria, in quibus Miſſa celebretur, in domibus priuatis.

105 ALphonſus Perez de Lara *in Compendio trium gratiarum pagin.* 275. affert verba deprompta ex facultatibus Commiſſarij Generalis, quas ipſe præcipit pupublicari, nempè: *Item, que podamos dar licencia para celebrar, y hazer decir Miſſa en Oratorio particular, ſiendo primero viſitado por el Ordinario.* Et *fol.* 59. affirmat ipſe, Commiſſarium habere facultatem à Pontifice, vt concedat, Miſſam celebrari in Oratorio priuato, & in altari portatili. Affert eius verba Trullench *in expoſ. Bull. lib.* 2. §. 5. *dub.* 3. *num.* 7. & *ibidem* aſſentitur eius dicto. Cæteri Authores, vt P. Henriquez, Villalobos, Rodriguez, Machado, Diana nihil de hac facultate proferunt, in Bulla Latina extat. Quod tamen non ſuadet oppoſitum, cum aliqua priuilegia conceſſa ſint Commiſſario à Pontificibus ſeorſim, & per alias litteras Apoſtolicas, quæ in eiuſmodi Bulla non continentur.

106 Cum ergo hæc poteſtas concedendi Oratoria in domibus priuatis, in quibus Miſſa celebretur, & item vſum altaris portatilis, non ſit contra ſubſtantiam Bullæ Latinæ & aliundè ipſe Commiſſarius Generalis aſſerat, ſe poteſtatem habere ad ea Oratoria concedenda, omnino cenſendum eſt, hanc poteſtatem penes ipſum eſſe. Temerè enim, & abſque fundamento iudicaretur oppoſitum, & in re grauiſſima fides negaretur tanto viro. Et quamvis in verbis, quæ attuli Hiſpano idiomate *num. præced.* non proferat Commiſſarius, ſe poſſe concedere vſum altaris portatilis, tamen Lara, qui res Cruciatæ ſedulò inueſtigauit, id affirmat, quod abſque dubio ex praxi, aut ex aliis verbis Commiſſarij, aut alia via certa cognouit: & in his, quæ non ſunt iuris; ſed facti, credendum eſt viro prudenti, rectè materiam exploranti.

107 Accedit primò pro ſtabilitate aſſerti, quod idem Lara *pag.* 60. ait: *Al Commiſſario General ſe le ha de creer, diziendo, que tiene facultad para la conceſſion que hiziere, ſin inſerir en ella las letras de ſu comiſſion, y facultad, y en todas las coſas y caſos de las dichas conceſſiones haze ſe ſu aſſercion, como ſi las letras de ſus facultades fueran inſertas de verbo ad verbum.* Quæ doctrina æquitati, & rationi valdè conſona eſt: durũ enim eſſet, ac prolixum, in quavis conceſſione litteras Apoſtolicas inſerere, quibus cõtinebatur poteſtas delegata ad eam

conceſſio

Digitized by Google

conceſſionem. Deinde is ſemper eſt, qui à noſtro Hiſpaniarum Rege eligitur, ac præſentatur in Commiſſarium Generalem Cruciatæ, & à Pontifice priùs prænoſcente ſufficientiam illius confirmatur, vt credendum ſit, non excedere poteſtatem ſibi delegatam in conceſſionibus, nec publicare aliquam, qua non gaudeat.

108 Accedit ſecundò, me à viris grauibus, & fide dignis, quos conſului, audiuiſſe, de facto Commiſſarium concedere præfata Oratoria, quod non præſtaret, ſi facultate careret. Non ſanè frequenter concedit; ſed vrgente neceſſitate, & Dynaſtis: in quo prudentiſſimè ſe gerit, vt vitentur incommoda, quæ ſolent reperiri ex eiuſmodi Oratoriis reſultantia, ſi frequenter, & abſque delectu concedantur, ac in pluribus priuatis domibus extent. Deinde ea etiam eſt Pontificis voluntas, quam Commiſſarius obſeruat, vt raró concedantur Oratoria, & de hoc inſtruxiſſe ſuum Nuntium Apoſtolicum, *in ſuperioribus* tradidimus.

109 Nec dici poteſt poteſtatem concedendi Oratoria, etſi Commiſſarius habuerit, fuiſſe à Pontifice reuocatam. Primò, quia de reuocatione facta non conſtat, nec datur fundamentum, vt reuocata cenſeatur. Secundò; quia eam poteſtatem à Commiſſario, proximo tempore, exerceri, audiui. Nec obſtat, poteſtatem huiuſmodi non legi in edictis Commiſſarij: nam dato, quòd ita contingat, non omnes facultates, quibus gaudet, debent in his edictis manifeſtari; ſed hæ, quibus communiùs populus indiget: conſultò autem forſan illa prætermittitur, ne iudicetur, Commiſſarium conceſſurum fore Oratorium cuilibet expoſcenti, & quia raró id eſt præſtiturus, conuenientius eſt, vt populo non manifeſtetur.

110 Aduertendum eſt tamen, Oratoria, quæ Commiſſarius conceſſerit, vt ipſe in verbis *ſuprà* relatis exprimit, viſitanda eſſe ab Ordinario, & approbanda, antequam in illis Miſſa celebretur, quam conditionem etiam apponit Nuntius Apoſtolicus, cum Oratoria concedit. Quippè expedit, vt Ordinarius per ſe, vel per alium, viſitet Oratorium, vt iudicet, an in loco apto, ac decenti ſitum ſit: an ornatum requiſitum habeat, & cætera, quæ ad celebrandam in eo Miſſam ſunt neceſſaria. Et hanc conditionem cenſeo adimplendam ita fore, vt aliàs conceſſio Oratorij non ſubſiſtat, ſi in conceſſione fuerit appoſita, vt aſſolet. Cæterùm poſt hæc ſcripta, rem iterum, & iterum examinaui; Quare videnda ſunt, quæ affero inferiùs *in tract. Appendic. diſp.5. cap.12.*

CAPVT XVI.

De facultate conceſſa Commiſſario Generali Cruciatæ ad ſuſpendendum, & reualidandum alias gratias, ac facultates, ad componendum bona incerta, & item debita propter omiſſionem recitationis Officij diuini: necnon ad taxandum eleemoſynam pro qualibet Bulla ab accipientibus erogandam, & demùm de aliis eiuſdem Commiſſarij facultatibus.

111 HAbet Commiſſarius Generalis Cruciatæ facultates omnes *in titulo huius capitis* appoſitas, de quibus nunc eſſet agendum, niſi *in ſuperioribus* latè fuiſſent expoſitæ, id methodo noſtri tractatus exigente. Quippè illæ extant in Bulla communi viuorum, & in Bulla compoſitionis, atque adeò, dum has Bullas verbatim explicauimus, de illis etiam facultatibus egimus, quæ in eiuſmodi Bullis exercitæ reperiuntur.

112 Igitur de facultate ſuſpendendi alias gratias, & reualidandi illas, dum Cruciatæ expeditionem aliquo modo impediant, tractauimus *diſput.* 29. Facultatemque hanc exercet Commiſſarius in Bulla communi viuorum, in qua ſuſpendit omnes gratias, ac facultates, iis exceptis, quæ Ordinibus Mendicantibus quo ad eorum Fratres conceſſæ ſunt: ac prætereà eaſdem, quas ſuſpendit, reualidat reſpectu illorum, qui eam Bullam acceperint.

113 De facultate componendi bona incerto domino debita, & rursùs bona, quæ reſtitui Eccleſiæ debent ab iis, qui percipientes fructus Eccleſiaſticos omiſerunt recitationem Horarum, ad quas tenentur, egimus *diſp.*32.33.*&* 34. Hanc facultatem Commiſſarius exercet in Bulla compoſitionis, quam expedit: ac prætereà, quia ſingulis annis nequeunt per Bullas componi niſi centies mille teruntij, penes ipſum Commiſſarium manet illimitata facultas ad maiorem ſine termino quantitatem componendam in Cruciatæ ſubſidium.

114 De facultate taxandi eleemoſynam erogandam ab accipientibus ſingulas Bullas diſcuſſimus *diſput.*14. Vbi oſtendimus, Commiſſarium vtentem hac facultate taxaſſe eleemoſynam erogandam pro Bulla compoſitionis, defunctorum, communi viuorum, & lacticiniorum pro varietate perſonarum eas accipientium. Alias facultates, ac priuilegia ſpecialia conceſſa à Pio IV. & Paulo III. habere Commiſſarium, teſtatur Alphonſus Perez de Lara *in compend. trium gratiar. pag.*61. quæ expoſitione non indigent, & vt plurimùm de eis *diſp. ſequenti* conſtabit.

Digitized by Google

PRAXIS CONCILII, ET TRIBVNALIVM SANCTÆ CRVCIATÆ.

DISPVTATIO XXXVIII.

Et vltima. De praxi Conſilij Supremi, & Tribunalium Sanctæ Cruciatæ.

Quamvis huius libri decurſu plura dixerimus, quæ hanc diſputationem concernunt, præcipuè in explicatione Facultatum Commiſſarij Generalis Cruciatæ, & Bullæ compoſitionis, tamen operæpretium duxi, aliqua alia percurrere, vt nihil penitùs deſideretur, & rectiùs dignoſcant miniſtri Cruciatæ, quomodò ſe gerere debeant, & cæteri, quo pacto cum illis ſe habere teneantur. De hac re nihil Expoſitores Bullæ Cruciatæ ſcripſerunt, præter Alphonſum Perez de Lara *in libro trium gratiarum.* Hiſpano idiomate confecto, ex quo, & ex accurata veſtigatione à me facta eorum, quæ tum in Tribunali Supremo Cruciatæ, tum in aliis inferioribus executioni mandantur, dicenda depromam.

CAPVT I.

De officio Commiſſarij Generalis Cruciatæ.

1 Commissarivs Generalis Cruciatæ eſt is, cui primariò committitur totum Cruciatæ negotium, & cui Pontifex iuriſdictionem delegat ad ea omnia, quæ ad expeditionem Cruciatæ ſunt neceſſaria in ſpiritualibus, & ſimul Rex Hiſpaniarum iuriſdictionem præbet ſæcularem ad omnia negotia concernentia Cruciatam, quæ ſæcularia ſunt, & inter ſæculares perſonas agitantur, ne defectu huius iuriſdictionis, eius forum declinetur. Eidem commiſſæ ſunt gratiæ, quas vocamus Hiſpano idiomate: *Subſidio, y eſcuſado*, de quibus *infrà*. Iuriſdictio, autem, quæ ei à Pontifice præbetur, delegata eſt, ſubdelegareque eam valet, vt de facto ſubdelegat Iudicibus inferioribus Cruciatæ in Hiſpaniæ dominio diſperſis. Præſidet item Senatui, aut Conſilio Cruciatæ, quod in Curia aſſiſtit, Supremumque eſt, ac Regium, quia ad ipſum ex inferioribus Tribunalibus appellatur, nullumque ſupra ipſum eſt, & aliundè Regiam iuriſdictionem habet, à cuius ſententiis ad nullum aliud ſæculare Tribunal appellari poteſt. Imò quando lis aliqua, è Tribunalibus etiam inferioribus Cruciatæ, ad Conſilium Regium Caſtellæ deuoluitur, vt declaret, verùm Iudices Cruciatæ vim inferant, ſolet Regius ille Senatus ad proprium Cruciatæ ſupremum Conſilium rem remittere: vt contigit, me exiſtente Salmanticæ, in lite verſante inter Iudices Cruciatæ, & vrbis Prætorem ſuper bonis cuiuſdam, qui ab inteſtato ſine hæredibus deceſſit, Prætorque excommunicatus fuit, & vrbs interdicta, cumque appellaret ad Regium Caſtellæ Senatum, vt decerneret, vim inferri à Iudicibus, ad Conſilium Cruciatæ fuit appellatio remiſſa, anno 1646.

2 Attamen, etſi Commiſſarius in ſuo Senatu præſideat; non tamen præſes nuncupatur: quia hoc nomen Præſidis ex communi acceptione ad res, atque Senatus ſæculares eſt tranſlatum, ideoque nullus propter Eccleſiaſticam dignitatem nomine Præſidis inſignitur: dignitas autem Commiſſarij præcipua eſt Eccleſiaſtica. Lara *pag.* 16. contendit hoc nomen Præſidis præferre faſtum, qui procul amandari curatur ab Eccleſiaſticis, eiſque nomen humilitatem præferens imponi, quod pluribus exemplis conatur oſtendere. Sed equidem, plus, credam, in acceptione communi hoc conſiſtere, ad idque attendiſſe eos, qui nomina indiderunt, nec etenim quid minus in ipſa adhuc voce concipimus, cum audimus Commiſſarij Generalis Cruciatæ titulum, quam ſi titulum Præſidis Cruciatæ audiremus. Idemque dico de Inquiſitore Generali cauſarum fidei, quem etiam non vocamus Præſidem: quod exemplum adducit Lara in confirmationem ſuæ coniecturæ. Longè aliter ſe habebat res exhordio naſcentis Eccleſiæ, in qua ait, Epiſcopos vocatos fuiſſe Presbyteros, & Pontificem ex tunc nuncupari ſeruum ſeruorum Dei: nam, præterquam quòd nomen Epiſcoporum tunc etiam erat vſitatum, quod paſſim conſtat, & inutile eſſet, probare: ſanè tunc munera Eccleſiaſtica cum minori pompa exteriori exercebantur, nec tantùm poterat

Digitized by Google

poterat authoritati tribui, quantum, creſcente Eccleſia, in eius maiorem cultum expenditur.

3 Commiſſarius Generalis potitur iiſdem prærogatiuis, ac priuilegiis, quibus Præſides cæterorum Senatuum in Crucia:tum in titulis ad vrbanitatem pertinentibus, tum in cultu, & apparatu externo. Ideò ſemper hoc munus fuit præſtitum viris vndequaque conſpicuis, quorum plures videri poſſunt apud Laram *pag.* 18. nec inferiores illis extitere ſequentes.

4 Ad Commiſſarium attinet, non ſolùm præſidere Conſilio Cruciatæ, ſuoque ſuffragio cum cæteris Senatoribus ſententias proferre, &, quidquid attinet ad Cruciatam, diſponere, & præcipere; vt *de curſu* conſtabit; verùm etiam ſeorſim à Senatu ipſo Cruciatæ gratias expedire, quæ ipſi ſunt à Pontifice commiſſæ: quare cum ipſo ſolo agendum eſt de compoſitione bonorum incertorum, de qua *diſp.* 32. & de diſpenſationibus; aliiſque, ad quæ facultatem habet, de quibus *diſput. præcedenti*: iuriſdictio enim ad has gratias expediendas perſonaliter à ſummo Pontifice committitur, vt conſtat ex Bulla Latina.

CAPVT II.

De perſonis, ex quibus Senatus Cruciata Conſtat.

5 QVia in Senatu Supremo Cruciatæ plura negotia ſunt ſæcularia, vt attigimus, & latiùs *infrà* dicemus, quæ Cruciatæ expeditionem concernunt, ideò Senatores apponuntur ſæculares, qui ſunt Aſſeſſores Commiſſarij Generalis in rebus, quæ per iuriſdictionem Regiam expediuntur, ideoque à Rege deſignantur, quin opus habeant confirmatione Pontificis. Poſſunt hi augeri, aut minui, provt neceſſitas, ſeu ratio aliqua poſtulauerit. Solent autem vnus, aut duo Senatores Conſilij Regij Caſtellæ, eſſe à Conſiliis Cruciatæ, in ordine ad res Regnorum Caſtellæ, quæ ad Cruciatam pertineant. Inſuper addi ſolet alius Senator Conſilij Regij Indici, qui in Senatu Cruciatæ adſit, ad ſtatuenda ea, quæ in Indiis ad Cruciatam attingunt. Prætereà alius Senator, ſeu Regens Conſilij ſupremi Aragoniæ ibidem adſtat, vt Aſſeſſor ſit in cauſis Cruciatæ, quæ ſe ſe offerunt in Regno Aragoniæ. Rursùs inuenitur ibi Fiſcalis Cruciatæ, nempè Aduocatus in fauorem Cruciatæ aduerſus eos omnes, qui aliquid aduerſus Cruciatam expoſcunt, aut delinquunt.

6 Plura decreta in Senatu Cruciatæ expediuntur, quæ nomine Regis notantur, ab ipſove ſubſcribuntur, quæ etiam Secretarij ſubſcribunt fidemvè in eis faciunt. In rebus Cruciatæ, quæ ad Regna Caſtellæ attinent, illud præſtat vnus ex his, qui ſunt à ſecretis Conſilij Regij, & Cameræ Caſtellæ. In illis, quæ ad Aragoniam pertinent, idem exequitur Secretarius Senatus ſupremi Aragoniæ. In his, quæ ad Indias, Secretarius Senatus Indici. Demùm in his, quæ ad Siciliam, & Inſulas adiacentes, Secretarius Regij ſupremi Senatus Italiæ. Et prætereà ſecretarius proprius ipſius ſenatus Regij Cruciatæ datur. Sunt prætereà in eodem Senatu duo Quæſtores, ſeu Rationales facultatum Cruciatæ; duo tabellarij ad res, quæ ad iuſtitiam ſpectant, & ad eas, quæ gratioſæ ſunt: Relator quidam litium ibi pendentium; quem Commiſſarius deſignat Aliique miniſtri, ac officiales, vt ſollicitatores, Æditnus, Receptor, lictores, ac ſimiles, mediis quibus exercentur Cruciatæ negotia. Singulis hebdomadis, tribus diebus, ſcilicet feria tertia, feria quinta, & Sabbatho, ad Senatum veſpere conuenitur, duæque horæ vnoquoque ex illis diebus in negotiis Cruciatæ pertractandis impenduntur in ipſis Commiſſarij Generalis ædibus.

7 In Prouinciis ditionis Hiſpanæ, in quibus Bulla valet, conſtituuntur à Commiſſario iudices ſubdelegati, qui tribunal Cruciatæ conſtituunt; pertractantque nogotia occurrentia in territorio, in quo exiſtunt: communiterque ſunt in omnibus Eccleſiis Cathedralibus, & in aliquibus Collegiatis, Abbatiis, & Prioratibus: treſque iudices in vnoquoque tribunali ſolent eſſe præter miniſtros, & officiales ad expedienda negotia requiſitos. In Indiis etiam eodem modo res ſe habet: & prætereà in Peruano Regno, & in Noua Hiſpania verſantur Commiſſarij Generales ſubdelegati Commiſſarij prædicti, in locis, vbi ſunt Audientiæ Regiæ: & ad eos appellatur ab inferioribus ſubdelegatis: ab eis verò ipſis ad Commiſſarium Generalem Hiſpaniarum. In his etiam tribunalibus inferioribus dies ſunt deſtinati ad res peragendas, quæ ad ipſa attinent. Et qui Cruciatæ officiales ſunt, gaudent aliquibus priuilegiis, ratione quorum à non exiguis aliorum ſæcularium oneribus redduntur immunes. Iuriſdictio autem qua potiuntur omnes ſubdelegati, communicatur eis à Commiſſario Generali, qui ex conceſſione Pontificis poteſt illam ſubdelegare. Non autem ſubdelegat ad gratias, quas ipſe elargiri valet. Ea autem iuriſdictio eſt Eccleſiaſtica, qua poſſunt ferre cenſuras, alioſque actus exercere conducentes ad ſui muneris exercitium. Quare non niſi perſonis Eccleſiaſticis ſubdelegari valet: communiterque ad hoc munus eliguntur. Dignitates, ſeu Canonici Eccleſiarum, qui præditi ſint ſcientia, ac doctrina, qualis iudices decet. Quæ

Digitized by Google

autem perſonæ debeant eſſe hi, quibus ſubdelegat Commiſſarius iuriſdictionem, decernitur *in l.12.tit.10.lib.1.Recopil.cap.2.*

CAPVT III.

De rebus, quæ in Senatu ſupremo Cruciatæ pertractantur, & in tribunalibus inferioribus.

8 AGitur in primis in ſupremo Cruciatæ Senatu de omnibus, quæ ad Cruciatæ expeditionem attingunt: ac de bonis obeuntium ab inteſtato: item & de bonis inuentis, quorum dominus non comparet; de quibus etiam in tribunalibus inferioribus pertractatur, dum ad eorum territoria pertineant. Præterea in eo Senatu ſupremo cognoſcitur de cauſis, quæ illuc per appellationem à iudicibus inferioribus Cruciatæ feruntur: & de his, in quibus litigantes contendunt, inferri ſibi violentiam, aut iniuriam à prædictis iudicibus inferioribus. De quibus cauſis etiam agnoſcunt in Indiarum Regnis Commiſſarij Generales ſubdelegati; ſed ab his, vt aſſerui, ad Commiſſarium Generalem Hiſpaniæ poſſunt negotia deuolui ob eaſdem cauſas, ob quas poſſunt à iudicibus inferioribus Cruciatæ in Hiſpania noſtra conſtitutis. Quæ autem ad Cruciatæ expeditionem ſpectent, ex dictis, & dicendis conſtabit.

9 In Conſilio etiam ſupremo Cruciatæ agitur de ſubſidio, cuius cognitio ad Commiſſarium etiam deuoluitur, cui commiſſa eſt executio huius gratiæ, medioque illo ſubſidium ad Regem peruenit. Eſt autem ſubſidiũ quoddam auxilium pecuniarum, quod Pontifices conceſſerunt Hiſpaniarum Regi ex omnibus redditibus Eccleſiaſticis quorumcumque, ſiuè Regularibus, ſiuè ſæcularibus, & ex Ordinibus etiam Militaribus Diui Iacobi, Calatrauæ Alcantaræ, & Monteſæ: quod ſubſidium recipitur ex Hiſpaniæ (comprehenſa etiam Catalaonia) Cerdaniæ, & Canariarum Eccleſiis: quin ab illo ſint exempta niſi xenodochia exercentia hoſpitalitatem, ſupremæ dignitates, ſeu Magiſtri, ſeu quæ vulgò appellamus, *Maeſtrazgos*, Ordinum Diui Iacobi, Alcantaræ, ac Calatrauæ: & penſiones, quibus potiti fuerint S.R.E. Cardinales in Eccleſiis Hiſpaniæ. Determinatur autem quantitas ab Eccleſiaſticis tribuenda à Summo Pontifice, & quolibet quinquennio hanc gratiam Pontifices renouant ab anno 1560. Et æqua diſtributione, cum proportione, & reſpectu ad redditus vniuſcuiuſque Eccleſiaſtici, aut Communitatis ſubſidij quantitas diſtribuitur perſoluenda. Quam diſtributionem Procuratores Eccleſiarum Cathedralium deſignant, cum ad Congregationem in Curia mittuntur ab Eccleſiis.

10 Primitùs hoc ſubſidium conceſſum fuit, vt ſexaginta triremes in mari Mediterraneo inſtruerentur, omniaque neceſſaria militantibus in eis ſuppeditarentur, vt ſimul cum aliis quadraginta triremibus Regiis bellum aduerſus Turcas, ac Infideles gererent, & maria tuta ab hoſtibus, & pyratis ſeruarent. Poſteà verò Clemens VIII. in Breui expedito die 12. Aprilis, anno 1601. declarauit, Regem ſatisfacere ſuæ conſcientiæ, ſi, quas poſſet, triremes hoc ſubſidio inſtrueret: illudque liberè poſſe impendere in bello contra quoſcumque Infideles, & in ſuorum Regnorum defenſione. Qui de ſubſidio hoc plura dignoſcere velit, legat Laram *in compendio trium gratiarum, lib. 2. à pag. 1.* Nobis enim non incumbit, de eo pleniùs tractare, cum ſuffecerit, qualemcumque prælibaſſe notitiam ad propoſitum inſtitutum. Solùm noto, etiam in tribunalibus inferioribus Cruciatæ peragi cauſas ad ſubſidium ſpectantes in ſuis territoriis.

11 Demum in Senatu ſupremo Cruciatæ, (quod idem præſtatur in tribunalibus inferioribus reſpectu locorum, ad quæ iuriſdictio ipſorum extenditur,) pertractantur negotia attinentia ad aliud auxilium pecuniarum, quod Hiſpanè vocamus *Eſcuſado*: quod etiam Eccleſiaſtici Regi Hiſpaniarum perſoluunt. Igitur Pius V. in Breui expedito Romæ, die 12. Maij, anno 1571. primus hanc gratiam conceſſit; quam ſingulis quinquenniis ſequentes Pontifices renouant, ac confirmant. Indulgent igitur, vt ex decimis omnibus, quæ fideles perſoluerent, in vnaquaque Parochia reſeruarentur Regi decimæ, illius, qui pinguiores decimas ex vberioribus fructibus eſſet ſoluturus. Itaque ponamus, in quadam Parochia eſſe centum parochianos, & ex his Petrum v.g. ditiores fructus ex ſuis facultatibus reportare: hic non Parochiæ; ſed Regi, decimas erat oblaturus, &, quia hic excuſabatur à perſoluendo illas Parochiæ, vt traderet Regi, nuncupabatur excuſatus: indeque vox vulgaris *Eſcuſado* impoſita eſt huic gratiæ, ſeu prouentui conceſſo per illam. Quia verò non facilè poterat hæc res executioni mandari per eiuſmodi reſeruationem, Eccleſiæ, earumvè nomine Procuratores, concordiam, ac diſtributionem perfecerunt, qua hi, qui decimas ſibi vendicant, cum proportione reſpectiua perſoluant certam quantitatem pecuniariam: ita vt ex omnibus aggregetur ea quantitas, quæ taxata eſt pro valore omnium prouentuum ex eiuſmodi decimis ad Regem pertinentibus euenientium: quare iam nullus excuſatur à perſoluendo decimas Eccleſiæ, ſeu aliis, quibus perſoluere tenebatur,

Digitized by Google

tur, cum præfatam quantitatem ipſi, quibus decimæ obueniunt, reddant. Inde hoc auxilium nuncupaui pecuniarium, quia licèt priùs in ipſa conceſſione conſtaret ex decimis, quæ ſanè ex frugibus terræ, ac pecorum perſoluuntur, iam verò ex pacto, & concordia Eccleſiarum ad certam quantitatem pecuniariam eſt redactum.

12 Occaſio conceſſionis huius gratiæ fuerunt noua bella in Flandria erumpentia ex rebellantibus, vt Rex noſter poſſet eos debellare, ſuppeditato ei hoc non exiguo emolumento ad ſumptus militiæ. Ipſe tamen Pius V. paulò poſt in Breui expedito Romæ, die 20. Septembris, anno 1571. indulſit, vt etiam bello aduerſus Turcas valeret hic prouentus inſumi. Perſoluunt autem illum omnes Eccleſiæ, imò & Religiones, etiam D. Hieronymi, ac D. Bernardi, (quæ exprimuntur, ne ſpecialia priuilegia, quibus fruuntur, in excuſationem prætendant,) & quævis aliæ Communitates Religioſæ virorum, aut fœminarum: necnon Ordines Militares, & Equites, vel Regulares illorum: item Academiæ; Collegia, & quævis loca pia, non obſtantibus quibuſlibet priuilegiis: vt conſtat ex Breui Gregorij XIII. expedito die 25. Nouembris, anno 1578. Omnes ergo perſonæ, & Communitates ſupradictæ perſoluunt Regi præfatam quantitatem ipſis deſignatam, dum tamen decimas reportent, & quovis titulo ad eos huiuſmodi decimæ perueniant. Qui enim non fruuntur vllis decimis, ſeu fructibus prouenientibus ex decimis, nihil perſoluere coguntur: nec eis aliquid in diſtributione facta ab Eccleſiis fuit deſignatum: aliàs iniuſta deſignatio eſſet, reclamareque poſſent, nec ad ſolutionem tenerentur. Tenentur etiam perſoluere pro rata hoc auxilium pecuniarium quicumque ſæculares, qualibet etiam dignitate, tituloque honorifico præditi, qui ob aliquod indultum potiuntur decimis, aut ſeorſim, aut cum aliis, quâvis decimæ proueniant ex terris, quæ olim in ditione Maurorum extiterunt, eiſque conceſſæ fuerint decimæ ad remuneranda, ſeu reſtauranda damna ſibi aut ſuis maioribus illata in eiuſmodi terrarum amiſſione, & recuperatione. Ita conceſſit Pius V. in Breui dato die 4. Martij, anno 1572.

13 Eximuntur autem à perſoluendo hoc donatiuo, ſeu auxilio omnes fructus, qui tempore Sedium vacantium ad Cameram Apoſtolicam pertinent, ex quibus ad id nulla pars eſt deducenda. Prætereà nihil eſt depromendum ex decimis, quas percipiunt quilibet ex Ordine Militari S. Ioannis in Hyeruſalem. Demum iuxta Breue Gregorij XIII. expeditum die 24. Iulij, anno 1573. libera eſt ab hac ſolutione quælibet penſio, quam Eminentiſſimi Cardinales ſuper Beneficia habeant: ita tamen, vt ea pars, quę inde Regi eſſet prouentura, diſtribuatur inter cæteros, qui præfatam quantitatem ex concordia, & diſtributione Eccleſiarum perſoluunt.

14 Ab ipſo exordio huius conceſſionis, & in eadem Bulla, Pius V. conceſſit executionem illius Illuſtriſſimo D. Fr. Bernardo de Freſneda, Epiſcopo Conchenſi, tunc Commiſſario Generali Cruciatæ, eiuſque ſucceſſoribus in hoc munere idem eſt delegatum. Et Gregorius XIII. in litteris datis die 15. Octobris, anno 1572. conceſſit Commiſſario Generali, vt auxilio brachij ſæcularis vti poſſet, ſi aliquis perſoluere renueret. Aduertendum hic eſt, non obſtante appellatione reſiſtentium, ad ſolutionem tam ſubſidij, quam huius donatiui, ſeu auxilij, quòd appellamus *Eſcuſado*, procedi, & ex quibuſcũque bonis debitum accipi, dummodò non accipiantur calices, ornamenta, libri Eccleſiaſtici, nec alia vlla res ad vſum, ac exercitium diuini cultus ſpectans, vt prçcauetur in ipſa Bulla conceſſionis ſubſidii: & abſolutè ad quoſvis contingentes caſus cautum iam in iure erat, *Clementin. fin. de Decimis*: Valencin. *de charitatiuo ſubſidio q. 15. num. 3. & q. 88. nu. 4.* Vbi agit, quęnam res diuinis Officiis dicantur deputatę, & quod non poſſunt accipi etiam à volentibus ipſa dare: de quo prçcipuè tractat *q. 89 & 92.* De hoc vltimo ſubſidio, ſeu, vt ita loquar excuſato, lege Alphonſum Perez Lara *vbi ſup. à pag. 49.*

CAPVT IV.

De priuilegiis Commiſſarij Generalis, & miniſtrorum ſanctæ Cruciatæ.

15 EX Bulla ipſa Latina conſtat, Commiſſarium Generalem Cruciatæ non poſſe in iudicio conueniri, niſi ante Summum Pontificem: eiuſque miniſtros ante nullum alium, niſi ante Commiſſarium, ſuper rebus ad ſua munera pertinentibus. Imò olim in tribunalibus Cruciatæ cognoſcebatur de omnibus cauſis ciuilibus, ac criminalibus miniſtrorum; ſed hoc limitatum fuit ad ſolas Cruciatæ cauſas per *leg. 10. cap. 5. titul. 10. lib. 1. Recop.* Quæſtori prætereà Cruciatæ, quocumque acceſſerit, hoſpitium gratis debet præſtari, dum negotiis Cruciatæ incumbat, ex decreto Regis Philippi III. expeditio Pintię die 15. Septembris, anno 1603. & alio Deniæ, die 24. Ianuarij, anno 1604. Rursùs Adminiſtratoribus Cruciatæ non poſſunt vlla munia, ſeu officia committi à iudicibus, populis, aut eorum gubernatoribus. Ita conceſſit prudens Philippus II. Toleti, die 12. Septembris, anno 1560. Nec poſſunt

Digitized by Google

poſsunt ad Militiam mitti, etiam cum hoſtis imminet. Nec tenentur hoſpitium præbere militibus; qui ſolent per domos diſtribui:ſicut nec vllis alijs aduenis hoſpitibus. Nec poſſunt ab eis, etiam ad tempus auferri currus,equi; aut aliæ beſtiæ oneribus portandis idoneæ.Ita indulſit ſuo decreto Philippus II. Madridij, die 8.Ianuarij, anno 1590. Et extat *in l.* 14. *tit.* 1. *lib.* 1. *Recopil.*

16 Tenentur quicumque iudices, aut Gubernatores oppidorum præſtare auxilium fauorem, & ad periculoſa itinera auxiliarem manum his,qui occuppantur in comparandis facultatibus, quæ pertinent ad Cruciatam, ad ſubſidium, & ad excuſatum: vt præcepit Philippus II. in Sancti Laurentij Regio cœnobio, die 4. Auguſti, anno 1567. Qui alio decreto dato Madridij, die 22. Septembris, anno 1583. conceſſit, vt Prædicatores Sanctæ Cruciatæ in quodlibet oppidum ingredi queant, admittique debeant: nec poſſint reiici, etiam prætextu adhibitò, quòd ſuſpicio ſit peſtis, ratione cuius cæteri aduenæ reiiciuntur.

17 Præter priuilegia, & facultates, quæ conceſſæ ſunt à Pontificibus Commiſſario Generali, & adhuc permanent, olim diuerſi Pontifices diuerſas facultates pro limitato tempore Commiſſariis conceſſerunt, quæ afferuntur à Lara *in compendio trium gratiarum*, *lib.* 1. *à pag.* 61. Nunc autem poteſt Commiſſarius Generalis ſubdelegare Commiſſarios, vbicumque ei expediens videbitur.Item deſignare,ſeu creare Notarios ad res Cruciatæ. Prætereà procedere aduerſus quoſlibet, qui prædicauerint indulgentias ex his,quæ per Bullam Cruciatæ ſuſpenduntur, aut eas promulgauerint, ſeu eis vſi fuerint publicè, & contra rebelles, inobedientes,& quovis modo contradicentes.Rurſùs compellere Quæſtores,& Adminiſtratores Cruciatæ, vt muneris ſui, & facultatum Cruciatæ rationem exactè reddant.

18 Valet adhuc ipſe Commiſſarius per cenſuras, & alia iuris remedia compellere teſtamentarios, ſeu executores teſtamentorum, tabelliones, aut quoſvis alios, apud quos extent teſtamenta, codicilli, aut quævis inſtrumenta publica pertinentia ad Cruciatæ emolumentum, vt ea exhibeant, manifeſtaque faciant. Habetque Commiſſarius plenam, liberam, & generalem poteſtatem, ac iuriſdictionem ad executionem omnium, quæ in Bulla Cruciatæ continentur, & ad apponenda omnia media neceſſaria, ac vtilia, vt ea executio perficiatur. Cæterùm cauſas pendentes ante Commiſsarium Generalē,eiuſque ſubdelegatos,ſi fortè aliquando tempus publicationis Bullæ finiretur,poſsent illi adhuc finire, ac determinare.

19 Vt autem vitentur ſumptus eorum, qui aliquas gratias impetrauerint à Commiſsario Generali, & eius ſubdelegatis, Pontifex conceſſit, vt in litteris, ſeu teſtimoniis; quæ expedientur, eiuſmodi gratiarum, non ſit opus inſerere commiſſionem, & litteras Pontificias, ex quibus conſtet facultas ad eas gratias expediendas; ſed ſtandum eſſe ſimplici aſsertioni, ac declarationi Commiſsarij, non ſecùs, ac ſi facultates à Pontifice conceſsæ de verbo ad verbum in præfatis teſtimoniis inſererentur. Præter hæc omnia, poteſt Commiſsarius deſignare concionatores Bullæ Cruciatæ ſæculares, aut Regulares, cuiuſcumque Ordinis, etiam Mendicantes, quotquot iudicauerit neceſſarios, eoſque amouere, alioſque ſubſtituere in eorumdem locum. Quod olim præſtare poterat, independenter à Prouincialibus Ordinum; ſed iam ita eſt limitatum, vt debeat eos ab eiuſmodi Prouincialibus efflagitare. Et per *leg.* 12. *titul.* 10. *lib.* 1. *Recopil.* cauetur, ne Clerici ſæculares, qui ad hoc munus prædicandi Cruciatam aſsumuntur, alij eſse poſſint, niſi qui præbendas Magiſtrales, ad concionandum inſtitutas, in Eccleſiis Cathedralibus, aut Collegiatis obtinent.

20 Demum valet Commiſsarius Generalis aſsumere quaſcumque pecunias, quas populi,Communitates,aut Confraternitates habent deſtinatas ad ſumptus conuiuiorum, & feſtorum, ac eas applicare ad ſumptus belli contra Infideles. Quod tamen limitatum eſt per *leg.* 4. *tit.* 10. *lib.* 1. *Recopil.* ita vt Commiſsarius nequeat in vſum Cruciatæ aſsumere pecunias, quas ex propriis facultatibus expendunt oppida, vel Confraternitates in ludos publios, aut ſimilia iuxta eorum vota, aut conſuetudinem. Quare prima facultas Commiſsarij ſolùm poterit exerceri circa aliqua bona, quæ oppida, & Confraternitates non erogent ex ſuis;ſed aliundè ad eos fines aduenjant, vel ex eleemoſyna,vel ex legato,aut aliquo ſimili.Quod etiam, credo, in praxi non eſse.Plura ex his priuilegiis in ipſa Bulla Latina contenta *ſuperius* expoſuimus.

CAPVT V.

De cenſuris latis à Summis Pontificibus in fauorem Sancta Cruciata.

21 IN ipſa Bulla præcipit Pontifex omnibus fidelibus Chriſtianis, vt inter ſe ſyncera vnione, ac concordia fœderentur. Quòd ſi bellum inter ipſos ſit, iubet, vt tempore publicationis Bullæ firment inuiolabilem treugam, vt, depoſitis armis, quibus ſeſe inuicem

Digitized by Google

inuicem debellant, iniurijſque obliuioni daris, fortius atque robuſtiùs armentur aduerſus Infideles, Criſti D. acerrimos hoſtes: excommunicatque omnes, qui treugam fregerint, ſibique reſeruat abſolutionem ab hac excommunicatione, præterquam in articulo mortis. Quare nec per ipſam Bullam abſolui poterunt, cùm in fauorem ipſius in ipſa Bulla excipiatur hæc abſolutio. Similiter Pontifex excommunicat, anathematizat, maledictionibuſque ferit omnes eos, qui impedierint bellum contra Infideles, illudque publicè, aut occultè perturbauerint, ſibique abſolutionem reſeruat.

22 Excommunicat præterea Pontifex eos omnes, qui defraudauerint bona, quovis modo pertinentia ad Cruciatam, aut ſuo auxilio, vel conſilio iuuerint, vt defraudentur ab aliis, & demum eos, qui acceperint eiuſmodi bona, etiam oblata ab alio non potente licitè offerre, & elargiri Hæc excommunicatio non eſt reſeruata, quare virtute Bullæ abſolutio ab ea valet impertiri. Nec iudicandi ſunt defraudatores hi, qui ratione muneri, aut officij ad ipſam Cruciatam pertinentis, ſtipendia ſibi debita comparant. Sub pœna etiam excommunicationis, non tamen reſeruatæ, eſt præceptum, vt teſtimonia gratiarum, quas in ſcriptis Commiſſarius generalis conceſſerit, non niſi ſignata ſigillo ad id deſtinato præbeantur: & ideò excommunicationem incurrit, qui aliter eas ſuppeditauerit. Quo cautum eſt, ne fallaciæ, & gratiæ commentitiæ irrepant.

23 Clemens VII. in Breui expedito die 1. Martij anno 1532. excommunicauit omnes impedientes publicationem Bullæ Cruciatæ: ſibique ac ſuis ſucceſſoribus abſolutionem reſeruauit, excepto mortis articulo: præcepitque omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & quibuſcumque aliis Prælatis, vt eam publicari, nullatenus prohibeant, neque petant, aut vſurpent quartam partem ex eleemoſyna, quæ ratione Bullæ comparata fuerit. A *ſuprà* dicta excommunicatione, cenſeo, non poſſe virtute Bullæ abſolutionem præſtari: tum quia æquum non eſt, vt gaudeat fauore Bullæ, qui illam impedire tentauit: nec veroſimiliter credi poteſt in conceſſione generali abſoluendi ſemel in vita à cenſuris reſeruatis Pontifici, comprehendi abſolutionem ab excommunicatione, quam Pontifex ſibi reſeruare cenſetur, quādo ipſam Bullam expedit cum præfata conceſſione generali: nec iudicari poteſt, reuocare Pontificem per Cruciatam id, quod fauorem Cruciatę decernit. Tum quia priuilegia Cruciatę ita ſunt conceſſa per modum contractus oneroſi, vt, quę excepta non ſunt, cum Bulla conceditur, aut renouatur, non poſſint poſteà reuocari abſque ſatisfactione, ſi ſit poſſibilis, vel ſi compenſatio non ſit poſſibilis, cum vrgentiſſima ſaltem cauſa, vt *diſput.* 2. *c.* 6. aſſerimus. Vnde fit, ea priuilegia ita eſſe fauorabilia Regi Hiſpaniç, vt ratione illorum creſcat emolumentum Cruciatę. At non eſſent ita fauorabilia, ſi in eis contineretur conceſſio facultatis ad abſoluendum eos, qui incurriſſent cenſuram, eo quòd impedire tentauerint ipſius Bullę publicationem: ſi enim hęc conceſſio contineretur, iam in ipſa Bulla prçuiderent remedium abſolutionis hi, qui inique tentarent impedimenta eius promulgationi apponere, indeque minùs à ſuis conatibus retardarentur: ergo in Bulla non conceditur facultas abſoluendi ab excommunicatione prędicta. Accedit, quòd Commiſſarius prędictum Breue Clementis non ſolùm acceptauit; verùm in fauorem Cruciatę expeditum ſeruari contendit, ſignum ergo eſt, eam reſeruationem excommunicationis ita in ſua vi permanere, vt per Bullam abſolutio ab illa nequeat indulgeri: aliàs minueretur vis eiuſmodi remedij per talem cenſuram appoſiti aduerſus damnum, quod ex impeditione publicationis Bullæ poterat emergere.

CAPVT VI.

De bonis, quæ pertinent ad Cruciatam, eique applicantur.

24 Aliqua ex dicendis *in hoc, & ſequentibus capitibus*, item & ex dictis in antecedentibus, ſparſim attigimus decurſu totius operibus; hic verò collectim apponimus, vt clariùs cognoſcantur quæ ad materiam huius diſputationis ſpectant ſimulque omnia reperiantur: ea autem breuitate vtimur, quæ moleſtiam non inferat: præcipuè cum non ſit opus diſcuſſione; ſed relatione. Spectat igitur ad Cruciatam eleemoſyna, quæ erogatur propter Bullam communem viuorum, defunctorum, compoſitionis, lacticiniorum pro Eccleſiaſticis, & quæ Commiſſario generali propter componenda bona incerta præſtantur, de quibus *diſp.* 33. *& ſequentibus.*

25 Præterea pertinent ad Cruciatam Bona Clericorum decedentium abinteſtato, quorum non remaneat conſanguineus intra quartum gradum, qui in hęreditatem ſuccedat. Rursùs ex *leg.* 9. *tit.* 10 *lib.* 1. *Recop.* applicantur Cruciatæ bona laicorum ab inteſtato obeuntium quorum etiam non ſit hęres intra quartum conſanguinitatis gradum: & ex eadem lege applicantur quævis bona ex his, quæ Hiſpanè nuncupamus *Moſtrencos*, cuiuſcumque generis ſint: de quibus *diſp.* 34.

Obſeruandum

Digitized by Google

Obſeruandum eſt tamen, ita bona prædictorum applicanda eſſe Cruciatæ, vt ex illis priùs excipiantur omnia neceſſaria ad funeralia officia, ſuffragia, & debita defunctorum perſoluenda: nam hæc debita non ſunt, ſeu non reputantur in bonis debitoris: illa verò officia, ac ſuffragia æquitas, ac pietas Chriſtiana ſibi vendicant. Ea tamen exhibenda ſunt in eo numero, quantitate, ac pompa, quæ arbitrio prudentum iudicabuntur conſentanea, inſpecta qualitate perſonarum, quæ è viuis deceſſerunt.

26 Ad Cruciatam etiam ſpectant pœnæ pecuniariæ quas iudices Eccleſiaſtici reis infligunt, etiam ſi infligantur loco pœnæ corporalis, quam illi merebantur, & quam aliàs eſſent ſubituri. Hoc tamen limitauit Catholicus Philippus III. ſuo reſcripto dato in oppido Olmedo die 22. Septembris, anno 1605. ita vt ſola medietas eiuſmodi pœnarum Cruciatæ applicetur. Solentque Epiſcopi, ac ſimiles Prælati aut alij paciſci cum Commiſſario generali ſuper aliqua quantitate fixa, ac determinata, quam ſingulis annis perſoluant pro ea medietate pœnarum, quaſcumque illas eſſe contingat: cum iuxta numerum reorum, qui pœna pecuniaria damnantur, augeatur ea ſumma, vel decreſcat. Nuncupantur autem vulgari loquendi modo *Pœna Cameræ:* quia ad Regiam Cameram ratione Cruciatæ ſpectant.

27 Ex Indiis etiam medietas pœnæ cuiuſvis pecuniariæ, quam Archiepiſcopi, Epiſcopi, ipſorumque Vicarii impoſuerint, affertur ſeorſim, & Commiſſario generali, ac Conſilio ſupremo Cruciatæ traditur, vt in expeditione belli contra Infideles inſumatur. Ita diſpoſuit pro Regno Peruano Philippus III. Madridij, die 23. Septembris, anno 1609. & idem pro Noua Hiſpania. die 29. Auguſti: eodem anno, litteris datis Segouiæ. Ex his bonis, quæ ad Cruciatam attinent, conceduntur Pontifici ad fabricam Sancti Petri promouendam quingenta millia ducatorum, ſeu medietas millionis, quovis ſexennio, per quod de nouo Bulla confirmatur ita vt ſingulis annis ex quinque primis ſexennij centum millia præſtentur, nihil verò anno ſexto, & vltimo. Vnde conſtat, quod *diſput.* 2. ſtabiliuimus, conceſſionem Bullæ Cruciatæ eſſe per modum contractus oneroſi, cum non ſit exiguum onus præfata eleemoſyna, quæ in fabricam Sancti Petri conceditur Pontifici.

CAPVT VII.

De conceſſionibus, rebuſque aliis, quæ ad publicam memoriam libris Conſilij Cruciatæ mandantur.

28 AB origine ipſa Cruciatæ libris mandatum eſt quidquid ad eam quoquo modo ſpectat, vt ex eis conſtent conceſſiones, priuilegia, bona, exemptiones, facultates, & omnia alia, quæ recta ratio, ac neceſſitas poſtulant, non aboleri ſequentium temporum obliuione. Igitur in eis omnium Commiſſariorum Generalium nomina, & tempus, quo eo munere ſunt potiti, deſignantur. Deindè priuilegia tam Pontificia, quàm Regia ab initio ſucceſſu annorum in fauorem Cruciatæ conceſſa. Rursùs bona, quæ aliquando pertinuerunt, & pertinent ad Cruciatam. Et prætereà libri rationis ſunt, in quibus accepta, & data tum Regi, tum Miniſtris Cruciatæ exactè apponuntur. Item Miniſtri, quibus ſtipendium præſtatur, & cætera, quæ ad rectum regimen Cruciatæ ſunt neceſſaria. In Tribunalibus etiam inferioribus libri aſſeruantur, in quibus cuncta, quæ in eo territorio ad Cruciatam attingunt, apponuntur.

29 Sunt etiam libris mandatæ conceſſiones Bullæ à Pontificibus factæ, aut confirmatæ: & ex eis conſtat: conceſſionem Bullæ pro Indiis durare vſque ad annum 1663. quin opus ſit, illam vſque ad eiuſmodi annum denuò expoſcere, vel renouare. In eis etiam libris extant conceſſiones omnes antiquæ, quas in fauorem Cruciatæ, & belli contra infideles, in vſuſque pios, expedierunt aliqui Prælati Hiſpaniæ ſuper aliquibus gratiis, ac priuilegiis, quæ ipſi poterant concedere: & prætereà aliquæ aliæ Bullæ, quas conceſſerunt Pontifices ob varias cauſas pias, quæ omnia ideò libris Cruciatæ mandata fuerunt, quia interuentu, & præcepto Commiſſariorum generalium publicata fuerunt, vt fideles poſſent gratias, ac indulgentias in eis contentas lucrari. Affert has Bullas Alphonſus Perez de Lara *in compendio trium gratiarum à pag.* 68. *lib.* 1. Ex earumque ſerie conſtat, quantò maiora priuilegia, facultates, & indulgentiæ in Bulla Cruciatæ concedantur.

30 Vt autem eiuſmodi Bullarum aliquam exhibeamus notitiam, eas breuiter recenſebimus. In primis quædam Bulla in fauorem Religionis Sanctiſſimæ Trinitatis à Pontificibus fuit conceſſa, à Clemente VII. confirmata, & à Domino D. Ferdinando de Mendoza Epiſcopo Palentino, ac Commiſſario generali Cruciatæ promulgata anno 1535.

Digitized by Google

1535. quæ Hiſpano idiomate vocabatur: *Bulla del Eſcapulario de la Santiſſima Trinidad:* pro qua duplex drachma argentea in eleemoſynam erogabatur. Deindè aliæ gratiæ conceſſæ fuerunt à Pontificibus in fauorem Monaſterij Patrum Prædicatorum ſiti in vrbe Victoria, in Prouincia Alabæ, vt creſceret cultus, & pietas erga Virginem Deiparam *del Roſario* (vt Hiſpanè dicimus.) in templo eius Monaſterij collocatam: quas gratias (ſicut & antecedentes conceſſæ à Pontificibus in formam Bullæ redactæ ſunt à prædicto Commiſſario,) redegit etiam in Bullam, ac promulgauit Eminentiſſimus Cardinalis Don Garſias de Loayſa, Epiſcopus Siguntinus, & Commiſſarius generalis Cruciatæ, anno 1536. pro qua etiam erogabatur in eleemoſynam duplex argentea drachma: appellataque idiomatè communi fuit: *Bulla de la Candela de nueſtra Señora del Roſario.* His etiam temporibus Priores eius Monaſterij per Hiſpaniam eas portant candelas, ſeu paruos cereos, admittuntque in Confraternitatem Virginis fideles, quibus eos cereos impertiuntur, eleemoſynamque accipiunt in cultum Deiparæ in prędicto Monaſterio inſumendam.

31 Idem Cardinalis, ſimulque Commiſſarius die 7. Decembris, anno 1536. iuſſit publicari Bullam compactam ex gratiis, ac indulgentiis conceſſis à Summis Pontificibus Capellæ Virginis in Eccleſia Monaſterij Sancti Spiritus vrbis Mallorcæ conſtructæ: quæ dicta fuit: *Bulla de nueſtra Señora de los Dolores de Mallorca.* Duæ drachmæ argenteæ pro hac Bulla erogabantur: cuius eleemoſynæ pars in ſubſidium eius Monaſterij, ornatumque prædictæ Capellæ deſtinata erat: alia verò pars ad bellum contra Infideles,& ad defenſionem eius Inſulæ Mallorcæ.

32 Inſuper Don Ioannes Suarez Caruajal Epiſcopus Lucenſis, Commiſſariuſque generalis Cruciatæ die 11. Iulij, anno 1547. promulgari iuſſit Bullam compactam ex gratiis, ac indulgentiis conceſſis à Paulo III. in fauorem Collegij Conceptionis orphanorum in vrbe Salmanticenſi conſtructi, quæ vulgò appellata fuit: *Bulla del Hoſpital de la Concepcion, y Colegio de los niños de Salamanca.* eleemoſynaque pro illa taxata fuit duplex drachma argentea: quæ diuidebatur tum in ſuſtentationem orphanorum, quæ in illo Collegio verſabantur, litteriſque vacabant, tum in ſubſidium belli aduerſus Infideles. Simul cum hac Bulla alia Bulla defunctorum promulgata fuit compacta ex conceſſione facta ab eodem Pontifice Paulo III. vnius animæ à Purgatorio liberandæ, in fauorem præfati Collegij, eoque tenore hæc Bulla fuit publicata, quod nunc Bulla defunctorum promulgatur, ſeruata proportione: eleemoſynaque pro illa deſignata fuit duplex drachma argentea, quæ in effectus *nuper* dictos expendebatur.

33 Demùm, cum Pius V. per Breue expeditum Romæ die 20. Nouembris, anno 1563. ſuſpendiſſet indulgentias Cruciatæ, ideoque ceſſaſſet eleemoſyna ſubſidium belli, & tunc temporis Granatæ rebellaſſent deſcendentes à Mauris, quos nos vocamus *Moriſcos*, vt aliqua eleemoſyna compararetur ad ſubſidium belli aduerſus illos, Eminentiſſ. Cardinalis Eſpinoſa, Epiſcopus Siguntinus, Generalis cauſarum Fidei Quæſitor, ac Senatus Regij Caſtellæ Præſes, congregatis pluribus Hiſpaniæ Epiſcopis, cum illis ſimul decreuit, vt in formam Bullæ redigerentur gratiæ,ac facultates,quas ipſi in ſuis Diœceſibus poterant indulgere. Quod ita peractum fuit,indeque non minor eleemoſyna, quam ex Bulla Cruciatæ comparata fuit. Ea eſt Hiſpanorum pietas, & lucrandi indulgentias feruor. Promulgata ergo fuit ea Bulla anno 1570. & nuncupata vulgari lingua: *Carta, y Bulla de Hermandad, y Cofradia de nueſtra Santa Fe Catholica*: & pro ea duplex argentea drachma in eleemoſynam erogabatur. Mentionem huius *diſp.*1. fecimus, vt ſtatueremus, eſſe poteſtatem in Epiſcopis expediendi Bullam continentem gratias, quas ipſi concedere valent.

34 Aduertendum tamen eſt, prædictas omnes Bullas non determinaſſe tempus vnius anni; ſed eſſe perpetuas reſpectu accipientis: quippè per quamlibet earum admittebatur accipiens in Confraternitatem, in cuius fauorem Bulla erat conceſſa: poſteaque gaudebat gratiis eius Confraternitatis, quin ab ea expelleretur. Hinc iam rectiùs intelligitur, quod in ſuperioribus expoſuimus, nempè, cùm in Bulla Cruciatæ reuocantur aliæ Bullæ Cruciatæ, ſeu gratiæ in fauorem Cruciatæ conceſſæ, intelligendum eſſe de Bullis *ſuprà* poſitis, quæ in fauorem Cruciatæ totaliter, ſeu partialiter expeditæ fuerunt: ſi fortè ſuperuiueret aliquis, quis tunc eas accepit: quòd iam minimè contingere poteſt, cum centum ab hinc annis ea vltima Bulla in fauorem Collegij Conceptionis orphanorum Salmanticenſis fuerit publicata: (hæc enim anno 1647. ſcribo.) At quia formula Bullæ pluribus ab hinc annis non eſt mutata, & cum ſub tenore, quem hodie ſeruat, conceſſa fuerit tunc, cum plures poſſent eſſe, qui eas Bullas accepiſſent, ideò non fruſtraneè ea clauſula reuocatoria fuit appoſita, hodieque immutata tranſcribitur.

Digitized by Google

CAPVT VIII.

De Regnis, ac Prouinciis, in quibus Bulla Cruciata promulgatur, & quomodo?

35 Attigimus hæc *diſp.* 3. vbi latè aliquas difficultates diſcuſſimus circa loca, in quibus quis poteſt vti priuilegiis Bullæ: Nunc verò ſpeciatim recenſebimus Regna, & Prouincias, in quibus ex delegatione Pontificis Commiſſarius Generalis præcipit, Bullam Cruciatæ publicari. Sunt autem ea, Regna vtriuſque Caſtellæ, ac Legionis, & Inſulæ Canariæ, Regnum Aragoniæ. Regnum Nauarræ. Regnum Valentiæ. Principatus Catalauniæ, & Comitatus Ruyſellonis, ac Cerdaniæ. (De quibus vide, quæ addidi *diſp.* 3. *cap.* 1.) Regnum Sardaniæ. Regnum Siciliæ. Regnum, ac Inſulæ Mallorcæ.

36 In Imperio Peruano, Regna Peruana, Terra firma, eiuſque Prouinciæ. Nouum Regnum Granatæ, & eius ditiones. Ciuitas Imperialis de Chile, & eius Prouinciæ. In Noua Hiſpania, Regnum Mexicanum & Prouinciæ ipſius. Prouincia de Guatimala, & Honduras; Inſulæ Sancti Dominici; Puertorico; Cuba, & Xamaica ſi habitetur à ſubditis Regis noſtri. In Philippinis, Inſula Philippinarum, Nouæ Segouiæ, Caceres, Camarines, Zebu, & Nominis Dei: vulgò, *Nombre de Dios*.

37 Ante Bullæ publicationem Rex noſter mittit litteras, ſeu decreta Prælatis, Eccleſiis, vrbibus, vt, cum Miniſtri Cruciatæ Bullam ad oppidum intulerint, Clerus, ac populus, confraternitates, & Parochiæ, Crucibus præcedentibus ei obuiam eant, & in Eccleſia pręcipua aſſiſtant omnes publicationi, & concioni: eodemque comitatu Miniſtros ab oppido exeuntes præcedant: eiſque hoſpitia faciant præſtari gratis, quæ non ſint hoſpitia, ſeu diuerſoria publica: fauoremque, & auxilium elargiantur, omneſque eorum immunitates, ac exemptiones ſeruari, conentur. Habes apud Laram *in compendio trium gratiar. pag.* 104. tranſcriptum huius Decreti Regij, in quo etiam continetur, quomodo Quęſtores recepturi ſint eleemoſynam pro Bulla, & quo pacto, cum Bulla conceditur, eleemoſyna non ſtatim pręſtita; ſed credito, deſignandi ſint ab oppidis viri, qui eam comparent recta fide, alias oppida ipſa ſatisfactura ſint damnis eorum incuria, aut infidelitate emergentibus. Legat ibi, qui velit.

38 Nunc autem, quia quotannis moleſtiam ea pompa poſſet ingerere, à parte illius abſtinetur. Solemniter quidem per oppidum publicatur Bulla. Miniſtris Cruciatæ per publicas vrbis calles equitantibus, & voce præconis ea promulgatur, & præcipitur, vt ciues omnes ad Eccleſiam præcipuam ad concionem conueniant, die, quæ deſignatur. Qua die populus ad Eccleſiam deſtinatam confluit, & Senatus ſæcularis vrbis cum ſuis miniſtris. Poſt verò Quęſtor Bullas elargitur, eleemoſynamque accipit, quam Commiſſario, ſeu perſonis ab eo deputatis remittit, & rationem reddit tranſcriptorum Bullæ, quæ ipſi tradita ſunt, ita vt vel eleemoſynam omnibus correſpondentem tradat, vel ipſa tranſcripta Bullæ, quæ ſuperfuere, reddat. Madridij cum ſpeciali pompa publicatio fit in Eccleſia Sancti Saluatoris, vt videri poteſt apud Laram *ſuprà pag.* 211. Decet enim, vt vbi Rex ipſe Curiam ſuam habet, ſuamque Sedem Commiſſarius Generalis, maiori pompa, apparatuque celebriori Bulla diuulgetur.

39 Obiter nota, Madridij in publicatione publica Bullæ media voce præconis, nomine Commiſſarij præcipi, vt ſub pœna excommunicationis maioris omnes ad concionem confluant. Quod idem ſolet à Iudicibus ſubdelegatis in aliis oppidis præſtari. Quam excommunicationem, cenſeo non eſſe latæ ſententiæ, ſed vel ferendæ, vel ad terrorem: tum quia verba ſolùm exprimunt: *ſub pœna excommunicationis*, quibus vocibus non profertur excommunicatio latæ ſententiæ, vt commune apud Authores eſt in tractatu *de cenſuris, ſeu de excommunicatione*. Tum quia communiter fideles non ſibi perſuadent, hanc incurrere excommunicationem eoquòd concioni non aſſiſtant. Imò impoſſibile eſſet, omnes aſſiſtere, cum Eccleſia omnes non capiat. Quare ſolùm intenditur, vt multitudo confluat, ad hoc, vt diſcat, quanta bona in Bulla Cruciatæ concedantur: Qui finis ſemper obtinetur, vt patet, quotiens concio ea habetur.

40 Prætereà Rex noſter decreta, ſeu reſcripta mittit pluribus Dynaſtis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, item Proregibus, vt in ſuis ditionibus conentur, vt publicatio Bullæ cum celebri ſolemnitate, comitatu, ac pompa promulgetur, & auxilium, atque fauorem Miniſtris Cruciatæ præſtent. Idem per ſuas litteras monet Abbates iuriſdictione Epiſcopali gaudentes, Capitula Eccleſiarum, & alias Communitates. Rurſùs ad aliquos Prouinciales Regulares litteras mittit, quibus eos admonet, vt Concionatores idoneos Bullæ ſuppeditent. Qui autem ſint Prælati, Prouinciales, Dynaſtæ, Capitula Eccleſiarum, & Communitates, ad quas in Hiſpania, in Indiis, in aliiſque regnis, hæc decreta, ſeu litteræ mittantur, formulæque litterarum, & tituli politici, quibus vnicuique tranſcribuntur, ſatis profusè

Digitized by Google

profusè tractat Lara *vbi ſuprà, à pag.* 109.

41 Similiter Commiſſarius litteras expedit, ac mittit tum Commiſſariis ſubdelegatis, tum eleemoſynæ Quęſtoribus, quibus modum pręſcribit totius rei gerendæ; & facultates neceſſarias ſubdelegat. In Regno Cerdaniæ ſunt Commiſſarij ſubdelegati Cruciatæ pro illis inſulis. In regno Mallorcæ ſunt etiam pro eis Inſulis ſubdelegati. In Regno Siciliæ eſt etiam Commiſſarius ſubdelegatus, ſoletque hoc munere potiri Archiepiſcopus Panormitanus. In Indiis verò iam *ſuperiùs* diximus, eſſe etiam Commiſſarios ſubdelegatos. Ad quos omnes Commiſſarius mittit pręfata reſcripta: & ſimul Pręlatis, & Eccleſiis litteras mittit, vt ad Bullæ Cruciatæ ſolemnem publicationem, & expeditionem cooperentur. Concionatoribus etiam Rex ipſe litteras expedit, vt rectè ſuum munus exequantur: pluraque ex his Regiis reſcriptis vocantur litteræ patentes. De quibus omnibus videatur ipſe Lara *à pagin.* 139. Et de his, quæ ad Indias emittuntur, *à pagin.* 148. Vbi exprimuntur Proreges, Gubernatores, Audientiæ, Eccleſiæ, Inquiſitores Fidei, Vrbes, ac Communitates, ad quas Rex, & Commiſſarius Generalis prędicta decreta, ſeu litteras tranſmittit.

CAPVT IX.

Qua poteſtate fungantur Commiſſarij ſubdelegati Generales, & Commiſſarij particulares?

42 DIximus *cap.* 2. à Commiſſario Generali deſignari Commiſſarios Generales ſubdelegatos, ad quos appellatur à Commiſſariis particularibus intra eius ditionem: & ab ipſis ad Commiſſarium Generalem. In Siciliæ Regno deſignatus eſt vnus Commiſſarius Generalis ſubdelegatus. In Indiis verò ſunt ſeptem, ſcilicèt in Prouinciis Mexicanis, in Prouinciis Guatimalæ, in Inſulis Sancti Dominici, ac ſimul Puerto-Rico, & Cuba, in Philippinis, in Prouinciis vrbis Limæ, ſeu Regum, in Peruano Regno: in Nouo Regno Granatæ, & Popayan: in Carthagena, ac ſimul Venezuela, & Sancta Martha.

43 Hi omnes Commiſſarij Generales ſubdelegati eandem ferè poteſtatem habent, ac Commiſſarius Generalis, qui eis ſubdelegat omnes facultates ſibi à Pontifice in Bulla conceſſas, vt conſtat ex commiſſione, quam tranſcribit Lara *vbi ſuprà pagin.* 174. Habent, inquam, eamdem poteſtatem, excepta ea, quæ eis competere nequit, vtpotè ſubdelegatis: nempè ſubdelegandi alios Commiſſarios. Quare, etiam ſi è vita decedant, non poſſunt alium in ſui locum deſignare: ideóque à Commiſſario Generali, pręuiſis incommodis, quæ oriri poterant, mortuo Commiſſario Generali ſubdelegato in diſtantibus adeò Prouinciis, deſignantur plures, quibus ſuas omnes facultates committit, ſucceſſiuè, & ſuo ordine: ſcilicèt vnum primo loco deſignat, & eo deficiente, alium: & ſic aliquos alios. Et quia hi omnes poſſunt deficere, deſignat quemdam, qui deficere nequeat, nempè vel Dignitatem, aut Canonicum antiquiorem alicuius Eccleſiæ, vel aliquem ſimilem. Monentur autem à Commiſſario Generali, vt, quidquid obuenerit ratione diſpenſationum, aut compoſitionum ſuper bonis incertis, tradant Quęſtori, & libris Cruciatæ mandent, vt poſteà à Quęſtore dati, & accepti ratio exigatur.

44 Commiſſarij ſubdelegati particulares, quos communiùs iudices Cruciatæ nuncupamus, ſunt in vnaquaque Diœceſi, aſſiſtuntque communiter, vbi eſt Eccleſia Cathedralis: etiam eſſe ſolent in Abbatiis exemptis, quibus iuriſdictio quaſi Epiſcopalis eſt annexa. His iudicibus ſubdelegatur à Commiſſario Generali iuriſdictio ad cognoſcendum de cauſis omnibus in ſuo territorio attinentibus ad Cruciatam, ſcilicèt de cauſis, quæ occurrere queunt in publicatione Bullæ, in immunitate miniſtrorum, in comparatione eleemoſynæ, in bonis quoquam modo ad Cruciatam attingentibus, & aliis huiuſmodi. Poſſunt ergo illi citare, ſtare pro tribunali, inſtrumenta fieri publica præcipere, cenſuras ferre, incarcerare, caſtigare, omnibuſque iuris remediis vti, dummodò Eccleſiaſticam poteſtatem non excedant. Ipſis verò, & Commiſſariis Generalibus ſubdelegatis præcipitur à Generali Commiſſario, ne vllo pacto permittant, alias indulgentias, ſeu gratias publicari, vtpotè quæ ſuſpenduntur per Bullam, (quod intelligendum eſt de his, quæ re ipſa ſuſpenduntur, non de aliis, de quibus egimus *diſp.* 29.) Idem à Rege ipſo in litteris, quorum *cap. præcedenti*, mentionem fecimus, præcipitur, ſimulque ne permittatur, eleemoſynam comparari, niſi ad quædam opera pia ibidem deſignata. Attamen iam vel conſuetudine, vel ex licentia expreſſa, aut tacita Cõmiſſarij, ad plura alia opera pia emendicatur eleemoſyna, tum in ipſis Eccleſiis, tum oſtiatim, & in viis publicis locorum. Cæterùm indulgentiæ, quæ ſuſpenduntur per Bullam, non aliter publicantur, niſi licentia obtenta à Commiſſario Generali, vt praxis frequentiſſima oſtendit.

Digitized by Google

45 In deſignatione Commiſſariorum particularium in Indiis obſeruatur id, quod *n*.43. notauimus, pluribuſque committitur ſubdelegata poteſtas, ne caſus accidat moraliter, in quo omnes deficiant. Præterea facultas Commiſſariorum particularium in Indiis extenditur ex ſubdelegatione Commiſſarij Generalis ad omnia, quæ ipſe poteſt per Bullam, non ſecùs, ac facultas Commiſſarij Generalis ſubdelegati, de quo *num*.43. cum eo tamen diſcrimine, quo Commiſſarij particulares id poſſunt in ſuo ſolo territorio: ille verò in omnibus territoriis Subdelegatorum, à quibus ad ipſum appellari poteſt, quam appellationem in qualibet cauſa ſubdelegati particulares admittere tenentur, ſicut, & ille appellationem, quæ fit ad Commiſſarium Generalem Hiſpaniarum. Quod totum conſtat ex formula commiſſionis præſtitæ eiuſmodi ſubdelegatis particularibus, quam refert Lara *in compendio trium gratiar. lib*.1. *pag*.179.

46 Cenſeo tamen, eam licentiam Commiſſarij Generalis, quam habet à Pontifice, concedendi Oratoria in domibus priuatis, in quibus ab Ordinario loci viſitatis ſacrum celebrari queat, vt aſſertur à Lara *pag*. 275. non ſubdelegari à præfato Commiſſario ſaltem eis Subdelegatis particularibus. Moueor primò, quia abſurdus ex ſe apparet exceſſus, quòd in quavis diœceſi Indica habeant facultatem concedendi Oratoria eiuſmodi Subdelegati particulares, cum adeò limitata ſit hæc facultas, vt nec Epiſcopi eam habeant, abſonumque eſt, vt in ſingulis diœceſibus Epiſcopis ſit ablata, aut non conceſſa facultas indulgendi Oratoria, eaque polleant ij Subdelegati, maximè cum diſtantia ingens, quæ eſt ab Indiis ad Europam, ſi eſſet motivum, vt hi ſubdelegati eam facultatem haberent, etiam debuiſſet eſſe, vt Epiſcopi illa potirentur. Et ſanè non vitaretur abuſus, qui poſſet introduci ex multitudine Oratoriorum, cum tot eſſent, qui poſſent illa concedere. Quantum autem intendatur vitari, conſtat, nam in Hiſpania ſolus Commiſſarius Generalis, & Nuntius Pontificis facultatem ea concedendi habent. Imò Illuſtriſſimo Domino Iulio Roſpillioſi, qui nunc temporis, anno ſcilicèt 1647. Pontificis SS. Innocentij X. eſt Nuntius, à ſua Sanctitate limitata fuit hæc facultas.

47 Confirmatur: quia in generali conceſſione non intelligitur conceſſum, quod veroſimiliter in ſpecie non eſſet conceſſurus, qui eam conceſſionem facit: at attentis *nuper* poſitis circunſtantiis, veroſimilius eſt, Pontificem non conceſſurum fore in ſpecie Commiſſario Generali, vt ſubdelegaret eis Iudicibus particularibus poteſtatem concedendi Oratoria quamvis generaliter indulgeat, vt omnes facultates concedat. Et rurſùs veroſimilius eſt, ipſum Commiſſarium non fore in ſpecie ſubdelegaturum eiuſmodi facultatem, quamvis generalem commiſſionem præſtet: ergo de facto non commiſit illam. Quod ampliùs ex dicendis roborabitur.

48 Moueor ſecundò: nam Commiſſarius Generalis mittit inſtructiones Commiſſariis Generalibus ſubdelegatis, & particularibus ad Indica regna, quæ extant apud Laram *pag*. 190. *&* 197. in quibus præfigit taxam eleemoſynæ, quam poſtulaturi, & accepturi ſunt in ſubſidium Cruciatæ pro gratiis, quas indulſerint, & deſignat certam quantitatem pro ſingulis gratiis, & facultatibus, quas concedere queunt, & nihil agit de facultate concedendi Oratoria; cum tamen agat de facultate audiendi Miſſam per horam ante auroram, & per horam poſt meridiem, quod ſignum euidens eſt, non ſubdelegare illis facultatem concedendi Oratoria: aliàs eam expreſſiſſet, ſicut alias: & eleemoſynam taxaſſet, vtpotè quæ non exigua deberet eſſe pro re tanti momenti. Et cùm hanc prætermittat etiam in inſtructione, quam præſtat Commiſſarius Generalibus ſubdelegatis, iudico, nec his eam ſubdelegari. Quare non benè Lara ſub titulo facultatum, quas habet Commiſſarius Generalis, & quas ſubdelegat ſuis Commiſſariis ſubdelegatis in Indiis, *pag*. 274. apponit facultatem concedendi Oratoria.

49 Commiſſarij particulares ſubdelegati in Europa ſolùm gaudent iuriſdictione, quam appoſuimus *n*.44. vt conſtat ex commiſſione Commiſſarij Generalis allata à Lara *pag*. 203. in qua eis præcipitur etiam, vt ſolùm permittant emendicationem eleemoſynæ ad cultum Virginis Montis ſerrati, & de Guadalupe, atque ad xenodochium Regale Compoſtellæ: & ſimul eis iniungitur, ne prælo mandari permittant ſua mandata, aut ſententias, nec in adminiſtratione Cruciatæ, & comparatione eleemoſynæ ſinant, aliqua inſignia Typis, aut ſtamno excudi, vt ſynceriùs procedatur.

50 Aduertendum hic eſt, iuriſdictionem Commiſſariorum Generalium ſubdelegatorum in Indiis eſſe priuatiuam: & Cancellarias Regias nullo modo, etiam per viam violentiæ, poſſe ſeſe eorum cauſis introducere, vt cautum eſt per plures Schedulas Regias, quas refert eruditiſſimus Don Ioannes de Solorzano *tom*.2. *de iure Indiar. lib*.3. *cap*. 25. *n*.26. Qui *ibidem* tranſcribit litteras Regias datas apud S. Laurentium, die 26. Maij, anno 1609. In quibus præfigit modum Tribunalis Commiſſarij Generalis Subdelegati in

Digitized by Google

in Indiis: nempè vt eius Aſſeſſor cum ſuffragio ſit Senator Audientiæ Regiæ antiquior, & Fiſcalis munus exerceat qui in Audientia ipſa Fiſcalis gerit officium: quòd ſi in ea duo ſint Fiſcales, id peragat Fiſcalis cauſarum ciuilium: ſimulque ſit Rationalis Cruciatæ antiquior Officialis Regius ibidem exiſtens. Quòd ſi Commiſſarius, & Senator in ſententia aliqua diſcordauerint, debeat Commiſſarius monere Præſidem, aut Gubernatorem Audientiæ, vt alium Senatorem deſignet, qui ſimul cum eis ſententiam proferat.

51 Circa locorum præcedentiam, cautum eſt in Decreto Regio dato 17. Februarij, anno 1609. vt in publicatione Bullæ in Indiis (quæ fit quolibet biennio, biennium enim ibi vna Bulla durat,) ſolus Prorex præcedat Commiſſarium Generalem ſubdelegatum, hic verò omnes Senatores, poſt quos Rationalis locum obtineat. Quæſtor verò inter Iudices ordinarios. Cæterùm officium Rationalis in vrbe Limenſi pretio venditum eſt, & in contractu conceſſum eſt ei, vt præcedat Fiſcales qui de hoc grauiter conqueſti ſunt: eo quòd, etſi Rationalis, quia ſuffragium habet iuxta Decreta Regia, præcedat Fiſcalem in tribunali Domus Commiſſarij, hoc videbatur non eſſe extendendum ad præcedentiam in Proceſſionibus, & Eccleſiis: agitata tamen lite in Regio Indiarum Senatu, ſententia pro Rationali fuit prolata.

52 Circa bona vacantia, ſeu quorum dominus ignoratur, vulgò *de Moſtrenco*, item eorum, qui ab inteſtato decedunt, ſeu quintam illorum partem, dum eis non ſit hæres intra quartum gradum, contendunt Commiſſarij Generales Subdelegati, & particulares, in Indiis, ſibi eſſe iuriſdictionem, & ad Cruciatam ea bona pertinere, quemadmodum id præſtat Commiſſarius Generalis in Hiſpania, & eos inſtruit, vt ſimiliter præſtent. Quod quidem facere poſſe, mihi indubium eſt, attentis Bullis, ac priuilegiis Cruciatæ, quibus illi non cedent niſi coacti. Inhibitum tamen eſt eis per plures litteras Regias, quas affert D. Ioannes de Solorzano *ſuprà n.* 37. ne de his cognoſcant: imò cum Religioſi B. Mariæ de Mercede (quibus hæc bona ad præuentionem conceſſa ſunt,) miſiſſent excommunicationis litteras, quas vocamus Paulinam, à Nuntio Apoſtolico latas, vt ipſis ea bona applicarentur, per Decretum Regis datum Lermæ die 28. Octobris anno 1602. præceptum fuit, vt eæ litteræ colligerentur, atque ad Senatum Regium Indiarum tranſmitterentur. Quare ea omnia bona fiſco, ac Cameræ Regiæ, contenditur, eſſe applicanda. De hoc agunt lex *vacantia*, *& totus titulus, C. de bonis vacantib. lex penult. C. de pet. bon. ſub. lex* 10. *tit.* 10. *lib.* 1. *lex* 7. *&* 8. *tit.* 13. *lib.* 6. *Recopilat.* Vbi Azeuedus: Sixtinus *de Regalib. lib.* 2. *c.* 9. Bozerius *etiam de Regal. c.* 3. *à num.* 16. Quare Regij Officiales hæc bona colligere, & adminiſtrare conantur: nec abſque litibus, ſaltem in Hiſpania, id exequuntur.

53 Hic obiter annotauerim, vocem Hiſpanam *Moſtrencos*, quæ confusè ſumitur pro rebus inuentis, ac bonis vacantibus, ſumpſiſſe originem, vel à *monſtrando*, vt vult Sebaſt. Couarruu. *in theſauro linguæ Hiſpanæ*; eo quòd hæc bona monſtranda, ſeu manifeſtanda ſunt, vt eorum dominus inquiratur: vel, vt vult Anton. Nebriſſenſ. *in ſuo dictionario*, idem ſit, voce corrupta, *Moſtrencos*, ac *Meſtengos*, eo quod Iudices, quos vocamus *de la Meſta*, de eis cognoſcunt, vt de bonis ad ſe pertinentibus. Demum fortaſsè corrupta eſt vox Latina, Bona *ſe mouentia*, & vocata ſunt *Moſtrencos*: cum in primæua ſignificatione ſolùm hæc vox applicata fuerit ad ea bona ſe mouentia, qualia ſunt pecora. Nec mireris, plures eſſe, qui hæc bona ad ſe pertinere contendant: vnuſquiſque enim nititur opinioni probabili, ſeu conceſſioni Pontificis, vel priuilegio Principis, aut iuri communi de eis bonis diſponenti. Quare in eis vltimò comparandis, qui primus ea cepit, communiter meliori præualet iure.

54 Ad calcem quæſtio grauis ſuboritur, an Commiſſarius Generalis, & ſubdelegati poſſint procedere per cenſuras, & per remedia à iuriſdictione Eccleſiaſtica dimanantia, ad hoc vt illæſa ſeruentur priuilegia, non conceſſa à Pontifice; ſed à Principe ſæculari: & contra eos, qui eis priuilegiis reſiſtunt? Non enim videtur delegata à Pontifice iuriſdictio Eccleſiaſtica, niſi in ordine ad executionem eorum, quæ ipſe in Bulla Cruciatæ, & in quibuſvis Breuibus indulget. Gabriel Pereira *de manu Regia, lib.* 1. *tit.* 9. §. 12. *cap.* 8. iudicat, poſſe Commiſſarium procedere contra eos, qui reſiſtunt executioni priuilegiorum, quæ conceſſa ſunt à Principe ſæculari ad meliorem expeditionem Cruciatæ; non verò vti iuriſdictione Eccleſiaſtica, eos mucrone cenſurarum feriendo: cum ad procedendum contra eos, etiam habeant iuriſdictionem Regiam: & ſic affirmat, deciſum fuiſſe in Senatu Luſitano. Adſtipulatur D. Ioannes de Solorzano *ſuprà num.* 38.

55 Et confirmat ex eo, quòd ſi Epiſcopus ſit ſimul dominus temporalis alicuius loci, & vt talis de cauſis ſęcularibus cognoſcat, nequit per cenſuras agere: nec ab eius ſententia ad ſuperiorem Eccleſiaſticum, ſed ſęcularem appellandum eſt: *cap. ſi duobus* 7. §. *denique de appellation. leg.* 8. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recop.* Couarr. *in pract. cap.* 36 Bobadilla *in politic.* 1. *tom.*

tom. lib. 2. cap. 17. n. 196. Paz *de tenuta cap. 63. n. 3* Felicianus à Vega *in cap. clerici, de iudic. n. 38.* Beſoldus *in tract. de pace, cap. 5. n. 5.* & alij. Imò, ſi Rex ipſe, in terris, quarum eſt Dux, aut Comes, vt talis, & non vt Rex, iudicat, appellatur ad ſuperiorem in Ducatu, vt docent D. Ioannes de Solorzano 1. *tom. de iure Indiar. lib. 2. cap. 21. n. 13.* Baldus *in l. ſi quando, C. de appellat.* Myſinger. *centur. 5. obſeru. 5.* Valenz. 2. *tom. conſil.* 157. *n.* 81. cum aliis.

56 Rem ego ſic compono. Commiſſarius habet iuriſdictionem Eccleſiaſticam à Pontifice ad executionem omnium, quæ ipſi ab illo committuntur circa expeditionem Cruciatæ. Priuilegia cæterùm, ac exemptiones, quæ ei Rex conceſſit, eò tendunt, vt expeditio Cruciatæ rectiùs, ac tutiùs ad finem, ac executionem perducatur: quare conceſſa à Rege ſunt quaſi media ad eum finem conſequendum, quem Pontifex optat, & committit, non deſignans media in particulari; ſed tribuens iuriſdictionem ad omnia neceſſaria ad eum finem in communi, ſub quibus comprehenduntur ea omnia, quæ à Rege conceſſa ſunt: nam ea omnia conducunt ad eum finem: nempe pompa, & apparatus in publicatione Bullæ, exemptiones, & immunitates Miniſtrorum Cruciatæ, & alia eiuſmodi. Hæc enim gignunt maiorem Bullæ venerationem, expeditiores reddunt ad ſua munera obeunda Miniſtros, & auertunt impedimenta, quæ aduerſus eam expeditionem pullulare poſſent. Fit ex his, poſſe Commiſſarium, & Subdelegatos vti iuriſdictione Eccleſiaſtica pro defenſione priuilegiorum ſibi à Principe ſæculari conceſſorum, quia habent iuriſdictionem à Pontifice ad exequenda ea, quæ per priuilegia conceduntur, quatenùs ſunt media in particulari deſignata ad meliorem Cruciatæ expeditionem. Quare, non vt ſæculari iuriſdictione pollentes, agunt, dum cenſuras proferunt, ſed Eccleſiaſtica, cui poſſunt coniungere iuriſdictionem Regiam, aliis iuris remediis vtentes, quæ ad ſæcularem iuriſdictionem competunt, dum tamen non opponantur poteſtati Eccleſiaſticæ, vt opponerentur ſupplicia mutilationis, aut mortis.

57 Quando in Indiis competentia ſuborta fuerit inter Commiſſarios Subdelegatos, & alia Tribunalia Eccleſiaſtica, vel Sæcularia, duo coniudices, alter Eccleſiaſticus, alter ſæcularis Commiſſario aſſociantur, & maiori parti ſuffragiorum ſtatur: ſi verò diſcordes extiterint, ea ſententia tenebit, cui Prorex, aut Gubernator ſubſcripſerit. Olim tamen Prorex tales competentias componebat, vt præceptum fuerat per litteras datas Madridij die 20. Iunij, anno 1606.

CAPVT X.

De inſtructione ſeruanda à Commiſſariis ſubdelegatis in Indiis in taxatione eleemoſynæ accipiendæ in ſubſidium Cruciatæ, & in ſui muneris functione.

58 Commiſſarius Generalis Hiſpaniæ, qui ſubdelegat Commiſſarios ad ſolum Indicum, ſimul eos inſtruit ſuper functione ſui muneris, & deſignat eleemoſynam, quæ in ſubſidium Cruciatæ ſunt accepturi ob gratias, & facultates, quas conceſſerint. Quæ inſtructiones referuntur ab Alphonſo Perez de Lara *in compendio trium gratiarum, à pagin.* 190. Primùm debet Commiſſarius Generalis ſubdelegatus curare, vt Bulla Cruciatæ publicetur cum eo apparatu, pompa, ac ſolemnitate, quæ à Rege noſtro, & à Commiſſario Generali præſcribitur, de quo *ſuprà.* Deindè conari tenetur, vt concionatores Bullæ, ſiuè Regulares, ſiuè Clerici, ſint viri eruditione prædicti, zelo animarum inflammati: quibus commendent enixè, vt gratias, ac indulgentias Bullæ dilucidè explicent, & excitent fideles ad acceptionem illius. Debentque Commiſſarij ſtipendium eiuſmodi concionatoribus deſignare, & non permittere, vt pro concionibus quartam, aut aliud emolumentum percipiant, vt Pontifex præſcribit. Cum Prorege autem debet communicare Commiſſarius quidquid videbitur neceſſarium ad prædicationis huiuſmodi promotionem.

59 Deindè circa iuriſdictionem, qua pollent prædicti Subdelegati Generales inſtruuntur à Commiſſario Generali, de qua ſatis *ſuprà.* De Quæſtoribus, eiuſque officialibus ſollerter curare debent, vt ſuo muneri ſatisfaciant. Bona pertinentia ad Cruciatam vigilanter adquirere, & conſeruare tenentur, non tamen aliquid vltra debitum ſunt exacturi. Bullas, quæ ex quavis publicatione ſuperſunt, inuiſuri ſunt, & collecturi, ne quis in poſterum eis vtatur, rationemque illarum ad Commiſſarium Generalem remittere præcipiuntur. Lictores poſſunt deſignare, aliosque miniſtros, qui eleemoſynam colligant, & cæteras cauſas Cruciatæ peragant.

60 Pro diſpenſationibus ſingulis ſuper irregularitate, in qua diſpenſare poſſunt prædicti Commiſſarij, eleemoſyna accipienda, ſunt quinquaginta drachmæ argenteæ: ſi verò caſus fuerit grauis, ob quem contracta fuerit irregularitas, ea eleemoſyna eſt duplicanda in Cruciatæ ſubſidium. Præterea pro diſpenſatione, quæ iuxta Bullæ tenorem (de

Digitized by Google

(de quibus *ſuprà diſp.37.*) poteſt conferri in caſibus ſecretis matrimonij contracti , exiſtente impedimento illicitæ affinitatis in primo, vel ſecundo gradu , accipiendæ ſunt in fauorem Cruciatæ centum drachmæ argenteæ. Si verò impedimentum aduenerit poſt contractum matrimonium , diſpenſationi,quam poſſunt concedere ad petendum debitum , aſſignantur pro eleemoſyna quinquaginta drachmæ argenteæ. In vtroque autem caſu, ſi diſpenſatio concedatur Indis, ex genere , dimidium eleemoſynæ prædictæ reſpectiuè erit ab eis præſtandum. Rurſùs pro licentia audiendi Miſſam per horam ante auroram, & per horam poſt meridiem , ſingulæ perſonæ præſtare debent centum viginti quinque argenteas drachmas , vnde vir , & vxor ſimul eam eleemoſynam ſunt duplicaturi.

61 In compoſitione bonorum incertorum, quam prædicti Commiſſarij facere queunt , decimam partem debent exigere , & applicare Cruciatæ. Idem dicito de compoſitione ſuper fructibus beneficiorum iniuſtè adquiſitis ob defectum recitationis Horarum Canonicarum ; ſed Commiſſarij tenentur dimidium huius decimæ partis applicare Eccleſiis. in quibus eiuſmodi beneficia,ſeu præbendæ retinentur. Omnes prædictæ diſpenſationes , ac compoſitiones annotandæ ſunt in libris rationis Cruciatæ , vt poſteà de ea eleemoſyna tradita Quæſtori ratio reddatur, cum per annotationem præfatam conſtare poſſit,quænam ſumma fuerit accepta à Quæſtore. Commiſſarij ſubdelegati particulares prædicta omnia debent pariter obſeruare in his,quæ præſtare poſſunt.

62 Ad Cruciatam pertinet ea pars , quæ in commutatione votorum , ac iuramentorum facta virtute Bullæ , à Confeſſario debet iniungi ei, cuius vota commutat, & ſub pœna excommunicationis maioris præcipit Cõmiſſarius Generalis omnibus Confeſſariis,vt eam eleemoſynam non applicent aliis operibus piis , ſed Cruciatæ : ita vt is , cuius vota commutantur , immittat eleemoſynam à Confeſſario deſignatam in arculam , quam Quæſtor , Receptor, ſeu Concionator Cruciatæ debent conari , vt in quovis Monaſterio , Paræcia , aut oppido figatur in Eccleſiæ loco commodiori , ac tutiori , titulo hoc deſuper inſcripto : *Aquì ſe han de echar las commutaciones de votos , y juramentos votiuos.* Cuius arculæ expenſis Cruciatæ factæ , ac collocatæ duplex diuerſa clauis eſt apponenda : alteraque tradenda Parocho Eccleſiæ , aut Superiori Monaſterij , altera Prætori , aut Iudici ordinario loci. Tempore autem , quo Quæſtor , aut eius officialis ad locum aduenerit , vt eleemoſynam ex Bullis comparatam colligat , aperienda eſt arcula , præſente Prætore , aut Iudice ordinario, & Notario publico : decimaque pars pecuniæ ibi inuentæ præſtanda eſt Parocho , aut ſuperiori : quibus ſub pœna excommunicationis præcipitur à Commiſſario Generali , vt hoc munus adeò pium acceptent , & diebus feſtis , ac Dominicis , cum poſt offertorium hortati fuerint Paræcianos , vt Bullam Cruciatæ accipiant , ſimul eos admoneant de pecunia in eam arculam immittenda,quæ ſibi à Confeſſariis pro cummutatione præfata fuerit præſcripta. Vbi contigerit , hanc arculam non eſſe, ea pecunia præſtanda erit Commiſſario ſubdelegato,& in huius defectum Quæſtori , aut Receptori. His enim competit munus colligendi bona , quæ ad Cruciatam ſpectant.

CAPVT XI.

De inſtructione Commiſſariorum Cruciatæ ſubdelegatorum particularium Hiſpaniæ.

63 INſtructio hæc refertur ab Alphonſo Perez de Lara *in compendio trium gratiarum, pagina* 276. obſeruandaque eſt etiam à Commiſſariis particularibus Indiarum, vbi opportunus fuerit locus. Igitur in primis in Eccleſia Matrice Commiſſarij hi particulares locum deſignatum habere debent , in quo ſtent pro tribunali ſingulis hebdomadis feria tertia,& quinta, & omnia negotia ad Cruciatam,ſubſidium,& excuſatum pertinẽtia pertractent,præſente Notaio,nec alibi niſi ibi,& ſimul congregati , actum iudicialem exercere queunt, niſi in caſu abſentiæ , aut legitimi impedimenti aliquorum ex illis. Nequeunt admittere ceſſiones , nec conſentire , vt Collector eas admittat , nec debita alia, quæ non cedunt in bonum Cruciatæ, aut aliarum gratiarum, poſſunt petere , aut adquirere. Si autem debitor Cruciatæ ſoluendo præſtò non ſit,aut abſit à Regnis , queunt fructus facultatum ipſius capere , & , quæ ei ab aliis debebuntur , percipere. In collectione autem ſubſidij , & excuſati obſeruare tenentur inſtructionem , quæ ipſis quolibet quinquennio mittitur : & curare , ne in collectione ſumptus ſuperflui fiant : diſtributionique faciendæ ſubſidij , & excuſati præſentes adſint & intra triginta dies referant Conſilio ſupremo Cruciatæ , quid & quomodò peregerint.

64 Ipſi admoneant Concionatores Bullæ, vt in quovis oppido in fine Concionis propalent, omnes , qui certiores fuerint bonorum abinteſtato , & eorum , quos nuncupamus *Moſtrencos* , debere manifeſtare illa : rationemque eiuſmodi bonorum , quæ fuerint

Digitized by Google

manifeſtata concionatoribus, hi ad ſubdelegatos prædictos referant. Quicumque autem ea bona, quorum dominus ignoratur, inuenerit, ea manifeſtet ipſis ſubdelegatis iudicibus, qui in depoſito illa ſeruabunt, & publicè per annum, & duos menſes voce præconis dominus inquiratur, quo non comparente, venalia proponentur, & pretium Cruciatæ applicabitur. Si autem dominus comparuerit, deductis expenſis, ei reddentur. Quòd ſi bona non queant ſeruari, ſunt vendenda, & idem de pretio præſtandum, quod foret de re ipſa. Super his videatur *lex 7. & 8. titul. 13. libr. 6. Recopilation. & lex 9. tit. 10. lib. 1. Recopilat.*

65 Contra inuenientes bona relata, eaque non manifeſtantes, procedere debent hi iudices ſubdelegati, etiam ſi ius ad illa prætendant, quod ius eſt examinandum. Indè tamen excipiuntur Regulares Sanctiſſimæ Trinitatis, & Beatæ Mariæ de Mercede, qui ius ad illa habent, dum primi acceſſerint, & etiam in bonis *Moſtrencos*, tribunal vocatum *de la Meſta*. Quòd ſi in loco, in quo hæc bona reperiuntur, non fuerint iudices Cruciatæ, præcipitur inuentor ea manifeſtare coram Notario à iudicibus illis ad id deputato, & hoc deficiente, coram ipſis.

66 Aliquo moriente ab inteſtato abſque conſanguineis intra quartum gradum, Lictor Cruciatæ, vel quivis aliùs, ad cuius notitiam perueniret, denuntiet ante iudices Cruciatæ, ipſique de re informationem accipiant, iubeantque, tria edicta publicari ſucceſſiuè, ſingula præfigentia terminum ſaltem triginta dierum, quibus conſtet, ea bona applicanda eſſe Cruciatæ, niſi manifeſtetur hæres ex teſtamento, vel ab inteſtato. Quo non comparente, elapſis terminis, procedetur in cauſa iuxta iuris practici normam, & duplex pars applicabitur Cruciatæ, tertia verò denuntiatori, miniſtris, ac iudicibus Cruciatæ: ſi autem compareat conſanguineus, aut hæres, ei bona reſtituentur. Quæ autem applicantur Cruciatæ, publicè vendentur voce præconis, vt fieri ſolet. Fine verò anni, aut initio ſequentis iudices mittent pecuniam ex eiuſmodi applicatione collectam Receptori Conſilij ſupremi Cruciatæ, cum publico teſtimonio à iudicibus ſubſcripto, & per Notarium roborato. Quòd ſi bona ſint immobilia, nec pretio iuſto vendi queant, ſedulus eorum adminiſtrator eſt conſtituendus, referendaque res Conſilio ſupremo Cruciatæ.

67 In cauſis criminalibus, quæ ad iudices prædictos ſpectauerint, pœna pecuniaria infligenda, non niſi in ſubſidium Cruciatæ eſt applicanda, vel in expenſas, quæ in cauſis eiuſmodi fient. Rationem etiam de his quotannis reddent, cum ipſa pecunia, & teſtimonio publico. Librum rationis habent, in quo omnia ſupradicta fideliter inſcribant. Pœnæ autem pecuniariæ non apud iudices, ſed apud Quæſtorem, Receptorem, aut Depoſitarium ſunt collocandæ, qui ſuo nomine ſubſcribent in fine cuiuſvis cauſæ ſcriptæ, ſe eam pœnam pecuniariam accepiſſe, vt poſteà ratio ab illis exigatur. Deſignare poſſunt Quæſtores, & Exactores in diuerſis territoriis: & in defectum Lictoris, deſtinare aliquem, qui ad tempus faſce iuſtitiæ viatur. Non verò poſſunt miniſtros ordinarios conſtituere, aut titulum muneris eis præſtare: quippè hoc Commiſſario Generali competit.

68 Obſeruare tenentur inſtructionem, quæ quotannis eis mittitur in ordine ad publicationem Bullæ Cruciatæ, eleemoſynæque exactionem. Normam autem præfixam pecuniæ accipiendæ pro exercitiis ſui muneris non excedant: conenturque, miniſtros omninò obſeruare eam, quæ ad ipſos attinet, à Rege determinatam.

CAPVT XII.

De Quæſtoribus Cruciatæ: de prælis, in quibus excuditur Bulla: & de ipſius Concionatoribus.

69 OMitto aliqua de Quæſtoribus, quæ noſtro non ſunt apta inſtituto. De Quæſtorum eleemoſynarum abuſu breuiter ſed eruditè, vt aſſolet, aliqua congerit Don Ioannes de Solorzano *tom. 2. de iure Indiarum, lib. 3. cap. 25. à num. 2.* Quia tamen hoc nomen Quæſtoris variis ſignificationibus donatur, in tota ferè *hac diſp.* nos illud accepimus pro eo, quē vulgò appellamus *Teſorero*: & quamvis etiam ſignificet eum, quem dicimus, *Contador*, vt tamen hunc diſtingueremus, addidimus *ſuperiùs* de eo agentes, *Quæſtor Rationalis*. Quæ, etſi miniuſcula, annotare libuit claritatis gratia, & ad vitandam æquiuocationem, ſeu ambiguitatem.

70 Quomodò Quæſtores Cruciatæ pro ſingulis Diœceſibus, territoriis, aut locis, eligantur, conditioneſque, pacta, & formæ, quę cuſtodiuntur, dum cum ipſis fœdus aut ratio initur, his deſignatis, qui tutiùs, & in maius ſubſidium Cruciatæ, munera hæc poſcunt, factaque deſignatione à Conſilio Regiæ gazæ, quod vocamus, *de Hazienda*, ſimulque à Conſilio ſupremo Cruciatæ, ferente primum ſuffragium Præſide eius Conſilij, ſecundum Commiſſario Generali, ſequentia Senatoribus, vtriuſque Senatus confusè, ab antiquioribus incipiendo, prolixum, moleſtum, & inutile

Digitized by Google

inutile eſſet hic referre. Videat, qui velit apud Laram *in compend. trium gratiarum, à pag.* 330. Quæ electio, & deſignatio Quæſtorum extenditur ad totam Hiſpaniam, Siciliam, & Indias. Aduertendum eſt tamen, non pauca ex his omnibus, quæ ex Lara afferimus, decurſu temporis, & circunſtantiis exigentibus, fuiſſe mutata, aut omiſſa.

71 Hi Quæſtores ad ſexennium, vel etiam ab breuius tempus deſignantur, quibus incumbit, curare, vt publicatio Bullæ fiat, intra terminum à Dominica prima Aduentus, vſque ad Dominicam in Palmis: & in quovis territorio, eodemmet tempore Eccleſiaſtici anni, aut naturalis, (iuxtà conſuetudinem,) quo anno præcedenti fuerit publicatio facta. Poſt publicationem ſtatim tenentur præſtare Bullas, tum accepta illicò eleemoſyna, tum creditò, nomine ſumentis annotato, vt poſſint ab eo poſteà eleemoſynam exigere. Quòd ſi ex commiſſione Cruciatæ illæ Bullæ, vel Iubilæi fuerint publicandi, mediis ipſis Quæſtoribus id eſt præſtandum. Cùm autẽ reddiderint rationem eleemoſynæ collectæ, tranſcripta Bullæ, quæ ſuperfuerint, manifeſtabunt, vt ea ſumma minuatur, ſimul cum expenſis, ſi eas fecerint in excudendis prælo einſmodi Bullæ tranſcriptis. Ipſi cæterùm colligere debent, vt rationem reddant, quæcumque bona ad Cruciatam pertinent ex pœnis pecuniariis, aliaque *ſuperiùs* dicta. Si autem, dum fœdus pepigerint, numerum determinatum exegerint Bullarum, adhuc poterunt poſteà aliàs expoſcere, & de illis etiam rationem exhibebunt. Vtque eorum ſolutio ſit tutior, fideiuſſores præſtare debent iuxta requiſita à iure; vbicumque autem eis à Rege ſolutio exigatur, ſoluere tenentur: aliàs ipſorum expenſis mittetur exactor. Rationem verò cunctorum ante Rationales Conſilij ſupremi Cruciatæ ſunt reddituri.

72 Inſtructio à Commiſſario Generali Quæſtoribus præbetur, vt in publicatione Bullæ, eleemoſynæque collectione, ea ſedulitate procedant, quæ in maius vergat Cruciatæ emolumentum: ſimul etiam conceditur publicum inſtrumentum facultatis ad adminiſtandum ſuum munus in publicatione Bullæ, collectioneque eleemoſynæ. Inſuper à Rege facultatem habent ad exigendam eleemoſynam, quæ pro Bullis adhuc debetur, & deſignandi exactores, qui vtantur faſce iudiciario, & ſint iudices meri executiui, quibus iudices ſæculares oppidorum auxilium, ac fauorem præſtare tenentur, vt comparent debitam pecuniam.

73 Bullæ Cruciatæ tranſcripta, quæ accipiuntur in Regnis Caſtellæ, Legionis, Aragoniæ, Ieruſalem, Canariæ, Sardiniæ, Mallorcæ, prælo excuduntur in Cœnobio Sancti Petri Martyris Ordinis Prædicatorum in vrbe Toletana: & in Monaſterio de Prado Diui Hieronymi extramuros Pintiæ, totidem in vno, ac in alio. Tranſcripta autem, quę ad Indias mittuntur, pręlo mandantur in Cœnobio Sancti Hieronymi de Buena viſta in vrbe Hiſpalenſi. Quæ verò in Sicilia inſumuntur, prælo dantur in Collegio Societatis IESV Panormi. Quod autem commodum prædictis Cœnobiis, ac Collegio, & aliis exindè accreſcat, & quomodò, vide apud Laram *ſuprà à pagina* 294. Eis autem Communitatibus mittitur à Conſilio ſupremo Cruciatæ numerus deſignatus tranſcriptorum cuiuſque Bullæ, quę ſunt excudenda, & inſtructio, aut deſignatio earum, quæ cuilibet Quæſtori ſunt tradendæ. Quotannis verò à tribunali Rationalium Cruciatę decretum mittitur ſuperioribus earum Communitatum, vt ad ipſos remittant relationem Bullarum, quæ Quæſtoribus ſunt traditæ, & earum, quas Quæſtores reddiderint, eo quòd neceſſariæ non fuerint, (dum conſtet, non reddi aliquas, in ſcripto nomine eorum, qui eas acceperunt, quod eſſet fraus manifeſta, cum illæ Bullæ acceptæ fuiſſent, & pro non acceptis redderentur, ita vt eleemoſynam pro illis erogatam ſibi Collectores aſſeruarent,) hiſque relationibus vtentes Rationales, rationem à Quęſtoribus petunt dati, & accepti. Ne tamen fraudes aliquæ committantur in excuſione Bullarum, & ſubreptitie aliquę prælo mendentur, quarum eleemoſynam fraudator accipat, Cruciatæ minuens emolumenta, à Commiſſario Generali præcipitur, prę-la ipſa quandoque ſuo nomine inuiſi, & ad vniuſcuiuſque regimen ſpeciales ſunt adhibitę ordinationes, quas affert Lara *ſuprà à pag.* 299.

74 Tenentur Quęſtores pręſentare inſtrumenta publica, quę ſibi à Commiſſario Generali, & Conſilio ſupremo Cruciatæ præbentur, iudicibus ſubdelegatis Cruciatæ eius territorij, in quo Bulla eſt publicanda expenſiſque ſuis relationem à Notario faciendam Concionatorum, & Receptorum, qui mittuntur ad Bullæ prædicationem intra quinquaginta dies ante Commiſſarium Generalem præſentare. Nullus tamen fidelium ab ipſis, aut ab aliis eſt cogendus, vt Bullam accipiat, quia nec beneficium confertur inuito, nec eleemoſyna, niſi vltronea, eſt colligenda. Vt verò omnibus innoteſcat Bullæ vtilitas, in oppidis, in quibus non aſſiſtunt Iudices ſubdelegati Cruciatæ, ex commiſſione Generalis Commiſſarij queunt

Digitized by Google

queunt Concionatores ſub pœna excommunicationis præcipere, vt incolæ concioni aſſiſtant. Ipſi verò concionatores tenentur exponere gratias, priuilegia, indulta cuiuſque Bullæ, taxam eleemoſynæ erogandæ & præcipuas facultates Commiſſarij, bona item ad Cruciatam pertinentia, & hortari enixè auditores, vt Bullam accipiant, ne tam ingenti animarum vtilitate priuentur, & vt conſcij bonorum pertinentium ad Cruciatam ea denuntient. Oportet autem eiuſmodi Concionatores expoſitionem Bullæ recoluiſſe, vt ſuo muneri plenè ſatisfaciant: ſimulque legiſſe inſtructionem, quæ ad prędicationem Bullæ compacta eſt à Commiſſario Generali, & affertur à Lara *ſuprà à pagin.* 215. In qua etiam inſtruuntur Quæſtores, & alij Officiales, ac Miniſtri Cruciatæ, & nos plura ibi contenta in *in ſuperioribus* libauimus. In quovis oppido ex Bullæ relinquentur, quæ neceſſariæ ad incolas videantur, deponendæque ſunt apud virum timoratum, & qui calleat rationem dati, & accepti reddere.

CAPVT XIII.

De ſtributione bonorum, quæ in ſubſidum Cruciatæ colliguntur.

75 QVia hæc bona ſunt Eccleſiaſtica, ſicut & ea, quæ ex ſubſidio, & excuſato comparantur, ideò præceptum eſt à Regibus, vt Præſes, & Senatus gazæ Regiæ temporalis nullo pacto ſe intromittant ad eorum gubernationem ſed ſolus Commiſſarius Generalis, & Conſilium Cruciatę omnino de illis curent, & ad nullos alios fines, niſi ad deſtinatos per Pontifices in Bullis, ac Breuibus ea conuertant, cùm cenſuræ graues fuerint impoſitæ aduerſus aliter diſtribuentes. Quare etiam ſi Rex ipſe ad alium finem aliqua ex eis bonis impendi iubeat, moneri debet à Commiſſario; nec tenetur eius primo decreto obedire: vt Rex ipſe notat in decreto dato Pintiæ die quarta Aprilis, anno 1603. Deponenda eſt autem pecunia, tam ex Cruciata, quàm ex aliis gratiis congeſta in arca, quæ triplici claui obſeretur, clauesque duæ apud duos Rationales Cruciatæ, alia vorò apud Quæſtorem Generalem Regium obſeruandæ ſunt in Curia. In aliis verò oppidis, ſeu territoriis, in quibus ex præſcripto Regis, aut Commiſſarij Generalis ſimilis arca fuerit, clauem vnam cuſtodiet is, qui ab eodem Commiſſario fuerit deſignatus, cæteras hi, quos Regia Maieſtas deſtinauerit.

76 Apud Rationales libri erunt, in quibus acceptum, & datum inſcribatur. Non tamen aliter præſtanda eſt pecunia, niſi per ſchedulam, quæ proprio nomine à Commiſſario, Aſſeſſore: ſeu Senatore, & Rationalibus ſubſcribatur. Ipſe Commiſſarius deſignaturus eſt, conſulto Rege, Depoſitarios, Quæſtores, alioſque miniſtros neceſſarios ad adminiſtrationem bonorum Cruciatæ, & aliarum gratiarum, qui laici ſint, & idonei, fideiuſſoreſque ſufficientes ad maiorem præſtent ſecuritatem. Quando verò ratio ſumenda eſt omnium bonorum, quæ ex Cruciata, atque ex aliis gratiis fuerint collecta, intereſſe debent ſimul cum Quæſtoribus, & Fiſcali Cruciatæ Quæſtores Regij ſupremi, ad ſummas inſpiciendas deſignati. Ex Indiis cæterùm affertur pecunia argentea, ſeu argentum, & aurum ad Cruciatam pertinens, debetque à Præſide, & Senatu gazæ Regiæ Indicę in vrbe Hiſpalenſi ſeorſim aſseruari in duas partes diuiſum: quarum vna ſit bonorum, quę ex eleemoſyna erogata pro Bullis Cruciatę reſultauit: alia verò eorum, quę ex compoſitionibus factis per Commiſsarios Indicos, ex gratiis, ac diſpenſationibus, ex communicatione votorum, atque ex pœnis pecuniariis emanauerint. Prima pars inſumenda omnino eſt in fines per Bullam ipſam Pontificiam deſignatos; non verò in alios: nec aliter ab eo Pręſide, atque Senatu pręſtanda, niſi ex pręſcripto Commiſsarij Generalis, etiam ſi alia reſcripta, aut litterę circa ea bona eis pręſententur: Commiſsarius autem noſcere debet à Rege, quibus perſonis, cui militię ſit applicaturus eiuſmodi ſummam. Secunda pars tribuenda eſt etiam ex pręſcripto Commiſsarij, non expectato Regis decreto, ad ſumptus, & redditus miniſtrorum tribunalis Cruciatę, expenſaſque ipſiuſmet tribunalis, quibus à Rege eſt applicata. Similiter in Hiſpania bona hęc, quę procedunt ex pœnis pecuniariis, compoſitionibus, aliiſque huiuſmodi applicata ſunt à Rege ad prędictos ſumptus, ac expenſas: in quas conuerti non poſſunt cętera bona ad Cruciatam attinentia. Prędicta omnia ita ſunt à Rege ſtatuta per reſcripta data Madridij, die 14. Nouembris, anno 1609. & Pintię die 25. Februarij, anno 1606.

CAPVT XIV.

De Legibus noſtri Regni latis circa Cruciatam.

77 QVia ad leges municipales attenditur pręcipuè in tribunalibus, ideò breuiter attingemus, quęnam ſint in Hiſpania lata circa Cruciatam. *libro primo Recopilat. titul.* 10. *leg.* 1. ſtatuitur vt perſonę idoneę deputentur ad Bullę prędicationem, quæ non publicent

publicent aliquid aliud præter id, quod in ipſâ continetur. Vt nullus ad Bullam accipiendam cogatur. *Lege* 2. præcipitur, ne Quæſtores Cruciatæ compellant populos, vt comitentur ipſos, aut aſſiſtant concionibus, excepto die, quo fit ſolemnis publicatio, quoad vtrumque compellere queunt, & præterea diebus aliis feſtis; non autem cæteris, poſſint hortari, & præcipere, vt concioni aſſiſtant. Ne ad colligenda ea, quę debentur Cruciatæ, vtantur cenſuris; ſed iudicaria executione, quin miniſtri Cruciatę aliquid ſibi applicent, aut indè percipiant. Pignora autem, quæ à debitoribus extraxerint, non aliò diducant; ſed in eodem oppido vendant eis, qui maiori pretio illa emerint, voce præconis die antecedente notum faciendo, quòd ſequenti die ſunt exponenda venalia. Quòd ſi ibi commodè vendi nequeant, voce præconis manifeſtent, hac de cauſa ad oppidum vicinius ea pignora portari, & quot dies ibi ſit verſandum, vt poſſint domini pignorum illuc adire ad ea redimenda, ſi velint. Die, quo miniſtri Cruciatæ ab vno oppido exeunt in aliud, tenetur populus eos comitari vſque ad oppidi portas; non verò poteſt compelli, vt vſque ad aliud oppidum eos comitetur. Nec item compelli queunt incolæ oppidi, ſi abſentes ſint, vt ad oppidum aduenìant adſtituri publicationi Bullæ. Si autem duo, aut plura oppidula vnicam tantummodò Paræciam habeant, compelli queunt, vt illuc congregentur die publicationis Bullæ, & comitentur miniſtros, cum ex loco, in quo Paræcia eſt ſita, exeunt, vſque ad vltimas domos. Pœna demùm triginta millium dipondiorum infligitur miniſtris Cruciatæ, qui prædicta non obſeruauerint.

78 *Lege tertia eiuſdem tituli* cauetur, vt procedatur via ordinaria ad colligendum pecunias, quæ Cruciatæ debeantur, nec indicatur Eccleſiaſticum interdictum ob debita cuiuſvis perſonæ priuatæ. *Lege quarta*. Ne Commiſſarij in ſubſidium Cruciatæ exigant aliquid ex his, quæ Confraternitates, aut oppida expenſis propriis inſumunt in ludis publicis agitationis taurorum, aut in epulis charitatiuis. *Lege quinta*, vt quæcumque aliæ Bullæ compoſitiones, aut ſubſidia à Pontificibus in poſterum concedentur, non niſi ad vſus ab ipſis concedentibus deſignatos expendantur. *Lege ſexta*: vt quæ adhuc Quæſtores, cæterique diſpenſatores Cruciatæ, poſt finitam rationem officij debuerint, etiam ad fines deſtinatos in Bullis Pontificum, non ad alios, applicentur. *Lege ſeptima*: vt in reſcriptis, aut prouiſionibus, quę ad res Cruciatę expedientur, ſua chirographa aliqui ex ipſo Conſilio ſupremo Cruciatæ ſupponant. *Lege octaua*: vt nulli iudices ſęculares cognoſcant, nec per formam, aut viam violentię de rebus pertinentibus ad Commiſſarios Cruciatę, nec admittant petiones, aut appellationes circa illas, *lege nona*: idem ampliùs cauetur, vt nullo prorsùs pacto iudices ſęculares ſe intromittant in cauſis Cruciatę, & in Quęſtorum exactionibus: nec eos impediant, quominùs exigant bona inuenta abſque domino, & bona ab inteſtato eius, cuius intra quartum gradum non apparet conſanguineus.

79 *Lege decima eiuſdem tituli* pręcipitur, vt in ſuis ędibus Commiſſarius Generalis ſtet pro tribunali ſingulis hebdomadis feria tertia, & Sabbatho, hora tertia poſt meridiem tempore hyemis, hora quarta tempore veris, ibique aſſiſtant Aſſeſſor, Fiſcalis, Rationales, cęterique miniſtri, nec horę limitentur; ſed neceſſarię inſumantur: ibidem verò petitiones, prouiſiones, & cauſę expediantur, & quę ad iuſtitiam attinent, Aſſeſſor ſignet; quę verò ad gazam Cruciatę, ſignet vterque Rationalis: Vt neutiquam agnoſcant de cauſis ciuilibus, aut criminalibus miniſtrorum Cruciatę, niſi cauſę ad Cruciatam pertineant: quare iudices proprios non inhibeant in cauſis prędictis. Vt non mittantur iudices generales extraordinarij; ſed pro caſu occurrente iudex particularis ad illum inueſtigandum, quando fuerit opus. Vt, cum per viam violentię ad Conſilium Regium è Conſilio Cruciatę aliqua cauſa feratur, Aſſeſſor informet de his, quę oportebit, nec abſque eius informatione audita quidquam Senatores Regij decernant. Vt Commiſſarius in publicatione Bullę omnino ſtet reſcriptis iam expeditis. Vt curam habeat de pręlis, quibus Bulla excuditur, vt fidelitas obſeruetur, & in locis, quibus præla ſunt, nullum oſtium ſit immediatum ad viam publicam, aut hortos, vel campos; ſed intra ipſum Monaſterium, vnicumque id; feneſtræ verò altæ, & virgis firmatę ferreis, ſolùm ad lucem accipiendam habiles. Cubiculum item, in quo pręlum eſt, duplici claue obſeretur, quę apud duos ſit Religioſos, & hi ſimul aperiant, alterque pręſens ſemper aſſiſtat. Apud duos etiam Religioſos ſint duo libri rationis, in quibus numerus Bullarum, quę traduntur, annotetur, Quęſtoribus ſubſcribentibus: Bullas autem non tradent, niſi ex Commiſſarij pręſcripto à Rationalibus ſignato, abſque quorum ſigno nullum tale pręſcriptum exhibebit Commiſsarius. Regulares item illi tradent papyrum officialibus, annumeratis chartis, poſteaque ab ipſis accipent tranſcripta Bullę excuſa, iterum enumerata, & in cubiculo duabus obſerato clauibus ea ſeruabunt, & ſigillabunt. Nec alibi, niſi in Monaſteriis ad hoc deſignatis Bulla queat excudi.

80 Rursùs,

80 Rursùs, vt ibidem prælo dentur inſignia, quæ ad publicationem Bullæ feruntur, & eorum expenſæ à Quæſtoribus ſoluantur, nil tamen præter expenſas ab eis expoſcatur. Vt Commiſſarius Generalis fine cuiuſvis triennij, ſeu anteà, ſi expediens videbitur, ſimul cum Rationalibus inuiſat præla, libroſque prædictos. Quòd ſi Commiſſarius non verſabitur in loco, vbi præla ſunt ſita, mittat Viſitatorem: vt Quæſtores ſoluant eleemoſynam omnium Bullarum, quæ eis fuerint aſſignatæ. Vt in diſpenſationibus, & compoſitionibus, non excedatur iuriſdictio à Pontificibus delegata: quod vt conſtet, nulla diſpenſatio expedietur, quin eam videat, & ſignet Aſſeſſor. Vt Commiſſarius ſubdeleget facultatem, quam iudicauerit expedientem, iudicibus inferioribus Cruciatæ, quam ſubdelegationem Aſſeſſor inſpiciat, & ſignet. Vt Receptor bonorum ex compoſitionibus reſultantium, ſit laicus, & bonæ notæ, qui fine anni cum Rationalibus conferat, quæ collegit, vt poſſit agnoſci, quantum in ſubſidium Cruciatæ deſtinari valeat. Vt antequam Commiſſarius fœdus cum Quæſtoribus ineat, rem totam pertractet cum Rationalibus. Aſſeſſore, & Senatore Regiæ gazæ ad id deſignando.

81 Prætereà, vt deſtinato die Commiſſarius, eiuſque Senatus conueniat cum Senatu Regiæ gazæ, vt inſpectis epiſtolis eorum, qui Quæſturam Bullarum petunt, eligant aptiores, quam electionem omnes ſignent, antequam Rex ſubſcribat: Quæſtores verò, etſi diuites, cautionem fidei iuſſoriam præſtent: ſi verò in deſignatione Quæſtorum diuerſitas ſuffragiorum interceſſerit, maiori parti ſtandum erit. Quòd ſi lis indè aliqua oriatur inter partes, quarum electio intererat, Senatores Regij deſignandi litem diriment ſimul cum Commiſſario & Aſſeſſore Et quæcumque conſultationes circa Cruciatam, & alias gratias ſint faciendæ, aſſiſtent cum Commiſſario, Aſſeſſor, & Rationales. Hi cæterùm vnaquaque hebdomada conuenient ſemel ad conferendum inter ſe de libris Cruciatæ, conuentuſque erit quadam hebdomada in domo vnius Rationalis, alia verò in domo alterius: quolibetque abſente, officialis eius ibi conueniet. Quantum pro executione eorum, quæ ad ſuum munus ſpectant, ſint accepturi Rationales, officialeſque ipſorum, manifeſtent Conſilio ſupremo Cruciatæ: nec aliud donum accipiant, aliàs illud reſtituent, & quadruplum prima vice, inter Regiam Cameram, & denuntiatorem diuidendum: & ſecunda vice muneribus priuabuntur, & pro qualitate exceſſus punientur. Si verò in hoc deliquerit Commiſſarius, Regis arbitrio relinquitur, quid ſit præſtandum.

82 *Lege* 12. *eiuſdem titul.* 10. *lib.* 1. *Recopilat.* iubetur: vt Bullæ, antequam typis mandentur vulgari lingua, videantur à Commiſſario, & Aſſeſſore, ac tribus doctis viris Ordinum Prædicatorum, Diui Franciſci, & Diui Auguſtini, à quibus omnibus ſubſcriptæ in libros Rationalium transferantur. Vt Commiſſarius ſubdeleget iuriſdictionem ſuam in Diœceſibus Canonicis Doctoralibus, aut Magiſtralibus, vel Fidei Quæſitoribus: eiſque abſentibus, aut impeditis, aliis viris doctis, ita tamen, vt in quauis Diœceſi ſolummodò ſint duo Commiſſarij ſubdelegati. Vt ſi aliæ gratiæ, aut indulgentiæ in Regis fauorem decurſu temporis publicentur, expenſis Regis diſpenſentur, Quæſtoreſque Cruciatæ non maius indè, quàm ex Bullis ipſius Cruciatæ emolumentum accipiant. Vt publicatio Bullæ fiat per Concionatores Ordinum nuper dictorum à Prouincialibus propriis deputandos, quorum alimenta Rex ſuppeditabit: & non fiat per Clericos, niſi in Eccleſiis, vbi Canonicus Magiſtralis fuerit, qui ibi eam eſt prædicaturus.

83 Deindè vt exactio eleemoſynæ fiat per Collectores ab oppidis deputandos iuxta Decretum Regium anteà expeditum. Vt circa publicationem fœdus ineatur, vt conuenientius cenſebitur, per territoria, aut Diœceſes. Vt non impediatur, quo minùs ad pauperes, & ad xenodochia, aliaque pia opera oſtiatim mendicetur, dum tamen non publicentur indulgentiæ, inſigna, aut miracula: quòd præcipiatur in reſcriptis miſſis ad ſingulas Diœceſes in ordine ad Bullæ publicationem; Vt omnes Bullæ, & Breuia conceſſa, & concedenda in fauorem Cruciatæ, & ſubſidij colligantur, & obſeruentur in arca tribus clauibus obſerata, quas apud ſe retineant Commiſſarius Generalis, & Rationales, ac poſt quodlibet ſexennium mittantur ad ſcrinia Regia oppidi de Simancas.

84 *Lege* 13. *eiuſdem tituli*, præcipitur, vt nullæ gratiæ, aut indulgentiæ publicentur, aut typis excudantur, niſi priùs fuerint inſpectæ ab Ordinario Diœceſis, & poſteà à Commiſſario Generali approbatæ, aut ab alio de eius licentia. Aliter verò facientes, ſi laici ſint, dimidium bonorum ſuorum amittent Cameræ Regiæ applicandum, exilioque perpetuo ab his Regnis damnabuntur: ſi autem ſint Eccleſiaſtici, Prælatus ordinarius, & Commiſſarius Generalis eum iuxta criminis qualitatem mulctabunt: Prælatique teneantur ad Commiſſarium prædictum remittere delinquentes.

85 *Lege*

Digitized by Google

85 *Lege* 14. iubetur, vt oppida deſignent eleemoſynæ Collectores laïcos, ac bonæ notæ, qui vt vitentur ſumptus exactorum, comparent eleemoſynam Bullarum, quas eis Quæſtores tradiderint: qui præſtent cautionem fideiuſſoriam, & obſtringantur præſtare eleemoſynam congeſtam poſt quadraginta dies, expleto termino exactionis: & priuſquàm ad hoc obſtringantur, inſpiciendum eſt à iudicibus oppidorum, an aliqui ſint ex his, qui Bullas acceperunt, quorum ſolutio ſit incerta, aut dubia. Tradituri ſunt autem pecuniam collectam Quæſtori, aut Lictori per illum miſſo, qui poterit eos omni vtens rigore iuris compellere ad tradendam integram quantitatem, ad cuius ſolutionem fuerunt obſtricti. Præfati autem Collectores etiam poterunt iuris remediis vti, vt eleemoſynam comparent: dum tamen, ſi pignora à debitoribus extraxerint, vel in ipſo loco, vel in loco, quia eſt caput territorij; venalia exponant. Hi cæterùm ex qualibet Bulla vnum ſibi dipondium adquirent, nec aliquo officio oneroſo poſſunt affici eo anno, quo Collectores ſunt: nec, niſi ſpontè velint, vſque ad tertium annum iterùm Collectorum munus ſubibunt: oppida autem ipſa tenebuntur reſarcire damna, quæ ex Collectoribus huiuſmodi ſequentitur. Demùm, ſi publicentur in ſubſidium Cruciatæ aliqui Iubilæi, in quibus eleemoſyna inijcienda eſt à lucrantibus illum in arculam, ipſi Collectores arculas diſponant, & eleemoſynam collectam Quæſtoribus deindè tradant, indeque ex mille ſibi ipſis vnum applicetur. Ecce leges Recopilationis, ex quibus conſtat, plura ex dictis *in hac diſputat.* fuiſſe firmata, aut de nouo ſtatuta: aliqua verò fuiſſe reuocata; quale eſt illa prohibitio mendicandi oſtiatim, de qua *in ſuperioribus*. Alia verò poſt has leges ſunt introducta.

CAPVT XV.

De ſtylo ordinis iudicialis in Conſilio ſupremo; & Tribunalibus Cruciatæ.

86 EX adhuc dictis liquidò conſtat ſtylus, ordo, forma, & modus procedenti in Conſilio ſupremo, & reſpectiuè in tribunalibus inferioribus Cruciatæ: iuriſdictio, qua gaudent; cauſæ, quæ dirimuntur; iudices, miniſtri, officiales: tempus, & alia huiuſmodi. Prætereà ex legibus huius Regni allatis *capite præcedenti* cernitur, quo pacto iudices, & litigantes ſint proceſſuri. Et generaliter loquendo modus, quo lites, ac cauſæ in aliis tribunalibus Eccleſiaſticis pertractantur, ſeruatur in tribunali Cruciatæ, in cuius ſupremo Conſilio Fiſcalis vices agit ipſius Cruciatæ; Commiſſarius autem, vt attigimus, præter cauſas, quas in tribunali decernit, ſeorſim aliquas gratias concedere poteſt, quæ tamen videndæ, & ſignandæ ſunt, iuxta ſtatuta in legibus præfatis Regni, ab Aſſeſſore, ſeu Senatore Cruciatæ & Rationalibus, aut Quæſtori debent innoteſcere: non quia alius, niſi Commiſſarius iuriſdictionem concedendi eas gratias exerceat, cùm ea ſit Eccleſiaſtica, & Commiſſario delegata à Pontificibus; ſed vt introſpiciatur, ne ſit exceſſus iuriſdictionis, & conſtet, quantum ex eis emolumentum in Cruciatæ fauorem proueniat: Senator autem, ſeu Senatores Cruciatæ, & Rationales iuriſdictione Regia, qua pollent, ſuffragio gaudent ad dirimendas cauſas, ad quarum determinationem iuriſdictione Eccleſiaſtica non eſt opus: qua etiam Regia iuriſdictone Commiſſarius potitur, & eius ſubdelegati. Quando aliqua cauſa à Conſilio ſupremo Cruciatæ, aut ex inferioribus tribunalibus per viam violentiæ deuoluitur, quid præſtetur, dictum eſt *cap.* 1. *& capit. præcedenti.* Ab inferioribus iudicibus Cruciatæ conceditur ad ſuperiores iudices ipſiuſmet Cruciatæ appellatio, & immediatè ad illos debet interponi caſu, quo ſit interponenda. A ſententia autem Conſilij ſupremi Cruciatæ poteſt ad Regem ſupplicari. A ſententia verò Euchariſtica Commiſſarij Generalis ad Nuntium Apoſtolicum appellatio non datur; ſed in tribunali ipſius, vtpote immediatè delati Pontificis cauſæ debito fine terminantur.

87 Adhuc anno 1573. ordinationes à Rege præſtitæ fuerunt die 16. Decembris, circa modum procedendi in Conſilio Cruciatæ, quas hic perſtringemus. Triplex dies deſignatur, vt ſtet pro tribunali Commiſſarius comitatus cæteris miniſtris, duplexque hora in quolibet, veſpertino tempore. Præcipitur rursùs, vt nulla facultas, aut reſcriptum à Commiſſario expediatur, quin ab Aſſeſſore ſignetur. Vt reſcripta expedita à Conſilio ſupremo Cruciatæ, & à Rege ſubſcribenda, non recolantur, ac ſignentur ab officialibus Cruciatæ; ſed à Secretariis Senatuum Caſtellæ, & Aragoniæ, provt fuerint reſpectiuè ad Regna eiuſmodi reſcripta. Vt Fiſcalis ſedulò ſuum munus exerceat tum in delinquentes in Cruciatam, tum pro eius ſubſidio comparando: aſſiſtatque ſimul cum Rationalibus Cruciatæ diebus, quibus hi cum Rationalibus Regiis conueniunt, vt facultatum Cruciatæ rationem veſtigent, ac ſcrutentur. Vt Receptor compoſitionum, & bonorum, quæ Cruciatæ applicantur, non per Commiſſarium, vt ſolebat, ſed à Rege deſignetur: cuius Receptoris ſummam rationis frequenter Commiſſarius, ac Rationales

introſpiciant: & illicò atque quantitas mille ducatorum in eius extiterit poteſtate, deſignetur, cui ſoluenda ſit. Vt ſingulis quatuor menſibus ad Receptorem prædictum exiſtentem in Curia, cæteri Collectores compoſitionum, applicationum, pœnæ pecuniariæ, & bonorum ab inteſtato, in quolibet territorio deputati mittant omnem pecuniam, quam comparauerint.

88 In eiſdem ordinationibus præcipitur, in poſterum non eſſe præſtanda ſeptingenta ducata ex bonis Cruciatæ quibuſdam, qui titulò obtinendi licentias à Prælatis, vt quaſdam gratias in fauorem Cruciatæ publicarent, (quæ iam ceſſarunt,) id ſtipendium lucrabantur. Vt ſtipendia miniſtrorum Cruciatæ non perſoluantur anticipato tempore, vt præſtari mos erat, ſed tribus anni temporibus poſt ſingulos quatuor menſes muneris adimpleti. Vt nihil ex Crùciata, ſubſidio, aut excuſato perſoluatur vi alicuius ſchedulæ expeditæ à Commiſſario, aut Conſilio Cruciatæ, quæ Regis manu non ſit ſubſcripta. Deindè appoſita eſt taxa pretij, ſtipendij, aut pecuniæ accipiendæ à miniſtris Cruciatæ, pro quovis ſuorum munerum vſu, ac exercitio: ſcilicèt à Rationalibus, ab officialibus eorum, propter ſigillum, & ab oſtiario.

89 Nec Rationales, aut alij miniſtri Cruciatæ poſſunt aliquid accipere pro his, quæ expedierint ad ſubſidij gratiam attinentia, niſi ſint cauſæ iudiciales, in quibus taxatam quantitatem percipere valebunt, non verò pro aliis, etiam ſi ſpontè ſibi pecunia offeratur; præterea nequeunt à litigantibus accipere pretium eorum, quæ in poſterum ſunt executuri; ſed eorum, quæ ipſa die exercuerint, aliàs quadruplo damnantur Regiæ Cameræ applicando. Rationales autem impedire non valent ſuos officiales, quo minùs ſtipendia ſibi debita accipiant.

90 Rurſus ordinationes prædictæ ſtatuunt, vt Commiſſarius non cogat Quæſtores Diœceſium, vt plures epiſtolas ipſius Commiſſarij mittant ad Concionatores, pluravè *Vidimus* (hoc eſt, tranſcriptum Bullæ Cruciatæ à Commiſſario ſubſcriptum, à quo ſigillum pendet, quod tranſcriptum pelle pergamena delineatur,) aut alia reſcripta, quàm quæ fuerint neceſſaria. Vt quando deſignandi ſint iudices, aut Commiſſarij ad executiones faciendas, aut alia munia præſtanda, in ipſo Conſilio Cruciatæ diſcutiatur, vtrùm ſint neceſſarij, necne? perſonæque idoneæ, ac rectæ deſignentur, commiſſioniſque facultates eis præbendæ priùs ab Aſſeſſore inſpiciantur, vt dignoſcat, an ſint probatæ famæ viri hi, quibus præbentur; ſi ſecùs, Commiſſarium admoneat. Vt Fiſcalis ſedulò inueſtiget, an Rationales ſingulis hebdomadis conueniant ad perſcrutandos libros Rationis Cruciatæ, à quibus auferat Commiſſarius monitus à Fiſcali totum ſtipendium illius hebdomadæ, in qua non conuenerint. Vt Commiſſarius diſquirat, an in libris Cruciatæ Rationales annotent, vt eis incumbit, quæcumque ad Cruciatam, & alias gratias ſpectant.

91 Quæ omnia latiùs reperies apud Alphonſum Perez de Lara *in compend. trium gratiarum, lib. 2. à pag.* 107. vbi mentionem facit aliarum ordinationum, quas Rex expediuit in vrbe Coruña, die 10. Iulij, anno 1554. Præterea *pag.* 117. refert mandatum Conſilij ſupremi Cruciatæ, quo iniungitur, vt quavis hebdomada deſignetur miniſter, qui ſit hebdomadarius, qui omnia reſcripta, ſchedulas, decreta, aliaque huiuſmodi pertinentia ad Cruciatam, & ad alias gratias in Regnis Hiſpaniarum, in Sicilia, & Indiis, quæ expedienda, ac ſubſcribenda ſunt, priùs videat, & ſignet: idemque præſtent Rationales, ac reliqui officiales in his, quæ ad ipſos attingunt: ita vt nullum reſcriptum, aut ſchedulam Conſilio Cruciatæ, aut Regi deferant, quam ipſi non inſpexerint, atque ſignauerint. Decreta autem ad executionem eorum, quæ à Conſilio Cruciatæ determinata ſunt, expedienda, Relator ipſius Conſilij tenetur perſpicere, ſignare, & ſubſcribere ibi, illud decretum conforme eſſe omnino ei, quod viua voce Conſilium Cruciatæ pronuntiauit. Hæc de praxi tribunalium, & miniſtrorum Cruciatæ, de eorumque, munere, facultate, priuilegiis, & exemptionibus aggregare potui.

TRACTATVS

Digitized by Google

TRACTATVS

APPENDIX MISCELLANEVS, AD ELVCIDATIONEM BVLLÆ CRVCIATÆ.

PROXIMVM iam erat prælo opus præcedens in prima editione, cum ad Hiſpaniam noſtram peruenit Bulla Cruciata illuſtrata, & explicata à P. Franciſco Bardi è noſtra Societate, quæ licèt anno 1646. Panormi in lucem prodierit, attamen labente anno 1649. primum ad hoc Regnum appulit. Fateor, ei deberi laudem, quòd primus inter innumeram Authorum Societatis congeriem, ex profeſſo Bullam declarauerit, cuius omnino ego inſcius, eam ſaltem mihi laudem tribuendam exiſtimaueram: cum ideò Opus iſtud fuerim aggreſſus, quòd nullum, inter noſtros anteſignanum haberem. Igitur, dum ſudabat ſub prælo, P. Bardum feſtinus; ſed attentus perlegi, eruditiſſimum virum miratus, & ne poſt ipſum hic liber editus ieiunus videatur, aliqua, in quibus contrariè ſentimus, aut queis aliquam denuò lucem afferre, fuit congruum, in hoc appendice *libabo: nec omnia attingere licèt ob preſſuras temporis, & ne inde volumen vltra animum creſcat. Miſcellaneus erit tractatus, cum ex variis materiis, quæ in Bullæ illuſtratione diſcutiuntur, ſit congerendus: nec breuitas locum methodo prolixiori permittat. Ad calcem tamen indicem huius tractatus ſeorſim apponam. Hæc pro prima editione. Iam verò cum hoc opus ſecundò excudatur, & Me relato nonnulli Authores aliquas ex meis opinionibus impugnauerint, diſputationem quintam huius Appendicis denuò addo, in qua eis facere ſatis intendò, & mea profata amplius ſtabilio.*

DISPVTATIO I. PROŒM.

Aliqua ſunt communia Bullæ communi Viuorum, Defunctorum, Compoſitionis, & Lacticiniorum pro Eccleſiaſticis, quæ *hac diſputatione* breuiter libabuntur.

CAPVT I.

Vtrùm priuilegia Bullæ ſint amplè, an verò ſtrictè interpretanda.

1 ESse amplè interpretanda, aſſerui *ſuperius diſp.1. à n.46.* Cæterùm P. Franciſcus Bardi *tom. in Bull. Cruciat. part.1. tract.1. c.5. à n.3.* docet priuilegia Bullæ, quæ inuoluunt actualem diſpenſationem, ſeu relaxationem iuris eſſe ſtrictè interpretanda: amplè verò, quatenùs important poteſtatem relaxandi. Probat primam partem aſſerti, quia diſpenſatio exhorbitans à iure eſt odioſa, vulnus iuris, & inducens ſingularitatem in perſona, cui fit: odioſa autem eſt ſingularitas.

2 Satis à nobis impugnata eſt hæc ratio, quam Trullench, & Rodriguez pro ſe etiam attulerunt. quare noſtræ ſententiæ eſt inſiſtendum, quam tuetur Baſilius Legionenſis *in explic. manuſcripta Bullæ:* Merolla *tom. 2. diſp.4. cap.6. dub. 2. corol.3. n.91.* & alij quam plurimi. Videatur ea diſputatio prima, vbi diſtinxi priuilegia priuata quæ vni, vel alteri perſonæ conceduntur: & hæc odioſa ſunt, ac ſtrictè interpretanda: & priuilegia, quæ in bonum publicum indulgentur, & quaſi continent ius commune: atque hæc ius non vulnerant, cum ipſum ius illis cedat: nec contra ius ſunt iudicanda; ſed præter ius, cum ipſum ius commune quaſi conditionatam vim præcipiendi contineat: ſcilicèt niſi bonum commune animarum aliud expoſcat: expoſcit autem diſpenſationes in Bulla contentas, quæ animarum bonum concernunt.

3 Nec obſtat textus *in c.1. de filiis presbyterorum in 6.* allatus à P. Bardi: in quo docet Bonifacius Octauus, illegitimum, cum quo per Sedem Apoſtolicam diſpenſatur, vt valeat ad beneficium, etiam ſi curam animarum habeat, promoueri, non poſſe niſi vnicum beneficium obtinere prætextu eius diſpenſationis, *quam exhorbitantem à iure oportet, veluti odioſam reſtringi.* Etenim hæc diſpenſatio eſt priuilegium priuatum, nec quaſi continet ius commune, nec in bonum commune animarum tendit, quare reſtringenda eſt; ſed ex ea ad priuilegia Bullæ non valet argumentum, cum longè aliter ea ſe habeant.

4 Nec item obſtat textus *in cap. cum dilectus, de conſuetudine,* à P. Bardi propoſitus: quin ex illo noſtra concluſio poteſt roborari. Quippè, poſtquam Innocentius Tertius proponit ibi litem ſuper electione quadam Abbatis Monaſterij Andrenenſis, eam caſſat, ideò ſolùm, quia à ſuſpenſis, & circa perſonam ſuſpenſam fuerat facta, cum eſſent incapaces electionis propter ſuſpenſionem: & poſtmodum Iudicibus delegatis id ita committit: *Mandamus, quatenus ſi ex parte Karoſenenſis Cœnobij talis fuerit conſuetudo probata, quæ iuri communi præiudicet, in hac parte vos ſecundùm illam decernatis.* Ecce amplectenda eſt conſuetudo, adhuc contra ius commune introducta: quia conſuetudo non attinet ad perſonam priuatam, ſed communem vſum reſpicit: à fortiori ergo priuilegia generalia, quæ non ſunt contra, ſed præter ius commune, & bonum publicum intendentia, abſque reſtrictione ſunt amplectenda. Nec video *in eo capite* aliquid, quod contrarium ſuadeat, aut inſinuet.

CAPVT II.

Quid ſpecialiter à Rege Hiſpaniarum ſit præſtandum ad lucrandum indulgentias Bullæ Cruciatæ?

5 P. Franciſcus Bardi *in Bull. tract.2. cap.1. ſect.1.* aſſerit, onus, quod à Rege noſtro à Pontificibus poſtulatur, vt indulgentias in Bulla conceſſas obtineat, eſſe induſtriam, & ſedulitatem, qua diligenter curet expeditionem aduerſus Infideles. Quòd ſi illam non curet, non lucrabitur indulgentias ei, vt capiti, conceſſas. At, vt priuata perſona, ait hic Author, obtinebit Rex indulgentias, & alia Bullæ priuilegia, ſi recipiat Summarium Bullæ, ſicuti reliqui recipiunt, quamvis negligat curam expeditionis. Probat, quia finis proximus, quem intendit

Digitized by Google

Pontifex,eſt, vt Rex reddatur potentior ad eiuſmodi expeditionem, congeſta ex Bulla eleemoſyna: mediatus autem finis eſt ipſa expeditio, qui, etſi deſit, adhuc tamen proximus manet.

6 Non poſſum huic aſſentire doctrinæ: & ſuppono, caſum eſſe metaphyſicum,non practicum, cum conſtet, ſemper Regem noſtrum naues armatas aduerſus Turcas pyratas,necnon,& militias aduerſus fidei hoſtes ſuſtentare:nec vſquam ab eo,ac ſucceſſoribus in his fore ceſſandú,dubitari poteſt. At, in caſu poſito,aſſero, Regem non fore lucraturum indulgentias,ac priuilegia. Etenim ſupponitur, eum non eſſe curaturum de expeditione aduerſus nominis Chriſtiani hoſtes:deindè per acceptioné ſummarij factam à Rege,vt à reliquis accipitur,non redditur Rex potentior, ſicut redditur per acceptionem ab aliis factam,ſiquidem ipſe ex ſuis bonis non poteſt reddi locupletior,ſi ſummarium accipiat,eleemoſyna præſtita, ſicut alij accipiunt: ergo deficit finis proximus intentus à Pontifice, & à P.Bardi deſignatus, atque adeò ex hoc argumento ad hominem, vt dicunt, nequibit Rex eo caſu indulgentiis,ac priuilegiis Bullæ gaudere.

7 Nec dici valet,ſolâ acceptioné Summarij ſufficere: ea enim valdè materialiter ſe habet,dum non adimpletur conditio à Pontifice appoſita,vt Rex ipſe inuigilet expeditioni, aut accipientes Bullam erogent eleemoſynam, qua ille ad expeditionem reddatur potentior.

8 Confirmatur. Ponamus per impoſſibile,Regem negligere eius expeditionis ſollertiam,& prætereà præcipere,vt ſummaria Bullæ cunctis traderétur omnino gratis. Dicat mihi P. Bardi, an hi gaudere tunc poſſent Bullæ priuilegiis? Sanè reſpondebit negatiuè conſequenter ad ſuam doctrinam,cum Rex non redderetur ad expeditionem potétior,& deficeret finis immediatus.& proximus à Pontifice in cōceſſione Bullæ intentus.In hoc ergo caſu Rex non obtineret indulgentias,vt caput expeditionis,cú eam negligeret,nec vt priuata perſona accipiens ſummarium,cum ſe haberet,vt reliqui,qui nec eas tunc obtinerent:quod indè eueniret,quia per eam acceptionem ſummarij factam à Rege non redderetur potentior ad expeditionem. Idem ergo in caſu ſuperiori contingit:niſi velis in eo, Regem emendicare Bullam ab alio, qui eleemoſynā præſtaret in ipſa deſignatam,ſeu tunc à Cōmiſſario Generali deſignandā, qui adhuc non decreuit taxam eleemoſynæ à Rege in caſibus his non practicis elargiédam:extra quos Rex noſter omnia priuilegia Bullæ conſequitur,quin ſummariū accipiat,cum ipſa cōceſſio Pontificis ei fiat, vt capiti ſollerter expeditionem curanti.

9 Hinc reſpondeo quæſtioni vulgari, an Bulla ſumentibus prodeſſet, ſi Rex eleemoſynam ex illa congeſtam in alios vſus,& non in expeditionem, profunderet,affirmatiua pars eſt tenenda,quia obtinetur finis proximus intentus à Pontifice; ſicut ſi indulgentia concederetur erogantibus eleemoſynam ad ornamenta altaris, ſeu Eccleſiæ, eam obtinerent erogantes, etiam ſi ea à colligentibus illicitè vſurparetur.

10 Addo, hoc caſu non teneri Regem ad reſtitutionem. Etenim Pontifex ei applicat præfatam eleemoſynam, vt reddatur potentior ad expeditionem contra Infideles: eaque applicatio effectum abſolutè ſortitur, dum redditur potentior, ac fit dominus eius pecuniæ, quam ſi profundat, poſtquam dominium obtinuit, etſi peccet, nulli tamen iniuriam facit, nec contra iuſtitiam delinquit. Sicut bona Eccleſiaſtica tenetur Clericus, poſt ſuæ familiæ decentem ſuſtentationem, in pauperes, ac pia opera inſumere, ad id enim applicat illi Pontifex prouentus eiuſmodi, vt ſe ſuſtentet, ac reddatur potens ad pauperes ſuſtentandos: attamen, quamvis illicitè eos prouentus inſumat, reſtituere non tenetur, eoquòd applicatio eorum fuerit ei abſolutè præſtita, & dominium eorum adquiſiuerit.

CAPVT III.

An milites Cruciata priuilegiis gaudentes teneantur, dum exiſtunt in exercitu, ieiunare, ſi ieiunium ſit eis iniunctum à Confeſſario.

11 SVppono,milites in Bulla Cruciatæ deſignatos non teneri ad ieiunandum diebus præceptis ab Eccleſia,& in his,ad quos ex voto aliundè tenebantur. De quo egi *ſuperius diſp.*13.*n.*5. Ad quæſtionem ergo propoſitam reſpondet P.Franciſcus Bardi *in Bull.part.*1.*tr.*2.*c.*1.*ſect.*2.*n.*21.Eos teneri ad eiuſmodi ieiuniū,nam illud non includitur in Bullæ priuilegio, eo quòd eius obligatio oriatur ex diuerſæ rationis capite, nempè ex ipſo Sacramento.

12 Oppoſitum mihi ſaltem probabile videtur. Et pono duo. Aliud eſt,in Bulla cōtineri non ſolùm priuilegia, verùm etiam declarationes ad tollendos ſcrupulos, quin priuilegium ibi inuoluatur,vt de irregularitate non contrahenda à Clericis, vel Regularibus exercētibus pia opera in exercitu diximus *ſuperius diſp.*10. *à n.*12. Tunc autem erit ſolum declaratio,& non priuilegium,quandò abſque priuilegio res declarata fieri poteſt, ſaltem iuxta probabilem,ac tutam opinioné.Aliud eſt,milites degētes in caſtris,vel iter agentes,aut excubantes,aut in re militari occupatos, ſiuè, etiam ſi degant intra muros credentes probabiliter, futuram eſſe occaſionem pugnandi, eximi à lege ieiunij abſque vllo priuilegio, ob labores, & incommoda.Ita docent Paſqualig. *deciſ.*311.Leander de Sacramento *tom. in præcepta Eccleſ. tract.*5. *diſ.*8 *q.*91.

13 His poſitis,probatur meum iudicium.In Bulla reſpectu militum potiùs apponitur declaratio ad tollendos ſcrupulos in obſeruatione ieiunij,quàm priuilegiū,ſiquidem iuxta ſuppoſitum ſecundum deobligati ſunt à ieiunio:at hæc declaratio pariter vim habet,ac extenditur ad ieiunia iniuncta à Confeſſario in Sacramento Pœnitentiæ,ac ad alia ieiunia ex voto,vel præcepto: igitur ex vi Bullæ non tenentur milites ad illa ieiunia, potiùs quàm ad hæc. Suadetur minor. Quia, cum quis ob rationem impotentiæ,ſiuè hæc proueniat ex ægritudine,ſiuè ex fatigatione graui,non tenetur ad obſeruationem ieiunij ex præcepto, aut voto: nec tenetur ad illud ex præcepto Confeſſarij, quod non obligat pro tunc arctiùs, quàm præceptum Eccleſiæ. Etenim quis dicat, hominem iter pedibus neceſſariò facientem teneri ad ieiunandum, eoquòd Confeſſarius ieiunium ei iniunxerit?aut ægrotum, vel ſimilem? Idem ergo de milite dicendum eſt.

14 Fateor,eam obligationem non extingui;ſed debere militem ab exercitu abeuntem cùm primùm cōmodè poſſit,adimplere ieiunia à Confeſſario iniuncta,ſicut debet ægrotus,& iter pedibus agens,& ſimiles,cùm abſque incommodo graui valeant. Sed id ſolum intendo, dum miles eſt in exercitu,non teneri. Sicut,ſi miles vouit tres dies ieiunij in anno, abſque determinatione temporis, ſi integrum annum verſetur in exercitu,omnino excuſabitur à ieiunando: ſi verò abſcedat per aliquam anni partem extremam, ieiunare ex voto tenebitur: quia tunc obligatio non eſt finita tempore, ſicut obligatio orta ex Sacramento Pœnitentiæ tempore non finitur.Quòd ſi determinarentur à Confeſſario dies ieiunij in honorem aliquarū feſtiuitatū, & his diebus miles in caſtris eſſet,non teneretur tunc ieiunare propter dicta,nec poſteà,quia extincta eſt obligatio: non aliter ac extingueretur, ſi illis diebus ægrotaſſet: ſuppoſito, quòd à Confeſſario deſignati eſſent dies, veluti terminus, vltra quem non vltrà obligatio duraret.

CAPVT IV.

An Bulla valeat in Inſula Lipari, & aliis ſubiacentibus Siciliæ?

15 P. Franciſc. Bardi *in Bull.part.*1.*tr.*2.*ſect.*1.affirmat, in ea Inſula, & ſimilibus,quæ vnū Regnū politicum

cum cum Sicilia conſtant, poſſe Bullam Cruciatæ promulgari, eſtò nunc temporis non promulgetur: cum Bulla ſit conceſſa pro Regno Siciliæ, quod non debet conſiderari materialiter, vt ſub Inſulæ propriis terminis continetur; ſed prout componit Regnum ſub vnius Proregis poteſtate conſtitutum.

16 Relicta in ſua probabilitate, & veritate, hac concluſione, contrarium ſuadet id ipſum, quod præfatus Author affert in reſponſione ad primam rationem contrariam, in qua, dum intendit excuſare Fortunium Arighmettum Cruciatæ miniſtrum, quod ad inſulam Liparenſem Bullas non transmittat, ſe ipſum in ſuo aſſerto damnat. Ait enim, Eminentiſſimum Cardinalem ab Auria Commiſſarium Cruciatæ in Regno Siciliæ, accepto per litteras ab Hiſpaniis mandato tranſmittendi Bullas in Liparim id exequi incepiſſe; ſed fuiſſe paſſum repulſam ab Epiſcopo Liparenſi, qui Bullas ibi non permiſit promulgari: & cum ad Summum Pontificem negotium fuiſſet delatum, Pontifex approbauit repulſam ab Epiſcopo factam. Ecce fatetur P. Bardi, Pontificem approbaſſe, quaſi rectè appoſitam, repulſam Bullæ in Lipari: ergo, quia Pontifex non concedit Bullam reſpectu eius inſulæ: ſi enim concederet, non approbaſſet, quin potiùs obligaſſet Epiſcopum, vt Bullas publicari permitteret, & non apponeret impedimentum Apoſtolicæ conceſſioni. Ea igitur approbatio fuit quaſi quædam declaratio mentis Pontificiæ, nempè quòd non intendebat concedere Bullam reſpectu Liparis: quod ſi idem, qui Bullam concedit, ſeipſum declarat, quid proſunt argumenta, quæ pro ſuo aſſerto affert hic Author? Sanè videtur, non ea conſideratione, qua alia perpendit, Pontificiam illam approbationem expendiſſe, vt ſaltem aliquod quæreret ſubterfugium.

17 Prætereà credibile non eſt, Commiſſarium Generalem Cruciatæ ignorare in inſula Lipari non promulgari Bullam, & non curare, vt promulgetur, vt inde ad ſubſidium belli compararetur eleemoſyna: nec ideò deſtitutum, quia Epiſcopus ille repugnauit promulgationi, cum facile eſſet, illum, vel ſucceſſores vinci, ſi pro ea inſula fuiſſet Bulla conceſſa. Quare credam, poſt eam approbationem Pontificis *ſuprà* allatam, in ea eſſe mente Commiſſarium Generalem, quòd pro præfata inſula Bulla non conceditur: quare ante eam approbationem, ſeu ſententiam Pontificis Commiſſarius Generalis credens, Bullam pro Lipari concedi, præcipiebat illuc Bullas tranſmitti, poſtmodùm verò non præceperunt ſequentes Commiſſarij, non quidem ob incuriam, quæ nequit præſumi; ſed quia à Pontifice declaratum eſt, Liparim extra Bullæ terminos iacere, licèt terminis Siciliæ ſubiaceat.

Mendo in Bull. Cruciat.

CAPVT V.

An poſſit gaudere priuilegiis Bullæ is, qui ſolùm ciuiliter accedit, aut commoratur in loco, in quo Bulla valet?

18 Commoratio, ſeu acceſſus ad locum bifariam ſumitur; primò propriè, quando quis realiter, ſeu perſonaliter ad locum accedit, vel in illo commorātur: ſecundò ciuiliter, quando quis realiter à loco abeſt, ſed in eo domicilium, aut quaſi domicilium habet, indeque abſceſſit breui reuerſurus. Ponamus ergo, habere quem domicilium Panormi, vbi Bulla Cruciatæ viget, & per tempus exiguum petiiſſe Neapolim, vbi Bulla non valet. Quæritur, an, ſi accipiatur Bulla Panormi pro illo exiſtente tunc Neapoli, poſſit Neapoli gaudere Bullæ priuilegiis, excepto vſu ouorum, & carnium?

19 P. Franciſcus Bardi *in Bull. part. 1. tract. 2. cap. 3. ſect. 2. §. 4.* tres ſententias excogitat, primam negantem; ſecundam affirmatiuam: tertiam mediam, ſcilicèt eum hominem exiſtentem Neapoli poſſe gaudere priuilegiis Bullæ, quæ amplè debent explicari, non verò illis, quæ ſtrictè. Addit prætereà, triplicem hanc ſententiam eſſe probabilem, & tutam; tertiam verò probabiliorem.

20 Sentio, ſolam ſententiam negantem eſſe veram: affirmantem autem eſſe falſam: mediam denique eſſe falſiorem. Primum ſuadetur. Quippè conditio à Pontifice appoſita, & omnino neceſſaria, vt quis fruatur priuilegiis Bullæ, eſt acceſſus ad locum, ſeu commoratio in loco, in quo Bulla viget, eo tempore, quo Bulla accipitur, ſeu acceptatur: at hic acceſſus, ſeu commoratio eſt realis, non ciuilis, ergo. Maior eſt certa, & ex ea omnes Authores, ac ipſe P. Bardi, negant, ſufficere tranſmiſſionem eleemoſynæ pro Bulla ad locum, in quo valet, ex loco, in quo non valet: quia licèt eo caſu apponatur finis intentus à Pontifice, nempè quòd ſubſidium belli augeatur, non tamen apponitur conditio, quam ipſe pontifex requiſiuit.

21 Minor probatur: nam ea commoratio, ſeu manſio ciuilis eſt impropria, & ficta: verba autem Pontificis nequeunt extendi ad fictam manſionem: ea enim ampla interpretatio eſſet abſurda: cum pontifex concedens Bullam commorantibus, ſeu accedentibus ad talia loca, vel Regna, loququi communi modo, non ciuili introducis Poncauſas, & negotia peragenda. Quo, potiùs

excluderet à fruendis priuilegiis ab eodem conceſſis illum, qui ab eius obedientia deficeret, quàm hæreticum, ſaltem purè internum. Cur enim ſentiat commodum à Pontificis conceſſione proueniens, quin ſentiat onus obedientiæ? aut quomodo, ſi ſit idem numero Pontifex is, à cuius obedientia deficit, & qui conceſſit priuilegium, poterit ille homo vti hoc priuilegio, tamquam legitimo, & excuſante ipſum ab obſeruatione legis, qui in hoc ipſo fateatur, illum, quem negabat, eſſe verum Pontificem valentem concedere priuilegia, & in legibus Eccleſiaſticis diſpenſare? Quare iudico, eatenùs ſchiſmaticum, ſicut & hæreticum, poſſe frui aliquibus priuilegiis Bullæ, quatenùs in acceptione illius à pertinacia deſiſtit, & ſe ſubdit Pontifici, non verò aliter.

CAPVT IX.

An Regulares poſſe abſolui virtute Bullæ Cruciatæ à reſeruatis, ſit probabile ſaltem extrinſecè?

33 TRractaui quæſtionem de abſolutione Regularium à reſeruatis fuſo calamo *diſp.* 24. *Et inferiùs diſp.* 5. *cap.* 6. ad eam redibo. P. Franciſc. Bardi *in Bull. par.* 1. *tract.* 2. *cap.* 5. docet, eam ſententiam eſſe improbabilem, & adminùs falſam.

34 Attamen *cap.* 1. *ſect.* 1. refert pro ea opinione affirmante Alphonſum Perez de Lara, Ioannem de la Cruz, Valerum, Ioannem Sancium, Sotum, Lopez, & Seraphinum de Freitas. Nec exprimit, quo tempore hi Authores id docuerint, nec expendit, nunc eos contrarium fore aſſerturos.

35 Etenim ante Bullam Vrbani Octaui expeditam die 19. Iunij, anno 1630. quæ incipit *In ſpeculâ*, nequit dubitari, graues adeò, & plures Authores fuiſſe pro illa ſententia, vt ſaltem extrinſeca probabilitas ei negari non poſſet, reſpectu Regularium, quibus per Breue, aut per Bullam ſpecialem vſus Bullæ, in ordine ad finem præfatum non interdicebatur, ſicut noſtræ Societatis Religioſis Pontifex interdicebat. At poſt Bullam Vrbani, nullus Author id aſſeuerauit. Quippè Trullench, qui in prima editione id defendebat, in ſecunda editione ſui tomi *in Bullam Cruciatæ*, cum legiſſet iam Bullam Vrbani, ſuperaddidit, omnia fundamenta à ſe poſita, non habere locum poſt eiuſmodi Bullam. Prætereà *ea diſp.* 24. eneruaui, quod aſſeruit Diana, ſaltem viuente Vrbano Octauo, Bullam non prodeſſe Regularibus quoad prædictum effectum: Vnde aliquis inferret, eo mortuo, prodeſſe: & etiam Leandrum de Sacram. referentem, à Rege noſtro Hiſpaniarum ſupplicationem à Bulla Vrbani fuiſſe interpoſitam. Quod P. Bardi non potuit impugnare, quia Leander, Author recens, ſicut & alij, qui de Bulla Cruciatæ *nuper* in tomis moralibus tractatus inſeruerunt, ad eius non peruenere manus. Vidi ego, legi, & frequenter *in ſupertoribus* eo refero.

36 Idipſum præ oculis eſt habendum, cum ſecunda ſententia appoſita à P. Bardi *vbi ſuprà numer.* 4. legatur: quatenùs docet, poſſe virtute Bullæ eligi à Regularibus Confeſſarium, qui eos à reſeruatis abſoluat, dummodò Confeſſarius ſit ex deputatis, & approbatis ab eorum Prælatis. Quam opinionem tenuit Villalobos, pro ea adducens viros doctiſſimos à ſe conſultos, Curiel, Archiepiſcopum Antolinez, Cornejo Carmelitanum, & aliquos Societatis noſtræ Magiſtros Salmanticenſes. Eam probabilem iudicauit Diana *part.* 1. *tr.* 11. *reſol.* 14.

37 Verùm Villalobos ſcripſit, & eos viros, doctiſſimos ſanè, conſuluit ante Bullam Vrbani Octaui: & Diana, re melius perpenſa, *in additionibus poſt.* 3. *part.. reſol.* 9. abſolutè, & abſque reſtrictione oppoſitum docuit, licèt eam clauſulam addiderit, quam *nuper* attigimus *n.* 35.

CAPVT X.

An Regulares virtute Bullæ Cruciatæ poſſint, eligere Confeſſarium, qui eos abſoluat à mortalibus non reſeruatis?

38 NEgat Pater Franciſcus Bardi 1. *part. tract.* 2. *cap.* 5 § 4. ſecutus Cardinalem Lugo. Innititur Bullis Pij V. Gregorij XIII. Clementis VIII. Gregorij XV. & Vrbani VIII. Et quia oppoſita ſententia validè fundatur in Bulla ipſa Vrbani Octaui, in qua prohibetur Regularibus vſus Bullæ Cruciatæ, in ordine ad eligendum Confeſſarium, qui eos abſoluat à reſeruatis: quæ reſtrictio, ac exceptio ſemper à Pontifice præfixa firmat regulam in contrarium, nempè quòd non prohibetur Regularibus vſus Bullæ Cruciatæ in ordine ad electionem Confeſſarij, qui eos à non reſeruatis abſoluat: ideò hic Author conatur hanc reſponſionem eludere.

39 Contrariam ſententiam etiam, reſpectu Religioſorum noſtræ Societatis, (reſpectu quorum ſpecialia, & plura indulta à Pontificibus ſunt expedita) docuì *in ſuperiorbus diſputat.* 24. *à numur.* 185. Nec à mea ſententia dimoueor ob rationes allatas à Patre Bardi: quippè eas omnes *loco relato* propoſui, & enodaui impugnans Cardinalem Lugo. Quare tutò poſſunt Regulares eam

Digitized by Google

eam ſequi, cum prætereà adhuc poſt Bullam Vrbani Octaui aliqui Authores graues ipſam docuerint quorum authoritate redditur probabilior. Inferiùs iterùm *diſp.5. cap.7. de hac ſententia ſermo redibit.*

CAPVT XI.

An Regulares de licentia ſuorum Prælatorum poſſint accipere Bullam Cruciatæ in ordine ad electionem Confeſſarij?

40 Affirmat P. Franciſcus Bardi *vbi nuper* §. 5. docens de licentia Prælati poſse Regularem virtute Bullæ Cruciatæ eligere Confeſsarium, qui eum abſoluat tum à non reſeruatis, tum à reſeruatis. Eo mouetur argumento, quod iudicat efficax. Quia poteſtas conceſsa in Bulla ad eligendum Confeſsarium, quantum eſt ex ſe, præſcindendo à præiudicio Religionum, eſt generalis, & omnes perſonas comprehendit: at dum Prælatus præbet ſubdito facultatem vtendi Bulla, ceſsat præiudicium, nec dantur inconuenientia, quæ vitare intendit Pontifex, dum negat Regularibus vſum Bullæ in ordine ad electionem Confeſsarij: ergo tunc ſub Bullæ verbis etiam Regulares comprehenduntur, atque adeò Confeſsarium eligere valebunt. Itaque ait, ſtante eo præiudicio, non includi Regulares in ea poteſtate eligendi Confeſsarium: ſic verò, ceſsante præiudicio.

41 In primis, vt *cap. præced.* aſſerui non requiritur ſpecialis licentia, vt Regularis habens Bullam Cruciatæ poſſit eligere Confeſſarium, qui eum à mortalibus non reſeruatis abſoluat. Deindè loquendo de reſeruatis, doctrina P. Bardi vera non eſt, & eam impugnaui. *prædicta diſp.* 24. Eiuſque fundamenta hac vnica ratione diſſoluuntur. Pontifex declarauit expreſsè, ſuæ intentionis non eſſe, nec fuiſſe, in clauſula generali Bullæ comprehendere Regulares in ordine ad facultatem eligendi Confeſſarium pro reſeruatis: ergo in ea nullo pacto includuntur: igitur, etſi Prælatus concedat ſubdito facultatem vtendi priuilegiis Bullæ, cum in Bulla non detur reſpectu eius priuilegium eligendi Confeſſarium pro reſeruatis, non poterit virtute Bullæ illum eligere. Et quidem ea clauſula generalis, ſuperaddita declaratione Pontificum, ſic ſe habet, ac ſi in ea aſſereretur: *Omnes accipientes Bullam Cruciatæ poterunt eligere Confeſſarium pro reſeruatis, exceptis Regularibus, qui non poterunt, & quibus id priuilegium non conceditur.* Quo poſito, quid prodeſt Prælati facultas? Nec etenim hæc excluſio eſt conditionata, ſi ceſſent, aut non ceſſent inconuenientia: ſæpiſſimè enim ob inconueniens vitandum leges, aut ſtatuta proferuntur, quæ vim habent etiam in caſu ſpeciali, in quo non vrget illud inconueniens: cum ea ſtatuta, ſeu leges bonum commune reſpiciant, & ideò in caſu aliquo ſpeciali non debent infringi.

42 Ex his aſſerui *ea relata diſp.* 24. in qua hæc omnia fuſiùs diſcurſſi, ſi in aliqua Religione abſque facultate Prælati vſus electionis Confeſſarij pro reſeruatis liceat, id non prouenire ex vi priuilegij Bullæ à Præfato permiſſi, vt vulgò aliqui minùs docti autumant; ſed ex facultate Prælati directè tendente ad electionem Confeſſarij pro reſeruatis, ſiuè Prælatus expreſsè conceſſerit, ſiuè ſufficienter annuerit, ſiuè id Ordinis illius conſuetudo receperit. Quare in re non inficior, quod intendit P. Bardi, atque adeò non me rigidiorem gero; ſcilicèt eiuſmodi Regulares poſſe eligere Confeſſarium pro reſeruatis. In eo tamen valdè contrariamur, quòd illud ex vi Bullæ Cruciatæ licere in caſu poſito, affirmat hic Author: ego verò, non ex vi Bullæ; ſed ex vi directæ facultatis Prælati, aſſeuero.

CAPVT XII.

An Vice-Prouinciales, Vice-Præpoſiti, &c. fruantur poteſtate ordinaria abſoluendi ſubditos à reſeruatis?

43 Si vicem gerant, quià nullus eſt Prouincialis, Præpoſitus, &c. affirmat Pater Franciſcus Bardi *in Bull. part. 1. tr. 2. cap. 5. ſect. 2. nu. 115.* fungi eiuſmodi poteſtate; negat verò, ſi Prouincialis per aliquod tempus recedat à Prouincia, & Prælatus localis à ſuo Conuentu, & ſimul ait, tunc eos non poſſe concedere ſubditis facultatem, vt eligant Confeſſarium pro reſeruatis: ac pro hac opinione affert P. Suarium *tom. 4. de Relig. lib. 2. c. 22. à n. 5.*

44 Nec ſententia hæc, quatenùs negat, eſt vera, neque Suarius illam defendit; ſed potiùs oppoſitæ fauet. Etenim *loco relato* nihil affert pro ſententia negante: aliqua verò pro affirmante. Et *num. 7.* ita concludit: *Quando Prælatus abeſt, iam vices illius gerit in proprio illius munere, & ideò iam eſt Vicarius, de quo loquuntur indulta. Vnde, vt omnis tollatur ſcrupulus, optimum conſilium eſt, vt Prælatus, dum recedit, omnes poteſtates ſuas committat Vicario.* Ecce poſtquam P. Suarez attulerat indulta, quibus conceditur eadem poteſtas Vicario Prælati, ac ipſi Prælato, aſſerit, abſente Prælato, Vicarium eſse propriè talem, & de eo indulta loqui. Solúmque admonet, ad tollendos ſcrupulos, eſse optimum conſilium, vt Prælatus abſcedens omnes ſuas poteſtates Vicario committat. Quare ex doctrina

Digitized by Google

doctrina P. Suarij contrarium aſſertioni P. Bardi eſt inferendum.

45 Et quidem æquiſſimo iure. Etenim, ſi prælatus longo tempore abſcedat, non conſuleretur rectæ gubernationi Domus, aut prouinciæ, ſi vicem eius tenens non fungeretur eiuſmodi poteſtate. Durumque eſſet, onus comparendi pro reſeruatis ſubditis incumbere, donec ille rediret, & ſimul poſteà, ſi fragiles fuiſſent plures, coram eo mediatè, aut immmediatè comparere. Nec credi poteſt, non ita prouiſum fuiſſe gubernationis muneri, vt ſaltem longo tempore in vnaquaque Domo Religioſa non deſit, qui directè poſſit ſubditos à reſeruatis abſoluere. Quare in noſtra Societate ſaltem, quod mihi adhuc eſt compertum, ſi præpoſitus, aut Rector abſit vltra quatuor, aut ſex leucas à Collegio, vel Domo, ſeu vltra tres, aut quatuor dies, ad Vice-Præpoſitum, ſeu Vice-Rectorem confugi poteſt, vt facultatem pro abſolutione à reſeruatis committat.

CAPVT XIII.

An Religioſi Societatis IESV poſſint aliquam gratiam Bullæ Cruciatæ lucrari abſque expreſſa licentia legitimi ſuperioris?

46 NVllam prorſus eos poſſe lucrari, tuetur P. Bardi *in Bullam part.* 1. *tractat.* 2. *cap.* 5. *numer.* 121. Probat ex Bulla Gregorij XIII. edita 3. Maij, anno 1575. quæ habetur *in libro litterarum Apoſtolicarum pro Societate*, *fol.* 141. & refertur in Compendio priuilegiorum Societatis, *verb. Abſolutio*, §. 11. Quod confirmauit idem Pontifex viuæ vocis oraculo die 29. Octobris, anno 1389.

47 In primis P. Bardi non debuit in probationem aſſerti hoc viuæ vocis oraculum adducere, cum nouerit, omnia viuæ vocis oracula, quatenùs talia præciſè, fuiſſe ab Vrbano VIII. reuocata: atque adeò prædictum viuæ vocis oraculum nunc nihil probat: eſtò, quod in ipſo continetur, vigeat: non quidem, quia viuæ vocis oraculo fuerit conceſſum, ſeu confirmatum; ſed quia per Bullam ſpecialem fuerit indultum.

48 Deindè ex præfata Bulla Gregorij, & ex Societatis priuilegio ab illa excerpto, non probatur aſſertum huius Authoris in ea latitudine, qua illud tradit. Etenim Pontifex ſic ait: *Non eſſe, nec fore vnquam mentis noſtræ, aut Sedis Apoſtolicæ, vt perſonæ Societatis abſque expreſſa ſuperiorum eiuſdem Societatis licentia, vtantur facultatibus, quæ in Iubilæis, Bullis Cruciatæ, Confeſſionalibus, aut aliis quibuſvis Apoſtolicis indultis, &c.* Ecce ſolùm tollit, ne Religioſi Societatis vtantur facultatibus Bullæ Cruciatæ, aut ſimilibus: in quo non prohibet, quòd aliquam gratiam Bullæ lucrentur. Primò quia nomine Gratiarum continentur omnia Bullæ indulta, vt indulgentiæ, & ſimilia, quæ tamen non comprehenduntur nomine Facultatum, quæ interdicuntur à pontifice. Secundo, quia pontifex ibi ſolùm intendit prohibere Religioſis Societatis facultatem eligendi Confeſſarium: quod ex antecedentibus, & conſequentibus conſtat. Nam antecedenter apponit cauſam motiuam prædictæ prohibitionis, nempè, ne relaxetur, aut diſſoluatur regularis Societatis diſciplina: hæc autem relaxari nequit per lucrationem indulgentiæ, aut ſimilium gratiarum. Conſequenter verò magis ſe explicat pontifex, exprimendo, Religioſos Societatis debere à ſuperiore obtinere facultatem vtendi facultatibus prædictis, & caſu, quo obtineant, teneri ad confeſſiones perficiendas cum Confeſſariis à Superiore deputatis.

49 Hinc iudico, Religioſos Societatis, ſicut & cæteros, poſſe obtinere gratias in Bulla contentas, cum reſpectu ipſorum non ſit alia prohibitio præter adductam à P. Bardi, ea autem dumtaxàt tendit ad electionem Confeſſarij. Quare, etiam ſi quis accipat Bullam Cruciatæ abſque ſuperioris licentia, poterit eius gratiis gaudere, eſtò acceptione venialiter peccet contra obedientiam, aut paupertatem: imò nullo modo peccet, ſi ei gratis ab amico Bulla tradatur: de quo vide dicta *in ſuperioribus diſp.* 4. *à num.* 19. Quin etiam ſtabiliui electionem Confeſſarij quoad non reſeruata licere virtute Bullæ Religioſis Societatis.

CAPVT XIV.

An annus durationis Bullæ Cruciatæ ſit naturalis, vel Eccleſiaſticus?

50 ANnum durationis Bullæ Cruciatæ eſſe naturalem docui *in ſuperioribus diſput.* 2. *à num.* 1. & ibi ſolui fundamenta oppoſita, quibus vtitur P. Bardi docens contrarium *part.* 1. *tr.* 2. *cap.* 6. *ſect.* 2. §. 1. Qui parùm conſequens duo dicit: alterum, ideò annum durationis Bullæ eſſe Eccleſiaſticum, quia promulgatio eſt ratio dans vigorem nouæ Bullæ, vnde erit etiam ratio tollens vigorem à Bulla præcedenti, atque adeò ea non durabit poſt Bullæ nouæ publicationem, etiã ſi non ſit elapſus annus integer naturalis. Alterum docet *loco relato* §. 3. ſcilicèt, ſi quis accepit Bullam Valentiæ publicatam ibi die 15. Ianuarij, & poſteà ſe conferat panormum, vbi die primo Februari publicetur, non poſſe illum gaudere priuilegiis Bullæ per eos

ſexdecim.

Digitized by Google

ſexdecim dies, nempè à die 15. Ianuarij, vſque ad primam Februarij: quia annus publicationis ſumendus eſt à die, qua publicatur in vno loco, vſque ad diem, qua in eodem loco publicatur.

51 Hic inconſequentia præſto eſt. Etenim ille homo exiſtit Panormi, vbi promulgatio non fuit adhuc ratio præſtans vigorem nouæ Bullæ; nec tollens illum ab antiqua Bulla, cur ergo ille non fruatur priuilegiis Bullæ illis ſexdecim diebus, ſtando doctrinæ ipſius Authoris? Etenim quòd Valentiæ ſit publicata noua Bulla, non debet obſtare huic homini non exiſtenti Valentiæ, cùm ſit eadem Bulla, quæ promulganda eſt Panormi. Et quidem hic eodem modo fruitur ſua Bulla, ac fruuntur ſua Panormitani: & cum ſit eadem Bulla, cur reſpectu eius expiret, antequam expiret reſpectu aliorum? Quare, etſi promulgatio ſit ratio præbens vigorem nouæ Bullæ, & tollens illum ab antiqua, non eſt ſumenda promulgatio indiuidualiter; ſed in communi pro promulgatione intra annum, per modum vnius, ita vt in quocumque loco quis adſit, promulgatio facta in illo loco præbeat reſpectu eius exordium anno Eccleſiaſtico nouo, & finiat antiquum. Fateor, hinc ſuboriri aliqua, quæ videntur abſurda; ſed ideò oppoſitam ſententiam ego tenui.

52 Nec rectè reſpondet P. Bardi argumento contrario intendenti, non eſſe priuandum Fidelem per eos dies bono ſpirituali, ac priuilegiis Bullæ, aſſerendo, eſſe onus exiguum per paucos dies priuari. Nam pone, eum hominem accepiſſe Bullam Madridij, vbi publicatur Dominica prima Aduentus, aut die 13. Decembris, & exiſtere poſteà in loco, vbi promulgatur Feria quarta Cinerum, ſi hæc incidat, vt ſolet, menſe Martio, ſanè ille homo tribus menſibus priuabitur beneficio Bullæ: quare non debet iudicare idonus exiguum, aut paucos dies eos, qui intercedere queunt. Equidem, ſi annus durationis ſit naturalis, non inficior, idipſum ſequi: verùm ego onus non minuo; ſed rationem oneris præbeo & minus incommodum indè emanare, probo *loco ſuprà relato*.

53 Præterea addit P. Bardi *num.* 32. annum Eccleſiaſticum durationis Bullæ eſſe commenſurandum in ordine ad extenſionem dierum, per reſpectum ad annum communem Eccleſiaſticum, cuius latitudo non extenditur vltra trigintaquinque dies ſuprà annum ſolarem: nam Paſcha nequit eſſe ante diem 22. Martij, & vltra diem 25. Aprilis, quod ſpatium continet 35. dies. Indè infert, annum durationis Bullæ non poſſe prorogari ſupra annum Solarem vltra eos dies 35. Quare ſi hoc anno publicetur Bulla die prima Ianuarij, ad ſummum hæc Bulla poterit durare vſque ad diem quartam Februarij anni ſequentis, &, ſi hac die noua Bulla non publicetur, prima expirabit.

54 Igitur, ſi anno ſequenti promulgetur Bulla prima die Martij, annus durationis Bullæ non erit à promulgatione antiquæ, vſque ad promulgationem nouæ Bullæ, atque adeò nec annum Eccleſiaſticum Bulla durabit, qui annus illis terminis includitur. Et quis dicat, in hac ſententia anni Eccleſiaſtici hominem priuari priuilegiis Bullæ, eoquòd paulò ſeriùs Bulla ſequenti anno promulgetur? Hoc ſanè, & contra omnes eius ſententiæ Authores, & contra communem fidelium perſuaſionem, & contra Pontificis mentem, necnon & contra rationem eſt. Quippè denominatio anni Eccleſiaſtici in duratione Bullæ deſumitur ad inſtar anni communis Eccleſiaſtici, in eo, quòd ſicut hic habet diuerſos dies anni pro terminis, non fixos, ſed mobiles, ita & ille, nempè à promulgatione, vſque ad promulgationem, ſicut à Paſchate, vſque ad Paſcha. Quæ verò ratio ſuadet, dies intra illum annum contentos non poſſe ampliùs prorogari, quàm dies intra hũc incluſos? Sanè nulla. Nec enim in ordine ad hoc opus eſt, annum vnum cum alio commenſurari: maximè cum ſit ratio, quare annus communis Eccleſiaſticus non poſſit vltrà prorogari, & ideò non prorogetur: poſſintque eſſe rationes, & cauſæ, quare promulgatio nouæ Bullę aliquot diebus vltra eos 35. extendatur, atque adeò vt annus Eccleſiaſticus Bullæ prorogetur. Equidem P. Bardi non debuiſſet iuxta hanc doctrinam à ſe traditam deſignare determinatè, vt deſignauit antecedenter, annum Eccleſiaſticum Bullæ à promulgatione, vſque ad promulgationem; ſed diſiunctiuè, vel à promulgatione, vſque ad promulgationem, ſi hæc fiat anno ſequenti non vltra trigintaquinque dies; vel à promulgatione, vſque ad finem anni naturalis, & 35. dies ſupra illum.

55 Imò nec debuiſſet ſtatuere concluſionem, quòd Bulla duret per annum Eccleſiaſticum; ſed etiam diſiunctiuè, per annum Eccleſiaſticum, vel per naturalem: nam ipſe ait *nu.* 30. caſu quo Pontifex nolit vlteriùs anno ſequenti Bullam prorogare, Bullam præſentem dumtaxàt durare per annum naturalem. Ille autem caſus ſemper eſt contingens. Vnde nos *loco ſuprà relato* probauimus, ſemper ita contingere durationem Bullæ, cum ea ab initio ſit fixa, & non dependeat ad ſui reſtrictionem, ſeu extenſionem à caſu futuro contingenti, ita vt in pendenti maneat, quantum ſit duratura Bulla Cruciatæ.

CAP. XV.

Digitized by Google

CAPVT XV.

An vota in aliquo caſu commutari valeant virtute Bullæ Cruciatæ præcedentis anni?

56 P. Franciſcus Bardi *in Bull.p.* 1. *tract.* 2.*cap.6.* poſtquam docuit, confeſſionem inceptam in fine anni durationis Bullæ poſſe, tranſacto eo anno, virtute eiuſdem Bullæ finiri: *ſect.* 4. tuetur, nullum aliud priuilegium, niſi prædictum abſolutionis Sacramentalis, poſſe obtineri virtute Bullæ præcedentis. Quæ doctrina generaliter ſumpta eſt falſa. Quippè *in ſuperioribus diſp.* 26. *à numer.* 165. ſtabiliui, & ſatis firmaui, vota commutari poſſe virtute Bullæ præcedentis, ſi ea durante, fuit petita commutatio à Confeſſario, etſi ille adhuc ea non commutauerit, ſicut poteſt perfici confeſſio incepta, & impertiri abſolutio antecedenter petita. Quod ex doctrina ipſius P. Bardi, & communi roboratur: nam facta petitione commutationis votorum, indicatur cauſa incepta, ſicut appoſitis aliquibus ſignis confeſſionis, confeſſio incepta cenſetur: ergo ſicut hæc poteſt perfici, & illa.

57 Ait hic Author, in confeſſione appoſitam iam fuiſſe materiam, vel proximam vel remotam, ideóque inceptum eſſe Sacramentum. Benè: etiam in noſtro caſu à pœnitente appoſita eſt petitio commutationis, quæ ad ipſum pertinet, ſicut materia Sacramenti ſpectat ad ipſum; & commutatio ſtat penes Confeſſarium, ſicut & abſolutio: ergo par eſt ratio; nam quòd petitio commutationis non dicatur materia, prouenit ex eo, quòd commutatio non eſt Sacramentum, quod proprie conſtat materia, & forma: non tamen id tollit, quòd non ſit incepta cauſa: quia eſſe inceptam, non prouenit ex eo, quòd materia apponatur; ſed ex eo, quòd incipiatur aliquid eſſentiale: hoc autem eſſe propriè materiam, aut quid aliud, materialiter ſe habet. Eſt autem eſſentiale ad commutationem virtute Bullæ faciendam, vt quis eligat Confeſſarium à quo virtute illius vota commutari ſibi depoſcat. Imò ea petitio commutationis habet ſe inſtar materiæ, & commutatio à Confeſſario facta inſtar formæ. Hinc regula deſumenda erit ad dignoſcendum, quando cauſa ſit incepta, nempè quando pars eſſentialis eſt poſita ad rei ſubſiſtantiam, & effectum.

58 Inſuper addidi *loco relato numer.* 166. ſi quis virtute Bullæ petat omnium votorum commutationem, & tunc alicuius obliuiſcatur, poſſe poſteà virtute eiuſdem Bullæ etiam tranſactæ commutationem illius obtinere. Videantur *ibi* hæc: & decurſu libri reperientur etiam plures quæſtiones agitatæ, quas P. Bardi excitans affirmat paſſim, ſe à nullo Authore tractatas vidiſſe. Gratulor mihi, eodem tempore me in eas incidiſſe: cum ipſe aſſerat, ſe anno 1645. exordia ſui tomi conſcribere, quo anno ferè librum præcedentem ego elaboraueram, non adeò fœlici expeditione ob ſumptus impendendos, vt in lucem illicò prodiret.

CAPVT XVI.

Vtrùm incepta, & finita confeſſione, virtute Bullæ, ſi expiret annus durationis illius, poſſit quis perficere confeſſionem, ſi in noua peccata, aut caſus reſeruatos inciderit.

59 CAſus eſt, Cœpit quis confeſſionem virtute Bullæ, & ob legitimam cauſam non perfecit: Bullæ duratio eſt finita; adhuc poteſt virtute Bullæ precedentis abſolui. Quid ergo dicendum, ſi poſt terminum eius Bullæ in nouos caſus reſeruatos inciderit, an ſimul abſolui ab his caſibus, & cęteris peccatis antecedentibus poterit, virtute eiuſmodi Bullæ præcedentis? Negat P. Bardi *part.* 1. *tr.* 2. *cap.6.ſect.* 3. §.4. Tractaui difficultatem hanc *in ſuperioribus diſp.* 23.*n.* 28.

60 Nunc eneruare contendo diſparitatem, quam tradit hic Author inter Iubilæum extraordinarium, quale eſt duplicis hebdomadæ, & inter Bullam. Admittit enim, poſſe abſolui à peccatis reſeruatis poſt Iubilæum, caſu quo differatur abſolutio: ideò, quia in Iubilæo opera exequenda ſunt alligata tempori determinato, non verò eſt alligatum ius conſequendi fructum; quod ex forma Iubilæi colligit: at in Bulla, ait, tum opera, tum ius illud eſſe alligatum tempori durationis, cum in ipſa Bulla aſſeratur, expirante anno durationis, expirare omnia indulta. Vndè, qui incepit confeſſionem, vigente Bulla, tunc adquirit ius, vt abſoluatur à peccatis commiſſis, etiam expirante Bulla: poſtmodùm verò, ſi alia peccata reſeruata patret, cum ius expirauerit, ſi non fuit antecedenter adquiſitum, non poteſt ex vi eius Bullæ illud adquirere de nouo, vt abſoluatur ab hiſce delictis ſimul cum antecedentibus.

61 Sed contrà primò. Quia ius conſequendi fructum ex Iubilæo extraordinario, vtpotè radicatum in ipſo, adquiritur, durante Iubilæo, etſi poſteà fructus obtineatur: ergo eodem modo alligatum eſt ius in Iubilæo, ac in Bulla; ſicut etiam virtute Bullæ fatetur P. Bardi, poſſe fructum abſolutionis obtineri, ea tranſacta: quare ius in vtroque eſt alligatum tempori: ſecùs conſecutio ipſius fructus, quæ dari poteſt, & poſt Iubilæum, & poſt Bullam. Et quidem ſi, durante Iubilæo

Digitized by Google

Iubilæo non adquireret quis ius, vt poſteà fructum obtineret, quo iure illum poſſet poſteà conſequi; Ego nullam diſparitatis vmbram inter Bullam, & Iubilæum quoad hoc percipio.

62 Contra ſecundò: iuxta doctrinam P. Bardi, qui incepit confeſſionem virtute Bullæ, habet ius, vt etiam expirante Bulla, abſoluatur: at ſi commiſit noua peccata reſeruata, non poteſt à peccatis antecedentibus abſolui, quin etiam abſoluatur ab his reſeruatis: ergo valet cum illo eodem iure ab eis abſolui. Probo conſequentiam, primò, quia illud ius non tollitur per hæc noua peccata; nec poteſt effectum ſortiri, niſi à nouis peccatis etiam abſolutio præſtetur: Secundò, quia eatenùs virtute Iubilæi elapſi poteſt quis à peccatis denuo commiſſis abſolui, quatenùs adquiſiuit ius virtute Iubilæi, vt abſolueretur, & illud ius per noua peccata non extinguitur, nec poteſt ad effectum perduci, niſi etiam à nouis peccatis ſimul abſoluatur; ergo pariter id ipſum in Bulla continget.

63 Dicit P. Bardi, novum peccatum eſſe nouam cauſam, & ex mente Pontificis Bullam præcedentem non extendi, niſi ad cauſas pendentes. Contrà, quia abſolutio à peccatis antecedentibus erat cauſa pendens, quæ vt finiatur, opus eſt, abſolui à peccatis nouis; atque adeò tota ea Confeſſio ſumenda eſt, vt cauſa pendens, etſi aliquod peccatum ſit novum: cum pro formali cauſæ pendentis ſtet illud aggregatum, quod conficit Sacramentum, & in ordine ad rationem cauſæ pendentis, quaſi materialiter ſe habeant noua peccata. Id ipſum in Iubilæo cernere eſt, quod admittit P. Bardi: quare eius diſparitas inter Iubilæum, & Bullam minùs firma eſt iudicanda.

CAPVT XVII.

Vindicatur Don Marius Cutellus ab impugnationibus Patris Bardi circa poteſtatem Pontificis ad concedendum indulgentias, & reuocandum Bullam Cruciatæ.

64 DIſputat P. Franciſcus Bardi quæſtionem communem, an Pontifex reuocare poſſit Bullam Cruciatæ? & *part.* 1. *tr.* 2. *cap.* 6. *à n.* 129. expendit hac de re ſententiam Dom. Marij Cutelli, qui opus edidit Madridij excuſum, quod inſcribitur: *Patrocinium pro Regia iuriſdictione Siculis Inquiſitoribus conceſſa.*

65 Igitur in primis Cutellus *à fol.* 199. *n.* 204. loquens de Pontifice ait: *Poteſt verò largitiones iſtas,* (ſcilicèt indulgentiarum) *qualibet ex cauſa motus fidelibus conferre pro ar-* *Mendo in Bull. Cruciat.* *bitrio, nullis enim reſtricta fuit conceſſio apud Matthæum cap.* 16. *dum dixit: quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cælis.* Rursùs poſt pauca enuntiat. *Non enim ei imputabitur ad iniuſtitiam, ſi modum in hac indulgendi materia non ſeruet, dum eius ſequatur veſtigia, qui, quod potuit gutta redimere, voluit vnda.*

66 P. Bardi acriter in has propoſitiones inuehitur, aſſerens, videri, eſſe contra Sacros Canones, & communem Theologorum ſententiam, iuxta quam legitima cauſa requiritur ad valorem indulgentiarum, & indiſcretæ indulgentiæ damnantur, cum Pontifex, iuxta Paulum 2. *ad Corinth.* 10. poteſtatem acceperit in ædificationem, non in deſtructionem.

67 Vera, & Catholica ſunt, quæ P. Bardi congerit; ſed fingit hoſtem, quem feriat: nam Cutellus nihil aſſeruit, quod D. Paulo, Sacris Canonibus, & communi Theologorum ſententiæ contradicat. Etenim non ait, abſque cauſa poſſe concedi indulgentias; ſed *qualibet ex cauſa*, ſcilicèt iuſta, & rationabili: verba enim generalia, ac indefinita intelligenda ſunt iuxta ſubiectam materiam: dum ergo ſit cauſa iuſta, ex qualibet cauſa poteſt Pontifex indulgentias impertiri. Senſum Cutelli hunc eſſe, conſtat: quia non reputatur cauſa ea, quæ non eſt iuſta, & rationabilis: ergo, dum non ait, abſque cauſa conceſſionem licere, id docet, quod eſt certum, nempè licitam eſſe ex qualibet iuſta cauſa cõceſſionem. Ego ſanè, dum primo intuitu eius propoſitionem legi, illam in ſenſu præfato intellexi.

68 Præterea quòd Pontifex pro arbitrio poſſit indulgentias concedere, ſuppoſito, eſſe cauſam iuſtam, & rationabilem, eſt veriſſimum: quippè ea conceſſio in eius arbitrio eſt, cum poſſit concedere, aut negare indulgentias: & rursùs eas impertiri plenarias, aut partiales, conſequendas per hæc media, aut per illa, in hoc, aut eo caſu. Hoc aſſeruit Cutellus: hoc quomodo negari queat?

69 Rursùs Cutellus non admittit indiſcretam indulgentiarum conceſſionem, dum ait, non reputandum fore Pontifici ad iniuſtitiam, ſi modum non ſeruet indulgendi: addit etenim conditionem hanc: *Dum eius ſequatur veſtigia, &c.* Nempè Chriſti D. Igitur, ſi excedat modum iuſtum Pontifex, non ſequetur veſtigia Chriſti: & hoc Cutellus non admittit: ſi autem ſequatur veſtigia Chriſti, rectiſſimè operabitur: & hoc ſolum Cutellus intendit. Quid ergo impugnatur? Et quidem ea verba, *ſi modum non ſeruet*, dum alia adduntur, quæ *nuper* appoſui, nullum abſurdi veſtigium continent. Id enim ſignificant, quòd, ſicut Chriſtus Dominus pro varietate euentuum largiſſimum ſe ſæpiſſimè oſtendit,

Vu dimittens

dimittens peccata Magdalenæ, paralytico, latroni pio, & aliis quàm plurimis, beneficia ſpiritualia abundè conferens, ita vt communiter affirmare ſoleamus, Chriſtum videri non tam bona hominibus conferre, quam profundere: ita etiam Pontifex, vt Chriſti Vicarius, pro occaſionum varietate poteſt aliquando adeò ſe liberalem oſtendere in gratiis conferendis, vt cernatur Chriſti veſtigiis inſiſtere, & vltra modum ouium ſuarum ſpirituali ſaluti conſulere. Hæc Cutellus protulit: quis eum ideò damnet?

70 Aliam propoſitionem Cutellus ipſe *num.* 207. enuntiauit, nempè de Pontifice loquens: *Per quod fit, vt, durantibus cauſis, pro quibus conceſſio prædicta manauit, nempè pro reſiſtendo hæreticis, ac Ottamano hoſti, non poſſit, ex obligatione iuſtitiæ, huiuſmodi ſubſidium reuocari, cenſeturque ſtare.*

71 Latè P. Bardi hoc profatum impugnat, inquirens, de qua iuſtitia loquatur ille Author, & contendens, nullam poſſe in hac materia interuenire iuſtitiam, nec legalem, nec diſtributiuam, nec commutatiuam. Ego quidem in ſenſu vero explicabo propoſitionem prædictam, & in eo admitti debet à P. Bardi iuxta doctrinam, quam *numer.* 164. profert.

72 Etenim ibi cum communiori, & mihi certa ſententia tuetur, ſi Pontifex abſque cauſa ſuſpenderet Bullam Cruciatæ iam acceptam à Fidelibus, eum teneri ex iuſtitia reſtituere ipſis pro rata temporis id, quod pro ſumptione ipſius Bullæ erogarunt: nam, cum Bulla concedatur per modum contractus oneroſi, nequit abſque iniuſtitia manifeſta diſſolui à Pontifice contractus, quin omnia in priſtinum ſtatum reducat, & reſtituat iuxta modum, quo Authores docent reſtitutionem fieri debere pluribus perſonis alicuius Communitatis. De hoc redibit ſermo *infrà diſp.* 5. *cap.* 2.

73 Ecce idipſum, quod P. Bardi ait, affirmat Cutellus; ſed maiori cum conſequentia: nam P. Bardi *num.* 161. tuetur, etiam ſi nulla ſit cauſa, poſſe Pontificem pro libito ſuſpendere Bullam iam acceptam, quin in ea concluſione apponat conditionem hanc, nempè, *dummodò reſtituat particularibus eleemoſynam ab ipſis erogatam.* Et ſuſpicor, iuxta contextum huius Authoris, ipſum ſentire, validè, quamvis iniuſtè, poſſe Pontificem reuocare Bullam, etſi nihil reſtituat. In quo inconſequentia relucet: ſi enim Bullæ conceſſio, ac acceptio eſt quaſi contractus, & quin reſtituatur, non poteſt abſque iniuſtitia diſſolui, ſanè non poterit abſque reſtitutione validè diſſolui. Id enim, quod per contractum meum eſt, etſi in aliquo caſu, dum mihi ſatisfiat, poſſit à me tolli: attamen abſque cauſa, & abſque ſatisfactionis exhibitione nequit à me tolli. Et ratio à priori eſt, quia non poteſt ab alterius ſola voluntate pendere, vt, quod meum eſt, meum non ſit: vnde, cum Bulla per quaſi contractum, ſit accipientis, nequit à ſola Pontificis voluntate pendere, vt eius non ſit, quin ſit cauſa vel ei ſatisfiat. Etenim, dum Pontifex illam concedit, vt fruendam non omninò gratis; ſed cum onere, & per modum contractus, abdicat à ſe poteſtatem reuocandi illam, & diſſoluendi quaſi contractum, niſi cauſa boni communis expoſcente, aut præſtita ſatisfactione. Qua ratione fundamentum P. Bardi, qua parte videtur contrariari, diuellitur. Et hanc doctrinam tradidi *in ſuperioribus diſp.* 2. *à n.* 32.

74 Reſtat probare, Cutellum idipſum, & non aliud intendiſſe. Quod mihi indè ſuadeo: quia ait, non poſſe Bullam reuocari, durantibus cauſis, ob quas fuit conceſſa: cauſæ autem ſunt bellum, quod aduerſus hæreticos, & Turcas geritur, & quidem geritur media pecunia, quæ ex Bulla comparatur: quare hæc pecunia, qua bellum conficitur, eſt cauſa conceſſionis: imò finis proximus immediatus conceſſionis, cum per eam Rex reddatur potentior ad bellum conficiendum. Quare id aſſerere Cutellum intelligo, quòd ex iuſtitia nequit Bulla reuocari, durante cauſa, hoc eſt, bello in actu poſito media pecunia iam erogata pro Bulla. Quaſi dicat; Poſtquam Bulla fuit accepta, & ex ea fuit pecunia comparata, qua bellum geritur, reuocari Bulla abſolutè non poteſt: niſi intercedant conditiones *ſuprà* annumeratæ, quarum hic Author non meminit, quia rem abſolutè ſumebat, & non cum addito. Abſoluta quippè eſt hæc propoſitio: Pontifex nequit abſque cauſa Bullam acceptam reuocare: additum verò eſt hoc: *Niſi præſtetur debita compenſatio.* Ecce Cutellus ad veram ſententiam, ſi attentè, ac piè inſpiciatur, facilè ducitur.

DISPVTATIO II.

Vbi examinantur plura, quæ ad Bullam vinorum ſpectant.

Non ſequor methodum, quam decurſu præcedentis operis tenui, ſed eam, quam P. Franciſcus Bardi in ſua Bullæ illuſtratione ſeruat cum animus ſit, in hoc tractatu, aliquas eius ſententias, aſſerta, & rationes ſyncera trutina examinare. Ideò quatuor diſputationes inſtituo, quia ille in quatuor partes ſuum opus diuiſit, & vnicuique

Digitized by Google

vnicuique diſputationi materiem pars correſpondens miniſtrabit. Poſtmodùm in hac ſecunda editione (vt *ſuperiùs* dixi) quintam diſputationem addo, vt meas opiniones vendicem ab impugnationibus, quibus aliqui doctiſſimi recentes Authores poſt primam huius Tomi editionem, eas, Me relato, eneruare conati ſunt.

CAPVT I.

Quam eleemoſynam pro Bulla Cruciatæ debeant erogare Domini vaſſallorum?

1 DESIGNATA eſt à Commiſſario Generali Cruciatæ eleemoſyna prçſtanda à Dominis vaſſallorum pro Bulla, nempè quantitas octo argenteorum. At dubium eſt, ſi duo, vel tres ſint domini vnius oppidi pro indiuiſo, aut vnus ſit dominus partis oppidi, alter verò partis alterius, an ſinguli teneantur octo argenteos pro Bulla Cruciatæ erogare an inter cunctos ſint diuidendi pro rata?

2 P. Bardi *in Bull. part. 2. tract. 1. cap. 1. ſect. 5.* tenet, non deberi, à ſingulis octo argenteos erogari; ſed inter illos fore diuidendos. Contrarium docui, & ſatis probaui *diſp. 14. n. 9.* Vbi oſtendi, domini appellatione etiam dominum pro parte venire. Aliaque *ibi* tradidi de dominis huiuſmodi iuxta varios caſus practicos, quæ hic Author non attingit.

3 Sed inquit P. Bardi, pro toto dominio loci non deberi niſi octo argenteos, vt conſtat, caſu quo vnus dumtaxàt ſit dominus loci: quod ſi vnuſquiſque teneretur octo argenteos, erogare, tam deberentur pro eo dominio ſexdecim, aut non viginti quatuor argentei. Contrà primò, quia in taxa eleemoſynæ non attendit Commiſſarius niſi ad dignitatem perſonarum, & cum duo ſint domini, non mirum eſt, ſexdecim drachmas à duobus dominis deberi. Contrà ſecundò: nam licèt ſingula dominia non ſint ex toto, ſed pro parte, attamen, cum nomine dominij etiam veniat iuxta Iuris diſpoſitionem dominium pro parte, non erogantur ſexdecim drachmæ pro vno dominio; ſed pro duobus. Contrà tertiò: quia non attenditur ad oppidum, cuius eſt quis dominus, ſed ad perſonam: atque adeò, ſi quis ſit dominus plurium oppidorum, non debet pro Bulla niſi octo argenteos: & tamen habet plura dominia: ergo non eſt deſumenda ratio à dominio loci per ordinem ad locum ipſum; ſed per ordinem ad perſonam: aliàs dominus plurium locorum teneretur pro dominio vniuſcuiuſque loci octo argenteos erogare.

4 Contrà quartò: quia multum, vel nihil probat ratio Patris Bardi, ſcilicèt ſi vnus dumtaxàt eſſet dominus oppidi, ſolùm deberet octo argenteos: ergo hi ſolum debentur pro toto dominio oppidi. Inſto Si plures eſſent domini plurium oppidorum, v.g. centum domini centum oppidorum, deberent ſinguli octo argenteos pro Bulla, & omnes ſimul octingentos argenteos: ergo Dux, aut Marchio Hiſpanus, qui dominus ſit centum oppidorum, debebit totidem argenteos. Hoc nequit dici, quia eſt abſurdum, ergò nec illud.

5 Contrà demum: quia, ponamus ſex dominos eſſe vnius oppidi: ſi inter illos ſex diuidendi ſunt octo argentei, accipiente vnoquoque Bullam, minus erogabunt pro Bulla, quàm ſi domini non eſſent, cum tunc deberent erogare ſinguli duos argenteos, & duodecim inde argentei conflarentur, ac iuxta doctrinam Patris Bardi ſolùm octo eſſent ab illis erogandi. Si aſſerat, in hoc caſu debere ſingulos donare pro Bulla duos argenteos, & prætereà inter eos ſex dominos eſſe diuidendos octo argenteos: inconſequenter loquitur: nam, ſi duo tantùm ſint domini, tenet, octo argenteos ab illis eſſe largiendos abſolutè, & non ſupra, alios duos: igitur ea taxa octo argenteorum non eſt ſuperaddenda ad duos argenteos: aliàs illi ſex domini vaſſallorum ſumerent Bullam, & vt domini, & vt perſonæ particulares: & vt ſic, duos argenteos largirentur: vt domini verò aliquid adderent. Quod affirmandum non eſt, cum Bulla accipiatur ab vnoquoque determinatè, vel vt domino, vel vt Commendatario, vel vt particulari, quin, quatenùs eſt particularis, teneatur aliquid erogare ſupra id, quod erogat, quatenus dominus, aut Commendatarius eſt.

6 Addo, ſi ſequenda eſſet opinio Patris Bardi, accidere poſſe, vt nec octo argentei, pro loci dominio ſuppeditarentur. Quippè pone, vnum dominum accipere Bullam, alium non accipere: erogaret primus quatuor argenteos, nihil ſecundus: ſanè tunc, & verum eſſet, Bullam acceptam eſſe à domino loci, & non fuiſſe abſolutè erogatos octo argenteos, iuxta taxam. Et quamvis poſſit hic Author reſpondere, id non fore mirum, ſi alter dominus Bullam non accipiat: mihi mirũ eſt, taxam eo caſu dimidiari, nec ſatisfieri deſignationi præſtitæ à Commiſſario Generali, ac dominum propriè talem, iuxta Iuris diſpoſitionem, accipere Bullam, quin eroget eleemoſynam pro dominis deſtinatam, hancque diuidi abſque approbatione Commiſſarij, qui, ſi noſtræ ſententiæ non certò aſſentiret, abſque dubio id diſtinxiſſet, ac declaraſſet, cum frequens ſit dominium diuiſum.

Digitized by Google

CAPVT II.

An Duces, Comites, Marchiones, & Barones, qui vaſſallos non habent, teneantur octo argenteos pro Bulla Cruciata erogare?

7 NEgat P. Franciſcus Bardi *vbi nuper n.*46. Sed omnino contrarium eſt tenendum, vt *opere præcedenti diſp.*14. ſanciui. Fundamentum huius Authoris eneruc eſt. Ait enim, in inſtructione Commiſſarij taxam octo argenteorum eſſe aſſignatam prædictis, quatenùs ſunt domini vaſſallorum, & non aliter. Vnde infert primò, in regno Siciliæ plures habentes titulum Ducis, & Marchionis abſque vaſſallis non teneri ad erogandos octo argenteos. Infert ſecundò, Ducem, aut Marchionem habentem vaſſallos, ſi ſuo primogenito renuntiet oppida cum dominio, ſibi retinens titulum, non obligari ad elargiendos octo argenteos pro Bulla.

8 Hæc doctrina & ſubſidium pro Bulla colligendum minuit, & eſt falſa. Audi inſtructionem Commiſſarij: quam afferunt Alphonſus Perez de Lara *in compendio trium gratiar. pag.*220. & Trullench *in Bull. lib.*1. §.3. *dub.*1. *num.*2. *Declaramos, que los Cardenales, Primados, Patriarchas, Arçobiſpos, Obiſpos, Abades, que tienen iuridicion Epiſcopal, Inquiſidores, y Dignidades de las Igleſias Catedrales, Duques, Maſqueſes, Condes, y Comendadores mayores, Viſorreyes Capitanes Generales, Embaxadores, Preſidentes, y los de los demas Conſejos, y Alcaldes de la Corte, y caſa de ſu Mageſtad, y Oydores de las Chancillerias, y Audiencias Reales, y Contadores de ſu Mageſtad, de ſus Contadurias mayores de hazienda, y quentas, y de la Santa Cruzada, Oydores, y Fiſcales dellas, y Secretarios de ſu Mageſtad, y Comendadores encomendados de todas las Ordenes, y ſeñores de vaſſallos y las mugeres de los Seglares de todos los eſtados ya dichos, viuiendo ſus maridos, ayan de dar, y dem de limoſna cada vna de las dichas perſonas, ocho reales de plata Caſtellanos por cada Bulla de viuos de Cruzada, que tomaren para ſi.*

9 Superfluit quævis alia impugnatio, cum clariſſimè contineatur in hac inſtructione, Duces, Marchiones, & Comites fore erogaturos octo drachmas argenteas: nec exigatur, eſſe dominos vaſſallorum; ſed de his dominis ſeorſim idem enuntiatur: Nec ea verba: *Y ſeñores de vaſſallos*, ſunt coniuncta cum Ducibus, Marchionibus, ac Comitibus; ſed longè ſeparata: nec cum illis appoſitiuam clauſulam componunt, vt manifeſtum eſt. eaque dictio copulatiua *Y*, non coniungit per appoſitionem dominos vaſſallorum, cum præcedentibus; ſed eos dominos in ſe annectit præcedentibus in ordine ad taxam. Imò, ſi eſſet copula appoſitiua, immediatè præcedentibus apponeretur, nempè Commendatariis, non verò Ducibus, & Marchionibus, qui multò ante præceſſerant. Credam, P. Bardi, non vidiſſe inſtructionem præfatam.

10 Itaque Duces, Marchiones, & Comites Siculi, & ſi qui alibi ſunt abſque vaſſallis, erogare debent pro Bulla octo argenteos: attenditur quippè dignitati, ac titulo, non vaſſallis: ſicut Archiepiſcopus, aut Epiſcopus quamvis ſubditos non habeat, nec iuriſdictione erga illos potiatur, tenetur totidem argenteos ſuppeditare: quia abſolutè deſignantur in inſtructione Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ſicut Duces, Marchiones, ac Comites, quin ſubditi, aut vaſſalli requirantur, attenta dumtaxàt eorum dignitate.

CAPVT III.

An pauperes oſtiatim mendicantes poſſint abſque Bulla Cruciata lucrari indulgentias, quæ ſunt extra Cruciatam?

11 AFfirmat P. Bardi *in Bull. part.*2 *tr.*1. *cap.*1. *ſect.*6. *num.* 54. Quia valdè inhumanum eſſet, eos priuare indulgentiarum vtilitate abſque eorum culpa, eoquòd nequeant ſtipem erogare, eiſque hanc afflictionem ſupra egeſtatem addere, ac illos reddere peioris conditionis, quàm ſunt pauperes degentes in Regnis, in quibus Bulla non viget; atque adeò, ait, præſumendum eſſe, in ſuſpenſione facta à Commiſſario Generali omnium indulgentiarum reſpectu eorum, qui Bullam non accipiunt, hos pauperes non comprehendi.

12 Pia opinio: Sed omnino facta: nec quiſquam eam in ſcriptis docuit. Etenim, vt ſæpè docui *in opere præcedenti*, impotentia apponendi media non eſt ſuffugium ad obtinendas indulgentias, quæ non aliter obtinentur, niſi media ponantur. Medium autem eſt, habere Bullam: nec datur ratio præſumptionis benignæ appoſitæ ab hoc Authore, cum ſuſpenſio indulgentiarum ſit generaliſſima, nec vllas perſonas excludat. Imò eam excluſionem iudico alieniſſimam à mente Commiſſarij, aliàs, quod ſanè præcauet, locus amplus pateret ad non accipiendum Bullam: cum ferè cuncti Religioſi de ea accipienda non curarent, ſi quidem in ordine ad impotentiam erogandi ſtipem plurimi ſunt ſimiles pauperibus mendicantibus. Et alij non pauci, qui ſollicitant ex eleemoſyna ab alio erogata Bullam ſibi donari, ab ea ſollicitudine deſiſterent, cùm ſe impotentes ad ſtipem præbendã animaduerterent. Quid, quod innumeri etiam ſe impotentes exiſtimarent, attentis ſumptibus neceſſariis omnino ad victitandum:

Digitized by Google

vitandum : indeque via aperiretur, ad eleemoſynam pro Bulla valdè minuendam contra mentem Pontificis, & Commiſſarij Generalis?

13 Deinde ea opinio eſt contra perſuaſionem fidelium : vnde laudantur pauperrimi, qui curant hinc inde Bullam comparare: nec Theologum vidi, aut audiui, qui eos ſolaretur beneficio indulgentiarum, abſque Bulla obtinendarum. Rursùs ratio huius Authoris habet in ſe vitium multum probantis. Nam eadem formà ſic arguo. Hoc anno quinquageſimo Iubilæi Sancti plures ægrotant, plurimi impotentes ſunt Romam adire: ergo præſumendum eſt, à Pontifice non ſuſpendi indulgentias reſpectu eorum,ne addatur afflictio eis ſupra egeſtatem, ægritudinem, aut impotentiam : & ne reddantur peioris conditionis, quàm hi, qui intra Vrbem commorantur, aut in Prouinciis vicinis,vnde commodiùs queunt Romam proficiſci. En argumentum Patris Bardi ab ipſo ſoluendum.

14 Demùm in Regnis, in quibus Bulla Cruciatæ non promulgatur, abſque erogatione ſtipis poſſunt omnes lucrari indulgentias extra Cruciatam; Cur ergo Hiſpani reddantur peioris conditionis, & nequeant eas lucrari abſque propriis ſumptibus præuiis? Nullam ingerit vim hæc ratio; ergo nec ea, quæ affertur à P. Bardi. Ratio omnium eſt: quia in erogatione eleemoſynæ pro Bulla attenditur ad finem, valdè vtilem Hiſpaniæ, Eccleſiæ, & orbi: atque, vt is obtineatur, bonum priuatum aliquorum poſtponitur, quod vtique debet cedere bono communi: hoc autem ab eiuſmodi erogatione, & ſuſpenſione vniuerſali gratiarum maximè pendet.

CAPVT IV.

An habens Bullam teneatur tempore interdicti audire Sacrum in Oratorio diebus feſtiuis, non potens in Eccleſia?

15 EVm, qui habet Bullam Cruciatæ, teneri tempore interdicti audire Sacrum diebus feſtis, docet P. Bardi *part. 2. tr. 2. cap. 3. ſect. 6.* & ego idipſum ſanciui *opere præcedenti diſp. 15. à num. 20.* Vbi ſatisfeci impugnationi, qua hic Author contendit eneruare vim exempli, quod in præſenti communiter affertur de homine in carcere detento, qui, ſi diebus feſtis priuilegium habeat exeundi è carcere, tenebitur audire Sacrum, quia ablatum eſt impedimentum audiendi illud. Sic, qui per Bullam fungitur priuilegio audiendi Sacrum tempore interdicti, cum ablatum ſit impedimentum ab interdicto proueniens, tenebitur illud audire.

Mendo in Bull. Cruciat.

16 Ait P. Bardi, hominem è carcere exeuntem, in auditione Miſſæ, nihil operari contra ius commune : ſic verò laicum audientem Sacrum, cùm ius commune prohibeat auditionem tempore interdicti: indeque inuenit inter exemplum, & concluſionem diſparitatis rationem. Hæc habet *num. 58.* & neſcio, quomodo citiſſimò ſuæ videatur impugnationis obliuiſci, nam *n. 63.* docet, præceptum, ſeu ius commune Eccleſiaſticum prohibens auditionem Miſſæ tempore interdicti: *Non extendi ad eos, qui Bullam, aut ſimile priuilegium habent; ſed ad reliquos tantùm, qui priuilegio carent.* Ergo ius commune non prohibet auditionem Sacri tempore interdicti laïcis Bullam habentibus, nec hi in auditione operantur contra ius commune: & conſequenter nulla penitùs eſt diſparitas ex hoc capite inter exemplum appoſitum, & concluſionem. Hæc ex doctrina Patris Bardi præiacta ſunt euidentia.

17 Adhuc ipſe Author *ibidem num. 61.* tenet, obligationem audiendi Sacrum tempore interdicti, feſtis diebus, ſolùm incumbere laïco habenti Bullam, ſi illud poſſit audire in Eccleſiis: ſecùs autem, ſi dumtaxàt poſſit audire in Oratoriis, quæ ſunt in domibus laïcorum; Eò quòd Oratorium non eſt ita decens, ac Eccleſia, tanto ſacrificio, & idcircò priuilegium iſtud audiendi Miſſam reſpectu Oratorij eſſe valdè odioſum, ac prôindè non eſſe obligationem vtendi illo, niſi caſu, quo Miſſa celebretur in Oratorio in commodum alterius.

18 Oppoſitum ſtatui *opere præcedenti, loco relato vbi ſuprà*, & hanc rationem dilui, nec aliquid denuò reijciendum affertur. Cæterùm nec propriè, nec conſequenter loquitur hic Author: nam in auditione Sacri tempore interdicti, non datur vſus activus perſonalis priuilegij, cùm priuilegium tollat impedimentum audiendi Sacrum, reddatque perſonam habilem, ac potentem audire, nihilque aliud operetur, in quo adhuc in perſona nullus eſt vſus activus : auditio autem ipſa Sacri non eſt vſus priuilegij, ſed præcepti adimpletio, vt ipſe Author ſtatuerat.

19 Hinc inquiro, an Bullæ priuilegium tollat eiuſmodi impedimentum reſpectu Oratorij, vel non? Si tollat: ergo tenebitur homo audire in Oratorio Sacrum, dum abſque ſtipe erogata pro illo adſit, qui in eius gratiam, ac commodum Sacrum peragat: militat enim eadem ratio, ac reſpectu Eccleſiæ. Si non tollat: ergo ſupreflue Pontifex ait in Bulla, poſſe virtute illius audiri Miſſam in Oratorio tempore interdicti: cum hæc verba nihil aliud poſſint ſignificare, quàm ablationem impedimenti reſpectu Oratorij, ſicut

Vu 3 reſpectu

reſpectu Eccleſiæ. Hæc autem ſequela nequit admitti.

20 Nec illud de minori decentia vim vllam ingerit. Quippè etiam eſt minùs decens tanto Sacrificio Eremitorium, aut Xenodochium, quàm Eccleſia: ac rursùs minùs decẽs eſt Eccleſia inops, incompoſita, ac immunditia referta vnius pagi, quàm Eccleſia Toletana, aut Hiſpalenſis: & tamen ex illa minori decentia nequit inferri, quod infert P. Bardi ex minori decentia Oratorij; nec diſparitas, quæ tradi poteſt inter vtramque minorem decentiam, ad rem facit, poſito per Bullæ priuilegium ſublatum eſſe impedimentum Iuris communis tam reſpectu Eccleſiæ, quam reſpectu Oratorij, quo ſublato, obligatio præcepti Eccleſiaſtici abſolutè vrget, & eum, qui in Eccleſia, & eum, qui in Oratorio poteſt Sacrum audire. Quare reſpectu illius res ſe habet, ac ſi interdictum non foret, ideóque de eius obligatione in ordine ad auditionem Sacri idem eſt dicendum tempore interdicti, ac alio quovis tempore.

CAPVT V.

An virtute Bullæ poſſit laicus ſepeliri in Eccleſia ſpecialiter interdicta cum moderata pompa funerali?

21 NEgat P. Franciſcus Bardi *in Bull. part.* 2. *tr.* 2. *c.* 5. *ſec.* 5. *n.* 32. Affirmantem ſententiam tradidi *opere præcedenti diſp.* 15. *n.* 49. Infert hic Author ſuam ſententiam ex contextu Bullæ Latinæ: ex quo ipſo oppoſitam colligit, & rectiùs, Ægid. Trullench *in Bull. lib.* 1. *§.* 3. *dub.* 10. *num.* 5. Sed indè oritur diuerſitas inferendi duas oppoſitas ſententias ex eiſdem clauſulis, quia P. Bardi ſtrictè conatur interpretari omnia verba, ac priuilegia Bullæ: alij verò benigniùs, vt fauores, ea explicant.

22 Et quidem conſequentiùs aſſereret hic Author contrarium; nam *ibidem numer.* 37. docet, eſſe probabile, (quod ego certum eſſe docui *loco nuper relato*) Clericos poſſe ſepeliri ex vi Iuris Communis in Eccleſia ſpecialiter interdicta. Tunc ſic. Omnes Bullæ Interpretes aiunt, ex priuilegio Bullæ id licere, imò & ampliùs, laicis, & cunctis eam accipientibus, quod ex iure communi licet Clericis tempore interdicti. At tunc, fatetur P. Bardi Clericis licere, in Eccleſia ſpecialiter interdicta tumulari: ergo idem licet laicis ex priuilegio Bullæ.

23 Confirmatur, quia ipſe Author *num.* 36. ponit caſum, in quo ſit vna ſolùm Eccleſia in loco, & hæc ſpecialiter interdicta: vel plures Eccleſiæ, ſed omnes interdictæ ſpecialiter: & tunc, affirmat poſſe Clericos ſepeliri ex vi Iuris Communis in Eccleſia ſpecialiter interdicta; & indè infert poſſe etiam virtute Bullæ ſepeliri in Eccleſia eiuſmodi: ergo abſolutè idem eſt inferendum ex concluſione vniuerſali, quam eſſe probabilem ſtatuit, nempè Clericos poſſe ſepeliri in Eccleſia ſpecialiter interdicta ex vi iuris communis; vel ſi ex hoc aſſerto non infertur, poſſe etiam laicos, non rectè primum infertur: nec opus erat, aſſumere ad probandum, laicos poſſe ex vi Bullæ in caſu ſuperiori tumulari in Eccleſia ſpecialiter interdicta, pro medio, hoc quod eſt, poſſe Clericos ex vi Iuris communis. Aliàs, ſi illatio non valeret, conceſſo antecedenti, negaretur conſequentia.

24 Nec valet, dicere, in caſu ſuperiori illud interdictum ſpeciale æquiualere vniuerſali, atque adeò ampliandum eſſe priuilegium Bullæ ad illum caſum. Etenim hæc reſponſio contrariatur principio vniuerſali, cui innixus P. Bardi ſuas concluſiones ſtatuit, videlicèt Bullæ priuilegia non importantia poteſtatem diſpenſandi, ſed actualem Iuris relaxationem non ample, ſed ſtrictè eſſe interpretanda: priuilegium autem concedens ſepulturam Eccleſiaſticam tempore interdicti non eſt poteſtas relaxandi; ſed actualis relaxatio iuris. Quare non rectè vtitur hic Author eo fundamento: eſtò alij Authores, qui circa interpretationem priuilegiorum Bullæ contrarie ſentiunt, eo poſſint conſequenter vti.

CAPVT VI.

An ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam, qui audit eam in Oratorio, ſiuè in illo celebrat, habens Bullam Cruciatæ?

25 AFfirmatiuè reſpondi *in ſuperioribus diſput.* 16. Probabile hoc eſſe, tuetur P. Bardi 2. *part. tractat.* 2. *cap.* 6. *ſect.* 1. *num.* 8. Rursùs *num.* 16. tenet, ſententiam oppoſitam etiam eſſe probabilem. Id cenſeo, non fore admittendum. Primò, nam cur iudicetur opinio probabilis, pro qua nullus Author afferri poteſt, cum tamen ſit quæſtio ab Authoribus diſcuſſa? Pro affirmante autem ſententia ſunt Riccius, Emmanuel Rodriguez, Ludouicus à Cruce, Trullench, P. Henriquez, & alij, quos ipſe P. Bardi refert *numer.* 7.

26 Secundò, quia nulla eſt ratio pro negante opinione. Quod vt conſtet, ſupponenda ſunt verba Bullæ Latinæ: *Poſſunt, dicto anno durante, in Eccleſiis, in quibus aliàs Diuina Officia, interdicto durante, quomodolibet celebrare permiſſum fuerit, vel in priuato Oratorio ad diuinum cultum tantùm deputato, ab Ordinario viſitando, & deſignando, etiam tempore Interdicti &c.*

Digitized by Google

&c. Miſſas, & alia Officia diuina per ſe ipſos, ſi Presbyteri fuerint, celebrare, vel per alium celebrare facere. Ait itaque P. Bardi, per hæc verba non concedi omnibus vniuerſaliter poteſtatem audiendi Sacrum in Oratorio; ſed ſolùm perſonis illis, quæ aliàs Breue particulare obtinuerunt pro celebratione Miſſæ in Oratorio priuato: & cum nequeant tempore interdicti vti Oratorio, per priuilegium huius Bullæ concedi, vt etiam tempore interdicti, frui poſſint illo Breui ad vſum Oratorij. Qua explicatione probat opinionem negantem inquiens, verba præfata Bullæ poſſe habere hunc ſenſum: ergo probabilis eſt opinio negatiua.

27 E contra ego inquam. Verba præfata Bullæ non poſſunt hunc ſenſum habere: ergo, ſi nulla alia eſt ratio, vt non eſt, pro opinione negante, ea probabilis non eſt. Antecedens conſtat primò ex verbis ipſis *nuper* prolatis, quæ non loquuntur ſolùm de habentibus ſuæ domi Oratorium; ſed de omnibus habentibus Bullam, qui in Oratorio ſuę vel alienæ domus Miſſam audire queunt: nec ea reſtrictio cum aliquo fundamento; ſed voluntariè omnino adiicitur, cum in Bullæ contextu non ſit, vnde colligatur. Gratis autem addere reſtrictiones, contra, ſeu præter verba priuilegij, nec ipſi, qui Bullam reſtringunt, vnquam præſtant.

28 Secundò illa particula implicatiua *Etiam tempore interdicti*, verſatur circa tempus, vt fatetur Pater Bardi *numer.* 12. & exprimendo tempus interdicti, implicitè includit tempus, in quo non eſt interdictum. Quaſi dicat Pontifex: *Habens Bullam poſſit celebrare, aut audire Miſſam in Oratorio priuato quovis tempore, non ſolùm eo, in quo non eſt interdictum, verùm & eo, in quo eſt interdictum.* Itaque in particula *Etiam*, implicat tempus, pro quo Bulla concedit auditionem Miſsæ in Oratorio priuato. Tunc ſic. Qui ex vi Breuis particularis habet ſuæ domi Oratorium pro celebratione ſacri, non indiget Bullæ priuilegio, vt tempore non interdicti audiat in illo Miſsam, ſatisfaciatque Eccleſiæ præcepto: ergo conceſſio Bullæ, vt aliquid operetur, dirigitur ad illos, qui non habent Oratorium ſuæ domi, nec facultatem aliundè audiendi in eo ſacrum. Aliàs, ſi dirigeretur dumtaxàt ad habentes cum faculate Oratorium, ea particula *Etiam* non eſset implicatiua, ſed ſuperflua: ſi quidem ſolùm ſignificaret, eos poſse audire Miſsam in Oratorio tempore interdicti: nam tempore non interdicti ſupponit Bulla, illos poſse ibi audire ſacrum, cum per Bullam non concedatur facultas ad habenda Oratoria.

29 Hinc liquet, non poſse ſuſtineri ſenſum à Patre Bardi excogitatum, cum relinquat abſque vi eam particulam *Etiam*, reddatque illam ſuperfluam: ſi quidem nequaquam ſub ea contineretur implicitè aliqua poteſtas in præſenti conceſsa, ſi eſſet ille ſenſus tenendus: quod & eſt contra adhuc aſſerta, & contra prima verba clauſulæ præiactæ: *Poſſunt, dicto anno, &c.* Quæ deſignat, facultatem concedi aliquam nouam ex priuilegio in verbis ſequentibus.

CAPVT VII.

Quid circa eſum carnium ſupra ius commune Bulla Cruciata concedat?

30 Stabiliui *opere ſuperiori diſp.* 17. *à num.* 6. concedi per Bullam, vt quis diebus prohibitis, poſſit carnibus veſci, quando cauſa eſt dubia, in qua iuxta ius commune non poſſet, ſi Epiſcopus, aut Parochus non diſpenſaret: & hæc diſpenſatio non eſt neceſſaria, ſi quis Bullam habeat, & adſit vtriuſque Medici conſilium.

31 Pater Bardi *in Bullam part.* 2. *tractat.* 3. *cap.* 1. proponit aliquas ſententias circa hanc Bullæ conceſſionem: & *numer.* 5. recenſet tertiam ſic: *Tretia vult, per Bullam concedi comeſtionem carnium, quando neceſſitas eſt dubia, & non certa.* Deindè *numer.* 10. impugnat hanc ſententiam his verbis: *Dicendum eſt tertio. Neque placet ſententia, quæ explicat priuilegium Bullæ, &c. quando cauſa eſt dubia: nam etiam ſine Bulla, vt dicunt communiter Doctores, ſi Medicus iudicet, penſatis omnibus, neceſſitatem veſcendi carnibus eſſe dubiam, poterit Epiſcopus diſpenſare, & eo abſente Parochus, &c. Si igitur abſque Bulla in dubiis, ſecundum conſuetudinem iam introductam, quæ aliquo modo facit ius, poterunt Fideles diſpenſationem habere circa comeſtionem carnium, priuilegium ipſius Bullæ, ſi nihil plus concederet, non eſſet neceſſarium, neque admodùm vtile.*

32 Valdè miror hanc impugnationem. Quippè, ſi ipſe fatetur, eſſe neceſſariam diſpenſationem, quando cauſa eſt dubia: & Bulla concedit, quòd abſque diſpenſatione ſit licitus eo caſu eſus carnium, ſanè multùm operatur priuilegium Bullæ, nempè ablationem diſpenſationis. Eritne rectum argumentum: cum Epiſcopi facultate poſſunt commutari vota non reſeruata: ergo priuilegium Bullæ commutandi vota non eſt neceſſarium, nec vtile, ſi quidem commutatio poteſt ab Epiſcopo obtineri? Eadem igitur eſt ratiocinatio huius Authoris.

33 Sed adhuc magis mirabile eſt, quòd ipſe Author *eadem pagina*, *numer.* 12. ipſiſſimam ſententiam, quam *numer.* 10. ſibi non placere, aſſeuerat, ſequitur expreſsè: &,

quia forſan de tam docto viro nullus id crederet, ideò verbatim appoſui eius impugnationem, & nunc appono eius aſſertum: *Dicendum eſt quintò priuilegium Cruciatæ quoad carnes comedendas eſſe valdè vtile, & plus concedere, quam datur per ius commune, aut per conſuetudinem vniuerſaliter receptam. Declaratur, & probatur concluſio. Aio igitur, efficaciam huius priuilegij ſitam eſſe in hoc, vt in dubio non requiratur diſpenſatio facienda ab Epiſcopo, aut Parocho; ſed ſufficiat conſilium Medici, & Confeſſarij, quod tamen ſine Bulla non eſſet ſatis; ſed eſſet recurrendum ad Prælatum ſuperiorem, qui diſpenſaret. Ita tenet, &c. Et hoc non eſt iudicandum parui momenti; cum ſit magnum alleuamentum, fideles non cogi adire Epiſcopum, aut Parochum.* Expendat lector, an vlla ſit in his propoſitio, quæ non opponatur contradictoriè eis, quibus *ſuperius* tertiam ſententiam impugnauit; nec aliter euenire poterat, cum tunc ſententiam protinùs à ſe ſequendam, conaretur hic Author eneruare.

CAPVT VIII.

De qualitate Medici ſpiritualis, de cuius conſilio poſſunt edi carnes virtute Bullæ Cruciatæ.

34 DE conſilio vtriuſque medici, concedit in Bulla Pontifex, poſſe edi carnes diebus prohibitis. Vnus ex medicis eſt ſpiritualis, quem debere eſſe Confeſſarium approbatum ab Ordinario ea approbatione, quæ requiritur, vt eligatur virtute Bullæ ad confeſſionem excipiendam, tractatus ſum *in ſuperioribus diſp.* 22. *n.* 121.

35 P. Franciſcus Bardi *in Bull. part.* 2. *tr.* 3. *cap.* 1. *ſect.* 2. *num.* 17. defendit, medicum hunc ſpiritualem non debere neceſſariò eſſe approbatum ab Ordinario. Nullum pro ſuo aſſerto Authorem affert, imò nec illud probat: ſolúmque ſibi opponit, medicum ſpiritualem dici per ordinem ad curandos animi morbos, qui per abſolutionem Sacramentalem curantur. Cui argumento ipſe ex propria doctrina non ſatisfacit; ſed aſſerit, poſſe quem reſpondere, appellari Medicum ſpiritualem non ex actuali iuriſdictione, quam habet expediendi confeſſiones; ſed ex Ordine Sacerdotali, cui eſt annexa poteſtas abſoluendi, & vt ſic, habet proximam capacitatem recipiendi iuriſdictionem ad abſoluendum. Nihil aliud circa hoc aſſertum affirmat.

36 Igitur ab eo inquiro, an huic reſponſioni aſſentiatur, nec ne? Si non aſſentitur: ergo non reſpondet argumento, quod non inualidè ſuadet oppoſitam ſententiam, atque adeò erit ea firmior, & verior. Si aſſentitur: ergo amplè interpretatur, imò ampliſſimè priuilegium Bullæ, contra ſua principia. Quod, credo, præuidit, & ideò aſſeruit, poſſe quem reſpondere ei argumento, nolens ſuo nomine amplam, & fauorabilem reſponſionem præbere.

37 Sed quidquid ſit, non eſt ea reſponſio toleranda. Primò, quia vox *Medicus ſpiritualis*, ſumenda eſt in communi, recepta, & propria ſignificatione, in qua non ſimplex Sacerdos, ſed Confeſſarius approbatus dicitur medicus ſpiritualis. Secundò, quia mens Pontificis eò tendit, vt qui conſilium ad edendas carnes præbet, ſit verſatus in rebus moralibus, ne erret, & ideò Confeſſarium approbatum requirit, in quo ſupponitur probitas, & perities, quæ non ſupponitur in Sacerdote ſimplici, cum hic adhuc non obtinuerit ſuæ doctrinæ teſtimonium, quod per approbationem confertur. Tertiò, quia alias poſſet etiam dici Medicus ſpiritualis aliquis laicus probæ vitæ, & in rebus ſpiritualibus exercitus: ſemel enim ampliata ea voce, cur ad illum non extendatur? Dices, quia, per ſe loquendo, Sacerdotes & ſunt peritiores, & prudentiores, quam laici. Id reſpondet P. Bardi *numer.* 20. Benè ideò ergo aſſero, Confeſſarium approbatum dici Medicum ſpiritualem, & non Sacerdotem ſimplicem, quia per ſe loquendo, & ex teſtimonio approbationis Confeſſarius eſt prudentior, ac peritior, quam ſimplex Sacerdos: & poteſtas abſoluendi annexa Sacerdotio, ac proxima capacitas recipiendi iuriſdictionem non præbet Sacerdoti ſimplici doctrinam, & peritiem; quam ſanè exigit Pontifex ad conſilium præſtandum circa vſum carnium. Quare, vt ea tutiùs, & abſolutè reperiatur, neceſſe eſt, vt conſilians Confeſſor ſit approbatus.

CAPVT IX.

An, ſi quis die ieiunij diſpenſatus ad carnes, ab his tamen ſe abſtineat, & ſolùm comedat piſces, aut oua, teneatur ieiunare?

38 SVppono, eum, qui diſpenſatus eſt ad carnes edendas ratione infirmitatis, aut debilitatis, non teneri ieiunare, quamvis à carnibus abſtineat. Ita communiter Authores, P. Thom. Sanchez *lib.* 5. *conſil. cap.* 1. *dub.* 30. *n.* 3. Trullench, Diana, Paſqualigus, & Carolus Zambranus, alio nomine, Author caſuum conſcientiæ Bononienſis; quos refert, & ſequitur Leander de Sacramento *in præcep. Eccleſiaſt. tr.* 5. *diſp.* 8. *q.* 34 Et hoc adeò verum eſt, vt quamvis ei eſſet vtile ieiunium ratione infirmitatis, attamen ex vi præcepti Eccleſiaſtici ieiunare non teneretur.

39 Difficultas

Digitized by Google

39 Difficultas ergo eſt, an ſi quis, aliàs viribus integer, ſit diſpenſatus ad carnes veſcendas ob præſeruationem alicuius infirmitatis futuræ, & aliquo die ieiunij à carnibus abſtineat voluntariè, ieiunare eo die teneatur? Teneri, affirmat P. Bardi *in Bull. part. 2. tract. 3. cap. 1. ſect. 7. num.* 54. & addit, opinionem oppoſitam eſſe parùm probabilem, & non tutam.

40 Sententiam huius Authoris eſſe tutiorem, conſtans eſt; ſed eius cenſuram de oppoſita ſententia eſſe rigidiorem, quàm par erat, ex dicendis etiam conſtabit. Aio igitur, ſententiam oppoſitam eſſe probabilem, & tutam in praxi. Primò, quia eam abſolutè tuentur tres graues, ac docti Authores, cum non multò plures ſententiæ affirmanti ſubſcribant. Tuentur namque Paſqualigus *de ieiun. deciſ.* 268. *à numer.* 3. Author caſuum conſcientiæ Bononienſis, *anni* 1638. *caſu* 2. *menſe Ianuarij, verſ. Reſpondeo ſecundo.* Leander de Sacramento *in præcept. Eccleſiaſtic. tract* 5. *diſp.* 8. *quæſt.* 35. Et addit Paſqualigus *deciſ.* 269. *n.* 4. idem omnino dicendum eſſe de illo, qui adſtrictus voto ad ieiunium, validè diſpenſatur ad carnes edendas, quòd ſcilicèt non teneatur, ieiunare, ſi aliquo die ex deputatis ad ieiunium pro libito abſtineat à carnibus. Quod cenſet verum Leander *loco relato*, ſi abſolutè fuit diſpenſatus ad edendas carnes.

41 Secundò, quia non leuis ratio fauet huic opinioni. Etenim per diſpenſationem abſolutè tollitur obligatio abſtinendi à carnibus die ieiunij, & conſequenter aufertur obligatio ieiunandi: ablata autem hac obligatione, non eſt, vndè in caſu poſito reuiuiſcat, nec à quo ponatur. Et quidem ille non tenetur abſolutè ieiunare, cum ſit liberum ei, ieiunare, & non ieiunare: igitur poteſt eligere vnum ex his, ex quibus ieiunium conſtat, nempè abſtinentiam à carnibus, quin aliud obſeruet, ſcilicèt vnicam comeſtionem: etenim ea ſunt illi voluntaria, atque adeò valent ab ipſo ſeparati. Confirmo. Nam, poſtquam ille piſces, aut oua comedit, quis prohibeat, ſtatim edere carnes, cum ſit communior ſententia, diſpenſatum ad carnes, poſſe ſimul comedere piſces, quin peccet contra præceptum Eccleſiæ: eſtò, ſi ei noceant, peccet contra virtutem ſobrietatis, & temperantiæ. Igitur carnes, quas poteſt edere ſtatim poſt comeſtionem piſcium, poteſt edere qualibet hora diei: ergo nulla hora diei vrget illum præceptum ieiunij, cum in qualibet poſſit licitè ieiunium frangere. Rursùs pone, hunc hominem tot oua, ac piſces comedere, quod ſufficiant ad eius commodam ſuſtentationem: velit ſimul poſt illorum comeſtionem veſci carnibus, inquiro, an poſſit? Si non poteſt, falſa erit doctrina communis, quam P. Bardi ſectatur, diſpenſatum ad carnes poſſe ſimul edere piſces, & oua: ſi poteſt, igitur etiam in caſu ſuperiori poſt comeſtionem piſciũ, poterit qualibet hora diei carnes edere, & conſequenter non ieiunare. Quippè, ſi ille eſus carnium eſt licitus, dum fiat illicò, quamvis ſufficienter fuerit ille homo aliis epulis nutritus, materialiter omnino ſe habet, quòd non fiat illicò; ſed cum interruptione, nempè tempore veſpertino, aut nocturno. Neque obſtat, quòd in primo caſu iam ab initio ille habuerit animum veſcendi carnibus poſt piſces, ſecùs in ſecundo: nam hic animus non poteſt ei imponere obligationem: imò poterat mutare animum, dum piſces edebat, & protinùs poſt illos carnibus veſci.

42 Ex his ſoluuntur fundamenta Patris Bardi. Primum eſt. Diſpenſatio in caſu poſito ſolùm reſpicit, vt adæquatum obiectum, bonum nutrimentum ad præſeruationem virium: ergo, dum hoc nutrimentum carnium ceſſat, remanent omnia iuxta diſpoſitionem iuris communis præcipientis ieiunium. Videtur hic Author parum propriè terminis vti. Etenim, cum obtinetur aliqua diſpenſatio, duo ſunt conſideranda: aliud eſt cauſa motiua, ob quam ſuperior diſpenſat: aliud eſt obligatio, quam diſpenſatio relaxat. Diſpenſatio igitur non tendit ad cauſam, vt ad obiectum; ſed illam ſupponit: ſolumque tendit ad obligationem, quam, vt obiectum, reſpicit, eam relaxans.

43 Itaque antecedens huius argumenti eſt falſum: nam ea diſpenſatio reſpicit, vt adæquatum obiectum, obligationem abſtinendi à carnibus ex præcepto Eccleſiaſtico prouenientem, quam abſolutè relaxat, mouetur autem diſpenſans ex ratione damni inferendi à nutrimento piſcium. Poteſt autem aliquando ratio motiua in caſu particulari non poni, quin ideò diſpenſatio ceſſet, quod pluribus exemplis ſuaderi poteſt. Sic in hac materia debilis diſpenſatus in ieiunio, quamvis abſtineat aliqua die à carnibus, & noceat illi cœna, non peccat contra præceptum ieiunij, ſi cœnet, vt docet ipſe P. Bardi: & tamen cauſa motiua ad diſpenſationem fuit neceſſitas cœnæ ad roborandas vires: quam cauſam, & neceſſitatem in hoc caſu ceſſare, ſupponimus. Plura eiuſmodi poſſunt adduci.

44 Secundum fundamentum huius Authoris eſt. In tantum Titius erat liber à lege ieiunij, in quantum ponebat conditionem incompoſſibilem cum ipſo ieiunio, nempè comeſtionem carnium: ergo tali conditione non appoſita, nulla erit ei exemptio ad

ad non ieiunandum. Nego antecedens: quia in tantum eſt liber à lege ieiunij, in quantum diſpenſatio relaxauit ei obligationem adimplendi legem. Quare non facit eum liberum à lege comeſtio carnium; ſed hæc ſupponit eum liberum. Quod manifeſtè patet: nam liberari à lege, fit per diſpenſationem, non per actionem propriam ipſius ſubditi, qui ab ea liberatur: aliàs exemptio à lege non prouenirer à ſuperiore ſed ab actione voluntaria ſubditi. Quare ille, dum carnes comedit, vtitur toto effectu diſpenſationis, qui conſiſtit in exemptione à ieiunio, & in comeſtione carnium, qui effectus adæquatus diuidi poteſt: atque adeò poteſt ille veſci piſcibus, ac non ieiunare, quæ eſt vna pars eius effectus: & poteſt veſci carnibus, qui eſt adæquatus effectus diſpenſationis.

CAPVT X.

An Regulares Militiarum Equeſtrium comprehendantur ſub indulto Bullæ Cruciatæ veſcendi carnibus, ouis, & lacticiniis, ſi Sacerdotes ſint?

45 COmprehendi ſub illo indulto, & non excipi ab eo, ſicut excipiuntur alij Regulares, & cæteri Sacerdotes ſæculares, tradidi *opere præcedenti diſp.* 18. *à n.* 16. *& n.* 21. Solúmque limitationem adhibui, dummodò illi non eſſent prælati. Quam doctrinam ex ipſo contextu, ac verbis Bullæ collegi: eamque docent aliqui Authores, quos refert Villalob. *t.* 1. *tr.* 27. *clauſ.* 6. *n.* 9.

46 Oppoſitum ſequitur P. Bardi *part.* 2. *tract.* 3. *cap.* 2. *ſect.* 2. *num.* 28. Mouetur, quia non eſt veriſimile, plus conceſſum fuiſſe in Bulla in ordine ad hunc effectum comedendi vetitos cibos Presbyteris Religioſis, quàm Presbyteris ſæcularibus, cum illi maiori teneantur obligatione ad vitæ perfectionem adquirendam, quàm iſti.

47 Hæc veriſimilitudo non multum vrget: ſi enim Pontifex voluit concedere illis, & non iſtis prædictum priuilegium, (vt probaui ex ipſius verbis, voluiſſe,) non debemus examinare, an congruentius fuiſſet, negare: imò ſupponere, fuiſſe congruentias, quibus ductus moueretur ad conceſſionem: eaſque attigi *loco relato*, facilèque excogitari poſſunt cauſæ mouentes ad indultum concedendum. Itaque reſpondeo, eſſe veriſimilè, plus conceſſum fuiſſe Presbyteris Militiarum Equeſtrium, quàm aliis, quia ex ipſis Bullæ verbis explicatis in proprio ſenſu, quin adhibeatur impropria reſtrictio, id conſtat.

CAPVT XI.

Vtrùm annus ſexageſimus requiſitus in Bulla ad includendum ſub indulto ciborum perſonas excluſas debeat eſſe totaliter completus?

48 SExagenari, etiam ſi ſint Epiſcopi, Sacerdotes, aut Regulares, poſſunt virtute Bullæ communis edere oua, & lacticinia, ac carnes, de conſilio vtriuſque medici, diebus prohibitis. Examinatur ergo, an ſufficiat attigiſſe ſexageſimum annum, vel ſit neceſſe, expleuiſſe.

49 P. Bardi *part.* 2. *tractat.* 3. *cap.* 2. *ſect.* 3. *numer.* 38. docet, neceſſarium eſſe, totaliter expleuiſſe. Probat, quia priuilegium Bullæ eſt odioſum, eſtque ſtrictè interpretandum: & etiam, quia annus ſexageſimus excuſans à ieiunio debet eſſe totaliter completus. Hoc ſecundùm probauerat *numer.* 37. quia hæc ætas non eſt in iure determinata; ſed determinatio pendet ab hominum arbitrio: & cum hi alij putent, ſufficere annum inceptum, alij requiri completum, his ſtandum eſt.

50 Hæc parùm benigna opinio nimis falſa eſt; prima probatio rigida, & non vera: ſecunda ſimiliter: & prætereà inintelligibilis. Aio itaque, ſufficere attigiſſe ſexageſimum annum ad gaudendum indulto Bullæ. Ita docui *in ſuperioribus diſp.* 18. *n.* 10. Rationem primam P. Bardi nego, & ſæpè negaui, aſſerens, priuilegia Bullæ non eſſe ſtrictè, ſed amplè interpretanda.

51 Pariter eius Authoris ſecundùm fundamentum inficior, & aſſero, ſufficere, attigiſſe ſexageſimum ætatis annum, vt quis à ieiunio deobligetur. Id docent Medina, Flaminius, Trullench, Ioannes Sancius, & P. Thom. Sanch. ab ipſo P. Bardi relati *num.* 34. Et præter eos tenent hanc ſententiam Paſqualigus *de ieiun. deciſ.* 258. Leander de Sacramento *tom. in præcept. Eccleſ. tractat.* 5. *diſput.* 8. *q.* 17. *ad finem*. Et benè, quia, dum ea ætas attingitur, calor naturalis incipit debilitari, & ſpiritus minui, vt experientia conſtat, & docet Galenus *lib.* 5. *de ſanitate tuenda*: & in ea ætate iam datur ſenectus, quæ incurabilis morbus, & infirmitatum congeries eſt, vt loquitur Caietanus *in ſum. verb. Ieiunium*. Et in iure annus inceptus, & item dies, habetur pro completo, vt liquet *ex leg. qua ætate, ff. de teſtament.* & *ibi* Gloſſa, *verb. Dies ergo*.

52 Et quidem, ſi P. Bardi fatetur, hoc pendere ab hominum arbitrio, & homines plures ac docti cenſent, ſufficere annum inceptum: & pro ſententia oppoſita non ſunt Authores clari nec ab ipſo afferuntur, cum dicant

dumtaxàt

Digitized by Google

dumtaxat ſufficere ſexageſimum annum, quin plurimi declarent, an loquantur de incepto, an de completo, cur aſperiorem partem ſecutus, non aſſentiatur arbitrio tantorum hominum? Et enim ipſe *num.* 37. affirmat, non deffendere eam aſſertionem, quia hæc excuſatio à ieiunio eſt contra ius commune odioſa, ac ſtrictè interpretanda: ſi igitur hac ratione non mouetur, non video vllam prorſus aliam.

53 Ait, ſicut deſignatio materiæ, quæ ſufficit ad furtum graue, pendet à prudentum arbitrio, & deſignata qualibet, v.g. quatuor argenteis, hi intelliguntur omnino completi, ita vt non ſit materia grauis, ſi vel vnum obolum dificiat: ſic etiam eſſe rationandum in in hac materia anni excuſantis à ieiunio.

54 Sola paritatis propoſitione cernitur, quàm longum ſit diuerſitatis interuallum. Etenim eſſe peccatum mortale hoc, vel illud furtum, eſt odium atque adeo ſtrictè interpretandum, ne facilè reus peccati lethalis homo damnetur. Excuſari autem à ieiunio ob ætatem ſenilem, eſt fauor, atque adeò amplè interpretandus: & ipſe P. Bardi noluit ſtrictè interpretari, vt *nuper* aſſerebam. Rurſus quantitas iuxta communem loquendi modum poteſt maior, ac minor deſignari, vt in contractibus, in emptionibus, in mutuis, & aliis cernitur: ſic, cum aſſeritur, hanc mercem emptam fuiſſe quatuor argenteis, intelliguntur hi completi: aliàs pariter diceretur, emptam fuiſſe quatuor argenteis, ſex, octo, aut decem obolis, vel teruntiis minùs. Quippè iuxta vulgarem modum loquendi nomine quatuor argenteorum non intelligimus eos inceptos: ita vt vocentur quatuor, ſi ſolùm ſint tres, & vnum, aut duo obola, vel teruntii. Hinc, cum ad furtum deſignantur quatuor argentei, intelliguntur completi: aliàs eſſet impropria, & inuſitata locutio, ſi in numeratione pecuniæ intelligerentur quatuor incepti.

55 Secùs omnino contingit in numeratione annorum: nam qui attigit, aut cœpit annum, iuxta communem, & vſitatum loquendi modum, dicitur, habere eum annum: ſic vocatur ſexagenarius, qui attigit ſexageſimum annum, & in iure ipſo, cum decimus quartus annus requiratur in viro ad nuptias, & in fœmina duodecimus, ſi ſit inceptus, ſufficit iuxta ipſum P. Bardi, & ad presbyteratum annus vigeſimus quintus requiſitus ſufficit inceptus. Ecce ergo, quomodo non ſit ratiocinandum eodem pacto de materia deſignata ad furtum graue, & de anno deſignato ad excuſandum à ieiunio.

CAPVT XII.

Vtrùm in Dominicis Quadrageſimæ lacticinia comedi poſſint abſque Bulla?

56 QVæſtio nunc generaliter eſt examinanda: & *cap. ſequenti* ſpecialiter de Regularibus, & Sacerdotibus. Negat igitur poſſe comedi lacticinia abſque Bulla in Dominicis Quadrageſimæ Pater Franciſcus Bardi *in Bul. part. tr.* 3. 2. *c.* 2. *ſect.* 4. Mouetur ſolùm ex *cap. denique, diſtinctio.* 6. in qua prohibentur lacticinia in diebus, in quibus abſtinemus à carnibus. Vbi expendit hic Author, Pontificem non aſſeruiſſe ſolùm, *in diebus, in quibus ieiunamus*; ſed *in quibus à carnibus abſtinemus.*

57 Oppoſitam ſententiam tradidi *opere præcedenti, diſput.* 18. *num.* 24. (Loquendo independenter ab aliqua Declaratione Pontificia) Quam præter Antonium Gomez, Llamas, Cordubam, & Paſqualigum, quos pro noſtra ſententia refert ipſe P. Bardi *num.* 47. Eam defendunt Machado *in ſum. lib.* 2. *part.* 4. *tract.* 3. *docum.* 4. *nu.* 4. D. Didacus Narbona *tom. de ætate, anno* 60. *q.* 3. *à num.* 3. Leander de Sacramento *in præcept. Eccleſ. tr.* 5. *diſp.* 3. *q.* 8.

58 Atque, vt res perfectè intelligatur, & conſtet, ſuſtineri non poſſe interpretationem prædicti capitis, quàm tradit P. Bardi, altiùs ordiamur. Auguſtinus Epiſcopus Anglorum quæſiuit à Pontifice Gregorio, an Dominica Quinquageſimæ ieiunaturi eſſent Eccleſiaſtici? Reſpondet Gregorius: *Denique Sacerdotes, & Diaconi, & reliqui omnes, quos dignitas Eccleſiaſtici gradus exornat à Quinquageſima propoſitum ieiunandi ſuſcipiant: quo & aliquid ad penſum ſanctæ inſtitutionis adiiciant; & eorum, qui in laicali ordine conſiſtunt, obſeruantiam ſicut loco, ita & religione præcellant.* Ex his euidenter patet, laicos non ieiunaſſe in Quinquageſima, nec eis impoſitum fuiſſe illud preceptum; ſed ſolùm Eccleſiaſticis, vt aliquid adiicerent ſuprà id, quod laici exequebantur, & adderent meritum, dum ſupra penſum Quadregeſimæ, quod omnibus incumbebat, ipſi ſpecialiter nouum penſum ſuſciperent.

59 Deinde quæſiuit Auguſtinus, an laici, quibus tunc in more erat, veſci carnibus in Dominicis Quadrageſimæ, eſſent tolerandi Et Pontifex id permittit aſſerens: *De ipſa verò die dominica haſitamus, quidnam dicendum ſit, &c.* Et poſt aliqua concludit: *Et ideò cum venia ſuo ingenio relinquendi ſunt, ne fortè peiores exiſtant, ſi in tali conſuetudine prohibeantur, vt enim ait Salomon, qui multum emungit, elicit ſanguinem.* Itaque permittit laicis, (quod poſteà probibitum fuit:) vt carnes ederent Dominicis

Digitized by Google

minicis Quadrageſimæ. Vnde. ex hoc capite nequit probari, eis Dominicis præcipi abſtinentiam à lacticiniis: quæ ſolùm præcipitur poſt verba prædicta in diebus, quibus à carnibus erat abſtinendum qui dies erant ieiunij, cum antecedenter, dies Dominici excluſi eſſent.

60 Nunc attendenda eſt interpretatio P. Bardi. Ait enim, Pontificem ſolùm loqui de Dominica Quinquageſimæ, non de Dominicis Quadrageſimæ, & in ea permittere laicis comeſtionem carnium: de his verò nihil agere, atque adeò, cum ſtatim in ipſo capite Pontifex aſſerat, in diebus, in quibus à carnibus abſtinemus, abſtinendum eſſe à lacte, caſeo, & ouis, quæ ſementinam originem à carnibus trahunt, conſequens eſt, vt ſit abſtinendum ab his epulis in Dominicis Quadrageſimæ. Inſuper addit, *numer.* 53. per eam Pontificis permiſſionem non fuiſſe redditam comeſtionem carnium licitam, quia permiſſio actum licitum non reddit.

61 Hæc interpretatio textui, & contextui verborum omnium eſt contraria. Etenim in Dominica Quinquageſimæ, tam laici, quàm Clerici carnibus veſcebantur: & Epiſcopus Anglorum ſolùm quæſiuit à Pontifice, an Clerici deberent ab illis abſtinere, & reſpondit Pontifex affirmatiuè, ob rationes libatas *nuper nu.* 58. Vbi non imputat laicis quidquam mali in ea comeſtione, & de ea nihil immutat: quare circa eam Dominicam Quinquageſimę, non inſtituit poſteà ſermonem: nam eſſet inconſequentia manifeſta in contextu, & verbis. Quod ipſe Pater Bardi debuit attendere, cum aſſeruit, Pontificem loqui de Dominica Quinquageſimæ, quando in ea carnes permiſit: ſi enim ea permiſſio tendit ad rem non licitam: ſanè in Quinquageſſima omni iure licebat laicis, carnes comedere: igitur permiſſio non tendebat ad Quinquageſimam.

62 Præterea conſtans eſt, olim Dominicis Quadrageſimæ carnes edi, aliquando fuiſſe ſolitum: vnde rectè cohæret reſponſio Pontificis cum hac conſuetudine: non autem cohæret, ſi Dominica, de qua loquitur, eſſet Quinquageſimæ, cum nec prohibitio ſtaret, nec ſtetrit vnquam de carnium eſu ea die.

63 Adhuc, non rectè ait P. Bardi, hic & nunc permiſſionem Pontificis non reddere actum edendi carnes licitum. Etenim, ſi loquebatur, vt ipſe intelligit, de Quinquageſima, nunquam fuit illicitus tunc carnium eſus reſpectu laicorum. Si de Dominicis Quadrageſimæ, verba Pontificis ſonant actum fore licitum: ait enim: *Cum venia ſuo in genio relinquendi ſunt*: monens Epiſcopum Anglorum, ne eorum conſuetudinem tolleret. Quòd ſi ille actus eſſet peccatum, nec id moneret Pontifex, nec aſſereret, eos laicos in ſuo peccato fore relinquendos: hoc enim alieniſſimum eſt à Summo Paſtore animarum, cuius ſollicitudo eſt, vt peccata vitentur, & vitia non permittantur.

64 Dicat aliquis, ea verba: *De ipſa verò die Dominica*, appellare ſuprà Quinquageſimam, cuius paulò ante Pontifex fecerat mentionem: & aliundè, cum loquatur de Dominica in ſingulari, non de Dominicis Quadrageſimæ, quæ plures ſunt; ſed de Quinquageſima, quæ eſt vnica, eſſe ſermonem.

65 Reſpondeo, hunc textum non prolatum fuiſse à Pontifice, vt iacet; ſed longiori ſermone ad plura interrogata Auguſtini Anglorum Antiſtitis reſpondiſse: atque propterea inter primam clauſulam de Quinquageſima, & inter hanc, ſaltem mediare interrogationem illius Epiſcopi: vnde non appellant prædicta verba ſuper Quinquageſimam; ſed ſuprà Dominicas Quadrageſimæ in quæſito contentas. Hoc etiam ex contextu ſuadetur: nam antecedenter non ſolùm iniunxerat Clericis ieiunium Pontifex in Dominica Quinquageſimæ (vocem enim *Dominica*, non protulerat;) ſed in Quinquageſima, quæ comprehendit tres dies ante feriam quartam Cinerum: ergo cum Pontifex determinat *die Dominica*, non appellat ſuprà Quinquageſimam, de qua fuerat locutus. Quod etiam eſt fundamentum pro aſserto *ſuprà* probato.

66 Locutio autem in ſingulari prolata nihil conuincit, cum diſpoſitum de vna Dominica ad alias ſe extendat, & quæſitum fortaſse ita fuerit propoſitum: *An die Dominica permittendum eſſet laicis in Quadrageſima carnibus veſci?* Quod quæſitum æquiualet huic, *an Dominicis Quadrageſimæ, &c.* Eſt enim ille valdè communis modus loquendi.

67 Egimus cum patre Bardi. At ad expeditionem plenam huius rei oportet animaduertere, aliquos Authores contendiſſe, eſse prohibita oua, & lacticinia in Dominicis Quadrageſimæ, tum ex conſuetudine Eccleſiæ, tum ex ſexta Synodo generali *Canone* 56. in quo reprobatur vſus comedendi eis diebus huiuſmodi epulas. Ita Lezana, *verb. Ieiunium*, *num.* 3. Rodriguez, Vega, Lopez, Diana. & Leander de Murcia relati à Leandro de Sacramento *in præcept. Eccleſ. tr.* 5. *diſp.* 3. *q.* 9.

68 Sed ſtandum eſt noſtræ ſententiæ, aſſerendum, non eſse prohibita, præciſè ex his quæ *nuper* allata ſunt Sic docent Paſqualigus *de*

Digitized by Google

de ieiun. deciſ. 72. *à num.* 3. Llamas, Corduba, Antonius Gomez, & alij, quos refert, & ſequitur Leander de Sacramento *vbi nuper.* Nec probanda eſt aſſertio ex eo, quod ait Paſqualigus, conſuetudinem non fuiſſe introductam animo obligandi ſe ad mortale; ſed ex deuotione, ac pietate populorum: hoc enim non adeò facilè ſuadebitur.

69 Probatio deſumenda eſt ex contraria conſuetudine. Etenim, eſtò viguerit illa prima conſuetudo, attamen & ea, & Canon Concilij abrogatus eſt per conſuetudinem oppoſitam, quæ non illicitè, & prauo titulo fuit introducta; ſed per actus eorum, qui vſi ſunt opinione probabili Authorum docentium, nec ex vi conſuetudinis, nec iuris, aut Concilij prohibita eſſe oua, & lacticinia, Dominicis Quadrageſimæ. Certum autem eſt, extitiſſe in pluribus Prouinciis, præcipuè Hiſpaniæ, conſuetudinem edendi oua, & lacticinia, diebus præfatis, vt teſtatur Leander *vbi ſuprà.* Quòd ſi conſuetudo abſtinendi ab illis in aliqua Prouincia vigeat, aut Canon illius Synodi adhuc obſeruetur, in ea prouincia non erit licitus vſus lacticiniorum: ex vi eius conſuetudinis, aut Canonis. At demùm quid abſolutè tenendum ſit ob nouam Declarationem, dicemus *infrà diſp.* 5. *cap.* 4.

CAPVT XIII.

An Sacerdotes, & Regulares virtute Bullæ Cruciatæ poſſint edere oua, & lacticinia in Dominicis Quadrageſimæ? Vbi de Bulla Lacticiniorum.

70 SVperflua videtur quæſtio, ſi quidem *cap. præcedenti* ſtabiliui contra P. Bardi, ex vi antiquæ conſuetudinis non eſſe prohibita oua, & lacticinia Dominicis Quadrageſimæ: vnde ſequitur, Prælatos, Sacerdotes, ac Regulares, quamvis in Bulla id non eis indulgeatur, poſſe abſque Bulla eis cibis vti, ſi nulla extet prohibitio. Attamen non ſuperfluè; ſed vtiliter hæc quæſtio in hunc modum inſtituitur. Supponamus, per conſuetudinem, aut per Canonem ſextæ Synodi Generalis prohibita eſſe oua, & lacticinia Dominicis Quadrageſimæ, & adhuc vigere prohibitionem, ſimulque aliquem, aut plures ſecutos Patrem Bardi non aſſentire aſſerto à nobis præiacto; ſed oppoſito, inquirimus, an hi virtute Bullæ Cruciatæ poſſint eis Dominicis edere oua, & lacticinia?

71 Stabiliui, & probaui *in ſuperioribus diſp.* 18. *num.* 24. poſſe. P. Bardi *part.* 2. *tr.* 3. *cap.* 2. *ſect.* 6. *num.* 62. ait, attenta Bulla Italica, eſſe probabilius, non poſſe, quia ibi excipiuntur prædicti omnes ab indulto veſcendi oua, ac lacticinia diebus Quadrageſimæ: Dominicæ autem ſunt propriè dies Quadrageſimales. Satisfeci huic rationi *loco relato.* Et ipſe P. Bardi fatetur *num.* 63. Bullam Italicam aptandam eſſe ſenſui Bullæ Latinæ, in qua ieiunia Quadrageſimalia exprimuntur. Verùm circa id ſtandum eſt his, quæ dicemus *infrà diſp.* 5. *cap.* 4.

72 Bullam Lacticiniorum pro Eccleſiaſticis prodeſſe Regularibus, ſi aſſumantur in Epiſcopos, abſolutè docet idem P. Bardi abſque vlla limitatione *ibidem ſect.* 7. *numer.* 72. quia eximuntur à iugo regulæ. At iudico, limitandam eſſe concluſionem, vt ego limitaui *opere præcedenti, diſp.* 31. *numer.* 16. ſcilicet prodeſſe omnibus, præter Regulares Minimos Ordinis S. Franciſci de Paula, etiam ſi ad dignitatem Epiſcopalem promoueantur; quia votum abſtinendi à lacticiniis eſt eſſentiale in eo Sacro Ordine, ſicut vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ. Nec inficiabitur hanc limitationem P. Bardi, qui fortaſsè illius non meminit, ſi quidem ipſe *num.* 73. tuetur vota illa tria permanere in ſua vi in Epiſcopis Regularibus, quia permanet in eis ſtatus Religioſus. Vnde in Regularibus Minimis Epiſcopis permanet votum abſtinendi à lacticiniis, cum eorum ſtatum Religioſum ſpecialem eſſentialiter conſtituat.

73 Circa Bullam lacticiniorum pro Eccleſiaſticis vide *ſuperiorem diſput.* 31. in qua plura dubia practica, pluresque reſolutiones reperies, quas non attingit P. Bardi; cum tamen ad praxim communem ſint perutiles.

CAPVT XIV.

An ex vi Iuris communis ſit licitus eſus ſaginimis porcini in diebus ieiunij?

74 SVppono primò; ſagimen porcinum, Hiſpanè: *Manteca de puerco*, communiter pro eodem ſumi, ac lardum: & in ea acceptione egi de eo *in ſuperioribus*: quamvis nonnulli diuersè accipiant, volentes, nomine lardi ſignificari porcinam carnem pinguiorem, & ſolidiorem: ſed in hac ſignificatione, lardum non eſſe licitum diebus abſtinentiæ à carnibus, eſt conſtans: ſolumque Sabbatis in maiori parte Hiſpaniæ, licèt, ea carne pinguiori porci, & animalium extremitatibus veſci.

75 Suppono ſecundò, conſuetudine introductum fuiſſe in aliquibus Prouinciis eſum ſaginimis diebus ieiuniorum, atque adeò ibi eſſe licitum: vt oſtendi *opere præcedenti, diſp.* 28. *n.* 12. Inquirimus nunc, an ex vi

Mendo in Bull. Cruciat. Xx Iuris

Digitized by Google

Iuris communis ſit prohibitum hiſce diebus ſagimen? P. Franciſcus Bardi *in Bull. 2. part. tr. 3. cap. 3. ſect. 1. n. 12.* ait, eſſe probabilem, & videri Iuri conformiorem ſententiam aſſerentem, non eſſe prohibitum. Et *ſect. 2.* tenet, idem dicendum eſſe de aliorum animalium ſagimine, nempè gallinaceo, bouino, ac ſimilibus, iure communi ſpectato.

76 Contrariam ſententiam amplexus ſum *ſuperiùs, loco nuper relato*, & præter Tabienam, Rodriguez, Viualdum, Villalobos, Trullench, Ludouicum à Cruce, P. Henriquez, & Filiucium, quos pro ea affert P. Bardi, *n.* 10. ipſam defendunt Medina, Vega, Antonius Gomez, Eligius Baſſæus, Syluius, Th. Sanchez, & Layman, quos refert, & ſectatur Leander de Sacramento *in præcept. Eccleſ. tr. 5. diſp. 2. quæſt. 35.* Graffis 1. *p. deciſ. libr. 2. cap. 37. n. 12.* quem non fideliter affert P. Bardi pro ſua ſententia, ſicut, & illum attulit Vega 1. *part. ſumm. capit. 14. caſu 1. verſu Nota.*

77 Hæc ſententia probatur, quia ſagimen multò plus ad carnem, quam oua, & lacticinia, pertinet: hæc namque ſolùm originem ſementinam à carne trahunt: ſagimen verò eſt pars conſtitutiua animalis, ſicut nerui, medullæ, cartilagines, & alia huiuſmodi. Vnde cum eſus animalium prohibetur, continetur in prohibitione eſus ſaginiinis, ſicut neruorum, & medullarum. Quod ex communi perſuaſione hominum conſtat, qui ex eo, quod iudicant, ſagimen ad carnem propriè pertinere, conſtanter abſtinuerunt ab illo: nec facilè abſtinuiſſent conſuetudinem hanc continuantes, niſi ſibi prohibitum eſſe eius vſum manifeſtè cognoſcerent. Et ſanè ad conſuetudinem contrariam, quæ in aliis Prouinciis viget, non permiſſio iuris; ſed neceſſitas mouit, deficientibus his, pro quibus ſagimen ſuſtituitur.

78 P. Bardi inſurgit contrà primò. Quia Ariſtoteles *lib. 1. de generat. animal. capit. 18. & 19.* docet, pinguedinem non eſſe carnem; ſed excrementum. Reſpondeo, pinguedinem pertinere ad carnem, licèt non ſit caro in ea ſignificatione, qua partes animalis ſeorſim diuiduntur, & definiuntur: ſicut os, & medulla non ſunt caro: nec item ſanguis, & ius carnium eſt caro: & tamen, quia pertinent, & accedunt ad illam, non licet eis veſci diebus prohibitis, vt ipſe P. Bardi de ſanguine teſtatur *ſect. 3.* contra quem poterat retorqueri argumentum ex Ariſtotele deſumptum. Itaque in animali plura ſunt, quæ rigoroſè non habent eſſentiam carnis, & tamen ſunt vetita, quia ſunt proximè caro, aut pertinentia ad carnem. Hinc ſatisfit locis Galeni, & Dandini, quos ipſe Author affert, ad probandum ſagimen, adipem, ſeu pinguedinem non eſſe carnem. Quid enim magis ad carnem pertineat, quàm ipſa pinguedo carnis.

79 Ait ipſe, ſanguinem eſſe magis connexum cum carne, & proximiorem, vt in carnem conuertatur, ideóque diuerſitatem inter eum, & ſagimen dari. Non inficior diuerſitatem ex ſe inter vtrumque, nego tamen illam in ordine ad præſens, cum pinguedo ſit valdè connexa cum carne, & conſtituat animal integraliter, pertineatque ad illud: Nec obſtat, appellari excrementum: id enim duntaxàt ſonat, eſſe partem redundantem animalis, ſeu coactam poſt formationem carnis; non verò ad animal non pertinere, & ad eius conſeruationem valdè conducere, maximè, ſi pinguedo ſit proportionata.

80 Inſurgit ſecundò, pinguedinem habere diuerſas proprietates, ac carnem: ergo non eſt caro, nec pars carnis. Etiam habent (ſic inſto) oſſa, ſanguis, & medullæ diuerſas proprietates, ac caro: igitur non ſunt pars carnis, nec prohibita diebus abſtinentiæ. Non valet hæc, nec illa conſequentia, ob rationes attactas.

81 Alij Authores arguunt *ex cap. Preſbyter, diſt. 82.* Vbi ſagimen ponitur promiſcuè cum ouis, & caſeo: ibi enim agenti pœnitentiam propter fornicationem prohibentur carnes, & permittitur, vt diebus Dominicis, & in præcipuis Feſtis poſſit vti ouis, caſeo, & ſagimine. Sed reſpondet rectè Leander de Sacramento, ex hoc capite nihil probari: quippè agebatur in Concilio Grangenſi, aut iuxta alios, in Hibernenſi, de imponenda pœnitentia Presbytero fornicario, & Congregati Patres pro libito deſignarunt cibos à quibus ille debebat abſtinere: ac certis diebus permiſerunt aliquos, inter quos & ſagimen: exindè autem non conuincitur, ſagimen eamdem rationem ſortiri cum lacticiniis in ordine ad prohibitionem, ſeu permiſſionem ab Eccleſia ſtabilitam.

82 Quid? quòd in pluribus exemplaribus, dum illud *caput Presbyter* tranſcribitur, non apponitur vox *ſagimen*; ſed vox *ſanguis*: qui cum ouis, & caſeo permittebatur certis diebus Presbytero pœnitenti: nec tamen inde licet inferre, nec aduerſarij concedent, ſanguinem permitti, quando oua, & lacticinia permittuntur: reſpondebuntque idem, quod nos nuper reſpondimus, ſi *ex præfato cap.* contra eos arguatur, intendendo, ſanguinem poſſe edi diebus, quibus prohibentur ab Eccleſia carnes.

CAP. XV.

Digitized by Google

CAPVT XV.

An pueri ante ſeptennium, ſi iam ad vſum rationis peruenerint, indigeant Bulla ad comedenda lacticinia in diebus prohibitis?

82 NOn poſſe, ſatis colligitur ex doctrina tradita *in ſuperioribus diſp.* 18. *n.*3. *& n.*27. Quippè illicò ac quis vſu rationis pollet, præceptis Eccleſiæ ſubijcitur: & ſicut in eo caſu pueri nequeunt edere carnes, ita nec lacticinia: eadem enim eſt omnino ratio: attenditur namque, quoad obligationes, ad rationis vſum, non ad ætatem.

83 P. Bardi *in Bull. part.* 2. *tr.* 3. *c.*4. *ſect.*1. *num.* 10. tenet, eſſe ſatis probabile oppoſitum, quia eſt attendendum id, quod eſt per ſe, & non id, quod eſt per accidens: ſicuti ante vigeſimum primum annum non obligat præceptum ieiunij, nam communiter ante illam ætatem natura exigit frequentius alimentum: tamen ſi quis illud non exigeret, non teneretur adhuc ieiunare: nam id eſſet per accidens.

84 Contrà, quia pari ratione poſſet dicere, non obligari puerum ad abſtinendum à carnibus in diebus prohibitis, quod tamen non admittit. Nec diuerſitas poteſt conſiſtere in diuerſitate præceptorum (quod hic Author ad argumentum de præceptis Eccleſiaſticis reſpondet) nam non aliter obligat vnum præceptum, quam aliud: nec ad diuerſas virtutes pertinet: nec ſtrictiùs vnum præ alio prohibetur.

85 Contrà deindè, quia per ſe ſtat, vt qui capax eſt culpæ, ſit capax obligationis per præceptum: ergo per ſe, illicò ac vſus rationis accedit, tenetur puer in qualibet ætate præcepto abſtinendi à lacticiniis obedire. Contrà rursùs, quia, vt ipſe Author *num.*14. fatetur, variant Authores in deſignanda ætate, in qua datur vſus rationis: ergo non eſt attendendum ad ætatem, ſed ad eiuſmodi vſum. Aliàs, ſi ſtetur ætati, dicendum erit adhuc poſt ſeptennium completum, ſi puer ad vſum rationis non peruenerit, teneri ad abſtinendum à lacticiniis, quia per ſe in ea ætate obligatur, & per accidens eſt, quod ad rationis vſum non peruenerit, ac id, quod eſt per accidens, non eſſe attendendum: quæ eſt forma argumenti huius Authoris, quam ipſe in hac ſequela negabit.

86 Nec quidquam ſuadet exemplum de ieiunij obligatione. Etenim conſuetudine, & authoritate, Eccleſiæ approbante, deſignatus eſt vigeſimus primus ætatis annus completus, vt quis ſub ea ſit obligatione, non autem eſt deſignatum ſeptennium, vt quis obediat præceptis abſolutis Eccleſiæ, ſicut fatetur P. Bardi defendens, puerum capacem rationis ante ſeptennium teneri ad annuam confeſſionem, & ad abſtinendum à labore ſeruili diebus feſtis. Cur ergo non teneatur ad præceptum abſtinendi à lacticiniis in diebus prohibitis, cum hoc præceptum tendat ad omnes capaces rationis, & obligationis?

Mendo in Bull. Cruciat.

87 Dicendum itaque eſt, etiam ante ſeptennium teneri puerum eiuſmodi rationis capacem abſtinere à lacticiniis, quando hæc ab Eccleſia prohibentur. Quam ſententiam, præter Merollam, Azor, Th. Sanchez, Caſtro Palao relatos pro ea à P. Bardi *num.*6. defendunt P. Bardellus *in Theol. mor. lib.*5. *diſp.* 30. *num.*8. Villalobos 1. *part. ſum. tract.* 23. *diffic.* 8. *reſ.* 7. Trullench *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 2. *dub.* 2. *num.*11. *& dub.*6. *num.*1. *Et in Bull. lib.*1. §.4. *dub.*2. *num.*4. ac alij, quos ſequitur Leander de Sacramento *in precept. Eccl. tract.*5. *diſp.*2. *quæſt.*41. Hinc infertur, pueros capaces rationis ante ſeptennium indigere Bulla ad edendum lacticinia diebus prohibitis. Videndus ſum ego *in ſtatera opinionum benignarum, diſſert.*8. *ex num.*19.

CAPVT XVI.

An conceſſa indulgentia de pœnitentiis iniunctis extendatur ad pœnas debitas pro culpis ad confeſſionem non allatis?

88 ALiquando conceditur indulgentia ſub hoc tenore verborum, *de pœnitentiis iniunctis*: ſcilicèt vt remittatur pœna correſpondens peccatis in Sacramento Pœnitentiæ manifeſtatis, quæ eſſet remittenda, ſi pœnitentia adimpleretur iuxta antiquos Sacros Canones per eos dies, aut annos, qui in indulgentia præfiguntur: aut etiam tota pœna eis peccatis correſpondens iuxta indulgentiæ qualitatem.

89 Dubitatur ergo ab Authoribus, an indulgentia ſub eo tenore conceſſa extendatur ad remittendas pœnas debitas pro culpis, remiſſis quidem, ſed ad Pœnitentiæ Sacramentum non adductis? Non extendi, ſatis ſtabiliui *in ſuperioribus diſp.*6. *num* 9. Probabilius cenſet oppoſitum P. Bardi *in Bull. part* 2. *tr.*4. *c.*1. *n.*24. Mouetur fundamentis P. Suarij, quæ *loco relato* enodauimus. Id ſolùm in præſenti noto, hunc Authorem facilè impugnari ſtando ipſius principiis. Etenim ſæpè repetit, priuilegia inuoluentia actualem Iuris relaxationem eſſe reſtringenda, non amplianda: fatetur autem in præſenti, clauſulam illam *de pœnitentiis iniunctis* ſumendam fore ampliatiuè non reſtrictiuè: ſeu

ampliandam eſſe, non reſtringendam. Vbi ſanè amplè contra ſua principia priuilegium interpretatur.

90 Et quidem indulgentia ex ſe eſt actualis relaxatio Iuris, nempè debiti, quod quis habet ad ſuſtinendas pœnas pro culpis à ſe commiſſis: ac prætereà Iuris, quod eum vrget, vt ſatisfactiones à Confeſſario iniunctas adimpleat, quare cautum eſt in Tridentino, ne indulgentiæ indiſcretè concedantur, vt ſatisfactiones Sacramentales non eneruentur. Igitur, ſi priuilegia relaxatiua ſunt reſtringenda, indulgentiæ non erunt ampliandæ. Ego ſanè independenter ab hoc principio meum aſſertum probaui: licèt enim ampliationem in priuilegiis defendam, eam tamen quæ ſtat cum proprietate verborum, & mente legiſlatoris: non autem ſtat hæc ampliatio ad pœnitentias non iniunctas cum tenore verborum præfato.

CAPVT XVII.

An in praxi poſſit pœnitens non adimplere pœnitentiam Sacramentalem, ſi indulgentiam plenariam obtineat?

91 EVm, qui lucratur indulgentiam plenariam, ſeu media, quantum eſt ex ſe, apponit ad illam lucrandam, liberum manere ab adimpletione pœnitentiæ Sacramentalis à Confeſſario impoſitæ, quæcumque hæc ſit, latè probaui *opere præcedenti diſp.6. à n. 69.* Hancque ſententiam in praxi eſſe tutam, & poſſe quemlibet iuxta eam operari, ſatis ibi ratione, ac authoritate firmaui: & plura ex fundamentis, quæ attuli, ſuadent praxim tutam, & in quocumque exequibilem euentu.

92 P. Franciſcus Bardi *in Bull. part. 2. tr. 4. cap. 1. ſect. 3. num. 38.* docet, opinionem, quæ aſſerit; per lucrationem indulgentiæ plenariæ eximi quem ab obligatione adimplendi pœnitentiam Sacramentalem, eſſe ſpeculatiuè probabiliorem. Deindè *n. 41.* aſſerit, in praxi nunquam, aut rarò euenire, vt pœnitens poſſit non adimplere pœnitentiam Sacramentalem. Et poſt impugnatas aliorum rationes, efficaciorem eſſe ait eam, quæ ex incertitudine deſumitur, nempè quia nemo eſt certus, ſe fuiſſe conſecutum indulgentiæ effectum: ergo tenetur pœnitens adimplere pœnitentiam, vt ſe liberet à reatu pœnæ. Et hinc docet, Confeſſarios debere iniungere pœnitentias Sacramentales, *quamvis tempore Iubilæi, aut pleniſſimæ indulgentiæ ſint imponendæ leuiores pœnitentiæ.* Verba ſunt huius Authoris.

93 Non impugno rationem præfatam, ne actum agam cum *loco relato* ſatis eam impugnauerim. Solummodò oſtendo inconſequentiam huius doctrinæ. Quippè, ſi pœnitens tenetur adimplere pœnitentiam Sacramentalem, quia incertus eſt, vtrùm obtinuerit indulgentiæ plenariæ effectum: ergo etiam tempore Iubilæi, aut indulgentiæ pleniſſimæ non ſunt imponendæ leuiores pœnitentiæ. Patet conſequentia ex præiacta doctrina: & ſupponendo, effectum indulgentiæ plenariæ eſſe indiuiſibilem, & totum illum, vel nihil obtineri. Etenim incertitudo illa facit, vt quis ignoret, an obtinuerit indulgentiæ effectum, & quia poteſt contingere, vt non obtinuerit, ideò tenetur adimplere pœnitentiam: at in hoc caſu nihil ille obtinebit indulgentiæ, ſi totum effectum non obtinet: ergo ſi, vt præcaueatur id periculum, tenetur exequi pœnitentiam hæc vtique debet eſſe non leuior; ſed eiuſdem qualitatis, ac ſi non eſſet tempus Iubilæi, vel indulgentiæ plenariæ.

94 Declaratur. Illa incertitudo non eſt, an quis plus, vel minus indulgentiæ obtinuerit, ſed an totum, vel nihil: ergo ex ea incertitudine ſolùm poteſt inferri, vel non teneri pœnitentem abſolutè ad pœnitentiæ Sacramentalis executionem: vel hanc fore æqualem peccatis. Quippè, ſi ponatur indulgentiæ effectus obtentus, nullus reatus pœnæ manet: ſi non ponatur obtentus, manet integer reatus pœnæ: & aliundè non poteſt poni partim obtentus, partim non obtentus: igitur non eſt caput, vnde leuiores pœnæ ſint eo tempore imponendæ, ſi ſemel datur in pœnitente obligatio exequendi ſatisfactionem Sacramentalem. Nam inquiro à Patre Bardi, quare eo tempore iniungendæ ſint pœnitentiæ leuiores? Non, quia pars indulgentiæ obtineatur: non item: quia ſufficit moralis certitudo, quòd quis effectum indulgentiæ fuerit conſecutus: id enim probat, omnino deobligari pœnitentem ab adimpletione ſatisfactionis Sacramentalis, non demùm ob prædictam incertitudinem, & cautionem periculi; id enim, ſi quid ſuadet, conuincit integrè pœnitentiam fore à Confeſſario iniungendam, ac adimplendam à pœnitente: igitur iuxta doctrinam huius Authoris non debent præfato tempore leuiores imponi pœnitentiæ. Aut ſaltem id contra ipſum inferetur, quòd pœnitens non tenebitur adimplere integram pœnitentiam ſibi à confeſſario iniunctam, ſicut enim hic poteſt minuere illam tempore indulgentiæ plenariæ, ſic etiam, ſi non minuat, poterit pœnitens minuere: cum eadem ratio, quæ deobligat Confeſſarium ab imponenda pœnitentia graui, deobliget pœnitentem ab impletione grauis pœnitentiæ, ſi impoſita fuerit:

fuerit: quin obſtet, quòd à Confeſſario fuerit iniuncta per modum ſatisfactionis Sacramentalis, vt *in ſuperioribus ea diſp.6. à n.69.* probaui.

CAPVT XVIII.

De viſitatione Altarium ad obtinendam indulgentiam ſtationum in Bulla conceſſam.

95 Aliis quæſtionibus omiſſis, quas cum communiori ſententia diremi *in ſuperioribus*, & eis P.Bardi aſſentitur, attingam nonnullas quæſtiunculas, quas ille diuersè reſoluit. Igitur *part.2. tract.4. cap.4. ſect.4. n.42.* inquirit, an, ſi in vno oppido ſint plures Eccleſiæ, in quibus omnibus, vel in quarum aliqua ſint quinque altaria, poſſit quis lucrari indulgentias ſtationum viſitans quinquies vnum altare, quod in vna ex illis Eccleſiis eſt vnicum? Et reſpondet negatiuè inferens ex Diplomate Bullæ Latinæ, tunc ſolùm ſufficere, vnum altare quinquies viſitari, quando in toto oppido non ſunt quinque altaria: non verò, quando in vna Eccleſia non ſunt, dum tamen ſint in oppido.

96 Oppoſitum docui *in præcedenti opere, diſp.20. à num.32.* Et id omnino eſt tenendum. Et quidem cenſeo, nihil adeò in fidelium perſuaſione eſſe, quàm ſufficere viſitationem quinariam vnius altaris, ſi vnicum extet in Eccleſia, quamvis in oppido ſint Eccleſiæ plures cum pluribus altaribus. Quod experientia quotidiana cernitur, cùm ad eam viſitationem confluant ad vicinius templum, ſiuè plura, ſiuè vnum altare contineat. Et quidem ex Bulla Latina non infertur rigida huius Authoris opinio, reſtringens vltra debitum eius verba: Concedit enim, vt quinque Eccleſiæ, ſiuè quinque altaria viſitentur, vel in defectu eorum quinquies vnum altare: qui defectus intelligendus eſt in Eccleſia, quam quis viſitat, non in toto oppido. Et ſanè aliàs priuarentur plures fructu huius indulgentiæ, ſi in extrema parte oppidi magni extaret Eccleſia cum quinque altaribus, & propè non eſſet, niſi Eccleſia cum vnico. Et ſicut de Monialibus tenet P.Bardi, poſſe lucrari hanc indulgentiam, ſi vnicum in ſua Eccleſia habeant altare: idem de cæteris teneat, cum eadem ſit mens Pontificis pro omnibus, ſi non reſtringatur.

97 Rursùs P. Bardi *vbi ſuprà num. 47.* inquirit, an, dum vnum altare quinquies viſitatur ad lucrandam indulgentiam, ſit neceſſaria aliqua mutatio loci, ſeu ſitus, vel aliqua externa corporis motio, vt diſtinguantur quinque viſitationes? Et *num. 49.* reſpondet, magis tutum, & magis intentum à Pontifice eſſe, vt detur ea mutatio: nam cum requirat quinariam viſitationem, hancque externam, etiam videtur exigere ſenſibilem diſtinctionem viſitationum: & ſicut acceſſus debet eſſe ſenſibilis ad Eccleſiam, ſeu altare, ac non ſufficit mentalis, ita debet eſſe in eodem genere diſtinctiuum viſitationum ſenſibile. Idem ſentit in caſu, quo ex vno loco videat quis quinque altaria, & ex eo poſſit illa viſitare.

98 At in vtroque caſu oppoſitum eſſe tutum, nec à Pontificis mente alienum, tradidi *in præcedentibus diſp. 20. à num.46.* Nec paritas facta quidquam probat: nam ideò non ſufficit acceſſus mentalis ad Eccleſias, ſeu altaria, quia Pontifex concedit has indulgentias viſitantibus Eccleſias, vel altaria. In nullo autem ſenſu proprio, nec in communi modo loquendi, dicitur quis viſitare Eccleſiam, niſi corporaliter ad eam accedat. Quis enim dicat, me viſitare Eccleſiam Sancti Petri in Vrbe, quia mentaliter ex loco Hiſpaniæ, in quo verſor, dirigo orationem ad illam? At dum quis eſt coram altari quamvis non moueatur; ſed mentaliter viſitationes diſtinguat, poteſt in proprio ſenſu, & in recto loquendi modo aſſeuerari, illum quinque orationes fudiſſe ad Deum pro quinque viſitationibus, cum diſtinctio magis propriè dicatur fieri per intellectum, quam per externum motum, qui indifferens eſt ad ſignificandum diſtinctionem, vel aliud. Nec video, ad quid ſit neceſſaria ea diſtinctio ſenſibilis in caſu poſito: nec credam, in eo exigi illam à Pontifice.

CAPVT XIX.

De applicatione Indulgentiæ plenariæ ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis conceſſæ in Bulla Cruciata.

99 P. Bardi *in Bull. part. 2. tract. 4. c.5. ſect.4. num.7.* docet, Sacerdotem, qui applicat indulgentiam plenariam conceſſam in Bulla ſemel in vita non debere eſſe approbatum ab Ordinario: eo quòd, licèt in ipſa bulla aſſeratur, poſſe eligi Confeſſarium, qui abſoluat, & qui applicet indulgentiam, tamen hoc non debet intelligi diſiunctiuè, ita vt ad vnum, & ad alium effectum diuiſiuè requiratur Confeſſarius approbatus; ſed ita vt requiratur Sacerdos ad applicationem indulgentiæ, & approbatus ad abſolutionem. Quod colligit ex recurſu ad naturas rerum: nam applicatio indulgentiæ non requirit Sacerdotem approbatum, ſic verò abſolutio, ſaltem à peccatis.

100 Poſtmodùm *num. 17.* tuetur in articulo mortis poſſe applicari eiuſmodi indul-

gentiam, deficiente Sacerdote, à Tonſurato, & hoc deficiente, à laïco. Probat, quia relaxatio pœnæ non eſt actus Ordinis; ſed iuriſdictionis, atque adeò Sacerdotem non requirit.

Oppoſita his aſſerta ſtatui, & roboraui *in ſuperioribus diſp.* 27. *à num.* 6. Et ex verbis Bullæ clarè colliguntur. Nam ea interpretatio de locutione copulatiua, ac diſiunctiua pro libito excogitatur. Et equidem, ſi ex rerum naturis rem colligit hic Author, quare Sacerdotem exigit ad applicandum ſemel in vita eam indulgentiam, cum ipſe aſſerat, hanc applicationem non eſſe actum Ordinis, atque adeò poſſe fieri à Tonſurato, & à laïco in articulo mortis? Dicet, ideò exigere Sacerdotem, quia Pontifex ei applicationem committit. Benè, ergo non recurrat ad naturas rerum: & ideò ego exigo Confeſſarium approbatum, quia hunc Pontifex in ſua commiſſione deſignat: & valdè congruenter, vt noſcat, quando eſt diſpoſitus pœnitens, vt ei vtiliter indulgentia applicetur: quod ſanè non ita tenetur noſcere Sacerdos ſimplex, tonſuratus, & laïcus.

101 Præthereà cur ſemel in vita, deficiente Sacerdote, non poſſit applicare eam indulgentiam tonſuratus, & in huius defectu, laïcus, ſicut in articulo mortis, maximè ſi inſtet anni finis, & periculum carendi effectu eiuſmodi indulgentiæ? Sanè non percipio, cur diuerſimodè loquitur in vtroque caſu, ſi quidem deſignatio applicantis non pendet à circunſtantiis, ac euentibus futuris in vita, aut in articulo mortis, ſed à verbis Bullæ, quibus Pontifex determinat, quis applicaturus ſit hanc indulgentiam.

102 Rursùs in his priuilegiis non eſt attendendum ad naturas rerum nudè ſumptas: ſic enim, etiam quando deſignatur medicus ſpiritualis ad conſilium comedendi carnes diebus prohibitis, non eſſet neceſſarius Sacerdos approbatus, imò nec Sacerdos, quia ex natura rei non requiritur iuriſdictio, & Ordo ad conſiliandum; ſed introſpiciendæ ſunt aliæ congruentiæ, quibus motus Pontifex limitat aliqua priuilegia, vt applicanda, aut concedenda à perſonis determinatis. Id ergo in præſenti contingit. Imò, quamvis nos non calleremus congruentias, ſi verba ſint aperta, vt in præſenti, eas ſupponere debemus, cum de Pontifice nequeat præſumi, hæc expedire priuilegia niſi magna cum conſideratione circunſtantiarum.

103 Demùm ipſe Author ſupponit, applicationem indulgentiæ eſſe actum iuriſdictionis, cum indè probet, non eſſe actum Ordinis, atque adeò non requirere Sacerdotium: Quomodo ergo docet, à laïco non tonſurato poſſe exerceri? Si quidem iuriſdictio Eccleſiaſtica numquam committitur, niſi Clerico, & eſtò poſſit committi, tamen inuſitata hæc commiſſio conſtare deberet ex expreſſione laïci: in Bulla autem nihil ex his exprimitur: non ergo à laïco poteſt præſtari.

104 Nec rectè philoſophatur P. Bardi circa applicationem indulgentiæ, ſi ſumat quaſi regulam ab his, quæ docent Authores circa abſolutionem tum à peccatis, tum à cenſuris in articulo mortis, diſcurrentes, quid præſtandum ſit, ſi deficiat proprius Confeſſarius, ac ſi deficiat Sacerdos, & ſimiles euentus. Etenim agitur de materia ad animæ æternam ſalutem ſpectante, aut conducente: qualis non eſt applicatio indulgentiæ. Et prætereà Eccleſia non ſtabiliuit, quid ſit præſtandum in omnibus euentibus, quæ variè contingere poſſunt, ſed ſolùm in aliquibus: ideò Authores ad cæteros ſe extendunt, & diuerſimodè opinantur. Secùs in præſenti contingit: nam Pontifex determinat perſonam, quæ applicatus eſt indulgentiam tum in vita, tum in articulo mortis: quare non manet opinationibus locus.

CAPVT XX.

An approbatus à proprio Ordinario, ſit vbique eligibilis ad confeſſionem excipiendam virtute Bullæ Cruciatæ?

105 AFfirmat P. Bardi *in Bull. part.* 2. *tr.* 5. *cap.* 1. *ſect.* 4. *num.* 55. dum tamen ille non mutauerit domicilium. Explicatur. Approbatus fuit ab Ordinario Ouetenſi Sacerdos, & ſolùm negotiorum cauſa pergit Valliſoletum, aut Madridium, ibi ait, eſſe eligibilem per Bullam, ſi autem à diœceſi Ouetenſi tendat Valliſoletum ibi deinceps domicilium habiturus, non eſſe ibi eligibilem, tuetur *n.* 65. Quod idem tenet de approbatione requiſita in Tridentino: Nam in caſu poſito, etiam independenter à Bulla; ait, ſufficere eam approbationem Ordinarij Ouetenſis, dum non mutatur domicilium, vt Sacerdos ille Valliſoleti, aut Madridij excipiat confeſſiones, ſi ibi aliundè à Parocho, aut ab alio iuriſdictio delegetur.

106 Contrariam ſententiam tenui *opere præcedenti*, *diſp.* 22. *à num.* 50. Nunc reſpondeo rationi, quam pro ſe P. Bardi affert. Scilicèt: talis Sacerdos habet omnia, quæ requiruntur ex parte approbationis iuxta formam Tridentini, & diſpoſitionem Bullæ Cruciatæ, quia nihil aliud Tridentinum, & Bulla expoſtulant, niſi quòd ſit approbatus à proprio Ordinario: ergo eſt vbique eligibilis per Bullam, cum, poſita approbatione, detur proxima capacitas recipiendi iuriſdictionem, quam Pontifex in Bulla

Digitized by Google

Bulla confeſſario approbato concedit. Totus diſcurſcus corruit, quia falſum antecedens aſſumitur.

107 Etenim in Bulla, vt fatetur hic Author, nihil circa approbationem conceditur, ſed ſupponitur ſarta tecta Tridentini diſpoſitio. In Tridentino autem non exprimitur, quando requiritur in Confeſſario approbatio Ordinarij, cuius Ordinarij ea debeat eſſe: indeque tot ſententiæ pullularunt circa deſignationem Ordinarij. Mea ſententia *loco relato* fuit, quam ſemper amplector, debere approbationem prouenire ab Ordinario loci, in quo confeſſionem Sacerdos excipit. Quod & rationi magis conſentaneum eſt, & declarationibus Cardinalium, minuſque offenſiuum Epiſcoporum, qui ægrè ferunt, in ſuis diœceſibus Sacerdotes extraneos, aut ab aliis Epiſcopis approbatos excipere confeſſiones: imò credam, id non fore ab eis permittendum, quaſi iudicent, non ſufficere approbationem, quam ipſi non præſtiterint. Videantur dicta *loco citato.*

CAPVT XXI.

An Sacerdos approbatus abſolutè, ſi abſque vlla cauſa reuocetur eius approbatio, ſit eligibilis per Bullam Cruciatæ?

108 Sermo & de Sacerdote ſæculari, nam de Regularibus datur ſpecialis diſpoſitio circa reuocationem approbationis, de qua egimus *in ſuperioribus diſp.* 22. *nu.* 58. Igitur eam reuocationem eſſe validam, eſtò non ſit licita, atque adeò eum Sacerdotem non poſſe eligi virtute Bullæ, vtpotè non approbatum, ſanciui *eadem diſp.* 22. *à n.* 92. quamvis ſimul aſſeruerim, oppoſitam opinionem ſua probabilitate non carere.

109 P. Bardi *part.* 2. *tract.* 5. *cap.* 1. *ſect.* 6. vtramque opinionem cenſet probabilem, verùm ratio, qua nititur, vt probet, prædictam reuocationem fore validam, nec eſt ſolida, nec neceſſaria. Ait enim, veriſimile eſſe, Epiſcopos, dum approbant Confeſſarios, approbationem conferre ad ſui beneplacitum, quamvis id non exprimant, atque adeò, non facere iniuriam Sacerdoti, dum approbationem reuocant.

110 In primis mutatur caſus: nam alius caſus eſt, ſi Ordinarius expreſsè, aut implicitè ad ſuum beneplacitum approbet Sacerdotem: & quia eſt diuerſus euentus, ipſe P. Bardi aliam ſtatuit aſſertionem in hoc ſecundo caſu, *eadem ſect.* 110. Igitur caſus eſt: ſi Epiſcopus abſque vlla cauſa, & iniuſtè reuocet approbationem alicuius, quem abſolutè approbauerat, quin limitaret vllo pacto aprobationem ad ſuum beneplacitum, an ea reuocatio valet, illeque Sacerdos ſit per Bullam eligibilis? Vnde ratio facta, ad negandum eſſe eligibilem, deſumpta ex ea limitatione beneplaciti non eſt ſolida, quia mutat caſum.

111 Deindè ad probandam aſſertionem negatiuam ea ratio non eſt neceſſaria, quia licèt implicitè non limitauerit Ordinarius approbationem ad ſui beneplacitum, validè poteſt illam reuocare, ex eo quòd approbationis duratio non radicetur in ſcientia, & moribus Sacerdotis, ita vt, his perſeuerantibus, ea debeat conſiſtere; ſed dependet à poteſtate, & nutu Ordinarij: qui etſi illicitè eam reuocet, factum tenebit, ſicut ſi iniuſtè approbationem negaret, non maneret approbatus is, cui negaretur: & ſicut non maneret abſolutus is, cui iniuſtè negaret abſolutionem Confeſſarius adhuc poſt audita in foro pœnitentiæ peccata, quamvis ille per confeſſionem eorum quaſi adquiſiuiſſet ius, vt abſolueretur. Hæc látiùs ſum perſecutus *loco in ſuperioribus citato.*

CAPVT XXII.

An validè excipiat confeſſionem pœnitentis habentis Bullam Sacerdos, quem approbauit Ordinarius, ipſe tamen ignorat, ſe eſſe approbatum?

112 P. Bardi *part.* 2. *tract.* 5. *cap.* 1. *ſect.* 10. Poſtquam ſtabiliuit, Sacerdotem, qui habet iuriſdictionem: ſed ignorat, ſe habere, non excipere validè confeſſiones, poſteà *numer.* 139. tuetur, hanc doctrinam non habere locum in approbatione, atque adeò validè Sacerdotem excipere confeſſiones habentium Bullam, in qua ei datur iuriſdictio, ſi aliundè Ordinarius eum approbauerit in abſentia, quin ipſe approbationis notitiam calleat.

113 Diſcrimen in eo conſtituit, quòd iuriſdictionis communicatio ſit ad inſtar donationis, & ad ſui firmitatem exigat conſenſum duarum voluntatum, concedentis, & acceptantis: at approbatio dumtaxàt eſt teſtimonium idoneitatis præſtitum ab Ordinario: de ratione autem teſtificationis ſiuè in commodum, ſiuè in damnum alicuius non eſt, vt perueniat in eius notitiam. Sic, vt ſit valida teſtificatio aduerſus Petrum, quem, duo, aut tres teſtes iurant, eſſe homicidam, aut latronem, non eſt opus, vt ei innoteſcat: eſtò ſit, vt iudex procedat contra illum. Similiter vt valeat teſtificatio præſtita de probitate, & prudentia Ioannis, in ordine ad aliquod munus, non requiritur, vt ille ſit conſcius. Igitur eodem pacto, vt ſit valida approbatio Sacerdotis, non eſt neceſſe, vt s

 habeat

habeat notitiam illius: & conſequenter, ſi per Bullam gaudet iuriſdictione, & validè eſt approbatus, poterit excipere confeſſiones eorum, qui Bulla gaudent, validè.

114 Hæc à ſe excogitata profert Pater Bardi: & quidem ingenioſè, ſicut & cætera alia diſcutit: attamen meo iudicio, non verè. Et primo intuitu res ipſa apparet non eſſe conſona veritati. Atque, vt à priori ratio huius Authoris eneruetur, diſtinguere oportet inter teſtificationes, quibus non vtitur is, de quo proferuntur, & inter eas, quibus ipſe vtitur. Primi generis ſunt eæ, quas P. Bardi affert, de homicidio, aut latrocinio perpetrato ab homine, quibus ipſe homo non vtitur; ſed iudex, vt contra illum procedat: rursùs de probitate, ac prudentia Ioannis, quam teſtificationem iudex, Prælatus, aut Princeps exigunt, quin Ioannes ea vtatur. Secundi generis ſunt aliæ, quæ ſuum effectum non ſortiuntur, niſi medio vſu earum; ſeu præſtantur, vt eis vtatur is, de quo fiunt. Eiuſmodi ſunt teſtificationes, quæ in Academiis conferuntur de gradibus in litteris, quæ ordinantur ad vſum eius, qui Gradibus fuit inſignitus, vt poſſit, ſi velit, ea munia præſtare, quæ poſſunt cæteri, qui ſimile teſtimonium habent. Similia etiam ſunt teſtimonia, quæ Medicis, Chirurgis, Tonſoribus, ac aliis præbentur in Curia ab his, qui examinatorum munus habent, vt poſſint, ſi velint, eas artes exercere, atque adeò diriguntur ad vſum.

115 His ſecundi generis teſtificationibus annectendum eſt teſtimonium idoneitatis, quod Sacerdoti indulget Ordinarius, approbatioque nuncupatur: tendit enim ad vſum, vt ſcilicèt ille, ſi habeat iuriſdictionem, quæ approbationem ſupponit, poſſit audire confeſſiones: effectus autem harum teſtificationum immediatus, ac proximus eſt, ea poteſtas proxima ad vſum, ſeu exercitium: quo vſu, ſeu exercitio, qui eſt quaſi effectus ſecundarius, adæquatur tota vis earum.

116 Deindè ne in æquiuoco laboretur: dupliciter dicitur, rem eſſe validam: primò, quia in ſe præcisè conſideratæ nihil deficit: quamvis vt ſuum effectum ſortiatur, aliquid deficiat: ſecundò, quia nihil vndequaque ei deficit ad id, ad quod ordinatur. Sic iuriſdictio, quam ſuperior concedit, ſtatim ac ab eo conceditur, dicitur valida, quia in ſe precisè ſpectatę nihil deficit: attamen abſolutè tunc eſt valida, quando innoteſcit ſubdito, & redditur proximè potens ad vtendum illa. Quare in prima acceptione res eſt valida negatiuè, quia non eſt inualida: in ſecunda eſt valida poſitiuè, quia ſuam vim exercet. Sic lex à Principe lata ante promulgationem eſt valida negatiuè, poſt promulgationem eſt valida poſitiuè: ac ſimiliter de aliis.

117 Hinc aſſero, teſtificationes non ordinatas ad vſum eius, de quo proferuntur, non eſſe opus, vt in eius notitiam perueniant, vt ſint validæ: eas verò, quæ ordinantur ad vſum, debere in eius notitiam peruenire, vt ſint poſitiuè validæ, antecedenter enim ad notitiam ſolùm ſunt negatiuè validę, nec ſuam vim exercent: eiuſmodi autem eſt teſtimoninm approbationis præſtitum ab Ordinario: vnde, niſi ad Sacerdotis notitiam accedat, validum eſt negatiuè, non poſitiuè, nec ſuam vim exercet, atque adeò ille Sacerdos non eſt capax adhuc iuriſdictionis per Bullam, nec poteſt confeſſiones validè excipere.

118 Singula elucidemus. In primis teſticationes illæ primi generis, cum non ordinentur ad vſum, ac exercitium eius, de quo præſtantur, non apparet vlla neceſſitas, vel ratio ad hoc, vt ei innoteſcant. Debent tamen ei innoteſcere, qui ex vi illarum aliquid eſt operaturus, aliàs erunt inutiles. Sic non poterit iudex procedere contra homicidam, ſi ad eius notitiam non perueniat rumor, aut teſtificatio præſtita aduerſus illum. Nam pone, duos teſtificari de culpa Petri, aut de probitate Ioannis, ſi teſtimonium hoc nullus nouerit, illud ſane erit inutile, ſeu poſitiuè non validum, quamvis poſſit dici validum negatiuè, quatenus eſt verùm, & poſſet, ſi innoteſceret, alicui vſui eſſe proficuum.

119 Deindè ſi teſtimonium ordinetur ad operationem, dum operaturus illud ignorat, perindè eſt, ac ſi non exiſteret: eſt enim interim inutile, eſtò ſit verum, & negatiuè validum. Quomodo enim peritus artis medicæ, v. g. poſſit eam exercere ex vi approbationis, quam omnino ignorat? Aut iuriſperitus munus Aduocati præſtare, ignarus facultatis, aut Gradus omnino ad id requiſiti? Sanè actiones exercitæ cum ea omnimoda ignorantia nullæ ſunt. Quippè cauſa quaſi efficiens valoris eſt authoritas, ac facultas, qua fiunt: nulla autem eſt authoritas, aut facultas in eo, qui indiget omnino eiuſmodi teſtificatione, dum illam prorsùs ignorat.

120 Demùm approbatio Sacerdotis, quæ eſt teſtimoninm idoneitatis, ordinatur ad vſum, vt per ſe conſtat, ipſius Sacerdotis: vnde, dum ei non innoteſcit, eſt inutilis, eſtò ſit vera approbatio; eſtque nullius valoris poſitiui, quamvis valorem negatiuum retineat. Hoc confirmatur manifeſtè. Ille Sacerdos eſt incapax iuriſdictionis, & eam acceptare, vt conceſſam à Bulla non poteſt, dummodò non ſit approbatus, cum approbatio ſit capacitas proxima ad recipiendam iuriſdictionem:

iuriſdictionem : ergo, dum ille ignorat approbationem, incapacem ſe iudicat iuriſdictionis : igitur, dum ſe incapacem, & impotentem cenſet ad iuriſdictionem exercendam, nequit eam acceptare : at ſine acceptatione iuriſdictionis, vt fatetur Pater Bardi, nequit eam exercere : ergo de prima ad vltimum non poteſt ille Sacerdos excipere confeſſiones, & abſoluere, cum ſit actus iuriſdictionis abſolutio.

121 Conſultò ponitur in hoc caſu, cū validè ille Sacerdos excipiat confeſſionem : nam certum eſt, licitè id non poſſe præſtari; nec facilè excogitabitur ignorantas, quę eum liberet à culpa.

122 Iam ad rationem huius Authoris reſpondeo, illam abſolutionem non fore validam ex defectu approbationis, & iuriſdictionis : non approbatio ignorata eſt inutilis, & non valida poſitiuè : eſtò ſit valida negatiuè, & ſit vera. Et præterea, quidquid ſit de valore eius approbationis, deficit iuriſdictio : nam ille Sacerdos eam nequit acceptare, cum non iudicet ſe capacem illius, dum ſe approbatum ignorat. Hæc omnia, nullo duce, excogitaui: an conformiter veritati, ac rationi, docti viderint. Ego ſaltem tutum in conſcientia non iudicabo pœnitentem, qui à tali Sacerdote fuerit abſolutus, ſi conſcius confeſſionem non repetat.

CAPVT XXIII.

An Eccleſia ſuppleat iuriſdictionem, quando circa illam datur probabilis Doctorum opinio?

123 POnamus, dari opinionem probabilem, quòd talis Sacerdos eſt Confeſſarius legitimus, & aliam opinionem probabilem, quod non eſt: inquiritur, an validè excipiat confeſſiones? Negat P. Bardi *in Bull. part. 2. tr. 5. c. 1. n. 187. in fin.*

124 Vellem ab eo cognoſcere, an aliquando abſoluerit ab aliquo peccato, vel cenſura, cum ſola opinione probabili? Si abſoluit : ergo iuxta ipſius doctrinam inualidè abſoluit, ſiquidem ſupponitur contraria ſententia probabilis, & Eccleſia non ſuppleuit ei iuriſdictionem, ac aliundè poſſit in re eſſe falſa ſententia, quam fuit ſecutus. Si non abſoluit, vel nimiùm rigidus erit cenſendus : vel nimis fœlix, qui in omnibus euentibus inuenit ſententias certas, (quarum contrariæ non ſunt probabiles,) vt abſoluat.

125 Ego quidem indè teneo, & probo contrariam ſententiam. Validè abſoluit ab hoc, aut illo peccato, vel cenſura, qui cum opinione probabili abſoluit : at idem eſt de opinione probabili circa legitimum Confeſſarium, ergo hic validè abſoluet, & Eccleſia iuriſdictionem ſupplebit. Minor ſuadetur. Quippè ad actus valorem ſufficit opinio probabilis de illo : rectéque operatur, qui iuxta opinionem probabilem actum exercet. Sic conſtat quotidiana experientia, cum ſæpiſſimè dubitetur, an quis hic, & nunc poſſit abſoluere ab hoc, aut illo peccato, & extante opinione probabili abſoluat, quin cogatur pœnitens quærere Confeſſarium, qui habeat iuriſdictionem indubitatam, vt vitetur nullitatis periculum.

126 Minor clarè conſtat: nam idem omnino eſt, dubitari, an circa vnum peccatum quis habeat iuriſdictionem abſoluendi, ac an habeat eam abſolutè ad excipiendam confeſſionem, præſcindendo ab his, vel illis peccatis. Si dicas, primum Confeſſarium, hoc ipſo quòd habeat iuriſdictionem certam ad abſoluendum ab aliquibus culpis directè, à cæteris ſaltem indirectè abſoluere, ſecùs hunc ſecundùm, de quo eſt controuerſia. Contrà, quia poteſt etiam directè abſoluere à venialibus ille ſecundus Sacerdos indubitatè, & eo caſu ſaltem abſoluet indirectè à mortalibus : & cum non magis vnus, quam alius abſoluere queat ab omnibus peccatis in confeſſione expoſitis, non magis vnus, quàm alius erit cenſendus legitimus miniſter Sacramenti. Etenim, ſi probabilis opinio non ſufficit, vt vnus abſoluat ab omnibus peccatis: nec ſufficiet, vt abſoluat ab vno peccato, etſi poſſet à cæteris. Quòd ſi reſpectu alicuius peccati pœnitentis non eſt legitimus Confeſſor ob probabilitatem opinionis, abſolutè nequit eius confeſſionem excipere, niſi ob aliquod accidens. Quare eodem modo philoſophandum eſt in vtroque caſu.

127 Declaratur, & confirmatur. Sacerdos approbatus in Diœceſi Salmantina accedit ad Valliſoletanum : datur opinio probabilis, quòd in ea eſt capax iuriſdictionis per Bullam, atque adeò legitimus Confeſſarius habentium Bullam in Valliſoletana Diœceſi: datur item opinio probabilis contraria. Ponamus, primam opinionem in re eſſe falſam, (quod conſtare nequit.) adhuc ille Sacerdos validè excipiet confeſſiones ibi : ergo quia, ſtante opinione probabili, Eccleſia ſupplet iuriſdictionem. Antecedens ex dictis ſuadetur, & ex praxi doctorum hominum.

128 P. Bardi pro ſententia contraria nullam affert rationem: ſolúmque impugnat argumentum, quo noſtra concluſio probari ſolet, & quo ego in præſenti non vtor; ſcilicèt, quia non minùs potens eſt ſapientum opinio ad iuriſdictionem inducendam, quàm vulgi error : at hic inducit, ergo & illa. Negat maiorem, quia vulgus includit, & vulgares

homines,

homines, & ſapientes; opinio autem paucio-res inter viros verſatur: rurſus error vulgi ne-quit vinci: at, ſtante opinione, poteſt pœni-tens certiorem Confeſſarium inquirere.

129 In primis non eſt comparanda opinio ſapientium errori vulgi quoad numerum, ſed quoad authoritatem, & ſufficientiam: oſten-dimus autem, non minùs ſufficere opinionem probabilem, ſiquidem abſolutè ſufficit. Dein-dè, vt dicebam, non eſt cogendus pœnitens, vt certiorem Confeſſarium inueſtiget; nec quoties Confeſſarius dubitat, an ab aliquo peccato, vel cenſura poſſit abſoluere, debet remittere pœnitentem ad alium Confeſſa-rium, ſi de ſua iuriſdictione habeat opinio-nem probabilem: contrarium enim & eſt contra ſapientum praxim, & ſcrupulis valdè obnoxium, ſi Confeſſarius nequeat vti, niſi ſententiis certis.

130 Præterea hic Author non rectè vti-tur hac impugnatione: nam ſuppoſuerat *nu.* 186. Authores, quos impugnat, non admit-tere noſtrum aſſertum, niſi in caſu, quo pœ-tens non poſſit habere Confeſſarium, qui certa iuriſdictione fruatur. Ergo non rectè eos impugnare contendit, aſſerendo, errorem vulgi vinci non poſſe; at ſtante opinione pro-babili, poſſe quæri alium Confeſſarium cer-tum: ſi quidem ſupponitur, non poſſe illum à pœnitente haberi.

131 Demùm pro oppoſita ſententia ar-guitur. Quando datur error communis, adeſt titulus ſufficiens ad vſum iuriſdictionis, quam ius ſupplet, iuxta vulgarem *leg. Barbarius Phi-lippus, ff. de officio Prætoris, & cap. Ad probandum de ſent. & re iudic.* at quando ſola eſt opi-nio probabilis, non datur titulus: ergo. In pri-mis ego non probaui aſſertum ex paritate erroris vulgi, atque adeò hoc argumentum euanet. Rurſùs aſſero, opinionem probabi-lem eſſe titulum ſufficientem iuxta dicta.

132 Adhuc arguitur. In his, quæ pertinent ad valorem Sacramentorum, non eſt licitum, ſequi opinionem probabilem; ſed certam, & tutiorem: ergo. Reſpondeo, hoc argumentum multum probare. Etenim approbatio ex Tri-dentino requiſita eſt ex parte miniſtri ad va-lorem Sacramenti pœnitentiæ; & tamen ſunt innumeri caſus circa approbatum, an hæc, vel illa approbatio ſufficiat, cum opinione probabili ex vtraque parte: & tamen abſque ſcrupulo viri docti ſequuntur quamlibet par-tem: & hoc argumentum eam praxim dam-nat. Deinde opiniones probabiles ſunt pro vtraque parte in innumeris euentibus, in qui-bus valor Sacramenti verſatur; nempè an per Bullam poſſit abſolui à reſeruatis Pontifici occultis toties quoties? An iuriſdictio Regu-larium ad abſoluendum à reſeruatis Epiſco-po ſit reuocata, nec ne? An reuocetur per Iu-bilæum anni ſancti iuriſdictio ſpecialis Re-gularium? Et his ſimilia. Et tamen vtuntur omnes opinione probabili, quin negatiuam tutiorem ſequantur: nec dubito, ipſum P. Bar-di eam ſectari in praxi; argumentum autem factum probat, nihil horum licere. Quod ſa-nè euertit valdè communem ſentiendi, & operandi modum.

132 Reſpondeo ergo, debere nos ſequi certam, & tutiorem opinionem, cum poſſu-mus, circa materiam, & formam Sacramen-torum: at circa iuriſdictionem, aut approba-tionem, ſeu alias conditiones miniſtri poſſe ſequi opinionem probabilem. Quod ex ad-huc dictis ſufficienter conſtat.

CAPVT XXVI.

Examinantur aliqua de approbatione Parochi, qui actu eſt Parochus, & qui fuit; ſed non eſt.

133 EVm, qui actu eſt Parochus, eſſe virtute Bullæ Cruciatæ vbique eli-gibilem ad excipiendas confeſſiones, abſque vlla alia approbatione, ſanciui *in præcedenti opere, diſp. 22. n. 26. & n. 28.* quia pro toto or-be eſt approbatus quilibet Parochus. Conue-nit in hoc P. Bardi. Sed *part. 2. tr. 5. cap. 2. ſect. 1. nu. 18.* docet Parochum, qui amiſit benefi-cium, aut renuntiauit, indigere noua appro-batione, & non remanere approbatum.

134 Mouetur, quia Tridentinum ab-ſolutè ait, non eſſe idoneum, niſi approba-tum ab Ordinario, & eum, qui Parochia-le Beneficium habet: vbi notat, non dixiſſe, *qui habuit, vel habebat*; atque adeò ſtandum eſſe verbis Tridentini: maximè, cum in his, quæ à iure poſitiuo dependent, non ſit re-cedendum à verbis ipſius, niſi ratio cogat: quam aſſerit, in præſenti non dari, cum po-tuerit deficere idoneitas, quæ reperiebatur in Parocho.

135 Docui *loco relato, numer.* 34. cen-ſeri approbatum eum, qui fuit, & non eſt Parochus, & omnes eos, qui habuerunt iu-riſdictionem ordinariam, (exceptis his, qui fuerunt Prælati Regulares, reſpectu ſubdi-torum,) dum tamen ob incapacitatem, il-literaturam, aut prauos mores, non fuerit ab eo Beneficium Parochiale ablatum. Cui aſſerto adhuc adhæreo. Tridentinum *ibi* expoſui; nec ſumendum eſt cum ea reſtri-ctione, qua illud interpretatur hic Au-thor; ſed introſpicienda eius mens. Itaque non deſiderauit nouam approbationem in habente Beneficium Parochiale, quia ſuffi-ciens eſt teſtimonium, quod de eius idoneita-te confertur, quando ei conceditur Benefi-cium; imò tunc dicitur habere approbatio-nem.

Digitized by Google

nem ab Eccleſia : hoc autem teſtimonium non aufertur per renunciationem Beneficij. Quòd autem potuerit poſt eiuſmodi renuntiationem ſcientiam moralem dediſcere, per accidens eſt : nam etiam poterat, quamvis non renuntiaſſet beneficium : dum ergo non conſtet, appoſuiſſe impedimentũ, ſeu obicem illi teſtimonio idoneitatis, hoc perſeuerat : & datur in re titulus, nempè illa idoneitas ab Eccleſia approbata, ratione cuius Tridentinum non requiſiuit approbationem in habente Parochiale Beneficium.

CAPVT XXV.

An ignorantia reſeruationis peccati impediat eius reſeruationem?

136 SVppono, ignorantiam cenſuræ reſeruatæ eſſe ſufficientem, vt caſus non maneat reſeruatus, cum cenſura nequeat incurri abſque contumacia, & hæc nequeat in ignorante dari; ſed ponamus, ipſum peccatum, independenter à cenſura, eſſe reſeruatum, & reſeruationem ignorari à committente illud. Cum ſententia communi tradidi *diſp.* 23. hanc ignorantiam non tollere reſeruationem: quia reſeruatio eſt ablatio iuriſdictionis à Confeſſario inferiore: quam iuriſdictionem non præſtat ignorantia delinquentis.

137 P. Bardi in *Bull. part.* 2 *tract.* 6. *cap.* 1. *ſect.* 6. *nu.* 43. diſtinguit duplicem reſeruationem peccati : aliam, quæ imponitur ad bonum regimen Eccleſię, ſeu Religionis: quam, ait, non impediri, nec tolli ob ignorantiam committentis peccatum. Aliam, quæ imponitur in odium ipſius peccati, qualem, ait, fuiſſe, quam Sixtus V. promulgauit aduerſus eos, qui malè promouentur ad Ordines : & aliam, quam ſanciuit Gregorius XIII. contra dantes, aut promittentes pro gratia, vel iuſtitia obtinenda apud Sedem Apoſtolicam; & hanc reſeruationem, docet, impediri ab ignorantia : atque adeò non eſſe peccata huiuſmodi reſeruata, quando ab ignorante reſeruationem patrantur. Et quaſi hæc eſſent plana, & manifeſta, profert illa, & nulla prorsùs ratione probat.

138 Inquiro ab hoc Authore, quando reſeruetur peccatum præcisè ob odium ipſius, & quando ob bonum Eccleſiæ, vel Religionis? Exiſtimaueram ego adhuc, nunquam reſeruari peccatum, niſi ſaltem partialiter propter Eccleſiæ, aut Religionis regimen rectum? Nec poſſum intelligere, quo pacto hæc ratio poſſit abeſſe, & ſeparari; nec quomodo, ſi non daretur, ea reſeruarent Prælati peccata. Fateor, odium peccati illos etiam moueret : ea tamen eſt ratio tranſcendentalis, nullum enim reſeruant peccatum, niſi & ob odium ipſius, & ob Communitatis regimen rectum : hæc duo ſemper cohærent; quòd ſi aliquando vnum ab alio præſcindatur, tamen à prouidendo bono regimini Eccleſiæ, aut Religionis nunquam in reſeruatione præſcinditur.

139 Et equidem ea diſtinctione reſeruationum poſita, cum omnia peccata reſeruata ſint ex grauioribus, ſicut ego contendo, fuiſſe reſeruata ob gubernationem vtilem Eccleſiæ, aut Communitatis, poſſet alius contendere, ſolùm fuiſſe reſeruata ob odium grauitatis peccatorum; &, cum ignorantia reſeruationum ſit adeò communis, & frequens, maximè in illiteratis, & rudibus, ecce totam reſeruandi vim labefactatam. Quòd ſi de aliquibus peccatis concedatur, eſſe reſeruata ob bonum commune Eccleſiæ, ſiuè Religionis : quid reperitur in cæteris, cum adeò grauia, & offenſiua ſint, quare ſolùm ob odium ipſorum reſeruentur: quaſi nihil conducat reſeruatio ad bonum commune, nec id detrimentum patiatur ex facilitate committendi crebrò ea delicta, quin reſeruationis frænum cohibeat delinquentes. Reiicienda ergo eſt diſtinctio Patris Bardi, & generaliter aſſerendum, ignorantiam reſeruationis non eſſe impeditiuam illius.

140 Fateor, hanc opinionem ideò eſſe probabilem, quia pro ea ſtat authoritas Patris Th. Sanchez *tom.* 3. *de matrim. lib.* 9. *diſp.* 32. *n.* 18. Eam probat doctrina quadam generali antecedenter à ſe tradita, nempè quòd pœnæ deſignatæ alicui delicto in iure non incurruntur, ſi detur earum ignorantia, quia incurſio pœnæ exigit contemptum in operante; ignorans autem pœnam nequit eam contemnere Ex quo principio tuetur, irregularitatem ex delicto prouenientem, & ſimiles pœnas ab ignorante non contrahi. Quod principium ſatis probabile eſt, licèt plures Authores contrarios habeat. Attamen eo adhuc ſuppoſito, perſiſto in mea ratione : nam vnde colligitur, reſeruationem eſſe ſolùm pœnam delicti, & non attendi in ea ad rectam Eccleſiæ gubernationem? Si enim velit aliquis nuncupare pœnam : quævis reſeruatio talis dici poteſt, quamvis non ſit impoſita in odium peccati præcisè. Et in hoc ſenſu iudico, P. Molina *tom.* 1. *de iuſt. tr.* 2. *diſp.* 9. *col.* 541. *verſ. Pæna,* vocaſſe pœnam, non poſſe abſolui, ratione reſeruationis, ante realem reſtitutionem, violatorem Conſtitutionis Gregorij XIII. de datis, & promiſſis pro gratia. Etenim pœna extenditur ad ſignificandum quodvis incommodum : & non mediocre ſentitur ab eo, qui in peccatum reſeruatum incidit, dum nequit abſolui, niſi à reſeruante, aut de eius licentia.

CAP. XXVI.

Digitized by Google

CAPVT XXVI.

An poſſit abſolui toties quoties virtute Bullæ à caſibus reſeruatis Pontifici, ſi ſint occulti?

141 AFfirmatiuam ſententiam cum pluribus Authoribus tutatus ſum *in ſuperiori opere, diſput.* 23. *à num.* 72. Et iterùm eam roborabo *infrà diſp.* 5. *cap.* 8. Negatiuam eſſe probabiliorem, & in praxi amplectendam fortaſſe vt ſtrictiorem, defendit P. Bardi *part.* 2. *tr.* 6. *cap.* 1. *ſect.* 10. *n.* 87.

142 Mouetur, quia Pontifex illos caſus ſine vlla limitatione ſibi reſeruat; at eſſe ocultos non opponitur reſeruationi; neque aliundè datur declaratio, per quam conſtet, eos reſeruationem amittere: ergo non poteſt ab illis abſolui toties quoties, ſicut poteſt à non reſeruatis, cum aliquid plus illi habeant, quam hi. Et quia ab Authoribus noſtræ ſententiæ probatur, caſus occultos non manere reſeruatos Pontifici, quamvis aliundè ſint reſeruati, ex eo quòd Epiſcopi iuxta Tridentinum poſſint ab eis abſoluere, atque adeò reſeruatio fit Epiſcopalis, quæ priùs erat Pontificia: à caſibus autem Epiſcopo reſeruatis toties quoties poteſt virtute Bullæ abſolui. Reſpondet hic Author, Tridentinum præſtans Epiſcopis facultatem abſoluendi ab eiuſmodi caſibus non tollere ab his reſeruationem Pontificiam; ſed in ea illos detinere: cuius ſignum id affert, quòd Tridentinum non concedit hanc facultatem Epiſcopis abſolutè, reſpectu quorumcumque, & in omni loco; ſed in ſua Diœceſi, & reſpectu ſubditorum.

143 Propter hæc tamen non eſt noſtra ſententia deſerenda. Etenim Pontifex, dum committit in Tridentino Epiſcopis facultatem, ordinariam abſoluendi à caſibus ſibi aliundè reſeruatis, dummodo ſint occulti, tollit ab eis reſeruationem Pontificiam, limitatque eam, quam appoſuerat, ad eiuſmodi caſus non occultos: qua reſeruatione ablata, conſequens eſt, vt virtute Bullæ poſſit toties quoties ab eis abſolui. Nec ſignum appoſitum de perſeuerantia reſeruationis eſt efficax: nam ablata reſeruatione Pontificia, adhuc poteſt remanere reſeruatio Epiſcopalis, & deſignari, cui Epiſcopo, & quorum pœnitentium abſolutio reſeruetur: quare Pontifex voluit, vt quiſque Epiſcopus ſolum in ſua Diœceſi, & ſuos ſubditos abſoluere valeat: indè tamen non probatur, quòd reſeruatio ſit Pontificia; ſicut etiam Epiſcopus non poteſt abſoluere in aliena Diœceſi ſaltem à reſeruatis Epiſcopo illius Diœceſis: quod non ſuadet, eos caſus habere reſeruationem maiorem, quàm Epiſcopalem; ſed ſolùm actus iuriſdictionis ſuis terminis, locis, & perſonis eſſe circumſcriptos. Id in præſenti contingit, Pontifice iuriſdictionem congruenter limitante.

144 Et quidem ea limitatio non opponitur ablationi reſeruationis Pontificiæ; nec rectè intilligitur, quo pacto duret reſeruatio Pontificia, inferiori Prælato non reſeruantur illi caſus: cum reſeruatio Pontificia id per ſe dicat, quòd nullus Prælatus inferior abſoluere valeat. Itaque cum Tridentinum facultatem præſtat Epiſcopis ad abſoluendum à reſeruatis occultis cum adhibita limitatione, perindè ſe habet, ac ſi aſſereret; Peccata, quæ ſunt Sedi Apoſtolicæ reſeruata, ſi ſint occulta, deinceps ſolùm Epiſcopis in ſua Diœceſi, dum ſint peccata ſubditorum, reſeruata maneant. Sicut, ſi in Religione, in qua peccatum, v. g. periurij eſt reſeruatum Superiori, ſtatueretur, vt deinceps Confeſſarius Domus Religioſæ poſſet ab illo abſoluere commorantes in eadem Domo: quis dubitet, reſeruationem ſuperioris auferri, quamvis limitarentur Confeſſarius, & perſonæ? atque adeò Regularis, qui in id peccatum incidiſſet, ſi haberet priuilegium, vt per quemvis Confeſſarium abſolueretur à non reſeruatis, poſſet per quemlibet abſolui à periurio. Similis eſt omnino caſus, quem agitamus, ſua ſeruata proportione.

CAPVT XXVII.

An virtute Bullæ tranſactæ poſſit quis abſolui à reſeruatis, quorum oblitus fuit, dum Bulla vigebat?

145 COnfitetur quis durante Bulla, ſuà peccata, & obliuiſcitur reſeruatorum; expirat Bulla: an poſteà virtute illius iam tranſactæ poſsit à reſeruatis abſolui, ita vt reſeruatio fuerit ablata per illam, examinamus. Poſſe tradidi *in ſuperioribus diſp.* 23. *à num.* 25. vbi plures caſus concernentes tractauit. Et huius ſententiæ ſunt Megalius 1. *part. ſum. lib.* 1. *cap.* 14. Molfeſsius, Nuñus, Reginaldus, & Ludouicus à Cruce, quos ſequitur *Dian.* 1. *part. tr.* 11. *reſol.* 19. Quod non ſolùm intelligunt, quando pœnitens poſcit à Confeſſario, vt ipſum abſoluat à reſeruatis, ſi fortè ea commiſit; ſed quando nullam facit mentionem reſeruatorum: nam, quando id poſcit, clarior, & communior eſt aſſertio, & eam ſectatur cum P. Suario, & Bonacina, P. Franciſcus Bardi in Bul. p. 2. tr. 6. c. 1. ſect. 12. numero 106.

146 Cæterùm, quando pœnitens nullam facit mentionem reſeruatorum, ſequitur opinionem oppoſitam ipſe P. Bardi *ibidem n.* 103.

Mouetur,

Digitized by Google

Mouetur, quia abſolutio eam efficaciam habet, quam recipit ab intentione Confeſſarij; ſed huius intentio neque explicitè, neque implicitè tendit ad reſeruata: quippè nulla præceſſit neque confuſa notitia de reſeruatis; ſed ſolum de non reſeruatis, & intentio abſoluendi menſuratur à præcedenti notitia: ergo reſeruatio non tollitur à peccatis oblitis, & ignoratis.

147 Sed contrà, quia nullus eſt Confeſſarius, qui non intendat abſoluere, quantum poteſt; ſed ille poteſt à reſeruatis: ergò ab eis, vt poteſt, abſoluit, & tollit reſeruationem. Patet hoc; nam inquiro à P. Bardi; ille pœnitens inculpabiliter oblitus reſeruatorum, verum dolorem generalem habens, manetne abſolutus? Datur illi gratia iuſtificans? Non negabit: aliàs quotidie plures peccati alicuius obliti fructum Sacramenti pœnitentiæ non reciperent: ergo Confeſſarius intendit abſoluere, quantum poteſt: ſeu conferre medio Sacramento gratiam, quæ omnia peccata deleat. Supponimus enim, non velle illum ex malitia non abſoluere ab aliquo peccato: id namque etiam poſſet malitiosè intendere reſpectu peccatorum, quæ explicitè pœnitens confitetur. Attamen hac malitioſa intentione ſecluſa, non menſuratur eius intentio notitiæ, quam tunc recipit: ſic enim fieret, vt dum pœnitentes frequentiſſimè peccatorum obliuiſcantur, Confeſſarius ſolùm attendens ad audita peccata, non ſe extenderet, quantum poſſet, ad alia peccata non audita, cum eorum nec confuſam notitiam habeat: hæc enim non generatur ex auditione vnius, reſpectu alterius.

148 Hinc, dum Confeſſarius excipit confeſſionem habentis Bullam, & eum abſoluit, intendit ſanè, tollere reſeruationem à peccatis, ſi fortè pœnitens peccata reſeruata habeat, eorumque obliuiſcatur. Nec eſt neceſſe, Confeſſarium id expreſsè intendere: nam in illa intentione generali abſoluendi, quantum poteſt, continetur. Roboratur hoc ex valdè vſitata forma abſoluendi, in qua apponitur, *in quantum poſſum, & indiges*; & licèt hæc verba non exprimantur, ſemper datur intentio per illa ſignificata.

CAPVT XXVIII.

An virtute Bullæ Cruciatæ poſſit abſolui ab hæreſi externa occulta?

149 LAtè hanc grauiſſimam quæſtionem diſcuſſi *opere præcedenti*, & negatiuum aſſertum ſtabiliui *diſp.* 23. *à n.* 77. Inſtituit hoc dubium P. Bardi *p.* 2. *tr.* 6. *c.* 1. *ſect.* 1. Et præmittit, hanc quæſtionem locum præſertim habere in doctrina aſſerentium, caſus reſeruatos aliundè Pontifici, ſi ſint occulti, ſolùm eſſe Epiſcopales, & non remanere Pontifici reſeruatos: quam doctrinam ipſe non ſequitur, *vt nuper* vidimus *cap.* 26.

Mendo in Bull. Cruciat.

150 Hoc præmiſſo, ait, partem affirmatiuam ſuaderi poſſe eo argumento, quo plures Authores contendunt, poteſtatem Epiſcoporum abſoluendi ab hæreſi occulta conceſſam in Tridentino in illa conceſſione generali abſoluendi à caſibus occultis non fuiſſe reuocatam, nec reuocari per Bullam in Cœna Domini, in qua hæreſis reſeruatur. Et addit hic Author, conciliari Bullam Cœnæ, & Tridentinum, intelligendo eam Bullam de hæreſi externa publica. Partem negatiuam, docet hic Author, eſſe tutiorem, & probabiliorem, loquendo de poteſtate Epiſcoporum, eo quòd in Bulla Cœnæ non limitetur reſeruatio hæreſis ſolùm ad publicam: tenet tamen, eſſe probabilem partem affirmatiuam.

151 Concludit dubium, quod de Bulla Cruciatæ inſtituerat, quin eius vltrà mentionem faciat; ſed ſolùm de poteſtate Epiſcoporum ad abſoluendum ab hæreſi, quam pro vtraque parte examinat. Nec ſcio, cur indè non intulerit, an ſit probabile, per Bullam poſſe abſolui ab hæreſi externa occulta, licèt ſit probabilius oppoſitum. Fortaſſis hoc legentium ratiocinationi permiſit, ne Quæſitores ſacræ Fidei id ægrè ferrent: verùm id vereri nullus, qui certa, aut probabilia depromit, debet: ſi tamen ſunt eiuſmodi ea, quæ ſub doctrina poteſtatis abſoluendi Epiſcopis conceſſæ videntur latere.

152 Nunc doctrinam huius Authoris, quæ implexa eſt, euoluamus. Et in primis, quantumvis ſit vera aut ſaltem probabilis ſententia docens, poſſe Epiſcopos abſoluere ab hæreſi externa occulta, attamen hanc abſolutionem non poſſe virtute Bullæ Cruciatæ præſtari, ſtabiliui *opere præcedenti, diſp.* 23. *à num.* 77. Vbi oſtendi diſparitatem, quæ eſt inter alios caſus, à quibus poteſt abſolui per Bullam, hoc ipſo quod abſolui poſſit per Epiſcopum, & inter hæreſim externam, adhuc occultam. Hinc fit, non rectè P. Bardi ad deciſionem dubij de poteſtate abſoluendi ab ea hæreſi per Bullam aſſumpſiſſe pro vnico medio probationis poteſtatem Epiſcoporum, cum ex hac non inferatur illa. Recolantur dicta à me *loco citato*.

153 Deindè difficultas, quæ verſatur circa poteſtatem Epiſcoporum abſoluendi ab hæreſi occulta, non innititur præcipuè in Bulla Cœnæ: ſi quidem omnia reſeruata Pontifici, ſtante Decreto Tridentini, intelliguntur publica: &, ſicut alia peccata, ſeu caſus

Digitized by Google

reſeruati in aliis Breuibus ſolùm publici cenſentur, ita, & reſeruati in Bulla Cœnæ, cum eodem modo abſque limitatione vtrobique reſeruentur: & aliundè Pontifex nolit per Bullam Cœnæ derogare Tridentino, quod ſemper ſartum tectum intenditur à Sede Apoſtolica conſeruari, niſi expreſsè contrarium exprimatur.

154 Præcipua ergo difficultas in eo ſiſtit, an per Bullas, & Breuia à Sede Apoſtolica expedita ita reſeruata ſit abſolutio ab hæreſi externa, etiam occulta, Dominis Sacræ Fidei Quæſitoribus, vt ablata ſit poteſtas abſoluendi ab Epiſcopis in regnis, in quibus Tribunal Fidei aduerſus hæreticam prauitatem viget. Hanc difficultatem non enodauit, nec attigit P. Bardi qua ſecluſa, poteſtas Epiſcoporum ferè non eſſet ſub lite, cum cætera eis maximè faueant. Nec ego probabilitatem ſententiæ adhuc eis fauentis eneruare intendo: cum hoc ſit à Bulla independens.

155 Demùm diſplicet ratio, qua mouetur, ad aſſerendum de Epiſcopis partem negatiuam eſſe probabiliorem. Quippè, licèt reſeruatio appoſita in Bulla Cœnæ non limitetur ad hæreſim publicam, de hac debet intelligi. Primò quia ſic cohæret Bulla Cœnæ cum Tridentino, & cum poſſunt Iura concordari, id debet fieri, vt ipſe fatetur, niſi contrarium per ius recentius exprimatur. Secundò, quia non aliter in Bulla Cœnæ reſeruatur hæreſis, quàm cæteri caſus, nec cæteri limitantur ad publicos: & tamen à cæteris, ſi ſint occulti, poteſt Epiſcopus abſoluere; aliàs inutiliter de ſola hæreſi dubium excitaretur; ſed deberet de omnibus caſibus in Bulla Cœnæ contentis excitari; ergo in Bulla Cœnæ ſola hæreſis publica reſeruatur, & ex vi illius Bullæ præciſè non tollitur Epiſcopis, vt ab occulta abſoluere queant. Eadem paritas fieri valet de aliis caſibus reſeruatis Pontifici in Breuibus, ac Bullis ſpecialibus, adhuc poſt Tridentinum promulgatis, in quibus non limitatur reſeruatio ad caſus publicos; & tamen ab occultis poſſunt abſoluere Epiſcopi: aliàs profectò à nullis, vel ferè nullis abſoluere poſſent, cum nullibi legam eam limitationem appoſitam; atque adeò ferè inutilis, & fruſtranea redderetur diſpoſitio Tridentini præſtans facultatem Epiſcopis abſoluendi ab occultis reſeruatis.

CAPVT XXIX.

An vouens poſſit propria authoritate ſuum votum commutare in euidenter æquale?

156 HOc quæſitum breuiter expediui *in ſuperioribus diſp.26. à n.37.* P. Franciſcus Bardi *in Bull. tract.7. cap.1. ſect.1. n.14.* defendit, opinionem negatiuam eſſe probabiliorem ſaltem in praxi. Ducitur hoc fundamento. Quia Deo gratius erit, vouentem perſeuerare in priori voluntate, dum rem meliorem non exhibet. Deindè, quia difficile eſt, attingere æqualitatem requiſitam, atque adeò nequit propria authoritate votum commutare; nec veriſimile cenſet, commutationem relictam fuiſſe, in poteſtate vouentis, & ideò recurrere debet ad Prælatum, qui vices Dei creditoris gerit. Demum *in cap.1. de voto* ſtatuitur, commutationem dependere ab arbitrio Prælati, quoties non eſt certum, rem, quæ ſubrogatur, eſſe Deo gratiorem.

157 Hæc omnia non perſuadent aſſertum negativum. Nam in primis, ſi res ſubrogata eſt euidenter æqualis, Deo æquè grata erit, ac ea, pro qua ſubrogatur; aliàs non eſſet æqualis, cum æqualitas deſumatur in ordine ad cultum, & voluntatem Dei æquè in vtraque complacentem. Et etiam Deo æquè gratum erit, mutare materiam æqualem, ac perſeuerare in prima: nam ea mutatio eſt perſeuerantia moralis in ordine ad meritum, atque adeò eſt materialis mutatio. Sicut perindè ſe habet elicere hunc actum, ac illum omnino æqualem, in ordine ad Deum, licèt phyſicè ſint diuerſi; & quamvis poſſit quis perſeuerare per aliqua inſtantia in vno actu, non minùs erit gratum Deo, quòd alium actum æqualem eliciat, ceſſans ab illo.

158 Secunda ratio mutat ſuppoſitionem dubij: hoc enim ſupponit, materiam ſubrogatam eſſe euidenter æqualem: vbi autem eſt euidentia æqualitatis, non datur dubium, nec difficultas attingendi æqualitatem. Et cur non ſit veriſimile, hanc commutationem relictam fuiſſe in poteſtate vouentis, ſi quidem ſupponitur euidens æqualitas: qua poſita, reſpectu Dei perindè ſe habet vna materiam, ac alia: & eſt veluti materialis mutatio. Nec opus eſt, recurrere ad Prælatum, vt vices gerentem Dei creditoris: nam, vt ipſe P. Bardi cum communi tuetur, cum materia eſt melior, non eſt opus recurrere ad Prælatum ad commutationem in illam faciendam: & tamen Deus eſt etiam tunc creditor; ſed iudicatur rectè Deum creditorem placere ſibi in ſubrogatione materiæ melioris. In præſenti ergo caſu, iudicandum eſt, Deum creditorem non diſplicere

cere

cere in ea ſubrogatione materiæ; ſed æquè in illa placere: & cum non ſit vlla diuerſitas in ordine ad diuinam complacentiam, nec dubium de hoc intercedat, nulla neceſſitas apparet recurrendi ad Prælatum.

159 Tertia probatio deſumpta *ex cap.* 1. *de voto*, etiam ſoluenda eſt à P. Bardi, cum æquè militet contra aſſertum, quod *num.* 14. *in fine* ſtatuit: nempè, poſſe quem propria authoritate ſuum votum commutare, *quando conſtaret de æqualitate materiæ ſubrogatæ & dubium eſſet, an ipſa materia ſubſtituta ſit melior*. Verba ſunt huius Authoris. At ipſe intendit *ex cap* 1. *de voto*, commutationem dependere à Prælato, quoties non eſt certum, materiam ſubrogatam eſſe Deo gratiorem: Et tamen in aſſerto *nuper* poſito non eſt certum, imò eſt dubium, an materia ſubrogata ſit melior, ſeu Deo gratior: ergo æquè militat contra ipſum id, quod ex *c.* 1. *de voto* contra affirmatiuam ſententiam *ſuprà* dictam affert, & pariter eſt ab ipſo ſoluendum.

160 Prætereà reſpondeo, in *eo capite* ſolum fuiſſe ab Alexandro Tertio quæſitum: *De peregrinationis votis, an eleemoſynis redimi poſſint, vel pro neceſſitate in aliud commutari?* Itaque non fuit inquiſitum, an poſſent vota in materia euidenter æqualem commutari; ſed an expediret ampliùs, ea redimi eleemoſynis, an in aliud commutari? Et reſpondet Alexander III. pendere ab arbitrio eius, qui præſidet, vt conſideret, an ſit melius, & Deo magis acceptum, conſideratis circunſtantiis, redimere vota eleemoſynis, & ſic ea recompenſare: vel in peregrinationem, aut aliud opus commutare: imò ait textus *diſpenſare*. In diſpenſatione autem non intercedit æqualitas; ſed cauſa: & diſpenſatio eſt actus iuriſdictionis ad Prælatum ſpectans. Et quamuis ea vox non ſumatur in ea propria, & rigoroſa ſignificatione; ſed ita, vt ſignificet, penes Prælatum eſſe, vt diſponat, quid magis circa vota expediat, attamen agebatur de re dubia, nec deſignabatur materia ſubroganda; atque adeò non procedit ea declaratio in terminis noſtræ quæſtionis.

161 Nec Pontifex ait, Prælatum debere deſignare id, quod eſt melius, & Deo gratius, facta comparatione ad materiam prius voto promiſſam; ſed facta comparatione inter illa duo, in quæ erant vota commutanda, nempè inter eleemoſynas, & inter peregrinationem, aliaque opera. Quod patet primò ex cõtextu Secundò, quia nullus dubitat, poſſe Prælatum cõmutare votum ſubditi in materiam æqualem; ergo non reſtringitur ei, vt commutet in materiam meliorem: ex argumento autem Patris Bardi hæc reſtrictio poterat intendi: & rurſùs poterat ex hac interpretatione a qui, non poſſe quem adhuc in melius commutare ſuum votum; ſed hoc pendere ab arbitrio Prælati. Quæ *ex præfato capite* non inferũtur, atque adeò nec ſententia huius Authoris.

CAPVT XXX.

An, tranſacto tempore Bullæ, poſſint virtute illius commutari vota eius, qui petiit commutationem, ante terminum finitum ipſius Bullæ?

162 Opere præcedenti, *diſp.* 26. *à num.* 165. tradidi, poſſe virtute Bullæ, aut Iubilæi commutari vota eius, qui antecedenter popoſcit commutationem, adhuc ſi tempus ſit elapſum, cum de facto vota commutantur. Inſuper addidi, ſi quis, durante Bulla, aut Iubilæo, petiit omnium votorum commutationem, ea recenſens, & alicuius voti fuit oblitus, hoc etiam, eo tempore tranſacto, poſſe commutari. Hanc doctrinam iterùm repetiui in *hoc tractatu appendice diſp.* 1. *à n.* 55.

163 Cæterùm P. Bardi contrariam repetit *part.* 2. *tr.* 7. *c.* 1. *ſect.* 12. §. 2. Fatetur *ibi*, caſu quo Cõfeſſarius ante tempus Bullæ elapſum aſſereret: *Commuto tibi ex nunc ea vota, quorum commutationem expoſtulas*, & non deſignaret materiam ſubrogandam, poſſe poſt elapſum tempus eam deſignare: At dum Confeſſarius id non præſtat, quamuis pœnitens commutationem depoſcat, non poſſe ei, elapſo Bullæ tempore, commutari. Probat hoc aſſertum negatiuum: quia omnia priuilegia Bullæ expirant, anno elapſo, & ſolùm cauſæ pendentes, ſeu inchoatæ poſſunt ad exitum perduci, at, licèt quis cõmutationem votorum expoſcat dum Cõfeſſarius non cõmutat, ſaltem confuſè, ac generaliter, modo explicato, cauſa hæc non eſt pendens, nec inchoata: igitur nequit ad exitũ perduci, nec vota poſſunt cõmutari.

164 Minorem ſuadet: nam in hoc euentu ſolùm datur ex parte Confeſſarij acceptatio poteſtatis ad commutãda vota; illa verò non ſufficit ad inchoationem cauſæ: aliter numquam daretur caſus, in quo cauſa delegata poſſet integra remanere poſt mortẽ delegantis, vel poſt amotionẽ ab officio, quia delegatus acceptans delegationem ſemper cenſebitur cauſam inchoaſſe. Hoc autẽ dici nequit.

165 Fundamentum hoc Patris Bardi etiam attigi in ſimili, & impugnaui *ſuprà diſp.* 1. *à n.* 59. Et quidem latum eſt diſcrimen inter cauſas ſpectantes ad forum externum, & iudiciale, ac inter cauſas pertinentes ad forum conſcientiæ. Primæ etenim plura requirunt, nec inchoatæ cenſentur, donec aliqua ſint peracta, quæ ſint litis exordium; cum enim ibi de inchoatione, aut pendentia cauſæ per actus externos conſtare debeat, hinc eſt, vt debeant ea præſtari, quæ Authores deſignant ad inchoationem, & pendentiam litis. At in cauſis ad forum internum

Mendo in Bull. Cruciat. Yy 2 conſcientiæ

Digitized by Google

conſcientiæ ſpectantibus nihil horum requiritur: nec deſumenda eſt inchoatio ab aliarum cauſarum formula; ſed introſpiciendum, quid in eo foro ſit ſatis ad inchoationem cauſæ.

166 Dico igitur, ſatis eſſe electionem confeſſarij, petitionem commutationis, & acceptationem poteſtatis ex parte Confeſſarij. Moueor primò, quia iuxta omnes, vt cauſa confeſſionis dicatur inchoata, & pendens, ſufficit electio Confeſſarij, acceptatio poteſtatis, & prolatio alicuius peccati, à quo petatur abſolutio, licèt hæc tunc nec in confuſo detur: ergo, vt cauſa commutationis dicatur pendens, ſat eſt electio ipſa, acceptatio, & prolatio votorum, quorum commutatio poſtulatur, eſtò illa non detur: nam hæc petitio commutationis cum prolatione votorum correſpondet ei petitioni abſolutionis cum prolatione peccati, & cætera ſunt paria.

167 Moueor ſecundò, quia non poteſt excogitari alia inchoatio, ſeu pendentia cauſæ in commutatione votorum, niſi deſignata. Quippè ea, quam conſtituit P. Bardi non eſt inchoatio, ſed finis cauſæ: ſi etenim pœnitens depromit ſua vota, eligit Confeſſarium, poſtulat ab eo commutationem, & ille commutat: iam cauſa eſt finita, & ſententia prolata: quomodo ergo dicitur ſolummodò inchoata? Dicet, quia adhuc non eſt ſubrogata materia. Contrà, quia ſubrogatio materiæ eſt actio minùs principalis in commutatione: quare *in ſuperioribus* docui *diſp.26. num.163.* poſſe Confeſſarium committere alteri, adhuc laïco ſubrogationem materiæ, quod demonſtrat manifeſtè, eam in commutatione eſſe quid minùs præcipuum, & ad eam præſtandam non eſſe opus iuriſdictione, aut poteſtate ſpirituali: igitur cauſa non eſt nuncupanda inchoata ex eo præcisè quòd res minùs principalis, & quæ ex commiſſione præſtari poteſt à laïco, nempè ſubrogatio materiæ, non ſit perfecta.

CAPVT XXXII.

Nonnulla attinguntur circa commutationem votorum.

168 P. Bardi *in Bull. part. tract.7. cap.2. num.182.* docet abſolutè, eſſe commutabilia per Bullam vota ingrediendi Ordines Militares D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ: nam dubitatio quæ verſatur, an ſint propriè Religiones, tollit reſeruationem. Non meminit hic Author, ad tollendam confuſionem, Ordinum eorumdem ſtrictè Regularium. Itaque Ordines Militares includunt Equites, & præterea Clericos Fratres D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ: & hi ſecundi ſunt verè Religioſi in omnium ſententia quare votum ingrediendi hos Ordines, ſiuè virorum, ſiuè fœminarum, reſeruatum eſt, & per Bullam non commutabile, quatenùs ad eos ſecundos attinet.

169 Deinde ipſe Author *ibidem n.171.* ſtatuit, poſſe commutari per Bullam votum arctioris Religionis in votum laxioris. Et rurſùs *num.182.* docet, Ordinem Sancti Ioannis Hieroſolymitani eſſe ſtrictè, ac propriè Religionem. Cui duplici aſſerto, duplicem aliam concluſionem meo iudicio contrariam protinùs tuetur: Nam *ibidem cap.3. num.46.* ait, votum Religionis non poſſe commutari in Religionem Sancti Ioannis Hieroſolymitani. Et *num.48.* affirmat, votum eiuſmodi non poſſe commutari in Religionem, verè talem; ſed collapſam quoad ſubſtantialia, abſque ſpe reformationis. Reſpondeat nunc huic conſequentiæ: Ergo non eſt verùm abſolutè, ſicut ipſe abſolutè, & abſque limitatione generaliter docuit, votum Religionis arctioris poſſe commutari in laxiorem. Sequitur ex poſitis clarè.

170 Conſequentius ergo, poſito primo aſſerto, debet dici, poſſe commutari in Religiones Sancti Ioannis, & aliam collapſam votum arctioris Religionis: nam, quòd hæ ſint laxiores, ſeu valdè laxæ, non obſtat, poſito, eſſe propriè Religiones, & commutationem arctioris poſſe fieri in laxiorem: & in his poteſt ingrediens Deo mancipari, & per obſeruationem votorum, ac Regulæ Deo valdè placere: eſtò ex ſe non ſint adeò aptæ, ac aliæ Religiones. Imò ſufficere commutationem voti in Religiones Militares S. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, & ſimilium, non defuerunt, qui aſſererent: cum pro hoc aſſerto citentur, Nauarrus, & Michaël Medina à Bartholomæo de S. Fauſto *in libro theſauri, lib.1. quæſt.186.* & Baſilius Poncius de Leon referetur à Diana *part.2. tr.16. reſ.38.* Cæterum minùs verè ait P. Bardi *vbi ſuprà*, ſententiam affirmantem, votum Religionis arctionis non poſſe commutari in Religionem collapſam, ex eo ſuaderi, quia illicitus eſt ingreſſus in illam. Etenim ponimus, eam eſſe ſtrictè Religionem, (aliàs dubitatio non eſſet, an votum Religionis poſſet in eam Religionem commutari?) deindè ob eamdem rationem ſupponimus, eiuſmodi Religionem non fuiſſe à Sede Apoſtolica diſſipatam, nec ingreſſum in eam prohibitum Qua igitur ratione ingreſſus in illam eſt illicitus, cum poſſit quis ingredi ſyncero animo obſeruandi vota Religionis, & dicandi ſe Deo, fugiens illecebras carnis, & ſæculi pompam? De prædictis votis & Ordinibus Militaribus latiſſimas diſputationes reperies apud Me *tom. de Ordinibus Militaribus*.

Digitized by Google

171 De praxi commutandi vota tractaui *opere præcedenti, diſp.26. à num.210.* Quam doctè, & fusè exponit P.Bardi *part.2. tr.7. cap.3.* Cuius doctrinam tutò poteſt quilibet amplecti, quia materia, quam in pluribus votis ſubrogandam deſignat, non ſolùm eſt æqualis, vt in commutatione requiritur, verum meo iudicio eſt difficilior, ac grauior, eamque pœnitenti imponere, durum apparet. Exemplum aduerte. Si quis ex commiſſione Pontificis commutet votum Caſtitatis ab aliquo emiſſum, ait hic Author *ibi, n.26.* commutandum fore in ſequentia ſimul ſumpta: Vt vouens maneat obligatus ſub voto ad ſeruandam Caſtitatem coniugalem: vt ſingulis menſibus per totam vitam ſua peccata confiteatur Sacramentaliter, & accipiat Euchariſtiam: vt ſingulis annis per totum vitæ circulum eroget ſtipem ad decem Miſſas celebrandas: vt quotidie, dum vixerit, recitet tertiam partem Roſarij, aut ſeptem Pſalmos pœnitentiales cum Litaniis, & precibus ſequentibus: vt ſingulis hebdomadis, quoad viuat, ieiunet Feria ſexta: additque: *Et quid ſimile:* non disiunctiuè; ſed copulatiuè: ſimile autem erit, vt per totam vitam hebdomadis ſingulis ſemel ſuum corpus cilicio, aut verberatione caſtiget. O rigidum commutatorem! Quis non cenſeat, hæc omnia ſimul ſumpta duriora videri, quam votum Caſtitatis? Leuiori manu, credo, poſſe tutò in praxi procedi?

CAPVT XXXII.

An quis poſſit gaudere priuilegiis Bullæ, ſi eius ſummarium culpabiliter amittat?

172 Opere præcedenti *diſp. 21.* tradidi, neceſſe quidem eſſe, accipere ſummarium Bullæ, ad gaudendum eius priuilegiis: eum tamen, qui iam accepit, eis frui, quamquam culpabiliter ſummarium deperdat, imo rumpat: expoſuique verba ipſius Bullæ, pro qua ſententia retuli Baſilium Pontium *in explicatione manuſcripta Bullæ*, quam in Salmantina Academia docuit.

173 P.Bardi *in Bull. part.2. tr.8. cap.1. ſect. 3.* tuetur, ſi culpabiliter quis amittat Bullam, dum non ſit culpa leuis, non fruiturum eius priuilegiis. Mouetur, quia eſt conditio appoſita in ipſa Bulla, vt accipiatur, & retineatur. Hoc fundamentum eneruaui *loco citato.*

174 Opponit ſibi hic Author, perindè videri amittere culpabiliter, vel inculpabiliter Bullam in ordine ad effectum fruendi eius priuilegiis. Reſpondet, accipientem debere eam ſeruare, & dum culpa ſua reddit ſe impotentem ad ſeruandam illam, non

apponit conditionem requiſitam: ſecùs ille, qui inculpabiliter amittit. Sed contrà primò: quia ea conditio non eſt ſine qua non; ſed per modum conſilij, & ad melius eſſe: atque adeò non amittit priuilegia, qui eam non apponit. Contra ſecundò, quia ſi illa eſt conditio ſine qua non, parùm prodeſt, quòd inculpabiliter non apponatur; ſæpè enim contingit, priuilegium non comparari defectu conditionis inculpabili.

175 Opponit ſibi deinde, hoc ipſo quòd retentio ſit requiſita conditio, cum amiſſione inculpabili adhuc non obtineri finem intentum à Pontifice, nempè ne quis alius vſurpare ſibi præſumat eam Bullam. Reſpondet, materialiter id ita eſſe; ſed non eſſe præſumendum, Pontificem voluiſſe priuare ſine culpa priuilegiati beneficio Bullæ. Contrà, quia ſupponit finem retentionis eſſe, ne quis alius Bullam illam ſibi vſurpet: ergo, ſi quis conſultò diſrumpat Bullæ ſummarium: cum alius vſurpare illud nequeat, poterit gaudere Bullæ beneficio. Contrà ſecundò, quia in aliis priuilegiis, vt in obtentione indulgentiarum, & ſimilibus, ſi deficiat conditio requiſita, adhuc inculpabiliter, priuilegia non obtinentur, nec præſumitur, Pontificem nolle priuare inculpatè non apponentem media exacta beneficio priuilegiorum; cur ergo in præſenti id ſupponatur, ſemel ſtabilito, retentionem ſummarij eſſe requiſitam conditionem? De hac quæſtione redibit iterùm examen *diſput.5. cap.1.*

DISPVTATIO III.

Examinantur aliqua circa ea, quæ ſub Commiſſarij Generalis Cruciatæ poteſtate continentur.

Inſequor methodum P. Franciſci Bardi, cum quo *in hac appendice* diſcepto & quia ille tertiam ſui tomi partem de Facultatibus Commiſſarij Generalis inſtituit, tertiam ego diſputationem ſuper eadem materia contexo.

CAPVT I.

An Commiſſarius Generalis ſuſpendat in Bulla priuilegia, quæ in Iuris corpore ſunt inſerta?

1 Concedit Summus Pontifex Commiſſario Generali Cruciatæ, vt poſſit ſuſpendere omnes facultates, ac gratias, ſimiles, vel diſſimiles, quarum vſus poteſt obſtare acceptioni Bullæ, ſimulque, vt eaſdem reualidare queat. Hanc exercens

poteſtatem Commiſſarius ſuſpendit omnia priuilegia, & facultates reſpectu eorum, qui Bullæ ſummarium non accipiunt, & reſpectu accipientium eas ipſas reualidat.

2 Dubitatur ergo inter Authores, an priuilegia, & facultates in corpore iuris inſertæ ſub eiuſmodi ſuſpenſione comprehendantur? P. Bardi *in Bullam part. 3. tract. 1. cap. 2. n. 4.* diſtinguit priuilegia in qualificata, & non qualificata. Prima vocat ea, quæ habent clauſulam, in qua aſſeritur, non aliter reuocari poſſe, niſi de illis fiat ſpecialis mentio: Secunda, quæ huiuſmodi clauſula non afficiuntur. Ait itaque, priuilegia qualificata in Iuris corpore inſerta non ſuſpendi per Bullam: quia ea habent clauſulam ſuſpenſioni reſiſtentem: at priuilegia non qualificata ſuſpendi: nam cum ſint in corpore iuris, cenſentur non ignorari à Principe; ſed conſeruari in ſcrinio ſui pectoris iuxta *cap. 1. de conſtitut. in 6.* atque adeò iudicatur ſuſpendere illa per prolationem ſuſpenſionis generalis. Addit, per Bullam ſuſpendi etiam conſuetudinem contrariam Cruciatæ: nam conſuetudo, cum ſe habeat tanquam communis lex, quæ per poſteriorem legem contrariam abrogatur, ſic etiam ſuſpendetur per Cruciatam. Conſuetudo cæterùm, de qua loquitur in præſenti Author, debet neceſſariò eſſe ea, quæ aliquid priuilegij contra ius commune introduxerit, quod priuilegium in ipſa Bulla Cruciatæ concedatur: ſi enim non loquatur de hac conſuetudine, non rectè aſſereret, eam ſuſpendi in hac clauſula ſuſpenſiua priuilegiorum, de qua eſt ſermo.

3 Toti huic doctrinæ diſſentio. Et in primis cum pluribus Authoribus ſtatui *in ſuperioribus diſp. 29. à num. 10.* facultates in Iure communi inſertas, abſque vlla limitatione, neutiquam per Bullam ſuſpendi. Nec obſtat ratio Patris Bardi, nam, quòd Princeps eas habeat in ſcrinio pectoris ſui, non ſuadet, eas per clauſulas generales à ſe reuocari, vel ſuſpendi. Quippè non intendit in Bulla ſuſpendere id, quod per Ius commune licet: facultates autem in corpore Iuris inſertæ conſtituunt Ius commune. Illud autem conſtat, quia Bullæ priuilegia eò tendunt, vt ſuppoſito Iure communi, aliqua liceanr, quæ per illud non licebant: non autem infringunt Ius commune, ita vt non liceat, quod per illud licebat. Id manifeſtè cernitur, quia ipſe P. Bardi, & cæteri Authores, dum explicant priuilegia Bullæ, v.g. quæ conceduntur tempore interdicti, & circa vſum ciborum prohibitorum, aut circa abſolutionem: priùs examinant, quid liceat per Ius commune, nempè licere Clericis aſſiſtere diuinis tempore interdicti: abſolui ab omnibus peccatis, adhuc reſeruatis in articulo mortis, & ſimilia: & non aiunt, quidquam ex his quamvis ſit priuilegium, etiam non qualificatum, (cuius qualificationis Authores non meminerunt exponentes Bullam,) ſuſpendi per Bullam: imò è contrario ſtabiliunt, ea omnia abſque Bulla licere: & vlteriùs progrediuntur ad explicandum, quid operentur Bullæ priuilegia, aut quid concedant in Iure communi non permiſſum.

4 Rursùs quod hic Author ait de conſuetudine, omnino eſt falſum; imò contrarium doctrinæ ipſius. Quippè per Bullæ priuilegia, ſicut non ſuſpenditur Ius commune iuxta dicta, ita neque conſuetudo, quæ Iuri communi æquiparatur, ſuſpenditur. Patet hoc: nam priuilegio edendi lacticinia in ieiuniis Quadrageſimæ conceſſo in Bulla eſt ſimilis omnino conſuetudo introducta in aliquibus Prouinciis veſcendi lacticiniis in Quadrageſimalibus ieiuniis, vt introducta eſt in Hiſpaniæ Prouinciis, Aſturica, & in parte Gallæciæ, & in aliis; & tamen hæc conſuetudo non ſuſpenditur per Bullam, vt ipſe P. Bardi fatetur, vbi de cibis prohibitis agit: ideóque abſque Bulla omnes edunt lacticinia in eis Prouinciis, vt nulli non eſt manifeſtum, & ego id nunc teſtor, in Principatu Aſturico reſidens cum hæc exaro. Idemque prorsùs de aliis conſuetudinibus eſt conſtans: ergo nulla conſuetudo ſuſpenditur per Bullam. Vel dicat P. Bardi, quæ conſuetudo ſuſpendatur per clauſulam ſuſpenſiuam à Commiſſario Generali præfixam: Nam ſi de alia conſuetudine diuerſa à præfatis loquatur, non aptè aſſerit, eam ſuſpendi per clauſulam prædictam, quæ ſolùm tendit ad ſuſpendendum, & reualidandum omnes gratias, facultates, ac priuilegia ſimilia, aut partim diſſimilia his, quæ in ipſa Bulla Cruciatæ continentur, eo quòd eorum vſus obſtaret expeditioni Cruciatæ, & eleemoſynæ ex acceptione Summarij comparandæ, ſi abſque Bulla poſſet eſſe vſus aliorum priuilegiorum, & gratiarum.

CAPVT II.

An priuilegia Regularium in ordine ad ſæculares ſuſpendantur per Bullam Cruciata?

5 IN ipſa Bulla declaratur, non ſuſpendi indulta Religionum Mendicantium quoad ipſos Religioſos. Cæterùm inquiritur, an facultates, quas habent Religioſi eiuſmodi ex conceſſione facta toti Religioni, vt abſoluant ſæculares à certis caſibus, vt vota eorum determinata commutent, & indulta ſimilia, ſuſpendantur per Bullam Cruciatæ? Non ſuſpendi, tutatus ſum cum non

Digitized by Google

non paucis Authoribus *opere præcedenti diſp. 29. à n.63.* atque adeò ſæculares non indigere Bulla, vt ea obtineant: quippè ea priuilegia non fuere conceſſa in fauorem ſæcularium: ſed ipſorum Regularium, atque adeò, cum à ſuſpenſione facultatum excipiuntur priuilegia conceſſa Ordinibus Mendicantibus, ea etiam excepta intelliguntur. Quod aſſertum latiùs *ibi* proſecutus ſum, & illud à contrariis argumentis vindicaui.

6 P. Bardi *in Bull. part. 3. tr. 1. c. 4. ſect. 1. num. 10.* tenet, æquè probabilem eſſe contrariam ſententiam, ac noſtram. Deindè verò *ſect. 2. n. 21.* abſolutè defendit, ſuſpendi per Bullam priuilegium conceſſum quibuſdam Ordinibus Regularium, per quod poſſunt in aliqua ſolemnitate, non obſtante interdicto, pulſare campanas ad populum in Eccleſia congregandum, adminiſtrare Sacramenta, & mortuos ſepelire. Probat, quia ſuſpenſio in Bulla appoſita eſt generalis, omniaque indulta comprehendit.

7 Quoad primum non diſputo, vtrum ſit æquè probabilis ſententia oppoſita, ac noſtra, ſanè meo iudicio probabilior noſtra, veriorque eſt. Iudicent id docti, expendentes fundamenta pro vtraque: & legantur dicta *loco relato.*

8 Quoad ſecundum, inconſequentia P. Franciſci Bardi præ oculis eſt: Etenim, ſi ipſe iudicauit priuilegia Religionum in ordine ad ſæculares ſuſpendi, eſſe probabile: & eſſe æquè probabile, non ſuſpendi: id ipſum tenebatur ſaltem aſſerere de priuilegio pulſandi campanas in aliqua ſolemnitate tempore interdicti: Quomodo ergo abſolutè, vt certum, ſtatuit, hoc priuilegium ſuſpendi? Dixi *ſaltem*, quia in hoc priuilegio maior militat ratio, vt non ſuſpendatur, quàm alia: nam alia proximè, & immediatè obtinentur à ſæcularibus, qui abſoluuntur, aut quorum vota commutantur: hoc verò non ita proximè ad eos ſpectat; ſed ad decentiam, ſplendoremque ipſarum Religionum, ſcilicèt vt diebus, quæ ab ipſis feſtiuius celebrantur, ſolemnitas pulſandi campanas non deſideretur, ſiuè ſæculares ad templa ipſorum accedant, ſiuè non: cum ſæpiſſimè pulſentur, quin ideò ſit frequens concurſus.

9 Deinde in nulla Religione id obſeruatur, vt propter interdictum à pulſatione campanarum, & à publica ſacrorum celebratione in diebus feſtiuis, & propriis ceſſent, vt cum Fundatorum feſtiuitates, aliaſque ſimiles celebrant: quod quotidie cernimus. Quòd ſi aliqui ad id poſcant ab Ordinario beneplacitum, non illud præſtant, quia iudicent, priuilegium ſuorum Ordinum eſſe per Bullam ſuſpenſum; ſed ne Ordinarius offendatur. Quod in noſtræ Societatis priuilegiis etiam præcauetur, vt conſtat ex compendio priuilegiorum, *verbo Interdictum, §. 5. poſt finem, & §. 7. etiam poſt finem.*

10 Demùm nullum priuilegium per Bullam ſuſpenditur, quod per acceptionem illius non reualidetur: ergo hoc priuilegium pulſandi campanas, ſi ſuſpenditur per Bullam, per ipſam reualidabitur. Neceſſariò concedet conſequentiam hic Author. Iam ergo deſignet, quis ſit accepturus Bullam, vt tempore interdicti diebus feſtiuis campanæ pulſentur. An Superior Domus? an ſacriſta, ſeu pulſator campanarum? an omnes Religioſi in ea Domo commorantes? an demùm ſæculares acceſſuri ad Eccleſiam? Non facilè deſignabit; ſed nec verè, quemcumque deſignet: ergo.

11 Probatur, quippè vt priuilegia conceſſa Regularibus in Ordine ad ſæculares reualidentur, non eſt neceſſe, vt ſimul Regulares, & ſæculares Bullam accipiant, etiam in ſententia aduerſantium, & Patris Bardi; ſed dumtaxàt ſæculares. In præſenti autem caſu, cum pulſatio campanarum præcedat aduentum ſæcularium ad Eccleſiam, imò poſſit ea dari, quin vllus ſæcularis poſteà adueniat, non poteſt confugi ad acceptionem Bullæ per ſæculares, vt reualidetur id priuilegium. Deindè, quòd vnus, vel alter Religioſus accipiat Bullam, parùm proderit, cùm non pulſentur campanæ nomine vnius, vel alterius; ſed totius Communitatis: Communitas autem Bullam nequit accipere, quæ perſonis, non Communitatibus, indulgetur. Nec omnes Religioſi ad id erant cogendi, vt Bullam acciperent: tum quia eſſet graue onus: tum quia Bulla accepta ab vnoquoque ſolùm reualidaret priuilegia conceſſa ipſi, non verò conceſſa Communitati ad pulſandum campanas. Non video, quo pacto eſſet hoc priuilegium per Bullam reualidandum.

CAPVT III.

An Commiſſarius Generalis diſpenſare valeat in irregularitate proueniente ex bigamia ſimilitudinaria, & ex iuris fictione, ac in aliis?

12 POſſe Commiſſarium Generalem diſpenſare in eiuſmodi bigamia, defendi *opere præcedenti diſput. 37. num. 61.* Contrarium iudicat verius P. Bardi *p. 3. tr. 2. cap. 1. ſect. 2. num. 13.* & omiſſa aliorum ratione, id indè ſolummodò probat: *Quia tali impedimento detenti, antequam ad Ordines promoueantur, recurrunt ad Papam, vt cum ipſis diſpenſet.* Loquitur expreſsè de

de bigamia interpretatiua, cuius declarationem appoſuerat *initio num.* 12. ſcilicet, ſi quis contrahat cum duabus fœminis matrimonium, validè cum vna, inualidè cum altera, vel cum vtraque inualidè.

13 Probatio, qua vtitur hic Author, videtur ſupponere vſum quotidianum, aut frequentem recurrendi ad Pontificem pro diſpenſatione in præfato euentu: nam aliàs nihil conuincet: ſiquidem indè dumtaxat poterat ſuaderi eius aſſertum, quia nullus ad Commiſſarium pro ea diſpenſatione recurrebat, cum ſæpè ſeſe offerrent caſus petendi illam. Quòd enim in vno, vel alio euentu raro ad Pontificem, non ad Commiſſarium confugiatur, non ſuadet, in Commiſſario non eſſe facultatem diſpenſandi. Quo poſito, vellem cognoſcere à P. Bardi, an ſæpè eueniant hi caſus: quòd quis contrahat cum duabus ſimul nuptias & poſtmodùm Ordinibus ſacris initietur? Credo, nullum, aut rarum caſum huiuſmodi dari, aut ſaltem non eſſe adeò frequentem, vt indè vſus, ac experientia firment aſſertum huius Authoris. In Hiſpania noſtra audiui, non paucos has nuptias contraxiſſe temporis tractu, & ſimul à Sanctę Inquiſitionis Tribunali acriter fuiſſe punitos, & audiui, & vidi: at illos de ſuſceptione ſacrorum Ordinum agere, nunquam agnoui. Neſcio an in aliis Regnis id frequenter contingat. Attamen, quamvis illi pro diſpenſatione Pontificem adeant, iſtud non probat defectum poteſtatis diſpenſandi in Commiſſario, ſed vel ignorantiam in ipſis eiuſmodi poteſtatis, vel commodum aliquod in adeundo Pontificem potiùs, quam commiſſarium.

14 Addit P. Bardi *ibidem num.* 20. in nulla iregularitate ex his, in quibus aliundè valet diſpenſare Commiſſarius Generalis Cruciatæ, poſſe, quando delicta, ex quibus oriuntur, patrata ſunt in contemptum clauium. Probat, quia licèt in Bulla reſtrictio iſta apponatur contra eos, qui, dum aliqua cenſura ſunt innodati, celebrant ſacrum, aut diuinis ſe immiſcent, tamen hoc ipſum eſt extendendum ad alia delicta ex contemptu commiſſa, quia motiuum æquè ſe habet ad omnia: eſt enim punire eos, qui ex contemptu Dei, aut Eccleſiæ operantur.

15 Sed contrà: quia ea reſtrictio eſt odioſa, vt ex ſe conſtat: ergo non eſt extendenda, aut amplianda; ſed reſtringenda: maximè cum ab ipſo Pontifice ſolùm apponatur contra eos, qui innodati cenſura celebrant, aut diuinis ſe immiſcent, quos voluit ampliùs, quàm cæteros, quoad hoc punire. Et in his, quæ ſunt iuris poſitiui, maximè dum ſunt odia, non eſt attendendum ad motiuum militans æquè in vno caſu, ac in alio, vt pœna appoſita vni dumtaxat extendatur ad aliud. Contrà ſecundò, quia reſtrictio prædicta apponitur priuilegio importanti poteſtatem diſpenſandi in Commiſſario: at iuxta doctrinam P. Bardi relatam *in hac appendice diſp.* 1. *cap.* 1. priuilegia Bullæ inuoluentia poteſtatem diſpenſandi amplè interpretanda ſunt, quamvis ſtrictè cætera: ergo priuilegium hoc diſpenſandi in irregularitatibus amplè eſt interpretandum, & conſequenter reſtrictio illa, quæ poteſtatem limitat, ſeu minuit, non eſt extendenda: nam reſtrictio ampliatur, poteſtas reſtringitur.

16 Inſuper ipſe Author *ſect.* 3. cum ſtatuiſſet *num.* 25. Commiſſarium Generalem poſſe diſpenſare in irregularitatibus cum Regulari exempto, quamquam hic à ſuo ſuperiore licentiam non popoſcerit: illicò aſſerit *num.* 26. Regulares Societatis Ieſu non poſſe ſine ſuperiorum ſuorum licentia obtinere prædictam diſpenſationem à Commiſſario, eo quòd illis ſit prohibitum à Gregorio XIII. vti facultatibus Bullæ Cruciatæ, niſi iuxta ſuorum ſupèriorum diſpoſitionem. Contrarium eſt tenendum: nam, vt tradidi *in hac appendice diſp.* 1. *à num.* 46. ea prohibitio tendit ad vſum Bullæ in ordine ab abſolutionem à caſibus reſeruatis: vel ſi in ordine ad alia, ea tamen, quæ ad confeſſionem ſpectant, cuiuſmodi non eſt hæc diſpenſatio. Prætereà Regularis petens hanc diſpenſationem non vtitur Bulla Cruciatæ; ſed adit eum, qui poteſt cum illo diſpenſare ex vi facultatis ſibi à Pontifice commiſſæ: ergo hoc non prohibetur ei, dum interdicitur vſus Bullæ Cruciatæ.

CAPVT IV.

An inceſtuoſus poſſit in aliquo caſu exigere debitum ab vxore ſine diſpenſatione.

17 Commiſſarius generalis Cruciatæ habet poteſtatem diſpenſandi cum coniuge, qui copulam illicitam patrauit cum conſanguinea ſuæ vxoris in primo, aut ſecundo gradu, (ex qua copula oritur impedimentum affinatis cum vxore impediens petitionem debiti coniugalis, non redditionem,) vt poſſit petere debitum ab vxore. Idem dicito de vxore, reſpectu mariti, ſi vxor inceſtum commiſerit cum conſanguineo mariti vſque ad ſecundum gradum: nam per inceſtum in tertio, & quarto gradu non impeditur debiti petitio.

18 Huius facultatis occaſione P. Bardi *in Bul. p.* 3. *tr.* 3. *c.* 5. *nu.* 1. inquirit, an inceſtuoſus poſſit petere debitum à propria vxore in aliquo euentu abſque diſpenſatione? Et *num.* 4. ait, ſi inceſtuoſus, licèt non ignoret ius naturale, & diuinum prohibens copulam cum affini, ignoret tamen legem Eccleſiaſticam prohibentem,

Digitized by Google

hibentem, poſſe tunc petere debitum: nam ignorans legem excuſatur à culpa & conſequenter à pœna non petendi debitum. Vlterius inquit, ſi inceſtuoſus nōn ignoret legem Eccleſiaſticam prohibentem; ignoret tamen prædicta pœnam à lege præfixam, poſſe etiam abſque diſpenſatione petere debitum: quia; licèt non ſit de ratione pœnæ in vniuerſum, vt ad illam incurrendam habeatur ſcientia de illa, at hoc militat in pœna ordinaria, non autem in extraordinaria, & graui, qualis eſt priuatio iuris ad debitum petendum.

19 Doctrinæ huic aſſentire non valeo. Etenim ex copula illicita cum conſanguinea vxoris vſque ad ſecundum gradum reſultat impedimẽtum affinitatis, quod reſpectu aliarum fœminarum, quæ ſint conſanguineæ vſque ad eum gradum, illius fœminæ inceſtuoſæ, impedit matrimonium huius viri, qui copulam habuit, & dirimit illud, ſi contrahatur poſt copulam habitam abſque diſpenſatione: reſpectu autem vxoris cum impedimentum hoc nequeat operari matrimonij nullitatem, nec ob culpam mariti debeat priuari vxor ſuo iure petendi debitum, & cogendi, vt ſibi reddatur, hinc eſt, vt nihil aliud operari poſſit, quàm impedire marito petitionem debiti.

20 Hinc cernitur, non obſtare ignorantiam, quominùs contrahatur hoc impedimentum, vt impedimentum eſt formaliter: vt ſic enim præſcindit à ratione pœnæ, (vt videre eſt in aliis impedimentis,) eſtò dicatur, & ſit pœna ea priuatio iuris, quæ eſt effectus huius impedimenti. Conſtat hoc, nam cætera omnia impedimenta contrahuntur, quantumvis ignorentur, etſi habeant rationem pœnæ: ſic qui ignorat per homicidium contrahi impedimentum ad ſuſcipiendos Ordines, & ad vtendum ſuſceptis, ſi perpetret homicidium, contrahit irregularitatem, quæ & eſt pœna delicti, & inhabilitas ex defectu lenitatis orta. Sic etiam in caſu præſenti ille maritus ignorans prohibitionem legis Eccleſiaſticæ, ſi poſt copulam præfatam vxor moreretur, non poſſet contrahere matrimonium cum conſanguinea vſque ad ſecundum gradum illius fœminę, cum quà copulam habuit, abſque diſpenſatione; pariter ergo non poterit petere ab vxore debitum abſque diſpenſatione. Idem enim, quod operatur ea illicita copula quoad nuptias cum conſanguinea vſque ad ſecundum gradum, operatur quoad petitionem debiti ab vxore, & ſicut ignorantia legis Eccleſiaſticæ non reddit licitas eas nuptias abſque diſpenſatione, ſic non reddit licitam abſque diſpenſatione petitionem debiti, vbi primùm maritus impedimentum à ſe contractum agnouerit.

21 Difficilius adhuc eſt, quod additur à P. Bardi de ignorantia pœnæ, licèt non ignoretur lex Eccleſiaſtica prohibens. Primò, quià ſupponit, ex copula præfata illicita non reſultare impedimentum; ſed ſolùm poſſe ſuboriri exindè pœnæ reatum: quod falſum videri, *nuper* oſtendimus. Secundò: nam, ſi aliæ pœnæ ordinariæ incurruntur, quamvis ignorentur, cur hæc non incurratur? Aut vnde probatur, hanc inter pœnas ordinarias non eſſe recenſendam, cum non vna, ac eadem pœna ſemper in legibus Eccleſiaſticis apponatur ſed grauior, vel leuior iuxta qualitatem delicti? Et quidem inceſtus cum conſanguineà vxoris in primo, & ſecundo gradu delictum eſt ex grauioribus, cui correſpondere debebat pœna non leuis. Hinc, cum Pontifex diſpenſat in impedimento inceſtus, (iuxta vſum Curiæ Romanæ) præcipit Officiali Diœceſis, cui diſpenſationem committit, vt antequam diſpenſet, inceſtuoſos ſeparet, & præcipiat, vt tribus menſibus Eccleſiæ, aut xenodochio inſeruiant, aliaſque pœnitentias imponat ob delictum inceſtus, & deinceps diſpenſet, vt matrimonio copulentur. Vnde cernitur, non leuiter per iudices, ac leges Eccleſiaſticas hoc delictum ſolere puniri, nec cenſendam eſſe extraordinariam pœnam priuationis petendi debitum attenta qualitate culpæ.

22 Quid? quod aditus aperitur, vt ignorantes pœnas Eccleſiaſticas ferè nunquam illas incurrant, cum maneat diſputationi obnoxium, àn quælibet cenſenda ſit ordinaria, vel extraordinaria; nec etenim præfixum eſt eſt, quænam ſint ordinariæ, quænam extraordinariæ: & aliundè plures ignorant pœnas legibus ſtatutas. Dicendum ergo eſt, prædictum inceſtuoſum, adhuc ignarum pœnæ dum eam nouit poſt inceſtum patratum, non poſſe abſque diſpenſatione petere debitum ab vxore: & ita docet P. Th. Sanch. *lib. 9. de matrim. diſp. 32. num. 21.*

CAPVT V.

Vtrùm bona debita domino longè diſtanti poſſint per Bullam compoſitionis componi?

23 P. Franciſcus Bardi *in Bul. p. 3. tr. 5. diſſert. 1. c. 1. ſec. 1. num. 17.* proponit dubium, an bona debita domino certo; ſed longiſſimè diſtanti, poſſint per Bullas componi? Et poſt relatas aliquas ſententias ait probabiliorem, & Iuri conformiorem eſſe ſententiam aſſerentem non poſſe componi. Probat: quia ea ſunt debita certa, ergo Bulla ad ea neutiquam ſe extendit. Quapropter adiungit, ſi nulla detur ſpes, quòd bona valeant ad dominum certum peruenire, ea pauperibus eſſe eroganda.

24 Oppoſitum ſtatui *in ſuperiori opere, diſp. 33. ànu. 25.* Impugnaturque fundamentum

tum ab hoc Authore allatum. Iuxta ipſum ea bona debentur pauperibus, ſi non ſit ſpes, quòd ad dominum ſint peruentura; ſed Bulla compoſitionis prodeſt pro omnibus bonis, quæ ex reſtitutione debentur pauperibus: ergo Bulla ſe extendit ad bona, quæ debentur domino certò valdè diſtanti, & indè pauperibus, eoquòd ei nequeant reſtitui. Conſequentia eſt euidens. Maior eſt doctrina Patris Bardi. Minorem ſtabliui *in ſuperioribus loco citato*, nec ſunt ibi dicta repetenda ſed recolenda.

25 Itaque, quando bona ex vi obligationis ad reſtituendum ſunt conferenda pauperibus, ſubeunt naturam bonorum incertorum: aliàs eis non forent reſtituenda; atque adeò Bulla ſe ad ea extendit, vtpotè ad bona incerta, ſeu ad bona quorum iam Pontifex eſt adminiſtrator, cum talis ſit reſpectu omnium bonorum, quæ pauperibus debentur: vnde ea componere valet, & compoſitionem faciendam Commiſſario generali Cruciatæ delegat. Quare aſſumptum huius Authoris aſſerentis, ea eſſe bona certa, dupliciter diſtingui poteſt: primò, eſſe bona certa materialiter, quatenùs noſcitur, cuius ſunt: non formaliter, quatenùs non eſt ſpes, vt perueniant ad dominum: indeque affirmandum eſt, id ſufficere, vt Bulla compoſitionis ſe ad illa extendat. Secundò, eſſe quidem bona certa, ſed non debita hic, & nunc domino; ſed pauperibus: ac adeò Bullam ſe ad illa extendere.

26 Confirmatur ex doctrina ipſius P. Bardi, quam *eodem numero*, neſcio, an conſequenter tuetur. Quippè docet, caſu, quo dominus certus longè diſtans è viuis deceſſerit, aut tranſactum ſit tantum temporis, vt prudenter iudicetur, obiiſſe, & hæredes non compareant, facta diligentia, tunc poſſe bona illi debita componi, quin pauperibus erogentur, quia dominus, ſeu hæredes ſunt incerti. Etenim inquiro, hæc diligentia, mortuo domino, aut facienda eſt in Prouincia illa valdè diſtanti, vel non? Si ſecundum: res manet in eodem ſtatu, ac priùs erat, cum certum ſit, hæc bona pertinere ad hęredes illius domini, de quibus, in loco, vbi obiit, erit ſufficiens notitia, aut poterit fieri diligentia, qua noſcantur. Materialiter autem ſe habet, quòd hæredes nuncupentur Petrus, aut Franciſcus. Sicut ergo in hoc euentu poſſunt bona hæredi debita componi, quin neceſſe ſit, ea erogari pauperibus: ſic & poterunt, quando debentur primo domino, ſi quidem ille cum hærede quoad hoc eamdem perſonam conſtituit.

27 Si primum dicitur, nempè priùs, quam bona per Cruciatam componantur, faciendam eſſe diligentiam in Prouincia, vbi dominus obiit, pro hæredibus requirendis, caſus deſtruitur, aut redditur metaphyſicus. Quippè, ſi hæc diligentia poteſt fieri, pariter etiam poſſet ad dominum reſcribi ante obitum, vt de illis bonis diſponeret: quod Parochus, aut alter Confeſſarius, vel vir alius non ſuſpectus potuiſſet præſtare: ſupponit autem caſus, hoc non poſſe fieri, aut ſummè difficulter: ergo nec poterit ea diligentia adhiberi. Rurſus facta inquiſitione hæredis, & poſt cognitionem perſonæ, quæ domino in hæreditate ſucceſſit, res etiam remanet in ſtatu priori: &, ſicut priùs non erat ſpes, vt ad dominum ea bona peruenirent, ſic nec erit, vt ad hæredem, ſi in eadem Prouincia longinqua commoretur, perueniant, atque adeò, ſi tunc, cognito hærede, qui eſt dominus certus, poſſint ea bona per Bullas componi, ob difficultatem tranſmittendi illa, cur non poſſint, antequam obeat primus dominus?

28 Fateor caſu, quo dominus primus obiiſſet, & hæredem relinqueret aliquem, qui qui non in ea Prouincia, aut Regno diſtantis ſed in vicino, aut proximiori commoraretur, bona illa reſtituenda fore hæredi, nec locum eſſe compoſitioni. Attamen, dum de obitu primi domini non conſtat, nec eſt prudens, aut moralis certitudo, non poteſt differri reſtitutio, vſque dum obeat, & agnoſcatur, an hæredem in proximiori loco relinquat; ſed, ſi ad illum bona trāſmitti nequeunt, quàm primùm facienda eſt reſtitutio, aut compoſitio.

CAPVT VI.

An princeps ſæcularis poſſit diſponere de bonis incertis? Et vindicatur Eminentiſſimus Cardinalis Lugo ab impugnatione Patris Bardi.

29 EGi de hoc, & aliis ſimilibus dubiis, *opere præcedenti diſputat* 32. *à nu*. 30. Nunc ſolùm intendo doctrinam Patris Bardi circa hoc quæſitum examinare, quæ niſi fallor, implexa, & ſubobſcura eſt. Igitur *part*. 3. *tractat* 5. *diſertat*. 1. *cap*. 2. *ſect*. 1. *num*. 5. proponit præſens quæſitum. Et *num*. 8. docet poſſe in publicam vtilitatem: ſolùmque id limitat, niſi à Pontifice prohibeatur. Poſteà ait Pontificem prohibuiſſe id circa bona incerta habita ex delicto, ſtatuentem per ſacros Canones, quid ſit de his bonis agendum. De bonis autem incertis non adquiſitis ex delicto fatetur, nihil à legibus Canonicis diſponi; ſed extare antiquiſſimam conſuetudinem, vt piis operibus applicentur in bonum ſpirituale domini incerti, & cum cauſa ſit ſpiritualis, eam ad claues Eccleſiæ, ac ſupremum Paſtorem ſpectare. Et concludit ſectionem: *Perſiſto in concluſione poſita, per quam dixi, non poſſe à Principe temporali ſuper huiuſmodi bona compoſitionem cum debitoribus fieri, & hoc pertinere ad Pontificem.*

30 Non-

Digitized by Google

30 Non video, in qua concluſione poſita perſiſtat hic Author; nam concluſio expreſſa fuit, poſſe Principem ſæcularem diſponere de bonis incertis in publicam vtilitatem, niſi à Pontifice prohibeatur, (præſcindimus enim nunc à prohibitione in fauorem Cruciatæ facta, & quæſtio eſt generalis, ad loca etiam, in quibus Bulla non viget:) & rurſus affirmauit, per leges Canonicas non prohiberi diſpoſitionem de bonis incertis non habitis ex delictis: ergo de his Princeps diſponere poteſt. Quomodo ergo perſiſtit in hac concluſione, cum contrariam ſuiungit id ad Pontificem dumtaxàt pertinere aſſeuerans?

31 Si dicat, quia conſuetudo inualuit, vt piis operibus ea bona applicentur. Contrà primò, quia debuiſſet hanc etiam limitationem primo aſſerto ſubnectere, ſcilicèt poſſe Principem ſæcularem de bonis incertis diſponere, niſi conſuetudo reſiſtat, Quam limitationem non appoſuit in ſuæ concluſionis prolatione. Contrà ſecundò, nam hæc conſuetudo non probatur, ſed gratis ſupponitur, cum potius ſit conſuetudo contraria; quare bona incerta, ſeu dominum certum non habentia Fiſco applicare ſolent miniſtri Regij; ſi iuriſdictionem aliorum præueniant Et de bonis defuncti ab inteſtato decedentis, hæredibus conſanguineis orbati, (quæ bona iam ſunt incerta,) eam applicationem ſolere fieri, aut curari, me vidiſſe teſtor, adhuc in Hiſpania, vbi Cruciata viget. Contrà tertiò, quia, etſi conſuetudo illa detur, quæſtio præſens procedit, attentis naturis rerum, præſcindendo ab extrinſecis, quæ vſum poteſtatis in Principe impediunt: dari ergo valet illa poteſtas in Principe; ſed non proximè expedita, vtpotè ſi ſit lege, aut conſuetudine præoccupata: quare non rectè aſſertum contrarium apponitur, ſcilicèt in ſolo Pontifice eiuſmodi poteſtatem reſidere. Aut ſaltem hoc aſſertum non cohæret cum primo.

32 Proponit P. Bardi *in præſenti num 5.* ſententiam Eminentiſſimi Cardinalis Lugo *tom. 1. de iuſt. diſp. 21 ſect. 7.* cumque poſteà *n. 8.* impugnat: atque vt nullam vim in impugnatione eſſe, conſtet in gratiam eximij Cardinalis, tranſcribam verba huius Authoris, Ait: *Cardinalis autem de Lugo conſiderat illa bona in duplici ſtatu: primo, quando adhuc eſt ſpes illa reſtituendi vero domino, & quandiu ipſe dominus non vult, quòd in vſus pios diſtribuantur: ſecundò, quando non eſt talis ſpes, & per conſequens, quando dominus præſumitur velle, quòd in eius vtilitatem ſpiritualem expendantur, & applicentur vſibus piis. In primo ſtatu, quia bona prædicta non ſunt adhuc ex volontate domini deſtinata ad vſus pios, ait, poſſe à Principe ſæculari, facta priùs debita diligẽtia ad inueniendũ dominum, de illis compoſitionem fieri; at in ſecundo ſtatu non poſſe: nam diſpoſitio circa bona deſtinata ad vſus pios ſpectat ad Eccleſiam.*

33 Impugnat autem Pater Bardi Cardinalem noſtrum ſic: *Diſtinctio tamen illa, quam ponit Cardinalis de Lugo, magnam habet difficultatem: nam ex ea ſequitur, numquam compoſitionem fieri poſſe à Principe laico, quod eſt contra ipſum Cardinalem. Dico igitur, vel eſt ſpes, vt bona illa vero domino redire queant vel non eſt ſpes? Si primum: nequeunt bona condonari ipſi debitori, neque applicari operibus piis, quia hoc eſſet aperta iniuſtitia: tolleretur enim ius, quod verus dominus habet in talia bona. Si ſecundum: fatente ipſo de Lugo, non poterit Princeps ſæcularis de illis bonis diſponere, nam de eis Eccleſia tantùm diſponere poteſt.*

34 Præmiſerat Pater Bardi, opinionem Cardinalis Lugo à ſe fideliter eſſe relatam, Conſtabit autem, id ita non eſſe, & quia non retulit omnia ab eo aſſerta, ideò impugnatio non eneruat opinionem, quam docet Cardinalis, ſed quam refert hic Author. Quippè Cardinalis loquens de bonis in primo ſtatu conſideratis hæc habet *num. 109. In primo ſtatu, quia bona adhuc non ſunt ex voluntate dominorum deſtinata ad vſus pios, poteſt Princeps ſæcularis pro cura temporalis gubernationis; quam habet, & ex præſumpta etiam voluntate dominorum aſſignare aliquam perſonam, quæ eorum bona retineat, & procuret dominum inuenire, dato eis perſonis pro tali cura iure ad adquirenda poſteà illa bona, ſi dominus non compareat: nam totum hoc ſi debito modo executioni mandetur, videtur eſſe in vtilitatem temporalem creditoris, & domini, qui ſæpè hac viâ bona ſua recuperabit.*

35 Ecce manifeſtò nihil horum retulit P. Bardi, cum recenſeret ſententiam Cardinalis, quæ ſic conſtituta longè alia eſt ab ea, quæ ab hoc affertur Authore, vt legenti conſtabit. Deinde apparet clarè inefficacia impugnationis. Nam vbi eſt aperta iniuſtitia? Quod ius à domino tollitur in ſententia Cardinalis? Imò potiùs valdè præcauetur idipſum: cum non concedat Principi ſæculari facultatem, vt illicò ea bona applicet alicui; ſed, vt deſignet aliquem, qui diligentiam adhibeat pro vero domino inueniendo, & non aliter applicet, niſi poſtquam, adhibita diligentia, dominus non comparuerit. Quod quidem adeò abeſt ab iniuſtitia domino vero irroganda, vt potiùs inueſtigata fuerit via ad reſtituendum ea bona, & non tollendum ius à domino, nec irrogandum iniuſtitiam contra ipſum. Quare expreſsè addit Cardinalis hoc pacto ſæpè dominum ſua bona recuperaturum, quæ aliis viis forſitan non recuperaret.

36 Itaque, dum ſpes datur. vt dominus compareat, non aſſerit Cardinalis, poſſe Principem ſæcularem de bonis diſponere, (& hoc impugnauit dumtaxat Pater Bardi) ſed poſſe com

Digitized by Google

committere alicui perſonæ, vt dominum ſedulò inquirat quo non comparente, propter laborem, ac induſtriam ab eo adhibitam, & propter alias cauſas publicam vtilitatem concernentes, poſſe Principem ei applicare bona prædicta. Contra hoc aſſertum, fateor, aliundè poſſe argui, & fortaſſe ex doctrina ipſius Cardinalis, hoc tamen nunc à meo eſt inſtituto alienum: id ſolummodò contendo impugnationem Bardi fore eneruem, eumque finxiſſe hoſtem, quem feriret.

CAPVT VII.

An recitans Horas Canonicas diſtractus voluntariè teneatur reſtituere fructus perceptos?

37 NOn teneri, docent Malderus 2. 2. *tract.* 10. *cap.* 2. *dub.* 4. Cadinalis Toletus, Medina, Corduba, Henriquez, & probabile cenſent Azor, Leſsius, Layman, & cum non paucis Diana, quos refert P. Bardi *in Bul. part.* 3. *tract.* 5. *diſſertat.* 2. *cap.* 3. *ſect.* 2. *num.* 11. Et indè clarè infertur, eum non indigere compoſitione per Bullas.

38 Ipſe P. Bardi *num.* 12. tuetur, contrariam ſententiam eſſe amplectendam, vt veriorem, ac tutiorem: atque adeò beneficiarium ſic recitantem debere reſtituere partem fructuum ab Authoribus deſignatam, ac conſequenter poſſe componi per Bullas, ſeruata formula ad hanc compoſitionem præſcripta. Suadet aſſertum ex eo, quòd Eccleſia dum præcipit recitationem Horarum, non præcipit ſolùm illam lectionem Officij Canonici; ſed orationem, per quam Deus colatur: oratio autem cum voluntaria diſtractione non ſubſiſtit: & hoc, ait apertè colligi ex *cap. Dolentes de celebrat. Miſſar.* vbi imperatur, Officium diuinum attentè recitari. Addit, Eccleſiam poſſe imperare indirectè actus internos, vt circunſtantiam, ſeu formam actus externi: & attentionem eſſe circunſtantiam, aut formam orationis externæ vocalis: quod confirmat à paritate actus interni doloris, qui indirectè ab Eccleſia præcipitur, cum præcipitur annua confeſſio.

39 Rigida profectò hæc opinio videtur, & fortaſſe ex ea fragiles in laqueum incidant peccati, dum reſtitutionem retrectant. Quòd ſi contraria ſententia eſt ſaltem probabilis, indeque tuta in praxi, ille laqueus reſcinditur, dum reſtitutionis obligatio non imponitur. Probabilem verò eſſe, ac in praxi tutam, (ne dicam probabiliorem,) ſuadetur primò quia ſaltem authoritas extrinſeca eam reddit probabilem, cum illam tueantur Authores grauiſſimi, aliique iudicent probabilem, quos ſuprà retuli, & ab ipſo Patre Bardi laudantur: & prætereà eam teneant alij, quos citat Leander de Sacramento *tom.* 2. *de Sacrament. tract.* 6. *diſput.* 13. *quæſt.* 13.

40 Secundò, quia valde probabile eſt, ac in praxi tutum, ſatisfieri præcepto Eccleſiaſtico auditionis ſacri, audiendo illud cum voluntaria diſtractione interna, ſeu abſque interna attentione, vel deuotione. Id enim defendunt Cardinalis Lugo *tom. de Euchariſtia diſp.* 22. *ſect.* 2. *num.* 27. P. Gaſpar Hurtado *de ſacrif. Miſſa diſp.* 5. *diffic.* 2. Durandus, Sylueſter, Paludanus, D. Antoninus Angelus, Roſella, Gabriel, Piſana, Ægid. Dicaſtillo, & alii, quos refert Leander de Sacramento *tom. in præcepta Eccleſiæ. tr.* 2. *diſp.* 1. *quæſt.* 66. & alij allati à Me *in ſtatera opinionum benignarum, diſſert.* 7. *quæſt.* 3. *ex num.* 47. ergo ſimiliter ſatisfiet præcepto Eccleſiaſtico recitandi Horas Canonicas, recitando illas modo humano, etiam ſi non adſit attentio interna.

41 Scio, aliquos ex Authoribus *nuper* relatis plus attentionis requirere in recitatione Horarum, quàm in auditione Miſſæ; ſed meo iudicio, inconſequenter: parem enim rationem vtrobique conſpicio. Nam ideò neceſſaria apponitur ab Authoribus contrariis attentio interna in Horarum recitatione, quia hæc præcipitur per modum orationis, cuius circunſtantia, aut forma eſt eiuſmodi attentio; ſed etiam auditio Miſſæ præcipitur per modum orationis: nempè vt audiens Miſſam ſciat, ſe eſſe ante Dei conſpectum, & ad res diuinas attendat: quare Leander *vbi nuper* ait, eadem ratione probandum eſſe, requiri attentionem internam ad auditionem Sacri ac ad recitationem Horarum: igitur par vtrobique militat ratio.

42 Quid? quòd aliquis poſſet forſan contendere, hæc duo inter ſe cohærere: peccari grauiter recitando Horas Canonicas cum voluntaria diſtractione, & non dari obligationem reſtituendi fructus. Etenim pœna hæc reſtitutionis impoſita eſt non recitantibus: atque reſtringi debet, vt pœna, ita vt non incurratur à recitantibus, adhuc voluntariè diſtractis; ſed ſolùm à non recitantibus abſolutè. Sicut, ſi infligeretur pœna excommunicationis non audientibus Miſſam diebus feſtis, ſi quis eam audiret, ſed non ſufficienti cum attentione, etſi peccaret contra præceptum, videtur non fore incurſurum excommunicationis pœnam. Quippè, quamvis præceptum indirectè comprehendat aliquid internum, pœna tamen ad illud non tendit: nam pœna eius naturæ eſt, vt poſſit actu infligi à legiſlatore, aut executore illius, ſi detur delictum, cui præfigitur: at, ſi detur externa recitatio Horarum humano modo exercita, aut auditio exterior Miſſæ, nequit legiſlator, iudex, aut Eccleſia eam pœnam reſtitutionis, vel excommunicationis exigere: ergo ea non incurritur,

Digitized by Google

ritur, dum exterior actus apponatur, eſtò per defectum alicuius circunſtantiæ in eo actu peccetur, aut præcepto non ſatisfaciat ſic recitans, aut audiens ſacrum. Videant alij, an hæc ratiocinatio probabilis appareat. Ea ſanè probata fuit à viris doctiſſimis à me conſultis.

43 Ad fundamentum Patris Bardi reſpondeo, ab Eccleſia præcipi actum externum recitandi humano modo exercitum, ſicut & auditionem Miſſæ: eamque orationem externam humanam in vtroque præcepto imperari: nec extendendum eſſe præceptum, vt grauiter obligans (eſt enim odium) ad attentionem internam; nec ſumi paritatem à præcepto indirecto doloris interni requiſiti ad confeſſionem: nam Eccleſia præcipit confeſſionem, & hæc ex præcepto diuino requirit dolorem internum. Aliter iuxta *nuper* dicta poſſet reſponderi: præceptum quidem indirectè extendi ad attentionem internam: pœnam autem,& obligationem reſtituendi ſolùm incurri propter defectum recitationis externæ humano, ac morali modo peractæ. Quæſtionem *in hoc capite*, diſcuſſam latè examino *in ſtatera opinionum benignarum; diſſertat.7. quæſt. 3. ex num.*17. Vbi plura circa illam reperientur.

DISPVTATIO IV.

In qua examinantur nonnulla ad Bullam defunctorum ſpectantia.

Quartam, & vltimam ſui docti operis partem de Bulla defunctorum P. Franciſcus Bardi inſtituit. Nos item, circa ipſam, quartam, huius Tractatus Appendicis diſputationem breuem ſubnectimus.

CAPVT I.

Vtrùm pœna minima Purgatorij excedat pœnam maximam huius vitæ.

1 AGit Pater Bardi de Purgatorio, cuius tractatum,aſſerui *opere præcedenti*, me omittere conſultò, quia nec ad praxim, nec ad inſtitutum præſens eum cenſebam neceſſarium. In præſenti quæſtione ſupponitur, pœnas Purgatorij quoad genus acerbiores eſſe,quàm pœnas huius vitæ acerbiſſimas. In indiuiduo autem aliquam pœnam eſſe leuiorem, defendit cum aliquibus Authoribus Pater Bardi *par.*4. *tract.* 1. *cap.*2. *ſect.*1. *n.* 6. Probat, nam demus, aliquem egiſſe aſperam pœnitentiam pro ſuis peccatis, ita vt in fine vitæ parum illi remaneat ad plenè ſatisfaciendum: quis erit, qui dicat, pœnam, quam hic, ſuſtinet in Purgatorio reſpondentem exiguæ ſatisfactioni eſſe maiorem cruciatibus, quos Chriſtus D. fuit paſſus? Aut quæ repugnantia, vel inconueniens eſt, vt ſatisfactio exhibenda ad tam exiguam quantitatem perueniat, vt pœna in Purgatorio toleranda ſit minor plurimis cruciatibus, qui in hac vita reperiuntur.

Mendo in Bull. Cruciat.

2 Oppoſitam ſententiam iudico tum benigniorem,tum veriorem. Probatur, eſſe veriorem.Primo, quia in his,quæ nec experientia, nec rationibus metaphyſicis poſſunt conſtare, cuiuſmodi eſt materia præſens; ſuper quam ſolùm afferuntur quædam congruentiæ à P.Bardi, ſtandum eſt authoritate Patrum, ac Doctorum, quos certè Deum illuminaſſe ad res concernentes Fidei tractandas, eſt cenſendum: hi verò pro ſententia ſunt,quam probamus. Etenim D.Auguſtinus *libro de cura pro mortuis agenda c.*18. loquens de igne Purgatorij ait: *Etſi æternus non ſit, mirò tamen modo grauis eſt, exceditque omnes pœnas, quas aliquis in hac vita paſſus eſt.* D. Anſelmus ſuper 1. Corinth. 3. *Sciendum enim eſt, quòd grauior eſt ille ignis, quàm quidquid homo pati poteſt in hac vita.* Cæſarius Arelatenſis homil.8. *Nemo hoc dicat, fratres chariſſimi: quia ille ipſe purgatorius durior erit, quàm quòd poſſit pœnarum in hoc ſeculo aut accidere; aut ſentiri, aut cogitari.* De aliis Eccleſiæ Patribus hæc profert P.Suarius *tom.*4. *in* 3. *part. diſp.*46.*ſect.*3.*n.*6. *Aliqui tamen Patres generaliùs loqui videntur,etiam comparando minimam pœnam Purgatorij ad maximam huius vitæ. Et ſpecialiter id expreſsè affirmatur in illa Epiſtola Cyrillo Hieroſolymitano attributa,& refertur ibi de hac re quædam reuelatio.*

3 Secundò, quia pœna Purgatorij conflatur ex pœna ſenſus, & damni; ſed pœna damni præfertur à Patribus pœnæ ſenſus in Purgatorio, etiam ſecundùm genus conſideratæ: ergo pœna minima Purgatorij includens pœnam damni eſt acerbior quacumque pœna huius vitæ. Minor videri poteſt elegantiſſimè probata à D. Chryſoſtomo *homil.*24. *in Matth. & homil.* 35. *ac* 47. *ad populum: & libro* 1. *de compunctione cordis ad fin. & Paran.* 1. *ad Theodorum Lapſum.*

4 Reſpodet P. Bardi, hanc pœnam mitigari propter certitudinem ſpei de adquiſitione ſummi boni. Contrà, quia licèt hoc detur leuamen, priuatio beatitudinis adeò animas angit, vt optarent potiùs ſuſtinuiſſe quaſcumque huius vitæ pœnas, quam in illis quibuſcumque, & qualicumque tempore detineri, vt ait P. Suarez *vbi ſuprà num.* 7.

5 Tertiò,

5 Tertiò, ſi pœna eſſet remiſſior, foret in duratione maior, quàm ſi eſſet acerbior. Ergo dum ponitur leuior, conſequenter aſſignatur diuturnior. Sed hinc fit, durationem pœnæ damni eſſe maiorem; igitur, dum ex vno capite intenditur pœna diminui, ex alio acerbiori adaugetur. Quare credibilius eſt, minimam pœnam Purgatorij eſſe maiorem, quàm ſit ſuprema huius vitæ, vt ſic citiùs anima ſatiſpatiatur, & beetur.

6 Quartò, quævis pœna Purgatorij differt ſpecie à pœnis huius vitæ, ergo quælibet eſt acerbior: vt enim aiunt Philoſohi; infimum ſupremi eſt ſupremum infimi. Sic Angelus inferior eſt perfectior omnibus hominibus. Et quidem differentia ſpecifica pœnæ Purgatorij ſumenda eſt à ratione torquendi, vt ſic enim formaliter conſideratur vt pœna: ſi ergo aliqua pœna Purgatorij æquè, aut minùs torquet, quàm aliqua huius vitæ pœna, in ratione torquendi non differet ſpecie ab illa, cum non contineat in ſe prædicatum torquendi acerbiùs, per quod formaliter vt pœna debet differre. Quod intellige, ſiuè pœnam ſumas pro vindicta peccatorum: ſiuè pro dolore torquente.

7 Ex dictis fit, ſententiam noſtram eſſe benigniorem, quam ſit oppoſita: hoc enim ipſo, quòd etiam minima Purgatorij pœna ſit adeò acerba, minus durationis habebit, plus enim per illam anima ſatis patietur, quàm per aliam leuiorem: vnde non durabit pœna damni, cuius tam ingens eſt cruciatus, tantum temporis, ac eſſet duratura, ſi pœna ſenſus foret benignior; ſed citiùs anima ab eo tetro ergaſtulo æternùm beanda ſoluetur, quo nihil auidiùs animæ exoptant, adeóque libentiùs breui tempore pœnam acerbiſſimam ſuſtinebunt, quàm longiori tempore leuiorem.

8 Hinc reſpondetur ad interrogationes, quibus P. Bardi vtitur ad ſuam ſententiam probandam. Quis, nempè dicat, exiguam quantitatem ſatisfactionis debitam ab eo, qui poſt aſperam pœnitentiam peractam obiit, cruciatibus eſſe perſoluendam, qui excedant acerbiſſimam huius vitæ pœnam? Plures dicunt: Eccleſiæ Patres: Authores: rationes allatæ ſuadent: & ſi benignitate mouetur hic Author, acerbior in animas inuenitur.

CAPVT II.

An pœna Purgatorij minuantur per ſuffragia? Et vtrùm animæ ibi exiſtentes pro nobis Deum orent?

9 Fide ſanctum eſt, ſuffragia, quæ à viuis exhibentur, prodeſſe defunctis: dubitatur tamen, an per hæc ſuffragia pœnæ, quas animæ patiuntur, minuantur quoad intenſionem, an ſolùm quoad durationem? P. Bardi *in Bull. part. 4. tract. 1. cap. 2. ſect. 3. num. 21.* ait, non poſſe de hoc certum eſſe iudicium: & ſuſtineri poſſe ſententiam aſſerentem, pœnas mitigari quoad intenſionem, ac ſententiam id negantem, ſolúmque quoad durationem mitigari admittendam.

10 Crediderim, per opera pia fidelium pro defunctis applicata, aliquando ſolùm remitti pœnas quoad durationem: aliquando ſolùm quoad intenſionem, & demùm aliquando quoad intenſionem, ac durationem ſimul. Et quidem quoad durationem, non eſt dubium: ſi quidem, vt *opere præcedenti* ſtatuimus, dum conceditur indulgentia liberationis animæ à Purgatorio, ſi media à fidelibus apponantur, infallibiliter liberatur anima, quæ aliàs diutiùs eſſet torquenda. Prætereà certum eſt, per ſacrificia Miſſæ, aliaque ſuffragia pro defuncto oblata, breuiari tempus, quo eſſet eius anima in Purgatorio detinenda: quod ex efficacia ſuffragiorum, ex reuelationibus, & ex fidelium perſuaſione ſatis liquet.

11 Deindè aliquando pœnas quoad intenſionem remitti, ſeu animas ſentire refrigerium, ac leuamen aliquod in pœnis, congruenter ſuadent reuelationes aliquæ, quarum veritas non eſt reijcienda. Eiuſmodi eſt ea, quæ in vita S. Malachiæ circumfertur, cui defuncta ſoror apparuit ſub veſte nigra, & extra Eccleſiam: cumque pro illa ſuffragia fuiſſent peracta, iterùm eidem apparuit in veſte ſubfuſca intra Eccleſiæ limina: Et tertiò denique in veſte alba in Eccleſiæ altari. Quæ veſtium diuerſitas nihil congruentiùs ſignificare poterat, quam internam cruciatuum diuerſitatem, & eorum decrementum.

12 Rursùs in perilluſtri Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini Cœnobio Legionenſi ſub titulo Sancti Iſidori extructo extat in Bibliotheca vita Sancti Martini Canonici Regularis ibidem ſepulti, in qua refertur, eum, dum viueret, familiaria habuiſſe colloquia cum anima Sacerdotis defuncti in Purgatorio vexata, ab eaque plura didiciſſe circa animarum cruciatus, inter quæ id fuiſſe illi ſignificatum, animas Purgatorij refrigerium in cruciatu ignis ſentire, quoties fideles ſepulchra ſuorum corporum aqua benedicta aſpergebant, idque in ſe ipſis experiri, quod experitur quis in hac vita, dum nimio calore vexatur, ſi aſpergebatur aqua. Ecce aliquantulum pœnam remiſſam ſaltem pro breui tempore. Et in hoc puncto ſanè, vt rectè ait P. Bardi, rationibus non poteſt efficaciter agi; ergo, ſi attendamus ad ea, per quæ nobis innoteſcere illud poteſt, dicendum

Digitized by Google

dicendum eſt, dari remiſſionem in ipſis cruciatibus, non ſolùm quoad durationem; ſed quoad intenſionem, ſeu efficaciam torquendi.

13 Hinc cernitur, poſſe quoad vtrumque, ſimul dari eiuſmodi cruciatuum leuamen, & de facto dari: ſi quidem ſuffragia, vt diximus, tempus minuunt, & aliundè reſpectu eiuſdem animæ poſſunt alia pia opera applicata remittere cruciatus: quod contigiſſe reſpectu ſororis Sancti Malachiæ, ex prædictis apparitionibus videtur inferri.

14 Secundum dubium in titulo huius capitis præfixum eſt, an animæ Purgatorij poſſint pro nobis Deum orare? P. Bardi *vbi ſuprà ſect.* 4. *n.* 33. ita ait: *Reſpondeo, eſſe duas opiniones: prima negat, & in hanc videtur inclinare S.Thomas* 2.2. *quæſt.*83. *art.*11. *Ad tertium: quia potiùs ſunt in ſtatu, vt alij pro ipſis orent, quam vt ipſa pro nobis preces fundant. Sed alij Authores putant, ipſas pro nobis orare, impetrando aliquid apud Deum intuitu meritorum, quæ in hac vita habuerunt. Res eſt incerta.* Nullum aliud verbum ſuper hoc puncto habet.

15 Mihi quidem ferè certum eſt, animas Purgatorij orare pro viuentibus, quod affirmat Medina *quæſt.*5. *de oratione* citans Gabrielem, ac docens, orare tum generaliter pro fidelibus, tum in ſpecie pro iis, qui ipſis peculariter in hac vita chari fuerunt. Moueor primò, quia animæ Purgatorij pro ſe ipſis orant, vt ſcilicèt per medium aliquod diuina prouidentia conſtitutum, vt per ſuffragia. liberentur: Sic ſentiunt Alexander Alenſis 4. *part. quæſt.*91. *membro* 4. & probat ex D. Gregorio *lib.*4. *Dialogor.* P. Valentia *in* 2.2. *diſp.*6. *quæſt.*2. *puncto* 6. Ergo etiam orant pro aliis: ſi enim habent vim impetrandi pro ſe, & alliciendi Deum, vt ipſis conſulat, cur non habeant vim impetrandi pro nobis?

16 Secundò: animæ Patrum dum erant in limbo, orabant pro viuentibus: ergo ſimiliter animæ exiſtentes in Purgatorio: cum tam hæ, quàm illæ, ſint confirmatæ iam in gratia, & amicitia Dei: & tam illæ, quam hæ, adhuc non eſſent in cœlo. Antecedens probatur ex *lib.*2. *Machabæor. cap.*15. Vbi de Propheta Ieremia iam defuncto, ac exiſtente eius anima in limbo aſſeritur: *Hic eſt, qui multum orat pro populo, & vniuerſa ſancta ciuitate Hieruſalem, Propheta Dei.* Et Ieremiæ *cap.*15 aiebat Dominus: *Si ſteterint Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Animæ autem Moyſis, ac Samuelis iam tunc in limbo exiſtebant.

17 Tertiò, quia nihil impedit, quo minùs animæ Purgatorij pro nobis orent, cum Dei amicitia potiantur, & ad ipſum preces mittant, virtutibuſque gratitudinis erga benefactores, & charitatis erga proximos polleant; nec, quòd viuentes ad inuicem præſtant, dum quidam pro aliis orant, eſt eis denegandum. Etenim, quòd ſint in ſtatu, in quo indigent orationibus, ac ſuffragiis fidelium, nihil omnino obſtat, quo minùs & ipſæ pro orantibus, ac pro aliis orent. Imò hoc valdè congruum eſt, & fidelium pietati, ac perſuaſioni conſentaneum, qui ſæpè ad animas Purgatorij confugiunt, vt ſuis precibus aliquid pro eis à Deo conſequantur. Nec ſolùm cenſent, Deum intuitu pietatis, qua offerunt pro animis ſuffragia, moueri ad impertiendum eis bona; ſed ipſas animas bona eiuſmodi à Deo impetrare.

CAPVT III.

An animæ in Purgatorio detineantur, vſque dum reſtituatur, quod in hac vita debebant?

18 QVia ſaltem vulgo id inſitum eſt, animas in Purgatorio detineri, donec reſtituantur bona, præſertim malè ablata, quæ ipſæ in corpore degentes reſtituere tenebantur, adeóque eos, quibus reſtitutio peragenda incumbit, ſi eam differant, eſſe in cauſa, vt diutiùs in Purgatorio torqueantur, hoc dubium breuiter examinabimus, vt veritas conſtet, aut quid fidelibus communiter ſit exponendum, ad excitandam pietatem appareat.

19 P. Bardi *in Bull. part.* 4. *tract.* 2. *cap.* 1. *ſect.*2. *à num.* 10. aliquorum ſententiam refert, (cui ipſe videtur adhærere, cum eam non impugnet; ſed potiùs iuxta ipſam quibuſdam argumentis reſpondeat,) tuentem, animas non detineri in Purgatorio propter negligentiam viuentium in reſtituendo. Quipè vel defunctus nullum patrauit peccatum non reſtituendo, vel patrauit? Si primum, non debet puniri ob negligentiam, & peccatum hæredum: cum ob peccata aliena Deus ſupplicia non infligat. Si ſecundum, poſt remiſſam in hac vita culpam, quam defunctus commiſit, reſtat pœna ſoluenda: vbi verò hæc in Purgatorio ſoluatur, à pœnis liberabitur, nullo habito reſpectu ad hæredes, quorum culpa ipſos afficit, non defunctum, & non ab hoc, ſed ab illis erit ſumenda vindicta: alias anima in Purgatorio torqueretur propter culpam alienam, cum ſupponamus, pro culpa, ac negligentia propria iam fuiſſe ſatiſpaſſam: imò, quia ſæpè contingit, hæredes non reſtituere vnquam, fieret, vt anima vſque ad extremum Iudicij diem in Purgatorio detineretur, quod neutiquam affirmandum videtur.

20 E contrario propter negligentiam hæredum, aut ſimilium in reſtituendo, animam

Digitized by Google

in Purgatorio detineri, aliquibus fundamentis poteſt contendi. Primò; quia id inſidet alte fidelium perſuaſioni, indéque ſæpiſſimè mouentur ad reſtitutiones ſedulò exequendas: quas fortè non præſtarent abſolutè: aut ſaltem non adeò celeriter, ſi oppoſitum exiſtimarent: vnde ex contraria doctrina, ſi ea inſtruantur, non exiguum detrimentum animarum fidelium poteſt timeri, ſi ex ea, pro ſua fragilitate, minùs de ſalute propria, quam de liberatione animarum Purgatorij curantes, reſtitutionem omittant, aut differant.

21 Secundò. Plures referuntur in hiſtoriis apparitiones animarum poſcentium, vt reſtitutiones fiant: & licèt poſſit aſſeri, tunc animas ex Dei benignitate non conſuluiſſe ſibi, ſed eis, quos monebant: Contrà eſt, quia potiùs eſt iudicandum, Dei benignitatem ad liberandas citiùs eas animas tendere, quàm ad viuentium bonum, quod aliis mediis non miraculoſis poteſt obtineri: & rursùs animæ eiuſmodi aliquando poſcebant reſtitutiones fieri bonorum, quæ hæredes bona fide retinebant, cum ignorarent, eſſe aliena, atque adeò eis non conſulebatur, cum non eſſent culpæ rei. Hoc apertiùs cernitur, nam S. Birgitta *in ſuo lib. reuelat. cap. 66.* ait, animam pœnis cruciari, donec reſtitutio fiat. Nec videtur ſatisfacere Cardinalis Bellarminus *lib. 2. de Purgator. cap. 16.* aſſerens, animas, quæ apparuiſſe referuntur, non poſtulaſſe reſtitutionem ſub formalitate reſtitutionis, ſed ſub ratione eleemoſynæ, ſub qua ratione iuuari poſſent. Nam contrà, quia poſito, Deum diſpenſaſſe cum iis animabus, vt iuuamen à fidelibus peterent, ſi reſtitutio, vt talis, non eſſet iuuamen, potiùs illæ poſcerent ſacrificia Miſſarum, quàm eleemoſynas, cum ſint efficaciora ad animas liberandas à Purgatorio: ideóque, cum reſtitutionis non adeſt neceſſitas, aliæ animæ, quæ etiam apparuiſſe referuntur, potiùs ſacrificia, quàm eleemoſynas, poſtularunt. Contrà prætereà, quia reſtitutio facienda non poterat ſortiri rationem eleemoſynæ, nec erat actus virtutis miſericordiæ, ſed virtutis iuſtitiæ commutatiuæ: aliàs non poſceretur reſtitutio debita creditoribus, ſed eleemoſyna eroganda pauperibus.

22 Tertiò. Alexander III. *in cap. In litteris, de raptoribus*, ſcribit Claremontenſi Epiſcopo, loquens de quodam defuncto, qui incendium Eccleſiarum commiſerat, ſed contritus deceſſerat: *Hæredes eius moneas, & compellas, vt his, qui ille per incendium, vel alio modo damna contra iuſtitiam irrogauerat, iuxta facultates ſuas condignè ſatisfaciant, vt ſic à peccato valeat liberari.* Vbi *facultates ſuas* pro facultatibus defuncti apponitur, & ſic explicatur in compendio, ſeu titulo capitis: *Hæredes compelluntur ad ſatisfaciendum iuxta facultates defuncti.* Verba autem: *Vt ſic à peccato valeat liberari*, ſignificant idem, *ac à pœnis debitis pro peccato:* tum quia poſt obitum non poterat à peccato illo graui liberari, ſi liber ab illo non deceſſiſſet: tum quia is eſt vſitatus modus loquendi, vt conſtat ex *2. Machabæor. 12.* ibi: *Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.* Ecce ergo *in eo capite* liberatio à pœnis Purgatorij dependens à reſtitutione per hæredes præſtanda demonſtratur.

23 Nec placet reſponſio Patris Bardi, aſſerentis, litteram huius textus eſſe mendoſam, iuxta interpretationem Ioannis Andreæ *ibidem*, & legendum fore in plurali; *Vt ſi à peccato valeant liberari:* ita vt in his verbis ſit ſermo de ipſis hæredibus liberandis per reſtitutionem à culpa, non de defuncto liberando à pœna. Nam contrà primò, quia in nullo exemplari ex pluribus, quæ ſedulò inquiſiui, ea fuit appoſita correctio & prætereà odioſum eſt corrigere textus, imò difficultatibus ſolet eſſe ſuffragium. Contrà ſecundò, nam parum congruens eſt contextui hæc correctio, cum *in hoc capite* Pontifex ſolùm de defuncto loquatur, eiuſque remedium ſollicitet, & quæſtio ei propoſita dumtaxàt tendebat ad bonum illius procurandum; cum aliàs certum eſſet, teneri ex iuſtitia hæredes ad compenſationem damni illati, quod non erat occultum, nec ab ipſis ignoratum.

24 En fundamenta pro hac opinione, Cenſeo primò, valdè probabile eſſe quod in gratiam huius opinionis proponit Cardinalis Lugo *tom. de pœnitent. diſp. 26. ſect. 3. n. 33.* Deum ſæpè, quandiu non fuit reſtitutio præſtita, nolle exaudire preces, ac orationes, quæ pro ea anima funduntur: congruum enim eſt, vt Deus non moueatur ad leuandas eius pœnas, dum alij, quibus bona debentur, egeſtatem, ſeu neceſſitatem patiuntur, atque adeò, licèt animæ proſint ſuffragia, & Sacrificia quoad fructum ſatisfactionis, non verò quoad fructum impetrationis. Vnde, eſtò ſit verum, ſoluta tota pœna pro culpis propriis, liberari illicò animam à Purgatorio, nec ampliùs ibi detineri: attamen citiùs liberanda fuiſſet, ſi reſtitutio eſſet facta, quia Deus exaudiſſet preces pro illâ fuſas, & illis motus, ac allectus tempus Purgatorij minuiſſet, aut pœnas mitigaſſet. Quare in hoc ſenſu verum erit, propter dilationem reſtitutionis ampliùs pati animas in Purgatorio: non quia culpa hæredum ab eis ſoluatur; ſed quia ob hæredum culpam Deus non vult moueri, quod eſt ei liberum, impetrationibus fidelium ad leuandos earum cruciatus. Sic explicatus Cardinalis Lugo non ſubiacet impugnationi.

Digitized by Google

impugnationi, qua contra illum arguit P. Bardi; ſupponens, à Cardinali doceri, omiſſionem reſtitutionis eſſe rationem, ob quam directè anima puniatur: quod nullatenùs ille docet.

25 Cenſeo ſecundò, fideles hac doctrina imbuendos eſſe, nec abſolutè eis affirmandum, reſtitutionem ab ipſis præſtandam nomine defunctorum, his nihil prodeſſe: ne indè tardiùs, aut numquam reſtitutiones peragant, indeque peccatis innodentur, quæ crebrò contingunt ob alienarum facultatum omiſſam reſtitutionem. Quare par eſt, vt omnia ea media, quæ reſtitutionem fouere poſſunt, adhibeantur: maximè cum non ideò doctrina falſa, aut improbabilis tradatur: ſed quæ nec ratione, nec authoritate eſt deſtituta; & ego ſanè eam iudico probabiliorem. Quam etiam tuentur Gabriel *lectione* 58. *in Canonem*, Richardus *in* 4. *diſt*. 45. *art*. 2. Et ex dictis ſatisfit fundamentis Patris Bardi: non enim ſequitur, animam in Purgatorio puniri propter culpam alienam: nec torquendam fore vſque ad extremum Iudicij diem, ſi hæredes numquam reſtituant, vt manifeſtè conſtat *ex num*.24.

CAPVT IV.

An ſuffragia viuentium proſint defunctis per modum impetrationis, ſeu meriti de congruo?

26 P. Bardi *in Bull. part*. 4. *tract*. 2. *c*.2. *ſect*. 2. *num*. 14. tuetur, fideles numquam impetrare à Deo remiſſionem pœnæ animarum Purgatorij; ſed ſolum prodeſſe illis impetrationes mediatè, quatenùs Deum alliciunt, vt moueat fideles efficaciter, vt ſuas ſatisfactiones pro animabus offerant. Mouetur, quia de lege ordinaria debet pro culpa dari condigna punitio, ergo vel ipſæ animæ ſunt toleraturæ pœnas condignas, vel hæ ſoluendæ ſunt per opera ſatisfactoria viuentium. Quæ ratio probat, de lege ordinaria nec precibus Deiparæ Virginis, nec Sanctorum poſſe liberari animas à Purgatorio. Confirmat: nemo poteſt ſibi impetrare remiſſionem pœnæ, ergo neque aliis. Antecedens probat ex D. Auguſtino *ſerm*. 50. *de Tempor. cap*. 12 *in fin*.

27 Oppoſitam ſententiam teneo, quam docent Ægidius Coninch, Bartholomeus à S. Fauſto, & fauet Bellarminus, quos refert ipſe P. Bardi *vbi nuper num*. 9. Caietanus, Nauarrus, Durandus, & alij, quos citat P. Suarius *tom*.4. *in* 3. *part. diſp*.48. *ſect*. 5. *num*. 4. & iudicat ſatis probabilem *num*. 5. Cadinalis Lugo *tom. de pœnitent. diſp*.24. *ſect*. 1. *ſub titulo: Dubium incidens, num*.20. Cuius fundamenta rem ſatis oſtendunt.

28 Primò, quia Deipara Virgo, & Sancti pro defunctis orant; & Eccleſia petit, vt, intercedente B. Virgine Maria, ac omnibus Sanctis, defuncti delictorum ſuorum veniam conſequantur. Extantque aliquæ reuelationes, quibus traditur, Virginem liberare ſæpè à Purgatorio ſibi deuotos. Et Surius in vita Sanctæ Lutgardis refert, eam morientem ſecum in cœlum tuliſſe animas aliquas ſuis precibus à Purgatorio liberatas. Reſponſio autem Patris Bardi, quòd ſolum exigit Eccleſia, Deipara, & Sancti à Deo, vt moueat efficaciter fideles ad applicandum ſuas ſatisfactiones pro defunctis: vel vt acceptet eas ſatisfactiones, quas acceptare non tenetur, reijcienda eſt: tum quia eſt contra perſuaſionem fidelium: tum quia de vi impetrationis Deiparæ, & Sanctorum non altè ſentit: tum demùm, quia poſt eiuſmodi preces liberatio à Purgatorio illicò eſt facta, quin daretur locus exhibitioni ſatisfactionum.

29 Secundò, quia Eccleſia in Officio defunctorum abſolutè à Deo obſecrat, vt condonet pœnas animarum. Tertiò, nam pœnitens poteſt accipere præceptum à Confeſſario, vt pro defunctis oret, quin à ſe ſatisfactionem pro ſuis peccatis neceſſariam abdicet; ergo ſolam impetrationem applicat defunctis, vtpotè illis ſalutarem iuxta tradita in Catechiſmo Romano *in Sacramento Pœnitentiæ, num*.80.

30 Nec obſtant fundamenta contraria: non enim manent impunita delicta; ſed plenè ſatisfit iuſtitiæ diuinæ per ſatisfactiones Chriſti D. quæ per orationes, preces, & impetrationes applicantur: ſicut applicantur per Sacramenta, & indulgentias, eſtò per hæc certiùs, copioſiùs, & infallibiliùs. Ait P. Bardi, non eſſe veriſſimile, Chriſtum D. applicare ſuas ſatisfactiones, niſi ex ſpeciali diſpenſatione, vt gratis pœna remittatur. Imò valdè veriſimile eſt, & diuinam pietatem decens, vt precibus Eccleſiæ, Deiparæ, Sanctorum, ac viuentium, qui Deo per charitatem ſunt coniunctiſſimi, annuat, & ſuas applicet ſatisfactiones, quin ad miracula confugiatur.

31 Prætereà non eſt verum, non poſſe quem impetrare ſibi remiſſionem pœnæ; quin ex doctrina tradita poſſe infertur: nam poteſt impetrare aliis, ergo & ſibi: cum celebre ſit apud Theologos, plus requiri ad merendum quocumque modo pro aliis, quàm ſibi. Locus D. Auguſtini allatus à P. Suario, & P. Bardi exponitur de remiſſione culpæ, non pœnæ: nam culpa nequit per impetrationem remitti, ſaltem de prouidentia ordinaria, quin peccator agat dignos

fructus pœnitentiæ, ad quos *ibi* Auguſtinus hortatur.

32 Inſiſtit P. Bardi *n.* 15. ex aliis verbis eiuſdem Diui Auguſtini *ibidem* arguens: Ait quippè: *Parum eſt itaque recedere à peccatis, ſi præterita curare neglexeris.* Explicat ille Author. En Auguſtinus ſupponit receſſum à peccatis, atque adeò remiſſam culpam, & aſſerit, id parum eſſe, niſi peccata remiſſa quoad culpam, curentur per opera ſatisfactoria quoad pœnam. Nihil prorsùs ad rem præſentem ex præfatis verbis conuincitur. Nam primò dici poteſt, receſſum à peccatis poſſe ſtare abſque remiſſione culpæ, ſi homo iam peccare deſierit, occaſioneſque delinquendi vitauerit, quin adhuc dignè fuerit de culpis contritus: quia, eſtò tunc ſit in peccato habituali: tamen recedit ab actualibus, qui eſt proprius receſſus. Et hinc hortatur D. Auguſtinus, vt non ſolùm recedant ab eiuſmodi peccatis, in quæ inciderant; ſed vt ea curent per verum cordis dolorem.

33 Reſpondeo ſecundò, etiam ſi loquatur Auguſtinus de curatione peccatorum quoad pœnam, nihil inde contra nos conuinci, quia non ideò affirmat, nullatenùs partem ſaltem pœnæ remitti poſſe per impetrationem. Itaque conſulit, quod omnes conſulere debemus, ſcilicèt vt fideles opera pœnalia exerceant, quibus pœnæ debitæ ſatisfaciant. Nec enim contendimus, omnes impetrare ſibi remiſſionem pœnæ, aut integræ pœnæ; ſed poſſe eam impetrare, dummodò preces, & impetratio ſit talis, qua Deus moueatur ad acceptandas ſatisfactiones Chriſti. Quis autem nouerit, ſuas preces adeò eſſe feruentes ſeque Deo adeò charum, pœnaſque à ſe debitas non eſſe adeò ingentes, vt Deus ſit mouendus, ad illas remittendas? Vana eſſet hæc fiducia, ſi illa ſola fretus quis opera pœnalia, ac ſatisfactoria abijceret: ſi enim nemo ſcit, an ſit odio dignus, vel amore, quomodo ſciat, ſe fore exaudiendum, & à ſe remiſſionem pœnæ impetrandam? Quare aſſero, rectè hæc duo inter ſe cohærere, & quòd fideles opera pœnalia, vt par eſt, frequenter exerceant, quibus pro pœnis à ſe debitis ſatisfaciant: & quòd aliquando quis adeò ſit Deo charus, eiuſque preces, ac impetrationes adeò gratæ, ac feruentes, vt obtineat à Deo remiſſionem pœnæ totalis, aut partialis à ſe debitæ. Primum hortatur D. Auguſtinus, & omnes Eccleſiæ Patres, Concionatores, Confeſſarij, ac viri ſpirituales. Secundum non inficiatur Auguſtinus, nec de eo quæſtionem excitauit.

CAPVT V.

An ex iuſtitia, an verò ex Dei miſericordia ſuffragia defunctis proſint? & an Deus infallibiliter illa acceptet?

34 P. Bardi *in Bull. part.* 4. *tract.* 2. *cap.* 2. *ſect.* 4. *num.* 33. docet, ſuffragia, quæ à fidelibus pro animabus Purgatorij offeruntur, acceptari à Deo ex liberalitate, & miſericordia, non ex iuſtitia. Probat, quia Deus non tenetur acceptare ſatisfactionem exhibitam ab alio; ſed habet ius exigendi illam ab offendente: & aliundè nulla in ſacris litteris eſt promiſſio, ſeu pactum, quo Deus ſe obligauerit ad acceptandum ſatisfactiones fidelium pro animabus Purgatorij, igitur non ex iuſtitia, ſed ex liberalitate eas acceptat.

35 Quæ ratio extendi videtur ad omnia ſuffragia, & hic Author abſque exceptione, & limitatione de omnibus loquitur. Quare iudico, hanc ſententiam abſolutè ſumptam eſſe falſam: nam ſaltem indulgentias, quæ per modum ſuffragij applicantur mediis operibus fidelium pro animabus Purgatorij cenſeo, acceptari à Deo ex iuſtitia. Suadetur. Et ſi Deus abſolutè non teneatur ex iuſtita ad acceptandas ſatisfactiones, tenetur verò ſuppoſita promiſſione, aut pacto, ſicut ea ſuppoſita, tenetur ex iuſtitia præmiare merita, (quod in materia *de merito, & de Incarnatione* plurimi grauiſſimi Authores docent, nec negat in præſenti Pater Bardi, & ego in materia *de merito* tradidi.) At extat pactum, ſeu promiſſio acceptandi ea ſuffragia pro animabus Purgatorij: igitur Deus ex iuſtitia acceptare illa tenetur.

36 Minor, quæ ſola indiget probatione, ſuadetur. Nam Chriſtus Dominus tradidit ſuo in terris Vicario Petro, ac ſucceſſoribus claues regni cœlorum, & theſauri Eccleſiæ, in quo ſatisfactiones eius extant ſimul cum aliis ſuperabundantibus iuſtorum: poteſtatemque dedit, vt in ædificationem, non in deſtructionem, diſpenſaret hunc theſaurum, eaſque ſatisfactiones applicaret, viuis quidem per modum abſolutionis à pœnis debitis, defunctis per modum ſolutionis, vt Eccleſia Catholica tenet: pactumque iniit, quòd à Petro diſpoſita vim eſſent habitura in cœlis, circa omne exercitium clauium, vt ex teſtimoniis Scripturæ, quæ, vt peruia, ac manifeſta, omitto, conſtat. Sed indulgentiæ per modum ſuffragij, mediis fidelium operibus oblatæ ſunt effectus clauium, ſolutioque pro pœnis animarum præſtita ex ſatisfactionibus Chriſti à ſuo Vicario aperiente theſaurum: igitur Deus tenetur

Digitized by Google

tenetur ſaltem hæc ſuffragia acceptare ex iuſtitia. Nec contradicit ratio Patris Bardi, quæ fundatur in eo, quòd non conſtet de promiſſione, aut de pacto. Reſpectu autem horum ſuffragiorum, ſatis de eo conſtat.

37 Dixi in concluſione *Saltem* hæc ſuffragia obligare Deum ex iuſtitia; nam ſatis probabile eſt, omnia ſuffragia à Deo ex iuſtitia pro animabus Purgatorij acceptari. Et ita tenent Bartholomæus à S. Fauſto, Nauarrus, Trullench, P. Suarez, & alij, quorum aliquos refert ipſe P. Bardi *vbi ſuprà num.* 31. Et quidem, cum non detur repugnantia vlla, vt hic Author concedit, in eo quòd Deus promiſſionem exhibuerit de acceptandis ſatisfactionibus fidelium pro animabus Purgatorij, ſicut exhibuit de acceptandis ſatisfactionibus viuentium pro ſe ipſis: & aliundè vtrobique ſit eadem ratio congruentiæ, liberalitatis, & miſericordiæ Dei volentis ſe ad acceptationem obligare: ac non minùs, imò plus indigeant animæ Purgatorij noſtris ſatisfactionibus, quam nos ipſi: non ſolùm dicendum eſt, fuiſſe poſſibilem eiuſmodi promiſſionem, ſeu pactum; ſed credibilius, ac probabilius eſſe, illud dari, cum congruentiæ id probent, ac Dei liberalitas ipſum ſuadeat, paritaſque rationis vim habeat, & aliqua Sacræ Scripturæ teſtimonia ab Authoribus huius ſententiæ afferantur, quæ interpretationem poſſunt admittere aſſerto fauentem.

38 Vlteriùs progreditur P. Bardi *vbi ſuprà ſect.* 5. & non ſolùm affirmat, Deum non acceptare ex iuſtitia ſatisfactiones viuentium pro defunctis; ſed neque infallibiliter: quare, ait, acceptationem ſatisfactionum, ſaltem iuxta totum valorem, quem habent: & in ordine ad talem animam in particulari, non eſſe infallibilem: ſed pendere à liberalitate Dei, qui nec promiſit acceptare, nec tenetur cedere iuri, quod habet, exigendi ab ipſo offendente condignam ſatisfactionem. Confirmat, quia Sancti in patria, & fideles in via orant Deum, vt acceptet ſuffragia pro defunctis, ergo ſignum eſt, acceptationem non eſſe infallibilem, ſed à diuino placito dependentem.

39 Conſequenter ad dicta cenſeo, oppoſitam ſententiam eſſe veriorem, quam iidem Authores pro illa citati defendunt. Et loquendo in ſpeciali de indulgentiis, eas, appoſitis mediis requiſitis, infallibilem effectum ſortiri, docui *opere præcedenti disp.* 6. *num.* 26. Quod de indulgentiis pro viuis, ac pro defunctis, conceſſis pariter eſt intelligendum. Ex præcedenti aſſertione hæc infertur, nec illationem eſſe legitimam, P. Bardi inficiatur. Quippè ſi ex iuſtitia, & non ex liberalitate, tenetur Deus eas ſatisfactiones, ac ſuffragia acceptare, infallibilis erit acceptatio, cum non à libito Dei, attenta prouidentia ordinaria, id dependeat, poſtquam ſemel ſe ad id ſuâ promiſſione adſtrinxit.

40 Indè etiam euertitur fundamentum contrarium, cum à nobis contendatur, dari pactum, ſeu promiſſionem diuinam: cuius defectus pro fundamento ab hoc Authore deſumitur. Ad confirmationem reſpondeo, Sanctos in patria, & fideles in via orare Deum, vt ſatisfactiones Chriſti applicentur ad liberationem animarum, & preces fuſæ in ordine ad hoc à fidelibus, & Sanctis acceptentur: cum enim id per modum impetrationis ſolùm ſe habeat, infallibiliter à Deo nõ debet acceptari; ſtò iuxta *ſuperiùs* dicta ſæpè acceptetur. Et rursùs, cum fideles poſcunt, ſuas acceptari ſatisfactiones, non alia eſt poſtulatio illa, niſi applicatio ſuarum ſatisfactionum pro animabus Purgatorij, quæ ſub illa formulà orandi fit: Etenim ſatisfactiones viuentium non proſunt animabus, niſi applicentur.

41 P. Bardi, vt probet, ſuffragia, & ſacrificia non acceptari infallibiliter à Deo pro ea anima in particulari, pro qua à viuentibus offeruntur, locum Diui Gregorij *lib.* 4. *Dialogor. cap.* 57. affert. Et quia interpretationem P. Suarij reiicit, vt incongruam contextui eius capitis, exprimam, quid in illo velit Divus Gregorius. Igitur *capitis initio* proponit, ſacrificia Miſſarum profuiſſe quibuſdam viuentibus in periculis, & ærumnis conſtitutis. Deindè, quin aliud verbum antecedenter de defunctis protulerit, ait: *Idcircò credo, quia hoc tam apertè cum viuentibus, ac neſcientibus agitur, vt cunctis hæc agentibus, ac neſcientibus oſtendatur: quia, ſi inſolubiles culpæ non fuerint, ad abſolutionem prodeſſe etiam mortuis victima ſacræ oblationis poſſit. Sed ſciendum eſt, quia illis ſacra victima mortuis proſũt, qui hic viuendo obtinuerit, vt eos etiam poſt mortem bona adiuuent, quæ hic pro ipſis ab aliis fiunt.*

42 Ex his vltimis verbis contendit hic Author, ſacrificia infallibiliter non prodeſse iis, pro quibus offeruntur, ſed his ſolùm qui viuendo dignos ſe reddiderunt, vt eis prodeſſent. P. Suarius *tom.* 4. *in* 3. *p. diſ.* 48. *ſect.* 6. *n.* 7. ad ſimilia D. Auguſtini verba reſpondet, loqui de illis, qui dignos ſe reddiderunt decedentes in gratia, & amicitia Dei. Hanc reſponſionem non poſse aptari verbis Diui Gregorij, ait P. Bardi: quia ex contextu conſtat, ſanctum Doctorem excluſiſse antecedenter eos, qui in ſtatu damnationis obierunt, quorum culpæ ſunt inſolubiles: atque adeò in poſtremis verbis loquitur de cæteris, & inter hos ait, ſolùm prodeſse ſacrificia illis, qui ſe dignos reddiderunt, vt ipſis prodeſsent.

43 Cenſeo, explicationem P. Suarij rectè adaptari loco Diui Gregorij. Nam ea particula *Sed*, non ſemper excluſiua eſt, ſed aliquando

Digitized by Google

reduplicatiua antecedentium. Itaque Gregorius idem, quod obiter dixerat, iterùm repetit: & ne aliquis cogitaret, poſſe victimam ſacræ oblationis prodeſſe defunctis, etiam in ſtatu damnationis decedentibus, aduertit, ſolùm prodeſſe iuſtis defunctis. Etenim hoc ipſo quòd in gratia deceſſerint, ſe dignos reddunt, vt illis proſit. Quare tenendum eſt, ſuffragia prodeſſe his in particulari, pro quibus offeruntur. Quod tradidi *opere ſuperiori diſp. 12.n.14.* & aliis in locis: & id ſuadet perſuaſio communis Fidelium, imò & Eccleſiæ, quæ pro determinatis defunctis offert ſuffragia. Et quidem oppoſita doctrina maximè minuit deuotionem, ac pietatem erga animas Purgatorij: communiter etenim Fideles Bullas defunctorum accipiunt, ſacrificia offerunt, & offerri curant, aliaque peragunt ſuffragia pro conſanguineis, amicis, benefactoribus, ac ſimilibus, quæ plures non peragerent, ſi non crederent, eis determinatè fore profutura ad leuandas Purgatorij pœnas.

CAPVT VI.

Quod ſuffragium ſit alio magis ſatisfactorium, eleemoſyna, ieiunium, aut oratio?

44 DE his tribus ſuffragiorum ſpeciebus inſtituit præſens dubium Pater Bardi *part.4.tract.4.cap.1.ſect.3.n.15.* nomine ieiunij comprehendit omnes corporis macerationes: docetque, ieiunium eſſe magis ſatisfactorium inter ea tria, ac deinde orationem, ac demùm eleemoſynam: quod exindè probat, quia opus, quò magis pœnale eſt, magis eſt ſatisfactorium: eſt autem magis pœnale ieiunium, quàm duo reliqua: & oratio magis, quàm eleemoſyna.

45 Eleemoſynam eſſe magis ſatisfactoriam, docuerunt Sylueſter *verb. Satisfactio, numer.8.* Armilla, & alij, quos memorat *ibidem* P. Bardi *numer.16.* Quorum opinio certè valdè mihi probabilis eſt: nam, præterquàm quòd eleemoſynæ largitio eſt opus pœnale. & quò maior eſt eleemoſyna, magis pœnalis: eſtò non eo genere doloris, quem cauſat maceratio carnis: attamen alio diuerſo: cum ſpoliare ſe bonis propriis non ſit opus facilè; ſed valdè difficile, & in æſtimatione communi hominum difficilius iuxta quantitatem ſpoliationis, quam ieiunium, aliæque macerationes corporis, reſpectiuè æquales (quo ſatisfit fundamento P. Bardi) ſunt pro eleemoſyna tot Scripturæ teſtimonia, tot Patrum hortationes, vt videatur præferenda. Etenim, etſi pro ieiunio, ac oratione ſint plura, non tamen adeò eorum vim ſignificantia ad redimenda peccata, ſcilicèt pœnas pro illis debitas. Breuiter aliqua libabimus.

46 D. Chryſoſt. homil. 15. ad Romanos: *Nihil, ait Chriſtus, à te, quod ſumptuoſum, ſit, poſtulo; ſed panem; ſed tectum; ſed conſolationem verborum: & certè vel propter ipſum cœlorum regnum id præſta: propter te pauperem reſpice, & mihi ſatisfacies, & tibi largiar cœlum.* Ecce Dominus ſibi per eleemoſynam ſatisfieri teſtatur, beatitudinemque promittit poſt eam ſatisfactionem peractam. Procedit Chryſoſtomus Chriſtum alloquentem proponens: *Si fui interim in vincula coniectus, non me indè eximas, poſtulo; ſed vt vinctum reuiſas. Sic te, vel hoc ſolo, donabo cœlo, & te grauiſſimis vinculis eruam. Habeo quidem ego, vnde me alam; ſed emendico, &c.* Expende verba, quæ ſanè rem valdè confirmant.

47 Pſalm. 111. *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet ſæculum ſæculi.* Vbi D. Auguſtinus: *Minuitur pecunia, & augetur iuſtitia.* En opus pœnale in diminutione pecuniæ, cuius amor quid non mortalia pectora cogit? & iuſtitiæ, ac meriti augumentum ei correſpondens, ſimulque ſatisfactionem, quæ creſcit, quò pœna, difficultas, ac meritum augentur Rurſus D. Chryſoſt. hom. 36. ad populum: *Si ergo eleemoſyna nos agnouerit, & Dominus agnoſcet: ſi non agnouerit ipſa, ignorabit & Dominus, & dicet: Neſcio vos: hæc enim maior eſt gratia, quam mortuos ſuſcitare: multò enim maius eſt, quàm in nomine Ieſu mortuos ad vitam reuocare, eſurientem paſcere Chriſtum.* De ieiunio, & oratione ſimilia non legi.

48 Tobiæ 49. *Eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Quæ liberatio ſanè ad pœnas etiã, vel maximè, tendit, nam immediatè eleemoſyna non liberat à culpa, quæ aufertur per gratiam: ſed à pœna, quæ recompenſatur per ſatisfactionem eleemoſynæ. Pſalm. 40. *Beatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Vbi videndi ſunt S. Auguſt. & Caſſiodor. Tobiæ 4. *Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere, ita enim, vt nec à te auertatur facies Domini.* Tobiæ 12. *Eleemoſyna eſt, quæ facit inuenire miſericordiam.* Matth. 5. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur* 1. Timoth. 4. *Pietas ad omnia vtilis, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* Matthæi 25. *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Innumera alia extant Scripturæ teſtimonia, nec adeò plura, ac vitam æternam firmiter promittentia, peccatorumque, ac pœnarum veniam ſignificantia, de oratione, ac ieiunio, ſcio, an poſſint adglomerari. Vt rectè dixerit S. Chryſoſtom. *hom. 33. ad popul. Ars omnium artium quæſtuoſiſſima eſt eleemoſyna. Æternam vitam miniſtrat, & ex manibus mortis eripit, & in vtraque vita exhibet claros.*

49 Idem D. Chryſoſtomus afferens loca Lucæ

Digitized by Google

Lucæ 11. Matthæi 12. Actor. 10. *Eleemoſyna peccata purgat: ait enim: date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Hæc ſacrificio maior eſt. Miſericordiam, inquit, volo, & non ſacrificium: hæc cœlos aperit: Orationes tuæ, & eleemoſyna tua aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. Hæc virginitate magis neceſſaria, &c.* Legatur idem Chryſoſtom. *homil. 65. ad popul. & lib. 3. de Sacerdotio: ac homil. 7. ad Rom. & hom. 14. ibidem.* Item *tom. 5. hom. 5. de pænit. & hom. 7. ibidem:* necnon *hom. de Miſericordia, & duabus viduis: & ſerm. Quod diſpenſatio rerum, &c. & ſerm. Ne ſcrutemur pauperes:* & pluribus aliis in locis.

50 Danielis 4. *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.* En Nabuchodonoſorem hortatur Daniel potiùs ad eleemoſynam, quam ad ieiunium, & orationem, vt veniam ingentium peccatorum à Deo impetraret, & pœnas pro illis debitas redimeret. Luc. 13. *Date eleemoſynam facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt.* Vbi D. Chryſoſt. allatus à S. Th. in Cat. *Non eſt enim peccatum, quod eleemoſyna nequeat abolere: antidotum eſt cuilibet conueniens vulneri.* Et infrà: *Nam ſine eleemoſyna impoſſibile eſt regnum videre.* Lege ibi Bedam, Gregorium Nazianzenum, Chryſologum, Cyrillum Euſebium Gregorium Nyſſenum, & Theophylactum.

51 Sed clarè in propriis terminis noſtræ quæſtionis audi Chryſoſtomum allatum ab ipſo S. Thom. in Caten. *ad cap. 11.* Luc. *Eſt enim eleemoſyna, quæ caret iniuſtitia qualibet. Hæc omnia facit munda, & ieiunio eſt præſtantior.* Præterea vis, quæ in oratione adſtruitur, etiam in eleemoſyna continetur: Eccleſ. 9. *Claude eleemoſynam in ore pauperis, & ipſa exorabit pro te in die malo.* Clemens Alexandr. *lib. 3.* Pædag. *c. 12. Exponitur modus orationis, ſi videris nudum, operi eum.* Vbi oratio, & modus orationis eleemoſyna nuncupatur, vt expendit P. Didac. de Celada *tom. in Iudith. cap. 4. §. 11. num. 44.*

52 Propè etiam ad noſtram quæſtionem venit Saluianus *lib. 1. ad Eccleſ.* vbi explicat locum Danielis de redimendis peccatis media eleemoſyna: *Quid eſt, aliqua redimere? Opinor, pretium rerum, quæ redimentur, dare. Hoc facito, quod Propheta dicit: Peccata tua in miſericordia redime. Æſtima diligentiſſimè culpas, quas admiſiſti, æſtima peccatorum diuerſitates, cumque omnium ſupputaueris numerum, expende pretia ſingulorum: & poſt hæc non quæro, vt pro peccatis totum Deo reddas, quod habes: hoc ſolum redde, quod debes.* Loquitur apertè de pretio pœnarum, quæ pro peccatis debentur, & ſoluendæ ſunt per ſatisfactiones eleemoſynarum: ideò quantitas illa eſt penſanda, vt quantitas eleemoſynæ correſpondeat. Peccata enim non remittuntur per eleemoſynam, nec ad remiſſionem culpæ ea æſtimatio & compenſatio neceſſaria eſt: cum quælibet peccata etſi diuerſa, ac multiplicata per pœnitentiam remittantur.

53 Claudat hoc eleemoſynæ elogium, (ne videar, plura, quæ poſſem, afferens, concionator.) illud Iſaiæ *cap. 58. Cum effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, tenebræ tuæ erunt ſicut meridies. Et requiem tibi Dominus dabit ſemper: animam tuam, & oſſa tua liberabit: & eris quaſi hortus, & ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.* Ad quem locum videatur S. Damaſcenus *lib. 2. Paralellorum cap. 6.* Rem concludo, id cenſens, nihil adeò in Scripturis ſacris, & in Patribus commendari, ac eleemoſynam, inter virtutes morales, earumque exercitia, vt Deus placetur, & peccato dimittatur; quæ omnia non ſunt intelligenda præcisè, circa placationem Dei, vt efficacia auxilia præſtet; quibus ſcit, hominem conuertendum fore indeque remittat peccata; ſed intelligenda ſunt de remiſſione pœnarum, quæ pro peccatis debentur, vt annotauimus.

CAPVT VII.

An ſepultura in loco ſacro ſit vtilis animabus defunctorum?

54 PArs affirmatiua eſt certa. P. Bardi *in Bull. part. 4. tr. 4. cap. 1. ſect. 3. §. 3. n. 23.* eam vtilitatem probat, tum quia, cum defunctus ad ſepulturam defertur, plures comitantes cadauer pro eius anima Deum orant; tum quia, quoties Fideles ad Eccleſiam conueniunt, conſpiciunt ſuorum ſepulchra, & recordantur animarum, atque pro eis preces fundunt: tum demùm, quia animæ commendantur illorum patrocinio ſanctorum, quorum corpora reperiuntur in illa Eccleſia, in quo defunctus ſepelitur. Addo, etſi corpora ſanctorum in Eccleſia non reperiantur, videri, idem contingere, ſi Eccleſiæ ſint ſtructæ ſub eorum ſanctorum titulo. Quod magis adhuc eſt pietati conſonum, quando is, qui ſepelitur, aut eius progenitores ob deuotionem ergà aliquem ex ſanctis Eccleſiam, vel capellam conſtruxit, in qua tumuletur: par enim eſt, vt hic affectus, & cultus interceſſione ipſius Sancti compenſetur.

55 Prædictis vtilitatibus aliam duplicem ego adnecto, quæ inuenitur in ſepultura corporibus præſtita intra ipſas Eccleſias. Prima eſt, quam attigimus, *ſuprà hac diſput. cap. 2.* nempè quòd pij Fideles aqua benedicta ſolent aſpergere ſepulchra, nec non & Sacerdotes Reſponſoria pro

defunctis

defunctis dicentes: vnde eis prouenire leuamen,oſtendimus:quo carent animæ, quando eorum corpora ibi ſepulta ſunt, vbi hæc pietas raro,aut nunquam exercetur.

56 Secunda deſumitur ex reuelatione, quæ extat in vita Sancti Martini Canonici Regularis Legionenſis,(cuius meminimus *eo cap.*2.) Etenim prædicto Sancto Martiuo apparuit anima Sacerdotis cuiuſdam in Purgatorio detenta,atque affirmauit,dum in altaribus ſacrificia Miſſarum peraguntur, illicò poſt conſecrationem, concedi animabus Purgatorij, quarum corpora in Eccleſiis iacent, ſingulas ad ſuum accedere ſepulchrum,indeque videre Chriſtum Dominum ea in ſpecie, qua apud mortales in vita commoratus fuit, (non quidem eius naturam,ſeu eſſentiam diuinam,)qui conſpectus gaudiũ eis,ac leuamẽ ingens afferebat. Quod,non aſſeruit,conceſſum eſſe animabus, quarum corpora ſepulta ſunt extra loca ſacra in locis,in quibus non celebratur ſacrum. Vnde cernitur, quot ſint vtilitates in ſepeliendis corporibus defunctorum intra ipſas Eccleſias.

CAPVT VIII.

An Confeſſarius poſſit iniungere pœnitentiam Sacramentalem pro animabus Purgatorij applicandam pœnitente?

57 POſſe, docet P. Bardi *p.*4 *tr.*4. *c.*1.*ſect.*3. §.4. *num.*28. Probat, quia ſi non poſſet,maximè,quia hoc eſſet contra integritatem, ac inſtitutionem Sacramenti, cum ea pœnitentia non eſſet in ſatisfactionem culparum pœnitentis;ſed in ſatisfactionem animarum. At hoc eſt falſum: ergo. Minorem ſuadet, quoniam ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ ſufficit,vt opus iniunctum à Confeſſario ponatur,& habeat effectum punitionis in ipſo pœnitente, quamvis per illud non relaxetur pœna debita pro peccatis ad confeſſionem adductis.Confirmat,quia nulla apparet ſufficiens ratio,qua dicamus, eſſe de eſſentia ſatisfactionis Sacramentalis, quòd eius fructus non poſſit in alium transferri.

58 Iudicat hic Author efficacem paritatem ad ſui aſſerti probationem, quæ ſumitur ab eo caſu,in quo pœnitens opus iniunctum à Confeſſario exequitur in ſtatu peccati mortalis:tunc enim iuxta ſatis communem,ac receptam ſententiam, pœnitens exequendo pœnitentiam in tali ſtatu adimplet præceptum impoſitum, ſuæque obligationi ſatisfacit,& non tenetur iterum repetere opus,dum redit ad ſtatum gratiæ.Quo caſu remanet integritas Sacramenti Pœnitentiæ abſque remiſſione pœnæ:ergo idem in caſu quæſtionis contingit.

59 Sed ab hoc vltimo incipiendo,paritas nullam vim habet: nam pœnitentia Sacramentalis adimpleta in ſtatu peccati lethalis, recedente fictione, ſeu homine redeunte ad ſtatum gratiæ, ex opere operato eſt relaxatiua pœnæ ex vi Sacramenti antecedentis, ſuumque effectum ſatisfactionis adæquatè ſortitur, vt docent Caietanus, Petrus Soto, Victoria Nauarrus, quos refert,& ſequitur P. Suarius *tom.*4.*in* 3.*part.diſp.*38.*ſect.*8. *num.*7. & alij Authores, quorum fundamenta referre,extra noſtrum eſt inſtitutum.Hinc ei confeſſioni Sacramentali in hoc caſu non deeſt integritas,nec ſatisfactio nam ſi ille homo ad ſtatum gratiæ numquam rediret,ex accidenti hoc,deeſſet integritas ſatisfactionis,ſicut ſi non adimpleret pœnitentiam à Confeſſario iniunctam. At in caſu quæſtionis propoſitæ ſecùs omnino res ſe habet, cum nunquam detur ſatisfactio,ſi ea pro animabus Purgatorij applicetur.

60 Rurſùs non videtur ſolidè aſſeuerari nullam apparere rationem, propter quam ſatisfactio nequeat animabus Purgatorij applicari. Quippè cum ſit pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ ſatisfactio operis,ſi debeatur, & hæc ſatisfactio iuxta commmunem ſenſum,& explicationem ſit pro propriis culpis:ſit indè,vt ſi non apponatur,integrum Sacramentum non remaneat. Nec enim aſſignatur pro parte integrali Sacramenti punitio ſumpta à pœnitente vtcumque;ſed punitio,quæ ſit ſatisfactio,ſiuè actu,ſiuè recedente fictione. Hæc autem ratio non inualidè ſententiam contrariam probat, quam tuetur Ioannes Sanchez *in ſelectis diſp.*16. pro ea afferens Vegam,& Pedrazam.

61 Verùm contra P. Bardi id intendo, non cohærere inter ſe ſententiam,quã in præſenti tuetur,cum alia,quam tradiderat *part.*2. *tract.*4.*cap.*1.*ſect.*3 *num.*38.nempè ſpeculatiuè ſaltem eſſe probabiliorem opinionem defendentem, eum, qui lucratur indulgentiam plenariam, manere liberum ab exequendo pœnitentias iniunctas à Confeſſario. Arguo ſic. Eatenùs hic manet liber in ſententia id tuente,(cui ego aſſentio)quatenùs per indulgentiam plenariam ſatisfacit pro pœnis debitis,nec aliquid vltrà debet,cogenduſque non eſt,vt per executionem pœnitentiæ iniunctæ ſoluat pœnas iam ſolutas;ſed in caſu,quo opus iniunctum à Confeſſario eſſet applicandum quoad ſatisfactionem pro animabus Purgatorij,hæc ratio non haberet locum:igitur non maneret ille homo liber ab executione pœnitentiæ iniunctæ per lucrationem indulgentiæ plenariæ. Sola minor indiget probatione, & clarè oſtẽditur:quia in caſu prædicto opus iniunctum non eſſet ſatisfactorium pro pœnitente, nec per illud iterùm ſolueret, quod iam

Digitized by Google

iam ſoluerat per lucrationem indulgentiæ, cum illud opus iniunctum non haberet rationem ſatisfactionis, ſed punitionis,& vt punitio, aſſeritur implendum fore à pœnitente. Imò non ſolùm in hoc caſu, verùm conſequenter in omnibus, teneretur P.Bardi dicere, vt cohærentiùs loqueretur, non remanere pœnitentem liberum ab implexione pœnitentiæ Sacramentalis, obtinendo indulgentiam plenariam: quia pœnitentia duas rationes formales ſeparabiles poteſt includere, ſcilicèt punitionis, & ſatisfactionis, & ſingulas, docet, ſeorſim præcipi à Confeſſario, (ſicut in caſu poſito præcipitur punitio,& non ſatisfactio,) atque adeò ratione punitionis teneri illum ad implendum opus iniunctum, cum hęc ratio non auferatur per ſatisfactionem præſtitam media indulgentiâ plenaria.

62 Ex his cum *opere præcedenti diſp.6. à num.69.* tradiderim eſſe veriorem ſpeculatiuè,& practicè ſententiam, quæ deobligat pœnitentem ab executione pœnitentiæ Sacramentalis, quando indulgentiam plenariam lucratur, & id repetiuerim *in hac appendice diſp.2. cap.17.* conſequentior mihi videtur opinio Ioannis Sanctij negans, poſſe pœnitentias à Confeſſario iniungi applicandas pro animabus Purgatorij, cui ratio facta *à num. 59. vbi nuper.* ſuffragatur. Et ſaltem aſſero, etſi Confeſſarij ſententiæ oppoſitæ conformentur, in praxi rarò eſſe eas pœnitentias iniuncturos: tum quia par eſt, conſulere ipſi pœnitenti,& conari, vt pœnæ ab ipſo debitæ minuantur: tum quia pœnitentes iudicant, per opera iniuncta, quæ adimplent pro ſuis culpis ſatisfieri, nec obſtare eam applicationem pro defunctis: atque adeò, ſi agnoſcerent, nihil à ſe ſolui pro pœnis debitis, forſan id ægrè ferrent,& ſe deceptos putarent. Quæ omnia vitari, congruum apparet.

CAPVT IX.

An legatum pro animabus Purgatorij relictum à teſtatore exiſtente in peccato mortali illis proſit, ſi teſtator poſteà ad ſtatum gratiæ reſtituatur?

63 IDem caſus exagitari poteſt, ſi opus in fauorem animarum mandetur ab exiſtente in peccato lethali,& mandatarius illud exequatur, cum mandans ſtatum gratiæ recuperauit. Idem etiam inueſtigari valet de ſatisfactione eius operis applicata à teſtatore, aut mandante, ſibi ipſi, an ipſi proſit, cum poſteà exercetur. Et ſupponendum eſt, cum duo in aliquo opere concurrunt, alius vt cauſa principalis, alius vt inſtrumentalis, ſeu executor, ac operans nomine alterius, cauſam principalem per illud opus mereri,& ſatisfacere; non verò executorem: requiritur autem ad meritum,& ſaisfactionem, tam pro ſe, quàm pro aliis ſtatus gratiæ, (non enim eſt ſermo de indulgentiis, quæ pro defunctis applicantur:) vnde ſi in eo ſtatu exiſtat, cum legat aut mandat,& poſteà, dum opus exercetur, equidem meretur per actum legandi,& per actum, quo mandat: ac legatum,& mandatum ſatisfactorium eſt, quod etiam eſt probabile, quamvis tempore adimpletionis nihil de illo cogitet, quia in radice, ac actu interno fuit illud opus liberum; eſtò oppoſitum magnam præſeferat probabilitatem, cum quis non mereatur, nec ſatisfaciat; niſi cum operatur liberè: atque adeò, ſi nulla actualis actio liberà eſt in homine mandante, quando exercetur mandatum, ſicut non eſt nouum in eo meritum, ità non eſt nouà ſatisfactio, quæ comitatur meritum; ſed totà ſatisfactio, ac meritum conſiderandum eſt penes actum liberum, quo legauit, aut mandauit opus. Quæ omnia fusè tradidi *in mat. de merito.* Huic doctrinæ applicatæ præſenti materiæ contradicit P. Bardi *part.4.tr.4.c.1.ſect.3.num.11.* ex eo quòd nulla conditio deſit ad ſatisfaciendum. Quod fundamentum euertitur, quiá deeſt libertas requiſita ad merendum; dum à mandatario exercetur actus: atque adeò deeſt ſatisfactio conſecuta ad meritum, quod tunc daretur, ſi eſſet libertas: ſolumque datur ſatisfactio conſecuta ad actum liberum mandandi illud opus: quæ æqualiter daretur, ſi opus omitteretur à mandatario.

64 Imò hinc argumentum deſumitur: nam ſi ob negligentiam mandatarij, inſcio mandante, opus non perageretur, nulla ſatisfactio adderetur de nouo mandanti: at cum exercetur opus, inſcio etiam mandante, eodem modo ſe habet: igitur nullá additur ei ſatisfactio. Quippè in vno, & in alio euentu mandans idem ex parte ſua peregit: quòd autem, eo inſcio, executioni non mãdetur opus, non debet ei nocere: ergo, ſi tunc non ſuperadditur ſatisfactio, neque ſuperadditur, cum exercetur opus, ipſo ignorante: aliàs ſi in hoc euentu ſuperadderetur, nocumentum in primo euentu ei reſultaret ex negligentia famuli, aut mandatarij.

65 Præterea certum eſt, cum opus mandatur ab exiſtente in peccato læthali,& quin peccator eſſe deſiſtat exercetur, illum non mereri, nec ſatisfacere per huiuſmodi opus. Reſtat ergo dubium *in titulo capitis* propoſitum P. Bardi *vbi ſup.num.16.* docet ſi ille, qui exiſtens in peccato lethali legauit aliquid pro defunctis, poſtmodum rediens in gratiam cogitet de diſpoſitione ab ipſo facta, quòd poſſit, ſi vellet, eam reuocare,& tamen non reuocet, opus eſſe ſatisfactorium pro eis pro quibus ille opus applicauit: quia cognitio illa coniuncta

Digitized by Google

coniuncta cum libertate ad irritandam diſpoſitionem priùs factam, eſt quædam interpretatiua, ſeu virtualis approbatio, & ratihabitio, à qua cenſetur opus procedere. Quod cenſet verum hic Author, quamvis ille homo non eliciat aliquem actum voluntatis poſitivum; ſed ſolum eam cogitationem habeat: nam ſufficit approbatio interpretatiua voluntatis.

66 Hæc ſententia, niſi plura ſupponat, & niſi ſuppoſita admittantur, vera non eſt. In primis ſupponit, dari aliquod exercitium voluntatis liberum non poſitivum, quod ſit actus interpretatiuus, ſeu interpretatiua approbatio, atque adeò dari puram omiſſionem liberam abſque omni actu: quod plurimi negant. Deindè aliud difficilius ſupponere videtur, nempè poſſe dari puram omiſſionem meritoriam, quam cum communi contra P. Ripalda inficiatus ſum *in tractat. de merito*. Etenim, ſatisfactio illa, quæ ex opere operantis eſt, annectitur actioni, aut quaſi actioni meritoriæ: vbi enim non datur meritum, neque datur ex opere operantis ſatisfactio: at ea ſatisfactio oritur ex prædicta approbatione interpretatiua, quæ eſt quædam pura libera omiſſio reuocationis: ergo in hac pura omiſſione meritum adſtruitur, quod & mihi non eſt verum, & communiori ſententiæ repugnat.

67 Quòd ſi ea omiſſio pura libera non ſupponatur, ſuſtineri aliundè nequit opinio P. Bardi: quippè ipſe fatetur, primam diſpoſitionem ab eo homine peccatore non eſſe meritoriam, nec ſatisfactoriam: deindè, ſi nullus in eo ponatur actus liber poſitivus, aut interpretativus, qui ſit pura omiſſio, nullum datur fundamentum ad meritum, nec ad ſatisfactionem, cum ſola cognitio, ex ſe indifferens, non ſufficiat, nec ſit aliquod exercitium libertatis; ſed ſolummodò prærequiſitum, aut conſtitutivum partiale extrinſecum illius: igitur opinio huius Authoris vera non eſt, niſi prædicto omiſſio libera, ac meritoria ſupponatur, quæ ſuppoſitiuo difficilis eſt admiſſu.

CAPVT X.

An vna Bulla defunctorum pro duobus, aut pluribus defunctis accipi valeat?

68 NEgat P. Bardi *p.4. tract. 4. c.4. ſect. vltim. num.9.* Probat ex textu Bullæ vbi de vna tantùm perſona ſingulari eſt ſermo. Addit aliam rationem, quam dicit efficacem: quia, ſi vna Bulla pro pluribus defunctis poſſet applicari, impediretur ſubſidium Cruciatæ, quod augendum eſſet, ſi pro ſingulis Bulla acciperetur.

69 Oppoſitam ſententiam docui *opere præcedenti diſput. 36. num. 2.* & explicaui textum, in quo eſt ſermo de vna perſona ſingulari, quia communiter pro vna accipitur: & quia, ſi liberatio à Purgatorio infallibilis intenditur, vni ſoli animæ Bulla eſt applicanda, eo quòd ſi ſuffragium inter plures diuidatur, ſingulæ non participabũt omnimodam liberationem à pœnis, ſeu effectum adæquatum ſatisfactionis, qui datur in indulgentia plenaria per modum ſuffragij.

70 Ratio, quæ dicitur à P. Bardi efficax, nullam vim mihi ingerit: quippè accipiens vnam Bullam pro pluribus agnoſcit, aut agnoſcere debet, omnes illas non liberandas fore à Purgatorio per eam ſolam Bullam, (hanc enim cognitionem, vel ruſticus habebit, cum videat, plures Bullas pro pluribus defunctis accipi: quòd ſi per vnam Bullam plures animæ liberarentur à Purgatorio, vna pro omnibus ſufficeret;) ſed quia non habet, vnde plures Bullas accipiat, vel non vult accipere, & ex alio capite optat pluribus defunctis benefacere, hinc ſumit vnam Bullam pro illis, vt ſinguli aliquod leuamen poenarum participent. Quare non minuitur ſubſidium Cruciatæ: nam vt ſinguli defuncti à Purgatorio liberarentur, plures Bullas acciperet: & ſtatuto apud ſe, vnam dumtaxàt accipere, quod ſubſidium minuitur in eo, quòd illam pluribus applicet? Minuitur quidem reſpectu ſingulorum, pro quibus Bulla applicatur, eius effectus; ſed hoc ab intentione applicantis depende, qui, vt liberè poteſt nullam Bullam defunctorum, & plures accipere, ſic valet ſuffragium inter plures diſtribuere. Quare laudauerim pauperes, qui non poſſunt erogare pro pluribus Bullis eleemoſynam, & pluribus ſunt defunctis coniuncti nexibus conſanguinitatis, gratitudinis, aut amicitiæ, ſi eis applicent Bullam, quam accipiunt. Et fortaſis creſcet ſubſidium Cruciatæ, ſi huius doctrinæ ſint conſcij, cum poſſit ſæpè contingere, plures nullam Bullam defunctorum accipere, cùm poſſent aliquam, ex eo quòd non valeant plures ſumere, & plures ſint defuncti, ad quorum leuamen conandum æquè tenentur, atque adeò, ne vnum alteri præferant, nullam Bullam accipiunt.

CAP. XI.

CAPVT XI.

An Regularis prohibitus à ſuperiore, ne audiat confeſſiones, ſi electus per Bullam ſit, poſſit eas audire non ſolùm validè, ſed licitè?

71 EGi adhuc cum P. Bardi, cuius explicatio Bullæ Cruciatæ omnibus numeris eſt perfecta; ſed tamen, quia in ſeptuaginta ferè opinionibus ab eo diſſideo, & Opus præcedens prælo iam dabatur, cum eius liber ad Hiſpaniam appulit, opus fuit, nunc Tractatum ſubnectere, qui in eius commendationem vtique cedet. At cum vltimam ei manum imponerem, conſultus fui à doctiſſimo noſtræ Societatis Theologiæ profeſſore de dubio appoſito *in titulo capitis:* & vt Bullæ proprium, ad finem huius Appendicis miſcellaneæ illud de nouo exagito. Supponit dubium, validam fore abſolutionem præſtitam ab eo Regulari approbato; non tamen eſſe licitam; ſed peccaminoſam venialiter, aut mortaliter iuxta qualitatem prohibitionis, tradidi *opere præcedenti diſp.* 12. *num.* 107.

72 Fore licitam Theologus ille amicus contendebat his argumentis. Primò, quia Prælatus inferior nequit reddere illicitum, quod Prælatus ſuperior permittit: at Pontifex, ſupremus omnium Prælatus, permittit, vt Regularis, ſi per Bullam eligatur, confeſſiones excipiat: ergo eius ſuperior, qui inferior eſt Pontifice, nequit illam exceptionem illicitam reddere. Secundò, nam eadem ratio militat, vt Regularis tunc audiat licitè confeſſiones, ac vt audiat validè, ſi quidem Pontifex poteſt auditionem reddere validam, & licitam: atque vtrumque eſt opus, ne fruſtretur eius priuilegium: igitur, ſicut hoc operatur, vt auditio ſit valida, etiam operatur, vt ſit licita.

73 Tertiò, iuxta P. Layman *tract. 6. de pænit. tom. 2. c. 10. n. 19.* & alios Authores, abſolutio erit valida præſtita à Regulari approbato, & iuriſdictionem habente ab Epiſcopo, etſi repugnet ſuperior Regularis, quamvis pœnitens Bulla non gaudeat, eſtò tunc peccet abſoluens: ergo, quando iuriſdictio dimanat à Pontifice, qui eſt omnium ſuperior, non peccabit: aliquid enim hæc iuriſdictio ſuperaddit: cum ideò in primo caſu peccet abſoluens, quia Epiſcopus iuriſdictionem præſtans non eſt ſuperior abſoluentis, nec eius Prælati Regularis: Pontifex autem, qui in Bulla iuriſdictionem præbet, vtriuſque eſt ſuperior. Quartò, vt Bulla non proſit ad abſoluendum à reſeruatis in Religionibus, harum ſuperiores confugiunt ad Pontificem, vt id declaret, aut præcipiat: ergo, quia ſupponunt, propria ipſorum præcepta non ſufficere, vt indultis Bullæ ſubditi non fruantur: aliàs non illud curarent; ſed præciperent ſub cenſuris, ne quis abſolueretur, nec abſolueret. Quintò, ſi ſubdito conceſſiſſet Prouincialis facultatem, vt confiteretur cum quolibet Sacerdote, non poſſet impediri à Prælato immediato: ergo, quod concedit Pontifex, nequit ab eo prohiberi: cum Pontifex ſit ſupra Prælatum illum æquè & multò magis, quàm Prouincialis. Sextò, ſi mihi in ſpeciali concederet Pontifex facultatem ad excipiendum confeſſiones, nullus Prælatus meæ Religionis id mihi impedire poſſet; ſed in Bulla mihi in ſpeciali, ſi eligar, concedit facultatem, vt abſoluam eligentem: igitur impediri à Prælato non poſſum. Hæc ingenioſè ſatis excogitata laudo; ſed adhuc in ſententia contraria perſiſto.

74 Eam ſic ſuadeo. Poteſt præcipere ſuperior Regulari ſubdito, ne confeſſiones audiat, ergo, ſi audit, illicitè operatur iuxta qualitatem præcepti. Antecedens probatur primò à priori, quia Pontifex concedens iuriſdictionem in Bulla Regulari approbato ad abſoluendum, non tollit à ſuperiore, ne præcipiat, vt confeſſiones ille non audiat: aliàs tolleret, ne illi præciperet, vt ad munia Communitatis, & ſui Officij propria obeunda accederet, & in aliis obediret, cum poſſet Regularis electus à pœnitentibus integros dies, & noctes inſumere in audiendis confeſſionibus, & excuſare ſe à cunctis Religionis oneribus, vt confeſſiones audiret, quod eſt abſonum. Quare Pontifex concedit iuriſdictionem: quòd autem hic, & nunc eam exerceat licitè, non concedit: cum id non in omnibus circunſtantiis, quæ accidere queunt, indulgeat; ſed ſolùm, dum aliundè non ſit circunſtantia actum vitians. Secundò probatur, nam, ſi ſubditus approbatus ſcientiam dediſceret, & moribus prauis eſſet affectus, quin approbatio ab Epiſcopo foret reuocata, non ſolùm poſſet verum deberet ſuperior prohibere illi auditiones confeſſionum; nec credi poteſt operari malè impedientem, & Pontificem velle reddere licitos actus audiendi confeſſiones. Tertiò ſuadetur, nam, ſi Prouincialis ſubdito præbeat facultatem audiendi confeſſiones fœminarum, non ideò, quoties ipſe velit, poteſt in audiendis illis tempus inſumere: atque adeò poteſt prohiberi ab immediato ſuperiore, ne in his, aut illis circunſtantiis eas audiat: ergo ſimiliter in noſtro caſu. Idem cernitur in aliis priuilegiis; nam poteſt ſuperior præcipere inferiori ſubdito, ne viſitet altaria, (quorum viſitationi indulgentia

Bullæ conceditur,) ſi adſit iuſta cauſa: poteſt item prohibere ſexagenario ſubdito potenti edere lacticinia, virtute Bullæ in ieiuniis Quadrageſimæ, ne illa edat: & ſimilia. Itaque ſi tunc ederet lacticinia, non peccaret contra præceptum Eccleſiæ. Bulla enim ab eo peccato illum liberaret, peccaret autem contra præceptum ſuperioris, qui abſtinentiam poterat à lacticiniis iniungere in illis ieiuniis, ſicut poſſet iuſta de cauſa in aliis diebus. Prætereà ſi prohibitus viſitaret altaria, vt animam à Purgatorio liberaret, hunc effectum obtineret, ſed peccaret. Similiter ſubditus prohibitus ab immediato ſuperiore audire confeſſiones propter cauſam iuſtam, licèt habeat à Prouinciali, aut à Pontifice facultatem, peccabit, ſed validè audiet.

75 Quare ſuperior immediatus non poteſt tollere, quòd abſolutio ſit valida, ſicut non poteſt, quòd liberetur anima à Purgatorio, ſi ſubditus viſitet die deſignato altaria: nam id operatur priuilegium indultum à maiori Prælato: at poteſt tollere, quòd non abſoluat, & quòd non viſitet altaria quia id non conceditur ſubdito abſolutè, & in omni tempore, & circunſtantiis, vt oſtendimus; ſed in debitis, ac iuſtis: debita autem circunſtantia in eo, qui profitetur obedientiam, eſt placitum ſui ſuperioris, & dependentia ab eius voluntate, quæ omnino neceſſaria eſt, ne Religionis norma turbetur, & ſubditi iuxta inſtitutum regantur.

76 Ad fundamenta contraria reſpondeo. Ad primum: Pontificem abſolutè concedere iuriſdictionem; ſed non permittere eius actuale exercitium vt licitum omni tempore, & in omnibus circunſtantiis: atque adeò ſuperior Regularis non facit illicitum, quod ille vt licitum permittit; ſed reddit illicitum, quod ille permittit, vt indifferens ad licitum, & illicitum iuxta concurrentes circunſtantias. Ad ſecundum aio: non eamdem militare rationem, vt exceptio confeſſionum ſit valida, & ſit licita; quod & in aliis pluribus poterat oſtendi, & in præſenti: quia, vt ſit valida, ſufficit conceſſio iuriſdictionis, quam impedire nequit ſuperior Regularis: vt autem ſit licita, exigitur, vt à circunſtantiis non vitietur. Nec priuilegium Pontificis fruſtratur: nam operatur valorem abſolutionis, & item honeſtatem, ſi debitæ conditiones concurrant. Ad tertium dico: caſum vtrumque quoad hoc habere ſe eodem modo: nam non peccat ſubditus ideò, quia Epiſcopus non eſt eius ſuperior; ſed quia operatur indebito modo, & præter, aut contra ſuperioris voluntatem, cuius poteſtas in gubernatione ſubditorum non tollitur adhuc per Pontificem in Bulla, in qua non concedit, vt illi pro libito excipiant omnium confeſſiones.

77 Ad quartum aſſero, ſi in Bulla concederetur Regularibus facultas vt abſoluerentur à reſeruatis, eam à ſuis Prælatis impediri non poſſe, & ideò illos ad Pontificem confugiſſe eo quòd olim plures cenſuerint, concedi in Bulla facultatem, vt Religioſi abſoluerentur à reſeruatis. Etenim Prælatus non poteſt impedire ſubdito, ne confiteatur ſua peccata, cum ſubditus ex præcepto diuino ad id teneatur. Quòd autem cum hoc, aut illo confiteatur, ſi concederetur in Bulla, non eſt caput, vnde impediri valeat. At ad excipiendum confeſſiones non tenetur: & iuſtæ cauſæ concurrunt, ob quas impediri poſſit. Itaque hoc priuilegium non eſt immediatè Confeſſoris; ſed pœnitentis: nec ſupponit aliundè obligationem exercendi id, quod in eo conceditur: ac ideò eſt impedibile: ſecùs illud priuilegium, ſi daretur. Ad quintum idem omnino reſpondeo: & diuerſitas vtriuſque priuilegij conſtat ex alio caſu *ſuprà* libato, ſi Prouincialis præbuiſſet ſubdito facultatem excipiendi confeſſiones fœminarum, & in aliquo euentu prohiberetur à ſuperiore immediato. Ad ſextum dico, eo caſu me poſſe impediri à ſuperiore, ne confeſſiones audirem, ſicut in caſu, de quo diſputamus, quia eædem prorsùs militant in vtroque rationes.

CAPVT XII.

An per Bullam vltimam Vrbani VIII. reuocatum fuerit priuilegium abſoluendi à reſeruatis Epiſcopo, quod conceſſum eſt Societati IESV, necnon aliis Sacris Ordinibus.

78 Statuimus *in ſuperiori libro, diſp.* 23. *n.*50. *& ſequentibus*, vigere priuilegium Societatis Iesv, quo licet eiuſdem confeſſariis abſoluere ſæculares à caſibus reſeruatis Epiſcopo. Sed adhuc ex alia Bulla præter *ibi* allatas, cuius non meminere Authores *ibidem* citati, ſcrupulus exoritur, cui obuiare operæ pretium duxi, vt tutò dictis ſtetur. Igitur Vrbanus VIII. in Bulla, quæ incipit: *Cum, ſicut accepimus:* Motu proprio ſanxit, vt quælibet priuilegia Religionum, etiam Societatis Iesv, quantumvis clauſulis valdè extraordinariis, & inſolitis muniantur, de cætero reuocentur per quaſcumque nouas ſanctiones Pontificias, ſi ſint eis contrariæ ſuper quacumque re, & negotio: Vnde videbatur, priuilegium abſoluendi à reſeruatis Epiſcopo eſſe reuocatum per Decretum, de quo egimus *prædicta diſput.* 23.

79 Attamen

Digitized by Google

79 Attamen tenendum eſt, reuocatum non fuiſſe: quippe in ea Bulla: *Cum, ſicut accepimus*, duo ſtabiliuntur. Alterum, vt priuilegia Religionum reuocata cenſeantur per noua Pontificum Decreta, ſi ſint in rebus ad Sanctum Inquiſitionis Tribunal pertinentibus: ſiuè ante hanc Bullam ea Decreta emanauerint, ſiue poſteà emanent ab Apoſtolica Sede. Alterum, vt à tempore, quo hæc Bulla fuit expedita, quæcumque aliæ in poſterum expediantur, ſi contrarientur priuilegiis Religionum, ea reuocent. Non verò ſtabilitur, quod Decreta ante hanc Bullam expedita circa alias res non attinentes ad Inquiſitionis Sanctæ Tribunal ſint reuocatoria priuilegiorum, quæ Religionibus ſunt conceſſa, ſi aliundè ea reuocatoria non erant.

80 Hinc ſoluitur dubium. Etenim Decretum Vrbani VIII. tollens Regularibus facultatem abſoluendi à reſeruatis Epiſcopo non fuit editum poſt præfatam Bullam: *Cum, ſicut accepimus*; ſed antecedenter: vnde ex vi huius Bullæ non eſt reuocatorium eiuſmodi priuilegiorum: Antecedenter autem non reuocare priuilegia *ſuprà* poſita, ſatis ſtabiliuimus. Quippè Decretum illud emanauit die 17. Nouembris anno 1628. Hæc autem Bulla edita fuit die 5. Nouembris, anno 1631. Vnde id Decretum non fuit ex emanaturis poſt Bullam. Cæterùm quia frequenter continget hoc dubium, an aliquod, hoc, vel illud priuilegium Regularium reuocetur, aut fuerit reuocatum, congruum erit, ipſam Bullam in præſenti tranſcribere, vt ex ea conſtet, quid liceat Regularibus, quid non liceat.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum, ſicut accepimus, Sancti Benedicti, Ciſtercienſis, Præmonſtratenſis, Sancti Antonij de Sancto Antonio Viennenſis, Societatis IESV, ac aliorum forſan Ordinum, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum Regularium Profeſſores vigore, ſeu prætextu priuilegiorum, ſibi, dictiſque Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & inſtitutis, ab hac Sancta Sede Apoſtolica: tam per viam meræ conceſſionis, quàm communicationis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam conſiſtorialiter conceſſorum in conſtitutionibus generalibus à Nobis, & dicta Sede hactenùs editis, & de cætero edendis ſe minimè comprehendi prætendant, niſi de eis ſpecialis, ſpecifica, indiuidua, & expreſſa mentio fiat. Nos, qui inter grauiſſimas, multiplicesque Apoſtolatus noſtri curas in eam præcipuo, ac peculiari ſtudio iugiter incumbimus, vt extirpatis hæreticarum prauitatum erroribus, Catholica fides vbique gentium cõſeruetur, & propagetur, ambiguitates, & dubia de medio tollere, & opportunæ diſpoſitionis miniſterio prouidere volentes, vt tot, tantæque conſtitutiones Generales à Nobis, & hac ſancta Sede, & præſertim ad fauorem fidei Catholicæ, illiuſque propagationem, & Officij Sanctæ Inquiſitionis contra hæreticam prauitatem editæ, & de cætero edendæ, ſublatis quibuſlibet exceptionibus, ſubterfugiis, & impedimentis, ad maiorem Dei gloriam, ſanctæque Matris Eccleſiæ exaltationem, debitum, vt par eſt, ſortiantur effectum, necnon quorumque priuilegiorum, gratiarum, & indultorũ, dictis ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Inſtitutis, cum quibuſcũque clauſulis, & decretis, etiam quantumlibet extraordinariis, & cautelis quomodolibet, & ex quacũque cauſa conceſſorum, etiam ſi in corpore Iuris clauſa ſint, tenores præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in eis tradita obſeruata, inſerti forent, eiſdem præſentibus pro expreſſis habentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine. Quod quævis generales conſtitutiones, diſpoſitiones, & ordinationes Apoſtolicæ per Nos, & quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros in concernentibus Fidem Catholicam, illiuſque propagationem, & Sanctæ Inquiſitionis Officium præfatum, præſertim quo ad ea, quæ in Congregationibus Sancti Officij, & de propagandâ Fide coram Nobis tractari ſolent, hactenus editæ omnes, & ſingulos tam Sancti Benedicti, Ciſtercienſis, Præmonſtratenſis, Sancti Antonij de S. Antonio Viennenſis, & Societatis IESV præfatorum, quàm quorumcumque aliorum Ordinum, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum, profeſſores omnino comprehendant: perinde ac ſi præfati, & alij quantumlibet priuilegiati in eis nominatim expreſſi fuiſſent. Edendæ verò in poſterum per Nos, & Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros, tam in fauorem præfatæ Fidei Catholicæ, illiuſque propagationis, & Sancti Officij Inquiſitionis præfati, quàm ſuper quacumque alia re, negotio, ſeu materia, Conſtitutiones, diſpoſitiones, & ordinationes huiuſmodi ſimiliter omnino comprehendant præfatos corũdem Ordinum, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum profeſſores, niſi in edendis Conſtitutionibus huiuſmodi ſpecialiter, & expreſsè excipiantur, etiam ſi ipſi priuilegiati forent magis ſpeciali nota, & expreſſione digni: eiſque priuilegia gratiæ, & indulta à Sede Apoſtolica præfata, etiam ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibus,

Mendo in Bull. Cruciat.

Digitized by Google

etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus,& inſolitis clauſulis,ac irritantibus, & aliis Decretis, etiam Motu,ſcientia, ac de poteſtatis plenitudine ſimilibus,& conſiſtorialiter, etiam contemplatione,vel ad inſtantiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum,tam per viam meræ conceſſionis, quàm communicationis,& aliàs quomodolibet conceſſa reſpectiuè ſint,quorum,ſeu quarum vigore, vel prætextu ſint excepti,ſeu ſe minime comprehendi prætendant in conſtitutionibus generalibus,vel aliis non facientibus plenam, & expreſſam eorum mẽtionem. Præſentes verò litteras,omniaque,& ſingula in eis contenta,etiam ex eo,quòd Ordinum, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum huiuſmodi profeſſores, vel alij quicumque in præmiſſis intereſſe habentes,ſeu quomodolibet habere prætendentes, ad hoc vocati,& adducti,ac cauſæ,propter quas eædem præſentes emanarunt, adductæ, verificatæ, ſeu aliàs iuſtificatæ non fuerint,vllo vnquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quovis,etiam quantumcumque ſubſtantiali defectu,notari,impugnari,inualidari, retractari, in ius, vel controuerſiam reuocari, aut ad terminos iuris reduci,aut aliud quodcumque iuris facti, gratiæ, vel iuſtitiæ remedium impetrari nullatenùs poſſe, neque ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, pro tempore quomodolibet faciendis, comprehendi; ſed ſemper ab illis exceptas, ſemperque validas,firmas,& efficaces exiſtere,& fore ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri,& obtinere,ac ab omnibus,& ſingulis, ad quos ſpectat,& pro tempore ſpectabit,inuiolabiliter obſeruari, ſicque per quoſcumque Iudices Ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales,etiam de latere legatos, dictæque Sedis Nuntios, ſublata eis, & eorum cuilibet,quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate,& authoritate,iudicari,& definiri debere,ac irritum,& inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam,quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obſtante regula noſtra de iure quæſito non tollendo, ac quibuſvis aliis Conſtitutionibus,& Ordinationibus Apoſtolicis; necnon tam Sancti Benedicti, Ciſtercienſis, Præmonſtratenſis, S. Antonij de S. Antonio Viennenſis, & Societatis Iesv præfatorum,quàm quorumcumque aliorum Ordinum, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, & priuilegiis, necnon præfatis, & quibuſvis aliis priuilegiis, indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam Mare magnum,& aliàs quomodolibet nuncupatis,eiſdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus,& Inſtitutis, eorumque Superioribus, bonis, rebus, Monaſteriis,locis Regularibus, & perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro plenè,& ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxàt ſpecialiter derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis,etiam impreſſis,manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ,quódque eædem, præſentes litteræ, ſeu illarum exempla ad valuas Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixa omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimata fuiſſent. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris, die 5. Nouembris 1631. Pontificatus noſtri anni nono.

M. A. Maraldus.

Quæcumque ergo priuilegia Sacrorum Ordinum in concernentibus Sanctæ Inquiſitionis Officium, quocumque tempore conceſſa, per Bullas contrarias, ſi dentur, reuocata ſunt, & nullo robore firmantur. At alia priuilegia non reuocantur, niſi Decreta contraria poſt diem quintam Nouembris anni 1631. à Pontificibus emanent: vel niſi ante diem prædictum emanauerint, ea in forma, & his ſeruatis, quæ ad reuocationem requirantur, attentis ipſorum priuilegiorum firmitatibus, & clauſulis. Cæterùm priuilegium abſoluendi à reſeruatis Epiſcopo non eſſe reuocatum ex vi præfatæ Bullæ, ſatis ex *ſuprà* poſitis conſtat.

DISP. V.

Digitized by Google

DISPVTATIO V.

Examen eorum, quæ aduerſus opiniones in toto hoc Opere ſtabilitas ab aliquibus Authoribus proferuntur poſt primam earum publicam editionem.

Poſtquam anno 1651. edidi in lucem hoc opus in Bullam Cruciatæ, aliqui ſcriptores nonnullas ex meis opinionibus in ſuis ſcriptis impugnarunt, me relato, & vnus, vel alter aſperiùs in me inuectus, quàm mea indoles nulli offenſionem parans, & meus ſcribendi pacatiſſimus ſtylus ab omni querelarum anſa alienus mereantur. Eis id ex animo condono, & quidem minimè tenax proprij iudicij ſententias mutarem, ſi impugnationes mentem conuincerent; at quia eis expenſis firmus ahduc hæreo his, quæ *hoc tomo* tradidi, operæpretium iudicaui *in hac diſputatione* eas euoluere, ac diluere; quod perutile erit his, qui prædictis ſententiis aſſenſerit, ſi magis conſpicuæ, argumentis contrariis ſolutis, reddantur, & magis exornentur, ac ſtabiliantur. Iam in Opere nuper à me edito, nempè *Statera opinionum benignarum*, hanc diſputationem præfixi; ſed cum hoc opus in Bullam Cruciatæ ſecundò in lucem prodeat, quaſi in proprio loco, eam iterùm appono; Nec enim, dum *ſtateram* elaborarem, de hac ſecunda editione cogitabam, ideóque ibi hanc diſputationem appoſui; Nec potui eam in præſenti non repetere, cum omnino ſit propria huius Operis; & aliqua inſuper addo.

CAPVT I.

An quis priuilegiis Bullæ Cruciatæ vti poſſit, quamuis eam amiſerit aut ruperit?

1 ASSERVI *ſuperiùs diſp.* 21. *cap.* 1. eſſe ſententiam communem, frui poſſe quem priuilegiis Bullæ Cruciatæ, quamvis ſummarium illius, quod erogata eleemoſyna accipitur à Quæſtoribus amiſerit inculpabiliter. Cæterùm ſi culpabiliter amiſerit, aut ſpontè ruperit, communiter doceri, eum non fore obtenturum Bullæ priuilegia, quam ſententiam eſſe tutiorem, aſſeueraui. Verum *ibi ex n.* 3. *& in hoc Appendice diſp.* 2. *cap.* 32. tradidi, eo ipſo quòd quis Bullam acceperit erogans pro ea eleemoſynam, licèt poſteà culpabiliter, aut inculpabiliter eam amittat, ſeu rumpat, poſſe adhuc omnibus eius priuilegiis frui. Quam doctrinam latè ſtabiliui, & à contrariis impugnationibus vindicaui. Id etiam tuetur, cum non diſtinguat amiſſionem culpabilem, aut inculpabilem Fr. Ioannes Henriquez *infrà* afferendus.

2 Hoc aſſertum iudicauit probabile Mag. Baſilius Legionenſis *in manuſcripta explicat. Bull. cap. vlt. num. penult.* Poſtmodùm Fr. Barnabas Gallego *in explicat. Bull. cap.* 12. *dub.* 181. *& concl.* 2. ait, illud eſſe improbabile in praxi. Baſilius docuit, eſſe probabile; Gallego, eſſe improbabile. Cenſeat alius, cui ſtandum. Rursùs qua ratione manifeſta, cui nequeat fieri ſatis, probat ipſe, eſſe improbabile? Si eam namque rationem non adducit, per principia intrinſeca improbabilitas non ſuadetur. Deinde Fr. Ioannes Martinez de Prado *tom.* 1. *Theolog. moral. cap.* 6. *de Bulla* §. 4. *num.* 17. docet, in rigore verborum Bullæ, etiam ſi quis abſque culpa amittat ſummarium, videri verum, eum non potiri priuilegiis, ſed probabile eſſe, potiri.

3 Ab hoc vltimo incipiendo, aduerſus communem Authorum affirmatur vt verum, non frui priuilegiis Bullæ eum, qui ſine culpa illam amittit; nam omnes aiunt, ſufficere mediocrem diligentiam ad illam aſſeruandam, qualis in aliis rebus adhibetur, idque ſolùm præcipi, dum eius retentio impetratur, hæc quippè eſt quædam retentio moralis pendens à voluntate accipientis Bullam; cui imputari nequit amiſſio, aut ruptio inculpabilis; v.g. ſi pendentem quis illam habeat iuxta lectum, vt laudabiliter multi præſtant, & accenſo igne comburatur, vel cadente domo diſrumpatur, aut alius caſu eam diſrumpat; non poteſt id nocere ei, qui ob venerationem, & ad caſus vrgentes periculi mortis, non præueniens, nec timens eiuſmodi euentus, pendentem ibi Bullam retinebat. Aiunt, tempore interdicti pro foro externo non poſſe illum frui priuilegiis aſſiſtendi Miſſæ, & Diuinis Officiis, ac recipiendi Sacramenta, niſi Bullæ ſummarium retineat. Reſpondeo, in primis id verum eſſe caſu, quo depoſcatur, ipſum ſummarium oſtendi, vt qu[illegible] permittatur Eccleſiam ingredi; & tunc ad eum effectum ei acceptio Bullæ non proderit, ad alia autem priuilegia potienda valebit prodeſſe; is enim euentus eſt accidentalis, & ſpecialis, quem omnes Authores admittere debent; Et id ipſum continget, ſiuè culpabiliter, ſiuè inculpabiliter quis Bullam amiſerit. Reſpondeo deinde, hunc caſum vix eſſe practicum; Nam ſtylus communis eſt, interrogare ab ingredientibus Eccleſiam, an habeāt Bullam, non verò poſcitur, vt ſummarium oſtendatur, nec vllo in loco, aut Eccleſia vidi, aut audiui, poſci ipſius ſummarij oſtenſionem. Vnde interrogatus quis, an habeat Bullam, quamvis eam amiſerit, poteſt, reſpōdere affirmatiuè abſque mendacio; nam,

Digitized by Google

eo modo, quo eam habere ad fruendum aliis priuilegiis, requiritur, ad priuilegia potienda tempore interdicti deſideratur; quare cum Authorum communis ſententia doceat, eum, qui inculpabiliter amiſit ſummarium, habere Bullam ad fruendum eius priuilegiis, quæ abſque Bulla obtineri nequeunt, etiam ait conſequenter, eum illam habere ad aſſiſtendum diuinis officiis, ac recipiendum ſacramenta tempore interdicti. Nam habere Bullam quoad hos effectus idem ſonat, ac eam accepiſſe, erogaſſe eleemoſynam, & retinuiſſe, quantum ex ſe eſt, adhibita mediocri diligentia (& in mea ſententia idem eſt, ac eam accepiſſe, & eleemoſynam erogaſſe) cum habere eam, ſit, integrum eſſe ipſi fungi illius priuilegiis, & eam moraliter durare. Sicut ſi Prælatus conceſſiſſet verbaliter licentiam ſubdito, imò & in ſcriptis, ad excipiendas Confeſſiones, & licentia in ſcriptis fuiſſet amiſſa, interrogatus is poſteà an habeat licentiam ad audiendas Confeſſiones, verè reſponderet affirmatiuè, quia non ſignificatur phyſica, & materialis retentio licentiæ, ſed moralis; nempè quòd phyſicè, & realiter ea licentia fuerit conceſſa, & quòd non fuerit reuocata Idem de Bulla dicito per acceptionem quippè illius conceditur facultas ad fruendum eius priuilegiis; & durante anno non reuocatur; ergo habetur; & id eſt, habere Bullam.

4 Ad meum, & Baſilij Legionenſis aſſertum deuenio. Vellem ſanè, dum improbabile iactatur, reſponderi fundamentis à me allatis. Eis non reſpondetur, ergo in ſua vi manent, & coniuncta authoritati Baſilij probabile reddunt aſſertum. Præterea Gallegus, & Prado nullam nouam rationem pro ſententia appoſita afferunt, quam ego contra meum aſſertum non attulerim, & ſoluerim; nec meas ſolutiones impugnant. Nihil ergo ſupereſt in confirmationem mei profati aſſerendum. Nam verba ipſa Bullæ, quibus iniungitur retentio ſummarij: & quæ eſt præcipiuum, aut vnicum fundamentum eorum Authorum, præfixi ego initio diſputationis; Ea expoſui, forſan vt debent intelligi; Quin ex Ægidio Trullench, qui ſtat contra me, tranſcripſi clauſulam, qua ipſe fatetur, conſtare in verbis Bullæ retentionem iniunctam non continere præceptum; ſed conſilium. Si quid contra me nouum afferretur, nec facere ſatis poſſem, non eſſem iudicij tenax; dum nec affertur, nec meis fundamentis obuiam itur, rursùs enuntio, tutiorem eſſe ſententiam oppoſitam, meam verò probabilem, & tutam in praxi; & non eſſe conditionem ſine qua non, Bullæ retentionem, ſed conſilium ad melius eſſe; & indè non ſequi fraudem vllam contra ſubſidium Cruciatæ, cum ſummarium culpabiliter ruptum non reddatur Quæſtori; & culpabiliter amiſſum, ſi nomen accipientis ſit in eo ſcriptum, nulli prodeſſe; quin & ſi non ſcribatur, & inueniatur ab alio, huic non ſuffragari priuilegia Bullæ, cum ad id ſit requiſſitum eſſentiale, quòd ipſe, aut alius pro eo voluntariè eroget eleemoſynam. Et quidem reſpectu ſubſidij, & Quæſtoris eædem poſſunt timeri fraudes, ſi Bullæ Defunctorum, & Compoſitionis accipiantur à Quæſtore, erogata pro illius eleemoſyna, & poſtmodùm quis culpabiliter illas amittat, quin ſcripſerit nomen in illis; Nec tamen ideò vllus aſſeruit, Defunctos fore priuandos ſuffragiis Bullæ ſic amiſſæ, & bona non poſſe componi; Etenim ſtatim ac accipiuntur, applicatur indulgentia Defunctis per modum ſuffragij, & facultas conceditur ad bona componenda, quamvis poſteà ex culpabili negligentia amittantur, & deuenire iterùm queant in manus Quæſtoris, qui ſi ex malitia velit operari, poſſit ea ſummaria rursùs diſtribuere, & eleemoſynam erogatam ſibi applicare, ſiquidem non eſt redditurus rationem de duplici eleemoſyna accepta pro vno, eodemque ſummario. Ecce periculum huius fraudis (quod rarò contingere valet) imminet etiam Bullis Defunctorum, & Compoſitionis, indeque optimum conſilium eſt, negligentiam culpabilem amouere, ne amittantur; At id non obeſt fructui, & effectui. Idem dico de Bulla communi viuorum.

5 Et quidem in Bulla Latina comprehendente omnes facultates, & gratias, ex quibus conficiuntur Bulla communis viuorum, Cõpoſitionis, & Defunctorum apponitur ea clauſula, quòd ſummarium retineatur; & id cadit ſupra omne contentum in Bulla præfata; Quare cum tres illæ diuerſæ Bullæ ex ea conſlentur, pariter omnes afficit ea qualitas retentionis, & nihilominùs à nullo iudicatur, eam retentionem eſſe amplius quã acceptionem Summarij, quin reddatur Quæſtori, quamvis Bulla Compoſitionis ſtatim rumpatur (vt par eſt, rumpi) & Bulla Defunctorum amittatur, ſeu etiam diſrumpatur; Ergo non alia retentio in Bulla communi viuorum iniungitur, ſiquidem eodem ſenſu accipienda eſt ea vox *retineatur* reſpectu vnius, ac alteriùs Bullæ, nec variandus eſt pro libito, cum ſemel ſolùm in Bulla Latina præfigatur, nec poteſt ſenſus verborum Bullæ Latinæ in Hiſpana Bulla mutari. Quare in Bulla Hiſpana Defunctorum non aſſeritur, fore aſſeruandam; in Hiſpana Compoſitionis ſolùm dicitur, *y mandamos preciſamente que recibais en vos eſta ſanta Bulla*; Qua voce exprimitur illa vox *retineatur*; ideſt, non maneat apud Quæſtorem, ſed tradatur eroganti eleemo

Digitized by Google

eleemoſynam. In Bulla autem communi viuorum aſſeritur; *Que declaramos, que loſque la tomaren ayan de recibir, y guardar eſte ſummario, y Bulla.*

6 Per quæ verba non aliud innuitur, niſi id, quod per vocem *retineatur* in Bulla Latin. exigitur; At per hanc vocem ſolùm exigitur, ne apud Quæſtorem ſummarium remaneat, ſed accipiatur ab erogante eleemoſynam; Ergo non alia retentio neceſſaria eſt. Probo minorem, tum ex verbis Fr. Ioannis Enriquez *in quæſt. pract. ſect.* 48. *quæſt.* 3. *num.* 5. aſſerentis; *Aunque ſedice enel ſumario, que ſe debe tener guardada, no ſe ha deentender eſto materialmente. Demodo que lo que formalmente ſe manda, es, que no ſe de je en poder del depoſitario, ſino que ſe ſaque; prolo qual aunque diſpues ſe pierda, no es inconueniente*, tum quia illud ſufficit ad Bullam Defunctorum, & Compoſitionis, & in vno, eodemque ſenſu de omnibus gratiis, & priuilegiis in vno, vel pluribus ſummariis transcribendis Hiſpanè pro arbitrio Commiſſarij Generalis Cruciatæ, ea vox apponitur; tum quia ea vox in Bulla Compoſitionis ſic vertitur, *Que recibays en vos*, abſque alia retentione, & aſſeruatione; & ſic verſa in Hiſpanum idioma cenſetur continere eumdem ſenſum, ac ſignificationem, ac habet vox latina *retineatur*; Quòd ſi is eſt huius ſenſus, non poteſt alius, nec alia conditio ſine qua non, iniungi ad priuilegia conceſſa à Pontifice; ſolùm enim liberum eſt Cõmiſſario Generali, deſignare eleemoſynam erogandam, conflare duo, aut tria vel plura ſummaria ex his, quæ continentur in Bulla Latina, & eam vertere in idioma vulgare, ſenſu non mutato; non verò poteſt conditiones ſine quibus non, addere, vt priuilegia obtineantur, dum hæ conditiones à Pontifice non præfigantur. Quæ omnia latè ſtabiliui *ſuprà pluribus locis.* Quòd autem exprimatur in Bulla communi viuorum Hiſpana, quòd accipientes eam ſeruent, eſt declaratio in ordine ad forum externum, in ordine ad quod ea aſſeruatio vtilis eſt; tum ſi poſceretur ſummarium tempore interdicti; tum vt quis in articulo mortis, ſi amiſit loquelam, abſoluatur virtute Bullæ, quàm apud eum reperiat Confeſſarius, tum demùm ad alios, ſi qui ſint ſimiles euentus. Præterea quia frequentius accipitur Bulla communis viuorum, voluit Commiſſarius Generalis retentionem illius ſpecialiter commendare, vt ſic meliùs prouideret ſubſidio Cruciatæ, & vitandis quibuſque fraudibus Quæſtorum. Demùm quia non inficior, ſententiam oppoſitam eſſe communem, & ſic faſſus ſum *loco relato*, quare Commiſſarius Generalis æque, ac prudenter ſe illi conformans ea verba appoſuit circa retentionem, vt potè vt ſæpè repetiui, tutiorem. Ea autem omnia non tollunt à meo aſſerto probabilitatem ſolidis fundamentis innixam. Et crediderim, nec ipſis Cruciatæ integerrimis, & doctiſſimis Miniſtris, ac Iudicibus, meam opinionem viſam fuiſſe improbabilem, vt Gallegus fidenter aſſeruit.

CAPVT II.

An priuilegia Bullæ Cruciatæ abſque ſatisfactione poſſibili reuocari valeant?

7 TRadidi *in hoc opere diſp.* 2. *ex n.* 32. & *cap.* 7. *num.* & *diſput.* 16. *cap.* 2. *num.* 9. Pontificem poſſe reuocare Bullam intra durationis annum, dum tamen ſit ſpecialis cauſa, & compenſationem faciat his, qui illam acceperunt, ſi habeat, vnde faciat. Quòd ſi non habeat, & ad bonum commune expediat reuocatio, poſſe ſine compenſatione reuocare, aliter non poſſe; eo quòd priuilegia Bullæ concedantur per modum contractus lucratiui, & oneroſi.

8 Fr. Ioannes Martinez de Prado *tom.* 1. *Theolog. moral. cap.* 5. *de priuilegiis, quæſt.* 4. *ex num.* 5. affert ex Laurentio Portel acerbas impugnationes huius aſſerti, cenſente nempè, eſſe dignum cenſura, & correctione, ac aſſerente, non bene, ac piè ſonare in auribus Catholicis, quòd Pontifex cum Rege noſtro habeat contractum oneroſum in concedendis Indulgentiis, eo quòd Caluinus, & alij hęretici hoc falsò Catholicis imponant, quòd Indulgentiæ inſeruiunt ad emungendas pecunias, & aſſertum præfixum fauere huic errori. Poſtquam his Laurentij Portel affatis impugnauit ille Author aſſertum, tanquam nomine alterius, ait de ſententia præfati Laurentij, *Hæc ſententia veriſſima videtur*, indeque ſubſcribit impugnationibus eiuſmodi. Verùm cum videret, aſſertum contrarium eſſe plurium grauiſſimorum Authorum, exiſtimauit temperare eam aſperitatem, enuntiando, non eſſe credendum eos locutos fuiſſe de vero contractu. Id aſſertum nouiſſimè tenet R. Fr. Ioſephus Mendez *in Bull. inter.* 14. *num.* 185.

9 Euoluamus rem animo pacato. Vel iudicauit hic Author, prædictos aſſertores contrariæ opinionis appoſuiſſe verum contractum, vel non? Si primum; militat in illos cenſura, & correctio, quam affert, & fauor impertitus errori hæreticorum, ac malè ſonantia in auribus Catholicis. Quæ ſanè valdè aliena ſunt à merito, & doctrina Virorum, qui eam opinionem tuentur, & ego eos ſectatus ſum, illicò referendos. Si ſecundum; impugnat opinionem, quæ non eſt in rerum natura, & in hoc non vtiliter

Digitized by Google

tempus, ingenium, & paginæ inſumuntur.

10 Conſtet igitur ex dicendis, nihil in eo aſſerto *ſuprà* à Me præfixo, & pro quo Me *ibi* refert eruditus ille Author, contineri, quod dignum ſit correctione, & cenſura; nihil, quod in auribus Catholicis malè ſonet, nihil, quod faueat errori hæreticorum. Et in primis nec vllus Author, nec ego aſſerui, dari contractum inter Pontificem, & Regem noſtrum Hiſpaniarum; imò ipſa modificatio præſefert, non eſſe contractum; ſcilicèt priuilegia Bullæ expedita eſſe *per modum contractus*; quibus vocibus quiſque videat, non admitti proprium contractum. Quod ſanè malè apud nullum ſonare poteſt, nec fauere hæreticorum errori, qui id Catholicis imponebant, quòd mediis Indulgentiis, quaſi eas vendendo, vel in lucrum reportando, pecunias abſorberent. Id vt apertè cernatur, inquiro, in ſententia huius Authoris impertiturne fauor errori hæreticorum? Neutiquam, reſpondet. Rogo iterùm, in eius ſententia nonne eroganda eſt eleemoſyna eadem, ac in noſtra opinione, pro priuilegiis, & indulgentiis Bullæ? Affirmatiuè reſpondebit neceſſariò. Ergo nec in eius, nec in noſtra ſententia fauetur errori hæreticorum, quamvis vtrinque enuntiemus, non poſſe Indulgentias Bullæ obtineri, niſi erogata eleemoſyna pro Bulla. Hinc, ſi ex aliquo capite, erat arripienda malè anſa ab hæreticis ad ſuum errorem; & tamen nec æquo iure poſſe eam ab illis arripi eſt certum, nec indè eorum errori poteſt faueri; quid ergo fauoris in noſtra ſententia, potiùs quàm in ſua reperit prædictus Author? Quòd enim poſſit reuocari, vel non poſſit id priuilegium, quid ad rem? Hæretici in ſua falſa impoſitione non attendebant ad conceſſionem priuilegij ſiuè reuocabilem, ſiuè irreuocabilem, ſed ad conceſſionem, ſeu erogationem pecuniæ titulo obtinendi Indulgentias. Ecce ergo pares ſumus. Nec nos Indulgentias venales facimus, aut conſtituimus contractum, in quo Pontifex eas vendat, aut vendendas tradat, & Fideles eas emant; quare ex parte conceſſionis nihil adſtruimus fauens hæreticis; ex parte erogationis eleemoſynæ nihil addimus, quod ab omnibus non enuntietur. Liberi igitur, & incolumnes hinc euadimus. Quod adhuc clarè ex ſequentibus innoteſcet.

11 Statuo itaque, tanquam communem doctrinam, priuilegia conceſſa ob benemerita, ac obſequia, & beneficia erga Eccleſiam collata, communiter abſque ingenti cauſa, & ſeruatis aliquibus conditionibus, reuocari non poſſe. Ita docent Menochius *in cauſa Ferrarienſi, reſponſ. 2. art. 1.* Tiraquellus *in leg. ſi vnquam, Cod. de reuocand. donat. num.* 24. Federicus de Senis *conſil.* 233. Fragoſus, Oldradus, Azeuedo, Afflictis, & alij relatì à Don Franciſco de Ocampo *in allegat. Iur. pro vicariis de Aledo &c. litt. B.* Et probari id poteſt *ex cap. caterùm, de reſcript. cap. ex parte de priuileg. cap. 2. de dolo, & contumacia.* Et ex hoc capite, cum certum ſit, Pontifices concedere, priuilegia Bullæ à fidelibus obtinenda noſtro Regi Hiſpaniarum ob benemerita, obſequia, & beneficia erga Eccleſiam, atque vt hoſtes illius, ſubſidio indè recepto, profliget, ſit, ea, durante conceſſionis tempore, non poſſe communiter abſque ingenti cauſa, & ſeruatis quibuſdam conditionibus reuocari.

12 Rursùs priuilegia oneroſa, ſeu conceſſa per modum cõtractus oneroſi, communis etiam ſententia tenet, non poſſe reuocari abſque cauſa, & ſatisfactione præſtita, dum hęc poſſit impertiri. Sic extat *in leg. 2. in fin. tit. 1. partit. 2.* & ibi docent Gregorius Lopez *verbo, Buen cambio*, Bolognetus, & Matienzo, quos refert. & ſequitur P. Thomas Sanchez *de matrimon. lib. 8. diſput. 33. numer. 9.* Prætereà Antonius Gabriel *lib. 3. titul. de iure quæſito non tollendo, concluſ. 5. & 6.* P. Suarez *lib. 8. de legibus cap. 37. numer. 5.* Eruditiſſimus Don Ioannes de Solorzano *tom. 2. de Indiar. gubernat. lib. 2. cap. 27. ex num. 58. & cap. 30. ex numer. 18.* Surdus, Nata, Baſilius Legionenſis, Hieronymus Garcia, Lezana, Bonacina, P. Salas Vazquez, Caſtro Palao, Leſſius, Layman, Baldellus, & Diana, quos refert, & ſequitur ipſe Martinez de Prado *vbi ſuprà quæſt. 4. §. 1. ex num. 2.*

13 Ex hoc capite inferunt, Bullam Cruciatæ non ſuſpendi per Iubilæum anni Sancti, nec poſſe reuocari, niſi poſitis conditionibus requiſitis ad reuocationem priuilegij oneroſi, eo quòd Bulla concedatur per modum contractus, Bonacina, Baſilius Legionenſis, P. Thomas Sanchez, Salas, & Caſtro Palao relati ab eodem Martinez de Prado *vbi ſuprà §. 2. numer. 2.* Bullam autem ſortiri naturam priuilegij oneroſi, ſeu concedi per modum contractus, (quod in idem recidit) probaui *loco ſuprà relato*, nec opus eſt, vt extet in ſua vi aſſertum, authoritate adeò inſigni firmatum, niſi quòd fundamentis prædicti Authoris faciamus ſatis, nec immorabimur in his, quæ à Laurentio Portel aſſerta ab eo referuntur, cum ſatis ex dictis *ſuprà*, & ex dicendis diluantur.

14 Ait ergo, duorum argenteorum eleemoſynam pro tot gratiis in Bulla conceſſis eſſe valdè exiguam, atque adeò ſi quis vel vna die vſus illa fuiſſet, poſſet abſque iniuria reuocari. Reſpondeo, ſi reuocatio fieret ſolùm reſpectu vnius priuati, & hic iam ad aliquem effectum vſus fuiſſet Bulla poſſe

hanc

Digitized by Google

hanc rationem vtcumque pro reuocatione efformari; At ſi Bulla reuocaretur intra annum durationis, omnes ſimul priuarentur vſu priuilegiorum, & eleemoſyna ab omnibus ſimul erogata ad ſubſidium belli contra Infideles propè ad millionem ducatorum accedit; Quare non eſt facienda comparatio reſpectu vnius ſolius, ſed reſpectu collectionis omnium, cum reſpectu huius fieret reuocatio. Quod pluribus exemplis moralibus poſſet confirmari. Itaque reſpectu eiuſmodi collectionis videretur iniurioſa reuocatio, ſi abſque cauſa, & ſatisfactione, ſi hæc præſtari poſſet, reuocaretur Bulla; & cum collectio ex ſingulis conſletur, ſingulis inferretur detrimentum. Adde, poſſe contingere, plures nullum obtinuiſſe priuilegium Bullæ, cum ea reuocaretur; (vt ſic obuiam eamus ei vſui per vnum diem ſufficienti) Nam pone, eos eſſe in ſtatu peccati mortalis, cum Bullam acceperunt, & non obtinuiſſe indulgentiam conceſſam in acceptione illius; & deindè nec elegiſse Confeſsarium, nec quidquam virtute Bullæ præſtitiſse; ij ſanè, quamvis exiguam eleemoſynam erogaſsent, nullum tamen fructum exindè adquiſiuiſsent. Hinc eſtò Bulla detur pro pluribus actibus, ſi nullus adhuc eſt exercitus, non vitatur detrimentum illatum.

15 Eneruatur exindè diſparitas præſtita ab eo Authore inter alia priuilegia, & diſpenſationes Pontificias, ac inter Bullam. Etenim diſpenſationes ad matrimonium in gradibus prohibitis à Pontifice conceſsæ etiam ſunt actus iuriſdictionis ſpiritualis, qui pecunia vendi nequeunt, & pro illis erogatur eleemoſyna; hæ autem diſpenſationes nequeunt à Pontifice reuocari, niſi cauſa ſuperſit, & pecunia reddatur, vt fert communis Doctorum ſententia allata ab Ipſo Martinez de Prado; ergo idem in Bulla contingit. Reſpondet, eas diſpenſationes concedi ad ſemel, & Bullam ad plures actus. Diſſoluimus iam id reſponſum. Et præterea eſtò illæ diſpenſationes ſint ad ſemel, nam matrimonium ſemel contractum, eſt indiſſolubile, at conſideremus diſpenſationes iam à Pontifice conceſſas, & nondum executioni mandatas; & tunc temporis fit paritas; Non poſſunt hæ diſpenſationes reuocari abſque cauſa, & abſque ſatisfactione præſtita, ſi præſtari queat; ergo nec diſpenſationes, & priuilegia Bullæ ſemel conceſſæ poſſunt, niſi ſub eiſdem conditionibus, reuocari. Non video diſparitatem. Et aduertendum eſt, hunc Authorem ſolùm, ſeu præcipuè de Indulgentiis loqui, forſan vt ſub ea ſpecie odioſam reddat noſtram ſententiam; cum tamen in Bulla plures diſpenſationes in præceptis Eccleſiaſticis, & plurima alia priuilegia contineantur.

16 Addit ex P. Suarez, non requiri cauſam, vt reuocatio indulgentiæ fiat licitè, & validè; ergo à fortiori, cum daretur cauſa boni communis, poſſet ea reuocatio præſtari; maximè cum fideles non priuarentur merito eleemoſynæ erogatæ. Ecce argumentum ſumptum à ſolis indulgentiis, & imbecille; nam huiuſmodi ſe habet. Bulla continet plures diſpenſationes, plurima priuilegia, ac prætereà indulgentias; at indulgentiæ reuocari poſſunt, ergo & Bulla. A parte ad totum fit argumentum, & à minori ad maius, quare non euincit. Et prætereà reſpondeo, nihil contra aſſertum principale probari, etiamſi concederemus, indulgentias ſolas, & ſeorſim conceſſas poſſe reuocari, cum indè non euincatur, Bullam reuocari poſse. Deindè ſi Bulla ſolùm contineret Indulgentias, adhuc aſsero reuocari non poſse, niſi ſub conditionibus præiactis; eadem enim ratio militaret; dummodò fuiſset conceſsa per modum contractus. Tunc autem abſque cauſa reuocari licitè queunt indulgentiæ, cum conceduntur ſimpliciter, nec intuitu eleemoſynæ erogandæ, ſeu per modum contractus. Quòd autem, erogata iam eleemoſyna, & reuocata Bulla, non priuaretur erogans merito eleemoſynæ, à nobis non negatur: verùm nihil indè ſuadetur; ſiquidem priuaretur Bullæ priuilegiis, intuitu quorum eleemoſynam erogauit. Et ſanè multum probat hæc pia ratio; nam pariter non priuaretur merito eleemoſynæ præſtitæ, qui eam erogauit pro diſpenſatione ad matrimonium, quamvis ante matrimonium contractum diſpenſatio reuocaretur, & alia huiuſmodi.

17 Adhuc ait ex Portel, Pontificem non teneri ad conceſſionē Bullæ, & prætereà eam reſtrinxiſse reſpectu Religioſorum poſt conceſſionem quoad abſolutionem à caſibus reſeruatis: ergo poteſt eam reſtringere, & reuocare, pro vt libuerit. Non video quidquam contra nos in Antecedenti. Quippè ſupponimus, poſse Pontificem non concedere Bullam, elapſo ſexennio, pro quo eam concedit; Ita *loco relato num.* 31. diſertè tradidi. Deindè ſupponimus, cum Bulla à Pontifice conceditur, poſse has, vel illas facultates impertiri; Et nunquam impertiuiſse facultatem ad abſoluendos Religioſos à caſibus reſeruatis, conſtat ex Bulla Vrbani VIII. allata à me *ſuprà diſput.* 24. *cap.* 12. Vbi Pontifex clariſſimis verbis ait, nunquam fuiſse, nec eſse ſuæ intentionis, nec aliorum Pontificum, eam facultatem concedere, cum Bullam Cruciatæ indulſerunt. His ſuppoſitis, dubium eſt, poſt factam conceſſionem pro tali tempore, an eo tempore durante, poſſit reuocari Bulla? Nec impugnatur ex ratione facta, non poſſe ſub præfixis cirunſtantiis. Sicut certum eſt,

Digitized by Google

eſt, poſse Pontificem, non concedere diſpenſationem ad matrimonium contrahendum in gradu prohibito, & cum cōcedit, poſſe apponere hanc, vel illam conditionem, reſtrictionem, ſeu onus; at poſt conceſsam diſpenſationem, adhuc ante contractum matrimonium, eam non poſse reuocare abſque cauſa, & compenſatione, docent P. Thomas Sanchez, Caſtro Palao, & alij relati à Martinez de Prado *vbi ſuprà n.9.*

18 Inſtat, nullum in præſenti intercedere contractum, aut quaſi contractum, nam eleemoſyna ab erogante liberaliter datur, ſolúmque eſt conditio ſine qua non; hæc autem non facit pactum, nec contractum, nec dat formam actui. Inſto argumentum. In eleemoſyna, quæ erogatur pro diſpenſatione ad matrimonium; & quæ mihi reſponderit, hic aptabo. Deindè aio, ibi non dari contractum, ſed conceſſionem Bullæ eſſe per modum contractus, quia conceditur, eo quòd quis erogauerit eleemoſynam ad ſubſidium belli contra Infideles; quod ſatis innuitur in illis verbis Bullæ Hiſpanæ; *y por quanto vos diſteys ::: reales de plata, que es la limoſna, que auemos taſado, y declarado, y recibiſteis eſta dicha Bulla &c.* Et in decurſu ipſius Bullæ Latinæ, & Hiſpanæ aſſeritur, concedi eius priuilegia tribuentibus ſubſidiùm ad expeditionem cōtra Infideles; nec aliis non tribuentibus concedi affirmatur; vnde cernitur, eſſe priuilegium oneroſum, ſiuè per modum contractus conceſſum. Nec intendimus, eleemoſynam conſtituere contractum, cum hunc propriè dari non admittamus, ſed eſſe conditionem, ſeu requiſitum eſſentiale, & ſufficiens, vt priuilegium ſit oneroſum. Imò indè cernitur, quare non detur contractus, ſic verò conceſſio per modum contractus; nempè quia non datur ſtrictum pactum, quod det formam actui, faciatque, eum eſſe verum contractum; datur verò requiſitum, & conditio eſſentialis modificans actum, & faciens, quòd conceſſio reddatur oneroſa, & fiat per modum contractus.

19 Vrget, Pontificem Pium V. reuocaſſe omnes Cruciatas antecedenter conceſſas, eſt intendiſſe, illas non concedere; imò expedire aliquando, non concedi, ne fideles iudicent, indulgentias pretio pecuniario emi. Ab hoc incipiendo, neſcio, an benè audiet apud Regem noſtrum, & apud Regium ſenatum Cruciatæ, necnon apud omnes eos, qui auidè optant, hoſtes Eccleſiæ profligari, aſſerere, quòd expediet aliquando reuocare Bullam, & priuari ingenti adeò ſubſidio Regem ad bellum peragendum contra Infideles. Ego quidem huius congruentiæ non video aliquam firmam rationem. Deindè non negamus, poſse Pontificem, elapſo tempore conceſſiones, vlteriùs non concedere, nec prorogare Bullam, quod in ſenſu latiſſimo diceretur reuocare, quatenùs non proſequeretur conceſſiones ab Anteceſsoribus prorogatas; verùm de hoc non eſt dubium præſens. Quòd ſi Pius V. reuocauit alias Cruciatas antecedenter conceſsas, id intelligendum eſt de ea reuocatione latiſſima. Quòd ſi contendatur (id tamen non oſtenditur) durante tempore conceſſionis, eas reuocaſse, dicendum eſt, vrgentem extitiſse cauſam, nec habuiſse, vnde ſatisfactionem præſtaret, quod de ſanctiſſimo illo Pontifice quiſque credet. Id tamen certum eſt, tam longè abfuiſse Pium V. à reuocanda conceſſione Bullæ facta à Prædeceſsoribus ſuis ſerie continuata noſtro Regi Hiſpaniarum, quòd potiùs eam conceſſionem ampliauerit ad ſexennium, quæ conceſſionis forma nunc exercetur. Ita tradidi *in ſuperioribus diſp.1.cap.4. n.22.* Nec propterea fideles, qui non ſunt ignari, (nam hi ſolent aſſerere, ſe emiſse Bullam) iudicant, ſibi deberi ex iuſtitia, & pretio emi priuilegia, & Indulgentias Bullæ, ſicut non iudicant, ſe emere diſpenſationes Pontificias in matrimoniis, & Bullas ad Epiſcopatus, Dignitates, Canonicatus, Beneficia, Oratoria, & ſimilia, ad quæ omnia pecunias erogant, & quidem copioſas; De quibus omnibus eadem eſt ratio, & poſſet arguere aduerſus conceſſionem illatum præfactus Author, expedire, aliquando non concedi, ne exiſtimarent fideles, eas gratias à iuriſdictione ſpirituali prouenientes pecunia emi. Satis ſciunt, qui aliquid ſciunt, omnia ſpiritualia extra commercium eſſe, & nec emi, nec vendi poſſe, ſimoniamque committi, ſi temporale pro ſpirituali in pretium accipiatur.

20 Doctrinam noſtram confirmat D. Thom. *in 4. diſt.20. quæſt.1. art.3.q.3.* Cuius verba affert ipſe Martinez de Prado; *Pro temporalibus ſimpliciter non poteſt fieri indulgentia, ſed pro temporalibus ordinatis ad ſpiritualia, ſicut repreſſio inimicorum Eccleſiæ &c.* Ecce rectè fit conceſſio indulgentiarum pro temporalibus, ſeu pro pecunia ordinata ad ſubſidium belli contra Infideles, & voces ipſæ, Concedere vnum pro alio, ſonant conceſſionem per modum contractus, ſeu oneroſam; cum non ſit conceſſio omnino liberalis, ſed pro pecunia ordinata ad ſpiritualia. Nos ergo reipſa nihil aliud aſſerimus, niſi quod D. Thomas; & id vocamus conceſſionem per modum contractus.

CAP. III.

Digitized by Google

CAPVT III.

An limitationes adhibitæ in conceſſione Oratorij, virtute Bullæ Cruciatæ ceſſent?

21 Quando Oratoria conceduntur, aliquæ ſolent limitationes apponi, nunc plures, nunc pauciores; ſcilicet ne in eis celebretur certis diebus ſolemnioribus anni; ne plus quàm vnica Miſſa quolibet die dicatur, ne in eo recipiantur Sacramenta; ne ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam alius præter eum, in cuius gratiam Oratorium conceditur. Has limitationes ceſſare reſpectu eius, qui gaudet Bulla Cruciatæ (excepto quòd tempore Paſchatis nequit in Oratorio adimplere præceptum Communionis) docui *in ſuperioribus diſput.16. cap.2.numer.9.* Refert Me,ac mea verba tranſcribit Fr.Ioannes Martinez de Prado *tom. 1. Theolog. mor. cap. 6. quæſt. 4. §. 5. num. 21. & 22.* Et quia inſiſtens doctrinæ traditæ *quæſt. præced.* hæc tradidi; *Imò quamvis poſt acceptam Bullam Pontifex Oratorium concedat cum eis limitationibus, debent intelligi, ſi non habeatur Bulla. Quid? quòd facta expreſſa mentione Bullæ, non poſſe ab ipſo Pontifice eius priuilegia reuocari abſq; debita ſatisfactione poſſibili; eo quòd ſit priuilegium oneroſum, diximus diſput. 2. cap. 6.* Tranſcripſit hæc verba præfatus Author poſt alia præcedentia, & immediatè poſt illa *nu. 23.* ſic ait; *Incipiendo ab hoc vltimo aſſerto, valdè diſplicet, & non niſi cum iniuria Sedis Apoſtolicæ ita dicitur, vt conſtat ex dictis quæſt.4. cap. 5.*

22 In me ſolum intorſit iaculum, ſed vno impetu illud inflixit in Authores eius ſententiæ, qui & plures numero, & grauiſſimi ſunt ſapientia, quos irrogare iniuriam Sedi Apoſtolicæ, aſperè dicitur. Oſtendi *quæſt. præcedent.* nullam penitùs iniuriæ vmbram aduerſus Sedem Apoſtolicam in ea ſententia reperiri; quæ extrinſecè euidenter eſt probabilis ob Patronos, quos habet; per intrinſeca etiam principia probabilis eſt, cum fundamenta habeat ſaltem probabilia, nec vlla ratione manifeſta impugnetur, cui non fiat ſatis aut certè, aut ſaltem probabiliter. Eam ergo tenui abſque iniuria Sedis Apoſtolicæ; An mihi is Author eam irroget, dum id enuntiat, alius cenſeat; ego condono.

23 Limitationes omnes, quæ apponi ſolent in conceſſione Oratorij, ceſſare, & non habere locum reſpectu eius, qui Bulla Cruciatæ gaudet, tuentur Fr. Emanuel Rodriguez, Fr. Ludouicus à Cruce, Fr. Barnabas Gallego, Ægidius Trullench, Diana, P.Bardi, & P. Quintanaduenas relati ab eodem Martinez de Prado *vbi ſuprà n.21.* P.Gabriel de Henao *2.part.de ſacrificio Miſſæ, diſp.23. ſect.11.ex n.152.* Id aſſertum ſatis probaui,& ſtabiliui *loco relato.*

24 Ait Martinez de Prado, euidentiſſimum ſibi eſſe, quòd ſi Pontifex exprimeret, nullam limitationem ex appoſitis in conceſſione Oratorij ceſſare per Bullam Cruciatæ, profectò nullam fore ceſſaturam, nam omnes gratiæ in Bulla contentæ à gratioſa pendent voluntate Pontificis; nec ſe videre, inquit, cur manentibus in ſuo robore cæteris Bullæ priuilegiis,non poſſent à Pontifice derogari priuilegia quoad vſum Oratorij, quin ideò indigeret vlla compenſatione præſtanda, quippè gratiæ tunc in Bulla remanentes exuperarent multò maiorem eleemoſynam, ac eſt ea,quæ pro Bulla erogatur.

25 Euidentiſſimum id profert eſſe, ſed euidentiſſimam rationem non adducit. Etenim iam *quæſt. præced.* diluimus hoc fundamentum. Itaque antequam Pontifex concedat Bullam Cruciatæ, quæ quolibet ſexennio conceditur, ſeu quovis anno, antequam publicetur, & eleemoſyna erogata, accipiatur, poteſt reſtringere priuilegia Oratorij, & cætera alia, nec dubitamus, maiorem poſſe eleemoſynam erogari, vt quis obtineat partem eorum; Verùm ſemel conceſſa, durante tempore conceſſionis, non poſſe reuocari priuilegia, oſtenſum eſt *ea quæſt. præced.* niſi concurrentibus circunſtantiis, ſeu conditionibus *ibi* præfixis. Et quod aſſertum fuit generaliter de Bulla, intelligendum eſt de ſingulis eius priuilegiis; nam ſi poſſet abſque illis conditionibus vnum priuilegium reuocari, ſimiliter poſſet & aliud, & ſic de ſingulis.Cæterùm licèt pendeat à voluntate Pontificis gratioſa conceſſio Bullæ, at ſemel ea facta pro tali tempore,hoc durante,non pendet ab omnino gratioſa voluntate reuocatio, aut non reuocatio; quod in diſpenſationibus ad matrimonium fecimus manifeſtum *ſuprà*, & ſtabiliuimus ex conceſſione per modum cõtractus,ac ex natura priuilegij oneroſi,ex qua deducemus, compenſationem fore præſtandam,ſi fieri poſſet,in eius reuocatione.

26 Affert contra noſtrum aſſertum Congregationis ſacræ Concilij declarationem *die 4. Nouembris anno* 1648. editam, & relatam à Diana *part.9. tractat.1.reſol.* 5. à qua ipſe Diana ibi, & aliis in locis diſſentire non audet, nempè *Priuilegium Bullæ Cruciatæ non ſuffragari pro huiuſmodi Oratoriis, & Altaribus,ac Miſſarum celebratione.* Equidem Diana non affert verba formalia Declarationis,nec vllus alius, niſi ex ipſo Diana, eam refert; Quare nequit ex ea argumentum certum deſumi, cum non conſtet, circa quid ea Declaratio prodierit. Quod valdè ſuadetur ex modo,

Digitized by Google

modo, quo ipſe Diana loquitur; Nam ſi conſtaret, eam Declarationem eſſe expeditam manifeſtè quoad limitationes Oratorij non derogandas per Bullam Cruciatæ, ſanè Diana Romæ ſcribens, & venerator, vt omnibus pat eſt, Declarationum Congregationis Sacræ Concilij, omnino ei aſſenſum præbuiſſet, ac tenendam eſſe à cunctis, aſſeueraſſet; quod non præſtat, ſed omnino non audet ab ea diſſentire, vt ait Martinez de Prado; & pariter in ipſius Dianæ compendio, *verbo Oratorium, num.*13. aſſeritur; *Et quamuis in priuilegio excipiantur aliquot Feſtiuitates majores, quibus ibi celebrare non liceat, per Bullam tamen Cruciata tollitur exceptio. Sed conſiderandum, an huic non refragetur Declaratio Cardinalium.* En quàm ſubobſcurè de ea Declaratione ipſe Diana loquitur; nec aliundè authenticè de ea conſtat, nec ex Authoribus, cum ex ipſo ſolo cæteri illam retulerint. Quare P. Henao *part.2. de Sacrific. Miſſ. diſp.* 23. *ſect.*11. *num.*149. *&* 152. exiſtimat, per eam ſolùm fuiſſe declaratum, non licere per Bullam erigere Oratoria, nec Altaria ad Miſſam celebrandam, cum enim aliqui Authores contenderent, non tamen rectè, concedi in Bulla facultatem ad erigenda Oratoria, opportunè ad dubia quæque amouenda prodiit ea Declaratio. Ex illa ergo, vtpotè ſubobſcura, non conſtante authenticè, & ad alium finem, vt videtur, ordinata, non labefactatur noſtrum aſſertum. Paratus quidem ego ſum Declarationi cuicumque certæ, & conſtanti firmiter adhærere.

27 Independenter ab eiuſmodi Declaratione, inquit Martinez de Prado, incredibile videri, per Bullam his temporibus amplam adeò facultatem concedi, quam nec Nuntij Apoſtolici, nec Epiſcopi impertiri valent. Et fruſtrà ſtylus Romanæ Curiæ is eſſet in expediendis Breuibus ad Oratoria pro Regnis Hiſpaniæ, eas limitationes adhibendo, ſi exiſtimaretur, eas limitationes fore ceſſaturas reſpectu gaudentium Bulla Cruciatæ, cum omnes illam habeant.

28 Id quod incredibile viſum eſt huic Authori, credibile, & certum viſum eſt omnibus Authoribus, nullo excepto, qui ex profeſſo elucidarunt Bullam Cruciatæ; quare his potiùs eſt ſtandum. Nec mirum, per Bullam circa id concedi facultatem, quæ nec à Nuntiis, nec ab Epiſcopis concedi poteſt; cum ferè omnes facultates, & gratiæ, (& magis æſtimabiliores) quæ in Bulla conceduntur, non poſſint à Nuntiis, nec ab Epiſcopis indulgeri, nempè indulgentiæ plenariæ, diſpenſatio in eſu ouorum, & lacticiniorum diebus Quadrageſimalibus; facultas vt quis abſoluatur ſemel in vita (quovis anno durationis Bullæ) & ſemel in articulo mortis abſque onere comparendi à peccatis publicis reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, excepta hæreſi adhuc occulta; ſimiliaque indulta, quibus adde indultum, de quo nunc loquimur, ne magis hoc, quàm illa admirationem, & incredibilitatem moueant. Stylus autem Curiæ vnus, idemque eſt (nam ex formula conficitur) in Breuibus expeditis circa Oratoria pro Hiſpania, ac pro Italia, Gallia, Germania, aliiſque Regnis, in quibus Bulla non valet, eæque limitationes virtute illius ibi non ceſſant. Præterea non debet ſupponi in Curia Romana, omnes, quibus conceduntur Oratoria, habere Bullam, id enim eſt fallibile, cum poſſint non habere, aut non accepiſſe ſtatim ac annus durationis illius incipit, ſed poſt aliquod tempus, vt non rarò pluribus accidit. Quare tunc limitationes locum habent, & rectè apponuntur pro eis euentibus, qui moraliter contingunt, & contingere queunt. Demùm ſi elapſo tempore durationis Bullæ, Pontifex vlteriùs eam non concederet, & permanerent Oratoria, eæ limitationes forent obſeruandæ. Vides, ex quot capitibus ille ſtylus Curiæ ſit opportunus, quin indè contra noſtrum aſſertum quidquam euincatur.

29 Denique arguit præfatus Author. Hæc indulta ſunt diſpenſationes contra ius commune, ac retrahunt fideles à frequentia Eccleſiarum, minuuntque deuotionem, & reuerentiam debitam Sacro-ſancto Miſſæ Sacrificio; ergo non ſunt amplianda, ſed reſtringenda. In Bulla autem non exprimitur clarè facultas relata, ſed directa conceſſio ſolùm explicat, licere in Oratoriis tempore interdicti ea, quæ licebant tempore alio non interdicti; ſiquidem eodem verborum tenore loquitur Pontifex quoad hoc de Oratoriis, ac de Eccleſiis, atque de his ſolùm exprimit, licere eo interdicti tempore, quod alio tempore licebat.

30 Reſpondeo, priuilegia Bullæ, etiam prout continent diſpenſationes, eſſe latè interpretanda, & non reſtringenda vt odia, ſed amplianda vt fauores. Quam doctrinam cum Ludouico Lopez, Raphaële de la Torre, Villalobos, Diana, P. Suarez, & aliis docui, & ſatis ſtabiliui *in ſuperioribus diſp.* 1. *cap.*6. *ex num* 45. *& in hoc appendice, diſp.* 1. *cap.*1. Præterea eam tuentur Baſilius Legionenſis, Merolla, Bonacina, Nuñus, P. Caſtro Palao, & alij relati à Martinez de Prado *vbi ſuprà cap.*6. *quæſt.*1. §.1. *n.*2. Deindè non cerno, quare minuatur reuerentia debita Sacro-ſancto, & tremendo Sacrificio Miſſæ. Dicat mihi is Author, ſi ea reuerentia non minuitur, celebrando, & audiendo Miſſam in Oratorio trecentis, & quadraginta, aut

quinquaginta

Digitized by Google

quinquaginta diebus, quibus ipſe affirmat, poſſe in eo celebrari, & Diplomata Pontificia concedunt, dum indulgent Oratoria, cur, aut vndè minuetur reuerentia ex eo quòd duobus, aut quatuor diebus in limitatione exceptis, virtute Bullæ Miſſa celebretur, aut audiatur? Et quidem, quin in id inconueniens offenderetur, valdè in Eccleſia ex priſcis temporibus vſitatum fuit in Oratoriis, & Altaribus portatilibus Miſſas celebrari. De quo latè diſſerit P. Henao *part.2. de Sacrif. Miſſ. diſp. 23. ex n.90.* Idem proportionatè de aliis limitationibus dicito. Denique non concedi in Oratoriis quidquam per Bullam, niſi quod licebat tempore non interdicti, eſt manifeſtè contra ipſa verba Bullæ, nam in ea conceditur celebratio, & auditio Miſſæ in Oratoriis, ac receptio Sacramentorum, & facta hac conceſſione additur, id indulgeri etiam tempore interdicti; eaque particula *etiam* iuxta commune Interpretum placitum, in præſenti, & ex vi ſuæ ſignificationis eſt implicatiua, & augmentatiua. Quare prima conceſſio (cuius vi limitationes appoſitas circa Oratoria ceſſare contendimus) non tendit ad id, quod liceant in Oratoriis tempore interdicti ea, quæ alio tempore licebant, ſed ad alia; at hæc non poſſunt eſſe, niſi quòd liceant ea, quæ in limitationibus conceſſionis Oratorij excipiuntur, cum ad non excepta; nec limitata non ſit opus Bullæ Cruciatæ; ergo vt ea conceſſio aliquid operetur, inaniſque non reddatur, dicendum eſt, tendere ad limitationes illas tollendas reſpectu habentium Bullam, quippè non ſupereſt alius ſenſus, in quo explicetur. Hinc etiam cernitur, quamvis priuilegia Bullæ quoad diſpenſationes forent ſtrictè interpretanda, vt tenet Martinez de Prado *vbi ſuprà, cap.6. quæſt.1. §.2.* (nihil adducens, cui ego non fecerim ſatis *locis relatis*) id indultum circa vſum Oratorij debere exponi, ſicut à nobis declaratur, cum non ſuperſit alius ſenſus, adhuc ſtrictus, in quo valeat accipi, ſi fruſtraneus, & nihil operans non ſit relinquendus.

31 Paritas verò adducta ab Eccleſiis, in quibus per Bullam non conceditur aliud, niſi quòd liceat tempore interdicti in illis ad ipſum, quod aliàs licebat, nullum habet robur, & certè à Martinez de Prado id dignoſcitur, dum ait, plus in Oratoriis concedi, quam in Eccleſiis, nam in his celebrari licet, etiam tempore interdicti, iuxta *cap. Alma mater, de ſentent. excomm. lib.6.* non verò licet in Oratoriis, & virtute Bullæ licere, non poteſt dubitari; Ergo plus conceditur circa Oratoria, quam circa Eccleſias, iuxta eumdem Authorem. Prætereà non fuit neceſſarium tollere aliquam limitationem circa Eccleſias, cum nulla extet limitatio, quòd in eis non celebretur diebus ſolemnioribus anni, quòd niſi vna Miſſa dicatur, & ſimiles limitationes, quæ in conceſſione Oratorij apponi ſolent. Vnde non erat opus concedere in Bulla facultatem ad præſtanda ea in Eccleſiis, ſic verò in Oratoriis, atque adeò plus circa hæc operatur Bullæ priuilegium, quàm circa illas, cum reperiat ampliorem materiam, circa quam operetur; Operari autem circa illam totam, manet ſtabilitum.

CAPVT IV.

An Dominicæ Quadrageſimæ ſint dies Quadrageſimales quoad eſum ouorum, & lacticiniorum?

32 Aſſerui *in ſuperioribus diſp.18. cap.4. ex n.29. Et in hoc* Appendice *diſp.2. ex num.56.* non eſſe prohibitum eſum ouorum, & lacticiniorum nec ſæcularibus, nec Religioſis in Dominicis Quadrageſimæ, atque adeò abſque Bulla Cruciatæ poſſe eos omnes illis veſci. Huic doctrinæ adhæſi, tum propter fundamenta, quæ pro illa attuli, tum ob authoritatem, quam à Patronis ſortitur, tùm demùm ob conſuetudinem vtentium hac opinione. Eam tutati ſunt Antonius Gomez, Llamas, Paſqualigus, Machado, D. Didacus Narbona, Fr. Leander à Sacramento, & probabiliter Corduba, à Me *ibi* allati. Prætereà ſeptem Authores allati à Diana, & Paſqualigus in prima editione, ac P. Eſcobar, quos refert Fr. Ioannes Martinez de Prado *tom.1. Theolog. moral. cap.6. quæſt.8. num.1.*

33 Cæterùm ipſe affert ex Diana *part. 10. tract. 11. miſcell. reſol.46.* ſententiam Sacræ Congregationis Sancti Officij, & Sacræ Congregationis Indicis reprobantem præfatum aſſertum, dum illud expungi à quodam Authore, præceperunt. Et quamvis in Hiſpania à nullo ex præfatis Authoribus eam doctrinam expungi, fuerit præſcriptum, nihilominùs tamen earum Congregationum placita & Decreta venerans, eis omnino iam ſtari debere pronuntio. Nihil tamen aduerſus illas præfixi; Nam id placitum Sacrarum Congregationum non fuit cognitum, nec conſtitit, donec Diana (cuius fidei ſto) illud in lucem edidit *ea part.* 10. quæ pars non erat in lucem edita, cum ego meum tomum in Bullam Cruciatæ in publicam lucem paraui, ſicut nec tunc cum tot graues Authores, qui priùs meum tenuere aſſertum, ſua opera conſcripſerunt, quos non dubito ſubſcripturos fore eiuſmodi Sacrarum Congregationum placito, ac ſenſui, ſi illum nouiſſent,

Digitized by Google

quod & ego præſtaſſem: Communis vna omnibus excuſatio, & communis debebit eſſe mutatio ſententiæ.

34 Dubium autem reſtat, an Religioſi virtute Bullæ Cruciatæ poſſint prædictis Dominicis Quadrageſimæ edere oua, & lacticinia? Martinez de Prado *vbi ſuprà*, §. 2. *num.* 7. refert Fr. Emanuelem Rodriguez *in Bull.* §. 6. *num.* 8. aſſerentem, ſe ipſum audiuiſſe à Commiſſario Generali Cruciatæ, quòd Sedes Apoſtolica de hoc dubio conſulta declarauit, non licere Religioſis virtute Bullæ præfatis diebus edere oua, & lacticinia. Ipſe verò Author ſententiæ contrariæ inhærens *numer.* 9. ſic ait; Concludamus ergo, hanc ſententiam eſſe probabiliorem, quovſque illa Declaratio Pontificis relata in contrarium iuridicè conſtet, & publicetur.

35 Profectò hic Author pro libito vult, vt quædam Declarationes firmiter teneantur, ita vt reddantur improbabiles poſt illas ſententiæ oppoſitæ; Alias autem Declarationes non magni facit, cum ſententiam contrariam vt probabiliorem enunciet; & tam has, quàm illas in medium producit; & nec plùs illas, quàm has, iuridicè conſtantes, & publicatas. Videtur hæc inconſequentia, aut velle odioſas reddere opiniones, quibus contrariantur Declarationes, quas ipſe amplectitur. Etenim contra opinionem aſſerentem, Dominicis diebus eſſe licitum vſum ouorum, & lacticiniorum, attulit eam Declarationem, aut placitum Sacrarum Congregationum, & tranſcripſit verba Dianæ; *Et caueant Authores, ne in poſterum illam vel abſolutè teneant, vel tanquam probabilem admittant*; Et tamen id placitum, aut declaratio non aliter iuridicè conſtat, nec eſt publicatum, niſi quia id refert Diana, cui Martinez de Prado credit. Cum ergo declaratio, quòd virtute Bullæ nequeunt Religioſi veſci ouis, & lacticiniis in diebus Quadrageſimalibus ſit, nòn Congregationum Sacrarum, ſed ipſius Sedis Apoſtolicæ, & enuntiata à tanto viro, ac à Commiſſariò Generali Cruciatæ, & allata à Fr. Emanuele Rodriguez, cur in hac Declaratione deſiderat, iuridicè conſtare, & publicari? An non eodem modo conſtat, & publicata eſt, ac prima? An minùs credit Emanueli Rodriguez, quam Dianæ? Prætereà *ibidem quæſt.* 4. §. 5. *n.* 24. contra ſententiam aſſerentem limitationes appoſitas in conceſſione Oratorij ceſſare reſpectu gaudentium Bulla Cruciatæ, affert Declarationem Sacræ Congregationis Concilij, & ſubobſcuram quidem, vt obſeruaui *ſuperiùs num.* 26. cuius mentio ſolùm habetur ex Diana illam referente, qua vult euerti ſententiam contrariam. Et ſanè poterit ei reſponderi verbis ipſius, ſententiam nempè oppoſitam eſſe probabiliorem, quovſque Declaratio Pontificis, aut Congregationis relata in contrarium iuridicè conſtet, & publicetur.

36 Igitur tenet, vt probabiliùs, poſſe Religioſos virtute Bullæ edere oua, & lacticinia in Dominicis Quadrageſimæ, eo quòd conſtat ex Bulla Latina, eis licere eiuſmodi eſum. *Extra Quadrageſimalia ieiunia tantùm*, ſeu exceptis Quadrageſimalibus ieiuniis; *Cum ergo, ait, dies Dominici non ſint dies ieiunij, ſicut per Bullam licent oua ſextis feriis per annum, ita & in Dominicis Quadrageſimæ.* Equidem ſaltem in noſtra Hiſpania, vbi Bulla valet, non eſt prohibitus eſus ouorum in ſextis feriis per annum, nec neceſſaria eſt Bulla, vt liceant, nam abſque Bulla licent, vt eſt indubitabile. Quare ex forma paritatis meliùs poſſet inducere oppoſitum aſſerendo; ſicut abſque Bulla licent oua ſextis feriis per annum, ita abſque illa licent in Dominicis Quadrageſimæ; Quòd ſi hæc paritas vim non habet, cur vim habeat illa, quæ eſt ſub eiſdem terminis, & forma?

37 Probanda ergo eſſet hæc ſententia. In Quadrageſimæ Dominicis non licet abſque priuilegio veſci ouis, & lacticiniis, quia eſt mens manifeſtata à Congregatione Sacra Sancti Officij, & à Congregatione Indicis, vt aſſeruimus *num.* 33. Sed à priuilegio veſcendi ouis Religioſi dumtaxàt excipiuntur diebus ieiuniis Quadrageſimalibus; ergo Dominicis diebus, qui non ſunt ieiunij dies ex priuilegio Bullæ poterunt Religioſi ouis veſci. Quamvis enim hi in Bulla Hiſpana excipiantur ab eo priuilegio *En quanto à los dias de Quareſma*, & admittatur Dominicas Quadrageſimæ minimè eſſe dies Quadrageſimales quoad hunc effectum, tamen ea verba intelligenda ſunt iuxta verba Bullæ Latinæ, in quibus non excipiuntur dies Quadrageſimales, ſed ieiunia Quadrageſimalia, quem ſenſum nequit Commiſſarius Generalis in verſione Bullæ ad linguam vernaculam mutare; Et quidem mutaretur, ſi non ſolùm ieiunia Quadrageſimalia. Sed etiam dies Dominicæ exciperentur.

38 Hanc ſententiam docent Nuñus, Corduba, Trullènch, & quinque Authores ab ipſo allati, Fr. Barnabas Gallego, P. Caſtro Palao, P. Eſcobar allati à Ioanne Martinez de Prado *vbi ſuprà*, *num.* 8. Et eam eſſe in praxi probabilem affirmat Villalobos *tract.* 27. *clauſ.* 6. *num.* 11. Et cum ferè omnes hi Authores ſcripſerint poſt Emanuelem Rodriguez, & apud eum viderint Declarationem, de qua *ſuprà*, & nihilominùs tradiderint hoc aſſertum, fit, ab ea Declaratione non fuiſſe conuictos, quia forſan iudicarunt, non eſſe authenticam ſufficienter, vt cogeret ad

Digitized by Google

ad ſuam doctrinam deſerendam. Sanè ſi ei non ſtetur; (ſtare tamen eſt tutius, & conſulendum) hæc ſententia eſt vera, ob rationem allatam, & quia Authores aduerſantes nullum aliud pro ſe fundamentum afferunt, niſi eam Declarationem, & verba Bullæ Hiſpanæ, quibus à priuilegio Bullæ circa oua excluduntur Religioſi. *En quanto à los dias de quareſma.* Verùm huic fundamento fecimus ſatis *num. præced.* Authores autem aduerſantes ſunt Emanuël Rodriguez, Villalobos, P. Henriquez, Ioannes Sanchez, pro ſe referens alios, ac inter eos Cordubam, & P. Thomam Sanchez; ſed vt obſeruat Martinez de Prado *vbi ſuprà, num.* 7. Corduba eſt pro oppoſita ſententia, & P. Thomas Sanchez loquitur, ſecluſa Bulla Cruciatæ, qua non habita, negat, licitum eſſe Religioſis eſum ouorum, & lacticiniorum in Dominicis Quadrageſimæ.

CAPVT V.

An Clerici Fratres Ordinum Militarium poſſint in Quadrageſima veſci ouis, & lacticiniis virtute Bullæ Cruciatæ.

39 AFfirmaui *in ſuperioribus diſp.* 18. *cap.* 3. *ex num.* 17. Et id extendi ad ipſos, quamvis Sacerdotes eſſent, dum tamen non forent Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, aut Prælati. Id ipſum iterùm tradidi *tom. de Ordinib. Militar. diſquiſ.* 12. *ex num.* 146. Vbi attuli priuilegium Leonis X. qui conceſſit Religioſis Iacobæis Monaſteriorum de Veles, & Sancti Marci Legionenſis, & eorum familiaribus, ac famulis, quòd poſſent edere oua, & lacticinia in ieiuniis Quadrageſimæ. Oſtendi ibi, virtute huius priuilegij poſſe omnes Religioſos eiuſmodi Monaſteriorum abſque Bulla Cruciatæ edere oua, & lacticinia, adhuc priores; qui, vtpotè Prælati, virtute Bullæ Cruciatæ ea nequibant edere; Et id priuilegium non fuiſſe reuocatum per Bullam Cruciatæ quoad eos Religioſos, ſic verò quoad familiares, & famulantes, reſpectu quorum ſuſpenditur id priuilegium per Bullam, & reualidatur, ſi illa gaudeant, quamvis forſan eſſent Sacerdotes, cum priuilegium Leonis X. etiam hos comprehendat. Demùm affirmaui, id priuilegium neutiquam communicari nec Equitibus eiuſdem Ordinis Iacobæi, nec Equitibus, aut Fratribus Clericis aliorum Ordinum Militarium, qui ex vi illius priuilegij nequeunt abſque Bulla Cruciatæ veſci ouis, & lacticiniis; & multò minùs communicari aliis Sacris Regionibus. Quæ omnia *ibi* probaui, & ſtabiliui.

40 Meum primum aſſertum, quòd liceat Clericis Fratribus Militarium edere oua, & lacticinia tempore Quadrageſimæ virtute Bullæ Cruciatæ, ſectatus eſt poſteà Fr. Barnabas Gallego *in explicat. Bull. dub.* 58. *poſt medium.* At expendens mea fundamenta reijcit illud Fr. Ioannes Martinez de Prado *tom.* 1. *Theolog. moral. quæſt.* 8. §. 3. *n.* 12. Et poſteà *num.* 13. ait, eam conſuetudinem edendi oua, & lacticinia in prædictis Monaſteriis Militarium Ordinum, videri ortum habuiſſe ex priuilegio Leonis X. & ſecurè in praxi exerceri, ſi legitimè præſcripſit. Et concludit, non eſſe improbabilem ſententiam à me traditam, quam docuerunt Baſilius Legionenſis, & alij Magiſtri Salmantini de hoc conſulti.

Mendo in Bull. Cruciat.

41 Impugnat igitur mea fundamenta primò, quia in Bulla Hiſpana aſſeritur, poſſe gaudere priuilegio edendi oua, & lacticinia *Todos los Caualleros de las Ordenes Militares*, indeque me diſtrahere eam vocem *Caualleros* à propria ſignificatione, dum ſub illa Clericos Fratres cõprehendo. Hoc quidem mihi nec in mentem venit, quin potiùs aſſero, in Bulla Latina ſic extare; *Et ſub hoc indulto veſcendi carnibus, & ouis, & lacticiniis comprehenduntur omnes cuiuſvis Militiæ Regulares*; At Clerici Fratres ſunt Regulares Militiarum; Ergo ſub indulto veſcendi ouis, & lacticiniis comprehenduntur. Conſequentia eſt euidens; Maior ſunt ipſius Bullæ verba. Minor abſque temeritate nequit negari, cum per innumeras Bullas Pontificias ſit definitum, nec vllus vnquam id dubitauit. Non ergo meus diſcurſus poteſt labefactari. Quòd autem in Bulla Hiſpana vox *Regulares* vertatur *Caualleros*, nihil omnino obſtat, cum non poſſit ſenſus mutari, qui extat in Bulla Latina, vt notaui *ſuprà n.* 37. Et ſanè mutaretur, ſi à voce *Regulares* excluderentur Clerici Fratres, & ſoli Equites ſub illa comprehendi intenderetur. Et cum hanc doctrinam de non mutando ſenſu verborum Bullæ Latinæ tradidiſſet Martinez de Prado §. 2. *num.* 9. & tranſcripſiſſet *num.* 11. verba Bullæ Latinæ, & Hiſpanæ, & meum fundamentum *nuper* præfixum attuliſſet, non video, quo pacto aſſerat, me diſtrahere verbum *Caualleros* à propria ſignificatione. Potiùs ſic impugnat Commiſſarium Generalem, qui cum ſupponatur, non mutare, nec poſſe mutare ſenſum Bullæ Latinæ, voluit ſub ea voce *Caualleros* comprehendere omnes Regulares Militiarum, etiam Clericos Fratres. Tandem ipſe agnoſcit mutationem ſenſus in Bulla Hiſpana, & ſtandum eſſe verbis Bullæ Latinæ, ex quibus meum aſſertum deducitur, vt fatetur *num.* 13. *in vltimis verbis*, vbi ſe refert ad dicta *num.* 9. in quo tradiderat doctrinam de non mutando ſenſu verborum *Bullæ Latinæ.*

Digitized by Google

42 Sed ait; *Iſti Fratres adhuc in Bulla Latina non expreſſè comprehenduntur, quia Religio per ſe primò reſpicit Equites, & Commendatarios, & alij ſolùm ſunt, quaſi coadiutores, & capellani aliorum.* Videat alius, an hæc doctrina poſſit ſuſtineri, ſcilicèt, Clericos Fratres Militares non comprehendi expreſſè ſub hac voce *Regulares Militiarum*; cum tot Bullis Pontificiis clarè, & abſque tergiuerſatione decernatur, eos eſſe abſolute, propriè, & ſtrictiſſimè Regulares; Quin controuerſia his temporibus celeberrima ea ſit, an Equites Militiarum (exceptis Equitibus Ordinis Sancti Ioannis, quos Religioſos eſſe conſtat) ſint propriè Religioſi, cum poſſint nuptias contrahere, & Maioratus, ac proprietatem bonorum ſuorum habeant: cum quo non poſſe ſtare propriè Religionem, docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 186. *art.* 1. & 4. Et ideò Equites Militares non eſſe propriè Religioſos, tuentur Fr. Dominicus Soto, Aragon, Ledeſma, Ioannes de la Cruz, & alij viginti quinque Authores, quos retuli *eo tom. Ordin. Militar. diſquiſit.* 2. *quæſt.* 2. *num.* 48. Et *tota ea diſquiſ.* hanc controuerſiam latiſſimè ventilaui. Et cum adhuc huius deciſio ſub lite ſit, nunquam dubitatum eſt, Clericos Fratres eſſe ſtrictiſſimè Regulares. Et tamen affirmat Martinez de Prad. ſub voce *Regulares cuiuſuis Militiæ* non comprehendi expreſſè Clericos Fratres Militiarum, qui certiſſimè ſunt Regulares, & comprehendi expreſſè Equites, de quibus dubitatur, an ſint Regulares, & in ſententia D. Thomæ, & pluſquàm Triginta Authorum Regulares non ſunt.

43 Deindè Religionem Militarem per ſe primò reſpicere Equites, & Commendatarios, eſt pluſquàm falſum. Primò, quia non poteſt ſecundariò, & non per ſe, reſpicere Religio eos, qui indubitanter ſunt Religioſi; & primò ac per ſe eos, de quibus dubitatur, an ſint Religioſi; & non eſſe tales, eſt doctrina D. Thomæ, & tot Authorum. Secundò quia etſi Equites admittantur, vt ſtrictè Religioſi, vt admittuntur ab innumeris Scriptoribus, quos retuli *loco relato, num.* 28. tamen non ſunt magis Religioſi, quàm Clerici Fratres; ergo æquè primò, & per ſe Religio reſpicit vtroſque.

44 Ait Martinez de Prado, Clericos Fratres additos fuiſſe Equitibus vt coadiutores, & Capellanos; & Iacobæos Clericos Fratres fuiſſe priùs Canonicos Regulares S. Auguſtini. Benè. Et ne? indè probatur, non eſſe propriè Regulares Militiarum, eoſque æquè primò, & per ſe, ac Equites, non reſpici à Religione? Sanè quòd Iacobæi fuiſſent Canonici Regulares, potiùs probat, eos adhuc antequam in Ordinem Iacobæum coaptarentur, fuiſſe Regulares; id autem nec amiſerunt, nec amittere potuerunt per eam coaptationem. Deindè certum eſt, Militias Equeſtres in ſui prima inſtitutione ſolùm Militantibus Equitibus conſtitiſſe; verùm vbi in Religionis propriæ ſtatum redactæ ſunt, & à Pontificibus approbatæ, ſimul Clerici Fratres in corpus Religionis, vt vera illius membra, ſunt admiſſi. Sicut è contrà an quia in Sacro Prædicatorum Ordine ad miſterium ſpirituale prædicandi, docendi, & iuuandi proximos, Sacerdotes ſunt apti nati; Conuerſi propterea non comprehenduntur ſub voce Regularium eiuſdem Ordinis, eoſque æquè primò, & per ſe Religio in ſui approbatione, & priuilegiis non reſpiciet? Aliud enim eſt, eſſe quoſdam magis præcipuos, & neceſſarios ad finem, & Inſtitutum Religionis; aliud, cæteros quatenùs eos iuuant, vt cum finem obtineant, non eſſe propriè membra Religionis, & æquè cum illis à Religione reſpectos. Sic conſtat in exemplo appoſito. Sic etiam quamvis ad finem militandi, Equites ſint præcipui, & neceſſarij, & Clerici Fratres non militent, ſed illos iuuent, membra ſunt Religionis, & æquè primò, ac per ſe ab illa reſpiciuntur.

45 Imò exemplum non aptatur quoad omnia; quippè Clerici Fratres in altiori Ordine, & ſerie ſunt, quàm conuerſi in Religionibus Sacris; quod patet tum ex nobiliori munere, ad quod deſtinantur, vt nempè Sacramenta miniſtrent Equitibus, & Vaſallis Ordinum Militarium; vt Prioratus Monaſteriorum obtineant (indeque poſt Magiſtros Ordinum præcipua iuriſdictione ſpirituali hi Priores fungebantur, imò ad aliqua munia ea gaudebant, ad quæ Magiſtri eam exercere non poterant (vt Prioratus etiam alios iuriſdictione quaſi Epiſcopali gaudētes obeāt, aliaſque ſimilia Munia exerceant. Hinc in Capitulis Generalibus Priores Monaſteriorū ſuffragium habent, & alij etiam Clerici Fratres, qui Munera præcipua obtinent, ſedemq; habent deſignatam, ac Prior Alcātaræ ſuam inter Equites poſt Commēdatarium Maiorem. Inquiro iam à præfato Authore, an hæc omnia, & plurima, quæ videri poſſunt apud me *eo tom. de Ordin. Milit.* euidenter manifeſtent. Clericos Fratres reſpici à Religione æquè primò, ac per ſe? aut dicendum erit iuxta ipſum, ſecūdariò & per accidens, ſeu non per ſe reſpici. Adde, Monaſteria Ordinū Militariū in Hiſpania eſſe Capita ipſorū Ordinum, hoc eſt Sedē præcipuā eorū, & conflantur ex ſolis Clericis Fratribus; & hos, affirmat ille Author, non reſpici primò, & per ſe à Religione.

46 Ad præcipuum dubiū nos reuocemus. Aſſertum ergo noſtrum rurſus impugnat ſic Martinez de Prado; *Et quia mirum eſt, quòd*

hoc

Digitized by Google

hoc priuilegio non gaudeant ipſi facti Epiſcopi, & fruantur, cum ſunt merè Sacerdotes. Non autem affert rationem, quare hoc mirum ſit; cum ego rationem *loco relato* attulerim, cur Clerici Fratres gaudeant priuilegio veſcendi ouis, & lacticiniis, etiam ſi ſint Sacerdotes, non tamen, ſi ſint Epiſcopi, & Prælati. Quæ ratio non impugnatur per vocem admirationis; hæc enim impugnatio præſtò eſſet cuilibet contra ſententiam ſuæ aduerſantem.

47 Demùm quod ait de priuilegio Leonis X. ex quo ortam eſſe conſuetudinem comedendi oua, & lacticinia arbitratur, ad rem non pertinet; Nam dubium eſt, an virtute Bullæ poſſint ea comedere omnes Clerici Fratres Militiarum? Reſpondere autem, Clericos Fratres ſolius vnius Militiæ poſſe ea comedere abſque Bulla, ſiquidem hæc non eſt neceſſaria ad fruendum priuilegio Leonis, non ſpectat ad dubium præfixum. Et quidem id priuilegium non communicatur Fratribus Clericis aliarum Militiarum. Deindè ex eo non potuit conſuetudo dimanare ad alia Monaſteria, nec ad alios Clericos Fratres extra Monaſteria etiam degentes, qui omnes virtute Bullæ Cruciatæ edunt oua, & lacticinia in ieiuniis Quadrageſimæ. Quin ſi indè conſuetudo emanaſſet, cum non requiratur Bulla ad edendum oua virtute eius priuilegij Leonis X. ſanè abſque Bulla comederent oua illi, qui id ex conſuetudine obtinuiſſent, quod tamen non ita præſtant; ſignum ergo euidens eſt, ex eo priuilegio non dimanaſſe conſuetudinem in cæteros Clericos Fratres, nec illud eis fuiſſe communicatum.

48 Quod ſi ſolùm de Clericis Fratribus Iacobæis Monaſteriorum de Veles, & Sancti Marci loquatur is Author, non rectè aſſerit, conſuetudinem emanantem ex eo priuilegio Leonis X. ſi legitimè præſcripſerit, poſſe tutò exerceri. Etenim quod ex priuilegio habetur, non eſt neceſſe, vt legitimè præſcribatur, ſed ſtatim ac priuilegium indulgetur, poteſt ad praxim deduci. Nec ex vi conſuetudinis, ſed ex vi priuilegij licitus eſt ille vſus ouorum; tunc enim ad conſuetudinem confugitur, quando non adeſt lex, aut priuilegium, vi cuius aliquid præſtetur. Sic in Sacris Religionibus ea, quæ ex indultis Apoſtolicis iam diu exercent, non aſſeritur, ex vi conſuetudinis exerceri, ſed ex vi priuilegiorum. Quin quamvis illud priuilegium non fuiſſet adhuc executioni mandatum, ita vt non extaret conſuetudo, poſſent nunc illo vti hi, quibus eſt conceſſum; nam priuilegia conceſſa Regularibus non amittuntur per non vſum, vt docet Fr. Brunus Chaſſaing *de priuileg. Regular. part. 1. tr. 1. cap. 5. prop. 1.* Et de omnibus priuilegiis in alterius grauamen non redundantibus tradit id ipſum P. Caſtro Palao *tr. 3. diſp. 4. punct. 18. & 19.* Quibus ſubſcribit P. Henao *part. 2. de Sacrific. Miſſ. diſp. 23. ſect. 10. n. 142.* Vnde ad præfatum dubium dirimendum non opus eſt conſuetudine, nec ex ea quidquam inducitur, ſuppoſito priuilegio.

CAPVT VI.

An probabile ſit Religioſos poſſe abſolui à caſibus reſeruatis virtute Bullæ Cruciatæ.

49 Latiſſimè hanc quæſtionem de abſolutione à caſibus reſeruatis diſcuſſi *in ſuperioribus tota diſp. 24. & præcipuè cap. 12. & 13.* Aſſerui, certiſſimè tenendum eſſe, Regulares non poſſe abſolui à caſibus reſeruatis virtute Bullæ Cruciatæ. Probaui ex manifeſtiſſima Bulla Vrbani VIII. expedita die 19. Iunij anno 1630. quam *ibi* tranſcripſi; & iuridicè, ac authenticè fuit promulgata, & intimata. Oſtendi, eam nullatenùs reuocari per Bullam Cruciatæ, quæ ſingulis annis poſt illam publicatur. Aperui, eam non eſſe reuocatiuam Bullæ Cruciatæ, ſed in hac nunquam fuiſſe conceſſam à pontificibus facultatem, vt Regulares abſoluerentur à reſeruatis. Rursùs expoſui, opinionem contrariam afferre moleſtiam Sedi Apoſtolicæ, vt conſtat ex illis verbis Vrbani VIII. *Nihilominùs ſicut nobis, non ſine animi noſtri moleſtia, innotuit, nonnulli Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſores prætextu Bullæ eiuſdem Sanctæ Cruciatæ, ac dictorum indultorum, Confeſſarium eiuſmodi, qui eos, vt præfertur, abſoluat, eligere poſſe prætendant, & forſan eligant etiam ad præſens &c.* In eademque Bulla diſtrictè iniungit pontifex, ne Apoſtolici legati, ſeu Nuntij, aut Commiſſarij Generales Cruciatæ, aut alius quilibet aliter interpretetur, aut aſſerat, poſſe virtute Bullæ Regulares abſolui à reſeruatis, ſeu mentem pontificum fuiſſe, aut eſſe, cum concedunt Bullam, indulgere Religioſis facultatem, vt eius virtute à reſeruatis abſoluantur.

50 Demùm vt ad probabilitatem extrinſecam accedamus, *ea diſp. 24.* non aſſerui, eſſe etiam extrinſecè improbabilem; Deindè aliquid probabilitatis ei viſi ſunt tribuere Ludouicus à Cruce, Petrus de Leone, Leander, Diana, & Trullench, ſed abſolutè eam non defendunt, quin potiùs oppoſitam. Et poſt ſcriptum *Tomum in Bull. Cruciat.* incidi in Benedictum Remigium, qui *in ſumma morali Hiſpana* eam opinionem tenuit. Sententiam autem noſtram docent Ledeſma, Corduba, Nicolaüs Garcia, Paſarellus, Llamas, Vechius, Coriolanus, Miranda, Portel, Acoſta, Emanuel Rodriguez, Diana, Viualdus, Bartholomæus à Medina, Chiapiauille, Candidus, Vega, Bartholomæus à S. Fauſto,

Digitized by Google

Leander de Sacramento, Trullench, Gauantus, Cardinalis Lugo, P.Suarez. Henriquez, Hurtado de Mendoza, & alij, quos retuli *loco citato*, *num.* 121. P. Bardi à me allatus *in hoc appendice*, *diſp.* 1. *num.* 33. Prætereà Ioannes Gallus, Petrus Ibañez, Collector, Capucinus, Hieronymus Rodriguez, P.Fragoſus, P.Caſtro Palao, P.Eſcobar, Ioannes à Sancto Thoma, Villalobos, Nauarrus, Barnabas Gallego, Barboſa, & alij, quos refert Martinez de Prado *tom.* 1. *Theolog. mor.cap.*6. *quæſt.* 5. §. 2. Et tandem ipſe eam ſequitur §.4. *&* 5. Extatque prætereà Declaratio Congregationis Concilij, quam affert Barboſa *in collectanea Bullary*, *verbo Cruciata*, *num.*1. *& verbo Bulla*, *num.*4.

52 Cæterùm præter illam Bullam Vrbani VIII. quæ omnes Religioſos vniuerſaliter comprehendit, & quæ ſola ſufficit, extant Bullæ ſpeciales, quarum meminit Martinez de Prado §.4. *num.*18. Quibus omnibus declaratur, non poſſe Regulares ex priuilegio Bullæ Cruciatæ eligere Confeſſarium, qui eos à reſeruatis abſoluat, nec ad id concedi à Pontificibus Bullam Cruciatæ. Eiuſmodique Bullæ ſpeciales ſunt authenticæ, & iuridicè intimatæ, ac acceptatæ. Ita declarauit pro Minoribus Ordinis S.Franciſci Sixtus IV. Et pro eis ſic declaratum eſt in Capitulo Generali Ordinis coacto Segouiæ anno 1621. Quin pœna incarcerationis in hoc Sacro Ordine decreta eſt contra docentem, poſſe virtute Bullæ abſolui Religioſos à reſeruatis, vt tradit Portel *tom.* 2. *reſponſ. moral. caſ.*5. *num.*1. Pro Ordine D. Hieronymi idem pontifex. Iterùm pro Minoribus Innocentius VIII. Pro Ciſtercienſibus Alexander VI. Pro Ordine Prædicatorum Iulius II. & Leo X. ac Pius V. Pro Societate Iesv Gregorius XIII. Pro Carmelitis Excalceatis Clemens VIII. cuius Bulla vniuerſaliter etiam omnes Religioſos comprehendit, & Vrbanus VIII. eam confirmauit, & expreſſis, ac omnino patentibus verbis innouauit. Eam Bullam Clementis, ait Martinez de Prado *num.*19. acceptam fuiſſe in Capitulo Generali ſui illuſtris Ordinis coacto Romæ anno 1601. Sed poſt eam acceptationem, quid docuerint nonnulli profeſſores, aſſeruit Vrbanus VIII. anno 1630. in verbis relatis *ſuprà num.*49. Neſcio, quo pacto, quibus Bullis, quibus Authoribus, & fundamentis poſſit aliqua ſententia ampliùs ſtabiliri, & firmari. Multò pauciora, & minora fundamenta alias ſententias certas reddunt, ita vt contra eas neutiquam reclametur.

§. II.

53 His ita poſitis Fr. Ioannes Martinez de Prado *loco relato* ita ſtat à ſententia vera negante, poſſe Regulares virtute Bullæ Cruciatæ abſolui à reſeruatis, vt hinc indè contendens me impugnare, videatur non firmiter eam tenere, vt conſtabit ex ſequentibus; imò ei aliquam tribuit probabilitatem; Et cum hoc ita ſit, poſtmodùm *quæſt.* 6. §. docet, veriſſimam eſſe ſententiam negantem, poſſe Regulares virtute Bullæ Cruciatæ abſolui à mortalibus non reſeruatis. Neſcio, quo pacto hæc inter ſe concordent; probabile eſſe, poſſe illos ex vi Bullæ abſolui à reſeruatis; & veriſſimum eſſe, non poſſe abſolui à reſeruatis; Ego è contra aſſerui, improbabile eſſe primum: & falſum ſecundum. Non tamen miror, oppoſitè ex diametro nos ſentire, cum varia ſint hominum iudicia. Id dignoſci poteſt in hac quæſtione de abſolutione à reſeruatis, cum ipſe Martinez de Prado pro ſententia affirmante, ante Bullam Vrbani VIII. poſſe Religioſos abſolui virtute Bullæ ab illis, recenſeat ex ſuo Illuſtri Ordine ſex Authores, & prætereà omnes ferè Magiſtros ſui inſignis Cœnobij S.Stephani Salmantini; Et pro ſententia negante referat ex ſuomet Sacro Ordine octo Authores, & authoritatem ſui Capituli Generalis. Ita *vbi ſuprà n.*2. *&* 6. *ac* 19. Eamdemque diuerſitatem in pluribus quæſtionibus, quas 1. *&* 2. *tom. Theolog. mor.* diſcutit, Lector reperiet. Quod & laudandum animaduerto, vt par pari noſtris Authoribus reddatur, ſi vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet; maximè cum noſtri adeò venerati ſemper fuerint Authores ſapientiſſimos Sanctiſſimi eius Ordinis, vt ferè nullam opinionem in moralibus docuerint, cuius non habeant ex eo aliquem, aut aliquos anteſignanos; vt conſtat ex meo integro *tomo ſtatera opinionum benignarum.* Euoluamus iam, quæ affert circa præfatum dubium eruditus Fr. Ioannes Martinez de Prado.

54 Igitur *eo cap.*6. *de Bull.q.*5 *n.*1. aſſerit, in hac quæſtione, an poſſint Regulares abſolui virtute Bullæ Cruciatæ, *adhuc ſub iudice lis eſt.* Ergo hæc lis ab Vrbano VIII. non fuit dirempta, nec eius ſententia fuit difinitiua. Ecce iam fatetur, reſolutionem non eſſe certam, ſed vt litigioſam, & dubiam, fore decernendam. At ſi ſententiam à Sede Apoſtolica expectet, nullam clariorem, & expreſſiorem illa proferet, nec proferre poteſt, quàm iam ab Vrbano eſt prolata; vnde lis nunquam ceſſabit, quamvis ſententiæ clariſſimæ à Pontificibus proferantur, cum poſt eas eamdem extare litem pari omnino ratione poſſit enuntiari. Mirabile quæſtionis, & litis moralis genus, quod per ſententiam Sedis Apoſtolicæ,

non

non dirimitur,& conſequenter, ac à fortiori per nullam aliam. Lis erit æterna.

55 In §. 2. *à num.* 2. *vſque ad* 5. recenſet Authores pro ſententia affirmante. Ex quibus omnes ſcripſerunt ante Bullam Vrbani VIII. niſi Thomas Hurtado, Benedictus Remigius, Diana, Trullench, Leander à Sacramento, & Fr. Barnabas Gallego. exhis. fatetur, Thomam Hurtado aſſerere, Bullam pro reſeruatis non prodeſſe Religioſis, in quorum Ordinibus fuerit acceptata Bulla Vrbani VIII. Sed præterquàm id non pendet ab acceptatione, ſi intimata eſt, ſanè in omnibus Religionibus fuit acceptata;quare Thomas Hurtado non eſt pro ſententia affirmante. Diana aſſerit, ſaltem viuente Vrbano VIII. non poſſe ſententiam affirmantem defendi, etiam ſi viueret Neſtoreos annos, vt ipſe optabat; ergo nunquam poteſt defendi; nam Vrbanus viuens de nouo poſt illam Bullam à ſe expeditam, concedebat Cruciatam; ſententia autem contraria vnicum id fundamentum habet, quòd per Bullæ Cruciatæ conceſſionem quotannis reuocatur ea Conſtitutio Vrbani;at iuxta Dianam per conceſſionem nouam Cruciatæ factam ab Vrbano non reuocabatur eius Conſtitutio; ergo neque per conceſſionem factam ab aliis ſucceſſoribus, ſiquidem ſi noua conceſſio Cruciatæ reuocaret præfatam Conſtitutionem, materialiter ſe haberet, quòd fieret ab ipſo Vrbano,vel ab alio.Præterea ea vox *ſaltem* viuente Vrbano, non ſignificat, poſt obitum illius poſſe defendi eam ſententiam, vt expendenti conſtabit. Vnde Diana minimè fauet ei opinioni. Trullench edidit explicationem Bullæ Cruciatæ ante Conſtitutionem Vrbani; & in ſecunda editione mutauit,& retractauit ſententiam, quia iam ea Conſtitutio prodierat. Vnde pro nobis eſt.

56 Fr. Leander à ſacramento ſententiam negantem eſſe certam docet; Sed ait, ſe audiuiſſe ab Illuſtr. D. Fr. Franciſco de Arauſo Epiſcopo ſegouienſi, ſupplicatum fuiſſe à Commiſſario Generali de præfata Conſtitutione Vrbani. Benè. Ergo Commiſſarius iudicat, tanquam manifeſtum, eam Conſtitutionem per Bullam Cruciatæ non reuocari, indéque opinio contraria fundamento ſuo deſtituitur. Deindè ſupplicatio non fuit audita, conſtat enim,Pontificem ei non annuiſſe,aliàs iam id eſſet inclamatum, ergo ex eo potiùs ſtabilitur ſententia negans, quam eliditur. Demùm, vt *ſuperiùs* obſeruaui, cum Fr. Emanuel Rodriguez aſſerat, ſe audiuiſſe ex ore Commiſſarij Generalis, Pontificem declaraſſe, Regulares virtute Cruciatæ non poſſe edere oua, & lacticinia in Dominicis Quadrageſimæ; reſpondet Fr. Ioannes Martinez de Prado, non conſtare authenticè de ea Declaratione; Idem ego reſpondi de ea ſupplicatione *loco relato*. Fr. Barnabas Gallego pro ſententia negante eſt,vt fatetur Martinez *num*.8. aſſerens *Et in re ſequitur Barnabas Gallego in Bullam cap.* 12. *& ſupponit dub*.172. Quin idem *numer.* 26. *&* 27. affert meam reſponſionem, ac rationem, & non reiicit,nec impugnat,ſed indè ei aſſentitur.

57 Affertur etiam pro opinione affirmante, Commiſſarium Cruciatæ in Regno Luſitaniæ publico edicto declaraſſe, omnes Religioſos ſine Prælati licentia poſſe Bullam accipere, & eius facultate vti ad eligendum Confeſſarium pro abſolutione à reſeruatis, prohibuiſſeque Prælatis ſub grauiſſimis cenſuris, & pœnis, ne ſubditis eum vſum prohiberent, non obſtantibus ſuorum Ordinum Conſtitutionibus. Verùm licèt aliundè ſatisfieri poſſet, non alia, niſi aperta vtor reſponſione, ſcilicèt hoc Edictum fuiſſe promulgatum ante Conſtitutionem Vrbani VIII. Hæc enim edita fuit die 19.Iunij anno 1630. Edictum verò fuit publicatum die 7. Martij anno 1630.

58 Ibidem *num*.3.affert Martinez de Prado,& tranſcribit verba ex Trullench.aſſerente, ſe audiuiſſe à viro probo, & fide digno (quod accidit ante Conſtitutionem Vrbani) opinionem affirmantem in praxi exerceri à Religioſis Societatis Ieſu. Res facti eſt;Nunquam nec de elapſis temporibus id à ſenioribus à me conſultis audiui, quin omnino oppoſitum, cum tamen illi pluribus annis ante Vrbani Conſtitutionem iam in ſocietate degerent. Vir ille foret probus,ſed forſitan non expertus, nec ſapiens. Deindè reſpondeo, ſi tunc temporis forſan aliqui Confeſſarium eligerent, inhæſiſſe veſtigiis eorum, quos ſequendo ſe non facilè errare poſſe cogitabant, de quibus maius teſtimonium,quam illius viri probi,& fidedigni,habemus,nempe ſummi Pontificis Vrbani VIII. ibi; *Sicut nobis,non ſine animi noſtri moleſtia innotuit, nonnulli Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſores prætextu Bullæ eiuſdem Sanctæ Cruciatæ,ac dictorum indultorum,Confeſſarium eiuſmodi,qui eos,vt præfertur, abſoluat eligere poſſe prætendant, & forſan eligant etiam ad præſens, &c.* In illud dictum Ægidij Trullench inſiſtit iterùm Martinez de Prado §. 2. *num*.7 cupiens,vt apparet,quod credatur, in praxi exerceri eam opinionem affirmantem à Religioſis Societatis, & nihilominùs exterius aſſeri, eſſe improbabilem, quia in ſexta Congregatione Generali, & à noſtris Generalibus prohibitum eſt, docere opinionem eam negantem,aut in praxi tenere.At ſi hæc eſt ratio,ne doceatur,etiam erit, ne in praxi teneatur.Idipſum ſtatutum fuit in Capitulo Generali Illuſtris ſui ordinis anno 1601.Poſt illud,ipſe Author refert ſcriptores,

qui oppoſitum docuerunt, & vidimus, quid dixerit Vrbanus VIII. Certè falſum penitùs eſt, eam eſſe praxim.

§. III.

59 POſtmodum ipſe Fr. Ioannes Martinez de Prado *nu.* 28. ſic ait. *Dico tertiò, propter dictas Pontificum Conſtitutiones, ego nulli Regulari conſulerem, quòd vteretur Cruciata quoad abſolutionem à reſeruatis. Tamen ſi de facto illa fuiſſet vſus, non cogerem Confeſſiones repetere; quia illam opinionem eſſe improbabilem penitùs, non audeo aſſerere.* In primis ſufficitne, opinionem non eſſe penitùs improbabilem, vt quis ei tuto fidat in re tanti momenti, & ſecurus in conſcientia permaneat? Deindè, quia vt non audeat aſſerere, eam eſſe penitùs improbabilem, mouetur; *Primò propter tot grauiſſimorum Doctorum authoritatem, quos non video, quo iure dicat Mendus num.* 142. *non eſſe ex celebrioribus in Theologia morali, ſed fortè non vidit tot, quot nos congeſſimus, nec qualitatem eorum attendit.* Vidi, & attendi. Duo aſſerui, aliud, ante Conſtitutionem Vrbani VIII. plures opinionem negantem defendiſſe, quibus plus honoris detuli, quia qualitatem eorum attendi, quàm hic Author; hic enim ait, eos reddere opinionem non penitùs improbabilem; ego enuntiaui, eos tunc temporis reddidiſſe extrinſecè probabilem. Diſtinxi tempora; ille pro ſententia affirmante abſq; temporum diſtinctione coniungit Authores, qui ſanè, ſi nunc eam opinionem defenderent, probabilem extrinſecè facerent, nec ſolùm non penitùs improbabilem. Poſt Conſtitutionem Vrbani, pauci eam defendunt. Hos omnes plurimi facio, & veneror, ſed cum vox *ex celebrioribus* ſit comparatiua ad alios, inſpiciantur illi, qui contrariam ſententiam tuentur allati *num.* 51. quos eſſe celebriores, & celeberrimos Theologos morales, nullus ibit inficias, quin indè illis aliis aliquid derogetur.

60 Ait Clementem VIII. & alios Pontifices idem decreuiſſe, ac Vrbanum VIII. qui innouauit Conſtitutionem Clementis; *Vnde quoad hoc opinio, quæ illo tempore erat probabilis, modò eamdem retinet probabilitatem.* Conſequentiam in aſſertis deſidero. Nuper aſſerebat, ſe non audere enuntiare, eam opinionem eſſe penitùs improbabilem; nunc ait retinere probabilitatem, quam habebat ante Conſtitutionem Vrbani, ea autem erat probabilitas extrinſeca ſufficiens, vt poſſet conſuli ea opinio (quam non fore conſulturum, nunc ait) cum eam defenderent viginti duo Authores, & prætereà Magiſtri Theologi Salmanticenſes ex omni ferè Monaſterio S. Dominici, S. Franciſci, & S. Auguſtini, quos ita expreſsè refert ipſe Martinez de Prado *nu.* 2. qui omnes erant doctiſſimi & ſapientiſſimi, nulluſque dubitare poteſt, ex tantorum placito virorum, probabilem, & tutam fuiſſe in praxi, ac æquo iure conſulendam, ſeu affirmandam, poſſe in praxi exerceri. Tunc ſic vel habet ea opinio eamdem nunc, ac tunc probabilitatem, vel non habet? Si non habet, falſum enunciat Martinez de Prado, aſſerens habere. Si habet ergo magis falſò enuntiat, non poſſe conſuli, & ſe non conſulturum fore; (nec ſumitur in præſenti *conſulere* pro hortari; ſed pro affirmare, poſſe tuto in praxi teneri) & ſolùm non eſſe penitùs improbabilem. Deindè iam oſtendi *loco relato*, non retinere nunc eam opinionem probabilitatem, quam ante Conſtitutionem Vrbani.

61 Arguit contra me ad hominem. In mea ſententia poſſunt Regulares virtute Bullæ Cruciatæ abſolui à mortalibus non reſeruatis; ſed hinc maior poteſt ſequi relaxatio diſciplinæ Religioſæ, quam ſi virtute Bullæ abſoluantur à reſeruatis, cum hæc rariſſimè, illa frequenter committantur; igitur non mirum, quòd aliqui dicant, poſſe abſolui à reſeruatis. Falſa ſunt quæ ſubſumit. Sententiam negantem circa reſeruata non defendimus propter vitandam relaxationem diſciplinæ Religioſæ, ſed propter clariſſimam Conſtitutionem Vrbani VIII. ea vitatio relaxationis extitit motiuum ad Conſtitutionem illam edendam; non tamen fuit motiuum, vt conſtitueret Pontifex, non prodeſſe Cruciatam pro abſolutione à non reſeruatis, id enim de facto non conſtituit, vt probaui *loco relato cap.* 18. *&* 19. Rurſùs non ſolùm maior, ſed nec æqua relaxatio diſciplinæ Regularis ſequitur, ſi anſa arripiatur ex facilitate abſolutionis obtinendæ ad peccata reſeruata patranda, quàm ad non reſeruata; cum ſint ex grauioribus illa, & quæ decorem Religionis ampliùs valent fœdare, quod patet euidenter, cum ipſa reſeruatio propterea apponatur, vt diſciplina Regularis non corruat, nec Religionis bonum nomen minuatur; & ſæpè ex vno peccato reſeruato, v. g. ex peccato fornicationis, plus detrimenti in ſua fama capiet Religio, quàm ex pluribus non reſeruatis, v. g. ex plurimis deſideriis internis mæchandi. Vndè fit ſatis ad id, quod aſſeritur, rariſſimè patrari peccata reſeruata; vtinam nunquam! Verùm valdè parùm fauet hic Author ſanctiſſimis Religionibus, affirmans, in illis peccata mortalia non reſeruata committi frequenter. Quis id dixerit? Nec ita credo, nec iudico, nec ſuſpicor. De ſæcularibus timoratis id non affirmauero, & de timoratis ex profeſſione, & inſtituto Religioſis id abſq; limitatione & formidine affirmetur?

62 Prætereà *numer.* 30. inquit, vnicum

argumentum

Digitized by Google

argumentum ſuadere probabilitatem præfatæ opinionis affirmatiuæ; nempè legem, & Conſtitutionem vſu non receptam, ex quacumque cauſa hoc contingat, non obligare; ſed conſtitutiones Pontificum non ſunt vſu receptæ in Hiſpania; ergo non obligant. Probat minorem primò ex praxi Commiſſarij,& ſenatus ſanctę Cruciatæ;ſecūdò ex praxi multorum Religioſorum à temporibus antiquis, quam Henriquez teſtatur; tertiò ex ipſa reiteratione Conſtitutionum Pontificum quæ indicant, priores non fuiſſe vſu receptas,aliàs non multiplicarentur;eamque non receptionem oſtenditur Vrbanus VIII. aſſerens, ſe non ſine moleſtiâ animi id audiuiſſe; Nec poſt eius Conſtitutionem cognita eſt in Hiſpania circa id morum mutatio; ac proindè non magis eius Conſtitutio fuit ad praxim redacta,quàm Conſtitutiones Prędeceſſorum.

63 Reſpondeo, vt lex ſit vſu recepta, ſufficere, ſi intimetur, & acceptetur; poſtmodùm namque violatores illius erunt, qui non obſeruauerint. Conſtitutio autem Vrbani VIII. intimata eſt, & acceptata, & in pluribus Monaſteriis eius ſummarium tranſcriptum pendet in Choro, aut in aliis locis peruiis. Et prætereà in praxi, & vſu communiter obſeruatur.

64 Deindè non rectè perpenditur vis Conſtitutionis; Etenim leges præcipientes aliquid,ſi vſu non recipiantur, minimè obligant. At in præſenti Conſtitutio Vrbani nihil præcipit, & abutendo terminis, aſſeritur, non obligare. Nam iuriſdictio ad abſoluendum à reſeruatis per ſe non habetur à Confeſſario, niſi ei à potente illam concedere, communicetur. Aiebant aliqui; Pontifices in Cruciata concedunt eam iuriſdictionem cuilibet Confeſſario approbato ab ordinario. Aſſerit Vrbanus Pontifex. Fallimini omninò; Nec ego, nec vllus Pontificum eam iuriſdictionem in Cruciata concedimus; nec vnquam fuit, eſt, aut erit intentionis Sedis Apoſtolicæ, eam præſtare, cum conceſſit, aut concedit de nouo Cruciatam. Hæc ſanè Conſtitutio non eſt præceptiua, aut obligatoria ad aliquid, quod per non vſum amittat vim; Sed eſt declaratoria definitiuè, & manifeſtè, quòd ea iuriſdictio in Cruciata non datur. Poteſtne Confeſſarius dicere; Ego iuriſdictionem ex me non habeo ad abſoluendum à reſeruatis; indigeo ſanè vt Pontifex eam mihi in Cruciata concedat; Et quamvis ipſe non concedit, & declarat, ſe non concedere, & prohibet, vllum aliter ſuam mentem interpretari; tamen id non eſt vſu receptum: Ego à pontifice iuriſdictionem habeo? Vnde?Ex quo priuilegio? Non ex Cruciata.Ecce id non pendet ab vſus receptione; ſed ab eo, quòd eiuſmodi iuriſdictio ad abſoluendum à reſeruatis non datur; dari autem,aut non dari, à conceſſione, vel denegatione illius dependet.

65 Praxis Commiſſarij, & ſenatus Cruciatæ non poteſt afferri in contrarium. Nam Edictum Commiſſarij Luſitaniæ editum fuit ante Conſtitutionem Vrbani. Commiſſarius autem Generalis nullum ſimile Edictum promulgauit, nec quidquam in contrarium protulit; nec vllus Author affirmat, eum fuiſſe de hoc conſultum, & aliquid pro opinione affirmante enuntiaſſe. Imò id validè ſuadet negatiuam ſententiam, cùm taciturnitas Cōmiſſarij Generalis, & ſenatus Regij Cruciatæ conſenſum præbere videatur; & cum videant,& legant Authores quotidiè prodeuntes, qui ſententiam negantem vt certam tradunt, & meum Tomum, (quod mihi conſtat) perlegerint, vbi opinionem affirmantem reiicio, & nihilominùs tacent, & nihil in contrarium decernunt, nec ſententiæ negantis aſſeclas cohibere conantur; ſanè in hoc ipſo ingenuè veritatem certam huiuſmodi ſententiæ fatentur; aliàs non permittere,minui indè ſubſidium Cruciatæ, cum forſan plures acciperent Bullam,ſi exiſtimarent, eam pro reſeruatis prodeſſe, vt apud ſe haberent pro euentu, in quo ex fragilitate fortè delinquerent,non quia delinquere cogitarent,ſed quia timor delinquendi animum cuiuſque vexat. Quæ ergo eſt illa praxis Commiſsarij,& ſenatus Cruciatæ?

66 Praxis autem Religioſorum in argumento adducta, ſi fortè fuit ante Conſtitutionem Vrbani(& ante illam Henriquez ſcripſit) nunc non datur;& ſanè ſi daretur,quid adeò renueret Fr. Ioannes Martinez de Prado conſulere, poſse hanc opinionem in praxi exerceri?Et quare adeò ſolliciti eſsēt prælati Regulares, vt ipſe ait *numer.* 34. ne vllus ſubditus præſumat eligere Confeſsarium ad reſeruata? ſi ea eſset praxis, contra praxim,& conſuetudinem legitimè introductam non valerent prælati reclamare; Si autem legitimè inducta non eſt, nec eſt conſuetudo, nec praxis, ſed abuſus omnino tollendus. Quòd ſi ab aliquibus exerceatur, reclamantibus Religionibus ipſis, Capitulis Generalibus, Authoribus Sapientiſſimis, Viris timoratis,& zelo ardentibus, an aliquorum exercitium conſtituet praxim & conſuetudinem?

67 Iteratio, ac repetitio Conſtitutionum pontificum non probat, receptas vſu non fuiſse; Iam enim oſtendimus,abuſiuè hos terminos in præſenti aſsumi, ſed eas non benè fuiſse perceptas, ac intellectas, & mentem pontificum non clarè innotuiſse ob aliquas difficultates, quæ ſeſe offerebant, At Conſtitutio Vrbani VIII.dubia omnia è medio tulit, adeóque

Digitized by Google

adeóque eſt perſpicua, vt nequeat vllis difficultatum vmbris offundi. Et falſo aſſeritur, vt oſtendi, eam non fuiſſe (vt aiunt) vſu receptam; nec dari mutationem morum in hac materia; ſiquidem poſt eam Religioſi (ſaltem communiter) Bullæ Cruciatæ virtute non intendunt abſolui à reſeruatis: Authores aſſerunt, ſtante ea Conſtitutione, non poſſe defendi ſententiam affirmantem: ex vi illius nôn pauci enunciant, eam ſententiam eſſe improbabilem, quod ante illam non aſſerebatur. Ipſe Martinez de Prado non audet conſulere, vt probabilem in praxi, opinionem affirmantem. Eſt ne hæc aliqua mutatio? Et ſanè, vt *superiùs* obſeruaui, hoc argumento poſſet intendi, Pontificem ex plenitudine ſuæ poteſtatis, etiamſi mille Conſtitutiones clariſſimas expediret, non poſſe obtinere, quòd intelligeretur, ab ipſo nullatenùs in Cruciata concedi poteſtatem ad abſoluendum Regulares à reſeruatis; ſiquidem id non clariùs, nec diſtrictiùs poſſet præſtare, quàm præſtitit Vrbanus VIII. poſt cuius Conſtitutionem aſſeritur, nullam extitiſſe morum mutationem; quæ immutatio, cum ſit pro libito, & abſque vllo fundamento, ſemper permanere poſſet. Expendantur hæc omnia non curſim, & fallor, ſi rem non conuincunt.

68 Aſſerit demùm Martinez de Prado *num.* 31. hæc verba; *Quartò, radix horum fuit penes Commiſſarium Cruciatæ, quia cum agrè ferret, Regem fraudari tam ingenti eleemoſina, quantam conferunt Religioſi vtriuſque ſexus degentes in Regnis Hiſpaniæ, noluerunt in Summario Bullæ exprimere, quòd Bulla quoad iſtum articulum eligendi Confeſſarium qui eos abſoluat à reſeruatis, non prodeſt Regularibus, ne deſinerent accipere Bullam. Et ſuſpicor, quòd medium vnicum, & facile ad tollendam probabilitatem appoſitæ opinionis eſſet, in Summario Bullæ Hiſpanæ hoc exprimere; Et dum non expreſſerint, vel decipiunt Regulares in re grauiſſima, vel opinio eſt probabilis authoritate, & ratione.* Iam totam culpam vertit in Commiſſarium Generalem Cruciatæ. Quin hanc diſiunctiuam apponit, cuius vna pars eſt verificanda; vel Commiſſarius decipit Regulares: vel opinio eſt probabilis authoritate, & ratione; At ipſe iudicat, non eſſe ſic probabilem, indeque non audet eam conſulere; ſolumque tenet, non eſſe penitùs improbabilem, quod eſt multò minus; ergo iuxta ipſum Commiſſarius decipit Religioſos in re grauiſſima.

69 Sanè Commiſſarius nullum decipit, ſed ſupponit, Conſtitutionem Vrbani VIII. omnibus innoteſcere, eſſeque acceptatam; idque ſatis, ſuperque eſſe, vt ſciant, Bullam Cruciatæ non prodeſſe Regularibus quoad abſolutionem à reſeruatis. Nec pro quolibet dubio exoriente additurus eſt Commiſſarius in ſummario clauſulam declaratoriam, cùm pluribus nouis clauſulis eſſet opus, quas nec pagina ſummarij littera minutiſſima referta capere poſſet. Sic ex verbis ipſius Bullæ aliqui Authores aſſeruerunt, concedi in illa facultatem ad erigendum Oratorium, quam opinionem ait ipſe Martinez de Prado *quæſt.* 4. §. 2. eſſe improbabilem; & tamen id non declaratur in Summario Bullæ. Nec obſtat exemplum à ſimili, quod affert, de crimine hæreſis, quod excipitur in Bulla Hiſpana, quamvis in latina non fuerit exceptum, eo quod Gregorius XIII. declarauit, virtute Bullæ non poſſe abſolui ab illo. Quippè cùm Bulla præ manibus omnium vertetur, nec poſſent omnes facilè eam Declarationem cognoſcere, maximè fœminæ, ruſtici, vulgares & ignari, oportuit eam in Bulla Hiſpana inſerere, vt omnibus innoteſceret; Deindè Sacræ Fidei Tribunal pro ſuo ardentiſſimo zelo ad hæreſim eliminandam id curauit; ſicut etiam curauit notum facere omnibus Communitatibus, non concedi in Iubilæo extraordinario facultatem abſoluendi ab hæreſi. Et quidem omnia, quæ ſpectant ad Fidem integerrimè conſeruandam, per exquiſita etiam media, ſunt peragenda. At in caſu noſtro Conſtitutio Vrbani innoteſcit, & à Prælatis repetitur, vbi opus iudicant; nec aliquod Tribunal fuit, quod de ea clauſula Declaratoria inſerenda curaret; nec res eſt ad materiam Fidei ſpectans.

70 Verum ex ipſis verbis præfati Authoris noſtra roboratur ſententia. Ait, Commiſſarium noluiſſe eam clauſulam declaratoriam Bullæ Hiſpanæ inſerere indeque pendere probabilem eſſe contrariam opinionem ratione, & authoritate. Ergo ſi Commiſſarius vellet eam clauſulam inſerere, eſſet improbabilis ea opinio. At Commiſſarius nec præbet, nec aufert iuriſdictionem ad abſoluendum à reſeruatis; igitur ſupponitur ablata ea iuriſdictio à Pontifice, aliàs non poſſet Commiſſarius eam clauſulam inſerere; Nolle Commiſſarium apponere clauſulam ob lucrum reportandum à Rege, enunciat ille; At ea voluntas Commiſſarij nolentis id præſtare non facit opinionem probabilem; nec poteſt pendere à libera voluntate, ſeu omiſſione illius, quod opinio ſit probabilis, vel improbabilis. Rurſus ait, conſtare, nolle Commiſſarium id declarare; ergo ſimul conſtat, id ita eſſe; quòd autem ille non declaret, ſi iam conſtat ex Conſtitutione Pontificia, quomodo probabilitatem opinioni conferat? Nec videtur, id poſſe intelligi, ex libera voluntate Commiſſarij nec præbentis, nec auferentis iuriſdictionem abſoluendi à reſeruatis, ſed ſupponentis ablatam à Pontifice, dependere

pendere

Digitized by Google

pendere vnicè, quòd ſit probabilis opinio, quæ eam iuriſdictionem contendit extare.

72 Ex ipſo exemplo hæreſis exceptæ ſtabilitur concluſio. Quia Gregorius XIII. declarauit, non poſſe virtute Cruciatæ abſolui ab hæreſi, nemo poteſt contendere, per Bullam de nouo conceſſam eam Declarationem reuocari; ergo quia Vrbanus VIII. declarauit, non poſſe virtute Cruciatæ abſolui Regulares à reſeruatis, nemo poteſt contendere, eam Declarationem reuocari per Bullam de nouo conceſſam. Eſt argumentum inſolubile. Si confugitur ad aſſerendum, in Summario Bullæ Hiſpanæ excipi hæreſim, & non excipi Regulares ab abſolutione, iam id præoccupauimus, & iam reſpondet Martinez de Prado, in eo id ſolùm conſiſtere, quòd Commiſſarius noluit eam clauſulam excipientem apponere; Quod non fauet contrariæ opinioni, nec vim efficaciſſimam paritatis elidit.

§ IV.

73 NEc à Confeſſariis Regularibus proprij Monaſterij poteſt Religioſus abſolui virtute Bullæ Cruciatæ, vt ſtabiliui *in ſuperioribus diſp.24.cap.17.* Idipſum docet Fr. Ioannes Martinez de Prado *vbi ſuprà §.6. nu.* 37. Sed quia ego aſſerui in prima editione, Ægidium Trullench oſcitanter legiſſe Villalobos, quem affert pro contraria opinione, cum pro illa non ſtet, ait de Me Martinez de Prado; *ſed debebat aduertere, quòd in prima editione ita aſſeruit Villalobos, & in ſecunda editione, licèt oppoſitum dicat eſſe ſecurius, tamen huius ſententiæ fatetur probabilitatem.* Id ego aduertere non debebam, neque enim omnes editiones cuiuſque Authoris tenetur legere Scriptor, vt eum ſequatur, vel impugnet, maximè cum communiter nihil in illis immutetur. Aliàs dum ſingulas opiniones in aliquo Authore videmus, inquirere omnes eius Editiones cogeremur, vt conſtaret, an retractaſſet, aut immutaſſet. Sufficiat ergo, Villalobos in editione à me habita non tenuiſſe id, quod Ægidius Trullench ei tribuit, vt aſſererem, non accuratè ab illo fuiſſe perlectum.

74 Nec de Prælati Regularis licentia poſſunt ſubditi vti Bulla Cruciatæ, vt virtute illius abſoluantur à reſeruatis, cum in Bulla ad hunc effectum non detur facultas, ſeu priuilegium; ſicut non poteſt Prælatus concedere ſubdito facultatem ad vtendum Bulla quoad abſolutionem ab hæreſi, eo quòd in Bulla non extet priuilegium abſoluendi ab illa. Ita tradidi *loco relato diſput.24.cap.13. numer.* 153. *& latiùs in hoc appendice diſp.1. cap.11. ex num.* 41. Idem docet Fr. Ioannes Martinez de Pradò *vbi ſuprà* §. 7. *num.*46.

75 Attamen *num.* 45. præmittit hoc aſſertum; *Dico quintò, ſi licentia Prælatorum tacita, vel expreſſa, aut renuntiatio priuilegij Vrbani aſſerantur vt indicium, quod eius Decretum non eſt in Hiſpania receptum, probabile eſt, quòd ſufficit, vt Regularibus liceat virtute Cruciatæ abſolui à reſeruatis.* Iam probabile enuntiat, quod dumtaxàt penitus non improbabile defenderat ob eamdem rationem quâ, nunc mouetur, nempè ex eo, quòd aliqui aſſerant, Conſtitutionem Vrbani non eſſe receptam. Sed iam oſtendi, denegationem iuriſdictionis ſemel intimatam non pendere ab eo, quòd acceptetur; v. g. Petrus à ſe, aut ex ſuo munere non habet iuriſdictionem ad aliquid exercendum, niſi Paulus eam illi conferat; Aſſerit ei expreſsè Paulus: *Ego non confero iuriſdictionem, quam à me ſolo potes accipere*; Vnde eam Petrus habebit? Poteritne dicere, *Non accepto hanc denegationem iuriſdictionis?* Quid refert, quòd non acceptet, ſi ex ſuo munere eam non habet, nec illi alius confert? ſimiliter ergo Confeſſarius non gaudet iuriſdictione ad abſoluendum à reſeruatis, niſi Pontifex, aut Prælatus Regularis ei illam tribuat (& ad præſens non loquimur de licentia à Prælato directè præſtita, vt abſoluat; id enim manifeſtè poteſt fieri) Intimat ei Pontifex; *Non concedo tibi hanc iuriſdictionem; nec intentionis meæ eſt, concedere, nec audeat quiſquam meam mentem aliter interpretari.* Poteſtne Confeſſarius reſpondere; *Ego id non accepto?* Quid indè? Si aliundè iuriſdictione caret, & ea illi non confertur, non calleo, quid interſit hæc non acceptatio, ſeu hæc non acceptio in vſu. Igitur quamvis licentia illa ſuperioris ſit indicium, quòd Decretum Vrbani non eſt vſu receptum, indè minimè redditur opinio probabilis? Etenim ea conditio, aut in indicium eſt de ſubiecto non ſupponente; cum Decreta negantia iuriſdictionem, quæ aliundè non poteſt haberi niſi ab eo ipſo, qui expedit Decretum, non pendent niſi ab intimatione, nec poteſt non acceptatio dari, aut nõ receptio in vſu produci in excuſationem. Præterquàm quòd iam aſſeruimus, id Decretum eſſe in praxi, & Conſuetudine apud eos, qui eam legitimè poſſunt inducere. Etquidem cum præfatus Author re ipſa ſentiat, Regulares virtute Bullæ non poſſe abſolui à reſeruatis per Confeſſarium à ſe electum, nec per Confeſſarios Monaſterij, nec de licentia ad vtendum priuilegiis Bullæ, abſtinere deberet ab his cõditionibus, & ab aggregatione Authorum abſque diſtinctione temporum pro opinione affirmante, ac ab aliis, quæ decurſu notauimus; Nam cum primo intuitu, & curſim hæc leguntur ab aliquibus, qui forſan non accuratè res expedunt,

&

Digitized by Google

& benigniores opiniones venari conantur, poſſunt exindè anſam arripere, vt iudicent tutam omnino, & ſine formidine, eiuſmodi opinionem; Quod iudicium amandari, ipſa concluſionum dilucida propoſitione oportet, quin per expoſitiones rem inuoluentes, & obſcurantes quæſtio dirimatur. Et ſiquidem optabat medium à Commiſſario apponendum, vt probabilitas, opinionis contrariæ omnino tolleretur, id medium ab ipſo, & ab omnibus ſcriptoribus foret amplectendum.

Poſt hæc ſcripta, incidi in Tomum Illuſtris. Dom Fr. Franciſci de Arauſo, excuſum Lugduni anno 1664. cui titulus eſt; *Variæ, & Selectæ Deciſiones Morales.* Vbi *tract.* 1. *quæſt.* 8. *num.* 18. *fol.* 51. abſolutè tuetur, poſſe Regulares virtute Bullæ Cruciatæ eligere Confeſſarium, qui eos à reſeruatis abſoluat. Eam etiam aſſerit nouiſſime Fr. Ioſephus Mendez à ſancto Ioanne *tract. in Bullam Cruciat. nu.* 114. non poſſe non habere probabilitatem ſaltem extrinſecam; & pro ea refert Euſebium de Herrera *in deciſ. mor. de ſtatu Religioſ. dec.* 9. Et Benedictum Remigium à me *ſuprà* allatum: nec non Chriſtophorum à S. Ioſepho; Alios refert pro ea, ſed qui poſt vrbani Bullam non ſcripſerunt, aut ſententiam poſt Bullam mutarunt, aut eam abſolutè non tenuerunt; quod re accuratè examinata notaui *in ſuperioribus, & diſp.* 24.

Id aduerterim, pro opinione affirmante, poſſe Regulares abſolui à reſeruatis virtute Bullæ, referri ab Illuſtr. Arauſo, Cardinalem Toletum, & Thomam ſanchez. Verùm hi multò ante Bullam Vrbani VIII. ſcripſerunt; & ante eam, vt ſæpè affirmaui, non pauci Authores eam opinionem tutati ſunt. Sed controuerſia præſens poſt prædictam Bullam agitatur. Hinc etiam non rectè affertur pro ea opinione Ægidius Trullench. à Fr. Ioſepho Mendez *vbi ſuprà num.* 113. Ille enim in prima editione ſui Operis, data in lucem ante Bullam vrbani VIII. eam opinionem tenuit; & in ſecunda editione tenuit; & ſecunda editione excuſâ poſt præfatam Bullam, eam retractauit, & contrariam defendit.

Aduerterim præterea, in litteris ad me datis Illuſtriſſ. Dom. Don Petri Pocheco Commiſſarij Generalis Cruciatæ, quas initio huius Tomi tranſcripſi, ipſum referre pro opinione aſſerente poſſe Religioſos abſolui virtute Bullæ à reſeruatis, Baſilium legionenſem, & Thomam Hurtado. Verùm Baſilius Legionenſis exceſſit è vita anno 1628. antequam prodiret in lucem Bulla Vrbani Octaui, quæ edita fuit anno 1630. Controuerſia autem præcipua agitatur poſt eã Bullam, atque adeò Baſilius in ea controuerſia non potuit ſuum propalare ſenſum. Thomas Hurtado expreſſe docet, Bullam Cruciatæ non prodeſſe Religioſis pro abſolutione à reſeruatis in Religionibus, in quibus Bulla Vrbani eſt acceptata. Sed præterquam quod ſatis *in ſuperioribus* oſtendi; vim eius Bullæ non pendere acceptatione. Nam ſi is, à quo mea iuriſdictio omnino debet emanare, dicat mihi, tollo à te iuriſdictionem; aut, non confero tibi iuriſdictionem, quid refert, me aſſerere; Ego non accepto iſtud præceptum, ſeu hanc ablationem, vel non collationem iuriſdictionis? Tunc quippè à quo eam accipio? Sed caſu negato, quòd ſit neceſſaria acceptatio, ſanè in omnibus Religionibus ea Bulla eſt acceptata. Vel exprimatur, quæ Religio eam non acceptauerit.

CAPVT VII.

An Religioſi virtute Bullæ Cruciatæ valeant abſolui à mortalibus non reſeruatis?

§. I.

76 Affirmaui, poſſe abſolui, & latè probaui, *in ſuperioribus diſp.* 24. *cap.* 18. *&* 19. *Et in appendice diſput.* 1. *cap.* 10. Hanc ſententiam tuentur Fr. Ludouicus à Cruce, Fr. Leander à Sacramento, Fr. Emanuel Rodriguez, Trullench, & P. Quintanadueñas, à me *ibidem* allati. Præterea Thomas Hurtado *tract.* 9. *cap.* 6. aſſerens, id eſſe rem manifeſtam; P. Caſtro Palao *tom.* 4. *tract.* 25. *punct.* 8. §. 3. *n.* 5. id admittit iuxta Conſtitutionem Vrbani VIII. Et negat iuxta Clementem VIII. & Gregorium XIII. Eam ſententiam eſſe probabilem, ſeu valdè probabilem, & tutam in praxi, tenent Diana 1. *part. tract.* 11. *reſ.* 14. *in fin. & part.* 9. *tract.* 6. *miſcellan. reſol.* 10. *in fin.* P. Eſcobar *in Theolog. moral. lib.* 7. *problemate* 33. *n.* 560. Fr. Barnabas Gallego *in Bull. Cruciat. cap.* 15. *dub.* 172.

77 Oppoſitam ſententiam, nedum probabiliorem, ſed veriſſimam eſſe, ait Fr. Ioannes Martinez de Prado *tom.* 1. *Theolog. moral. cap.* 6. *quæſt.* 6. §. 2. Eius argumenta ſoluamus, vt noſtrum aſſertum ampliùs firmetur. Arguit primò ex Iure communi; *nam in cap. inter cunctas*, §. *vbi verò, de priuileg.* aſſerit Benedictus XI. Religioſos ſecundum ſtatuta ſuorum Ordinum propriis Prælatis confiteri debere; Ius autem commune nequit reuocari niſi lege communi, aut priuilegio mentionem illius exprimente. Idque probat ex Conſtitutione ſui Ordinis, qua etiam Prælatis tollitur facultas concedendi licentiam ſubditis, vt extra Ordinem alicui confiteantur, dum intra illum copiam habeant Confeſſarij; Et ex Bulla Iulij II. tollentis facultatem Religioſis

Religioſis eiuſdem Sacri Ordinis, vt virtute Confeſſionialium, aut litterarum Apoſtolicarum Indulgentias continentium valeant eligere Confeſſarium. Id argumentum ſolutum apud Me reperies *ea diſp.* 24. *ex numer.* 207. Nec quidquam in eo additur, quod noua ſolutione indigeat. Ea Conſtitutio Sacri Ordinis Prædicatorum ſpecialis eſt, nec indè poteſt argui, in aliis Religionibus non poſſe Prælatum concedere ſubdito, vt confiteatur alij extra Ordinem, ſi id aliqua circunſtantia iuſta ſuadeat; quod ſanè nullus negabit. Plures autem Bullas, ſeu Conſtitutiones ſimiles ei, quæ ex Iulio II. producitur, attuli *eo loco*, & expoſui, quomodo ſint intelligendæ, & quo pacto per Bullam Cruciatæ ad effectum præſentem ſuſpendantur.

78 Arguit ſecundò ex Declaratione Sacræ Congregationis edita tempore Gregorij XIII. ad inſtantiam D. Ioannis de Ribera Patriarchæ, & Archiepiſcopi Valentini, qua profertur, Congregationem Conſilij cenſuiſſe Bullam Cruciatæ non ſuffragari Monialibus quoad eligendos alios Confeſſarios, *præter eos, qui ad audiendas ipſarum Monialium Confeſſiones ab Ordinariis approbati fuerint.* In primis is Author cenſet, Declarationem Sacræ Congregationis ſufficere, vt Bulla Cruciatæ non reuocet ſtatuta Ordinum, nec in ea concedatur facultas ad abſoluendum à mortalibus reſeruatis; Et cum detur authentica Conſtitutio Vrbani VIII. declarans, in Bulla Cruciatæ non præberi iuriſdictionem ad abſoluendum Regulares à reſeruatis; tamen, vt obſeruauimus *quæſt. præced.* ſæpè dubitat, an ſit vſu recepta, & hinc indè probabilitatem aduerſus eam Declarationem excogitat; quin circa hanc Declarationem Sacræ Congregationis nec verbum proferat, quæ à fortiori militat contra opinionem affirmantem, poſſe abſolui à reſeruatis virtute Bullæ. Etenim qui affirmant, non obſtante Conſtitutione Vrbani, poſſe abſolui virtute Bullæ Regulares à reſeruatis, à fortiori tenent, poſſe abſolui à non reſeruatis non obſtante ea Declaratione Congregationis Concilij; Ergo omnia, quæ in illorum fauorem latè hic Author expendit quoad primum, æquiori iure debere expendere quoad ſecundum.

79 Iam verò ea Declaratio ad alium ſcopum collimat. Etenim cum Bulla Cruciatæ in electione Confeſſarij, ſolùm exigat, fore approbatum ab Ordinario, ſtatim plures ob ortæ ſunt quæſtiones circa eam approbationem; Quare etiam ad inſtantiam Archiepiſcopi Valentini declarauit Congregatio Concilij, Confeſſarium non approbatum ab Ordinario Valentino; etiam ſi aliàs approbatus eſſet, non cenſeri approbatum in Diœceſi Valentina, vt retuli *ſuprà diſp.* 22. *num.* 53. Idque contendebatur, nihil circa approbationem Ordinarij concedi in Bulla Cruciatæ, ſed in ea ſupponi, Confeſſarium eligendum debere eam approbationem habere, quam requirit Tridentinum, cui profato ſubſcripſi *ibi num.* 46. Iam ergo ex vi Tridentini approbatus ab Ordinario ad Confeſſiones dumtaxàt virorum, non cenſetur approbatus ad Confeſſiones fœminarum, ob ſpecialia requiſita, quæ deſiderantur in Confeſſariis illarum; & generaliter loquendo, Ordinarius iuxta qualitatem, ætatem, doctrinam, & mores Confeſſarij poteſt limitare facultatem, ſeu approbationem, ita vt determinet eam pro viris, non pro fœminis; & etiam pro fœminis, ſed non pro Monialibus. Quo caſu, ſtando ei principio, quòd circa approbationem nihil conceditur in Bulla, & quòd in hac requiritur approbatio Ordinarij, declarauit Congregatio Concilij, non poſſe virtute Bullæ à Monialibus eligi in Confeſſarium, qui ab Ordinario non eſſet approbatus pro Monialibus. Itaque voluit tollere dubium, an in Bulla concederetur facultas eligendi approbatum abſolutè; eſtò non pro Monialibus. Contra id autem nihil ego intendo, cùm *ea diſp.* 22. latè probauerim, ante electionem vi Bullæ faciendam, debere ſupponi approbationem Ordinarij requiſitam in Tridentino; Et in aſſerto, de quo in hoc dubio, idemmet affirmo, nempè non poſſe eligi virtute Bullæ à Regularibus Confeſſarium, qui eos abſoluat à mortalibus non reſeruatis; niſi is Confeſſarius approbatus ſit ab Ordinario, etiam ad audiendas Confeſſiones Regularium. Quare ſi Ordinarius approbaſſet Confeſſarium pro cæteris perſonis, & non pro viris Regularibus (quod nunquam præſtatur) is non poſſet eligi à Regulari ad abſolutionem pro non reſeruatis. Quòd ſi approbaſſet Confeſſarium quoad viros tantùm, vel quoad fœminas non Moniales, non valeret à Monialibus virtute Bullæ eligi. Sic docui *loco relato, cap.* 6. Id autem non elidit noſtrum aſſertum, quod ſupponit approbationem requiſitam in Tridentino. Circa approbationem autem Confeſsarij eligibilis per Bullam Cruciatæ plures ſunt opiniones relatæ à me *ea diſp.* 22. contra quas militat Declaratio Congregationis præfatæ; & earũ Authores fortè reſpondebunt, eã Declarationẽ non eſſe ſufficiẽter publicatam & iuridicè intimatam, quamvis eam afferat Fr. Emanuel Rodriguez, aſſerens, ſe ipſum illam legiſſe; Sicut in alio ſimili caſu de Declaratione facta à Cõmiſſario Generali Cruciatæ, quam

quam idem Emanuël teſtatur, ſeipſum audiuiſſe, reſpondet Fr. Ioannes Martinez de Prado *quæſt.*8. §. 2. *num.* 9. Et quod ei licet reſpondere argumento aliorum, contendent præfati Authores, licere ſibi reſpondere argumento ipſius. Sed vnuſquiſque ſuam cauſam agat; Contra nos non eſt ea Declaratio Sacræ Congregationis Concilij.

80 Arguit tertiò ex Tridentino *ſeſſ.*25. *cap.*10. vbi indulget, quòd præter Ordinarios Confeſſores, alius extraordinarius bis, aut ter in anno Monialibus offeratur; non ergo Tridentinum iudicaret expediens, Moniales eligere Confeſſarium, qui eas abſoluat à mortalibus non reſeruatis, toties quoties. Id argumentum multum probat. Nam etiam Tridentinum præcipit, à peccatis reſeruatis ſolùm abſolui poſſe à reſeruante; & à peccatis, ſeu caſibus reſeruatis Sedi Apoſtolicæ nec Epiſcopum poſſe abſoluere; Poteſtne ita argui; Non ergo iudicaret expediens, ſæculares abſolui poſſe toties quoties à caſibus Epiſcopo reſeruatis per Confeſſarium electum virtute Bullæ; & à caſibus adhuc publicis reſeruatis Sedi Apoſtolicæ (hæreſi excepta) ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis virtute vnius Bullæ, imò ab eiſdem caſibus occultis toties quoties, iuxta plurium, & meam ſententiam? Itaque omnes tenemur reſpondere ad id argumentandi genus. Dicendumque eſt, vtrumque fuiſſe iudicatum expediens à Tridentino, nimirùm quòd abſque priuilegio non poſſet quicumque Confeſſarius ad omnes caſus eligi; poſſet verò ex priuilegio; nam eadem motiua, & rationes, quæ ſuadent ad expediendum priuilegium, ſuadent etiam, in vſu illius non reperiri præponderans inconueniens, aliter priuilegium non expediretur.

81 Addo, Tridentinum videri ſupponere, non eſſe alios Confeſſarios approbatos pro Monialibus, niſi Ordinarios, atque alium extraordinarium approbari pro illis præcipit; ſicque Moniales non poterunt, iuxta meam ſententiam, eligere pro non reſeruatis alium Confeſſarium, niſi vnum ex illis approbatis, & intentioni Tridentini non detrahitur. Quid? quòd communiter omnes Confeſſarij approbati ab Ordinario pro omnibus indiſcriminatim poſſunt excipere Confeſſiones Monialium, quæ ſunt ſubditæ Epiſcopis, vt videre eſt in diœceſi Salmantina, & aliis. Ecce ceſſat argumentum *nuper* ex Tridentino deſumptum; cum nec opus ſit deſignatione Confeſſoris extraordinarij; nec Moniales illæ indigeant Bulla Cruciatæ, vt abſoluantur à mortalibus non reſeruatis. Si ergo hæc ita contingere de facto experimur, quod eſt incommodum id ingens expenſum in eo, quòd Moniales eligant Confeſſarium pro non reſeruatis virtute Bullæ Cruciatæ? Nec confugi poteſt ad aſperiorem diſciplinæ normam, quam aliæ Moniales ſequuntur; cum ex his, quæ ſubduntur Epiſcopis, plura Monaſteria ſint excalceatarum, plura Reformatarum, & cuncta in diſciplina Regulari ſe continere, ſit credendum.

82 Arguit quartò, & vltimò ratione adducta à Cardinali Lugo, quam ego latè propoſui, & enodaui *ea diſp.* 24. *ex num.* 192. Confirmat ex Portel, id vergere in præiudicium diſciplinæ Religioſæ. Primò quia facilitas veniæ incentivum præbet delinquendi, & ideò Eccleſia conſueuit peccata reſeruare, vt difficultas obtinendæ abſolutionis ſit quaſi frænum ad non peccandum. Secundò, nam iuriſdictiones perturbantur, ſi Confeſſarius alius, quàm deputati in Monaſteriis, eligatur, & non eſſet Monaſteriorum modica perturbatio, ſi Religioſi Clericis poſſent confiteri, & ſimiliter Moniales; ac prætextu Confeſſionum Sacerdotes ſæculares, & Regulares paſſim ad eas accedere, nec Prælati poſſent id impedire, cum ab inferiori nequeat prohiberi, quod Pontifex, qui eſt omnium ſuperior, concedit.

83 Sanè hæ confirmationes roborarent aliquo modo aſſertum, ſi aliundè ſupponeretur probatum; cum tamen nos diluerimus probationes, & aliundè fundamenta noſtræ ſententiæ non euertantur, facilè illæ ſoluuntur. Quippè eodem modo poſſet intendi, vergere in præiudicium diſciplinæ Chriſtianæ, quòd per Bullam Cruciatæ indulgeatur facultas ſæcularibus, vt abſoluantur à reſeruatis Epiſcopo, & Sedi Apoſtolicæ, iuxtà dicta *num.* 80. cum facilitas veniæ obtinendæ adſtruatur vt incentivum peccandi, & ablata reſeruatione, auferatur quaſi frænum delinquendi. Quod ad id reſponderit arguens, pariter ergo ad confirmationem reſpondebo; nempè Pontifices etiam reperire ex alia parte commoda ſpiritualia animarum, vt eas facultates eligendi Confeſſarios indulgeant, quibus mouentur, vt ſub his, aut illis circunſtantiis anteponant hæc commoda eis incommodis, quæ etiam ſperant non fore ſequenda. Et quidem difficultas abſolutionis obtinendæ in reſeruatis præcipuè militat, cum ſit neceſſarius recurſus ad ſuperiorem, indeque reſeruatio eſt quaſi frænum delinquendi. In non reſeruatis autem exigua valdè eſt difficultas, ſiquidem ab eis poſſunt abſoluere Confeſſarij pro Monaſterio deputati, qui ſunt duo, aut tres, & in pluribus Monaſteriis omnes Confeſſarij domeſtici approbati; quare pœnitens poteſt, cui maluerit, confiteri.

83 Nec ſecunda confirmatio vrget; tum quia eodem modo inſtatur reſpectu ſæcularium

Digitized by Google

ſæcularium quoad reſeruata, ſi quidem ſecluſa Bulla Cruciatæ iuriſdictiones ad abſoluendum ab illis ſolùm extant penès Pontificem, aut Epiſcopos, quas perturbari per Bullam poſset contendi; Tum quia etiam abſque Bulla, vt notaui *num.* 81. in pluribus Monaſteriis poſsunt Moniales cuilibet Confeſſario approbato ab Ordinario, ſiuè ſæculari, ſiuè Regulari, reſpectu quarum poſſet arguens omnia ea incommoda, quæ cogerit, expendere, quamvis Bulla Cruciatæ non daretur; Sed tamen non facilè ea ſequuntur, nec ſunt credenda; cum ſuperioriſſæ Monaſteriorum inuigilent, aut inuigilare debeant, ne prætextu Confeſſionum frequententur Monaſteria ad colloquia; Et ſanè Confeſſionum prætextu nullus Sacerdos poteſt quidquam immiſcere non licitum, cum id valdè cautum ſit per Bullas Pontificias, & per edicta Sacrorum Fidei Tribunalium. Nec video, in Monaſteriis virorum vllam indè perturbationem exoriri; rarò enim quis eliget Confeſſarium ſæcularem, cum communiter extent plures domeſtici, inter quos eligere valeat; Quòd ſi aliquando aliquis Confeſſarius extra Monaſterium eligatur, id cum ea fit attentione, & ſecreto, vt nulla indè teneatur perturbatio.

§. II.

85 COnatur deindè præfatus Author ſoluere fundamenta probantia noſtrum aſſertum. Igitur fundamentum noſtri aſſerti deſumitur ex ipſa Bulla Vrbani VIII. declarantis, Cruciatam non ſuffragari Regularibus; ſed (ita ait Pontifex) *Noſtræ intentionis fuiſſe, & eſſe, quod quantùm ad Sacramentum Pœnitentiæ, & Confeſſionis adminiſtrationem, Ordinariæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, & Sedi Apoſtolicæ, quoad ſibi reſeruata, ſubiecti ſint.* Expoſui vocem *ſibi*; id eſt, ſint ſubiecti Prælatis quoad reſeruata illis, & ſint Sedi Apoſtolicæ ſubiecti quoad ei reſeruata, cum ſupra vtroſque ea vox cadat & debeat reſpectiuè applicari; Et cum exceptio firmet regulam in contrarium, & ſola reſeruata excipiantur, ad quorum abſolutionem non ſuffragatur Cruciata, fit, ſuffragari ad non reſeruata.

86 Contendit Cardinalis Lugo, & cum eo Martinez de Prado, eas voces *quoad ſibi reſeruata* ſolùm cadere ſupra Sedem Apoſtolicam, ita vt ſenſus ſit, Regulares debere eſſe ſubiectos ſuis Prælatis quoad omnia, ſiuè ſint reſeruata ſiuè non; Et ne cogitaretur, Prælatos poſſe abſoluere à reſeruatis Pontifici, addi, etiam ſubiectos debere eſſe Sedi Apoſtolicæ quoad ei reſeruata. Feci ſatis huic explicationi, & non eſſe iuxta mentem Vrbani probaui *ea diſp.* 24. *ex num.* 192.

Mendo in Bull. Cruciat.

Ait Cardinalis Lugo, ſe conſuluiſſe Illuſtriſſ. D. M. A. Maraldum, à quo ex præſcripto Vrbani ea Conſtitutio fuit conſtructa, diſpoſita, & ſubſcripta, & eum ſenſum præfatum approbaſſe, & miratum fuiſſe, quòd in alio eæ voces ab vllo intelligerentur. Reſpondi, fidem præbens Eminentiſſimo Cardinali de conſultatione à ſe facta, ſed explicationem vnius non authēticam non infirmare veritatem, aut probabilitatem concluſionis, maximè cum ille non fuerit legiſlator, nec, vt talis, explicauerit, aut interpretatus fuerit eas voces. Quare poſt lectam in Cardinali Lugo eam declarationem tutati ſunt noſtrum aſsertum Fr. Leander à Sacramento, Thomas Hurtado, & P. Quintanadueñas, ac alij ab ipſo allati, qui rectè notat, hanc ſententiam noſtram ſaltem eſse probabilem, quod ſufficit, vt iuxta communiorem Doctorum ſententiam præſtetur iuriſdictio, & ſit tuta in praxi. Et paſſim cernimus defendi opiniones, contra quas ab Authoribus omni fide dignis Declarationes afferuntur, adhuc vrgentiores, quin propterea opiniones deſerantur ab aſseclis, aſserentibus, eas non eſse Authenticas, aut non iuridicè publicatas, ſeu intimatas, quod non ſemel præſtat ipſe Martinez de Prado.

87 Inſurgit tamen contra me is Author aſserens, Cardinalem Lugo non afferre explicationem D. Maraldi, quaſi præſtitam à Pontifice in noua Bulla Authentica, ſed ad maiorem certitudinem; quia ſenſus ipſe verborum per ſe eſt clarus; & aliàs cum Bullæ conſtructor aſserat, mentem à Pontifice ſibi fuiſse ſic manifeſtatam, ait ille, me nodum in ſcyrpo quærere abſque fundamento, & de manifeſtis dubitationem mouere. Inquiro, ſi ſenſus verborum Bullæ Vrbani adeò eſt clarus pro contraria opinione, quomodo alij hanc claritatem non viderunt? Ipſi, & Cardinali Lugo (nec huic omnino, cum conſuluerit D. Maraldum) clarus videtur ſenſus verborum pro ſuo aſserto; Leandro, Antonio de Quintanadueñas, Thomæ Hurtado, aliis, & mihi apparet etiam clarus, & clariſſimus pro noſtro aſserto; Ergo ſicut hi omnes, & ego dicimur nodum in ſcyrpo quærere, & de manifeſtis mouere quæſtionem, id ipſum nos de illis pari omnino iure affirmare valemus. Nec adeò clarus apparuit Fr Barnabæ Gallego, & Dianæ, qui noſtrum aſsertum valdè probabile, & tutum in praxi enuntiarunt. Alius voces vno modo intelligit, alius autem alio explicat modo; vnuſquiſque ſtet ſuo captui. Quod vrget de D. Maraldo, ſatis eſt dilutum.

88 Vrget; ſi explicatio adducta haberet *apparientiam* (Nec apparientiam expoſitioni tot Authorum vult tribuere,

Digitized by Google

cum non ſint plures Authores contrarij) Conſtitutio Vrbani reſtringeret Decreta aliorum Pontificum, præcipuè Clementis VIII. qui Religioſos omnimodè ſubijcit diſpoſitioni Prælatorum quoad Confeſſiones. Id autem dici non poteſt, quia Vrbanus, vt ipſe in ſua Conſtitutione profert, innouat, & ampliat Decretum Clementis; ampliare autem, & reſtringere ex diametro opponuntur. Huic argumento plenè feci ſatis *ea diſp.* 24. *num.* 199. & oſtendi, nec Clementem VIII. intendiſſe, Bullam non ſuffragari Regularibus quoad non reſeruata, ſed voluiſſe ſolùm, quoad reſeruata illis ſubiacere, adhuc Bulla Cruciatæ ab eis accepta.

89 Inſtat; Vrbanum VIII. in ſua Conſtitutione aſſerere, ſe non ſine animi moleſtia audiuiſſe, Fratres Prædicatores prætendiſſe prætextu Bullæ Cruciatæ eligere poſſe Confeſſarium, qui eos abſolueret, atque ſubindè addere, *& forſan eligant.* Tunc ſic; id non poteſt intelligi de electione quoad reſeruata, nam ſaluo ſigillo Confeſſionis nequiret innoteſcere, eligi Confeſſarium ad reſeruata; Ergo de non reſeruatis loquitur; atq; adeò ea intendit Pontifex ſubiacere quoad abſolutionem diſpoſitioni Prælatorum, cum declaret ſuam animi moleſtiam ex eo, quòd intenderetur, virtute Bullæ Cruciatæ poſſe eligi Confeſſarium, qui ab illis abſolueret.

90 Nihil ſanè (ea eſt modi intelligendi varietas) magis alienum mihi videtur à contextu, verbis, & mente Vrbani, quam hæc expoſitio. Et quidem vnum abſolutè profert, aliud ſub ſpecie dubitandi enuntiat. Abſolutè quidem ait, ſe non abſque ſui animi moleſtia audiuiſſe, quòd *Nonnulli Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſores prextu Bullæ eiuſdem Sanctæ Cruciatæ, ac dictorum indultorum, Confeſſarium huiuſmodi, qui eos, vt præfertur, abſoluat, eligere poſſe prætendant.* Hæc prætenſio, ſalua ſigilli Confeſſione poterat innoteſcere ex doctrina publicè, aut priuatim ab eis præſtita, maximè cum eſſent illi *Profeſſores*, quod denotat, à Magiſtris Theologiæ id fuiſſe edoctum. Quòd autem ea prætenſio, ſeu doctrina caderet etiam ſupra reſeruata, imò ſolùm de his inſtitui ſermonem, patet, quia prætendebant poſſe abſolui, *vt præfertur*, id eſt iuxta dicta antecedenter in eadem Conſtitutione; Quid autem in ea dicatur, attentè audi ab ipſo Vrbano; *Expoſito, quòd cum in Bulla Cruciata ſancta, & aliis priuilegiis ab Apoſtolica Sede concedi ſolitis, detur facultas eligendi Confeſſarium idoneum, ab Ordinario approbatum, qui poſſit Chriſti Fideles abſoluere à caſibus Ordinario, & Sedi Apoſtolicæ reſeruatis; Religioſi prædicti Ordinis* (ſcilicèt B. Mariæ de Monte Carmelo) *ſeu eorum nonnulli etiam prædictis facultatibus vti præſumerent in detrimentum eorum Regularis diſciplinæ, &c.* Proſequitur, aſſerens circa id (nam non aliam controuerſiam proponit) Clementem VIII. declaraſſe, Bullam Cruciatæ non ſuffragari Regularibus, & nihilominùs poſt eam Declarationem aliquos Profeſſores Sacri Ordinis Prædicatorum contrarium edocuiſſe. Cernis, in toto contextu ſolùm eſſe de reſeruatis ſermonem; & Declarationem Clementis ad id tendiſſe, quòd à Procuratore Ordinis Carmelitani poſcebatur, ne ſcilicèt ſicut ſæcularibus virtute Bullæ conceditur facultas eligendi Confeſſarium quoad reſeruata (nec de aliis ille verbum, aut petitionem protulit) ſui Religioſi iudicarent, ſibi etiam facultatem quoad reſeruata concedi. Declarauit Clemens, non concedi. Adhuc aliqui non acquieuerunt: Declarat id ipſum, & innouat Vrbanus; & meo iudicio manifeſtè in ſequentibus omnibus Bullæ clauſulis ſatis ſignificat. Vndè ergo deduxit ille Author, præfatos Profeſſores non fuiſſe locutos de reſeruatis? Abſolutè autem Vrbanus minimè aſſeruit, eos de facto eligere Confeſſarium quoad illa, ſed *forſan eligant*; Quæ voces denotant ſuſpicionem, ſed incertam, & nihil affirmantem, ad quam non eſt opus, violari ſigillum Confeſſionis, nec ex hac illam concipere; ſat eſt, ſi animaduertatur, aliquem tenere opinionem quamdam, refragantibus aliis, & contendere poſſe ſe in praxi illam exercere, vt non aſſertiuè, ſed dubitatiuè dicatur, ille forſan in praxi exercet, quod adeò mordicus ſe poſſe exercere defendit.

91 Quin ſupponit Martinez de Prado, ſalua ſigilli obſeruatione, potuiſſe innoteſcere, illos de facto elegiſſe Confeſſarium ad abſolutionem pro mortalibus non reſeruatis; aliàs non poſſet illud argumentum efformare. Contrà tamen primò, quia non ex eo, quòd quis virtute Bullæ confiteretur Sacerdoti approbato, qui non eſſet deputatus Confeſſarius in Monaſterio, poſſet innoteſcere abſque ſigilli violatione, eum confiteri mortalia non reſeruata; nec deberet præſumi; eſſetque peccatum mortale contra charitatem erga proximum, id iudicare, eſſet enim iudicium temerarium; Igitur æquè ſe habet, quòd ille reſeruata, aut non reſeruata confiteretur in ordine ad hoc, quòd abſque violatione ſigilli innoteſceret, ſolùm de non reſeruatis fuiſſe confeſſum. Nec calleo, quo pacto indè potuit Author ille ſuã ratiocinationem deducere. Contrà ſecundò, quia id quod ait innotuiſſe, deducitur ex verbis *forſan eligant*; At hæc verba nihil aſſertiuè affirmant, nec ex eis poteſt inferri amplior notitia de non reſeruatis, quàm de reſeruatis; & aliundè, vt aſſerebam, ſigillum Cõfeſſionis æquè obligat ad

ad vtraque; nec electio Confeſſarij poteſt eſſe fundamentum, vt licitè iudicetur, peccata mortalia non reſeruata in Confeſſione exponi.

92 Denique, cum P. Quintanadueñas pro noſtro aſſerto, enuntiaſſet, licèt hæc facultas eligendi Confeſſarium pro mortalibus non reſeruatis aliquantulum videatur derogare diſciplinæ Religioſæ, tamen præponderare commune bonum, ad quod ſpectat, non ita arcum inflectere, quòd frangatur, & nullus aditus reſpirandi pateat animabus aliquando præ pudore penè periclitantibus; & vbi ſummum ius, ibi nullum ius, quare redigere libertatem Religioſorum in anguſtias, potiùs in deſtructionem; quàm in ædificationem conſcientiæ eorum verget; Inſurgit Martinez de Prado, ſi hoc aliquid probaret, indè oſtendi expedire, *quòd omnes confiteantur cuilibet, & ſic nec deberet adiri proprius Sacerdos, nec vnquam peccata deberent reſeruari contra praxim Eccleſiæ, & doctrinam Concilij Tridentini ſeſſ. 14. cap. 7.* Hæc ſunt eius verba.

93 Non rectè hæc infert ex antecedentibus. Aliud penitùs eſt, quòd Pontifex ſub aliquibus circunſtantiis (& Prælati Religionum in aliquibus caſibus, & Feſtis ſolemnioribus, vt in pluribus Monaſteriis præſtatur) concedant eam facultatem, quæ valdè expediens eſt ob rationes libatas à P. Quintanadueñas; Aliud, quòd ſit expediens, Religioſos cuilibet Sacerdoti ſemper, & abſque delectu confiteri; Illud enim cõceditur ad bonum ipſum animarum ſubditorum, qui ſi præ pudore in periculo conſtituantur non efficiendi integras Confeſſiones cum Confeſſariis in Monaſterio deputatis, expediens erit, vt alij Confeſſario prudenti, & docto confiteantur; & id non eſt hortari omnes, vt ſemper, & cuilibet ſuam conſcientiam in Sacramento Pœnitentiæ aperiant; nam præterquàm quòd ſperandum eſt, omnes ſe intra diſciplinam Regularem cõtinere, nec mortalia vlla committere, ſi qui pro fragilitate humana ea patrent, non propterea ſtatim quærent alium Confeſſarium præter deputatos; quòd ſi illum cautè, & prudenter eligant, ſignum eſt, ſe liberiùs, & minori cum pudore ſuam conſcientiam detecturos, in eiſque dignoſcitur, quantùm expediat, non nimis arcum inflecti à Prælatis. Quod etiam cernitur in mortalibus reſeruatis, à quibus poteſtas abſoluendi conceditur à Prælatis in aliquibus Sacris Ordinibus in Feſtis ſolemnioribus anni; necnon à Pontifice in Iubilæis extraordinariis duplici hebdomada durantibus. Et ſanè Argumentum contrarias plures patitur inſtantias; Quippè expediens eſt ob rationes adductas à P. Quintanadueñas, reſpectiuè ſumptas, vt Fideles ſæculares poſſint eligere Confeſſarium, qui eos à reſeruatis Epiſcopo abſoluat; inferturne rectè, ergo expediens eſt, vt non adeãt Epiſcopum pro abſolutione à reſeruatis? Neutiquã ſanè; & ſic in aliis cerni poteſt, Etenim vtrumque eſt expediens; Et quòd libertas à ſuperiore, ſeu Pontifex præbeatur adeundi quemlibet Confeſſarium approbatum ab Ordinario; & quòd non adeantur niſi Confeſſores deputati, dum non ſit periculum tacendi præ pudore peccata; nec inter ſe opponuntur vnum, & aliud; nec primum præcipitur, ſed indulgetur; in his autem, quæ indulgentur conuenienter, etiam omiſſio poteſt eſſe conueniens.

94 Aliud fundamentum attuli *loco relato n.* 188. pro noſtro aſſerto, quod ſibi non obijcit Martinez de Prado, & ſatis roborat adhuc dicta; nempè Vrbanum VIII. in ſua conſtitutione ſemper in prohibitione coniungere *facultatem eligendi Confeſſarium, & abſoluendi à reſeruatis*; Quòd ſi prohiberet facultatem abſoluendi à non reſeruatis, fruſtrà ex voces adderentur, *& abſoluendi à reſeruatis*, ſi quidem prohibita generaliter facultate eligendi Confeſſarium, tam reſpectu reſeruatorum, quàm non reſeruatorum prohiberetur, quin opus eſſet eas voces ſuperaddi. Imò plus neceſſum eſſet, exprimere non reſeruata, quàm reſeruata, cum abſolutio ab his à fortiori intelligeretur prohibita. Quare ea coniunctio & interpoſita inter electionem, ſignificat, vtrumque ſimul prohiberi, & non primum niſi coniunctum cum ſecundo. Id pluribus *ibidem* confirmaui. Ad calcem pro noſtra ſententia contra Reu. Ioannem Martinez de Prado militat ex diametro ſui eximij Ordinis Illuſtriſſ. Dom. Fr. Franciſcus de Arauzo Primarius Salmantinus, Epiſcopus Segouienſis, Thomiſta celeberrimus, qui abſolutè vt veriſſimum docet *in ſuis variis, & ſelectis Deciſionibus moralibus, tract. 1. quæſt. 8. n. 21. fol. 48.* virtute Bullæ Cruciatæ poſſe Regulares abſolui à mortalibus non reſeruatis; & vtitur fundamento eodem, quo ego aſſertum ipſum probaueram. Vnde eius partes egi, dum in *hac quæſt.* feci ſatis argumentis Ioannis Martinez de Prado.

95 Cæterùm animaduertere oportet, Fr. Ioannem Martinez de Prado initio propoſitæ quæſtionis *num.* 1. cum retuliſſet P. Quintanadueñas, indè anſam arripuiſſe ad attexendum (an ſyncere?) ea, quæ ſequuntur. *Et tom. 2. tr. 4. ſingular. 10 n 4. promittit id tractare ſingulari 12. & 13. quæ tamen ſubſtulit, qui illum tomum poſthumum edendum curauit. Quod etiam conſtat ex tractatu ſingular. 10. n. 10. & tract. 4. ſingular. 6. num. 2. Vnde multi ſatis* ***prudenter dubitant de mente Authorum, quorum opera poſthuma in Societate eduntur, vt de nonnullis additis Conſiliis P. Thomæ Sanchez***

Digitized by Google

notauit Cardinalis de Lugo; & de multis aliis aduertit Iulius Clemens Scotus de poteſtate Pontificis in Societatem IESV, part.8. num.24. Et clariſſimè apparet in tomo de Gratia nouiſſimè edito nomine Patris Suarez. Et fortè hac de cauſa ipſa Societas IESV curauit impreſſionem ſupprimere, vt in eius Epiſtola referunt Bibliopola, vbi & dicunt, librum prodire in longas Academiarum lites. Ita habetur in editione Lugdunenſi anni 1651. Quàm opportunè hæc allata ſunt ad quæſtionem, an Regulares poſſint abſolui virtute Bullæ à reſeruatis!

96 Igitur reſpondeo, in Societate Iesv, ſicut in aliis Sacris Ordinibus, antequam facultas concedatur ad edendum in lucem aliquem librum, accuratiſſimè perlegi à tribus, aut quatuor viris ex doctioribus, qui latent Authorem, vt liberiùs ſuam cenſuram proferant, quæ ad Præpoſitum Generalem defertur; & quidquid iudicent à libro auferendum, è medio tollitur. Cum ergo quis Author è viuis decedit, & librum paratum publicæ luci relinquit, idem præſtatur. Quare Cenſores eius Tomi Patris Quintanadueñas iudicarunt forſan, ea ſingularia debere è medio tolli; quod idem fieret, ſi Author viueret, & opus non eſſet poſthumum. Atque adeò quoad hoc nihil in Operibus poſthumis præſtatur, quod non fiat, ſuperſtite Authore. Deindè facillimè contigit, Scriptorem promittere aliquid deinceps ventilare, & poſtmodùm ex obliuione, aut ex defectu temporis, vel ob aliam cauſam id omittere; Quare id potuit euenire Patri Quintanadueñas, quin ab opere poſthumo aliquid tolleretur; maximè cum eius ſingularia materias diuerſas contineant, forſitan ille non vnum poſt aliud ea ſerie, qua ſunt edita, exarabat, ſed diuiſim, coniuncturus illa poſteà in ſingulas materias; ſicque credi poteſt, morte præuentum non ſcripſiſſe ea ſingularia, ſeu quæſtiones, quæ deſiderantur.

97 Quod autem in Societate ſit commune addere operibus poſthumis, & pluſquàm falſum; Tolli aliqua, iuxta *nuper* dicta, poſſunt, addi nulla; niſi fortè Indices, aut diſpoſitio Tractatuum, aut Quæſtionum, ſi hæc in opere edendo deſiderantur. Cætera maximè cauentur, & nullo modo permittuntur. Nec quiſquam vult, quæ ipſe elaborauit, ſub alterius nomine latere, ſi digna ſint, quæ in lucem prodeant. Quare de Conſiliis P. Thomæ Sanchez audiui ego à viris fide dignis, dolendum eſſe, quòd plura fuiſſent ablata, quia minùs elaborata ſunt viſa Cenſoribus, ſed nec Verbum additum. Quæ autem de Tomo Patris Suarez *de gratia* ait is Author, ſicut ipſe affirmat, clariſſimè apparere, verius ego dicam, clariſſimè non eſſe vera.

98 Et in primis non propter eam rationem addendi, aut tollendi (quam ipſe Author præſtat) Societas diſtulit eius editionem, nec Bibliopolæ eam rationem adducunt, vt ipſe affirmat; hoc res eſt facti; legatur prologus. Nec alius eſt, niſi *Monitiuncula ad lectorem*, in qua laudatur Suarius, oſtenditurque apertè, nihil ei operi additum fuiſſe, & eſſe illud ſimile omninò cæteris Operibus Suarij, ac prodire in lucem poſt damnatas à Sede Apoſtolica quinque propoſitiones Ianſenij, quarum impugnatio eſt præcipuus eius Tomi ſcopus; nec verbum eſt ibi de litibus Academiarum. Conſtans ſanè omnibus eſt, difficultas edendi in publicum materiam de auxiliis diuinæ gratiæ ob prohibitionem Pontificum, quam ſummè venerantes omnes è Societate libros de ea materia ex profeſſo tractantes in publicum non ediderunt. An alij idipſum ita exactè præſtiterint, alij videant. Ideò ergo Tomum illum edi in lucem non permiſerunt; donec tandem, neſcio cuius opera, editus fuit, & illicò contra eum quæſtio eſt exorta. Verùm in eo nec iota vnum, nec vnus apex eſt additus. Quis enim de ſe præſumeret, poſſe aliquid ſcribere, quod dignè Eximio Doctori tribueretur, aut vno quaſi filo cum eius ſtylo, & eruditione, ac ingenio texeretur? Legatur opus duoque apertè ingenuo lectori conſtabunt; Alterum totum integrè eodem genio, & ingenio, ſtylo, & verborum tenore conſtare, quod oſtendit, nihil fuiſſe interſertum; nec enim id poſſet abſque aliqua varietate præſtari. Alterum, id opus in cunctis correſpondere cæteris Operibus ipſius eximij Doctoris; quare de eo Authore illius integrè, & quoad omnia, abſque vlla prorsùs additione, non poterit dubitari.

99 Nec Bibliopolæ aiunt, aut intendunt, P. Suarium eo opere præbiturum anſam litibus Academiarum nec longis, nec breuibus. Fuit vir ille pacatiſſimus, & modeſtiſſimus, nec vllum opus ſcripſit, aut edidit, quod poſſet lites parare, aut offenſionem; lites iam in controuerſia de auxiliis diuturnæ ſunt. Olim validè curatum fuit coram Pontifice, vt ſententiæ, quam defendit Societas, nigrum Theta apponeretur, ſed non fuit obtentum; quin obtinuerunt noſtri liberè ſuam propugnare opinionem, & præceptum à Sede Apoſtolica, ne vnius Authores alij cenſuram infligerent, & è conuerſo. De his longis litibus, & de controuerſia, quæ in diſputationibus pro vtraque parte licet, loquuntur Bibliopolæ, non quia Tomus eximij Doctoris eas ſit excitaturus. De his litibus videantur Paulus Leonardus Hybernus *in Apologia pro ſcientia media*, qui

Digitized by Google

qui rem totam ex authenticis teſtimoniis depromptam verè, fideliter, & ſyncerè enarrat; & P. Gabriel de Henao *in ſcientia media hiſtoricè propugnata ad finẽ Tomi de Euchariſtia.* Et integro alio tomo, cui titulus eſt, *Hiſtoria ſcientiæ mediæ propugnata.*

100 Nec animus eſt, vt longiùs ab offenſionis ſim vmbra, retorquere id, quod in Societatis Opera poſthuma obiicit non benè Fr. Ioannes Martinez de Prado. Præſtò, ac in promptu materiam ſuppeditabant Nitella Franciſcana, & varij alij Authores de immaculata Deiparæ Conceptione, ac de aliis controuerſiis ſcribentes, circa ea, quæ in variis Operibus, & teſtimoniis fuerunt immutata, aut expuncta. Sed ab his abſtineamus ne animorum vnioni quidquam derogemus, quam quidem dictis, & factis conamur, & optamus Societatis Religioſi cum omnibus, & ſingulis clariſſimi, & ſancticiſſimi Ordinis Prædicatorum, quos, vt par eſt, colimus, & veneramur. Inuicemque Reuerendiſſimus Generalis eiuſdem Ordinis, anno 1661. Litteras ſcripſit typis editas ad totum ſuum Sacrum Ordinem, grauiſſimas, & doctiſſimas, ex animo poſcens, hortans, & inſtans omnes, vt cum Religioſis Societatis Iesv ſummam concordiam, pacem, & vnionem retinerent, nec eam vllo modo turbari paterentur. Quod ſuadere, & perſuadere intendit rationibus efficacibus pietate, & doctrina refertis.

CAPVT VIII.

An virtute Bullæ Cruciatæ poſſit abſolui toties quoties à caſibus occultis Pontifici reſeruatis?

101 PArtem affirmantem tutatus ſum *in ſuperioribus diſp. 23. cap. 5. Et in hoc Appendice diſput. 2. cap. 26.* Et retuli pro ea Ægidium Trullench, & P. Thomam Sanchez, quos ſequi videtur Diana *in addit. 3. reſol. 17.* vbi ait, plures viros doctos à ſe conſultos iudicaſſe, hanc ſententiam eſſe probabiliſſimam, & tutam in praxi. Præthereà eam docent P. Fragoſus *de regim. Reipub. tom. 2. part. 2. lib. 2. diſp. 7. num.* 8. P. Quintanadueñas *tom. 2. ſingular. tractat. 4. ſingul. 2. num.* 3. P. Eſcobar *in Theolog. moral. lib. 7. problemat.* 36

102 Et quia *ibi* latè id aſſertum ſtabiliui, ſolùm reſtat proponere fundamenta, ob quæ contrariam ſententiam eſſe veriſſimam cenſet Fr. Ioannes Martinez de Prado *tom. 1. Theolog. mor. cap. 7. quæſt. 7. §. 2.* Primum, quod ait eſſe valdè probabile, deſumit ex P. Henriquez, & P. Caſtro Palao; Etenim ſententia noſtra in eo fundatur, quòd illi caſus occulti ſolùm Epiſcopo ſunt reſeruati, ſiquidem ab illis valet abſoluere, iuxta Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 6. de reformat.* Vnde deſinunt eſſe caſus Pontificij; At à caſibus Epiſcopo reſeruatis, & non Pontificiis poteſt abſolui virtute Bullæ toties quoties; ergo & à caſibus, de quibus eſt præſens quæſtio. Iam ſic arguitur contrà. Hi caſus non committuntur Epiſcopis, tanquam Ordinariis, ſed tanquam Apoſtolicæ Sedis delegatis, licèt hæc delegatio ſit perpetuò annexa Dignitati; ac proindè non deſinunt eſſe caſus Pontifici reſeruati, cum nemini alteri competant iure ordinario, ſed ex delegatione. Id argumentum ſolui *ibidem num.* 62. oſtendens, Epiſcopis competere iure Ordinario poteſtatem abſoluendi à reſeruatis aliàs Pontifici, ſi caſus ſint occulti, quæ poteſtas ante Tridentinum erat reſtricta, & in Tridentino fuit eis reſtituta.

103 Secundò ait is Author, vrgentius ſe probare opinionem negantem, quia Vrbanus VIII. in ſua Conſtitutione, quam ſæpè retulimus *in antecedentibus*, declarauit, Bullam Cruciatæ nulli ſuffragari pro foro externo, quoad abſolutionem à caſibus reſeruatis, vndè fit, Bullam directè reſpicere caſus occultos, quia pro ſola conſcientia conceditur, & non pro caſibus publicis; ergo cum in ea limitetur, ſolùm ſemel in vita, ac ſemel in articulo mortis poſſe abſolui à caſibus reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, ſolùm ſemel poterit ab occultis abſolui; alioquin conceſſio implicaret, & fruſtranea eſſet limitatio, ſi quidem pro foro externo non prodeſt, & pro interno nulla eſſet differentia inter caſus Pontificios, & Epiſcopales.

104 Fateor ingenij mei tenuitatem, quâ vim huius argumenti non calleo. Etenim nos non contendimus, hanc abſolutionem à reſeruatis, de quibus nunc eſt ſermo, pro foro externo ſuffragari; imò eſt implicatio in adiecto, ſi enim caſus occulti ſunt, ad forum externum non prodierunt, quare nec pro foro externo quidquam agitur; quippè ſtatim ac ad forum externum tranſeunt, publici ſunt. Nihil ergo Conſtitutio Vrbani contra noſtrum aſſertum declarat. Deindè ea abſolutio, quæ indulgetur ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis, tenet, quamvis caſus reſeruati ſint publici, imò reſpectu horum illa poteſtas abſoluendi traditur; ſic quæ tradunt omnes Expoſitores Bullæ Cruciatæ. Quod tamen totum peragitur pro foro conſcientiæ; Aliud enim eſt, caſum eſſe publicum, aliud abſolutionem pro foro interno ſuffragari; Nos ergo aſſerimus, Confeſſarium electum virtute Bullæ Cruciatæ pro foro interno poſſe abſoluere ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis, quolibet anno durationis

Digitized by Google

Bullæ à caſibus publicis reſeruatis Pontifici, excepta hæreſi publica, vel occulta; non autem poſſe in foro externo eam abſolutionem impertiri, nec ea ſolmnitate, qua ſolent Iudices Eccleſiaſtici abſoluere publicos excommunicatos, nec quando caſus deductus eſt ad forum contentioſum, valet abſoluere eo pacto, quo iudicium turbetur, aut reus poſſit ſe ea abſolutione tueri, quominùs propter crimen puniatur. Nec aliud declarauit Vrbanus VIII. quod conſtat, nam ille generaliter expoſuit, Bullam Cruciatæ non ſuffragari pro foro externo; quod nequit intelligi de ablatione poteſtatis in ea conceſſæ ad abſoluendum ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis à caſibus publicis reſeruatis. Quare falſum eſt, Bullam ſolùm reſpicere caſus occultos, cum ſimul publicos reſpiciat pro abſolutione ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis impertiẽda. Itaque ad occultos poteſtatem tradit illimitatem (præterquàm ad hæreſim) ad publicos limitatam ad ſemel; exindéque manifeſtè cernitur, limitationem non eſſe fruſtraneam.

105 Id inſtatur in caſibus diœceſanis reſeruatis dumtaxàt Epiſcopo, & nullo modo Pontifici; Quamvis hi publici ſint, ſi quis eos confiteatur Confeſſario à ſe electo, dum rectè ſit diſpoſitus, poteſt ab eo abſolui, quin de hoc vllus dubitet. Totum ergo argumentum pariter contra hos tendit, & ſicut de illis nihil euincit, ita nec de primis. Hinc etiam conſtat, dari manifeſtum diſcrimen inter caſus reſeruatos Pontifici, & Epiſcopo; nam à reſeruatis Pontifici, ſi publici ſint, ſolùm ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis poteſt abſolutio præſtari; A reſeruatis autem Epiſcopo per Conſtitutiones Synodales, ahhuc ſi publici ſint, poteſt toties quoties abſolui.

106 Tertiò arguit ex communi omnium æſtimatione, qui iudicant, caſus in Bulla Cœnæ Domini contentos (præter alios) eſſe reſeruatos Pontifici adhuc in foro interno occulto, & quoad Sacramentalem abſolutionem; Vndè cum Bulla ſolùm indulgeat, quòd ſemel ab his reſeruatis poſſit abſolui, & ab aliis toties quoties, non apparet, qua probabilitate appoſitum ad praxim valeat reduci.

107 Reſpondeo, omnes, quotquot non ſunt ignari Iuris Tridentini, rectè ſcire, caſus in Bulla Cœnæ contentos, & cæteros Pontifici reſeruatos, ſi ſint occulti, non excedere, quoad abſolutionem, Epiſcopi poteſtatem. Quo poſito, magna probabilitate, imò & veritate, aſſerunt Thomas Sanchez, Trullench, Fragoſus, Quintanadueñas, & alij, quibus ego ſubſcribo, ab eis virtute Bullæ poſſe abſolui; nam hoc ipſo, quòd ſint occulti, non ſunt reſeruati Pontifici, ſed Epiſcopo. Quare caſus, qui in Bulla Cœnæ, & in Iure, Apoſtolicæ Sedi reſeruantur, ſolùm ſunt publici, (præter hæreſim, quæ ſpecialiter etiam occulta reſeruatur Pontifici, & ſacræ Fidei Tribunalibus.) Hinc omnibus argumentis, fit ſatis vno verbo, ſcilicèt negando, eos caſus occultos eſſe reſeruatos Pontifici, cum poteſtas Ordinaria Epiſcopo de iure Ordinario, ipſis reſtituto in Tridentino, valeat ab eis abſoluere. At iuxta aduerſarios poteſt toties quoties abſolui virtute Bullæ à non reſeruatis Pontifici, ſeu ab his, à quibus iure ordinario poteſt aliùs inferior Pontifice abſoluere; ergo virtute Bullæ Confeſſarius electus poteſt abſoluere toties quoties in foro conſcientiæ, & Pœnitentiæ ab excommunicationibus, ſeu aliis cenſuris, & à caſibus occultis, quos vocamus reſeruatos Pontifici, non quia reſeruati ſunt, dum occulti remanent, ſed quia ſi publici ſunt, ei reſeruantur. Quare hæc quæſtio, ſi termini breuiores non quærerentur, ita eſt proponenda; *An poſſit toties quoties virtute Bulla abſolui à caſibus, qui, dum publici ſunt, reſeruantur Pontifici?* Etenim ſub terminis communibus propoſita hæc quæſtio anſam præbet opinioni contrariæ; Nempè an valeat abſolui virtute Bullæ à caſibus occultis reſeruatis Pontifici toties quoties? Indè enim arguitur; Supponitur in propoſitione quæſtionis, eos caſus eſſe Pontifici reſeruatos; Sed à reſeruatis Pontifici ſolùm ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis poteſt abſolui; ergo ab occultis reſeruatis Pontifici ſolummodò ſemel, & non toties quoties abſolui valet. Qui diſcurſus eſſet legitimus, ſi maior propoſitio eſſet vera; Nec enim ſupponitur, eos caſus occultos eſſe reſeruatos Pontifici, nec ſunt reipſa reſeruati, & non eſſe reſeruatos, ita efficaciter probatur, vt ex ipſo P. Henriquez antesignano ſententiæ contrariæ deducatur, eſſe ſolùm reſeruatos Epiſcopis, & hos de iure ordinario poſse ab illis abſoluere. Etenim ipſe à me allatus *loco citato num.* 62. loquens de Tridentino circa abſolutionem à caſibus occultis, & circa alia contenta *in eo cap.6. ſeſſ. 24. de reformat.* ait; *Reſtituit Epiſcopis ſublatam olim iuriſdictionem, quam habebant iure communi, aut diuino.* Quid clarius? Hæc, & alia argumenta à me adducta non affert, nec ſoluit Martinez de Prado, ſed *num.* 10. vno verbo reſpondet argumentis contrariis, in Tridentino concedi Epiſcopis ſpecialem delegationem.

108 Demùm ait, ſalua proprietate verborum Bullæ Cruciatæ non poſse noſtrum aſſertum ſuſtineri. Verùm id ſatis eſt reiectum, & oppoſitum quidem proprietati verborum Bullæ neutiquam aptatur; Nam Bulla expreſſis

Digitized by Google

expreſſis, claris, & manifeſtis verbis concedit facultatem abſoluendi à reſeruatis Pontifici ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis; & à cæteris non reſeruatis Pontifici toties; At nulli caſus occulti, niſi hæreticis, ſunt reſeruati Pontifici; ergo Bulla concedit facultatem ad abſoluendum toties quoties ab omnibus caſibus occultis, excepta hæreſi, quicumque illi ſint. Quod intelligi debet reſpectu ſæcularium, nam reſpectu Regularium non datur facultas in Bulla abſoluendi nec à reſeruatis Prælato Regulari, nec pro ſemel à reſeruatis Pontifici, vt latè tradidi *in ſuperioribus diſput.* 24. *ex cap.* 12. Et quoad caſus reſeruatos Prælato Regulari, etiam plura dedi *ſuprà*, *quæſt.* 6. Ex dictis in hac quæſtione conſtat, quàm immeritò Fr. Ioannes Martinez de Prado *eo tom.* 1. *in Indice*, *verbo Opinio*, appoſuerit inter Opiniones inpracticabiles hanc noſtram de abſolutione toties quoties; cum præter fundamenta ſolida, quibus munitur, & Authores eam tuentes, ipſam defendat P. Thomas Sanchez. quem ſufficere ad reddendam Opinionem probabilem, docet Illuſt. Fr. Petrus de Tapia ex Sacro Ordine Prædicatorum.

CAPVT IX.

An virtute Bullæ Cruciatæ abſolutio ab excommunicatione præſtita valeat pro foro externo, ſi fuerit parti ſatisfactum?

109 Abſolutio à cenſuris virtute Bullæ præſtita, communiter loquendo, cum detur pro foro interno ſolùm, ad affectus externos non prodeſt; Id probaui *in ſuperioribus diſput.* 25. *cap.* 14. ex ipſo tenore verborum Bullæ: ex praxi: ex ſtylo Curiæ; & ne ordo iudicialis perturbetur, ſi delictum ad forum contentioſum ſit deductum, ac demum quia poteſtas in Bulla contenta indulgetur Confeſſario, vt Confeſſario, cum verba in Bullis Apoſtolicis prolata formaliter, non materialiter ſint intelligenda, & in Cruciata aſſeratur, Confeſſarium electum poſſe abſoluere; Confeſſarius autem, vt talis ſolummodò pro foro interno poteſt quidquam operari.

110 Cæterùm addidi, me aſſentiri ſententiæ, quã defendunt Fr. Vincentius Candidus, Magiſter Sacri Palatij. Fr. Emanuel Rodriguez, Valerus, Medina, Bonacina, & P. Suarez allati à me *ibidem num.* 152. *&* 154. nec non P. Quintanadueñas *tom.* 2. *tract.* 4. *ſingul.* 1. *num.* 5. *&* 6. *& tom.* 1. *tract.* 3. *ſingul.* 20. P. Eſcobar *in ſua Theolog. moral. lib.* 7. *problemat.* 41. aſſerentes, quando parti realiter eſt ſatiſfactum, aut cum ipſa facta eſt conuentio, nec cauſa deducta eſt ad forum contentioſum, nec timetur ſcandalum, poſſe prodeſſe abſolutionem virtute Bullæ pro foro publico in ordine ad aliquos effectus, v.g. ne quis habeatur publicè pro excommunicato, & cum eo poſſit communicari, ſi conſtet de abſolutione per teſtimonium eius, qui illum abſoluit. Quippè eſtò in Bulla ſolùm concedatur poteſtas abſoluendi pro foro interno, tamen cum de facto per abſolutionem ſit ablata cenſura, & ſolùm ſuperſit modus, quo de illa conſtet, nec indè vlla ſequentur incommoda, & ſupponatur, Iudicem non repugnare; quid obeſt, quominùs per teſtimonium Confeſſarij innoteſcat, abſolutionem fuiſſe præſtitam? Quod quidem non eſt, Confeſſarium vti aliqua iuriſdictione circa forum externum, ſed ex iuriſdictione, qua in foro interno eſt vſus, quaſi reſultare, quòd in foro externo iudicetur, cenſuram fuiſſe ablatam; Conſtare autem de ablatione cenſuræ, non eſt operari aliquid Confeſſarium circa forum externum. Hæc *ibi* latè explanaui, & concluſi, poſſe ſic conciliari noſtram ſententiam cum oppoſita, in qua contenditur, non concedi in Bulla aliquam poteſtatem quoad forum externum, quod quidem verum eſt loquendo de poteſtate immediata reſpiciente illud forum; quare in noſtro ſenſu, aſſerui, forſan aduerſarios non fore ituros inficias.

111 Prætereà impugnaui Valerum, qui *in different. Vtriuſque Iur. verbo abſolutio*, *different.* 2. *num.* 4. tradit, cum pars ſit ſatisfacta, & nulla irrogetur iniuria Iudici, teneri hunc acceptare abſolutionem, quam conſtat, præſtitam fuiſſe à Confeſſario. Verùm hanc obligationem in Iudice non reperiri, oſtendi *ibi num.* 158.

112 His poſitis, Fr. Ioannes Martinez de Prado *tom.* 1. *Theolog. moral. c.* 6. *quæſt.* 6. §. 4. *num.* 18. *&* 19. tranſcribit clauſulam conſtitutionis Vrbani VIII. cuius ſæpè *in hac diſputatione* meminimus, in qua Pontifex declarat, conceſſionẽ factam in Bulla Cruciatæ quoad abſolutionem à reſeruatis reſpectu laicorum, & clericorum ſæcularium non niſi in foro conſcientiæ, non autem in foro externo ſuffragari. Qua clauſula tranſcripta, ait is Author, ſe mirari patrem Quintanadueñas, P. Eſcobar, & ille non aduertiſſe illam, quando docuimus, abſolutionem Cruciatæ, ſatisfacta parte, prodeſſe pro foro externo, cum oppoſitum dicat Vrbanus, cuius Conſtitutionem vidimus, & retulimus.

113 Solùm miratur, P. Quintanadueñas, Eſcobar, & Me non aduertiſſe eam clauſulam Conſtitutionis Vrbani, & non miratur, Fr. Vincentium Candidum, Medinam, & alios non aduertiſſe illam, cum tamen ij idem doceant, & eorum veſtigia ſequamur, & relatos à Me viderit *eo cap.* quo ipſe Me citat; maximè

Digitized by Google

maximè cum aliqui ex illis plùs amplient aſſertum, vt de Valero *nuper* aſſerui. Deindè quod opus erat, Declarationem Vrbani VIII. tanquam vnicum fundamentum ad præſens inſtitutum adducere, ſi quidem in ipſa Bulla Cruciatæ conſtat, ſolùm pro foro interno concedi facultatem ad abſoluendum à reſeruatis, vt notaui *ſuprà num.* 108. *& ſæpè in ſuperioribus?* Miror, hunc doctum ſanè Authorem id non aduertiſſe; cum proximior probatio, & fundamentum ex ipſa Bulla Cruciatæ eſſent deſumenda, ſi quidem in ea ſatis clarè, & expreſsè aſſeritur, quod poſtmodùm Vrbanus adhuc expreſſit, & declarauit, quia ei erat ſermo in illa Conſtitutione de abſolutione à reſeruatis, & noluit, quòd aliquis cenſeret, ipſum ampliare facultatem quoad forum externum, ſi id ſubticeret, ac non exprimeret, ideò expreſſit, & declarauit, quod tamen iam in Bulla Cruciatæ erat declaratum, & expreſſum.

114 Præterea, quomodo ait is Author, me non aduertiſſe clauſulam Vrbani VIII. ſi ſæpiſſimè *in eo cap.* quod ipſe citat, repeto, Bullæ Cruciatæ indultum circa abſolutionem à reſeruatis ſolùm prodeſſe pro foro interno? Atque id aſſero ex vi verborum ipſius Bullæ, quin ea verba, vt dubia, aut indigentia declaratione, proponam; imò potiùs ex eis formaliter intellectis id probem. Aduerti ergo, iuriſdictionem in Cruciata præſtitam ad abſoluendum à reſeruatis ſolùm pro foro interno ſuffragari. Nec vllius Bullæ Cruciatæ elucidator adeò oſcitanter ſe poteſt gerere, vt id non aduertat; & eo ſuppoſito, quæſtio propoſita adhuc locum habet. vt conſtat ex libatis *n.* 109.

115 Denique, tanquam quid indubitatum, profert, à Pontifice aſſeri oppoſitum noſtri aſſerti. Id non rectè profertur; Etenim iam oſtendi, à me nullatenùs affirmari, Confeſſarium virtute Bullæ electum poſſe aliquid operari pro foro externo, ſed reipſa auferre cenſuram, cum pro foro interno abſoluit; & deindè poſſe conſtare per ipſius atteſtationem, fuiſſe cenſuram ablatam, quod non eſt, abſoluere, aut operari pro foro externo; & vlteriùs ſi parti ſit ſatisfactum, aut facta cum ea conuentio, nec deducta res ad forum contentioſum, ita vt nec ſcandalum ſequatur, nec iudicialis ordo turbetur, aut aliquid Iudicis Authoritati detrahatur, poſſe exindè quaſi reſultare, eam abſolutionem prodeſſe in foro publico in ordine ad id, quòd abſolutus à cenſura non iudicetur excommunicatus. Eas omnes circunſtantias, & limitationes conſultò appoſui, & ſub illis aſſerui, meam ſententiam cum oppoſita conciliari, ſeu eſſe eamdem, cum id, quod à me aſſeritur, videatur non poſſe negari ab aduerſantibus, ſiquidem ſic in ſua vi manet Declaratio Pontificia, quòd iuriſdictio Confeſſarij præſtita in Bulla Cruciatæ ſolùm pro foro interno ſuffragatur. Optarem, relata fuiſſe exactè ea, quæ tradidi, à Martinez de Prado, nec ita nudè proponi aſſertum, vt appareat Pontificiæ deciſioni contrarium, cum nihil longius ab illo abſit. Suppoſito autem, doctrinam traditam non aduerſari Conſtitutioni Vrbani VIII. hoc ipſo, quòd non contrarietur ipſis verbis Bullæ Cruciatæ, quæ idem, & eadem expreſſione continent, audiat Martinez de Prado doctum Fr. Barnabam Gallego *in explicat. Bull. cap. 9. dub.* 114. hæc habentem. *Preguntaſe, ſi la abſolution de la deſcommunion, que ſe puede hazer por la Bulla, vale tambien para el foro exterior? Encontrados eſtan los Doctores eneſta parte, aſi dentro de la Eſcuela de Santo Thomas, como los de afuera, affirmando vnos, que vale para el foro exterior, y negando lo otros.* Ecce in ea diuiſione Scholæ Thomiſticæ pars vna pro nobis eſt.

116 Verùm ille parum fauens Authoribus Societatis ſatis manifeſtatur *toto cap.* 15. *quaſt. vltima præcipuè ex num.* 30. vbi in eos obiicit Regulas, & monita Præpoſiti Generalis, & ſpecialiter reprehendit Opera Patris Quintanaduẽñas poſthuma, & problemata Patris Eſcobar; quaſi Authores Societatis excogitent nouas opiniones in materiis moralibus Diuo Thomæ oppoſitas; pluraque huiuſmodi in eos exaggerat. Non adeò acriter fertur in Caramuelem, ex quo refert, opiniones benignas eſſe ſecuriſſimam ſemitam ad cœlum; Nec contra Ioannem Sanchez, quem, ait, aſſerere, Doctores, qui docent opiniones releuantes, grauiſſimum Deo obſequium præſtare; Nec contra Gabrielem, ex quo notat, eſſe incautum dicere, aliquid eſſe peccatum mortale, quod certò non conſtet tale eſſe; nec contra Antonium Diana, quem, inquit, in decem partibus Reſolutionum (plures iam ſunt editæ) benignas, & laxas opiniones quæſiuiſſe diligenter; Nec in Fr. Barnabam Gallego, qui *in reſolut. moral. circa Tractat. de conſcient. in prologo ad Lectorem*, profitetur, ſe electurum fore opiniones benigniores probabiles quæ conſcientiam ſoluant, & non ligent, eo quòd ſic iniungatur, & annotetur in Gloſſa Conſtitutionum ſui Sacri Ordinis Prædicatorum, *in Prologo, textu* 1. §. 1. *ad illa verba, Cum Ordo noſter &c.* Nec in alios ſui ipſius Ordinis Authores, quos in vtroque perdocto Tomo ſuæ Theologiæ moralis refert, in opinionibus moralibus diſſidentes, (an eorum alteri docent opiniones D. Thomæ oppoſitas?) Nec in eos grauiſſimos, & ſapientiſſimos Scriptores, eiuſdem Sacri Ordinis, quos pro benignioribus opinionibus *in ſtatera Opinionum benignarum* retuli, quos ſequuntur vnus,

Digitized by Google

vnus, vel alius Author è Societate, qui eas opiniones tenent (cum communis Authorum ex ipſa Societate oppoſitas ſectetur.) Cur ergo noſtros Authores opinionum nouarum, Laxarum, & aduerſantium D. Thomæ obiurgat? nec enim eis poterit detrahere authoritatem, quam ſibi apud omnes conciliarunt; Teſtes ſint Tribunalia, in quibus tantum eorum ſententiis defertur. Teſtes omnium Muſæa, & Bibliothecæ illis refertæ; Teſtes ſcriptores omnes, qui illos lectitant, ex eiſque ſua Scripta non parùm exornant, (Teſtis ille ipſe Author.) Teſtes Academiæ; in quorum extemporaneis lectionibus inclamantur. Teſtes communiter omnes, qui Reſolutiones caſuum grauium occurrentium ſemper aut communiùs, inter alios, etiam Noſtros conſulunt. Teſtes hi, quos *in ſtatera, diſſertat. vltima,* lato calamo attuli. Ibi videndus ſum. Interim aſſerit Caietanus *Opuſc. loco de praſcientia; Sunt quidam, qui nihil audire volunt, nec probare quidquam, quod in vno quoque Authore non legerint; quam ipſi probent.*

CAPVT X.

An virtute Bullæ Cruciatæ poſſit celebrari Miſſa die Paſchatis, & aliis diebus exceptis, in Oratorij approbatis?

116 Aſerui *in ſuperioribus diſp. 16. num. 10. & 13.* gaudentem Bulla Cruciatæ poſſe celebrare, aut celebrari facere, audire Miſſam, ſatisfacereque præcepto audiendi illam in Oratoriis priuatis, die Paſchatis, & aliis diebus ſolemnibus, qui communiter ſolent excipi in Breuibus, quibus Oratoria conceduntur; ne ibi Miſſa hiſce diebus celebretur. Fr. Barnabas Gallego *in explicat. Bull. Cruciat, dub. 36. fol. 24.* ait, id à Me abſque vllo prorſùs fundamento affirmatum. Crediderim, non fuiſſe ab eo omnino perlectas diſputationes 15. & 16. in quibus de Oratoriis tractaui; neque abſque vllo prorſùs fundamento ſententiam è meo cerebro nouam induxiſſem; Plurimos pro ſe habet Authores, & fundamenta rem probantia.

117 Itaque meum aſſertum tuentur Fr. Emanuel Rodriguez *in additionibus ad Bull. Cruciat. §. 5. num. 1.* Ægidius Trullench *in expoſit. Bull. lib. 1. §. 3. dub. 4. num. 11.* P. Franciſcus Bardi *tom. in Bull. Cruciat. part. 2. tract. 1. cap. 6. ſect. 2. num. 21.* P. Quintanadueñas *tom. 1. ſingular. tract. 7. ſingular. 33. num 5.* Alij apud Dianam *part. 9. tract. 1. reſol. 14.* & nouiſſimè P. Gabriel de Henao me defendens *tom. 2. de Sacrific. Miſſæ, diſp. 23. ſect. 14 num. 223 & antecedenter num. 175.*

118 Fundamentum eſt, quia in Bulla Cruciatæ conceditur ea gaudentibus, vt quovis tempore, quoviſque die quin vllus dies excipiatur, poſſint, ſi presbyteri ſint, per ſe ipſos in Oratoriis priuatis iam deputatis ad diuinum cultum & approbatis ab ordinario, celebrare Miſſam, aut ipſi, & alij non presbyteri facere celebrari. Et poſt alias clauſulas conceditur, vt poſſint Euchariſtiam, & Sacramenta recipere in prædictis Oratoriis, præterquàm in die Paſchatis. Itaque exceptio diei Paſchatis cadit ſupra conceſſionem recipiendi Euchariſtiam, non ſupra conceſſionem celebrandi, aut audiendi Miſſam; vnde cum nec dies Paſchatis, nec vllus alius in ordine ad Miſſam celebrandam, vel audiendam in Oratorio excipiatur in priuilegio, & conceſſione Bullæ, fit, vt in eis diebus poſſit Miſſa ibi celebrari, vel audiri, & conſequenter ſatisfieri præcepto audiendi Miſſam. Quare non eſt fundamentum, vt ille dies excipiatur, & priuilegium reſtringatur, quod indefinitè, & generaliter abſque exceptione conceditur, vt *infrà* ampliùs patebit; & è contrà fundamentum eſt firmum ad noſtrum aſſertum ipſa expreſſio priuilegij.

119 Vt autem conſtet, diem Paſchatis non excipi quoad celebrationem, & auditionem Miſſæ in præfatis Oratoriis, ecce verba Bullæ Cruciatæ Latinæ, quibus ſimilia breuiùs tranſcripta ſunt in Bulla Hiſpano idiomate tranſcripta. Concedit ergo accipientibus illam, vt *Poſſint in Eccleſiis, in quibus alias Diuina Officia, interdicto durante quomodolibet celebrare permiſſum fuerat, vel in priuato Oratorio ad diuinum cultum tantùm deputato, ab ordinario viſitando, & deſignando; etiam tempore interdicti, cui ipſi cauſam non dederint, vel per eos non ſteterit, quominùs amoueatur; & qui facultatem ad id à Commiſſario Generali habuerint, etiam per horam, antequam illuceſcat dies, & per horam poſt meridiem in ſua, ac familiarium, & conſanguineorum ſuorum præſentia, Miſſas, & alia Diuina Officia per ſe ipſos, ſi presbyteri fuerint, vel per alios celebrare facere, & tempore interdicti Diuinis intereſſe. Eis tamen, qui priuato Oratorio ad præmiſſa vti voluerint, vt quoties id fecerint, aliquas preces Deo pro vnione Principum Chriſtianorum contra infideles, eorumque contra eoſdem victoria, fundere teneantur, imponitur.* Ecce conceſſionem circa Miſſam in Oratorio priuato, in qua nullius diei fit exceptio, ſed omni tempore, & die, etiamſi tempus interdicti ſit, indulgetur, vt habens Bullam poſſit, ſi presbyter ſit, celebrare, aut ipſe, & quivis alius eam habens facere celebrari Miſſam, in præſentia etiam ſuorum familiarium, & conſanguineorum, quamvis hi Bulla non gaudeant. Nec conceſſio hæc ſolum

Digitized by Google

lùm eſt pro tempore interdicti, vt omnes expoſitores obſeruant, tum quia ea verba etiam tempore interdicti ſunt extenſiua, implicatiua, & augmentatiua, & ſupponunt, pro alio tempore fieri conceſſionem, eamque extendi etiam ad tempus interdicti, quo prohibetur intereſſe Miſſæ, & diuinis officiis, niſi detur priuilegium; tum quia ea conceſſio, vt expreſsè in ea liquet, etiam fit presbyteris, hi autem ad celebrandum, & aſſiſtendum diuinis officiis tempore interdicti, non indigent priuilegio, nam interdicto populo, non interdicitur Clerus. iuxta *cap. Alma mater, de ſentent. excommunicat. lib.6.* Ergo pro alio tempore conceſſio fit; nullus autem dies excipitur, ergo nec dies Paſchatis; nec vbi lex, aut indultum non diſtinguit, nec excipit, nos diſtinguere; aut excipere debemus.

120 Proſequitur Bulla Latina immediate ad verba allata; Item Euchariſtiam, *& alia Sacramenta, præterquàm in die Paſchatis, recipere.* En vox *Item* nouam conceſſionem, & diſiunctam à prima ſignificat, in qua exceptio diei Paſchatis cadit apertè ſupra receptionem Euchariſtiæ, & Sacramentorum. Hinc roboratur aſſertum noſtrum. In Bulla conceditur, poſſe celebrari, & audiri Miſſam in Oratorio, & item conceditur quolibet die anni in eo recipere Sacramenta, & Euchariſtiam, excepto die Paſchatis; Sed exceptio firmat regulam in contrarium; ergo quolibet die anni, etiam Paſchatis, licet virtute Bullæ celebrari; & audiri Miſſam, cum in conceſſione celebrandæ, & audiendæ Miſſæ nulla exceptio fiat, & ſit conceſſio ſeparata, & non connexa cum conceſſione receptionis Sacramentorum, & abſque hac poſſit illa ſubſiſtere.

Id ipſum deducitur ex intentione excipiendi diem Paſchatis, ea enim fuit, nequis crederet, per acceptionem Euchariſtiæ in Oratorio, ſe facere ſatis præcepto Communionis Paſchalis, ſed id in propria Parochia adimpleat, vt Paſtor vultum ſui pecoris agnoſcat. Qui finis non datur reſpectu auditionis Miſſæ, cum non ſit ſpeciale præceptum Eccleſiæ, vt die Paſchatis audiatur Miſſa in Parochia; ſeu, vt ita loquar, non extat præceptum Miſſæ Paſchalis, ſicut extat Communionis Paſchalis. Quæ intentio manifeſtè probatur, quia ex deuotione, quin ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ, poteſt recipi in Oratorio Euchariſtia quolibet die ex quindecim, qui communiter deſignantur ad præceptum Cõmunionis adimplendum, nempè à Dominica Palmarum vſque ad Dominicam in albis, imò & ipſo die Paſchatis poteſt recipi Euchariſtia ex deuotione in Oratorio; ergo ſignum euidens, eſt animum, & intentionem excipiendi diem Paſchatis ſolummodò fuiſſe, vt in Parochia adimpleretur præceptum Communionis, & non in Oratorio; ſiquidem cum expreſsè excipiatur dies paſchatis in Ordine ad recipiendam Euchariſtiam, adhuc tamen non intelligitur exceptus ad recipiendam illam ex deuotione, vt tradunt Fr. Emanuel Rodriguez, Fr. Ludouicus à Cruce, Bonacina, P. Suarez, Filiucius, & Fagundez relati à Me *ea diſput.* 16. *num.* 11. P. Henao *vbi ſuprà*, *n.*175. & ipſe Fr. Barnabas Gallego *vbi ſuprà.* Et ratio eſt, quia in ea clauſula Bullæ prohibet Pontifex in Oratorio ſolam Communionem quaſi formalem, qua adimpleatur præceptum Eccleſiæ in illo; non verò Communionem quaſi materialem, qua ei non ſatisfiat, ſed fiat ex deuotione, cum per hanc ſumptionem Euchariſtiæ non tollatur adimpletio præcepti Communionis Paſchalis, nec fruſtretur obſeruatio *capitis omnis vtriuſque ſexus, de pænitentiis, & remiſſion.* iniungentis id præceptum; nec animus Pontificum, qui ſolùm intendunt, vt eo die, & tempore Paſchatis omnes Fideles in propria Parochia Euchariſtiam recipiant.

121 Hinc ad hominem ex duplici capite inſurgo aduerſus Fr. Barnabam Gallego. Primò, nam ipſe ait, exceptionem diei paſchatis reſpectu Communionis intelligi de totis illis quindecim diebus, quibus poteſt adimpleri præceptum Communionis paſchalis; inquiro ergo ab eo, an ſit etiam exceptio illorum quindecim dierum ad celebrandam, & audiendam Miſſam? Aſſerit, reſpectu Miſſæ non extendi vltra diem paſchatis; ergo non in eodem ſenſu accipit exceptionem quoad Miſſam, & quoad Communionem; quod ſanè voluntariè dicitur, & præterea ſi pro libito limitatur vnus dies ad Miſſam, & quindecim ad Communionem ex præcepto, rectiùs exponetur ſenſus exceptionis de ſola Communione per illos quindecim dies, & per nullum diem de Miſſa, ſic enim non variabitur ſenſus. Deindè ex deuotione, & non ſatisfaciendo præcepto, ait, poſſe recipi Euchariſtiam in Oratorio in die paſchatis, quantumvis expreſsè excipiatur receptio illa die; igitur caſu negato, quòd exciperetur celebratio, vel auditio Miſſæ illo die, poſſet ſaltem audiri ex deuotione, aut celebrari. Non cerno diſparitatem. Quòd ſi ex deuotione audiri poſſet, nihil iam probaretur ab hoc Authore, cuius finis eſt, nullo modo poſſe Miſſam celebrari, aut audiri in Oratorio, die paſchatis, ex vi Bullæ Cruciatæ, independenter ab eo, quòd præſtaretur ex deuotione, aut animo adimplendi pręceptum audiendi Miſſam. Secundò; Docet, poſſe die paſchatis recipi ex deuotione Euchariſtiam in Oratorio, ergo ſibi contrarius concedit, poſſe eo die Miſſam celebrari

Digitized by Google

celebrari in Oratorio. Probo conſequentiam; In Oratoriis priuatis domorum non ſeruatur, nec ſeruari poteſt Euchariſtia, ergo vt die Paſchatis quis eam ibi ex deuotione recipiat, neceſſum eſt, vt celebretur Miſſa, in qua Hoſtia parua conſecretur, quæ ab audiente ex deuotione recipiatur. Quòd ſi ex ſpecialiſſimo priuilegio Pontificis (quod extare dubito) in alioquo Oratorio domus priuatæ aſſeruaretur Euchariſtia, de contingenti raro non eſſet tradenda doctrina vniuerſalis ſupponens, in quolibet Oratorio domus priuatæ poſſe recipi die Paſchatis ex deuotione Euchariſtiam.

123 Oppones contra noſtram ſententiam, ex P. Thoma Tamburino *lib. 1. de Miſſa cap. 4. §. 4. num. 26.* Is, qui Miſſæ aſſiſtit, poteſt etiam recipere Euchariſtiam, cum Communio præſentium quodammodò ad Miſſam ſpectet; at die Paſchatis non poteſt quis recipere Euchariſtiam in Oratorio; Ergo nec poteſt ibi aſſiſtere Miſſæ, & ex conſequenti nec hæc celebrari. Reſpondeo primò, poſſe die Paſchatis ex deuotione recipi Euchariſtiam, vnde iuxta id principium P. Tamburini, poterit etiam aſſiſti Miſſæ, eaque celebrari. Deindè ex aſſiſtentia ad Miſſam non inducitur ex vi formæ, poſſe quem recipere Euchariſtiam à celebrante illam; aliàs rectè inferretur; poteſt quis aſſiſtere vno die duabus Miſſis, ergo poteſt in vtraque Euchariſtiam recipere; quod eſt omnino falſum. Quare poterit quis recipere Euchariſtiam in Miſsa, quam audit, ſi circunſtantiæ debitæ concurrant, & nulla detur prohibitio recipiendi illam. Communio autem præſentium latiſſimè extrinſecè ad Miſsam ſpectat, nec exindè quidquam efficaciter probari poteſt. Et quidem frequentiùs Miſsæ celebrantur, quin præſentes recipiant Euchariſtiam, & non propterea quidquam in ipſis Miſſis deſideratur. Vnde ſeparatim, & quaſi diſparatè ſe habet, quòd Miſsa die Paſchatis valeat celebrari, aut audiri in Oratorio, ab eo, quòd poſſit, vel non poſſit in illo recipi Euchariſtia.

124 Oppones prætereà id ipſum, quod ſupponimus, nempè in Breuibus, quibus conceduntur Oratoria ad Miſsam celebrandam, excipi diem Paſchatis, ergo eo die nequit in illis celebrari. Inſto apertè argumentum. Etiam in indultis, & Breuibus, quibus conceduntur Oratoria, excipiuntur alij dies ex ſolemnioribus per annum; ergo virtute Bullæ in eis diebus non poteſt Miſsa celebrari in Oratoriis. Nullus admittit conſequentiam, nec de eis diebus exceptis extat controuerſia; nimirùm quia virtute Bullæ id priuilegium conceditur, vt ſi ſemel ſit conceſſum aliundè Oratorium, & approbatum, poſſit quolibet die in eo celebrari Miſſa; Quin etſi in conceſſione Oratorij limitetur, quòd vna tantùm Miſſa in eo dicatur virtute Bullæ plures dici poterunt. Et quidem ſi limitationes in conceſſione Oratorij ſint, à Prælato inferiori illud concedente, poteſtate ad id ſibi tradita, reuocantur per Bullam Cruciatæ à Pontifice; Imò & ſi ipſe Pontifex conceſſerit indultum Oratorij cum eis limitationibus, cum quotannis renouet priuilegia Bullæ, ipſemet illas reuocat, vtpote appoſitas reſpectu eorum, qui Bullam Cruciatæ non habuerint. Quare ſi poſt expeditam Bullam Cruciatæ Pontifex concedat Oratorium priuatum, limitationeſque præfatas apponat, intelligendæ hæ ſunt, ſi Bulla non habeatur. Diximus *ſuprà* ſatisfacere præcepto Eccleſiæ eum, qui ex priuilegio Bullæ celebrat, vel audit Miſſam in Oratorio his diebus, qui in conceſſione ipſa Oratorij excipiuntur. Sic ex praxi, & ſuaſione communi conſtat, & plures docent, ac nouiſſimè P. Henao *vbi ſuprà num.* 152, qui Declarationem Sacræ Congregationis Concilij in contrarium allatam aliò tendere tradit.

125 Præmonui tamen *ea diſp. 16. num. 9.* vt nunc repeto, magna cum circunſpectione debere plura ex his fieri, ne incommoda ſequantur, maximè in Feſtis ſolemnioribus, in quibus congruit valdè ad exemplum, ædificationemque populi, vt nobiliores, illuſtrioreſque Dynaſtæ, & Matronæ Eccleſias publicas frequentent, & in eis Sacramenta recipiant. Expedit prætereà, ne detur locus multitudini audiendi Miſſas in Oratoriis, vt ad Eccleſias accedant, Conciones audiant, ibique Sacramenta frequentent, & alios ad pia opera ſuo exemplo moueant, aut aliorum exemplo ipſi alliciantur, & Parochi etiam non defraudentur oblationibus Fidelium. Prudentia ergo ſuggeret, quando abſque inconuenienti iis Bullæ Cruciatæ indultis ſit vtendum.

CAPVT XI.

Cuius Ordinarij requiratur approbatio Oratorij, vt in eo liceat vti priuilegiis Bullæ Cruciatæ?

126 ASſerui *in ſuperioribus diſp. 16. numer. 17.* Ordinarium, à quo in Bulla Cruciatæ requiritur, quòd Orationum aliundè conceſſum ſit approbatum, vt poſſit Bulla ipſa gaudens celebrare, aut audire Miſſam in eo; & Sacramenta pariter recipere,

Digitized by Google

recipere, adhuc tempore interdicti, debere eſſe Ordinarium loci, ſeu territorij, in quo ſitum eſt Oratorium. Quod aſſertum etiam defenditur à P. Bardi *in Bull. Cruciat. part. 2. tract. 2. cap. 6.*

127 Cæterùm P. Henao *part. 2. de Sacrific. Miſſæ diſp. 23. ſect. 11. num. 147.* Me refert pro præfato aſſerto, ſed ait, ſatis probabiliter doceri à quibuſdam Authoribus allatis à Diana, ſi approbatio præſtetur à quocumque Ordinario, nam Bulla Cruciatæ indefinitè Ordinarium deſiderat ad approbationem, nec exprimit, debere eſſe Ordinarium territorij, aut diœceſis, ſicut communiter exprimitur in Breuibus, quæ nunc expediuntur pro conceſſione Oratorij, in quibus ſemper approbatio Ordinarij præfigitur. Addit, maximè fauere huic doctrinæ paritatem Ordinarij, qui excepturus ſit Confeſſiones virtute Bullæ requirentis etiam, eſſe approbatum, cuius approbatio non debet eſſe Ordinarij loci, vt fert communis ſententia, (ſic ille ait) ſed poteſt eſſe vel loci, vel pœnitentis, eo quòd in Bulla ſolùm exigatur indefinitè Ordinarij approbatio, vt quis virtute illius eligat eum in Confeſſarium.

128 His fundamentis meum ſanè aſſertum non eneruat; nam eadem ego aduerſus illud propoſui, ac impugnaui, & diſſolui; dum ergo impugnationes à me allatæ non enodantur, aſſertum in ſua vi permanet, nihil enim nouum contra illud excogitatur, cui non fuerit factum ſatis. Atque vt id conſtet, & quia ad impugnandam aſſertionem oppoſitam, non eſt opus aliis rationibus, tranſcribam illum *numerum* 7. in quo meam ſententiam propoſui. Ita ſe habet. * Trullench. rurſùs defendit, per Bullam poſſe eligi quemvis Ordinarium, vt approbet Oratorium; quod probat à paritate, quia probabile eſt, poſſe eligi virtute Bullæ quemvis Confeſſarium à quolibet Ordinario approbatum. Sed eſtò hoc ſit verum, de quo nos *inferiùs*, falſam iudico eiuſmodi opinionem. Sicut enim priuilegium Bullæ mihi concedens, vt peccata confitear Sacerdoti approbato ab Ordinario, non concedit, vt ego eligam Ordinarium, qui approbet Sacerdotem, cum quo confitear: ita nec priuilegium indulgens, vt celebrem, aut audiam Miſſam in Oratorio approbato ab Ordinario, concedit mihi, vt eligam Ordinarium, qui approbet Oratorium, in quo celebrem, aut audiam Miſſam. Quæ eſt enim diſparitas inter vtrumque? Præterea, quia de approbatione Confeſſarij ab Ordinario facienda (independenter à Bulla, ex vi requiſiti appoſiti à Tridentino, vt poſſit ille abſolutè excipere Confeſſiones) plures excitari ſolent quæſtiones; an ſcilicèt debeat approbari ab Ordinario pœnitentis? an ab Ordinario ipſius Confeſſarij? an ſufficiat à quolibet Ordinario? Et alia huiuſmodi independenter à Bulla ventilentur, ideò cum de approbatione Confeſſarij ab Ordinario facienda, vt audiat Confeſſiones virtute Bullæ, agitur, relinquitur locus interpretationi, & probabilitati. At in præſenti caſu ceſſat hæc ratio, cum in omnibus aliis Ordinarius ſtet pro Ordinario proprio, maximè cum agitur de locis, non de perſonis; quare hic Ordinarius Oratorij debet intelligi, ſeu Ordinarius loci, in quo eſt Oratorium. Demùm in hac Bullæ clauſula non datur facultas eligendi Ordinarium approbantem, ſicut poſteà datur facultas eligendi Confeſſarium approbatum; quare facultas non eſt reſpectu approbationis, ſed reſpectu celebrationis, aut auditionis Miſſæ, receptionisvè Sacramentorum. * Hucvſque ibi. Hinc de opinione contraria loquens Fr. Ioannez Martinez de Prado *tom. 1. Theolog. moral. cap. 6. quæſt. 4. num. 16.* ait; *Benè etiam illam opinionem eſſe falſam, probat Andreas Mendus diſp. 16. cap. 1. num. 7.* ac meas probationes in medium profert.

129 Itaque modus indefinitus, quo Bulla loquitur, potiùs ſupponit, Ordinarium debere eſſe proprium loci, ac domus, in qua eſt Oratorium; nam alij non ſunt Ordinarij reſpectu illius; Et hic modus loquendi ſemper imbibit materiam, aut perſonam, de qua eſt ſermo, vt qualitas, & affectio ad illam intelligatur. Pone, concedi Religioſo, vt peregrinetur, ſi ſuperior approbet. An quia non exprimitur ſuperior ipſius Religioſi, valeat intelligi hæc locutio de quovis Superiore, etiam ſi non ſit Superior ipſius? Equidem tam indefinita eſt hæc locutio, *approbante Superiore*, ac illa *approbante Ordinario*; ſicut ergo non ſufficeret approbatio Superioris Prouinciæ Bæticæ, vt Religioſus Salmantinus peregrinaretur, quamvis ille ſit abſolutè Superior; ita non ſufficiet approbatio Ordinarij Hiſpalenſis ad Oratorium in domo Salmantina ſitum, vt quis in eo celebret, vel audiat Sacrum; nam eſtò ille ſit Ordinarius abſolutè, non eſt Ordinarius Salmantinus, atque adeò in ordine ad Salmantinam Vrbem ille non eſt Ordinarius; ſicut in ordine ad Religioſum Salmantinum ſub Prouincia Caſtellana degentem Superior Bæticus non eſt Superior. Hinc Congregatio Concilij reſpondit conſultationi cuiuſdam Archiepiſcopi Valentini; *Congregatio Concilij reſpondet, approbatum ab alio, quàm à Valentino Epiſcopo, in Diœceſi Valentina non cenſeri approbatum ab Ordinario*; Quæ verba in ipſis litteris Roma miſſis ſe legiſſe teſtatur Fr. Emanuel Rodriguez *in Bull. Cruciat. paragr. 5.* Quaſi apertè

Digitized by Google

apertè Congregatio dicat, Ordinarius non Valentinus nullatenùs reſpectu approbationis habendus, aut cenſendus eſt Ordinarius. Aptetur id Ordinario approbaturo Oratorium.

130 Prætereà circa Confeſſiones non concedit Bulla quidquam reſpectu approbationis, ſed ea eſt eius mens, vt poſſit eligi approbatus ab Ordinario, eius ſcilicèt Ordinarij approbatione, quæ requiritur à Tridentino, à quo requiri approbationem Ordinarij Diœceſis, conſtat ex Declaratione Congregationis ipſius Concilij *nuper* allata; & ex ſententia pronuntiata ab Innocentio X. quam attulimus *diſp.* 22. *cap.* 12. Et ex rationibus, quas affero *eo loco in ſuperioribus diſp.* 22. *ex num.* 52. Et ex communiori ſententia Authorum; Vnde per Bullam non eſt eligibilis niſi Confeſſarius approbatus ab Ordinario loci, ſeu Diœceſis; Hinc neſcio, quomodo P. Henao dixerit, eſſe communem ſententiam, quòd approbatio requiſita in Bulla ſufficiat eſſe Ordinarij loci, aut pœnitentis; nam eſtò id ſentiant non pauci, non tamen eſt communis ſententia, quæ locutio denotat, oppoſitam aut non eſſe communiorem, aut eſſe minùs communem. Id autem non eſt verum, quia eam docent Cardinalis Lugo *tom. de pœnitent. diſp.* 21. *ſect.* 1. Fr. Emanuel Rodriguez, Acoſta, Quaranta, Gutierrez, P. Vazquez, quos refert P. Quintanadueñas *lib. de Iubilæo quindecim dierum, pag.* 231. Fr. Melchior Canus, Torreblanca, P. Emanuel Sa, P. Layman, quos refert, & eorum ſententiam iudicat æquè probabilem, ac oppoſitam, Fr. Leander de Sacramento *tom.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 11. *quæſt.* 70. P. Filiucius *tom.* 1. *tr.* 7. *cap.* 9. *n.* 62. Petrus Fay, Nuñus, & alij apud ipſum Leandrum *ibidem, quæſt.* 69. Beja 4. *part. caſu* 20. Villalobos cum aliis relatis à Fr. Ioanne Henriquez *in quæſt. practic. ſect.* 47. *quæſt.* 5. *num.* 14. P. Buſembaum *in medull. Theolog. moral. lib.* 6. *tract.* 4. *cap.* 2. *dub.* 2. Zerola *in praxi de Sacram. pœnit. cap.* 16. *quæſt.* 8. Et alij plures, quos refert, & ſequitur Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 5. *de pœnitent. Sacram. quæſt.* 7. *punct.* 4. §. 1. *num.* 21. *verſ. Sed contrariam*, vbi affert pro hac ſententia præfatam Declarationem Congregationis Concilij, & affirmat, eam afferri à Quaranta, Nuño, & Emanuele Rodriguez; Et cum adeò fuerit veraciter tranſcripta, & promulgata, nequit aſſeri ab Authoribus contrariæ opinionis, non conſtare de illa authenticè, quæ ſolet eſſe euaſio frequens, cum Declarationes afferuntur. Nam quo alio pacto authenticè conſtet? An vnicuique ſit intimanda, aut in ſingulis Diœceſibus promulganda? Si id expectetur, pauca authenticè conſtabunt.

CAPVT XII.

An Commiſſarius Generalis Cruciatæ poſſit concedere Oratoria?

131 AFfirmaui *in ſuperioribus diſp.* 37. *cap.* 15. *ex num.* 105. poſſe Commiſſarium Generalem Cruciatæ concedere Oratoria. Probaui aſſertum ex facultate, quam inter alias, ad id ſibi conceſſa, promulgari facit idem Commiſſarius, cuius tenorem *ibi* tranſcripſi; Nec fidem denegandam eſſe ei, dum id præcipit evulgari, aſſerui; Temere enim de tanto viro præſumeretur, ſibi abrogare facultatem, quam non haberet, & decipere Fideles in re grauiſſima cum aliundè enunciet Alphonſus Perez de Lara *in compend. trium grat. pag.* 60. Commiſſario omnino eſſe credendum, quandocumque affirmauerit, ſe gaudere facultate ad aliquam conceſſionem, ſiuè indultum, eſtò non oſtendat, nec inſerat poteſtatis priuilegium ſibi à Pontifice conceſſum, eiuſque nudum teſtimonium non minùs fidem facere, quàm ſi litteræ commiſſionis de verbo ad verbum inſererentur.

132 Aſſertum præfatum docent Ægydius Trullench *in expoſit. Bull. lib.* 2. §. 5. *dub.* 3. *num.* 7. Alphonſus Perez de Lara *vbi nuper, pag.* 275. Fr. Barnabas Gallego *in explicat. Bull. cap.* 14. *ex fol.* 199. Thomas Hurtado *part.* 2. *reſol. moral. tract.* 12. *cap.* 1. *in Digreſſione de Oratoriis, num.* 2240. Nec diſſentit P. Gabriel de Henao *part.* 2. *de Sacrific. Miſſ. diſp.* 23. *ſect.* 1. *numer.* 150. plures Authores afferens; *Et ſect.* 14. *numer.* 213.

133 Id denuò confirmatur. Nam Illuſtr. D. Don Fr. Antonius de Sotomayor Commiſſarius tunc Generalis Cruciatæ anno 1642. iuſſit, facultates ſui Muneris prælo mandari, & nona, quæ in eis extat, eſt facultas concedendi Oratoria. Prætereà Illuſtr. Dom. Don Petrus Pacheco, Commiſſarius Generalis Cruciatæ teſtatus eſt, ſe ea facultate potiri; ab ipſiuſque ore audiuiſſe, & vſum huius facultatis nunc eſſe in praxi, affirmat Fr. Barnabas Gallego *vbi ſuprà, dubit.* 182. *fol.* 180. Eiuſque meminit P. Gabriel de Henao *vbi ſuprà numer.* 213.

134 Nihilominùs Fr. Ioannes Martinez de Prado *tom.* 1. *moral. cap.* 6. *de Bulla, quæſt.* 4. §. 2. *numer.* 14. loquens de hac facultate hæc habet. *Secundò dicitur, illam facultatem reddi dubiam, quia non habetur in Summario Hiſpano, nec Latino, nec profertur diploma Pontificis, in quo ſit conceſſa, & alij Authores alioquin diligentes,*

Digitized by Google

de illa facultate non meminerunt. Imo Quintanadueñas tom.1. tract.7. ſingular.33. num.7. ait, ſed hanc facultatem ignoro, præcipuè poſt Decretum Pauli V. Et Diana part.9. tactat.1. reſol. 24. aſſerit, hanc facultatem nunquam extaſſe. Sed quia eſt quæſtio de facto, in hoc puncto his, qui de illo meliùs potuerunt certificari, qui ſunt ipſi Commiſſarij, & Secretarij Cruciatæ, me remitto. Niſi fortè hac conſuetudo inceperit, quando non erant tam rigida reſtrictiones, ſicut modò. Dixit hic Author, ſed immeritò, vt oſtendi *ſuprà quæſt.* 3. quoddam meum aſſertum non niſi cum iniuria Sedis Apoſtolicæ dici; Videat alius, an prædicta verba, niſi cum iniuria Commiſſarij Generalis Cruciatæ, valeant proferri.

135 Etenim ait, facultatem concedendi Oratoria reddi dubiam, cum Illuſt. D. Fr. Antonius de Sotomayor ex ſuo ipſius illuſtri Ordine eam prælo excuſſam promulgauerit, & Illuſt. Dom. D. Petrus Pacheco teſtatus fuerit ſe illa gaudere, ac ab eius ore id audiuiſſe affirmet Fr. Barnabas Gallego ex ſuo eodem Sacro Ordine, & ſic exerceri nunc eam facultatem. Deindè quod in Summario Latino, aut Hiſpano non extet ea facultas, quid ad rem? Quaſi non poſſit in aliis Diplomatibus Pontificiis ea extare; Et ita eſſe, nullatenùs nec per vmbram eſt dubitandum, niſi palàm quis teſtimonio præſtito ab ipſis Commiſſariis Generalibus pro libito, & abſque fundamento velit opponi, refragari, & fidem non præbere. Nec opus eſt, Diploma Pontificis proferri in medium; ſufficit, illud haberi apud Commiſſarium, ſeu in Scrinio Senatus Regij Cruciatæ; Nec enim abſque eo diplomate Commiſſarij prælo datam eam poteſtatem ederent, nec teſtarentur, nec exercerent; aliàs vt deceptores, & exercentes poteſtatem, qua carent, eſſent damnandi, quod nequaquam ſuſtinendum eſt dici. Quòd autem Authores non meminerint eius facultatis, falſum eſt, cum plures meminerint; alios autem id non præſtitiſse, argumentum negativum eſt ſub circunſtantiis adductis nihil probans.

136 Et quidem P. Quintanadueñas, quem refert, ſolùm ait, ſe ignorare eam facultatem, non ait, ſe dubitare de illa poſt eam affirmatam à Commiſsariis; (ſicut affirmat Martinez de Prado) ſcripſit enim ille anno 1645. cum profatum Illuſtr. Dom. Don Petri Pacheco non prodierat; Imò certum eſt, P. Antonium Quintanadueñas non vidiſse eam facultatem editam ab Illuſtr. D. Fr. Antonio de Sotomayor paulò ante eius ſcripta, ſiquidem eius ſanè meminiſset, ſi ad ipſius perueniſset manus. Qui autem ait, aliquid à ſe ignorari, non cognitis rei fundamentis, nulli irrogat iniuriam. Deindè Dianam ab eodem Authore relatum, in ſuo aſserto falli, eſt certo certius; Nec id miraculum, cum ille Romæ, & in Sicilia ſcripſerit, & Commiſsarij Generales verſentur in Curia Matritenſi, nec adeò facilè peculiares ipſorum facultates à longinquo, quàm ex proximo noſcuntur.

137 Addit is Author, ſe remittere ad Commiſsarios Cruciatæ circa factum. Potuiſſet facilè in præſentia, vel per Epiſtolam eos conſulere, ſi fidem non præſtabat Fr. Barnabæ Gallego, (vt hic conſuluit) ne anſam offenſionis eis præberet, dum adeò dubiam eorum poteſtatem in lucem edebat. Quòd demùm affirmat, fortè conſuetudinem concedendi Oratoria incepiſse, quando non erant adeò rigidæ reſtrictiones, ac nunc ſunt, laborat falsa ſuppoſitione, nempè quod facultas concedendi Oratoria ex conſuetudine dimanauerit; cum non niſi ex priuilegio Pontificio prouenerit.

Poſt hæc ſcripta, rem hanc, vtpotè grauiſſimam, iteratò examinaui. Ac in primis pro facultate Commiſſarij Generalis Cruciatæ ad concedendum Oratoria, præter allata *ſuperiùs* militant ſequentia. Primò quia eam facultatem implicitè contineri in ipſa Bulla plumbea, & in ea fundamentum habere, docet P. Henao *tom.3. de ſacrif. Miſſ. diſp.30. ſect.15.* vbi pro eo fundamento affert Ægydium Trullench, Ludouicum à Cruce, Sotum, Henriquez, Salas, Caſtro Palao, Hieronymũ Garcia, Viualdum, Ludouicũ Lopez, Llamas, & Chriſtophorum à Sancto Ioſepho.

Secundò quia vt ipſe Henao expendit, Pontifex concedit facultatem ad audiendam Miſſam, & diuina Officia in Oratorio ad ea munia deputato. *Ab Ordinario viſitando, & deſignando.* Ergo Commiſſarius poteſt illud Oratorium concedere, & deputare; Aliàs cum nequeat celebrari Miſſa niſi in Oratorio viſitato ab Ordinario, ſuperfluè apponeretur ea clauſula *Ab Ordinario viſitando*; Quòd ſi expediens viſum fuiſſet ſubiungere eam viſitationem, diceret Pontifex, *Ab Ordinario viſitato*; vt facultas ſolùm intelligeretur de auditione Miſsæ in Oratorio aliàs conceſſo, & viſitato ab Ordinario.

Tertiò, expendo ego aliud fundamentum. Attendatur ad Bullæ verba; *Item conceditur &c. vt in priuato Oratorio ad diuinum cultum tantùm deputato, ab Ordinario viſitando, & deſignando, etiam tempore interdicti, cui ipſi cauſam non dederint, vel per eos non ſteterit, quominùs amoueatur, & qui facultatem ad id à Commiſſario Generali habuerint, etiam per horam, antequam illuceſcat dies &c.* Ea verba, *Qui facultatem ad id*, videntur referri ad antecedentia; Nempè *in Oratorio &c.* Non enim ſunt alia antecedentia, ad

ad quæ referantur; Ergo poſſunt habere facultatem à Commiſſario ad Oratorium. Efficitur enim hic ſenſus; *Qui facultatem ad id Oratorium à Commiſſario Generali habuerint.* Etenim cum vox *Ad id* ſit relatiua, & relatio fiat ad antecedentia communiter, non ad ſubſequentia, non videtur loqui Pontificem de his, qui facultatem habuerint ad audiendam Miſſam vna horâ, antequam illuceſcat dies, &c. quod extat in ſubſequentibus, ſed ad Oratorium deputatum, quod extat in antecedentibus proximè.

Cæterùm pro parte negante Commiſſario Generali facultatem concedendi Oratoria, abſolutè ſtant Diana *part.9. tract.de Oratoriis reſol.*24. Garoia *in ſumm. Theolog. tract.*3. *diffic.*8. *punct.*2. *n.*15. Quintanadueñas *tom.*1. *tr.*7. *ſingular.*31. *n.*7. Quòd ſi ea facultas conceſſa fuit Commiſſariis Generalibus in verbis relatis Bullæ, fuiſſe reuocatam, docet P. Henao *tom.*3. *de ſacrif. Miſſ. diſp.*30. *ſect.*5. Et in primis, ſi in præfatis verbis Bullæ non ſit conceſſa ea facultas, ſanè nullum extat inſtrumentum, Bulla ſpecialis, aut in forma Breuis, in Scriniis Senatus Sanctæ Cruciatæ, in quibus ea facultas contineatur; Quod ego accuratiſſimè examinaui, & inquiſiui in hac Curia Matritenſi hoc anno 1667. à viris peritiſſimis rerum Senatus Cruciatæ, qui Scrinia euoluerunt, & omnia inſtrumenta lectitarunt; inter quos id ipſum audiui à Dom. Don Ioanne de Aſtorga, eiuſdem Regij Senatus Fiſcali, viro apprimè ſapiente.

Rurſùs Gregorius XV. declarauit, per Bullam Cruciatæ non licere Commiſſario Generali concedere Oratoria; & ſuæ Sanctitatis iuſſu Eminentiſſimus Cardinalis Ludouiſius litteras ſcripſit Nuntio Apoſtolico Hiſpaniarum die 20. Maij, anno 1622. in quibus ei intimauit eam Pontificis declarationem, vt ipſe notam faceret Commiſſario Generali Cruciatæ. Scio, & certiſſimè mihi conſtat, poſt id factum, aliqua Oratoria fuiſse conceſſa à ſequentibus Commiſsariis Generalibus.

Prætereà Congregatio Concilij, cuius verba afferunt Diana, & P.Henao cum referens *vbi ſuprà*, declarauit die 14. Nouembris, anno 1648. non poſse Commiſsarium Generalem Cruciatæ concedere facultatem ad Oratoria.

Adhuc Vrbanus octauus relatus ab eodem P.Henao, & ab aliis, omnino abſtulit ab Ordinariis facultatem concedendi Oratoria. Ergo etiam abſtulit facultatem approbandi Oratoria, quæ ab ipſo Pontifice eis committente approbationem non ſint conceſsa. Sicut ſi Pontifex auferret ab aliquo Ordinario facultatem concedendi licentiam ad audiendas Confeſſiones, etiam auferret facultatem ad approbandum illum, qui licentiam, ſeu iuriſdictionem ad eas audiendas aliundè haberet, niſi Pontifex ei committeret approbationem. Hinc ait P.Henao, nullum Ordinarium fore iam approbaturum Oratoria conceſsa à Commiſsario Generali.

Demùm Illuſtriſſimus Dominus Ioſephus Gonzalez, vir ſuprà inuidiam Maximus, qui nunc temporis poſt innumera Munia ex ſupremis ſumma cum omnium approbatione, & plauſu obtenta, gaudet munere Commiſsarij Generalis Cruciatæ, non vult Oratoria concedere; in quo ſe prudentiſſimum exhibet. Quippè id ſaltem eſt tutius, & id ipſum ego conſulerem. Etenim cum non extet in aliquo Inſtrumento Pontificio facultas Commiſsariis Generalibus præſtita ad concedendum Oratoria, & in Bulla Cruciatæ vel ea non contineatur, vel ſubobſcurè, ac per illationes, & conſequentias, quæ pluribus vim fortaſsè non inferent, ac extent præfatæ Declarationes in contrarium; rectius eſt, eam facultatem non exercere. Nec ideò imprudentiæ, & temeritatis nota ſunt infligendi, qui eam exercuerunt; tum quia oppoſitum tot Declarationibus non erat munitum; tum quia plures Authores interpretati ſunt Bullæ clauſulas, ita vt Facultas illa inde promeretur; Quæ interpretatio ceſsat, dum ſuam mentem Pontifex aperuit, ante cuius declarationem licebat interpretari eiuſmodi clauſulas. Vnde rectè componitur, & Commiſsarios Generales Cruciatæ prudenter fuiſse operatos, dum facultatem ad concedenda Oratoria promulgabant, eaque concedebant, & nunc prudenter fore operaturos, ſi non promulgent, neque concedant. Quod meum iudicium ipſis ſubmitto.

CAPVT XIII.

An Parochus, qui ſponte dimiſit Beneficium Parochiale, ſit eligibilis virtute Bullæ Cruciatæ ad audiendas Confeſſiones?

138 Affirmatiuam partem tenui *in ſuperioribus diſp.*22. *c.*2. *ex n.*34. & *c.*7. *n.*91. cum Fr.Ioanne de la Cruz, Emanuele Rodriguez, Villalobos, Baſilio Legionenſi, & Leandro de Sacramento; ſecùs ſi ab eo fuiſſet Beneficium ablatum ob imperitiam ſuperuenientem, dementiam, aut prauos mores, tunc enim Eccleſia, à qua Parochus habet approbationẽ, eam ſimul ab eo tolleret. Quãdo autẽ ipſe ſpontè dimittit Beneficiũ, cum Tridẽtinum exigens approbationem in Confeſſario, non aliud intẽdiſse videatur, niſi quòd quis ſit approbatus, vel per Ordinarij approbationẽ, vel per collationem Beneficij Parochialis, & hæc collatio iam præextiterit, ſanè eodẽ modo ſe habet, ſiuè Beneficiũ retineat, ſiuè

Digitized by Google

ſiuè dimittat; cum non proptereà amittat approbationem, quæ ſita fuit in collatione præexiſtente Beneficij; non enim ad dimiſſionem Beneficij deficit id, quod eſt iam præextitiſſe collationem, atque adeò nec deficit approbatio, quæ eſt eadem cum ea collatione.

139 Fr. Barnabas Gallego *in explicat. Bull. cap. 9. dub.* 85. pro doctrina præfata ſolùm affert Emanuelem Rodriguez Villalobos, & Me, & ait, abſque fundamento à Nobis eam tradi. Potuiſſet aſſerere fundamentum non eſſe ſufficiens; at cum fundamentum præiactum fuerit à Me appoſitum *loco relato*, non rectè ait, abſque fundamento eam doctrinam tradi. Deindè potuiſſet pro ea referre Fr. Ioannem de la Cruz, Baſilium Legionenſem, & Leandrum à Sacramento, quos apud me vidit; forſan de his, noluit aſſerere, loqui ſine fundamento. Demùm fundamentum à me præfixum ab eo non impugnatur. Solum quippè pro ſententia oppoſita affert Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 15. de reformat. ibi: Niſi aut Parochiale Beneficium obtineat*; quæ vox *obtineat* eſt de præſenti; Qui autem dimiſit Beneficium Parochiale, non obtinet de præſenti, ſed obtinuit de præterito. Sed hoc argumentum iam à me allatum eſt *loco relato, num.* 35. *verſu, Addit Suarez*. Illudque ſolui, & mentem Tridentini expoſui cum Anthoribus adeò grauibus, qui meo aſſerto adſtipulantur; & nec ſolutionem, nec fundamentum hic Author eneruat; non ergo enuntiet, abſque fundamento tot Authores loqui.

140 Sententiam oppoſitam negantem plures ſanè Authores tuentur à me allati *ibidem num.* 33. Vbi aſſerui; *Hæc ſententia eſt tutior.* Eam tamen non tuetur Fr. Ioannes de la Cruz relatus pro ipſa à Fr. Barnaba Gallego *vbi ſuprà, verſu, Eſta reſolucion*, ſed à noſtra ſententia ſtat *part. 2. de pœnit. quæſt.* 5. *dubitat.* 8. *concluſ* 4.

141 Pro ea ſententia negante addit Fr. Barnabas Gallego confirmationem ex Bulla Latina, in qua cum de electione Confeſſarij agitur, & indulgetur, poſſe virtute illius eligi, aſſeritur, *De Regularibus ſemel tantùm approbatum*; Ergo non Regulares nequeunt eligi ſi ſemel tantùm approbati fuerint. dum actu approbationem non habeant. Reſpondeo, ſicut Regularis ſemel approbatus antecedenter, actu approbatus eſt, quia ea approbatio perſeuerat, ita is, qui Parochus fuit, etiamſi ſponte Beneficium dimittat, actu approbatus eſt; quia perſeuerat approbatio præſtita in collatione Beneficij, quæ non amittitur per dimiſſionem illius. Tridentinum enim intendit, quod conſtet de idoneitate Confeſſarij vel per approbationem Ordinarij, vel per publicum teſtimonium Eccleſiæ, in collatione Beneficij Parochialis; Conſtat autem de idoneitate eius, qui dimiſit Beneficium, ſiquidem id publicum teſtimonium præceſſit, quod non extinguitur per eam dimiſſionem, illudque teſtimonium præcedens eodem modo actu ſe habet, ſiuè ille retineat Beneficium, ſiuè dimittat; ſicut ergo actu durat, & actu eſt approbatus, ſi retineat, ſic etiam durat actu, ſi dimittat, quippè in eo teſtimonio publico Eccleſiæ nulla fit immutatio, ſed in aliquo ad illud ſecuto, quod non minuit, nec tollit teſtimonium de idoneitate.

CAPVT XIV.

An Confeſſarius electus virtute Bullæ Cruciatæ poſſit abſoluere à reſeruatis Sedi Apoſtolicæ non ſolùm in articulo, ſed etiam in periculo mortis?

142 Affirmanti ſententiæ ſuffragium tuli *in ſuperioribus diſp.* 27. *cap.* 3. *ex n.* 25. vbi plurimos pro ea Authores retuli; Et prætereà eam tuentur P. Franciſcus Bardi *in expoſit. Bull. part. 2. tr. 6. cap. 6.* Et Fr. Barnabas Gallego *in explic. Bull. c. 9. dub.* 105. Vbi referens Authores pro hac ſententia, inter eos me ita refert, *Andres Mendo de Bulla diſp. 27. cap. 3. El qual refiere falſamente à Antonio Diana por eſta ſentencia en la primera parte, tratado 11. reſolucion 106. por que aqui Diana no habla palabra deſta duda.*

143 Ipſe ſanè falsò me refert; quippè ego non attuli Antonium Diana pro hac ſententia, ſed pro oppoſita. Verba à me poſita *loco relato n.* 24. hæc ſunt; *Igitur cenſuerunt aliqui, cum facultas datur ad abſoluendum in articulo mortis (idem eſt ad applicandum indulgentiam, nec inter vtrumque eſt diſparitas, quare quod de vno aſſeritur, de altero pariter eſt intelligendum) non extendi eam ad mortis periculum. Ita Couarruuias in cap. Alma mater, part. 1. §. 11. n. 8. Scotus, Canus, P. Valentia, quos citat Trullench in Bull. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 4. num. 3. Diana 1. part. tract. 11. reſol. 106.* Ecce à Me relatum Dianam non pro ſententia affirmante, ſed pro negante. Vndè falsò ille Author me refert, dum me obiurgat, vt falsò referentem. Deindè Antonius Diana *ea reſol.* 106. inquirit; *Quomodo Confeſſarius tempore mortis debeat impertiri indulgentiam moribundo?* Et ait; *Reſpondeo, impertiendo illam ſub conditione, v. g. ſi verè mortem obieris, &c.* Et *in fine numer.* concludit; *Notandum eſt verò, quòd indulgentia Bullæ ſolùm conceditur pro articulo, & non pro periculo mortis.* Cum ergo Ego præmiſiſſem expreſsè idem

Digitized by Google

idem eſſe de conceſſione indulgentiæ plenariæ, eiuſque applicatione, ac de abſolutione à reſeruatis, in ordine ad explicandum, an articulus mortis cadat ſub periculo mortis, optimè, & veriſſimè retuli Dianam pro ſententia negante. In duobus ergo falsò me refert is Author; aliud eſt, quòd Ego Dianam attulerim pro ſententia affirmante; aliud, quòd referam eum nihil tractantem de hoc puncto *in ea reſol.* 106. cum ex eius expreſſis verbis conſtet, ipſum tractare, ſeu habere ſententiam, pro qua eum attuli. Neſcio, an inopportunè aptentur hic verba Innocentij III. *in cap. Qualiter, & quando de accuſationib.* aſſerentis; *Mandamus, quatenùs ad conſcientia veſtra iudicium recurrentes, ſi contra præſcriptum Ordinem tanquam homines exceſſiſtis, non pudeat vos errorem veſtrum corrigere, qui poſiti eſtis, vt aliorum corrigatis errores, quoniam apud iudicem diſtrictum, in qua menſura menſi fueritis; remetietur vobis.* Aiebat D. Hieronymus ad Ruſticum; *Nulli detrahas, nec in eo te ſanctum putes, ſi cæteros laceres. Accuſamus ſæpè, quod facimus.* Mirabile conſilium. Sectemur id omnes.

CAPVT XV.

An virtute Bullæ Cruciatæ poſſit aliqua irregularitas tolli?

144 Solùm eſt ſermo de irregularitate contracta in puram pœnam delicti (excepta adhuc ea, quæ contrahitur ex homicidio voluntario) nam alias irregularitates non eſſe cenſuras, & conſequenter non poſſe ab eis abſolui virtute Bullæ Cruciatæ, conſtantiſſimum eſt apud omnes. Igitur nullam omnino irregularitatem poſſe tolli virtute Bullæ Cruciatæ aſſerui *in ſuperioribus diſp.* 25. *cap.* 19. *ex num.* 182. Pro hac aſſertione ſunt omnes Interpretes Iuris Canonici, & innumeri Theologi; Ex quibus Baſilius Legionēſis à me relatus *ibidem num.* 183. & Sayrus allatus à me *num.* 184. aſſeruit, contrariam ſententiam non poſſe in prâxi exerceri; Ego mitiùs me habui, & *num.* 186. enunciaui, non paucos eſſe Authores pro ea ſententia contraria, *Quorum authoritas redderet probabilem practicè eam opinionem, niſi ſtylus Curiæ contrarius eſſet, & fundamenta poſita rem omnino non conuincerent meo iudicio, communi iam Authorum ſuffragante ſententia.*

145 Nihilominùs Fr. Barnabas Gallego, qui ferè in nullum, niſi in Me inuehitur, quamvis ſimus in cauſa pares (ei gratulor) *in explicat. Bull. cap.* 9. *part.* 2. *dub.* 139. *propè finem*, hæc habet; *De todo lo dicho en eſta duda, ſe ſigue, ſer falſo, lo que dixo Andres Mendo de Bulla diſp.* 25. *cap.* 19. *Conuiene à ſaber, que nueſtra ſentencia no es probable en practica, y que conuencen las raçones, que el trae. A loqual reſpondo, que eſte Author no trae vn til de mas, que han dicho otros, y que ſus raçones las deſhizo muchos años auia el Maeſtro Ledeſma arriba referido; y aſi podria eſte Padre Mendo* (ò perturbanum loquendi ſtylum!) *contentarſe con ſeguir la ſentencia contraria, no empero auia de decir, que ſentencia de tantos, y de tan grandes Gigantes Theologos no era probable.* In Sayrum, & eximium Magiſtrum Fr. Baſilium Legionenſem ſub meo nomine fertur; Illi abſolutè docuerunt, eam ſententiam non poſſe in praxi exerceri; Ego mitiùs affirmaui, fore probabilem practicè, niſi ſtylus Curiæ, qui ius facit. & fundamenta oppoſitum non conuincerent. Quare ergo Fr. Barnabas Gallego non aſſeruit; *y aſi podria eſte Padre Fr. Baſilio, y eſte Sayro contentarſe &c.* Siquidem ego Sayrum, & Baſilium duces habui? Equidem rectè S. Hilarius *lib.* 2. *de Trinitate* aiebat; *Optimus lectoreſt, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis, potiùs quàm imponat: & retulerit magis, quàm attulerit, neque cogat, id videri dictis contineri, quod ante lectionem præſumpſerit intelligendum.*

146 Sed quæſtionem euoluamus. Certum eſt, in Bulla Cruciatæ non concedi facultatem ad diſpenſandum in irregularitate; quare cum concedatur facultas ampliſſima ad abſoluendum à cenſuris, pendet ab eo, quòd irregularitas ſit cenſura, nec ne, quòd intelligatur conceſſa facultas in Bulla ad abſoluendum ab illa. Pro ſententia autem aſſerente, non eſſe cenſuram, affertur in primis D. Thomas à P. Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 13. *numer.* 6. *in Gloſſ. littera R.* & ex Schola Thomiſtica D. Antoninus, Fr. Petrus de Palude, & alij. Ac antecedenter *in Gloſſ. littera Q.* ait, tenuiſſe oppoſitam ſententiam, eamque mutaſſe ex eadem ſcholâ Epiſcopum Sancium, Peña, Mancium, & Sotomayor. Prætereà ex ipſa Schola Caietanus, & Martinus de Ledeſma allati à Diana 1. *part. tract.* 11. *reſol.* 27. nec non Fr. Ludouicus Lopez allatus à Trullench *in explic. Bull. lib.* 1. *§.* 7. *cap.* 2. *dub.* 17. *num.* 4. Fr. Bartholomæus Fumus in *Armilla* relatus ab Antonio Gomez *in explic. Bull. ad clauſul.* 10. *num.* 30. Demùm Fr. Dominicus Soto allatus à Fr. Petro de Ledeſma *tom.* 1. *ſumm. tract. de cenſur. cap.* 1. Nonne Thomiſtæ hi ſunt Gigantes Theologi, quibus aſſentire par eſt? nam cur potiùs aliis Thomiſtis contrariè opinantibus, quàm his feramus ſuffragium? Hanc ſententiam noſtram docent etiam Scotus, Carthuſianus, Couarruuias, Villadiego, Sayrus, Cenedo, Trullench, Viualdus Antonius Gomez, Nauarrus, Maiolus, Acoſta, Pariſius, Zerola, Llamas, Zechius,

Digitized by Google

Graffis, Sanctarellus, Baſilius Legionenſis, P. Henriquez, Cardinalis Toletus, Suarez, Bardi, Auila, Reginaldus, Faber, Panormitanus, Cardinalis, Layman, Homobonus, Thomas Sanchez, & alij. Et hi etiam Gigantes Theologi ſunt, & Canoniſtæ plures.

147 Quòd autem fundamenta à Me allata nihil addant, nec nouitatem contineant, quid inde? quando pro aliquo aſserto ſolidæ ſunt rationes communes, eas ſufficit libare, nec alias minùs ſolidas ſuperaddere licet. In aliis opportunum eſt inueſtigare quæſtiones, eaſque excitare, ac excogitare fundamenta; veluti id præſtiti tractatibus nec tritis, nec agitatis, niſi obiter, *de Iure Academico*, & *de Ordinibus Militaribus*; de quibus duos integros Tomos edidi in lucem; Bulla etiam Cruciatæ ante Me breuiùs ſanè fuerat ab Authoribus expoſita, eſtò doctiſſimè, & an exactè eam expoſuerint, cenſeant alij Quòd autem ea fundamenta *meo iudicio* rem conuincant, (quo verbo vſus ſum *ibi*) non tollit, conuincendum ab eis non fore Barnabam Gallego.

148 Ea autem libemus, & vendicemus à ſolutionibus excogitatis. Deſumitur primum *ex cap. quærenti de verbor. ſignificat*. Vbi quærenti quænam ſint cenſuræ, reſpondet Pontifex Innocentius III. eſse excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum; Ergo irregularitas, vt potè *ibi* non annumerata, minimè eſt cenſura. Reſpondent Ledeſma, & Gallego, non omnem irregularitatem eſse cenſuram, ideoque non fuiſse ibi incluſam. Contrà manifeſtè; Quia facillimum erat, reſpondere, cenſuras eſse illam triplicem præfatam, & irregularitatem, quæ eſset pura pœna delicti. Sic facilè, & integrè fieret ſatis quæſito; aliàs ei non fit ſatis.

149 Secundum, Nam iuxta Stylum Curiæ nomine cenſurarum non comprehenditur irregularitas; nec conceſsa facultate ad abſoluendum à cenſuris, intelligitur conceſſa ad abſoluendum ab irregularitate. Stylus autem Curiæ facit ius, iuxta *cap. ex litteris de conſtitution. cap. quam graui, de crimine falſi*. Reſpondent, non eſse hunc Curiæ ſtylum. Ad id negandum nullam aſſerunt rationem, aut authoritatem. Eum autem ſtylum teſtantur Nauarrus (in rebus Curiæ apprimè verſatis (Sayrus, Trullench, Henriquez, & alij. Itaque hoc fundamentum in ſuo robòre manet, & propter illud aſſeritur à Sayro, contrariam opinionem non poſſe in praxi exerceri.

150 Tertium, Quia in Iubilæis ampliſſimis non conceditur facultas ad tollendam irregularitatem, & Clemens VIII. anno 1593. in Iubilæo poſt facultatem abſoluendi à cenſuris expreſſit facultatem diſpenſandi in irregularitate; quod ſignum euidens eſt, eam non contineri ſub facultate abſoluendi à cenſuris. Fr. Petrus de Ledeſma non rectè meminerat huius Iubilæi, vt ipſe fatetur, aſſerens; *Lo ſegundo ſe podia decir, que ſi bien me acuerdo, y me parece, que lo aduerti para eſte propoſito en los Iubileos ya dichos &c.* Quæ verba ſatis oſtendunt dubiam notitiam. Hinc oppoſitum conceſſioni prædicti Iubilæi in contrarium affert, nempè tum Clementem VIII. tum Gregorium XIV. in Iubilæis abſtuliſſe facultatem abſoluendi ab irregularitatibus. Hinc argumento deſumpto ab expreſſione conceſſionis eiuſmodi facultatis nec ipſe, nec Fr. Barnabas Gallego reſpondent, & iam affertur aliquid, quod, ab illo non fuerit ſolutum. Igitur ad negationem facultatis abſoluendi ab irregularitate reſpondent primò, indè non conuinci, virtute Bullæ Cruciatæ non poſſe abſolui ab illa, tum quia liberum eſt Pontifici, concedere in Iubilæis hanc, vel illam facultatem; tum quia maiora priuilegia conceduntur in Bulla, quàm in Iubilæis. Sed contrà. Nam quoad abſoluendum à peccatis, & cenſuris non minor facultas conceditur in Iubilæis extraordinariis, quàm in Bulla, vt omnibus eſt conſtans, & latè tractat P. Quintanadueñas *de Iubilæo duplicis hebdomadæ*. Reſpondent ſecundò (ſed ſub dubio, an his verbis vſi fuerint Pontifices) non tolli facultatem abſoluendi ab irregularitatibus, ſed diſpenſandi in illis, nempè in his, quæ non ſunt cenſuræ, & tolluntur per diſpenſationem, non per abſolutionem. Contra, Nam Pontifices conſultò non vtuntur voce *abſoluendi*; ne ex ea arguatur, irregularitatem eſſe cenſuram, cum abſolutio ſupra peccata, & cenſuras cadat. Deindè certum eſt, per Iubilæa, aut Bullam nunquam conceſſam fuiſſe facultatem tollendi irregularitates; quæ non ſunt puræ pœnæ delicti; Vndè id non erat neceſſum cauere. Sed illud, quod ſubiacet opinioni, nempè circa irregularitates, quæ ſunt puræ pœnæ; Ergo ſi hi Authores fatentur, Pontifices vſos fuiſſe non verbo *abſoluendi*, ſed voce *tollendi*, clarè oſtenditur, has irregularitates per abſolutionem non poſſe extingui, atque adeò non eſſe cenſuras.

151 Vltimò addunt, in Iubilæis addi, poteſtatem concedi abſoluendi ab omnibus cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis: quæ vox *pœnis* ſuperflueret, niſi præſtaretur facultas abſoluendi ab irregularitate. Benè; Ergo ſaltem habemus, irregularitatem non comprehendi ſub nomine cenſuræ; atque adeò deſeritur medium præcipuum, quo vſi ſunt ad probandam ſuam opinionem. Prætereà cum ea vox *à pœnis* olim extaret in Bullæ

Cruciatæ

Digitized by Google

Cruciatæ conceſſa à Pio IV. anno 1561. ablata eſt à Pio V. nec extat nunc in Bulla, ergo virtute Bullæ, ex vi eius vocis *à pœnis*, nequit ab irregularitate abſolui.

152 Conſtat iam, quàm ſolida fundamenta adduxerim pro mea ſententia adeò communi; & quòd cum Sayro, & Baſilio Legionenſi opinionem oppoſitam in praxi exerceri non poſſe, rectè aſſeruerim, ſcilicèt illorum, & meo iudicio. Quod non deberet obiurgare Fr. Barnabas Gallego, qui opinionem præfixam *quæſt.* 1. *huius diſput.* aſſeruit eſſe practicè improbabilem, contra Baſilium etiam in Theologia Gigantem, cum tamen oppoſita ſententia non habeat pro ſe tot Authores, quot habet hæc de irregularitate. Idem aſſerit in alijs quæſtionibus, & duriùs adhuc loquitur Fr. Ioannes Martinez de Prado, vt conſtat ex *quæſtione* 2. *&* 3. Id non damno, quia vnuſquiſque ex proprio iudicio enuntiat, quod de contraria ſentiat opinione. Sed redeat P. Hieronymus ad Ruſticum, *Accuſamus ſæpè, quod facimus.* An autem modo mitiori vtar in improbando alienas ſententias, quàm in nonnullis meis reprobandis hi Authores vtuntur, aliorum iudicium eſto.

CAPVT XVI.

An commutatio votorum virtute Bullæ Cruciatæ debeat integrè fieri in ſubſidium temporale?

153 FR. Barnabas Gallego *in explicat. Bull. cap.* 9. *part.* 3. *clauſ.* 9. *dub.* 150. *ad fin.* inter Authores aſſerentes, ſufficere, quòd commutatio votorum virtute Bullæ partim fiat in ſubſidium temporale belli contra Infideles, partim in alia opera pia, refert Me *in Bull. diſput.* 25. *cap.* 4. Error fuit Typograph, nam id non exagitaui, niſi *diſp.* 26 & quidem *cap.* 4. *num.* 6. obiter id attigi, & ex profeſſo *cap.* 17. *num.* 174. Hanc ſententiam tuentur Bartholomæus à S. Fauſto, Ludouicus à Cruce, Viualdus, Diana, Trullench, P. Suarez, & P. Henriquez *ibi* à me relati, nec non Fernandez *in examin. Theolog. mor. part.* 3. *cap.* 9. *ſect.* 11. §. 17. P. Bardi *in Bull. part.* 2. *tract.* 7. *cap.* 11. *ſect* 11. Quin & totam commutationem poſſe fieri in pia opera, docet Antonius Gomez *in explic. Bull. clauſ.* 10. *&* id in votis pauperum tuentur Fr. Ioannes de la Cruz, Viualdus, Diana, & Fr. Ludouicus à Cruce relati à Barnaba Gallego vers. *Conceſſa doctrina.*

154 Oppoſitam ex diametro ſententiam tenet hic Author docens, integrè debere fieri commutationem votorum in ſubſidium temporale. Mouetur tum ex verbis ipſius Bullæ Cruciatæ, *In aliquod ſubſidium huius expeditionis per eumdem Confeſſarium commutare.* Tum ex declaratione Illuſtriſſ. D. D. Antonij de Sotomayor edita anno 1642. cum eſſet Commiſſarius Generalis Cruciatæ, in qua aduertit, omnes compoſitiones, & commutationes votorum à Confeſſariis virtutè Bullæ præſtandas, *No han de poder aplicar la limoſna, ni commutation à otra obra pia, ni limoſna particular; ſi no à la dicha ſanctà Bulla de la ſanta Cruzada.*

155 Reſpondeo ad primum, ea ipſa verba *In aliquod ſubſidium*, mouere Authores noſtræ ſantentiæ ad eam defendendam, quaſi ſignificetur, aliquam commutationis partem debere fieri in ſubſidium. Quod ſatis expreſſit Commiſſarius Generalis Cruciatæ à me allatus *loco relato numer.* 175. aſſerens; *Podrà tam bien el dicho Confeſor commutar &c. dando la limoſna, que pareciere, en fauor, y beneficio de la Santa Cruzada.* Si autem commutatio tota deberet fieri in ſubſidium temporale, non adeò arbitraria eſſet eleemoſyna deſignanda à Confeſſario, ſed ea, quæ correſponderet voto iuxta eius qualitatem, & arduitatem, cum commutatio fieri debeat in æquale. Et ex hoc ipſo cernitur, aliam eſſe Pontificis mentem ſufficienter expreſſam in eis verbis, cum intendat, indè ſubſidium Cruciatæ augeri; idque obtinetur, dum ſolùm pars pecuniaria deſignatur in commutatione; quippè ſi totum, quod correſpondet in reſpectiua æqualitate voti arduitati, eſſet erogandum ex pecunia; nullus; vel rarus expoſceret commutationem votorum virtute Bullæ, indeque decreſceret ſubſidium; maximè cum ferè ſemper poſſet ad Confeſſarios Regulares confugi, qui virtute priuilegiorum valent commutare vota, quin pecuniarum ſubſidium præſtandum deſignent. Nam pone, quem emiſiſſe votum peregrinationis ad Virginem Lauretanam, aut non nubendi, aut Caſtitatis temporalis per viginti annos, aliaque ſimilia; Quænam pecunia erit æqualis reſpectiuè? Sanè ingens, nec facilè quiſquam eam erogabit.

156 Ad ſecundum reſpondeo, à Commiſſario Generali in verbis allatiis non aſſeri, quòd tota commutatio fiat in ſubſidium pecuniarium, ſed quòd ſubſidium pecuniarium deſignandum in commutatione, ex vi clauſulæ Bullæ, ſoli Cruciatæ applicetur, & non Xenodochio v. g. aut pauperibus, aut alteri operi pio; qua voce comprehenduntur Confraternitates, Hoſpitalia, Orphanarum connubia, hiſque ſimilia. Non autem excluditur à Commiſſario Generali, quòd pars commutationis fiat in opera pia, ſumptis operibus piis in alia ſignificatione, nempè operibus ſpiritualibus, & pœnalibus, qualia ſunt ieiunia,

Digitized by Google

ieiunia, flagellationes, auditio Sacri, Oratio, aliaque huiuſmodi. Hinc noſtra ſententia in ſuo robore manet.

CAPVT XVII.

An indulgentiæ conceſſæ pro Animabus Purgatorij ſuſpendantur per Bullam Cruciatæ?

157 OMnes indulgentiæ conceſſæ aliundè pro viuis (exceptis, quæ conceſſæ ſunt ſuperioribus Religionum quoad Religioſos tantùm) ſuſpenduntur in Bulla Cruciatæ, ita vt non habens Bullam, nequeat illas obtinere; Et ſimul reualidantur reſpectu habentium Bullam, qui eas valent lucrari. Dubium ergo eſt, an gratiæ liberandi animam à Purgatorio conceſſæ celebrantibus Miſſam in Altaribus, quæ vocantur priuilegia, ſuſpendantur per Bullam, ita vt ea indigeant, qui in illis celebrant, vt indulgentia proſit animabus Purgatorij?

158 Affirmaui *in ſuperioribus diſp.* 29. *cap.* 4. *ex num.* 24. ſuſpendi eas indulgentias, & gratias animæ liberandæ, niſi in Altaribus Religionum, reſpectu Religioſorum. Et pro hac ſententia attuli Fr. Ludouicum à Cruce, Moure, Villalobos, Emanuelem Rodriguez, & Dianam, qui tamen poſtmodùm æquè probabilem oppoſitam ſententiam iudicauit. Eam etiam defendit Machado *de perfect. Confeſſar. lib.* 1. *part.* 2. *tr.* 4. *docum.* 7.

159 Fr. Barnabas Gallego *in explicat. Bull. clauſ.* 12. *dub.* 175. tradit oppoſitum, & *verſu, Confirmemos*, inquit; *y el fundamento, conque ſe conuence Andres Mendo, es muy flaco, porque dice, que ſu ſentencia es mas apropoſito para la buena expedicion de la Bulla.* Nec ego id fundamentum attuli pro ſententiæ probatione, ſed ad impugnandum quandam euaſionem Ægidij Trullench, nec eo fundamento fui conuictus. Res eſt facti; Legatur illud *cap.* 4. *vbi num.* 25. attuli fundamentum ſolidum, & confirmationes, quæ ab Authoribus ſententiæ affirmantis afferuntur, eaque approbans, & eis ſubſcribens ſic concluſi eum numerum; *Hæc ſententia eſt vera, & tenenda.* Fundamentum, & confirmationes allatas non affert Barnabas Gallego, nec ſibi eas obiicit, vt ſoluat; Eaque ſunt, quæ me ad illam ſententiam tenendam mouerunt, & mouent.

160 Deindè *num.* 28. attuli argumentum Ægidij Trullench contrariam ſententiam defendentis, qui ait, non obſtare fini præſcripto in Bulla, (ſcilicet ne retardetur, aut impediatur acceptio Bullæ, & erogatio eleemoſynæ ad ſubſidium belli) quòd non ſuſpendatur prædicta gratia Altaris priuilegiati, cum adhuc viui, vt pro ſe lucrentur indulgentias, debeant accipere Bullam. Reſpondi, multum id ratiocinium probare, nam pariter poſſet dici, attendendo præcisè ad illud, non ſuſpendi indulgentias pro viuis conceſſas, cum adhuc, ſi non ſuſpendantur, debeant viui accipere Bullam, ſi velint virtute illius abſolui à peccatis, & cenſuris, edere oua, & lacticinia, & pluribus aliis eius priuilegiis potiri. Hinc *num.* 29. inſiſtendo ei fini præfixo ab Ægidio Trullench, aſſerui, eum meliùs obtineri, ſi etiam ſuſpendatur gratia Altaris priuilegiati, ſic enim à pluribus accipietur Bulla; Quippè ob diuerſa motiua Bulla accipitur; alij eam accipiunt, vt edant oua tempore Quadrageſimali: alij, vt eligant Confeſſarium: alij, vt audiant Miſſam tempore interdicti. Plures ergo Sacerdotes eam acciperent, aliàs fortè non accepturi, vt celebrando in Altari priuilegiato liberent animam à Purgatorio; maximè ſi Miſſas ſtipendio ſibi erogato celebrent, idque ſtipendium promptius, & maius ſit, dum in altari priuilegiato celebratur, vt frequenter contingit. Ex dictis clare cernitur, non rectè Fr. Barnabam Gallego me retuliſſe quaſi debili innixum fundamento.

161 Sed ait quamvis ex ſuſpenſione gratiæ Altaris priuilegiati ſequatur promptior expeditio Bullæ Cruciatæ, non tamen eſſe penes nos ſuſpendere gratias, quæ à Commiſſario Generali non ſuſpenduntur; Ille autem non ſuſpendit gratiam Altaris priuilegiati; nam ſolùm ſuſpendit indulgentias, & gratias conceſſas Eccleſiis, Monaſteriis (quoad ſæculares) Hoſpitalibus, Locis piis, & quibuſlibet perſonis; Animæ autem Purgatorij non ſunt perſonæ, nec tales nuncupantur; Et prætereà aſſerit Commiſſarius, indulgentias, & gratias, quas ſuſpendit, reualidari reſpectu accipientium Bullam, quamquidem non accipiunt animæ Purgatorij.

162 Fundamenta allata pro mea ſententia *loco relato num.* 25. immediatè impugnant præfatum argumentum. Etenim Commiſſarius expreſsè ſuſpendit omnes indulgentias plenarias: Sed gratia liberandæ animæ à Purgatorio eſt indulgentia plenaria vt ei applicata, cum omnium pœnarum per modum ſolutionis, ſit remiſſio; ergo ſuſpenditur. Deindè ſuſpendit Commiſſarius omnes indulgentias, & gratias conceſſas Eccleſiis, & piis locis; Sed gratia liberandæ animæ conceſſa eſt Eccleſiæ, ſeu quod idem eſt, Altari ſito in Eccleſia; ergo ſuſpenditur. Prætereà Commiſſarius ſuſpendit omnes gratias, & indulgentias, quæ ſunt ſimiles, & diſſimiles his, quæ in ipſa Bulla Cruciatæ conceduntur; ſed ea gratia animæ liberandæ eſt ſimilis aliis in Bulla conceſſis pro anima liberanda; & diſſimilis,

Digitized by Google

miſſis, quia in Bulla non conceditur ea gratia per celebrationem Miſſæ in Altari, ſed per viſitationem Altarium; ergo ſuſpenditur à Commiſſario. Demùm quia hi, qui lucrantur eam gratiam pro anima, & illi eam applicant, ſunt perſonæ, nempè Sacerdotes celebrantes, ſicut qui virtute Bullæ Cruciatæ viſitantes Altaria, & lucrantes indulgentiam pro anima, vt eam à Purgatorio liberent, ſunt perſonæ, & capaces accipiendi Bullam; ergo reſpectu earum illa gratia ſuſpenditur; Nam animæ ipſæ ſolùm gaudent beneficio ex applicatione indulgentiæ eis prouenientе, non verò media apponunt, quæ ſanè à viuis ſunt apponenda; ſi ergo Commiſſarius ſuſpendit reſpectu viuorum gratias, hi nequeunt apponere media, nec applicare defunctis. Ecce fundamenta, ob quæ meam ſentententiam tutatus ſum. De his dicat ille Author, an ſint debilia nempè impugnando ea, & eorum vim eneruando, quod quidem non præſtat.

CAPVT XVIII.

An poſſit incola loci, in quo Bulla non valet, accedere ad locum, in quo valet, ſolùm eam accipiendi cauſa, & ipſa in ſuo loco vti?

163 AFfirmatiuam ſententiam tenui *diſp. 3. cap. 3.* Impugnat me Fr. Ioſephus Mendez à Sancto Ioanne *tract. de Bulla; interrog. 1. num. 5.* cum tamen ferè in omnibus ſui eruditi tractatus quæſtionibus mihi inhæreat. Probat ſuum aſſertum ex verbis illis Bullæ Hiſpanæ; *Primeramente ſu ſantidad concede à todos los fieles Chriſtianos de los dichos Reynos, y ſenorios, moradores, eſtantes, y habitantes en ellos.* Et addit; *Quid clarius?* Ille enim v. g. Gallus veniens ad Hiſpaniam, ſolùm vt accipiens Bullam, rediensque illicò ad Galliam non habitat, nec commoratur in Hiſpania; ergo ei non conceditur Bulla, nec is illa vti valebit.

164 Fundamentum mei aſſerti, quod hic Author non tetigit, nec eneruauit, eſt ſolutio præfati argumenti. Etenim verba Bullæ Latinæ (cui ſtandum omnino eſſe ſæpè ſtabilinimus) hæc ſunt; *Omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, in Hiſpaniarum regnis &c. Et alias quomodocumque, & qualitercumque ſubiectis, conſiſtentibus, & ad illa declinantibus.* Et ego etiam addo, *Quid clarius?* Quippe Gallus, vt accipiat Bullam, veniens ad Hiſpaniam, verè, propriè, ſtrictè, & rigoroſè ad illam declinat; & nos non debere diſtinguere, nec reſtringere, vbi lex id non præſtat; nec Gallum tunc agere quidquam in Bullæ fraudem, probaui *eo cap. 3.* Vnde non ſolùm conceditur Bulla habitantibus, & commorantibus in Hiſpania.

165 Confirmaui aſſertum duplici exemplo; & omiſſa ratione præcipua, impugnat prædictus Author exempla, præmittens hæc verba; *exempla Mendo nihil faciunt ad rem.* Sanè omnino, & æquiſſima paritate faciunt. Ea enim attuli, vt oſtenderem, non agere in fraudem legis, nec dolo malo, eum, qui non prohibitus aliundè adire aliquem locum, in eo præſtat id, quod cæteri incolę eius loci pręſtãt. Primum exemplũ eſt de his, qui à loco, vbi Tridentinum eſt receptum, pergunt ad locum, vbi non eſt receptum, vt ibi abſque Parocho, & teſtibus matrimonium contrahant validè. Secundum de eo, qui à loco, in quo ieiunatur, pergit ad locum, in quo non ieiunatur, vt ibi abſque peccato omittat ieiunium. Reſpondet, in primo caſu eos eſſe capaces contrahendi matrimonium, & iuxta conſuetudinem eius loci contrahere illud. Benè. Sed vnde obuiat fini à me intento, nempè nec hos, nec declinantem ad accipiendam Bullam agere dolo malo, & in fraudem legis? Nam quod ipſe reſpondet, in ſe eſt indubitatum, ſed ad ſoluendam paritatem exempli, nihil refert. Et quidem ille Gallus capax eſt declinandi ad Hiſpaniam, & dum declinat, eſt capax accipiendi Bullam, & vtendi eius priuilegiis ſi priuilegium de eſu carnium, ac ouorum excipias. Ad ſecundum ait, pergentem ad locum, in quo non ieiunatur, vti iure ſuo; non verò Gallum, qui non habet ius accipiendi Bullam, dum in Hiſpania non habitat. Verùm iam id diſſoluimus; cum Gallus etiam ſuo iure vtatur, & propriè ad Hiſpaniam declinet; & Bulla non ſolùm concedatur habitantibus, & commorantibus in Hiſpania, ſed declinantibus ad illam. Et dum non probetur, eum Gallum *non declinare* ad Hiſpaniam, in qua voce eſt tota vis, additis his, quæ *eo cap. 3.* aſſeruimus, noſtra concluſio non impugnatur; quod equidem ab eo Authore nec probatur, nec attingitur, ſed omittitur vis verborum Bullæ Latinæ.

CAPVT XIX.

Libantur, & vindicantur aliquæ ſententiæ in Hoc Tomo ſtabilitæ, & à Neotheri eo impugnatæ.

166 PRima. Annum durationis Bullæ eſſe naturalem, non Eccleſiaſticum, aſſerui *diſp. 2. cap. 1. & 2. & in hoc Append. diſput. 1. cap. 14.* Oppoſitum eſſe probabilius, & verius ait Fr. Ioſephus Mendez *in Bull. interrog. 2. num. 24.* Fundamenta, quibus moueor, propoſui ego *loco relato*, & ſolui. Et nec ſolutiones ille enodat, nec argumentis, quo mea, aliorumque ſententia, fulcitur, reſpondet. Vnde quid impugnem, non habeo.

167 Secunda. Aſſerui *loco relato, cap. 3. n. 14.* tranſacto anno durationis Bullæ, ſiuè is ſit naturalis, ſiuè Eccleſiaſticus, non poſſe quem vti priuilegiis illius, donec aliam accipiat, etiam in loco frequenti, vbi non poſſunt omnes vno die eam accipere. Quæ ſententia militat contra aliquos, qui voluerunt, poſſe ad octo dies anni incipientis extendi vſum Bullæ præcedentis; Quos ſequitur Fr. Ioſephus Mendez *vbi ſuprà num. 26.* Sed nec me in hac concluſione refert, nec fundamenta, quibus moueor, affer; & quæ ipſe producit, iam ego *prædicto cap. 3.* diſſolui.

168 Tertia. Docui *diſp. 15. cap. 2. num. 13.* in Eccleſia ſpecialiter interdicta, poſſe gaudentem Bulla audire eam Miſſam, quæ celebratur pro renouatione Euchariſtiæ. Oppoſitum tenet Fr. Ioſephus Mendez *in Bull. interrog. 7. num. 51.* Mouetur ex verbis Bullæ, & ex Iure; Vtrumque ego *in ibi* expoſui, quin quidquam meo aſſerto contrarietur. Vellem ſanè, cum aliqua opinio contra me, aut alios defenſatur, rationes, ac fundamenta contraria in tota ſua vi proponi, eiſque fieri ſatis. Sic enim aliquando mutarent ſuas opiniones, qui eas tuentur, ſi plenè ſibi ſatisfieri cenſerent. Ego ſaltem ita præſtarem.

169 Quarta. ſtabiliui *diſp. 19. cap 3.* Et in *hoc Append. d. 5. cap. 5* & Prætereà *Tom. de Ordinibus Militaribus diſquiſ. 12. ex num. 146.* Clericos Fratres Ordinum Militarium poſſe virtute Bullæ Cruciatæ, etiam ſi Sacerdotes ſint, dum non ſint Prælati, veſci ouis, & Laticiniis tempore Quadrageſimæ. Oppoſitum tenet Fr. Ioſephus Mendez *in Bull. interrog. 9. n. 64.* Et nec me, nec mea fundamenta refert; ſolúmque probat, ſuum aſſertum ex verbis Bullæ Hiſpanæ; quæ ego contra

Digitized by Google

contra me attuli; ſed manifeſtè feci ſatis, & ex verbis Bullæ Latinæ claris, manifeſtis, & indubitabilibus, ac ex praxi prædictorum Clericorum Fratrum, & ex conſultatione facta cum Mag. Baſilio Legionenſi, & aliis Salmanticenſibus Magiſtris, concluſionem roboraui. Quæ in ſua viſtat, cum nihil horum præfatus ſcriptor ſoluerit, nedum libauerit.

170 Quinta. Ieiunantibus, & orantibus conceditur in Bulla indulgentia quædam partialis; Et eam orationem ſufficere eſſe mentalem, probaui *diſp.* 19. *cap.* 2. Sed Fr. Ioſephus Mendez cum aliis tuetur *tract. in Bull. interrog.* 10. *n.* 69. neceſſario fore vocalém, & addit; *Quidquid dicat Mendo.* Mouetur, quia, Eccleſia eſt ſenſibilis, ac eius paſtor Pontifex ſummus etiam eſt ſenſibilis, ergo oratio ab eo præcepta ſenſibilis eſſe debet. Hoc argumentum aduerſus me attuli *loco relato*, Et nec meæ ſolutionis, nec fundamenti, quod in probationem meæ concluſionis attuli, is Author meminit; vndè in nullo eā labefactat. Sanè *Quidquid dicat Mendo*, non obſtat, ſi quod Mendo dicit, proponitur, ac enodatur; ſin aliter, quod dicit, illæſum vndique manet.

171 Sexta. Aſſerui *diſp.* 26. *cap.* 15. *num.* 164. cum pluribus aliis Authoribus, eum, cui tempore legitimo facta eſt Commutatio voti eo pacto; *Ex nunc tibi votum commuto in aliam materiam, quam poſteà tibi deſignabo*; eo quòd Confeſſarius velit excogitare materiam, attentis circunſtantiis, & inſter tempus, quo finitur Bulla, manere liberum ab executione materiæ prioris voti, eo tempore intermedio, dum materia deſignatur. Oppoſitum tuetur Fr. Ioſephus Mendez *in Bullam num.* 151 *pag.* 81. Mouetur, nam quoad vſque deſignetur materia à commutante, non ceſſat obligatio prioris voti; ſi quidem eius materia non eſt ad aliam tranſlata. Huic rationi, (quæ potiùs eſt ipſa concluſio) & aliis feci ſatis *loco relato*; nec quidquam de nouo additur; quod vel me conuincat, vel à me debeat enodari; cum *ibi* oſtenderim, obligationem prioris voti fuiſſe ablatam, etſi adhuc non fuerit noua materia ſubrogata, nec tranſlata adhuc vna in aliā.

172 Septima. Tradidi *diſp.* 33. *cap.* 3. *ex n.* 27 quindecim ſequens Authores grauiſſimos, eum, qui omnibus præmiſſis requiſitis rem incertam per Bullas compoſuit, aut cum Commiſſario Generali Cruciatæ non teneri eam reſtituere domino poſt compoſitionem comparenti. Oppoſitum tuetur Fr. Ioſephus Mendez à Sancto Ioanne *in Bull. compoſit. ſect.* 3. *interrog.* 1. *pag.* 119. Pro quo aſſerto affert fundamenta, quæ ego contra meam concluſionem oppoſui, & ſolui; quare videndæ ſunt ſolutiones *ibi præcipuè num.* 33 Cum autem is Author ſibi opponat vnum ſolum ex pluribus fundamentis contrariis, nempè ſi res ſit diſtributa in pauperes, non dari obligationem reſtituendi illam domino poſteà comparenti; ergo, ſi ſit compoſita mediis Bullis, aut cum Commiſſario, non dabitur eiuſmodi obligatio, quamvis compareat dominus; Reſpondet, eo caſu cenſeri rem conſumptam; at quando fit compoſitio, dominium dumtaxàt Conditionatum datur, nempè ſi dominus non compareat. Verùm obuiam iui huic ſolutioni *eo n.* 33. aſſerens per compoſitionem transferri dominium abſolutum rei compoſitæ pro foro interno; quare non tenetur dominus abſolutus eius rei pro eo foro illam reſtituere, eſtò pro foro externo poſſit ab eo poſci, & vendicari; ſtatque rectè, diuidi dominium inter duos pro diuerſis foris, vt explanaui *ibi n.* 31

173 Octaua. Oſtendi *diſp.* 33. *cap* 2. *n.* 22. bona deperdita inuenta, poſt adhibitam ſufficientem diligentiam ad reperiendum dominum, ſi is non compareat, poſſe ab inuentore retineri, nec ante iudicis ſententiam illum teneri ad ea tribuenda Commiſſario Generali Cruciatæ, aut ſacris Ordinibus SS. Trinitatis, & B. Mariæ de Mercede. Oppoſitum tradit Fr. Ioſephus Mendez *vbi nuper n.* 63. Non aliter probat, niſi quia leges Pontificiæ applicantes ea bona præfatis operibus piis obligant ante iudicis ſententiam. Verùm id erat probandum, nam de hoc eſt quæſtio; cum fundamenta contraria ſuadeant, ea bona poſſe tuta conſcientia retineri ab inuentore. Et quia alia opinio probabilis (cui non tenetur aſſentiri inuentor) docet, ea bona deberi pauperibus; ſequens hanc opinionem ſummus Pontifex, vt ſupremus Adminiſtrator bonorum, quæ pauperibus, & piis operibus applicantur, decreuit, ea bona Commiſſario, ſeu illis ſacris Religionibus tradi. Cui opinioni, & Decreto adhærentes, poterunt extorquere ab inuentore bona deperdita. Quod non tollit, quominùs inuentor noſtram ſententiam, quam plures Authores ſectantur, amplectens, ſibi bona inuenta retineat.

174 Nona. Tradidi *diſp.* 36. *c.* 1. *n.* 2. *Et diſp.* 12. *n.* 13. Bullam defunctorum poſſe applicari non ſolùm pro anima vnius defuncti, ſed pro pluribus animabus, non ita vt vnaquæque ſit liberanda à Purgatorio, nec potitura tanto leuamine, quanto potiretur, ſi pro ipſa ſola ſumeretur ea Bulla; ſed diſtributio à Deo fieret inter eas animas, ita vt quod vna foret acceptura Remiſſionis pœnæ, ſi pro vna Bulla offerretur, inter eas partialiter diuidendum eſſet. Fr. Ioſephus Mendez à Sancto Ioanne *in Bull. ſect.* 4. *interrog.* 1. *n.* 9 *pag.* 157. repetens illud, *Quidquid dicat Mendo*, tuetur, vnam Defunctorum Bullam pro ſola vna anima applicari poſſe adæquatè, & non pluribus partialiter. Mouetur, quia id conſtat ex ipſo textu Bullæ, vbi de vna tantùm perſona ſingularis eſt ſermo; & pro hoc ſtat Eccleſię vſus, vt vna Bulla pro vno defuncto ſumatur. Hæc ipſiſſima fundamenta mihi oppoſui *locis relatis*, & ea diſſolui. Solutiones à me præſtitas nec diluit, nec affert præfatus Author, niſi iudicet ſolutionem eam; *Quidquid dicat Mendo.* Quæ ſolutio aduerſus quodvis argumentum cuilibet præſtò erit. In prædictis nouem propoſitionibus diſſentit à me prædictus, ſanè doctus ſcriptor; In cæteris de quibus *eo tractatu* agit, à me ſtat; vnde robur huius authoritatis meæ Elucidationi Bullæ accedit, vt in offenſo pede decurratur. Et hæc de toto Opere ſufficiant. Dicta cedant in Dei laudem, eiuſque ſanctiſſimæ Matris abſque labe originaria conceptæ, nec non ſancti Parentis noſtri Ignatij.

Addenda ſunt quæ ſequuntur, Diſputationi 23. Cap. 4. in fin. poſt n. 56. p. 188.

HVcuſque in prima huius Tomi editione, quæ prodiit in Lucem anno 1651. multò antè Bullam Alexandri VII. damnatoriam aliquarum propoſitionum. Poſt illam autē profero, & enuntio, non poſſe vllo modo Regulares Mendicantes Virtute ſuorum priuilegiorum abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis, niſi ad id obtineāt ab ipſo facultatem. Propoſitio etenim contraria damnata eſt à præfato S.D.N. Alexandro VII. in prima ex Bullis damnatoriis propoſitionum, die 24. Septembris, anno 1665. & eſt duodecima propoſitio ex his, quæ inibi condemnantur. Quare vno verbo ad omnes rationes *ſuprà* allatas reſpondendum eſt, quæcumque priuilegia in contrariū allata, fuiſſe reuocata vel per Congregationes ſacras, quas retulimus, indeque damnationem prædictā ortum habuiſſe; Vel vt omne dubium tolleretur, an reuocata eſſent nec ne, Alexandrum VII. hac damnatione ſuſtuliſſe omne dubium; ac ſi ampliùs velis, reuocaſſe ea priuilegia; aut explanaſſe, ea priuilegia non ſubſiſtere. Et quomodocumque ſit, iam neutiquam licet, ſuſtinere propoſitionem damnatam, nec ad praxim adducere.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX PRIMVS RERVM OPERIS PRÆCIPVI.

Poſt quem reperietur Index Tractatus Appendicis Miſcellanei.

Littera d. Diſputationem, n. numerum, p. paginam ſignificat; ſeu numerus primus Diſputationem. Secundus numerum Diſputationis marginalem. Tertius paginam.

A

Abbas.

ABBATES octo argenteos erogaturi ſunt pro Bulla Cruciatæ: & qui Abbates? *d.* 14. *n.* 14 *p.* 97

Abortus.

Abortus procuratio, & conſilium exponitur, & quando ſit reſeruationi obnoxium? *d.* 24. *n.* 44. *p.* 213

Abſolutio. Abſoluere.

Abſolutio in mortis articulo. Vide *Mortis articulus.*

Abſolutio à cenſura in mortis articulo præſtita à non proprio Sacerdote datur cum onere comparendi. 22. 9. *p.* 148

Abſoluere qui poteſt alios à reſeruatis, poteſt ſibi eligere Confeſſarium, à quo abſoluatur, niſi obſtet conſtitutio. *ibi* 17. *p.* 150

Abſolui qui poteſt virtute Bullæ à peccatis, & cenſuris reſeruatis, etiam in Bulla Cœnæ, ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis, excepta hæreſi: & rurſus virtute ſecundæ Bullæ eodem anno. 22. *à* 3. *p.* 147

A peccatis, & cenſuris non reſeruatis, toties quoties etiam à reſeruatis Epiſcopo. *ibi* 3. Quamvis peccata ſint commiſſa ante acceptionem Bullæ. Idem eſt de cenſuris. *ibi* 5. *p.* 148. Etiam à peccatis commiſſis ex confidentia Bullæ. *ibi* 6

Abſolutio ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis exponitur. *ibi à* 7

Abſoluere ab hæreſi merè interna quilibet Confeſſarius poteſt. *ibi* 11. *p.* 149

Abſolutus per inferiorem à reſeruatis dubiis, non tenetur adire ſuperiorem, quamvis poſteà de illis conſtet. *ibi* 17. *p.* 150

Conceſſa facultate abſoluendi à cenſura reſeruata, poteſt abſolui à peccato, cui eſt annexa. *ibi* 19. *p.* 151

Abſoluendi indirectè à reſeruatis poteſtatem ſolus Pontifex tollere valet. *ibid.*

Abſolutus bona fide à reſeruatis, quæ ignorabat, non tenetur adire ſuperiorem. *ibi* 22

Abſoluere non poteſt inferior à reſeruatis cũ ratihabitione præſumpta de futuro. *ibid.*

Abſoluere à reſeruatis quis poſſit? *ibi* 24. 152

Abſoluere an poſſit quis pœnitentem à ſolis reſeruatis, & mittere ad alium pro non reſeruatis? *ibid. & d.* 24. 80. *p.* 223

Abſolui non poteſt à reſeruatis indirectè, niſi ex graui cauſa. *d.* 23. *n.* 24. *p.* 181. *& d.* 24 *à* 62. *p.* 218

Abſolutus à reſeruatis initio iubilæi, quamvis poſteà illum non lucretur, non tenetur iterum abſolui. *ibi* 25. *p.* 181. Imò poteſt poſteà abſolui à reſeruato, cuius fuit oblitus. *ibi.* Si lucratur Iubilæum, & non habet copiam Confeſſarij, aut non confitetur, quia non habet conſcientiam peccati mortalis, poſt iubileum poteſt abſolui à reſeruatis, quorum fuit oblitus. *ibid.*

An abſolutus quis per iubilæum, aut per ſuperiorem, ſi confeſſio ſit inualida, teneatur adire ſuperiorem? *ibi* 27. *p.* 182

Abſolui quis per Bullam poteſt à peccatis pertinentibus ad Quæſitores Fidei non continentibus hæreſim. *ibi à* 92. *p.* 195. & quoties? 97. *p.* 196

Abſolutio à reſeruatis virtute Bullæ quod priuilegium ſpeciale ſit? *d.* 25. 41. *p.* 266. *& d.* 22. 10. *p.* 148

Abſolutus ab hæreſi in articulo mortis tenetur comparere coram legitimo ſuperiore, ſi ſuperuiuat. 23. 101. *p.* 197

Abſolutus à cenſura in articulo mortis cum onere comparendi, ſi non compareat ſuperuiuens, reincidit in cenſuram, etiam ſi ignorauerit onus comparendi. *ibi* 102

Abſolutus in articulo mortis à reſeruatis, cui non eſt annexa cenſura, non tenetur ſuperuiuens comparere coram ſuperiore. *ibi* 104

Abſoluens in articulo mortis à cenſuris reſeruatis quod iuramentum, ac cautionem, & à quibus exigere debeat? *ibi à* 108. *p.* 198. Valida erit abſolutio abſque cautione, & iuramento; nec incurrit excommunicationem ſic abſoluens. *ibi à* 109

Abſolutionis forma virtute Bullæ præſtanda exponitur. *ibi* 113. *p.* 199. Quæ in Bulla Hiſpana continetur, explicatur: ea

tamen vti non eſt opus. *ibi à* 114. *ibid.*
Abſoluere quomodo poſſit Confeſſor à peccatis, quorum pœnitens obliuiſcitur. *ibi* 117. *ibid.*
Abſolutionis forma eſſentialis explicatur: & an peccatum ſit omittere aliqua verba ex forma conſueta? *à* 120. *p.*200. Expedit addere verba *Paſſio Domini, &c.* vt minui poſſit ſatisfactio, & pœnitens ampliùs ſatisfaciat. *ibi* 124. *p.*201
Abſolutio non poteſt præſtari à peccatis in abſentia, aut ſcripto, vel mentaliter 125. *ib.*
Abſolutionis formæ ſufficientes, ac inſufficientes, licitæ, & illicitæ proponuntur. *ibid.*
Abſolutio generalis ſolita præſtari in templis Religionum SS. Trinitatis, & B. Mariæ de Mercede quid ſit? 6.25. *p.*57
Abſolui à peccatis quis, & quando poſſit, quin à cenſura abſoluatur? 24. *num.* 64. 219. *&* 70. *p.*220
Abſoluere an poſſit aliquando ſimplex Sacerdos extra mortis articulum à lethalibus, & reſeruatis? *ibi* 71. *ibid.*
Abſoluendi à reſeruatis poteſtatem in Religione, & eximendi à reſeruatione quis habeat? *ibi à* 79 *p.*222
Abſolui à reſeruatis nequeunt Regulares virtute Bullæ. *à* 120. *p.*233 Et oppoſitum eſt improbabile. *ibi* 122. *& à* 142. *p.*239. Nec extrinſecam probabilitatem habet. *ibi à* 143. *p.*240. A non reſeruatis poſſunt virtute Bullæ abſolui. *ibi à* 85. *p.*250
Abſoluere à cenſuris quinam poſſint? 25. *à* 16. *p.*161
Abſolui poteſt per inferiorem à cenſura reſeruata, qui impeditus eſt adire ſuperiorem. *ibi* 19. *p.*261. Quæ cenſeantur impedimenta adeundi? 20. *p.*261
Abſolutio à cenſura non exigit formam determinatam. Quomodo, & qua cautione ſit præſtanda: & an ad reincidentiam poſſit? *ibi* 23. *p.*263
Abſolui à cenſuris reſeruatis Pontifici, etiam in Bulla Cœnæ, ſi ſint occultæ poteſt ſæcularis toties quoties virtute Bullæ. *à* 39. *ibi p.*266. Qui poſſunt per Bullam abſolui à peccatis poſſunt à cenſuris proportionatè. *ibi à* 40. *p.*266
Abſolutio à cenſuris in articulo mortis virtute Bullæ, quod ſpeciale priuilegium ſit? *ibi* 41. *p.*266
Abſolutio à cenſuris virtute Bullæ poteſt conferri extra Sacramentum, & abſenti: communiter tamen ſolùm pro foro interno. *ibi* 43. *p.*267. *&* 167. *p.*287. An præſtari poſſit, ſi cenſuræ ſint ab homine latæ in perſonam ſingularem, pro foro interno? *ibi à* 131. *p.*237
Abſolutio à cenſura, quin exigatur ſatisfactio, an ſit valida? *ibi à* 147. *p.*240
In abſolutione à cenſura pro quovis foro quid ſit obſeruandum? *ibi à* 152. *p.*242
Abſolutionem à cenſura, ſi fortè fuit incurſa, oportet præſtari pœnitenti. *ibi* 156. *ibid.*
Abſolutio à cenſuris generalis an comprehendat non expreſſas propter obliuionem? 148. *p.*285
Abſolutione vnica poſſunt plures cenſuræ tolli. *ibi* 147. *p.*285
Abſolutio virtute Bullæ præſtita pro foro interno an valeat pro externo, & debeat à iudice admitti? *à* 151. *p.*285
Abſolutio à cenſuris ad reincidentiam an poſſit conferri virtute Bullæ? *ibi* 160. *p.*286. & quid ſit abſoluere ad reincidentiam? *ibi.*
Abſolui à cenſuris virtute Bullæ an poſſit inuitus, & ignorans? *ibi à* 180. *p.*285
Vide verba *Cenſura. Confeſſarius.*
Accuſator accipiens aliquid pro iniuſta actione an teneatur reſtituere? 34. *à* 112. *p.*414. in quibus peccet, & ad quæ teneatur? 115. *p.*415. In quo differat à denuntiatore? *ibid.*

Adminiſtrator.

Adminiſtratorum Cruciatæ priuilegia. 38. 15. *p.*477

Aduocatus.

Aduocatus accipiens aliquid pro patrocinio iniuſto, aut actione iniqua an teneatur reſtituere? 34. *à* 103. *p.*413. Nequit cauſam iniuſtam tueri, nec vllam, ſi ſe inſufficientem agnoſcat: aliàs ad reſtitutionem tenetur. *ibi* 105. *ibid.* Poteſt cauſam probabilem, & dubiam, admonito cliente. 106. *ibid.* Nequit vtrique parti patrocinari. 103. *p.*413. Quare poſſit pretium accipere pro patrocinio, cum iudex non poſſit pro ſententia? *ibidem.* Poteſt annuum ſtipendium accipere, quamvis cliens nullam habeat cauſam, & quantum? *ibi* 104.

Altare.

Altaris nomine quid intelligatur? 20. 36. *p.*138. Quot, & quomodo ſint viſitanda ad indulgentias ſtationum obtinendas? Vide *Indulgentia.*
Altari portatili quando liceat vti? 16.1. *p.*108. Eius vſum poteſt concedere Commiſſarius generalis Cruciatæ. 37. *à* 105. *p.*472

Amens.

Amens poteſt ad aliquos vſus frui Bulla Cruciatæ. 4.12. *p.*46. Vide *Infans.*

Annus.

Annus, quo Bulla durat, an ſit naturalis, aut Eccleſiaſticus? 2. *à* 1. *p.*25. A qua publicatione Bullæ incipiat? 2. *ibid.* Eo tranſacto, nec per vnicum diem Bulla valet. *à* 13. *p.*28
Annus quadrageſimus, dum requiritur ad audiendas fœminarum confeſſiones, ſufficit inceptus. 22. 67. *p.*162

Apoſtaſia.

Digitized by Google

Apoſtaſia.

Apoſtaſia à Religione quid? 24. 25. *p.* 208. In quibus caſibus egreſſus à Monaſterio non ſit apoſtaſia? *ibi.* Apoſtaſia à Fide. Vide *Hæreſis.*

Appellatio.

Apellatio interpoſita an ſuſpendat excommunicationem, & ſuſpenſionem? 25. 31. *p.* 265

Approbatio. Approbatus.

Approbatio quid? 22. 22. *p.* 151. Approbatus quis eſſe debet, vt ſit capax iuriſdictionis ad abſoluendum? *ibi.*

Approbatus non eſt ipſo iure Cardinalis, nec Epiſcopus conſecratus nullum habens Epiſcopatũ: nec Doctor, ſeu Magiſter in Academia. *ibi* 23. *p.* 151. *&* 109. *p.* 171

Approbatio Ordinarij non requiritur ad audiendas confeſſiones Regularium, niſi Regularis ſit abſoluendus virtute Bullæ, aut Iubilæi. *ibi* 24. *p.* 152

Approbatus an cenſeatur Sacerdos conſtitutus in Parochia Manaſterij à Prælato non habente iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem? *ibi* 32. *p.* 154

Approbatus cenſetur is, qui fuit, & non eſt Parochus, & is, qui habuit iuriſdictionem ordinariam. *ibi* 34. Non verò reſpectu Regularium is, qui fuit eorum Prælatus. 36

Approbatus eligi poteſt per Bullam, ſecùs non approbatus. *ibi* 35

Approbatio an tollatur, ſublata iuriſdictione ab Epiſcopo? *ibi* 37. *p.* 155. Petita, & etiam iniuſtè negata non ſufficit, adhuc Regularibus. *ibi à* 42. *p.* 156

Approbare Confeſſarios quis poſſit? *ibi* 38. *p.* 155

Approbationis teſtimonium in ſcriptis habere, non eſt neceſſe. *ibi* 45. *p.* 157. Ea valet, & ſi detur propter pecuniam. *ibidem*

Approbatio eadem requiritur, vt quis eligatur per Bullam, aut Iubilæum; quæ in Tridentino exigitur ad audiendas confeſſiones. Et circa approbationem nihil concedit Bulla, aut Iubilæus; ſed ſupponit approbationem requiſitam in Tridentino. *ibi à* 46. *ibid.*

Approbatus ab vno Ordinario nequit vbique confeſſiones excipere. *ibi à* 50. *p.* 158. Quis Ordinarius ſit approbaturus? *à* 51. *ibid.* Poteſt Ordinarius limitare, & reuocare approbationem *à* 54. *p.* 159. Peccat, ſi abſque cauſa reuocet, ſed valet reuocatio. *à* 57. *ibid.*

Approbationem Regularium abſque vrgentiſſima cauſa nequit reuocare idem Ordinarius, qui conceſſit. 22. 58. *p.* 160

Approbandi variæ formulæ exponuntur. *ibi* 59. *ibid.*

Mendo in Bull. Cruciat.

Approbatus in vna diœceſi an poſſit eligi in alia per Bullam, aut Iubilæum? *à* 60. *ibid.* An ad audiendas confeſſiones fœminarum, qui pro viris eſt approbatus? *à* 67. *p.* 162. An approbatus pro his viris, aut fœminis poſſit eligi ab aliis? 79. *p.* 164. An pro vno loco approbatus, poſſit in tota diœceſi? *à* 80. *p.* 164. *&* 108. *p.* 172. An pro determinato tempore approbatus eo tranſacto eligi queat? *ibi à* 87. *p.* 166. An pro vno pago approbatus poſſit eligi à non incola pagi: aut ab incola extra pagum? *à* 83. *p.* 165

Approbatus ſemel, & abſque cauſa reprobatus an eligi poſſit per Bullam, aut Iubilæum? *ibi à* 92. *p.* 167

Approbatio inidonei eſt cenſenda ſubreptitia. Et eſt inualida. *ibi à* 105. *p.* 170. Secùs, ſi de idoneitate dubitetur. 106. Inidoneũ bona fide eligens an validè confiteatur, vel teneatur confeſſionem repetere? *ibid.*

Approbatus ab Ordinario excommunicato non tolerato, aut ſuſpenſo ab officio, vtrum eligi queat per Bullam? *ibi* 110. *p.* 171. Eligi poteſt approbatus ab Ordinario, etſi ab hoc internè iudicetur inidoneus, dum non declaretur. 112. *ibid.* Et an valeat approbatio præſtita inidoneo, dum ſciatur non fuiſſe ſubreptitiam? 113. *p.* 174. Peccat eam præſtans, & qui approbat non gratis. *ibidem*

Approbatus vniuerſaliter ad Sacramenta adminiſtranda intelligitur approbatus præcipuè ad Pœnitentiam, & Euchariſtiam. *ibi* 114. *ibid.* Approbatus per tacita ſufficientem approbationem de præſenti poteſt eligi per Bullam: & quæ ſit ſufficiens? 115. *ibid.* An ille peccet, dum incipit ſic audire confeſſiones? *ibidem.* Ea approbatio non extenditur ad ſequens tempus. Et quantùm extendatur? 116. *p.* 175

Approbatus non eſt cenſendus Sacerdos ſimplex reſpectu aliorum, qui ab Epiſcopo in ſuum Confeſſarium eligitur. *ibi* 118. *ibid.*

Approbatus ſemel in diœceſi, etſi diu abſit, rediens eligi poteſt per Bullam. *ibi* 119. *ibid.* Eligi etiam valet approbatus prauos mores habens, & paulò antè lethale committens. 120. *ibid.*

Approbatio requiſita, vt quis eligatur in Confeſſarium per Bullam, exigitur, vt applicet Bullæ indulgentiam, & vt de conſilio illius carnes, & lacticinia, tempore prohibito, edantur. *ibi* 121. *p.* 176. Nihil contra veram, & ſanam doctrinam de approbatione Confeſſarij docuerunt, aut egerunt Religioſi Societatis in Indiis in Prouincia Angelopolitana. *d.* 22. *ex num* 122. Totus cauſæ Proceſſus tranſcribitur, vt veritas irrefragabiliter conſtet. *ibi ex n.* 123

Digitized by Google

Architectus.

Architecti & qui in ædificiis laborant quando reſtituere teneantur, & Bulla compoſitionis vti queant? *d.*35. *n.*9. *p.* 335. Vide *Operarius.*

Arma.

Arma vendentes, aut ſuppeditantes ad bellum iuſtum non manent irregulares. *d.*10. *n.*20. *p.*85

Articulus mortis. Vide *Mortis articulus.*

B

Barateria.

Barateria, crimen Hiſpanè ſic dictum, quando committatur à iudice? *d.*34. *n.*139. *p.*418

Barbitonſor.

Barbitonſores, & chirurgi vocati ad ægrotos curandos quando reſtituere teneantur damna illata ex medicamentis à ſe applicatis? *d.* 35. *n.*16. *p.*436. Quando debeant reſtituere ob defectum in ſuo munere, & per Bullas componi queant? 22. *p.*337. Idem ſtatuitur de aliis, qui variis morbis medendis deſtinantur. 24. *ibid.*

Bellantes. Bellum.

Belli negotia, quibus virtute Cruciatæ milites poſſunt incumbere diebus feſtis, quænam ſint? 13. 8. *p.*93. Bellantes aduerſus Infideles ſuis expenſis pro Hiſpaniarum Rege, & mittentes ad bellum, indulgentiam ſibi, & defunctis lucrantur. 12. *à* 10. *p.*90. Etiam ſi in itinere moriantur, aut ante annum iuſta de cauſa è bello diſcedant. *d.*5. *à* 1. *p.*49. Nec indigent acceptione Bullæ, vt omnibus eius priuilegiis potiantur, & non plus, aut minus obtinent, quàm accipientes Bullam. *à n.*11. *p.*52. Et finito bello ante annum idem obtinent. *n.*5. *p.*50

Belli qui concionantur, aut ſimilia gratis præſtant, vel de ſtipendio aliquid remittunt, lucrantur indulgentiam plenariam. *ibi* 4. *ibid.* Qui in bello iniuſto contra Infideles militat, non gaudet priuilegiis Cruciatæ; ſed iuſtum eſt præſumendum dum non conſtat oppoſitum. *ibi* 3. *ibid.* Qui ad id bellum iuſtum eunt expenſis aliorum, an indulgentiam plenariam obtineant? *d.*8. *à* 1. *p.*76. Vide *Miles.*

Beneficiarius. Beneficium.

Beneficiarius à Pontifice Bullas ad beneficium obtinens non indiget retentione earum. *d.*21. *n.*8. *p.*144

Beneficium Eccleſiaſticum quid, & quotuplex ſit? 11. *à* 2. *p.*87. Quæ beneficia poſtulent reſidentiam? *ibi.*

Beneficium collatum excommunicato pro foro ſolùm externo licitè poſſidetur in foro conſcientiæ. 25. 141. *p.*284

Beneficij nomine quid intelligatur in Bulla lacticiniorum? *d.*31. *n.*19. *p.* 366

Beneficium per Sanctitatem fictam obtentum poteſt retineri, ſi dignè exerceatur, ſecùs aliter. 34. 176. *p.*425. Vide *Compoſitio.*

Bona.

Bona incerta componere quid ſit? *d.*32. *n.*1. *p.*367. Ea, & quæ debentur Eccleſiæ, poteſt componere Pontifex *ibi à* 2. *p.*368. An queat Epiſcopus, & quomodo? *ibi à n.*11. *p.*369. *&* *d.*33. *à n.*44. *p.*390

Bona incerta componendi facultatem primus conceſſit Alexander VI. *d.*32. *n.*8. *p.*369

Bona incerta pauper debens an poſſit ſibi applicare? *ibi* 26. *p.*372. *&* *d.*35. *à num.*63. *p.*443. An poſſit ea applicare illi Confeſſarius, & vir doctus? *d.*32. *n.*27. *p.*373. An domino comparenti teneatur reſtituere, ſi poteſt? *à* 28. *ibid.*

Bona incerta inuenta, & alia non iniuſtè, imò & iniuſtè adquiſita poſſunt componere Reges, Principes, ac Reſpublicæ. *ibi à* 32. *ibid.* Et Rex Hiſpaniæ bona incerta Indorū Infidelium iniuſtè ab Hiſpanis adquiſita. 40. *p.* 375. Sed nequeunt Bullam compoſitionis concedere. 43. *p.*376

Bona incerta componere, & Bullas conficere poteſt Commiſſarius Generalis Cruciatæ, & hi, quibus ipſe ſubdelegauerit. *ibi à* 44. Dum ipſe componit, decimam partem exigit. 47. *ibid.* Poteſt componere quamlibet quantitatem. 48. *p.*377

Bona incerta poteſt quis per Bullas componere vſque ad quantitatem in ipſis deſignatam, etſi maiorem debeat. *ibi* 47. Compoſitio præfata ſolùm valet pro foro interno. 48. *ibi*

Bona incerta componenda per ſingulas Bullas ſunt duo millia dipondiorum, & quotannis quinquaginta Bullæ accipi queunt. *ibi* 50. *ibid.* Nequit debitor differre reſtitutionem ad annum ſequentem, vt in eo aliàs Bullas accipiat. 51. *p.* 378. At ſi diſtulit, adhuc componi poterit. *ibi.*

Bona incerta ex diuerſis debitis poſſunt per eamdem Bullam cōponi. *ibi* 58. *p.*379. An, ſi à duobus debeãtur, id poſſit fieri? 60. *ib.*

Bona incerta, quæ ſint? *d.*33. *n.*1. *p.*380. Vide *Bulla Compoſitionis*, & *Compoſitio.*

Bona, quæ nullius domini fuerunt, primi occupantis fiunt: & bona derelicta: ac in ſpectaculis profuſa: ac ligna exigui pretij in inundatione portata, non verò proiecta in naufragio, aut incendio. *d.* 33. *à num.*8. *p.*381. *&* *d.*34. *n.*183. *p.*426

Bona vacantia cuius fiant? *ibi* 10. *p.*382

Bona dicta Hiſpanè *Moſtrenco*, quæ ſint? *ibi* 11. *ibid.* Vnde ſic nuncupentur, & cui applicetur in Indiis? *d.*38. *à* 52. *p.*485

Bona, quorum eſt dominus vnus è tribus, aut quatuor, inter eos ſunt diuidenda; nec, ſi poſteà

Digitized by Google

poſteà de domino determinato conſtet, ei debent reſtitui. *d.33.n.11.p.382*

Bonorum inuentor quam diligentiam adhibere debeat pro domino reperiendo? *ibi* 12. Bona inuenta cuius fiant? *à* 13.*p.*383. Quæ ſpectent ad Religiones SS. Trinitatis, & B. Mariæ de Mercede? 14. Quid debeant præſtare hæ Religiones circa ea bona? 24.*p.*385. Inuentor an teneatur bona ſibi iam applicata domino comparenti reddere? 23.*ibidem*

Bona, quæ cum Cruciata ſunt compoſita, non debentur pro foro interno domino comparenti. *ibi à* 27.*p.*386

Bona incerta ablata ex confidentia poteſt Commiſſarius componere: & an Epiſcopus? *ibi à* 43.*p.*390

Bona inuenta componi per Bullas, an ſit neceſſe? *d.*34.*n.*177.*p.*425

Bona naufragantium vſurpans quas excommunicationes incurrat? & quando ea poſſit retinere, aut componi per Bullas: ac quæ dicantur bona naufragantiũ? *ibi à* 178

Bona fides.

Bona fides quomodo profit in ludo lucranti ab eo, qui alienare nequit? *d.*34.*n.*205. *p.* 431

Bulla Cœnæ.

Bulla Cœnæ non reuocat Bullam Cruciatæ. *d.*2.*à n.*43.*p.* 35. Excommunicatio in illa contra rapientes bona naufragantium lata declaratur. *d.*34. *à n.*178.*p.*425. Vide *Excommunicatio.* Quomodo retinenda ſit Bulla Cœnæ? 25 46.*p.*267

Bulla Cruciata in Communi.

Bullæ vox. *d.*1.*n.*14.*p.*13. Bullæ tranſcripta Hiſpanè, & Latinè. *à n.*1.*p.*1. Bullæ taxa. *à n.*9. Quis poſſit Bullam concedere? *à* 23. *p.*15. Poſſunt, qui indulgentias. 24. Non expirat Bulla morte Pontificis. *d.*2. *à* 24. *p.*16. Etiam ſi non fuerit executioni mandata. 26.*p.*17

Bulla eſt priuilegium oneroſum, & lucratiuum. *ibi* 35.*p.*19. An, ſi per alium accipiatur, debeat de acceptione conſtare? *d.*2. *n.*3.*p.*26. Non reuocatur, nec ſuſpenditur per Iubilæum anni Sancti. 48.*p.*36. Non eſt neceſſe Bullam retineri, vt obtineantur priuilegia. *d.*21. *à n.*1.*p.*143. Debet autem accipi, & an reddi poſſit Quæſtori Cruciatæ poſt erogationem eleemoſynæ? *ibi* 8.*p.*144. *&* *d.*33.*n.*52.*p.*187

Bullas poteſt quis accipere pro perſonis indeterminatis, & poſteà determinare. Si determinatè pro vna accipiat, & non acceptetur, valet alteri applicare, etiam ſi inſcripſerit nomen illius. Semel verò ſibi applicatam, nequit alteri. *d.*21.*n.*15.*p.*146. Nomen in Bulla inſcribi non eſt neceſſe. *ibi* 12. *p.*145

Mendo in Bull. Cruciat.

Bulla nequit tranſmitti ad commorantem extra Hiſpaniam: at poteſt ſumi pro acceſſuro ad illam, vt vtatur, cum venerit. *d.*3. *n.*11. *p.*42

Bulla Cruciatæ non eſt Iubilæus. 6.13.*p.*55

Bullæ olim conceſſæ duraturæ per plures annos iam expirarunt. 29.17.*p.* 344. Bullæ priuilegiis nequeunt vti delinquentes in Cruciatam. 37.30.*p.*458. Bulla qua ſolẽnitate publicetur? 38. *à* 37. *p.*482. Bulla in quibus Regnis, & locis valeat? *d.* 3. *ibid.*

Bulla communis viuorum.

Bulla pro alio etiam inſcio ſumi valet, qui conſentire debet, vt fruatur priuilegiis. 21.13.*p.*145. Ratihabitio ſubſequuta ſufficit, vt lucretur indulgentiam, quæ in acceptione Bullæ obtinetur. *ibi.*

Bulla, & Iubilæus, nihil circa approbationem Confeſſarij concedunt. 22. *à* 46. *p.*157. Vide *Approbatio.* Quid concedat circa abſolutionem? Vide *Abſolutio.* Non prodeſt Regularibus quoad abſolutionem à reſeruatis. *d.*24. *à* 121. *p.*233. An proſit, ſi ſuperior concedat vſum omnium eius facultatum? 152. *p.*242. Præfigitur Bulla Vrbani VIII. circa hoc. 123. *p.*134. Vim habet poſt eius mortem, quamvis ab ea fuerit ſupplicatum. *ibi* 128.*p.*236. *&* 134.*p.*237. Et quamvis non exprimatur in Bulla Cruciatæ, *à* 126.*p.*235. Nec reuocatur per Bullas ſequentes. 135.*p.*238. Prodeſt autem Bulla Cruciatæ Regularibus, etiam Societatis IESV, vt à non reſeruatis abſoluantur per Confeſſarium à ſe electum. *à* 185.*p.*250

Bulla bis in anno accipi poteſt, & ad quos effectus? *d.*28. *à* 2.*p.*338. An, toties quoties amittitur, alia accipi queat? *à* 6.*p.*339. Bullæ annorum præcedentium non reualidãtur per Bullam ſequentẽ. 29. *à* 15.*p.*342

Bulla Compoſitionis.

Bulla Compoſitionis accepta pro minori quantitate, quàm eſt ea, ad quam prodeſt, nequit poſteà valere pro alia quantitate de nouo componenda. 32.57.*p.*379. Eleemoſyna pro hac Bulla eroganda eſt eadem reſpectu omnium. *ibi* 59. *ibid.*

Bulla Compoſitionis pro quibus bonis in communi proſit? 33. *à* 25. *p.*385. Non prodeſt his, qui ex confidentia poſitiua ipſius vſurpant bona incerta, & ab eis hæc tradenda ſunt integrè Cruciatæ. 41.*p.*389. *& ſeq.* Quibus proſit hæc Bulla? 42. Quomodo componenda ſint bona debita ob omiſſionem recitationis? *à* 22.*p.*385. Praxis traditur. 27.*p.*386

Bulla hæc quo pacto proſit pro legatis per negligentiam à domino certo non exactis? *à n.*41 *p.*389. Quid de fideicommiſſis? 43. *p.*390. Quæ negligentia ſit illa? 46.*p.*391.

Quando proſit meretricibus publicis, & occultis, ac viris ab eis aliquid accipientibus? *d.* 34. *à* 199. *p.*429. Prodeſt non ſolùm ad caſus in ipſa expreſſos ſed ad alios. 35. *à* 2. *p.*434. Prodeſt mercatoribus, & emptoribus, ac exercentibus munera, & officia: & in quibus caſibus? *à n.*7.*p.*335

Bullam hanc poteſt quiſque propria authoritate accipere, & ſua debita componere: at conſultius eſt, conuenire Confeſſarium. 35. 60. *p.*443. Bulla hæc valdè vtilis eſt exercentibus munera publica, & quare? *ibi* 57.*p.*442. Item itinerantibus, qui hinc inde aliqua ſurripiunt, aut inferunt damna. 58. Bullæ huius vſus regulæ generales traduntur. *d.*35. *à* 46. *p.*441. Vide *Bona*, & *Compoſitio.*

Bulla hæc non valet pro bonis ab Eccleſia ablatis. *d.*35.10.*p.*335

Bulla Defunctorum.

Bulla hæc exponitur. 36. *à* 1.*p* 446. Poteſt vna pro pluribus animabus ſumi, & pro vna determinata *ibi.* Et duplex Bulla quotannis pro eadem anima. *ibi* 5.*p.*448.*d.*28. *n.*3.*p.*338.*ac* 10.*p.*340. Quod ſit vltimum requiſitum, vt anima à Purgatorio liberetur? *d.*36.*n.*5.*p.*454. Vide *Indulgentia*, & *Purgatorij animæ.*

Bulla lacticiniorum pro Eccleſiaſticis.

Bulla hæc prodeſt illis, quibus in Bulla communi viuorum denegatur vſus lacticiniorum, exceptis Regularibus, & excepta hebdomada maiori. *d.*31.1.*p.*362. Non eſt neceſſaria Diaconis, & Subdiaconis. *ibi.* Quid nomine Prælatorum, quibus prodeſt, intelligatur? 3. Abbatum nomine non intelliguntur Monaſtici, adhuc iuriſdictione in populum gaudentes, ſic verò benedicti Abbates. 4. Et an alij Abbates? 12. *p.* 364

Bulla hæc prodeſt Regularibus, qui ſunt Epiſcopi. Non tamen ea indigent in Hiſpania Cardinales. 31.5.*p.*363

Bullæ huius durationis annus exponitur. *ibi* 7. Dominica Palmarum includitur in hebdomada maiori, pro qua hæc Bulla non valet. *ibi* 6. Non prodeſt hæc Bulla Canonicis Regularibus. 10.*p.*364. Nec Dignitatibus Eccleſiæ Regularium. 14. Nec Regularibus Ordinis Minimorum, quamvis ſint Epiſcopi. 16.*p.*365

Bullæ huius taxa. 31.11.*p.*364. Epiſcopi, etiam ſi non habeant diœceſim, eamdem eleemoſynam debent præſtare, ac ſi haberent. *ibi.* In eleemoſynæ deſignatione attenditur dignitati accipientis, etiam ſi prouentus ſint parciores. *ibi* 13. Coadiutores Canonicorum, & Dignitatum non tenentur præſtare eleemoſynam, quam ipſi Canonici, ac Dignitates. *ibidem*

C

Canonicus.

CAnonici poſſunt in ſubſidium Cruciatæ ad bellum proficiſci abſque licentia Pontificis, & Capituli. *d.*11.*n.*5. *p.* 88

Capitulum.

Capitula Eccleſiarum Parochialium obtinent indulgentiam plenariam, ſi propriis expenſis mittant milites in ſubſidium Cruciatæ. *d.*7.*n.*8.*p.*74

Capituli deliberatio quænam requiratur, vt hi milites mittantur? *ibi à* 16.*p.*75

Cardinales.

Cardinalium, & familiæ ipſorum quis ſit proprius Confeſſor? *d.*22.*n.*16.*p.*150. Eorum declarationes circa Tridentinum an habeant vim iuris? *d.*1.*n.*41.*p.*21

Carnis lapſus.

Carnis lapſus voluntarius, & conſummatus contentus in Bulla Clementis VIII. quinam ſit? *d.*24.*à n.*46.*p.*213. Quæ pollutio in eis comprehendatur? *ibi.*

Carnium eſus.

Carnibus, & earum ſpoliis quando liceat veſci? *d.*17.*n.*1.*p.*111. Licet in die veneris, in quem incidit Natiuitas Domini. *Ibi.* Tenetur quis ab eis abſtinere diebus ieiunij, etiam ſi ieiunare non teneatur, dum non ægrotet. *ibi* 2. *p.* 112. *Et d.*13.*n.*6.*p.*93. Veſcens illis in diebus prohibitis ob ægritudinem, non peccabit contra legem ieiunij, ſi ſimul piſces edat. *ibi.*

Carnibus veſci diebus prohibitis quinam poſſint? *ibi* 3. Poteſt quis eas edere cum neceſſitate probabili. Cum dubia, poteſt diſpenſare Epiſcopus Vicarius, ac Parochus: ac per Bullam de conſilio vtriuſque medici cum neceſſitate dubia poſſunt edi. *à n.*4.*p.*92. Non tamen extra Regna Hiſpaniæ. 13. Medicus ſpiritualis eſt quilibet Confeſſor approbatus, etiam extra confeſſionem. *n.*7. Vbi Medicus non eſt, quid erit præſtandum, vt quis vtatur priuilegio Bullæ? *n.*9.*p.*93

Carnes edens die prohibito vnicum peccatum patrat. *d.*17.*n.*12.*p.*114. Eas edere diebus prohibitis non licèt per Bullam his, quibus non licet edere lacticinia. 18.23. *p.* 120

Carthuſienſes.

Carthuſienſes etiam cum probabili vitæ diſcrimine tenentur à carnibus abſtinere. 17.1.*p.*111

Caſtitatis votum. Vide *Votum.*

Caſus reſeruati. Vide *Reſeruatio.*

Catechumenus.

Catechumenis Bulla Cruciatæ non prodeſt, *d* 4.*n.*8.*p.*45

Cautio.

Digitized by Google

Cautio.

Cautio poſcenda eſt ab excommunicato. *d.* 25. *num* 143. *p.* 284.

Cenſura.

Cenſura quid? *d.* 25. *nu.* 1. *p.* 258. A cenſuris reſeruatis Epiſcopo poteſt abſolui cum onere comparendi, vrgente neceſſitate: & qua? 23. 38. *p.* 184

Cenſuras quis, & in quos poſſit ferre? 25. à 1. *p.* 258. Qui poteſt ferre iure ordinario, valet delegare poteſtatem. *ibi.* Ob quæ peccata ferri queant? *ibi* 3. Eas ignorans non incurrit. *ibidem*

Cenſuræ diuiſio. 25. 4. & 7. *p.* 259. Si dubitetur de cenſura, an incurratur? *ibi* 5. An queat ferri ſub conditione, aut diſiunctione? 6.

Cenſura ſtrictè eſt interpretanda. 25. 11. *p.* 260. Quis poſſit ab ea abſoluere? *ibi à* 16. *p.* 261. Abſens, & inuitus abſolui valet. 24. *p.* 263. Quis poſſit in articulo mortis abſolutionem ab illa præſtare? 25. A cenſura lata ab homine in ſpeciali, an, & quoties poſſit virtute Bullæ abſolui? *à* 131. *p.* 281. An lite pendente? *à* 135. *p.* 281. An quilibet Confeſſor, ſi non ſit reſeruata? 137. *p.* 283

Cenſuræ latę à Pontificibus in fauorem Cruciatæ recenſentur. 38. *p.* 266. *à* 21. *p.* 262. An poſſit Commiſſarius Generalis, & ſubdelegati eas ferre, vt faciant, ſeruari priuilegia, quæ à Regibus habent? *ibi à* 55. *p.* 269. ſatisfactio præſtanda ante abſolutionem à cenſura, & in articulo mortis per hæredes. *d.* 24. *à nu.* 144. *p.* 240

Ceſſatio à diuinis

Ceſſationis à diuinis tempore nequit virtute Bullæ audiri Miſſa. 15. 25. *p.* 102. Ceſſatio non eſt cenſura. 25. 7. *p.* 259. Quid ſit? quis eam poſſit tollere? quando ſuſpendatur? *ibi à* 36. *p.* 265. Qui ei dat cauſam, tenetur ſoluere emolumenta amiſſa Eccleſiæ, & Miniſtris. *ibi* 36. Nulla eſt in iure præfixa. 38. *p.* 266. Nequit ſuſpendi à Commiſſario Generali tempore publicationis Bullæ. *d.* 37. *n.* 18. *p.* 456

Chirurgus.

Chirurgi, quando teneantur reſtituere, & quomodo vti poſſint Bulla compoſitionis? 35. 19. *p.* 337. Vide *Medicus*, & *Barbitonſor.*

Clericus.

Clericorum nomine quinam comprehendantur? 15. 6. *p.* 99. & *d.* 25. *n.* 59. *p.* 270. Nequeunt in bello præfici agmini. 10. 16. *p.* 84. Quæ licentia requiratur, vt aſſiſtant in bello? *ibi.* Poſſunt eſſe à conſiliis rerum bellicarum, & qua limitatione? *ibi* 20. *p.* 85

Clerici pugnantes, dum non occidant, aut mutilent, non manent irregullares 10. 20. *p.* 85. Quomodo intelligatur, eos exercentes pia miniſteria in bello iuxta Bullam Cruciatæ, non fieri irregulares? *ibi à n.* 24. *p.* 86. Quæ miniſteria in bello exercentes obtineant indulgentiam plenariam Bullæ? *d.* 9. *à n.* 1. *p.* 78 Cuius Ordinarij licentia requiratur, vt ibi concionentur, & audiant confeſſiones? *d.* 9. *n.* 11. *p.* 80. Quis dicatur; in Clericum manus violentas iniicere? 25. 59. *p.* 270. Poſſunt validè amittere Clerici in ludo fructus Eccleſiaſticos. 34. 166. *p.* 423

Columba.

Columbas aucupari extra leucam à columbario non obligat ad reſtitutionem. Quid intra leucam? *d.* 34. *n.* 191. *p.* 428

Commiſſarius Generalis Cruciatæ, & ſubdelegati.

Commiſſarij Generalis munus, & iuriſdictio: ac ad quem ab eo detur appellatio? 58. 1. *p.* 474. Eius priuilegia, & Miniſtrorum Cruciatæ. *ibi n.* 3. *p.* 475. & *à num.* 15. *p.* 477. Quid ipſe ſolus, quid cum Senatoribus Cruciatæ exequatur? 4. *p.* 475. Poteſt dirimere occurrentia dubia circa Bullam non tamen mutare aliquid contra Pontificis mentem declaratam in Bulla Latina. *d.* 17. *n.* 17. *p.* 113.

Commiſſarius an poſſit facere publicari Bullam in locis Luſitaniæ, quæ recuperantur? *d.* 3. *n.* 5. *p.* 39

Commiſſarius Generalis examinare debet indulgentias omnes ante publicationem. *d.* 29. *n.* 7. *p.* 341. Poteſt ab Ordinariis exigere pœnas pecuniarias, & compellere, vt tradant. 37. 10. *p.* 455. Et punire delinquentes in Cruciatam; ſed quibus pœnis, ac quos? *ibi* 11

Commiſſarius eſt iudex delegatus, & poteſt ſuam iuriſdictionem ſubdelegare *ibi* 13. Nequit ſuper rebus Cruciatæ niſi apud Pontificem conueniri. 16 *p* 456. Poteſt deſignare Miniſtros, & cogere Tabelliones, vt exhibeant inſtrumenta circa res Cruciatæ. *ibi à n.* 12. *p.* 455. Item quoſcumque alios, vt exhibeant inſtrumenta, ac bona ad Cruciatam pertinentia. *à n.* 24. *p.* 457

Commiſſarius habet in Epiſcopos delegatam poteſtatem quoad aliqua. *d.* 37. *n.* 25. *p.* 457. Quid poſſit circa lites pendentes? *ibi* 33. *p.* 459. Indulgere poteſt retentionem fructuum, executionem Ordinum, & abolitionem infamiæ his, cum quibus in irregularitate diſpenſat. 39. Et compoſitionem fructuum facere. 40

Commiſſarius nequit diſpenſare in vlla irregularitate ex his, quæ non proueniunt ex delicto. *d.* 37. *à n* 42. *p.* 461. Nec in aliis, ſi non iniungat eleemoſynam in ſubſidium Cruciatæ. 48. *p.* 462. In facultate diſpen-

Digitized by Google

ſandi in irregularitate excedit, ac excedi-tur ab Epiſcopo 49. Nequit diſpenſare in-regularitate Neophytorum. 60. p. 464. Po-teſt in ea, quæ prouenit ex bigamia ſimi-litudinaria, ac ex iuris fictione. 61. ibid

Commiſſarij Cruciatæ ſubdelegati Genera-les, & particulares vbi ſint, & quibus fa-cultatibus gaudeant? d. 38. à nu. 42. p. 483. Subdelegati Generales in Indiis quid præ-ſtare debeant, & quam eleemoſynam pro gratiis ſint exacturi? ibi à n. 58. p. 486. Sub-delegati particulares quid præſtare queãt: quo munere, ac iuriſdictione fungantur? à n. 63. p. 487.

Commiſſarius Generalis in quibus irregula-ritatibus diſpenſare poſſit? Vide *Irregu-laritas*. Nequit in irregularitate contracta ex mala Ordinum ſuſceptione. d. 37. n. 81. p. 467. Poteſt in impedimento affinitatis poſt contractum matrimonium, & quibus conditionibus? ibi à n. 86. p. 468. Et cuius affinitatis? *ibidem*

Commiſſarius an poſſit legitimare prolem, & quam quoad actus ſpirituales, ac tempora-les? d. 37. à num. 92. p. 469. Poteſt diſpen-ſare ad petendum debitum cum eo, qui copulam cum conſanguinea coniugis ha-buit. ibi 95. p. 470. Non poteſt, ſi detur im-pedimentum cognationis ſpiritualis. *ibi* 97

Commiſſarius poteſt concedere licentiam, vt quis audiat, vel celebret Miſſam per ho-ram ante auroram, & per horam poſt me-ridiem. d. 37. num. 99. p. 471. Poteſt vertere Bullam Latinam in linguam vernaculam. ibi à nu. 100. Et apponere proœmium, & dies ſtationum à n. 103. p. 472. Ac concede-re facultatem ad habenda oratoria priua-ta, & ad celebrandum in Altari portatili. *ibi à num.* 105

Communio Sanctorum. Vide *Participatio bo-norum operum*.

Communitas.

Communitates Eccleſiaſticæ mittentes ad bellum milites, quot ſint miſſuræ ad indul-gentiam plenariam obtinendam? d. 7. n. 1. p. 72. Communitates ſæculares non obti-nent eam indulgentiam. ibi 7. p. 73

Compoſitio.

Compoſitio per Bullas an locum habeat, quo-ties beneficiarius non facit fructus ſuos? d. 34. à n. 39. p. 400. Vtrùm teneatur com-poni per Bullas, qui nequit integrè reſti-tuere? 35. 80. p. 446

Compoſitio locum non habet in eo, qui plu-res pro Miſſis eleemoſynas accepit, & ig-norat, quibus ſit eas applicaturus. *ibi* 81. Vi-de *Bona*, & *Bulla compoſitionis*.

Confeſſarius. Confeſſio.

Confeſſione incepta, ſi finiatur tempus Bullæ, aut Iubilæi, poteſt quis poſteà virtute il-lius abſolui. d. 22. n. 19. p. 151. Confeſſarius Regularis. Vide *Regularis*.

Confeſſarij electio per Bullam, aut Iubilæum non eſt neceſſaria formalis. 22. 78. p. 164

Confeſſio incepta, etiam ſi reuocaretur Bul-la, poſſet virtute illius perfici. d. 2. n. 12. p. 28. & 38. p. 34.

Confeſſarius eligi poteſt per Bullam diuer-ſus pro qualibet confeſſione. d. 23. nu. 7. p. 177.

Confeſſarius poſcens licentiam à Superiore pro ſubdito habente reſeruata, an ipſe poſ-ſit ab eis abſolui? 23. 28. p. 182

Confeſſarij quot ſint deſignandi in quavis Domo Religioſa? 24. 51. p. 215. & 56. p. 216. 56. Si non deſignentur neceſſarij, nul-lũ erit peccatum reſeruatum. *ibi* 52. p. 215. Confeſſoris ordinarij iudicio tenetur ſtare ſuperior, dum ſuas vices concedit: aliàs il-le poterit abſoluere, & quoties? *ibi* 53. & à n. 67. p. 219. Peccat grauiter Confeſſarius, ſi Superiorem decipiat in modo petendi facultatem. *ibi* 54. p. 215. Quid præſtare debeat, & quando erit inualida facultas? à n. 55. p. 216

Confeſſio actualis, cum fieri poteſt, requiri-tur ad obtinendam indulgentiam plena-riam in acceptione Bullæ conceſſam. Et quoties lucrantur indulgentiam contriti, & confeſſi? d. 6. à. n. 34. p. 59

Confeſſione informi, aut inualida, ſi fiat bona fide, obtinet quis indulgentiam Bullæ, cum obicem tollit. *ibi* 39. p. 60

Confeſſarij indulgentias lucrandas iniun-gant, vt minus pœnitentiæ imponant. *ibi* 80. p. 69. Debent explicare pœnitenti, cur minus imponant. 82. p. 70

Confeſſio per ſigna ſufficit ad obtinendum Bullæ indulgentiam, ſi aliter nequeat fie-ri. d. 6. n. 36. p. 59

Confeſſor Regularis Ordinarius quando, & quomodo teneatur adire Superiorem pro licentia ad abſoluendum à reſeruatis? 24. p. 57. à 21. Poteſt eam poſcere, quamvis ſpecies reſeruatorum ignoret. *ibi* 68. p. 67. Qui non eſt ordinarius Confeſſor, an, & quando teneatur adire Superiorem, ac quando valeat abſoluere indirectè à reſer uatis? *ibi à num.* 69

Confeſſarius nolens commutare vota haben-tis Bullam peccet? d. 26. n. 204. p. 323. Qua obligatione teneatur ad audiendas confeſ-ſiones? *ibi à n.* 205

Confeſſarius rectè callere debet Bullam com-poſitionis, & vſum illius hortari. 35. 2. p. 434. Quomodo ſe habere debeat cum Quæſtoribus gazæ Regiæ? *ibi* 40. p. 440. An debeat perſuadere potiùs reſtitutio-nem, quàm compoſitionem per Bullas, cum

cum ei locus datur? *ibi* 82.*p*.447

Confidentia.

Confidentiæ poſitiuæ compoſitionis per Bullas ſignum exponitur. *d*.35.*n*.59.*p*.442

Conſcientia erronea.

Conſcientiam erroneam habens,ac committens delictum non incurrit pœnas in illud latas. *d*.24.*n*.43.*p*.212

Contemptus clauium.

Contemptus clauium,& formalis inobedientia quid ſint? *d*.37.*n*.51.*p*.462

Contractus.

In contractibus in diem celebratis tenetur quis ſoluere, die accedente, licèt creditor non poſcat. Si dies non præfigatur, tenetur,cum primùm poteſt. *d*.35.*n*.70.*p*.444

Contritio.

Contritio imperfecta ſufficit, cum requiritur ad indulgentiam contritio, & confeſſio.*d*.6.*n*.35.*p*.59.

Cruciata.

Cruciatæ origo. *d*.1.*n*.18.*p*.14. Cruciatæ Senatus quibus perſonis conſtet? 38. *à* 5. *p*. 475. Quomodo in eo decreta expediantur: cuius nomine,& qua ſubſcriptione? *ibi* 6. Quibus diebus conueniatur à Senatoribus? *n*.7.*ibid*.Praxis Conſilij, & Tribunalium Cruciatæ. 38.*à n*.1.*p*.474

Cruciatæ ſubdelegati Iudices qui poſſint eſſe,& qua poteſtate fungantur; 38.7.*p*.475. Quæ negotia pertractentur in tribunalibus Cruciatæ? *ibi à n*.8.*p*.476. Ad Cruciatam ſpectant bona obeuntium ab inteſtato abſque hærede.8. *ibid*.Et quæ alia bona? *à n*.24.*p*.579. Ad Cruciatæ tribunal ſpectat auxilium pecuniarium, Hiſpanè *Eſcuſado*. Quid hoc ſit,ad quid conceſſum,& à quibus ſoluendum? *à n*.11.*p*.476

Cruciatæ Senatus in Indiis, quibus perſonis conſtet;quæ priuilegia habeat,quam iuriſdictionem, & an per viam violentiæ poſſit appellari ad ſæculare tribunal? 38. 50. *p*.484.

D.

Damnum.

DAmnum illatum incerto domino, quouis modo inferatur, componi per Bullas poteſt. *d*.34.*à n*.188.*p*.428

Defunctus.

Defunctis quomodo poſſit Pontifex indulgentias concedere? 12.5.*p*. 89. Defuncto non prodeſt Bulla Cruciatæ accepta poſt eius mortem, vt abſoluatur ab excommunicatione, aut tumuletur tempore interdicti cum pompa funerali. *d*.4.*nu*.24.*p* 49. Nequit virtute Bullæ abſolui ab excommunicatione, à quâ non poterat abſolui extra articulum mortis, dum viueret. *ibi* 26. Defunctorum Bulla. Vide *Bulla defunctorum*.

Defuncto eidem quomodo ſit vtile, plures Miſſas in altari priuilegiato applicare, aut plures Bullas pro illo accipere? 28.4.*p*.338. Vide *Indulgentia*.

Delegatus.

Delegatus Summi Pontificis quâ poteſtate,& per quod tempus erga alios iudices gaudeat? *d*.37.*à n*.34.*p*.459

Denuntiator.

Denuntiator aliquid accipiens pro iniuſto actu an teneatur reſtituere, & egeat Bullis compoſitionis? 34.*à* 112.*p*.414. In quo differat ab accuſatore? *ibi* 115.*p*.415. In quibus peccet, & ad quid teneatur? *à nu*. 116.*ibid*. An teneatur aliquando denuntiare partem,& ſimiles? *ibi*. Tenetur denunciare hæreticum, etſi nouerit delictum ſub iuramento, aut ſecreto naturali. *ibi à nu*. 118. *ibidem*

Depoſitarius, & depoſit m

Depoſitum incerti domini, aut non comparentis an componi per Bullas poſſit? 34. *à* 185.*p*.427. Quid, & quotuplex ſit? Et quænam obligationes depoſitarij? *ibi à nu*. 186. *ibidem*

Deuotio.

Deuota oratio requiritur ad obtinenda indulgentias, & quomodo? 20.29.*p*.136. Deuotio ſpecialis non eſt cauſa ſufficiens, vt quis indirectè abſoluatur à reſeruatis,cum non datur copia ſuperioris. 23.39.*p*.184

Dies.

Diei vox quas acceptiones habeat ad res morales? *diſp*.20.*n*.44.*p*.140

Diſtributiones.

Diſtributiones quotidianæ in Eccleſia malè perceptæ an queant per Bullas componi? Et quænam retineri poſſint? *d*.34. *n*.33.*p*. 399.& 37.*p*.400.

Diuinatio.

Diuinatio quid ſit, & quomodo reſeruetur? *d*.24.*n*.24.*p*.208

Dominica Quadrageſimæ.

Dominicæ Quadrageſimæ an ſint dies Quadrageſimales, ita vt in eis abſque Bulla nequeant edi oua, ac lacticina? *d*.18.*à n*.24. *p*.120.

Dominium. Dominus.

Domini appellatione etiam dominus pro parte venit, & nomine patroni patronus pro parte. *d*.14.*n*.9.*p*.95

Dominus iuriſdictionis, etiam ſi vaſſallos non habeat, tenetur octo argenteos pro Bulla communi erogare: ſecùs ſi non ſit, quamvis dominus ſit agrorum. *ibi* 12.*p*.96. Dominium loci ſi Communitas habeat, nullus tenetur erogare octo drachmas. Si habeat Prælatus ſolus, & emolumenta percipiat,

Digitized by Google

percipiat, tenetur. *ibi* 13

Domini vaſſallorum prohibentes, ne fugentur feræ, damnum ab his illatum tenentur ſtituere. 34.195.*p*.429

Dona.

Dona an poſſint accipi à miniſtris iuſtitiæ? *d*.34.*à n*.126.*p*.416

Donatio cauſa mortis.

Donatio cauſa mortis, domino non comparente, poteſt per Bullas componi. 34.65. *p*.406.

E.

Ebrius.

EBrius, qui in ebrietate moritur, quibus Bullæ priuilegiis, & quomodo, potiri valeat? *d*.4.*n*.12.*p*.46

Eccleſia.

Eccleſia nequit actus internos imperare, & quare? Poteſt verò eos pro conditione apponore. 19.9.*p*.124

Eccleſiæ nomine quid comprehendatur? 15.7.*p*.99. & *d*.20.*n*.32.*p*.137. Eius viſitatio ad obtinendas indulgentias. Vide *Indulgentia.*

Eleemoſyna.

Eleemoſynam pro Bulla, & pro diſpenſationibus applicare in opus pium, non eſt ſimonia.*d*.1.*à n*.29.*p*.17. Etſi ſtatim quis non eroget eleemoſynam pro Bulla accepta, gaudet eius priuilegiis. 14 4.*p*.92

Eleemoſynæ quantum pro Bulla ſint erogaturæ vxores dominorum iuriſdictionis? 14.5.*p*.94. Item filij Dynaſtarum, titulo aliquo præditi, honoris cauſa? *ibi*. Rurſùs dominus erogans octo drachmas, ſi ſecundam Bullam accipiat, quam eleemoſynam ſit largiturus? Et quam dominus ſolius proprietatis: ac vidua vſufructuaria loci? *à nu*.6.*p*.95. Si plures ſint domini vnius oppidi, quilibet octo argenteos erogare debet. *n*.8

Eleemoſynam octo argenteorum, & non maiorem, præſtare tenetur, qui plures titulos habet, ob quorum ſingulos eam debet. 14.13.*p*.96. Quæ eleemoſyna ſit tribuenda pro Bulla defunctorum? 36.6.*p*.448

Eleemoſyna pro votorum commutatione per Bullam præſtanda quò deferenda ſit? 38.62.487. Eleemoſyna congeſta ex Bullis, ac gratiis in quo ſit inſumenda? *ibi à n*.75.490

Eleemoſynæ per fictionem adquiſitæ quando reſtitui debeant, aut poſſint per Bullas componi? 34.*à* 169.*p*.424. Ius petendi illas ab Ordinario obtentum poteſt quis alteri locare. *ibi n*.175.*p*.425

Emptor.

Emptor tenetur manifeſtare rei exceſſum, quem venditor ignorat. 34.219.*p*.433

Enſalmus.

Enſalmorum curatio an ſit incantatio, & quid ſit? *diſp*.24.*n*. 3.*p*.207

Epiſcopus.

Epiſcopi Confeſſor quis eſſe poſſit? *d*.22.*n*.16.*p*.150. Epiſcopus negans Regularibus approbationem abſque cauſa peccat. Nec eſt cauſa multitudo Confeſſorum. 22.44.*p*.156. Epiſcopo reſeruata peccata. Vide *Abſolutio.*

Epiſcopus, niſi prohibeatur, poteſt concedere Bullam ſimilem Cruciatæ in aliquibus.*d*.1.*nu*.24.*p*.16. An committeret ſimoniam, aut peccaret, ſi in ea Bulla iniungeret eleemoſynam ad ſui ſuſtentationem, aut in aliis diſpenſationibus? *ibi à num.* 31.*p*.18.

Epiſcopus abſoluere poteſt habentem reſeruata Pontifici, ſi hunc adire nequeat, cum onere adeundi; quod onus puer non habet. Et an poſſit Parochus abſoluere à reſeruatis Epiſcopo, ſi adiri nequeat? 23.30.*p*.182

Epiſcopis qui caſus fuerint olim reſeruati? 23.34.*p*.183. De facto nulli nunc reſeruantur, niſi ad ipſorum placitum. 36. Epiſcopi à quibus caſibus abſoluere queant? *ibi à* 65.*p*.189.

Epiſcopus nequit concedere indulgentias, niſi de pœnitentiis iniunctis: ſic verò Pontifex. 6.11.*p*.54. Non competit ei de iure diuino poteſtas eas concedendi. Et tamen poteſtas officiò annexa, ordinaria, & delegabilis. *ibi* 17.*p*.56

Epiſcopi non comprehenduntur ſub cenſuris in iure latis, ſi non exprimantur 25.126.*p*.280. Epiſcopi poteſtas circa votorum relaxationem. 26.99.*p*.304

Epiſcopus debet examinare indulgentias, ante publicationem 29.7.*p*.342. Diſpenſare poteſt in impedimento proueniente ex copula cum cognata ſpirituali, vt coniux debitum petat. 37.97.*p*.470. Et vt petat, qui copulam habuit cum conſanguinea vxoris in primo, & ſecundo gradu. *ibi* 95.*ibid.*

Epiſtola.

Epiſtolarum apertio quas ſuperior Regularis ad inferiores ſcribit, aut è contrà, quando ſit peccatum reſeruabile contentum in Bulla Clementis Octaui? *d*.24.*nu*.49.*p*.214

Eques.

Equites euntes, etiam ex præſcripto Regis, ad bellum contra infideles, aut mittentes propriis expenſis alios, indulgentias, & Bullæ alia priuilegia obtinere poſſunt. 7.6.*p*.73. Vide *Militares Equites.*

Euchariſtia.

Euchariſtia an virtute Bullæ poſſit à quouis accipi, etiam tempore interdicti. *d*. 15.*à n*.39.*p*.105. Eam miniſtrare quilibet ſimplex Sacerdos poteſt, dum non miniſtret per modum Viatici.*ibi*. Eam ſumere ex deuotione

Digitized by Google

tione licet in quavis Eccleſia in die Paſchatis,adhuc ſine Bulla.*d.16.à n.*10.*p.*110.

Euchariſtiam per modum Viatici è ſola propria Parochia licet miniſtrare.*ibi.n.*12.*ibid.*

Excommunicatio. Excommunicatus.

Excommunicationis definitio, diuiſio, effectus,& ſubiectum. *d.* 25. *à nu.*8.*p.*259.Excommunicato quid præſtandum poſt mortem? *ibi n.*26.*p.*263

Excommunicationes Bullæ Cœnæ recenſentur.*d.*25.*n.*46.*p.*267. Item excommunicationes reſeruatæ Pontifici in Iure Canonico,& aliis in Bullis,ac Decretis.*ibi à nu.*59.*p.*270.

Excommunicatus ſolùm pro foro externo, ſi celebret,non fit pro foro interno irregularis.*d.*25.*n.*142.*p.*284 Qui obit excommunicatus,quomodo,à quo,& an virtute Bullæ ſit abſoluendus? *d.*27.*à n.*42.*p.*337

Excommunicationes latæ à Pontificibus in fauorem Cruciatæ proponuntur. *d.*38.*à n.*21.*p* 478.

Excommunicatio promulgata vt omnes aſſiſtant concioni in publicatione Bullæ, non eſt latæ ſententiæ.*d.*38.*nu.*39.*p.*482. Vide *Cenſura.* Quas gratias obtinere poſſit excommunicatus? 4.13.*p.*46

Exemptio.

Exemptio à reſeruatione caſuum quid ſit, & quotupliciter contingere queat? *d.*24.*à n.*81.*p.*223

Expenſæ.

Expenſæ præſtandæ militi miſſo ad bellum, vt indulgentia plenaria Bullæ obtineatur. 7.14.*p.*75

Exterus.

Exteri per Hiſpaniam tranſeuntes, aut pro Bulla accedentes,poſſunt gaudere pluribus eius priuilegiis,adhuc in ſuis locis, in quibus Bulla non valet. *d.*3.*à n.*12.*p.*42

F.

Faber lignarius.

FAber lignarius quando ad reſtitutionem teneatur,& poſſit vti Bulla compoſitionis? 35.25.*p.*337

Facultas.

Facultates iuri communi inſertæ, & vim habentes conſuetudinis non ſuſpenduntur per Bullam Cruciatæ.*d.*29.*à num.*10. Vide *Gratia,* & *licentia.* Facultates Commiſſarij Cruciatæ. 37.*à n.*1.*p.*452

Falſificatio litterarum.

Falſificatio manus,aut ſigilli in litteris,quando detur? *d.*24.*n.*45.*p.*213

Familiares, & famuli.

Familiares,ac famuli eius, qui habet Bullam, poſſunt Miſſam, & diuina Officia audire tempore interdicti, ac quomodo? 15.10.*p.*96.Qui dicantur familiares,& famuli? *ibi.*

Feſtum.

Feſtis diebus poſſunt milites virtute Bullæ belli negotiis incumbere.*d.*13.*à n.*7.*p.*93.A feſti obſeruatione,quid excuſet? *ibi* 8. Quid ab auditione Miſſæ? 10.*p.*94

Fideicommiſſum.

Fideicommiſſa, quorum dominus non inuenitur, poſſunt per Bullas componi. *d.*34.*n.*64.*p.*406

Filius familias.

Filij familias quantum, & in quibus caſibus poſſint amittere in ludo? 34 *n.*160.*p.*422

Fiſcalis.

Fiſcalis accipiens aliquid pro actione iniqua an reſtituere debeat,& indigeat compoſitione per Bullas?*d.*34.*à n.*112.*p.*414.In quibus peccet, & ad quid teneatur Fiſcalis in ciuilibus, ac in criminalibus, & Fiſcalis ſanctæ Inquiſitionis? *ibi à n.*119.*p.*415

Fiſcales ſanctæ Inquiſitionis non debent erogare octo argenteos pro Bulla Cruciatæ communi,ſicut inquiſitores.*d.*14.*n.*14.*p.*97

Fœmina.

Fœmina occultè impudica quid, & à quibus poſſit accipere pro turpi actu? an teneatur reſtituere? Quid, ſi ſit publicè impudica, aut coniugata?*d.*34.*à nu.*199.*p.*429. Vide *Meretrix.*

Fœtus.

Fœtus quando animetur, ita vt procuratio abortus ſit homicidium? 24.44.*p.*213

Forum.

Forum quotuplex ſit in ordine ad res morales? *d.*25.*n.*183.*p.*286

Furtum.

Furtum è rebus Monaſterij contentum in Bulla Clementis Octaui, quando committatur?*d.*24.*à n.*28.*p.*208.Furtum graue ex circunſtantia, & non ex ſe non comprehenditur in reſeruatione.*ibi n.*31.*p.*209. & 35.*p.*210. Nec furtum materiæ paruæ repetitum, etſi accedat ad peccatum graue. *n.*32.*ibidem*

Furtum quomodo conſtituatur ex repetita modicæ quantitatis vſurpatione? 24.32.*p.*210. Quæ quantitas ſufficiat ad furtum graue? *ibi* 33.*ibid.* Etſi Religioſus filio comparetur, ea quantitas ablata è Monaſterio ſufficit ad furtum graue,quæ ſufficeret, ſi ſurriperetur ab alio.*n.*34. Furtum inter filios, & patrem, in qua quantitate ſit lethale? *ibi.*

Furtum eſculentorum in Religione, quando ſit lethale,& reſeruatum?24.35.*p.*210.Furtum,& proprietas reſeruata quando committatur per vſum, donationem, & ſimilia? *ibi à n.*36.*p.*211

Furto, aut via iniuſta adquiſitam pecuniam erogans pro Bulla, non gaudet eius priuilegiis. *d.*4 *n.*6.*p.*44

G.

Gratia.

GRatiæ expirant, elapſo termino, pro quo conceduntur.*d.*2.*n.*24.31.Gratia facta ad beneplacitum concedentis pro tempore determinato, non expirat, eo mortuo intra illud tempus.*ibi n.*30.23.Nec expirat,etiam ſi fiat à concedente nomine perſonæ, non dignitatis. *ibidem*

Gratiæ ab Epiſcopis conceſſæ, & ab aliis inferioribus Prælatis,non ſuſpenduntur per Bullam Cruciatæ.*d.*29.*à n.*13.343. Gratiæ cæteræ,præter conceſſas Ordinibus Mendicantibus quoad Regulares, ſuſpenduntur:niſi accipiatur Bulla,qua reualidantur. *ibi* à *n.*1.341.*&* 6.342

Gratiæ ſuſpenduntur tempore,quo Bulla durat,non autem eo tempore, quo vltra annum publicatio differtur.*ibi à n.*4.341.ſuſpenduntur autem gratiæ, dum Bulla durat, etiam poſt ipſius publicationem conceſſæ. *ibi* 21.349

Gratiæ conceſſæ Ordinibus non Mendicantibus,qui participant priuilegia Mendicantium, non ſuſpenduntur per Bullam.*d.*29. *à nu.*46.353. Sic verò conceſſæ vni Religioſo:non autem Religionibus Mendicantibus indultæ quoad eorum Fratres,& qui ſint hi? *ibi à n.*37.352.*&* 42.353.

Gratiæ, quæ ſe habent diſparate ad gratias conceſſas in Bulla non ſuſpenduntur.*d.*29. *à n.*32.251.Nec Gratiæ, ac priuilegia conceſſa Regularibus ad abſoluendum ſæculares,& ad ſimiles effectus: nec ſæculares indigent Bulla, vt obtineant ea indulta.*ibi à nu.*63.356.

Gratiæ ſtatus.

Gratiæ ſtatus non requiritur, vt quis Bullam accipiat, & priuilegiis fruatur præter indulgentias viuorum. *d.*4.*à n.*1.43

Gubernator.

Gubernator Senatus, ſi non ſit Præſes, quam eleemoſynam ſit pro Bulla erogaturus? 14.15.97

H.

Hæreſis. Hæreticus.

HÆreſis merè interna non eſt reſeruata. *d.*23.*n.*11.178.Hæreſis quid, & quotuplex? *ibi* 77.192.89.194. Merè interna non habet excommunicationem annexam,& quilibet Confeſſarius poteſt ab illa abſoluere.*n.*77.192.Ab externa,etiam occulta,non poteſt,nec virtute Bullæ.*ibi.* An poſſit Epiſcopus in Hiſpania? *à n.*78.*ibid.*

Hereſis vt detur, requiritur pertinacia cum ſcientia.*d,*23.*nu.*89.194. Nec ab apoſtaſia poteſt virtute Bullæ abſolui, & quid ſit apoſtaſia? *ibidem*

Hæreſis materialis non eſt propriè hæreſis, nec reſeruatur abſolutio ab illa. *d.*23.*n.*90.194.Purè externa non eſt reſeruata,& reputatur in ordine ad abſolutionem materialis.*ibi.* Sed eius cognitio pertinet ad Inquiſitores Fidei,& incidens in illam reputatur hæreticus. *ibidem*

Hæreſis vt ſit externa, quid requiratur? 23. 91.195. Hæretici poſſunt aliquibus Bullæ priuilegiis gaudere.4.14.46.Hæreticos libros qui legunt, vbi Bulla Cœnæ non eſt acceptata,non incidunt in eius excommunicationem.*d.*25.*n.*50.268.Nec,vbi eſt acceptata, incidit in illam idiota non intelligens librum,quem legit. *ibi.*51.*ibidem*

Hæretici libri an comburi poſſint ab habente illos:& an ab eo poſſint tradi illi, qui licentiam legendi ipſos habet? 25. 51. 268. Audiens eos libros an contrahat excommunicationem Bullæ Cœnæ? *ibi* 52. 269.legens, aut imprimens epiſtolam hæretici continentem hæreſim, non incidit in eam excommunicationem. 52.*ibid.* Sic verò,qui legit librum hęretici non tractantem de Religione, ſed continentem hæreſim: aut librum Catholicum cum copioſis commentariis hæretici. 53.*ibidem*

Hæreticus non eſt, qui legit librum hæreticum non animo heretico.*diſp.*25.*n.*54.269. Quantum ſit legendum libri hæretici, & quantum tempus liber ſit retinendus, vt excommunicatio contrahatur? *ibi* 55.*ibid.*

Hæreticorum fautores, ac receptores, dum hæretici non ſint, abſolui poſſunt virtute Bullæ Cruciatæ. *d.*25.*n.*56.*ibidem*

Hæreticus occultus non eſt irregularis. 37. 77.467.Si ſit irregularis,poteſt cum eo diſpenſare Epiſcopus.*ibi.*80.*ibid.* In irregularitate, quam hæreticus publicus contrahit, nequit diſpenſare Commiſſarius Cruciatæ.70.466.Sic verò. Inquiſitores Fidei.79. 467

Homicidium.

Homicidiũ caſuale quod dicatur? 37.67.465. Ex omnino caſuali non oritur irregularitas, ſic verò ex caſuali indirectè volito.*ibi* 66.*&* 68.Vide *Irregularitas.*

*Hora Canonica.*Vide *Officium diuinum.*

I.

Idololatra.

IDololatra ſolùm externus incidit in excommunicationem non reſeruatam.23. 90.194

Ieiunium.

Ieiunare non tenetur,qui carnibus veſci poteſt die ieiunij. 17.2.112. Ieiunium voluntarium ad obtinendam indulgentiam in Bulla conceſſam quale requiratur? 19.*à num.*2.122

Digitized by Google

Ieiunij præceptum quas perſonas non obliget? d.13. à num.1.92. Non obligat artifices, officiales, fœminas grauidas, nutrices, & ſimiles; nec concionatores, magiſtros,ac muſicos;ſed cum limitatione. ibid.

Ieiunij lex vigens in loco, ad quem viator accedit, ſi exiuit è loco, in quo non vigebat, non obligat illum. 13.2.92. An poſſit quis abſque neceſſitate fatigari eo fine, vt à ieiunio deobligetur: ibi.

Ignorantia.

Ignorantia reſeruationis, quid operetur? Vide *Reſeruati caſus.*

Impedimenta matrimony.

Impedimentum affinitatis ex copula illicita an, & quomodo à Commiſſario Cruciatæ diſpenſari queat? diſp.37. à n.86.468. Impedimentum inceſtus an nunc vigeat? ibi n.96.470

Impubes.

Impuberum peccata reſeruabilia ſunt. d.23. n.16.179

Incantatio.

Incantatio quid ſit, & quomodo in Religionibus ſit reſeruabilis? d.24.n.23. 207

Indulgentia.

Indulgentiæ ſunt amplè interpretandæ. d.1. à n.49. 23. Indulgentia partialis in Bulla conceſſa qua oratione, & ieiunio obtineatur? d.19. à n.1. 122. Ad indulgentias obtinendas quænam, & quota oratio requiratur? Vide *Oratio.*

Indulgentia partialis in Bulla conceſſa, non eſt ſolùm de pœnitentiis iniunctis. 19.17. 126. Indulgentiæ ſtationum origo. Vide *Stationes.* Quæ conceduntur in Bulla viſitantibus quinque altaria, ſunt plenariæ. d.20. à n.1. 129

Indulgentiæ plures nunc conceduntur à Pontificibus, quam olim, & quare? 20. 6. 130

Indulgentia ſtationum applicari pro defunctis poteſt, ſed non ſimul pro ſe, niſi cum id exprimitur in Bulla. 20.8.131. Poteſt autem toties quoties ipſa die applicari defunctis.ibi num.9. ib. Et pro vno defuncto in ſpeciali, aut pro pluribus determinatè, vel indeterminatè. 10. ibid. Quomodo vnica altarium viſitatione duæ animæ à Purgatorio poſſint liberari? ibi.

Indulgentiæ conceſſæ per diuerſa indulta, aut diuerſis granis, requirentes idem opus vnico opere nequeunt omnes obtineri. d.20. à n.12.132

Indulgentiæ, quæ ſunt in Eccleſiis Romæ, niſi ſint indulgentiæ ſtationum, non obtinentur per Bullam. 20.16. 133. Nec per eam obtinetur ſingulis diebus totius anni indulgentia plenaria; ſed plenaria, vel partialis: & recenſentur dies, quibus plenaria obtinetur. ibi à n.17

Indulgentiæ, quæ ſunt Romæ, recenſentur. 20.20. 134. Non eſt ibi quotidie indulgentiá plenaria ſtationum. n.24. 135

Indulgentiarum publicatio debet inniti ſolido fundamento. 20. 21. 134

Indulgentia plenaria ſtationum vt obtineatur per Bullam, non eſt neceſſe viſitare quinque Eccleſias, ſed quinque altaria. Et ſufficit vnum quinquies, ſi eſt ſolum in Eccleſia, etiam ſi in eo oppido ſint aliæ Eccleſiæ, ac plura altaria. 20. à 34. 137. Sufficit viſitare Oratorium. ibi num. 33. & 42.139. Et Eccleſiam non benedictam, fundatam Epiſcopi authoritate: & Eccleſiam violatam, pollutam, ac interdictam. ibi 34

Indulgentia vt obtineatur, quando requiritur viſitando Eccleſiæ, non eſt neceſſe, viſitare altare præcipuum, ſufficit quodcumque. d.20. num. 35. 137. Ad indulgentiam ſtationum ſat eſt, viſitare quinque in Eccleſiis diuerſis, etiam ſi altare præcipuum non viſitetur. ibi. Altare viſitandum debet eſſe approbatum, vt in eo Miſſa celebretur, quamvis non habeat aram. à n.36. 138. Si in Eccleſia nullum ſit altare, ſufficit, eam viſitare. n.38. ibid.

Indulgentia ſtationum vt obtineatur, ſi in Eccleſia ſint quinque altaria, non ſufficit viſitare vnum in ipſa quinquies. d. 20. n.39. 138. Si ſint duo altaria, viſitanda ſunt, & repetito, donec quinaria viſitatio compleatur. ibi.

Indulgentiam plenariam, quam obtinent mittentes, & euntes ad bellum in ſubſidium Cruciatæ, poſſunt applicare defunctis. d.12. à n.1. 88

Indulgentia pro defunctis eſt infallibilis. d.12. n.8. 89. Debet concedi medio opere viuorum. Si cauſa eſſet, poſſet abſque illo. ibi 7. Conceſſa pro anima Purgatorij poteſt ab applicante pluribus applicari, & leuabuntur, non liberabuntur. ibi 13. 91

Indulgentiæ ſtationum vt obtineantur, ſufficit viſitare altaria qualibet hora diei, vel noctis. 20.43. 139. Non eſt opus ad viſitationem, mouere corpus, aut caput; ſed ex vno loco poſſunt quinque altaria viſitari. ibi à n.46. 140. Requiritur præſentia moralis. 48. 141. Si ea detur, ſat eſt, viſitare Eccleſiam à foris. Non tamen datur, ſi ianua ſit clauſa, & quando detur? 41. ibid. Altarium viſitatio poteſt interrumpi, & fieri diuerſis horis eiuſdem diei. à n.52. 142

Indulgentiæ nequeunt applicari pro defunctis

ctis catechumenis, nec pro his, qui ante Chriſtum D. obierunt. *d.4.n.10.45*
Indulgentia conceſſa proficiſcentibus ad bellum per integrum annum in Bulla quo tempore obtineatur, & an toties quoties? *d.5.à n.6.* 51
Indulgentia quid ſit? *d.6. à n.2.* 52. Eius diuiſio. *n.5.* 53. Plena, plenaria, & pleniſſima, non differunt. *ibi.* Indulgentia tot annorum, aut dierum quid ſit? *ibi n.7. &* 11. 54. Indulgentia de pœnitentiis iniunctis non extenditur ad pœnas peccati non manifeſtati in confeſſione. *num.9. ibid.* Indulgentia à culpa, & à pœna, quid ſignificet? *n.12.* 55
Indulgentia plenaria non eſt idem cum Iubilæo. *d.6.n.13.* 55. Indulgentiam ſibi obtinens debet eſſe in ſtatu gratiæ. *n.14. ibid.* Dum ſcilicèt vltimum opus ad illam requiſitum exequitur. 15. 56
Indulgentias qui, & quas concedere poſſint? *d.6. à n.16.* 50. Non poſſunt Conſilium, Capitulum Sede Vacante, Vicarius Epiſcopi, Prælatus Regularis, Abbas gaudens iuriſdictione quaſi Epiſcopali. *d.6. à n.17. ibid.* Ad indulgentiæ valorem requiritur cauſa, & quæ? *à n.22.* 57. Valida erit, etſi concedatur ob finem extrinſecum prauum. *ibi.*
Indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant, & infallibilem habent effectum, ſi adſint requiſita. 6.26. 58. Indulgentia quomodo ceſſet? *ibi à n.27. ibid.* Indulgentia affixa grano cum poteſtate ſubſtituendi aliud, ſi amittatur, ſubſtituto hoc, ſi primum compareat, primo adhæret ea indulgentia. *ibidem*
Indulgentia conceſſa initio Bullæ accipientibus ipſam eſt plenaria. 6.29. 58. Plenaria non datur maior vna, quam alia. *ibi* 30. 59. Vt obtineatur indulgentia, ſat eſt, in ſtatu gratiæ exiſtere, cum opus vltimum adimpletur, etſi alia requiſita peragãtur in ſtatu peccati lethalis. *n.37.* 60. *& à n.46* 62
Indulgentia conceſſa confeſſis non obtinetur, niſi fiat confeſſio ante vltimum requiſitum, & poſt confeſſionem non peccetur lethaliter: aliàs erit neceſſaria ſecunda confeſſio. 6.40. 60
Indulgentiæ obtinendæ, mediis requiſitis non poſitis adhuc inculpabiliter, non obtinentur. *d.6.n.43.* 61. *&* 45. *ibid.* Indulgentia concedi poteſt abſque opere iniuncto, & aliquando conceditur. *ibi* 44. *ibid.* Indulgentiæ nihil lucratur, qui partem mediorum apponit, & non omnia: totam vero obtinet, qui paruitatem relinquit. *n.45. ibid.*
Indulgentia plenaria initio Bullæ conceſſa quod opus, tamquam vltimum requirat, & quod aliæ indulgentiæ? *d.6. à n.51.* 63
Poteſt obtineri indulgentia exequendo opera aliàs debita. *n.57.* 64. Indulgentia indefinitè conceſſa pro viuis, aut defunctis toties quoties obtinetur, veluti indulgentia ſtationum. *à n.62.* 66.
Indulgentiam plenariam qui obtinet, liber manet ab adimplendis pœnitentiis ſibi in confeſſione iniunctis. *d.6.n.69.* 67. *& ſeq.*
Indulgentiam plenariam qui, quomodo, ac quoties mittentes ad bellum milites lucrentur? *d.7. à n.1.* 72. Vt obtineantur indulgentiæ ſtationum, & ſimiles, non eſt opus, aſpicere altaria. 20.31. 136. Indulgentiarum ſuſpenſio. Vide *Gratia.*
Indulgentia plenaria in Bulla conceſſa ſemel in vita quomodo ſit applicanda? *d.27. à n.1.* 327. In articulo mortis quando? *ibi n.2. ibid.* An conditione quadam applicari poſſit reſeruando eam ad verum articulum mortis? *ibid.* Formula applicandi ſufficit quælibet, etiam mentalis. *n.3.* 328. Quid præſtandum, ſi ex alio priuilegio queat moribundo alia indulgentia applicari? *n.4. ibid.*
Indulgentia nuper poſita non obtinetur, ſi deſit intentio in applicante. *d.27.n.5.* 328. An neceſſario ſit eam applicaturus Confeſſarius? *à n.6. ibid.* Poteſt fieri applicatio extra confeſſionem. *à n.12. ibid.* Et applicari poteſt abſenti. *num.15.* 330. Et ignoranti, qui tamen virtualiter poſcat applicationem. *n.17.* 331. Ac ei, qui peccauit ex confidentia Bullæ, aut fuit negligens in annua confeſſione. *n.21.* 332. Necnon ei, qui exiſtebat in lethali, cum accepit Bullam. *n.23. ibid.*
Indulgentia plenaria per Bullam conceditur abſque applicatione decedentibus in ſtatu gratiæ, dum ex confidentia Bullæ non fuerint negligentes in annua confeſſione. *d.27. à n.36.* 335. Exponitur confidentia, & negligentia. *ibi.*
Indulgentia pro defunctis conceſſa altari priuilegiato ſuſpenditur, & reualidatur per Bullam Cruciatæ. *d.29. à n.25.* 345. Eſt neceſſaria Bulla celebranti in illo, vt liberet animam à Purgatorio. *ibi n.30.* 350. *& ſequent.*
Indulgentia pro defuncto, vt applicetur per Bullam defunctorum, aut per aliud medium, non eſt opus, exiſtere in ſtatu gratiæ. *d.36. à n.10.* 448. Indulgentias pro defunctis ſolus Pontifex concedere poteſt. *ibi à n.17. p.*450

Infamis.

Infamis eſt ipſo iure irregularis. *d.37. n.75. &* 78. 467

Infans.

Infantes, & amentes tempore interdicti nequeunt

Digitized by Google

nequeunt donari ſepultura Eccleſiaſtica ſine Bulla Cruciatæ. Nec Clerici cum pompa funerali. d.15.n.48.107

Infantes poſſunt ad aliquos vſus Bulla Cruciatæ potiri. 4.12.46

Innocens.

Innocens, ſi iudicatur, cauſam dediſſe interdicto, pro foro externo debet gerere ſe tanquam interdictum. 15.16.101

Intentio.

Intentio accipiendi Bullam non ſufficit ad fruendum eius priuilegiis. d.2.n.2.25

Interdictum.

Interdictum quid ſit, quotuplex, quos effectus habeat, reſpectu quorum? quid liceat tempore illius circa Sacramenta, & alia? d.15.à n.1.98. In quo differat à ſuſpenſione, & excommunicatione? ibi. Quis poſſit illud ferre? n.4. ibidem

Interdicto generali Regulares, & Clerus non interdicuntur, poſſuntque celebrare in Eccleſiis in quibus poterant tempore non interdicti; ſed quibus circunſtantiis? n.15.3.98. ſumere vt laici. n.4.ibid.

Interdicti tempore quæ Sacramenta, & quibus conferri queant? 15.4.98. Ab interdicto exempti ſunt infantes, & amentes? n.6. 99. In Eccleſia ſpecialiter interdicta poteſt ad renouandam Euchariſtiam vna Miſſa celebrari ſingulis hebdomadis. ibi. Interdicti tempore quæ ſepultura Clericis concedatur? num. 7. ibid. Clericorum nomine veniunt primò tonſurati, niſi ſint coniugati, aut bigami. ibi. Interdicta lata in iure recenſentur. 25.à 122. 279

Interdictum violare eſt peccatum lethale. 15.8.99. Interdicti tempore poſſunt habentes Bullam audire Miſſam, & diuina Officia, etiam in Eccleſia ſpecialiter interdicta, & cum eis famuli, & familiares, & quinam horum nomine contineantur? ibi num. 10. 100. & 36. 105. Item conſanguinei, vir, aut vxor, non tamen affines. à num. 11. 100. Nec diſcipuli cum magiſtro habente Bullam, ſic verò pædagogus cum hero. num.14.101. Sacerdotes Bullam habentes coram famulis, familiaribus, ac conſanguineis celebrare queunt. num.15. ibid.

Interdicto qui dedit cauſam, aut per quem ſtat, ne tollatur, nequit vti priuilegiis Bullæ circa interdictum: & quinam illi ſint? 15.16.101

Interdicti tempore habens Bullam tenetur audire Miſſam diebus feſtis. d.15. à n.20. 102. Tenetur etiam, ſi votum emiſit audiendi illam diebus non feſtis. ibi. Item tenentur familiares, & famuli, ac conſanguinei habentis Bullam: ſi poſſint cum eo aſſiſtere Miſſæ. n.60. 24. Quæ omnia non ſunt onus, ſed fauor. n.34. 104

Interdicti tempore quæ Sacramenta liceant per Bullam? 15. à n.35. 105. An liceat eo tempore, quod aliundè ab Eccleſia prohibetur? 38. ibid. Interdicti tempore ſepultura Eccleſiaſtica conceditur ei, qui Bullam habebat, & qua pompa funerali? à n.46. 107. Per Bullam quid liceat circa ablationem, & abſolutionem ab interdicto. 25. à 112. 277. & 27. 40. 266

Interdicti tempore poſſunt Clerici de iure communi, & laici virtute Bullæ ſepeliri in Eccleſia ſpecialiter interdicta. d. 15. n.49. 107

Interdictum à quovis iudice latum ſuſpenditur à Commiſſario Cruciatæ tempore publicationis Bullæ: & per quot dies? d.30. à numer. 1. 358. & d.37. à num. 18. 456. Si publicatio fiat in diuerſis Parochiis loci, quo pacto ſuſpendatur in ſingulis? d.30. num.6. 359. Non ſuſpenditur vlla excommunicatio. ibi à numer. 7. Interdictum perſonale, niſi ſit generale, non ſuſpenditur. ibi à n.10. 360. & d.37. num.19.456. Quis poſſit ab interdicto abſoluere, & illud tollere? 25. à 32. 439

Interdictus ingreſſus in Eccleſiam quid ſit? d.37. à n.26. 458. Vide *Cenſura*. Forma tollendi, & abſoluendi ab interdicto. 25. à 119. 278

Interpretari. Interpretatio.

Interpretatio quid ſit, & quotuplex? d. 1. à n. 35. 19

Interpretatio legiſlatoris, & conſuetudinis vim habet legis. n.36. 19. Interpretari leges & Bullam Cruciatæ doctrinaliter poſſunt viri docti. à n.37. ibid.

Interpretationis Tridentini, & ſimilium prohibitio explicatur. d.1. à n.38.20

Interpretanda ſunt amplè priuilegia Bullæ, & Iubilæi. 1. 46. 22. Interpretandum eſt ſtrictè priuilegium prouidendi beneficia, ſi perſonæ exprimantur, ſecùs, ſi non exprimantur. n.48. 23

Interpretatio textus *in cap. Non ſanè.* 14. q.5. d.34.n.103. 413

Irregularitas.

Ab irregularitate, quæ eſt purè pœna, in ſententia aſſerente eſſe cenſuram, poteſt abſolui, ſi ſit occulta, toties quoties virtute Bulæ. 23.76. 191. Irregularitatem non incurrunt Clerici in Bello iuſto hortantes ad præliandum milites, ſecùs in iniuſto. d.10. à n.14. 84

Irregularitas quid ſit, an de iure diuino? 10. 1. 81. Eius diuiſio, & quis in ea diſpenſare valeat? à n.2. 82. & 25. 34. 265. Cauſæ excuſantes ab irregularitate defectu leuitatis.

Digitized by Google

lenitatis. n.9. ibid. Quinam, & quomodo hanc contrahant? n.8. ibid. Irregulares non fiunt Iudices Eccleſiaſtici, cum tradunt reum brachio ſæculari. ibi.
Irregularitatem in bello qui, & quomodo incurrant? d.10.n.12. 83
Irregularitas non eſt cenſura. 25.7.259. Nulla tolli poteſt per Bullam Cruciatæ, ibi à n.192..... Irregularitates, in quibus poteſt Commiſſarius Cruciatæ diſpenſare pro foro externo, etiam cum Regularibus exponuntur. d.37.n.38. 460. & 46.461
Irregularitas ex celebratione Officiorum diuinorum quando incurratur? d.37. à n.52. 463. Irregularis nequit obtinere beneficium, nec facit fructus ſuos. ibi 55. ibid. In irregularitate orta ex mutilatione poſſunt Commiſſarius Cruciatæ, & Epiſcopi diſpenſare. 59. 464
Irregularitas ex bigamia declaratur: ac quid, & quotuplex ſit bigamia? d.37. à n.62. 464. In irregularitate ex homicidio caſuali poteſt Epiſcopus pro foro interno diſpenſare. ibi n.68. 465. Pro vtroque foro poteſt Commiſſarius Cruciatæ. 69. 466
Irregularitas an contrahatur ex homicidio omnino occulto; & ex cauſa præſtita abortui, ſi dubitetur, vtrùm ſit animatus fœtus? d.37. n.70. 466
Irregularitates quænam contrahantur ex mala Ordinum ſuſceptione? d.37.81.467. Ferè nulla contrahitur, ſed potiùs ſunt ſuſpenſiones. ibi. Et ab eis poteſt abſolui virtute Bullæ Cruciatæ. n.84. 468

Itinerantes.

Itinerantes equitando, aut in curru, vel lectica, an, & quando deobligentur à ieiunando? d.13. à n.3. 92

Iubilæus.

Iubilæus duplicis hebdomadæ poteſt in ſecunda obtineri die Sabbati, quamvis antecedenter quis non habuerit intentionem obtinendi, commutandaque ſunt ieiunia. 23.29. 182. An poſſit in vtraque hebdomada obtineri? ibi, & 6. 61. 66. Vtrùm in illo poſſit commutari confeſſio, & communio? ibi. In ipſa hebdomada poſt peractam confeſſionem nequit abſolui quis virtute Iubilæi à reſeruatis commiſſis poſt confeſſionem. ibid.
Iubilæus amplè eſt interpretandus. d.1. n.46. 22. Eius vox, & origo. d.2. n.46. 36. Iubilæus anni ſancti non derogat Bullam Cruciatæ. d.2. cap.7. 27. Quæ priuilegia derogет? an Religionum Mendicantium? ibi n.47 36. & 53. 36
In Iubilæo duplicis hebdomadæ ſufficit ieiunium aliàs debitum. d.19. n.3. 122. & 14. 125
Iubilæus quid addat ſupra indulgentiam plenariam? 6.13. 55
Iubilæi virtute poſſunt Regulares abſolui à reſeruatis per Confeſſarium approbatum à ſe electum. d.24. à n.154. 243. Et an hic Confeſſarius debeat eſſe approbatus ab Ordinario? n.159.244. Regulareſque valent eligere Confeſſarium, etiam ſæcularem, adhuc inuitis Prælatis, qui peccant, ſi electionem impediant. à n.160. ibid.
Iubilæi formula tranſcribitur. 24.156. 243. In Iubilæo anni ſancti, & aliis, qui latè Iubilæi dicuntur, non datur facultas eligendi Confeſſarium. num.164. 245. Per Iubilæum, ſtrictè talem, datur circa votorum commutationem eadem facultas, ac per Bullam Cruciatæ. 26.58.296
Iubilæus duplicis hebdomadæ abſque Bulla obtineri poteſt. d.29. n.8.342. & 20. 344. Vide *Indulgentia*, & *Bulla Cruciatæ*.

Iudex. Iudicium.

Iudices Nobilitatis, Hiſpanè *Alcaldes de hijoſdalgo*, & Iudex maior Cantabriæ non tenentur erogare pro Bulla eleemoſynam, quam tenentur Senatores. 14.12. 96
Iudicium legitimum quod ſit? d. 24. n.40. 212. Iudex Ordinarius, & delegatus quid ſint, & qua poteſtate fungantur? 37. 13. 455
Iudex tenetur reſtituere, quæ accepit pro ſententia iuſta ferenda. 34. à num. 79. 409. non pro iniuſta ferenda. n.81. ibid. Dona præſtita poſt ſententiam latam poteſt ſibi retinere: & etiam munuſcula conceſſa ante ſententiam, vbi id Reſpublica permittit. ibi.
Iudex aliquid accipiens pro iniuſtitia gerenda an debeat illud reſtituere, & indigeat compoſitione per Bullas? d.34. à num.90. 410. Tenetur reſtituere parti læſæ damna, nec de eis componi valet, niſi ſint incerti domini. n.91.411
Iudex, & quilibet alius accipiens aliquid pro iniuſta actione tenetur id reſtituere danti ante actionem exercitam. d.34.n.100.412. & 110.414. Iudex negligens in iudicando, & condemnando non tenetur fiſco reſtituere. n.101. ibid. Iudex quare nequeat pretium pro ſententia accipere, cum poſſit aduocatus pro patrocinio? 103. ibidem
Iudex an, & in quibus caſibus, & quo iure poſſit aliquid accipere? d. 34. à num.130. 417. Quando reſtituere teneatur, aut componi per Bullas poſſit? ibi à num.132. Etiam ſi componatur, debet pretium iterùm reſtituere, ſi in iudicio damnetur. 136. 418
Iudex Eccleſiaſticus nequit componi per Bullas de pretio ſimoniacè accepto in cauſa ſpirituali. 34. 138. 418

Iuramen

Digitized by Google

Iuramentum.

Iuramenta amphibologica ex cauſa non poſſunt reſeruari in Religione. 24. 42. 212

Iuramenti diſpenſatio competit ei, cui competit diſpenſatio in voto. 26. 31. 292. Iuramenta, & vota iurata commutare poteſt, qui poteſt vota, etiam ex priuilegio. *numer.* 51. 296

Iuramenta commutari poſſunt virtute Bullæ Cruciatæ, exceptis materiis reſeruatis. *d.* 26. *à n.* 63. 297. Non verò, ſi ſint in fauorem tertij iam acceptata, niſi per vim, aut dolum fuerint extorta. *ibi n.* 95. 303. Commutanda ſunt partim in ſubſidium Cruciatæ. *n.* 71. 298

Iuramentum à captiuo iniuſtè detento factum redeundi, aut mittendi pretium, ſi eat in patriam, nequit per Bullam commutari. 26. 73. 299. Promiſſorium ante acceptationem non obligat in conſcientia. 74. *ibid.* Iuramentum de ſoluendo vſuras obligat, ſed poteſt per Bullam commutari. 75. *ibid.* Si acceptans promiſſorium cedat, relaxatur. 77. 300. Iuramentum falſum in iudicio exponitur. 24. *n.* 40. 212

Iuramenta promiſſoria accceptata, adhuc facta infideli, poteſt Pontifex relaxare. *d.* 26. *à num.* 78. 300. Iuramenta materiæ aliundè reſeruata ſunt reſeruata. 81. 301. Pœnalia, & conditionalia æquiparantur votis ſimilibus. 98. 304. Vide *Votum.*

Iuramentum de diligentia adhibita circa dominum bonorum incertorum an ſit neceſſarium ad compoſitionem per Bullas, aut cum Commiſſario? 34. 2. 392

Iuriſdictio.

Iuriſdictio abſoluendi in articulo mortis conceſſa cuivis Sacerdoti eſt ex iure Eccleſiaſtico. 22. 5. 148. Quinam habeant iuriſdictionem ordinariam, & delegatam ad abſoluendum, & reſpectu quorum? *ibi à n.* 14. 149. Iuriſdictio ordinaria immediatè à Pontifice dimanat. *n.* 15. *ibid.* Qui habet ordinariam, poteſt delegare. 18. 150. Quæ voluntas in eo requiratur, vt intelligatur delegare? 19. 151. Habens delegatam an ſubdelegare queat? 18. 150

Iuriſdictio dubia non ſufficit ad abſoluendum, ſic verò probabilis. 32. 19. 371. Iuriſdictio ad abſoluendum quando expiret? *ibi n.* 20. *ibid.*

Iuriſdictio, & approbatio ad abſoluendum ſeparari valent. 22. 22. 151. Iuriſdictionem ordinariam habens ad approbandum eſt ipſe approbatus vbique & eligibilis per Bullam, aut Iubilæum. *ibi* 29. 153

Ius.

Ius patris, domini, & mariti, in quæ bona adquiſita à filio, ſeruo, & vxore ſit? 34 207. 431

L

Lacticinia, & *Lacticiniorum Bulla.* Vide *Oua*, & *Bulla Lacticiniorum.*

Lardus.

Lardus licitus eſt abſque Bulla Cruciatæ diebus Quadrageſimæ in Sicilia, Gallæcia, ac in Regno Peruano, & vbi conſuetudo viget, non alibi. *d.* 18. *à n.* 13. 118

Legatum.

Legata, quorum dominus non reperitur, poſſunt per Bullas componi. 34. 60. 405. Et quis reliquam partem ſibi aſſeruare queat? *ibi.* Legatum quid ſit? 33....

Legiſlator. Lex.

Legiſlator ſua lege obligatur vi directiua. 24. 88. 225

Leges Regni Caſtellæ latæ circa Cruciatam recenſentur. *d.* 38. *à n.* 77. 490. Lex taxans ſtipendia Miniſtris an ſit purè pœnalis? 34. 142. 419

Licentia.

Licentia optimo iure præſumpta ſufficit, vt votum paupertatis non violetur. Et quæ ea licentia ſit? 24. 30. 209. A ſuperiore extorta per metum leuem, aut ficta ratione, vel per importunam poſtulationem excuſat à culpa proprietatis externæ. *ibi.*

Licentia conceſſa ſubdito Regulari, vt accipiat Bullam, non prodeſt ei, vt abſoluatur à reſeruatis. *d.* 24. *n.* 153. 243

Lictor.

Lictor tenetur reſtituere, quando ob eius culpam debita non ſoluuntur. 35 41. 440. Non verò, ſi propter negligentiam in curſitando per locum nocturno tempore, aut in denuntiando non ſoluantur pœnæ, quæ eſſent à delinquentibus ſoluendæ. *ibi à n.* 42. *ibid.* Quid, ſi accipiat aliquid, ne denunciet? 44. 441. Quando ei proſit Bulla compoſitionis? 45. *ibid.*

Libri Cruciatæ.

In libris Cruciatæ quæ res ad publicam memoriam ſcribantur? *d.* 38. *à n.* 28. 480. Quæ Bullæ Pontificum? *ibi à n.* 30. *ibid.*

Ludus.

Ludo adquiſita per fraudem, aut à non potentibus alienare, reſtituenda ſunt ipſis. Si non compareant, aut incerti ſint, poſſunt per Bullas componi. *d.* 34. *à n.* 152. 421. Ludo prohibito adquiſita non tenetur quis reſtituere; & amittens non tenetur ſoluere, poteſtque repetere. *ibi* 154. *ibid.*

Ludo adquiſita ſub fide credita, etiam ſub pignore, aut chirographo, non tenetur quis ſoluere: lucrans poteſt retinere. Si iurauerit ſoluere, tenetur. At valet relaxari iuramentum, vt non teneatur. *d.* 34. *n.* 155. 421. Ludi fraudes quæ ſint? *ibi* 156. *ibid.*

Digitized by Google

Quæ vno iactu quis lucratur, etiam ſi poſteà amittat, reſtituere tenetur. *ibi.*
In ludo quando exceſſus peritiæ obliget ad reſtitutionem? *d.*34. *n.*157. *ibid.* Animus non ſoluendi an inferat obligationem reſtitutionis? 158. *ibid.* Nequit quis lucrari à non potentibus alienare. Qui ſint hi? Et in quibus caſibus? *à n.*159. 422. Qui non poteſt amittere, nequit lucrari. 165. 423

M

Magici libri.

MAgicos libros legens non incidit in excommunicationem Bullæ Cœnæ. 25. 55. 269

Magiſter.

Magiſter in Theologia an poſſit, aut debeat examinari ab Ordinario, vt approbetur in Confeſſarium? 22. 109. 171
Magiſtri artium liberalium quando teneantur reſtituere, & poſſint Bulla compoſitionis gaudere? 35. 12. 436. Magiſtri non committunt ſimoniam, dum ſcientias, etiam Theologiam, docent, accipientes ſtipendium; nec, cum ſuam ſententiam conſulti promunt. *ibi* 13

Medicus corporalis.

Medicus poteſt ab aliquo annuum ſtipendium accipere, quamvis ille toto anno non ægrotet. 34. 104. 413. Quando teneantur reſtituere medici? 35. 15. 436

Medicus ſpiritualis.

Medicus ſpiritualis, de cuius conſilio poteſt quis virtute Bullæ veſci carnibus diebus prohibitis, eſt quilibet Confeſſarius, etiam extra confeſſionem. *d.*17. *n.*7 113

Mendicantes Ordines.

Mendicantium Ordinum Religioſi omnes indulgentias, quæ Romæ obtinentur, poſſunt lucrari abſque Bulla Cruciatæ. 20. 27. 135

Mercator.

Mercatores aliquid accipientes indebitum in venditione quando poſſint per Bullas componi? *d.*34. *à n.*213. 432. Quas fraudes committere queant? *ibi à n.*216. *ibid.* Debent addere in menſura pollicem ſupra vlnam. 219. 433

Meretrix.

Meretrix poteſt Bullam Cruciatæ vtiliter accipere erogando pecuniam ex illicitis operis adquiſitam. 4. 44. Non tenetur reſtituere pretium ſibi collatum pro voluptate. 34. 78. 408. An poſſit aliquando vti compoſitione per Bullas, & teneatur in aliquibus caſibus reſtituere? *ibi* 202. 430

Metalla.

Metallorum venæ cuius ſint, & inuentæ cuius fiant? *d.*33. *à n.*7. 381

Miles.

Milites ſuis expenſis bellantes in ſubſidium Cruciatæ, aut pauperes ad id bellum miſſi, non tenentur ieiunare, etiam ſi nulla cauſa ſit excuſans eos à ieiunio. 13. 5. 93
Miles pauper miſſus in ſubſidium Cruciatæ, decedens in bello ante anni finem lucratur indulgentiam plenariam, & is, qui eius loco ſubrogatur. *d.*8. *à n.*4. 77
Milites pauperes miſſi in ſubſidium Cruciatæ, & qui eos mittunt, gaudent omnibus priuilegiis Bullæ communis viuorum, & Defunctorum, quin eas accipiant, non tamen Bullæ compoſitionis. 14. 2. 94

Militares Equites, & Ordines.

Militarium Ordinum Regulares poſſunt per Bullam Cruciatæ edere oua, & lacticinia in ieiuniis Quadrageſimæ. *d.*18. *à num.*16. 118. Nequeunt per Bullam eligere Confeſſarium pro reſeruatis, ſi hæc dentur in his Ordinibus. *d.*24. *à n.*173. 248
Militares Ordines an ſtrictè Religiones ſint, & votum ingrediendi illos reſeruatum? 26. 27. 292
Militares Equites poſſunt amittere in ludo bona percepta ex Commendis? 34. 166. 246

Miniſtri Cruciatæ.

Miniſtri Cruciatæ ſuper rebus ipſius ſolùm apud Commiſſarium debent in iudicio ſtare. *d.*37. *n.*16. 456. Approbari ab Ordinario debent, poſtquam à Commiſſario ſunt inſtituti. *ibi n.*15

Minor viginti quinque annis.

Minor viginti quinque annis an poſſit bona exponere in ludo abſque onere reſtitutionis in lucrante dum ipſe ſua bona non adminiſtrat? *d.*34. *n.*160. 422

Minores de obſeruantia.

Minorum Regulæ interpretatio eſt prohibita, & quomodo? *d.*1. *à n.*38. 20

Miſſa.

Miſſam audire tenetur domi, qui priuilegium ad id habet, ſi ſit impeditus, & adſit Sacerdos abſque ſtipendio celebrans, ſecùs aliter. *d.*15. *à num.*29. 104. Miſſæ auditio tempore interdicti. Vide *Interdictum.*
Miſſam celebratam extra mœnia ciuitatis quando tenetur quis audire? 15. 31. *ibid.* Miſſæ præcepto ſatisfacit, qui præſens eſt moraliter, & quid ſit hæc præſentia, exponitur. *d.*20. *n.*31. 141. & 51. 136
Miſſa pro defuncto celebranda in altari priuilegiato quæcumque ſufficit. 29. 31. 350. Miſſæ defunctorum, quas pro ſe ipſis fideles viuentes celebrari faciunt, quam vtilitatem habeant? 36. 24. 452
Miſſa qua hora celebrari valeat, declaratur. *d.*37. *n.*98. 471

Mohatra.

Digitized by Google

Mohatra.

Mohatra quid ſit, & quando committatur, exponitur. *d.*34.*n.*20.*p.*396

Monachus.

Monachorum nomine qui ſignificentur? 25. 59.270

Monaſterium.

Nocturna è Monaſterio egreſſio in ſuperiore, aut ſubditis quando contineatur in caſibus reſeruabilibus Bullæ Clementis Octaui? 24.25.208

Moniales.

Moniales omnes tempore Iubilæi extraordinarij poſſunt eligere Confeſſarium etiã inuitis Prælatis.*d.*24 *n.*161.244. An queant retinere acceptum ob turpem cauſam? 34. *n.*210.432.

Monialium gratiæ, ac priuilegia an per Bullam ſuſpendantur? *d.*29.*à n.*52.355. Moniales nomine Religioſorum comprehenduntur. *ibidem*

Monopolium.

Monopolium quid ſit declaratur. 35. 4.434. Reſtituere tenentur authores monopoli. *ibi à nu.*5.335. Qui non eſt author, adhuc nequit accipere pro mercibus pretium auctum ex conuentione aliorum. *ibidem*

Mortis articulus.

Mortis in articulo quilibet Sacerdos abſoluere poteſt. *d.*22.*nu.*5.148. An poſſit ſimplex Sacerdos præſente proprio Sacerdote? 22. 6.148. Et an ordo ſeruandus ſit inter Sacerdotes non proprios, ita vt vnus alteri præponatur? *ibi* 13.149

Mortis in articulo an poſſit Religioſus abſolui à reſeruatis à quolibet Sacerdote? *ibi n.* 8. *&* 11.

Mortis in articuloquid operetur Bullæ priuilegium circa abſolutionem? 22. 10. 148. Mortis articulus in ordine ad abſolutionem cẽſendus eſt, ſi detur periculum amiſſionis loquelæ, aut vſus rationis, vel ſi periculum ſit dubium. 23.103. 197. Non verò ſic cenſendus eſt, ſi quis ſe intromittat in duellum, aut ludos taurorum. *d.*25.*n.*25. 263. *& d.*27.*n.*35.335..

Mortis articulus in ordine ad abſolutionem idem eſt, ac periculum mortis; & vtrumque declaratur. *d.*27.*à n.*23.332. An in eo articulo cenſeantur exiſtere fœminæ parturientes, nauigantes, & ſimiles? *ibi nu.* 34.334

Moſtrenco. Vide *Bona*

N.

Notarius.

NOtarij munus, & obligationes exponuntur. *d.*34.*n.*125 416. An, & in quibus componi valeat per Bullas? *ibi* 128.417

Nouitius.

Nouitij fauoribus Religionum gaudent. *d.*4. *n.*22.151. Poſſunt vti omnibus priuilegiis Bullæ Cruciatæ, etiam Prælato renuente. *ibi*, etiam ad eligendum Confeſſarium. *d.* 24.*à n.*171.247

Nuntius Pontificis.

Nuntius Pontificis poteſt concedere facultatem ad abſoluendum à reſeruatis in Religione. *d.*24.*n.*172.247

O.

Officialis.

OFficiales maiores Secretariorum quam eleemoſynam pro Bulla Cruciatæ ſint erogaturi? *d.*14 *n.*4.94. Officiales in Religione qui dicantur? 24.45.213

Officiales publici an, & in quibus vti valeant Bullis compoſitionis? 34.128.412. Præcipuè, cum accipiunt ſtipendia ſupra leges. *ibi à n.*141.419.

Officialibus, ſeu operariis quomodo Bulla compoſitionis proſit? *d.*35.*n.*35.439. Qui teneantur de culpa lata, leui, & leuiſſima? 34.124.416

Officium diuinum, & Officium paruum B. Mariæ.

Officio diuino non ſatisfit recitando illud mentaliter. 19. 11. 124. Sic verò cum diſtractione voluntaria. 20.29.136. Si non recitetur, quantum, & cui ſit reſtituendum? *d.*34.*à n.*22.396

Officium paruum B. Mariæ ex obligatione debitum ſi non recitetur, an reſtitutio componi poſſit per Bullas? 34.28.398

Onus comparendi.

Onus comparendi coram Pontifice, aut Epiſcopo ad abſolutionem à caſu reſeruato tollitur, ſi quis accipiat Bullam, aut obtineat Iubilæum. *d.*23.*n.*40.182

Onus comparendi pro cenſuris reſeruatis à quibus præſtatur abſolutio in articulo mortis, quo tendat, exponitur. 23.107.198

Operary.

Operarij, ac Officiales conducti, ſi laborem ſolitum minuant, reſtituere tenentur. 35. 25.337

Opinio.

Opinio probabilis circa approbationem Cõfeſſarij eſt ſufficiens ad valorem confeſſionis, etſi reipſa eſſet falſa, nec eſt peccatum, eam ſequi. 22.109.178

Opus.

Opus vltimò requiſitum ad indulgentiam exequentis in lethali, poteſt iterùm media apponere, vt eam lucretur. 6. 59. 65. Quomodo in opere bono detur meritum, impetratio, & ſatisfactio? *d.*20.*n.*18.126

Oratio.

Oratio fundenda ad lucrandas indulgentias ſtationum, & alias, quota ſufficiat, exponitur,

Digitized by Google

exponitur, & quo die ſit fundenda. d.19.à n.4.122.& à n.7.123.ac 12.124.& d.20.à n.28.135. In quo loco? 19.6.123. ſufficit mentalis.ibi n.8.Non eſt neceſſe,exprimere finem,pro quo oratur; ſed eſt ſatis, orare pro intentione concedentis indulgentias. ibi 6.ibidem

Oratio ad obtinendas Bullæ indulgentias debet eſſe aliundè indebita.19.13.125.Requiritur deuota.20.29.136. Satisfit illi, etiam ſi miſceatur culpa venialis, aut diſtractio voluntaria.ibi.

Oratio vocalis ad lucrandas indulgentias non eſt determinata; ſed aptior eſt ea,quæ in Eccleſia ſit recepta. 20.30.136

Oratorium.

Oratorium ſufficit viſitare ad indulgentias ſtationum per Bullas obtinendas. d. 20.n. 33.137.& 42.139. In Oratorio quid liceat per Bullam, quid abſque illa, proponitur. d.15.per totam.97. Quid concedatur circa Oratoria per Bullam? d.16.108.per totam. Non conceditur, habere Oratoria.n.6.109

Oratoria nequeunt iam concedere Epiſcopi; nec,niſi in certis caſibus Nuntius Pontificis.Et quid de legatis extraordinariis? 16. 4.108.

Oratorij nomine ſignificatum declaratur.d. 16.n.4.108.Non conceditur in Bulla Cruciatæ facultas eligendi Ordinarium, qui approbet Oratorium.ibi n.7.ibid.Dominus Oratorij habẽs Bullam, poteſt facere celebrari in illo plures Miſſas quotidie, & ceſſant limitationes, cum quibus ſolent concedi Oratoria nu.8. Etiã die Paſchatis licet cum Bulla audire Miſſam in Oratorio: imò ſumere Euchariſtiam ex deuotione, non aliter. ibi n.10.& 12.ibid.

Oratoria poteſt concedere Commiſſarius Generalis Cruciatæ. 37.105.472

Oua.

Ouorum eſus prohibitus eſt diebus ieiunij: exponitur, quibus diebus,& vbi liceat eis vti.diſp.18.à n.1.105. Et recenſentur Prouinciæ, in quibus licet veſci lacticiniis. d. 18.n.5.116

Ouis, & lacticiniis veſci nequeunt in ieiuniis Quadrageſimæ, qui propter ætatem deobligati ſunt à ieiunio? d.18.nu.3.115.& 27.120.Quinam ea poſſint edere, proferetur.ibi à n.4.ibid.Poſſunt infantes,amentes, ægroti,pauperes,& Cantores. ibid.

Ouis veſci poſſunt virtute Bullæ Cruciatæ diebus prohibitis hi, qui in Bulla non excipiuntur. Et quinam hi ſint, ibi à n.6.116. Non excipiuntur. Nouitij Regulares:Cardinales; fœminæ in beateriis viuentes. ibi nu.7. ibid. Quid dicendum ſit de Epiſcopo electo non confirmato: de confirmato:de eo,qui Epiſcopatui renuntiauit; & de habente aliundè priuilegium edendi oua,declaratur. ibi à n.7.ibid.

Oua, & lacticinia poſſunt per Bullam edere in Luſitania Presbyteri, & Regulares: & etiam ſi accedant ad alia loca Hiſpaniæ.d. 18.n.11.117.

Oua, & lacticinia poſſunt edi abſque Bulla, niſi detur conſuetudo contraria,in ieiuniis extra Quadrageſimam ex præcepto, voto, aut pœnitentia. diſp.18.à n.13.118

Oua, & lacticinia poſſunt edere per Bullam Regulares Ordinum Militarium vtriuſque ſexus, quamvis ſint Sacerdotes, non verò Prælati .18.à.n.16.118.& 21.119

Oua,& lacticinia an poſſunt edi abſque Bulla in Dominicis Quadrageſimæ ab omnibus, etiam à Sacerdotibus, ac Regularibus.d. 18.à n.24.120.

P

Papa. Vide *Pontifex.*

Parochus.

PArochus eſt ipſo iure approbatus pro toto orbe ad audiendas cõfeſſiones.22.26. 152.Parochi nomine intelligitur Rector,& habens Vicariam perpetuam.ibi.Parochus eligibilis eſt per Bullam, aut Iubilæum vbique terrarum.ibi n.28.153. Qui fuit,& non eſt Parochus, eligibilis eſt, ſi non fuit ablatum ab eo Beneficium ob ineptitudinem,aut ſimilem cauſam.ibi n.91.167

Parochus nequit delegare Vicario iuriſdictionem, niſi ad tempus. 22.104.170. An poſſit eam delegare approbato in alia diœceſi? ibi n.710. ibid.

Participatio bonorum operum.

Participatio bonorum operum conceſſa in Bulla Cruciatæ, & media, quibus obtinetur,exponuntur.d.19.à n.1.122.& à n.18. 126.Quæ opera aliorum iuſti participent? ibi n.20.ibid.Quæ ſit participatio, & communio Sanctorum in ſymbolo appoſita? ibi n.22.127.Non participantur ſatisfactiones aggregatæ ad theſaurum Eccleſiæ.n. 23.ibid.Nec participat vllas exiſtens in lethali.Sic verò poſt impleta opera requiſita in Bulla in ſtatu gratiæ, ſi à peccato reſurgat.ibi.

Participatio bonorum operum non eſt indulgentia. 19. 25.128. Non liberat à pœnitentiis adimplendis. ibi n.26. ibid. Poſſunt concedere Superiores Religionum, vt alij participent opera bona ſuorum ſubditorum. num.25.ibid.

Pauper. Paupertas.

Pauperes oſtiatim mendicantes non tenentur ieiunare. d.13.n.3.92.

Paupertatis votum abſque furto poteſt violari. d. 24. numer. 26. 208. Exponitur, quando detur furtum, quando proprietas contra

Digitized by Google

contra paupertatem.*ibi.*

Paupertatis votum quando violetur ex modicis quantitatibus ablatis,acceptis,aut donatis? *diſp.*24.*n.*32.210. Pauperes milites miſſi ad bellum in ſubſidium Cruciatæ qui ſint? *diſp.*8.*à n.*2.76

Pauper neceſſitatem certam habens poteſt ſibi applicare propria authoritate bona incerti domini, quæ reſtituere tenetur. 35. 63.443. Si neceſſitas non ſit certa, indiget conſultatione Epiſcopi, aut Confeſſarij.*n.* 64.*ibid.* Semel facta applicatione, etiam ſi dominus compareat, non tenetur in foro conſcientiæ reſtituere.*n.*65. *ibid.* Declaratur, quid nomine pauperum intelligatur. *ibi à nu.*61. *& nu* 67.444. ſub eo nomine etiam venit Monaſterium. *ibi n.*66.*ibid.*

Peccatum.

Peccata, quæ deferri debent ad quæſitores Fidei.23.92.195. Peccata reſeruata. Vide *Reſeruati caſus.*

Peccatum in vno loco deductum ad forum contentioſum, non ideò eſt publicum in alio. *diſp.*23.*n.*59.188

Peregrinationis votum. Vide *Votum.*

Peregrinus.

Peregrini, & vagi ſubiacent reſeruationibus peccatorum appoſitis in loco, vbi ſunt. *diſp.*23.*n.*32.183.

Periurium.

Periurium quid ſit,& quando committatur? *diſp.*24.*à n.*40.212. Periurium reſeruatum in Religione, in quibus caſibus detur? *ibi*

Percuſſio.

Percuſſio grauis in ordine ad reſeruationem explicatur. *diſp.*24.*n.*48.214

Pharmacopola.

Pharmacopola quando reſtituere teneatur, & poſſit vti Bulla compoſitionis? *diſp.*35.*à n.*20.437. Nequit venena, aut toxica vendere,nec miniſtrare pharmaca, inconſulto medico, niſi in certis circunſtantiis.*ibi*

Pictor.

Pictores quando obligentur ad reſtitutionem, & Bulla compoſitionis gaudere valeant? *diſp.*35.*n.*11.436

Piſcatio.

Piſcatio exercita tempore, aut modo prohibito non inducit obligationem reſtituendi. *diſp.*34.*n.*189.428.*&* 192

Pœna.

Pœna ex fractione voti pœnalis incurſa poteſt commutari per Bullam Cruciatæ.*diſp.* 26.*n.*149.313. Etiam ſi Pontifex commutauerit in eam pœnam vota reſeruata.150. *ibid.*

Pœnæ pecuniariæ delinquentium in Cruciatam pertinent ad ipſam.*diſp.*37.*n.*1.452. Et pœnæ pecuniariæ, quas Epiſcopi, & ipſe Commiſſarius infligunt.*ibi.* Eas non ſoluere,eſt peccatum mortale. *ibi* 3.453. Non applicare eas Cruciatæ, eſt duplex peccatum.*n.*4. *ibid.* Item eſt peccatum, illas malitioſè non infligere,aut minuere.*n.* 5.454 An tunc Ordinarij reſtituere teneantur? *à n.*6.*ibid.*

Pœnitens.

Pœnitens exterus, qui commiſit peccata in ſua Diœceſi non reſeruata, an abſolui queat ſine recurſu ad ſuperiorem, vbi reſeruata ſunt? *diſp.* 23.*n.*23.181. Pœnitens ex neceſſitate confitens peccata cum Sacerdote non habente iuriſdictionem ad reſeruata, non tenetur manifeſtare ei reſeruata. *ibi n.*24.*ibid.*

Pœnitens confitens cum ſuperiore reſeruata, & oblitus alicuius, poteſt ab hoc per inferiorem abſolui. Et quid, ſi nullum reſeruatum ſuperiori confeſſus eſt? *diſp.*23. *n.*25.181. pœnitens abſolutus virtute Bullæ, aut Iubilæi, tranſacto tempore illius, poteſt per Confeſſarium electum abſolui à reſeruatis antecedentibus. *ibidem*

Pœnitens Regularis incidens in caſum reſeruatum ad quid teneatur, exponitur, & quando debeat ſe ſuperiori immediatè ſiſtere? *diſp.*24.*à n.*73.221

Pœnitentiæ Sacramentum. Vide *Sacramentum Pœnitentiæ*

Pontifex.

Pontifex poteſt delegare ſuam iuriſdictionem ad abſolutionem ſui. *diſp.*22.*nu.*16. 150. Poteſt item delegare iuriſdictionem ab abſoluendum Sacerdoti non approbato;ſed nunquam delegat. *ibi n.*29.153. Non committit ſimoniam applicando pecunias ad ſuam congruam ſuſtentationem in diſpenſationibus, aut in Bulla Cruciatæ.*diſp.* 1.*à n.*32.33.

Pontifex an poſſit liberare animam, quæ ſoluta à corpore eſt deſtinata Purgatorio, ita vt in illud non ingrediatur? *diſp.*36.*n.*23. 451. Quantum ei erogetur ex Cruciat, *d.*38.*nu.*27.480.

Pontifex bullam compoſitionis concedit ex munere diſpenſatori bonorum, quæ debentur pauperibus,& quæ ad exonerandas conſcientias ſpectant. *diſp.*35.*n.*3.434

Pontificis ſententia in fauorem Religioſorum Societatis IESV in cauſa cum Epiſcopo Angelopolitano in Indiis. *d.*22. *ex nu.*124. 176

Poteſtas.

Poteſtas Ordinis, & iuriſdictionis explicatur.*diſp.*22.*n.*2. 147. Poteſtas ad reſeruandum, & abſoluendum delegari poteſt. *diſp.*23. *nu.*28.182. Poteſtas ad abſoluendum non extenditur ad commutandum, & diſpenſandum. *ibi n.*54.187

Poteſtas conceſſa ab Epiſcopo ad ſuos caſus

Digitized by Google

an extendatur ad reualidanda matrimonia? diſp.23.n.54.187

Prælatus, & Prælatus Regularis.

Prælatus Regularis peccat grauiter, ſi cogat ſubditos, vt cum ipſo confiteantur non reſeruata, quamvis non ſit alius Confeſſor domi: *diſp.*24.*n.*50.214. Vide *Regularis.*

Prælatus Regularis an, & quando teneatur ex charitate concedere, aut negare licentiam ad abſoluendum à reſeruatis. *diſp.*24.*n.*53.215.& 59.217. Quando, & cui teneatur eam licentiam concedere? *ibi n.*56.216.& à *n.*58. 217. Nequit is Prælatus ad gubernationem vti notitia ſolùm in confeſſione habita. *ibi* 57.216

Prælati Regulares poſſunt deſignare pœnitentias imponendas peccatis. Si non imponantur, valet adhuc abſolutio. Nec peccat grauiter Confeſſarius non imponens, ſi non fuit ei iniunctum præceptum *diſp.* 24 *n.*57. 217. Aliquando tenentur ex iuſtitia concedere facultatem ad abſoluendum à reſeruatis: & faciles ſe præſtare debent. *ibi n.*58.& 68.219

Prælati Regulares an valeant limitare ſubditis vſum priuilegiorum Bullæ Cruciatæ, & quid de Prælatis Societatis IESV? 4.21.48

Prælatus Regularis poteſt, ſed non tenetur inquirere ſpeciem peccati reſeruati, pro quo poſcitur ab eo facultas: valetque hanc concedere, aliqua conditione appoſita. 24.60.217

Prælatus non ligatur reſeruatione, quam ipſe iniungit 24.88.225. Nequit abſolui niſi ab approbato. 22.29.153

Prælatus, etiam Regularis, qui poteſt concedere licentiam, vt ſubditus abſoluatur à reſeruatis, poteſt & ipſe, ſtando iuri communi abſolui ab ipſis per Confeſſarium à ſe electum *diſput.* 24. à 97. 227. Idem dic de Vicario Epiſcopi potente concedere facultatem ad abſoluendum. *ibi nu.* 98.*ibid.* Secus continget in Religione, in qua ſit ſtatutum contrarium, aut ſi voluntas reſeruantis ſit contraria. *ibi n.*112.230

Prælum.

Præla, in quibus Bulla excuditur, vbi ſint, & quid in eis obſeruetur? *diſp.* 38. *n.*73. 489. & 79.491.

Prouinciæ.

Prouinciæ recenſentur, pro quibus Bulla Cruciatæ eſt conceſſa *diſp.*3. à *n.*1. 35 & *diſp.* 37. à *n.*35.459. An valeat in Prouinciis, & locis rebellantibus? *diſp.*3.*n.*3.*ibid.*

Princeps. Vide *Rex.*

Priuilegium, & Priuilegia Regularium.

Priuilegij diuiſio, & proprietates. *diſp.*3 à *n.* 8.41. Accipiens Bullam Cruciatæ in loco, in quo valet, poteſt vti eius priuilegiis in loco, in quo non valet, excepto priuilegio lacticiniorum, & carnium. *ibi n.*6.*ibid.*

Priuilegia onerosa nequeunt à concedente reuocari, niſi compenſet. *diſp.*2.à *n.*32.33. Poſſunt verò reuocari priuilegia gratis conceſſa. *ibi.*

Priuilegia concionatorum Cruciatæ exponuntur: & quinam illi eſſe debeant, ac quomodo deſignandi? *diſp.*38.*n.*16.& 19. 478. Vide *Gratia*, & *Regulares.*

Proprietas.

Proprietatis peccatum exponitur, & quando in Religioſis reperiri cenſeatur. 24 30. 209

Prorogatio Bullæ Cruciatæ.

Prorogatio Bullæ Cruciatæ an ſit noua conceſſio, vel extenſio Bullæ antecedentis? *d.* 2.à *n.*20.30.

Publicatio Bullæ Cruciatæ.

Publicatio Bullæ Cruciatæ vbi ſit facienda? *diſp.*2.à *n.*2.25.

Purgatorij animæ.

Purgatorij animæ liberandæ per Bullam Cruciatæ, aut per miſſionem, ſeu profectionem ad bellum poſſunt determinari à liberante. *diſp.*12.*nn.*14.91. Poſſunt liberari toties quoties, quando à Pontifice conceditur indefinitè liberatio. *ibi n.*15

Purgatorij animarum liberatio inter opera pia cenſetur. *diſp.*34. *n.*59. 405. Purgatorium euacuare an poſſit Pontifex? *diſp.* 36.à *n.*20.451.

Q

Quadragena indulgentia. Vide *Indulgentia.*

Quadrageſimales dies.

Quadrageſimales dies, qui ſint, declaratur, & an Dominicæ Quadrageſimæ ſub eis comprehendantur. *diſp.*18.*nn.* 24. 120. Vide *Oua.*

Quæſtor.

Quæſtor quis ſit? *diſp.*35. *n.*36.439. Reſtituere tenetur, ſi accipiat aliquid, vt ſoluat creditoribus Regis, aut, vt ſolutionem non differat. *ibi* 37. In quibus caſibus poſſit aliquid licitè accipere? *nu.* 58.*ibid.* Quando componi queat per Bullas? *n.*45.441

Quæſtor Cruciatæ.

Quæſtores tenentur præſtare Bullas Cruciatæ creditò his, qui tutò ſpondent, ſe fore eleemoſynam erogaturos. *diſp.*14.*n.*4.94

Quæſtoris Cruciatæ priuilegia. *diſp.*38. *n.*15. 477. Eius munus, & obligationes. *ibi à n.* 69.488

R

Redditus.

Redditus beneficij qui dicantur, & quomodo ſint computandi in ordine ad Bullam lacticiniorum pro Eccleſiaſticis, declaratur. *diſp.*31.*n.*18.365

Regulæ

Digitized by Google

Regulæ.

Regulæ generales traduntur ad faciendam compoſitionem bonorum incertorum per Bullas. *d.*35.46.441

Regulares Religioſi.

Regularis,quem abſque cauſa non vult Epiſcopus approbare, an poſſit confeſſiones excipere? *d.*22.*n.*25.152

Regulares Prælati indigent approbatione ad audiendas confeſſiones ſæcularium, etiam familiarium. 22.*à* 30.153. Vide *Prælatus.*

Regulares accipiunt à Pontifice iuriſdictionem ad audiendas confeſſiones,niſi in aliquibus caſibus.*diſp.*22.*n.*37.155.Quo olim priuilegio fungerentur circa audiendas, confeſſiones, proponitur. *ibi n.*43.156

Regularium approbatio ad excipiendas confeſſiones,non reuocatur per reuocationem generalem. *diſp.*22.*nu.*58.160. Regulares eligibiles ſunt per Bullam, ſi ſint approbati: & qua approbatione? *ibi nu.*96.168. *&* 100.169. Dum tamen ſint Mendicantium Ordinum,aut communicantium priuilegia eorum non aliter.*ibi.*Semel approbatos eſſe ſufficit,vt ſint eligibiles.Nec reprobari queunt abſque vrgentiſſima cauſa iuridicè probata, ſi ſint approbati abſque limitatione. *ibi n.*97.*&* 101.*ibid.*

Regularitas, ſi ſit reprobatus ex ea vrgentiſſima cauſa, nequit eligi in Confeſſarium per Bullam.*diſp.*22.*n.*98.168. A ſuccedente Epiſcopo poteſt examinari, ac reprobari, & in alia Diœceſi indiget noua approtione. *ibi n.*99.*&* 100.169

Regularium priuilegium, quod nequeant reprobari abſque vrgentiſſima cauſa ab eodem Epiſcopo, à quo fuerunt approbati, non eſt reuocatum.*diſp.*22.*n.*100.169.Eorum approbatio poteſt limitari,ſicut & ſæcularium Sacerdotum: & pariter ſe habent in ordine ad excipiendum confeſſiones virtute Bullæ.*ibi n.*101.

Regularis approbatus in vna Diœceſi,ſi Epiſcopus promoueatur ad aliam, in hac eget noua approbatione ipſius. *diſp.* 22. *n.*102. 169.Si neget ei ſuperior licentiam audiendi confeſſiones,validè tamen audiet, dum aliundè iuriſdictionem habeat. Idem eſt, ſi ſit à ſuperiore ſuſpenſus. *ibi.n.*104.170

Regularis, ſi habeat approbationem, etiam ſi careat iuriſdictione,eligibilis eſt per Bullam. *diſp.*22.*n.*105. 170. Non verò poteſt tunc abſoluere virtute priuilegiorum Ordinis,ſi ea mediis ſuperioribus communicantur, vt contingit in Societate IESV. 106 *ibidem*

Regularis audiens confeſſiones contra voluntatem ſuperioris, excluſo præcepto, ſolùm peccat venialiter. *diſp.* 22. *nu.* 107. 170.Si verò ſit ſuſpenſus ſuſpenſione,quæ ſit cenſura, & non purè pœna, lethaliter peccat.*ibi.*

Regularis iniuſtè non admiſſus ad examen, aut cui iniuſtè negatur approbatio, an ſit per Bullam eligibilis. *diſp.*22.*nu.*102.169. Approbatus ab Epiſcopo, etiam ſi à ſuo ſuperiore non ſit præſentatus, eſt eligibilis. *ibi n.*103.

Regulares poſſunt abſoluere à pluribus peccatis,& cenſuris, quamvis pœnitens Bullam Cruciatæ non habeat. *diſp.* 23. *nu.*10. 178. An poſſint ipſi virtute ſuorum priuilegiorum abſoluere à reſeruatis Epiſcopo. *diſp.*23. *à nu.*43. 185. Poſſunt à peccatis, quorum cognitio pertinet ad quæſitores Fidei, dum non inuoluant hæreſim. *ibi n.* 98.196

Regulares, Prælati habent poteſtatem reſeruandi caſus ſubditorum,& quomodo?Habent etiam iuriſdictionem in foro conſcientiæ,& in contentioſo,*diſp.*24.*à n.*1.201

Regulares poſſunt gaudere priuilegiis Bullæ Cruciatæ, præter facultatem eligendi Confeſſarium ad reſeruata. 4. 16. 47. Peccant contra paupertatem, aut obedientiã, ſi abſque facultate ſuperioris eroget eleemoſynam pro bulla. *ibi n.*19.48. Non peccant, ſi iniuſtè negatur facultas. *num.*20. *ibidem*

Regulares qui, qua licentia, & quæ miniſteria exercentes in bello contra Infideles pro Rege Hiſpaniarum indulgentiam plenariam obtineant? *diſp.*9. *à nu.*1.78. Qua licentia Ordinarij poſſint ibi concionari, & audire confeſſiones? *ibi n.*11.80. Regulares Prælati cum quo poſſint confiteri? 22 *n.*17.150

Regulares abſolui nequeunt virtute Bullæ à reſeruatis, adhuc per Confeſſores ordinarios domus. *diſp.*24.*à n.*175.249.Nec à reſeruatis Põtifici.*ibi n.*198.254.Poſſunt verò à non reſeruatis per Confeſſarium à ſe electum. *ibi à n.*185.250

Regulares in quibus votis diſpenſare poſſint virtute priuilegiorum?Et an ad petendum debitum, cum coniux ante matrimonium emiſit votum caſtitatis? *diſp.*26. *n.*34.293. Et quid de Confeſſariis Societatis? 26, 120.308

Regulares tempore interdicti poſſunt diuina exercere: & quomodo? *diſp.* 15. *nu.*3.98. Regulares Ordinum Militarium poſſunt edere oua,& lacticinia in ieiuniis Quadrageſimæ virtute Bullæ. *diſp.*18.*à n.*16. 118. Etiam ſi ſint Sacerdotes, non verò ſi ſint Prælati. *ibi n.*21.119

Regularium Prælati poſſunt concedere participationem bonorum operum,quæ à ſuis ſubditis fiunt. 19.25. 128. Et hæc poteſtas non ſuſpenditur per Bullam Cruciatæ. *ibi*

Digitized by Google

26. Poſſunt præcipere ſubditis, vt applicent aliis ſatisfactionem ſuorum operum. ibi.27.
Regulares quæ vota poſſint commutare virtute priuilegiorum? diſp.26.n.58.296
Religioſus quantum, & in quibus caſibus poſſit amittere in ludo abſque onere reſtitutionis in lucrante? diſp.34.à n.163.422. Religioſi munera donata fœminæ pro turpi actu an debeant reſtitui? ibi n.230.430
Regulares Prælati, & Confeſſores ab eis deputati, poſſunt diſpenſare, vt petat debitum coniux, qui carnaliter cognouit coniugis ſuæ conſanguineam in primo, & ſecundo gradu. 37.96.470
Religionis votum. Vide *Votum*.
Reſeruati caſus. *Reſeruatio*.
Reſeruatio caſuum, exponitur, quid ſit. diſp.23.à n.13. 178. Quis poſſit reſeruare, quæ peccata, & quorum? ibi à n. 14. 179. Reſeruandi poteſtas eſt in Eccleſia ibi nu. 15.ibid.Reſeruare peccata venialia,& mortalia iam confeſſa ſolus Pontifex poteſt. ibi n.16
Reſeruari peccata interna queunt; ſed nulla de facto ſunt reſeruata. diſp. 23. nu. 17. 179. Item poſſunt peccata dubia; ſed non ſunt reſeruata, dum non exprimuntur. ibi. Reſeruati ſunt caſus Bullæ Cœnæ, etiam dubij. ibidem
Reſeruari poſſunt peccata abſque cenſura. Et an ſint ita de facto reſeruata. Pontifici? diſp. 23.n.18. 180. Reſeruatum peccatum cum excommunicatione, ſi hæc propter ignorantiam non incurratur, manet abſque reſeruatione. ibi n.19
Reſeruatio à Pontifice iniuncta, etiam abſque cauſa, tenet. Sed quid, ſi iniungatur à Prælatis inferioribus? diſput.23.20.180. Reſeruans poteſt iuriſdictionem abſoluendi quibuſdam concedere, & ab aliis auferre. ibi n.21
Reſeruans, ſi ſint Prælatus ſæcularis, & is, cui reſeruata ſunt peccata, quamvis ipſe non reſeruauerit, poteſt abſolui à Confeſſore per ſe electo ab eiſdem peccatis diſp.23.n.21.180. Qui incidit in caſum reſeruatum, etiam ſi ignorauit reſeruationem, nequit abſolui, niſi de licentia ſuperioris.ibi 22.
Reſeruatos caſus habens an poſſit ad aliam Diœceſim, in qua non ſunt reſeruati, pergere, vt ibi abſoluatur? diſp.23.n.22.180. An Confeſſor poſſit abſoluere à reſeruatis nouis commiſſis à pœnitente poſt obtentam licentiam abſoluendi à ſuperiore? 23. 28.182. Et à commiſſis poſt elapſum tempus Bullæ,aut Iubilæi, ſi confeſſio fuit antea incepta, & non finita.ibi.
Reſeruata Pontifici habens, ſi nequeat adire illum, an teneatur adire Nuntium Pontificis? diſp.23.n.30. 182. Reſeruato caſu pluribus reſeruationibus eiuſdem Prælati, ablata vna, omnes tolluntur: ſecùs, ſi ſint diuerſorum Prælatorum, niſi tollens eſſet Pontifex.ibi.
Reſeruatio eſt ſtrictè interpretanda, & in dubio, cenſendum eſt, eam non dari.23.31. 183. & d.24.per totam.202.
Reſeruatum non eſt peccatum ex eo, quòd irregularitas ei ſit annexa.23.31.183.Reſeruatio Epiſcopalis non tollitur per mortem,aut mutationem Epiſcopi. ibi 41.185. An à reſeruatis Epiſcopo poſſint abſoluere Regulares virtute priuilegiorum? ibi à num.43.ibid.
Reſeruati caſus nomine an ſolum peccatum, vel etiam cenſura intelligantur in ordine ad abſolutionem? diſp.23.à n.53.187
Reſeruatio Epiſcoporum non comprehendit Regulares.23.56.188.Vide quæ Author de nouo ſuper hac re Scripſit p. 600. in fine huius Tomi.A reſeruatis Pontifici occultis poteſt Epiſcopus abſoluere, & Confeſſor approbatus virtute Bullæ Cruciatæ toties quoties.ibi à n.57.ibid. Quæ dicantur occulta,& publica? ibid.& n.68.190
Reſeruata de facto Pontifici nulla peccata ſunt, niſi ratione cenſuræ.23. 58.188. A reſeruatis Pontifici occultis non poſſet quis toties quoties abſolui virtute Bullæ Cruciatæ, vbi non vigeret Tridentinum. ibi 65.189
A reſeruatis Pontifici occultis poſſunt exteri abſolui in Hiſpania toties quoties per Bullam;nō verò in Prouinciis ſuis ſi in eis non eſt acceptatum Tridentinum, quamvis Bullam in Hiſpania acceperint. d.23.n.67. 190
A reſeruatis Pontifici publicis in vno loco poteſt quis virtute Bullæ Cruciatæ abſolui toties quoties in loco, vbi non ſunt publica. diſp. 23.n.69. 190. Et à deductis in forum contentioſum,ſi quis indè liber euaſit. ibi n.70.An poſſit, ſi liber non euaſit, poſtquàm tolerauit pœnam à iudice inflictam? num.71.ibidem
A reſeruata excommunicatione ob duellum, & ab aliis cenſuris occultis poteſt quis toties quoties abſolui per Bullam, etiam poſt Tridentinum. diſp.23.à n.72.191
Reſeruare nequit vllus Prælatus, niſi Pontifex, peccata,ac cenſuras ita, vt ſi abſoluatur ab illis in articulo mortis, detur onus comparendi. diſp.23.n.106.198
Reſeruatus nullus caſus de facto fuit per Clementem Octauum in Bulla circa Regulares, & Bulla tranſcribitur. diſp.24.nu.3.20. & 4.203. In reſeruatione caſuum nimietas eſt vitanda. ibi n.5

Reſeruati

Reſeruati caſus in Religione ante Bullam Clementis Octaui, ſi non contineantur in ipſa, non manent reſeruati. *diſp.* 24. *num.6.* 203. Reſeruari nequeunt à Prælatis Regularibus niſi caſus in ea Bulla contenti. *ibi.* Si caſus reſeruati ante eam Bullam contineantur in illa, aut ſimiles ſint contentis in ipſa, reſeruati manent. *ibi* 7. 204

Reſeruare alios caſus, præter contentos in Bulla Clementis, poſſunt Capitula Religionum; ſed non diſſimiles multùm illis, nec plurimos. 24. 7. 204. Reſeruatio facta à Capitulis abſque conditionibus appoſitis in Bulla Clementis eſt inualida. *ibi.*

Reſeruari à Capitulis poſſunt caſus pro toto Ordine, ſeu pro vna Prouincia, Monaſterio, aut perſona. *diſput.*24. *num.* 10. 204. Reſeruandi poteſtas non datur in Bulla Clementis Capitulis, quæ carebant illa. *ibid.*

Reſeruari nequeunt in Religione cenſuræ ab his, qui nequeunt reſeruare peccata, quibus annectatur cenſura. *diſp.* 24. *à num.* 11. 205. Nequeunt item reſeruari venialia, nec mortalia iam confeſſa, nec purè interna, nec quomodolibet dubia. *ibi à n.*16. 206

Reſeruato peccato, quod exit in actum externum, hic debet habere ex ſe malitiam grauem: aliter reſeruari nequit, quamvis oriatur ab actu interno grauiter lethali. *diſp.* 24. *à num.* 17. 206. Reſeruatum peccatum intelligitur certum, non dubium. *ibi n.*20. 207

Reſeruatio generalis facta à Pontifice, comprehendit Regulares. *diſp.* 24. *num.* 21. 207. A reſeruatis nequeunt Regulares virtute Bullæ Cruciatæ abſolui. *ibi à n.*121. 255. Poſſunt autem virtute Iubilæi extraordinarij, vtpotè duplicis hebdomadæ. *ibi à n.*154. 243

Reſeruatio caſuum in Religione an comprehendat nouitios? *diſp.* 24. *num.*172. 247. A reſeruatis Sedi Apoſtolicæ nequeunt abſolui Regulares virtute Bullæ Cruciatæ. *ibi num.*198. 254. Pro abſolutione à reſeruatis Pontifici quæ cauſæ excuſent ſæcularem adire Romam? *d.*25. *n.*62. 270

Reſeruatio votorum eſt odioſa, & reſtringenda. *diſput.* 26. *num.* 22. 290. Vide *Votum.*

Reſidentia.

Reſidentia in Beneficiis quo iure, & ad quid obliget? *diſp.*11. *num.*2. 87. Reſidentiam perſonalem præſtare excuſantur Clerici euntes in bellum ad ſubſidium Cruciatæ: & exponitur, quinam hi ſint, & quomodo? *ibi à n.*4

Reſidentiam, qui non adimplet, non facit fructus ſuos, nec componi de eis per Bullas poteſt, ſi ſit Epiſcopus, aut Parochus. Et quid de aliis? *diſp.*34. *n.*35. 399

Reſtitutio.

Reſtitui an debeat acceptum ob turpem cauſam? *diſp.*34. *à num.*69. 407. Debet, ſi excedit æqualitatem attentis circunſtantiis. *ibi num.* 86. 410. Et, ſi accipiatur à non potente alienare, aut adquirere. Et cui ſit reſtitutio facienda? Per Bullas nequit hoc componi. *ibi à n.*87

Reſtituere an teneatur, aut poſſit per Bullas componi, qui aliquid accepit, vt à iudice rem iniuſtam impetraret? *diſp.*34. *à num.*146. 410. Reſtituere damnum illatum non ſolùm tenetur is, qui intulit; ſed qui donis eum allexit, vt inferret. *ibi n.*150

Reſtituere tenetur, qui in ludo lucratur à non potentibus alienare. Exponitur, in quibus caſibus, & qui ſint illi. *diſp.*34. *à num.* 159. 422. Reſtitutio bonorum, quæ in ludo quis à Religioſo lucratur, cui ſit facienda? *diſp.* 34. 422. *num.*163. & 167. 423

Reſtituere non tenetur ligna cædens in monte communi, etiam tempore prohibito. Sic verò, ſi ſtragem magnam quovis tempore faciat. *diſput.* 34. *num.* 193. 428. Quid de cædente ligna in monte oppidi vicini, aut domini certi? *ibi à n.*195. 429

Reſtituere an obligetur fœmina, aut vir accipiens aliquid pro turpi actu à coniugata, vel ab aliis? *diſp.*34 *à n.*199. 429. Reſtituere tenetur, qui cogit alios, ne emant vectigalia, officia, aut res poſitas ſub haſta, vt ipſe emat pretio infimo, quamvis iuſto: non tamen, ſi rogat, ne emant. 35. 7. 335

Reſtituere obligatus, peccat in dilatione reſtitutionis: &, ſi per Bullas ſit componendus, minor dilatio ſufficit ad peccatum. *diſp.* 35. *à num.* 68. 444. Dilatio in reſtitutione, & in ſolutione ex contractu contra voluntatem rationabilem creditoris eſt peccatum lethale. *ibi numer.* 70. & differens tenetur reſtituere damna ſecuta ex dilatione. *ibi numer.*71. 445

Reſtitutionem differre an ſit nouum peccatum, & quotuplex? 35. 72. 445. Reſtitutionis differendæ, aut abſolutè non faciendæ, ſunt aliquæ cauſæ, quæ recenſentur. *ibi à n.*73

Reſtituere non tenetur, qui in neceſſitate extrema conſumpſit bona aliena, tunc, vel ànte neceſſitatem ſurreptà. 35. 73. 445. Nec, qui vtitur beneficio ceſſionis bonorum;

Digitized by Google

bonorum: niſi ad ditiorem fortunam redeat. *ibi n.76*

Reſtituere non obligatur quis cum diſpendio decentiæ ſui ſtatus, ſi iuſtè eum adquiſiuit: ſecùs, ſi iniuſtè. 35. 75. 445. Nec tenetur ad reſtituendum vendere ſupellectilem neceſſariam ſuæ domus, nec bona ſua diſperdere, niſi creditoris damnum ſit æquale. *ibi n.76*

Reſtituere an teneatur quis cum amiſſione magni lucri. 35.78.446. Non tenetur reſtituere bona inferioris ordinis cum periculo amiſſionis bonorum ſuperioris ordinis. *ibi.* Ad reſtitutionem differendam, aut omittendam regula generalis traditur. *ibi n.79*

Reuocatio Bullæ Cruciatæ.

Reuocare Bullam Cruciatæ nequit Pontifex intra annum durationis, niſi compenſet, ſi habeat, vndè. *diſp.* 2. *à num.* 32. 33. Reuocatio Bullæ, ſi fieret, deberet in ſingulis Prouinciis publicari. *ibi num.* 36. 34

Reuocare poteſt Pontifex Bullam, elapſo quovis anno ſexennij, pro quo conceditur: ſi non concedatur per modum contractus lucratiui. *ibi num.* 40. 35. Non reuocantur eius priuilegia per Iubilæum anni ſancti, aut ſimilem, nec per Bullam in Cœna Domini. *ibi à n.43*

Rex.

Reges, & Principes externi, ſi ad Hiſpaniam accedant, & Bullam Cruciatæ velint accipere, octo argenteos pro illa ſunt erogaturi. *d.*14.*n.*14. 97

Romæ indulgentia. Vide *Indulgentia.*

S

Sacerdos.

SAcerdos quilibet poteſt abſoluere à venialibus, & à mortalibus iam ritè confeſſis. 22.2. 147. Idem poteſt Sacerdos Regularis validè etiam abſque licentia ſuperioris. *ibi n.3*

Sacerdos ſimplex nequit eligi in Confeſſarium virtute Bullæ Cruciatæ, etiam ſi ſit magna frequentia pœnitentium, & non ſit facilis aditus ad Ordinarium. 22. 111. 171. Nec approbari poteſt à Parocho. *ibid.*

Sacramentum Pœnitentiæ.

Sacramenti Pœnitentiæ miniſter ſolus eſt Sacerdos, etiam in articulo mortis, qui ſolus etiam tunc poteſt abſoluere ab excommunicatione intra Sacramentum. 22. 1. 147. Exponitur miniſter huius Sacramenti. *ibi à n.*14. 149

Salmanticenſes Scholares.

Salmanticenſes Scholares, poſſunt virtute Bullæ Cruciatæ abſolui ab excommunicatione generali lata ab Scholaſtico Salmantino ſibi abſolutionem reſeruante. 25. 45. 267

Sartores.

Sartores quando reſtituere teneantur, aut poſſint Bulla compoſitionis vti? *diſp.* 35. *à num.* 26. 438. Nequeunt ſibi retinere fragmenta non exigua veſtium, ſic verò minuſcula. *ibi à n.27*

Satisfactio.

Satisfactiones, quæ participantur à iuſtis, & quas Pontifex diſtribuit in indulgentiis, quænam ſint, declaratur. 19. 21. 127

Secretarius.

Secretarius quis ſit, & ad quæ teneatur? *diſp.* 34. *num.* 126. 416. Idem exponitur de Secretario Epiſcopi, & cuiuſvis Miniſtri Eccleſiaſtici. *ibi.* An, & in quibus componi per Bullas valeat? *ibi n.*128. 417

Senator.

Senatorum nomine qui comprehendantur in ordine ad maiorem eleemoſynam pro Bulla Cruciatæ erogandam? Non comprehenduntur Auditores exercituum, aut ſtatuum alicuius Magnatis. *diſp.* 14. *n.* 13. 96

Sepultura.

Sepultura Eccleſiaſtica tempore interdicti conceditur ei, qui, dum viueret, Bullam Cruciatæ accepit, cum moderata pompa funerali, & quænam hæc ſit? 15 46. 107. Circa ſepulturam Eccleſiaſticam tempore ceſſationis à diuinis nihil Bulla concedit. *d.*27.*n.*41. 336

Sermo.

Sermo prolatus de primo actu debet intelligi. Explicatur hoc proloquium. *diſp.* 6. *n.*64. 66.

Servus.

Servus an aliquid poſſit amittere in ludo abſque onere reſtitutionis in lucrante? 34. 162. 422

Sexagenarius.

Sexagenarij presbyteri ſæculares, & Regulares poſſunt virtute Bullæ Cruciatæ communis edere oua, ac lacticinia in ieiuniis Quadrageſimæ; & ſufficit attigiſſe ſexageſimum annum. *d.*18. *n.*10. 117

Simonia.

Simonia non eſt, iniungere onus temporale pecuniæ pro Bulla Cruciatæ, aut pro diſpenſationibus. *d.*1. *à num.*29. 17. Etiam ſi applicetur ad ſuſtentationem concedentis. *ibi à n.*32. 18

Simoniacus in quibus caſibus, & cui teneatur reſtituere? *diſp.*34. *à n.*83. *ibid.* Simoniacus in Beneficio, aut in Ordine non ſit irregularis. *d.*37. *à n.*72. 466. Nec eget diſpenſatione, niſi celebret excommunicatus,

&

Digitized by Google

& tunc poterit diſpenſatio à Commiſſario Cruciatæ præſtari, & reualidari titulus Beneficij, ac fructus componi; ſed non poterit reualidatio fieri ab eo, nec ab Epiſcopo, ſi in Beneficio ſit ſimoniacus. *ibi n.*74

Societas IESV.

Societatis IESV Confeſſarij quos, & à quibus peccatis poſſint abſoluere virtute ſuorum priuilegiorum? *diſp.* 22. *num.*21. 151. Semel approbati an poſſint abſque noua approbatione in itinere audire confeſſiones in quavis diœceſi; *ibi n.*50. 158. *& d.*9. *n.*11. 80

Societatis priuilegia debent communicari ſubditis à Superioribus; aliter non proſunt. *diſp.*22. *num.*106. 170. Priuilegium abſoluendi à reſeruatis Epiſcopo diſcutitur. 23. 44. 185. Quomodo fieri debeat reuocatio priuilegiorum Societatis, vt vim habeat? *ibi n.*51. 186

In Societate IESV reſeruati ſunt omnes caſus contenti in Bulla Clementis Octaui, & alij 24. 4. 203. Indulgentiæ conceſſæ Religioſis Societatis libantur. 20. 14. 132. Quas, & quibus poſſint impertiri Prouinciales, & Confeſſarij? 6. 21. 57

Societatis Religioſi iter agentes abſolui poſſunt directè à reſeruatis cum onere comparendi, & quomodo? *diſp.* 24. *num.* 65. 219. *&* 77. 222. Quis poſſit in Societate eximere à reſeruatione Religioſos? *ibi n.* 86. Quis abſoluere queat à reſeruatis ſuperiores Societatis? *ibi à num.* 102. 228. *& à n.*112. 230

Societatis Religioſos non poſſe eligere Confeſſarium pro reſeruatis virtute Bullæ Cruciatæ, indubitabile eſt. *diſp.*24. *à numer.*165. 245. Poſſunt verò virtute Iubilæi extraordinarij, qualis eſt duplicis hebdomadæ. *ibi n.*170. 247

Societatis Confeſſarij à quibus cenſuris abſoluere valeant? 25. 16. 261. In Societate quinam, & in quibus votis diſpenſare poſſint? 26. 35. 293

Societatis Confeſſarij quæ vota commutare queant virtute ſuorum priuilegiorum? *d.*26. *n.*58. 296. Generalis Societatis poteſt concedere facultatem ad abſoluendum à caſibus Bullæ Cœnæ his Confeſſariis, quos mittit ad terras Infidelium, vnde nequit Pontifex adiri. 2. 45. 35

Societatis IESV inſtitutum impugnare, etiam titulo diſputandi, prohibitum eſt ſub excommunicatione. 1. 37. 20

Societatis priuilegia tempore interdicti proponuntur. 15. 9. 99. Item priuilegia circa vſum altaris portatilis, & circa Oratoria. 16. 2. 108. Rursùs priuilegia circa eſum carnium, ac ouorum diebus prohibitis, & circa facultatem concedendam ad non ieiunandum. Et explicantur circunſtantiæ. 17. 5. 112

Societatis IESV Religioſi poſſunt abſque Bulla Cruciatæ lucrari omnes indulgentias, quæ Romæ obtinentur. 20. 27. 135. Societatis priuilegium circa conſecrandá altaria in locis remotiſſimis, *ibi num.* 36. 138

Societatis Superiores quam poteſtatem habeant diſpenſandi cum ſubditis in irregularitate? *d.*37. *n.*71. 466

Societatis Prouinciales, & Confeſſarij, quibus illi commiſerint, poſſunt diſpenſare, vt debitum petat coniux, qui habuit copulam cum vxoris ſuæ conſanguinea in primo, & ſecundo gradu, aut è contrà. *d.*37. *n.*95. 470. Societatis Religioſi quam ſententiam pro ſe obtinuerint in ſupremo Tribunali in cauſa cum Epiſcopo Angelopolitano in Indiis? *d.*22. *n.*122. 176

Sortilegium.

Sortilegium explicatur, quatenùs in Religionibus eſt reſeruabile. *d.*24. *n.*24. 208

Stationarij. Stationes.

Statio, & ſtationarij milites olim quid eſſent, exponitur. 20. 15. 133. Stationum indulgentiæ vndè dictæ, & quis fuerit earum author, declaratur. *ibi.* Quando obtineantur virtute Bullæ Cruciatæ, & qua oratione? Vide *Indulgentia*, & *Oratio*, & *Purgatorij anima.*

Stylus Cruciatæ.

Stylus ordinis iudicialis, qui ſeruatur in Conſilio Supremo, ac in cæteris Tribunalibus Cruciatæ, proponitur. *d.*38. *à n.*84. 492

Subſidium.

Subſidium in Hiſpania erogatum ab Eccleſiaſticis quid ſit, & à quibus ſoluatur. *d.*38. *n.*9. 476. Subſidij negotia, ac lites ſuper eo pertinent ad Iudices Cruciatæ. *ibid.* Subſidij conceſſio, & finis conceſſionis declaratur. *ibi n.*10

Suffragium.

Suffragium exponitur, & quid ſit, applicare indulgentias defunctis per modum ſuffragij. 12. 4. 89

Suſpenſio cenſura.

Suſpenſionis definitio, ac diuiſio. 25. 11. 260. Poteſt dari ſuſpenſio abſque culpa ſuſpenſi. *ibi n.* 12. Quis poſſit ſuſpendere? Quis ſuſpendi, ob quam culpam, & quibus conditionibus? *ibi n.*13

Suſpenſionis violator quam pœnam incurrat? 25. 14. 261. Quibus modis, & à quo tolli valeat ſuſpenſio? *ibi n.*28. 264

Suſpenſiones Sedi Apoſtolicæ reſeruatæ proponuntur. *d.*25. *à n.*90. 274. Nulla ſuſpenſio eſt, à qua virtute Bullæ Cruciatæ nequeat abſolui. *ibi n.*99. 275

Digitized by Google

Suſpenſio gratiarum. Vide *Gratia*, & *Facultas*.
Suſpenſio interdicti. Vide *Interdictum*.

Sutor.

Sutores in quibus caſibus reſtituere teneantur; & quando poſſint vti Bullis compoſitionis? d.33.n.33.p.265

T

Tabellio.

Tabellio quid ſit? Eius munus ac obligationes;& in quibus peccet? d.34. à nu. 122.p.416.An,& quibus caſibus valeat vti Bullis compoſitionis? ibi n.128.417

Tabellio accipiens ſtipendia vltra taxam impoſitam quando queat per Bullas componi?d. 34.nu.141.419. An tum ipſe, tum alij Officiales publici reſtituere teneantur pretium acceptum ſupra taxam? ibi à n.143.ibid.

Teſtis.

Teſtis accipiens pretium pro actione iniuſta an reſtituere teneatur, & indigeat compoſitione per Bullas?d.34.à n.112.414. In quo iniquè operetur teſtis,& ad quæ teneatur? n.214.432

Theſaurus, & Theſaurus Eccleſiæ.

Theſaurus quid ſit, & cuius fiat, cum inueniatur in proprio, aut in alieno fundo; caſu, vel conſultò, ſiuè artè magica? d. 33. à nu.2. 380. Quid de aliis rebus pretioſis inuentis? ibi n.6.p.381

Theſaurum vt comparet ſibi quis, an poſſit emere fundum, vbi abſconditur, quin illius notitiam præbeat? 33.4.p.381

Theſaurus Eccleſiæ quid ſit, ex quibus ſatiſfactionibus coaleſcat,& alia circa illum exponuntur. 6.3.53

Tridentinum Concilium.

Tridentinum exigens approbationem in Confeſſariis elucidatur. diſp.22.n.43.156

V

Vagus. Vide *Peregrinus*.

Venatio.

Venari tempore, aut modo prohibito nõ inducit obligationem reſtituendi.34. 189.p.428.Venari in nemore domini certi non concluſo non infert reſtitutionis obligationem:ſic verò,venari in nemore clauſo. ibi n.190

Veneficium.

Veneficium,quatenùs reſeruabile in Religionibus,exponitur. 24.22.207. Vtens veneficio, & applicans incidunt in id peccatũ, vt reſeruatum,non autem conſulens.ibi.

Venditor.

Venditor quando teneatur ſub onere reſtitutionis defectus rei venditæ manifeſtare?d. 34.n.218.p.433.De venditoribus vini plura exponuntur. ibi à 213.p.433

Vicarius.

Vicarius Parochi, expleto muneris ſui tempore, non eſt eligibilis in Confeſſarium per Bullam Cruciatæ, niſi diuerſam approbationem habeat ab Ordinario. diſp. 22.n.104.p.170

Vltramarinum votum. Vide *Votum*.

Votum.

Voti explicatio, & materia. diſp. 26. num. 1. p.287. Dubium, & emiſſum ex metu an teneat? ibi num. 2. Quam promiſſionem, & quem animum in vouente requirat? ibi num. 3. Quando illud irritet dolus, & error? ibi n.4

Votum cui fiat,& quotuplex ſit? 26. 5.p.287. Quando ſit abſolutum,& quando cõditionale emiſſum per particulam ſi? ibi. Quæ ſit materia ſufficiens, & inſufficiens voti? ibi à n.6.p.288

Votum materiæ leuis quotidie adimplendæ, etſi nunquam adimpleatur, non eſt peccatũ lethale.26.9.p.288.Quando deſinat votum obligare? ibi. Quibus modis tollatur obligatio, & ſinguli modi declarantur. ibi à n.10.ibid.

Vota quænam,quorũ,& à quibus irritari valeant? 26.à n.11.p.289. Diſpenſatio in voto exponitur,& à quibus poſſit præſtari.ibi à num.16.An Pontifex queat diſpenſare in votis ſolemnibus? ibi n.21

Vota reſeruata Pontifici explicantur, & quinã in eis diſpenſare poſſint?26.22.290.Poteſt Epiſcopus diſpenſare ad petendum debitum cum eo, qui ante matrimonium caſtitatem vouit: & quid, ſi poſt matrimonium? ibi n. 24. 291

Votum alicuius oppidi circa ieiunium,aut obſeruationem Feſti quomodo obliget ſucceſſores? 26. 25.291.In circunſtantiis voti reſeruati quis poſſit diſpenſare? ibi à num.26

Vota aliundè reſeruata, ſi ſint conditionalia aut pœnalia, non manent reſeruata. diſp. 26.n.29.292.Quæ cauſa requiratur ad diſpenſationem in voto validam, & licitam? ibi à n.32

Voti commutatio quid ſit, declaratur. 26.36. 293.Qui,& quæ vota commutare valeant in maius bonum, in minus, & in æquale? ibi à num.37. Vota iurata poteſt commutare,qui poteſt alia vota; & cætera de votis iuratis explicantur. ibi n.37

Votum vt commutetur in æquale, requiritur cauſa;& quę cauſa? 26.n.38.293.& 46.ibid. 294. Quæ æqualitas eſt ſeruanda? ibi 39. ibid.Voti commutati materia ſi non adimpleatur, aut reddatur impoſſibilis, non
tenetur

Digitized by Google

tenetur vouens ad materiam prioris voti. *ibi n.*41.*&* 157.314

Voto commutato, an poſſit vouens regredi ad priorem materiam? *d.*26. *n.*42. 294. & 153. 314. In quid ſit commutandum votum? *ibi nu.*43.294. Vota reſeruata an poſſint commutari in melius? an in votum Religionis? an in Epiſcopatum? *ibi à nu.* 47.295

Votum an aliquando reuiuiſcat? *d.* 26. *n.*50. 295.*&* 54.296. Qui poteſt votum commutare, poteſt, & pœnam appoſitam, ſi frangatur. *ibi nu.*52.296. Vota emiſſa poſt publicationem Bullæ Cruciatæ, aut Iubilæi poſſunt virtute illorum commutari. *ibi n.* 53.*ibidem.* Item emiſſa ante acceptionem Bullæ.*d.*23.*n.*5. 203. Quæ ſint attendenda in commutatione voti. *diſp.*26.*n.*55.296

Votum perpetuum eſt commutandum communiter in aliud votum perpetuum. 26. 57.296. Diſpenſari poteſt in voto, adhuc ſi per commutationem poſſet ſuccurri vouenti. *ibi nu.* 56. Stylus proponitur, quo Romæ in Officio Pœnitentiariæ vota commutantur. *ibi n.*57

Vota, quæ poteſt Epiſcopus commutare, poſſunt virtute Bullæ Cruciatæ commutari, & præterea votum Compoſtellanum, ac votum ad limina Apoſtolorum. 26. 59. 297

Votorum commutatio per Bullam debet fieri partim in ſubſidium Cruciatæ: ſecùs ſi Regulares commutent vota, quæ poſſunt, virtute priuilegiorum. 26.60.297. Vota, & iuramenta, vel plura vota circa eamdem materiam an vnum vinculum conſtituant? *ibi n.*72.299

Votum, aut iuramentum emiſſum ex metu graui eſt inualidum. 26. 73. 299. Vota, ac iuramenta Communitatum nequeunt per Bullam relaxari, ſic verò per Epiſcopum. *ibi n.*80.300

Vota conditionalia materiæ aliundè reſeruatæ poſſunt per Bullam, ac per Iubilæum, & per Regularium priuilegia commutari ante. & poſt adimpletam conditionem. 26.82.301

Votum cum hac conditione, *ſi vixero*, eſt abſolutum. 26. 89. 301 Etiam eſt abſolutum, ſi fiat cum conditione neceſſaria, quamvis ignoretur res ſub conditione poſita. *ibi à n.*89

Vota pœnalia materiæ aliundè reſeruatæ, adhuc impleta conditione, commutari queunt per Iubilæum, Bullam, & priuilegia Regularium.*d.*26.*à nu.*91.303. Quibus modis hæc vota emittantur. *ibi* 93

Votum pœnale, ſemel incurſa pœna ob fractionem, vtrùm obliget vlteriùs? 26. 94. *ibidem.* Votum emiſſum in pœnam delicti iam commiſſi, ſi materiæ ſit reſeruatæ, nequit per Bullam commutari. *ibi* 95

Votum ſic emiſſum: *Voueo Caſtitatem, &, ſi fregero, promitto Religionem:* poteſt per Bullam commutari quoad Religionem, non quoad Caſtitatem. 26.97.304

Votum Caſtitatis exceptum in Bulla Cruciatæ, & alia vota excepta, ſunt ſolùm abſoluta, & perpetuæ, ac perfectæ Caſtitatis.*d.*26.*à n.*100.305. Vnde commutari poteſt per Bullam votum caſtitatis ad tempus, non verò per centum annos, aut per eos, quos vouens non explebit moraliter, *ibi à n.*103

Votum virginitatis an poſſit per Bullam Cruciatæ commutari? *d.* 26.*à nu.*105. *ibid.* Poteſt votum mutuum coniugum de non petendo debitum; & votum non nubendi, niſi ſit factum in gratiam alterius. *ibid. à n.* 109.306

Votum caſtitatis coniugalis, dum non ſit emiſſum ab Equite militari, poteſt commutari per Bullam. *diſput.* 26. *num.* 111. 306. Et votum abſtinendi à tali actu Venereo, aut cum tali fœmina. *ibi num.* 112. 307. Et votum aſſumendi Ordinem Sacrum, ac votum vouendi materiam reſeruatam. *ibi num.* 113. *ibid.* Item votum diſiunctiuum, cuius vna ſola pars eſt reſeruata. *ibi num.* 114. *ibid.* Quamvis vouens iam elegerit partem reſeruatam *num* 115. *ibidem.* Et votum materiæ reſeruatæ emiſſum ex metu leui ab extrinſeco. *n.*117.*ibidem.*

Votum caſtitatis emiſſum ab vno coniuge ſine alterius conſenſu poteſt per Bullam commutari: non verò emiſſum ante matrimonium, vt poſſit petere debitum.*d.*26. *à nu.*118. 303. Ab vtroque coniuge emiſſum nequit commutari: in aliquo caſu poteſt ab Epiſcopo. *ibi n.*121

Vota diuerſa caſtitatis partialis, quæ ſimul conſtituunt perfectam caſtitatem, an queant per Bullam, Iubilæum, aut priuilegia Regularium commutari? 26. 122. 308. Poteſt commutari votum materiæ aliundè reſeruatæ emiſſum cum intentione, vt non obliget ad mortale. *ibi* 123. 309

Votum diſiunctiuum, cuius vna pars eſt materiæ reſeruatæ, etiam ſi alia ſit reddita impoſſibilis, virtute Bullæ poteſt commutari. *diſp.* 26. *num.* 124. 309. Et votum materiæ non reſeruatæ, in quam commutatum fuit à Pontifice votum reſeruatum. *num.* 125. *ibid.* Non verò votum materiæ reſeruatæ, in quam fuit commutatum à quovis votum non reſeruatæ. *ibi à num.* 126

Digitized by Google

Votum Religionis exceptum in Bulla Cruciatæ eſt Religionis approbatæ. 26. 129. 310 Commutari poteſt votum obedientiæ, & paupertatis emiſſum in ſæculo. *ibi n.* 130. *ibid.* Et votum ingrediendi Ordines Militares, præter Ordinem Sancti Ioannis. *ibi à n.* 31

Vota reſeruata, quæ patres, & domini queunt irritare, non poſſunt commutare. 26. 133. 310. Votum ingrediendi Religionem ſtrictiorem poteſt per Bullam & Iubilæum commutari in aliam, etiam latiorem. *ibi num.* 134. & 139. 311. Item votum perſeuerandi in Religione, prout condiſtinguitur à voto ingrediendi. *ibi n.* 136

Votum ingrediendi Religionem tali tempore poteſt ex cauſa commutari in aliud tempus per Bullam. Vbi de cauſa ſufficienti ad dilationem impletionis cuiuſvis voti. 26. 137. 311

Votum tradendi perpetuò ſe in obſequium xenodochij, aut agendi vitam eremiticam poteſt per Bullam commutari. *d.* 26. *n.* 129. 310. & 139. 311

Votum vltramarinum exceptum in Bulla Cruciatæ ſolùm eſt Ieroſolymitanum: excipiturque, quamvis fiat deuotionis cauſa, & non in ſubſidium terræ Sanctæ. *diſp.* 26. *à nu.* 141. 312. In commutatione illius idem dic proportionatè, ac in commutatione voti Caſtitatis, & Religionis. *ibi nu.* 140. *ibid.* Eius qualitates, veluti ire emendicando, ac ſimiles, valent commutari per Bullam. *ibi n.* 144

Votum commutandi in ſubſidium terræ Sanctæ bona incerta non eſt reſeruatum: Nec alia vota Crucis. *d.* 29. *à nu.* 145. *ibid.* Vota in fauorem operis pij emiſſa an poſt acceptationem poſſint per Bullam commutari? *ibi n.* 148. 313

Votum non petendi commutationem voti poteſt commutari per Bullam, & votum non peccandi. *diſp.* 26. *à n.* 151. *ibid.* Item votum emiſſum cum animo reddendi illud incommutabile. *n.* 155. *ibid.*

Vota non manent commutata ex eo, quod quis accipiat Bullam eo animo, vt ſibi commutentur. *d.* 26. *nu.* 155. 314. Commutatio per Bullam ſolùm pro foro interno prodeſt. *ibi n.* 156

Vota emiſſa poſt acceptionem Bullæ, aut poſt inceptum tempus Iubilæi poſſunt per ea commutari. *d.* 26. *à num.* 158. 314. Et vota emiſſa ſpe obtinendi commutationem. *ibi n.* 161. 315. Materia, in quam commutantur vota intra tempus durationis Bullæ, aut Iubilæi, poteſt ex cauſa deſignari poſt id tempus, & committi laico, aut alteri ſubrogatio materiæ, ac facta commutatione, non tenetur vouens ad priorem materiam, dum alia ſubrogatur. *ibi à numer.* 163

Vota poſſunt commutari poſt tempus Bullæ aut Iubilæi, ſi antecedenter fuit petita commutatio. 26. 165. 316. Ac, ſi omnium votorum commutatio tunc petitur, & obtinetur, poteſt commutari poſteà votum, cuius fuit obliuio. *ibi n.* 166.

Vota nequeunt commutari, antequam emittantur. 26. 169. 317. Si non petatur voti emiſſi commutatio intra durationis Bullæ tempus, nequit poſteà virtute illius commutari: Et quid de Iubilæo? 26. 173. 318

Votorum commutatio per Bullam non tota eſſe debet in ſubſidium Cruciatæ; ſed pars. *diſp.* 26. *à n.* 174. 318. Quanta pars ſit tribuenda in ſubſidium? *ibi n.* 176. *ibid.* Ea pars minuenda eſt ex alia materia commutationis. *ibid.* An poſſit fieri commutatio in ſubſidium ſpirituale? *ibi à n.* 177. 319. Subſidium Cruciatæ eſt cauſa ſufficiens ad commutationem votorum per Bullam *ibi à n.* 182.

Votorum commutatio an fieri valeat in minus bonum? *diſp.* 26 *à n.* 185. 320 Nequit in eis diſpenſari virtute Bullæ Cruciatæ. *ibi à n.* 194. 321

Votorum commutatio per Bullam nequit fieri niſi à Confeſſore approbato, etiam in articulo mortis. *diſp.* 26. *à n.* 196. 321

Voto ieiunandi in die indeterminato non ſatisfit per ieiunium aliundè præceptum. *diſp.* 19. *n.* 15. 125

Votorum commutatio per Bullam poteſt fieri extra forum pœnitentiæ, & à Confeſſario, qui non ſit Confeſſor vouentis. 26. 201. 322. Nequeunt, niſi in foro pœnitentiæ commutari, quando Pontifex id limitat in conceſſione facultatis. *ibi n.* 203. 323

Voti commutatio non debet fieri in materiam aliundè debitam. 26. 213. *ibid.* Praxis ſeruanda in commutatione votorum, ac iuramentorum, & in ſubrogatione materiæ. *ibi à n.* 210. 324

Vſura.

Vſura quid, quotuplex, & quando in contractibus detur? Aliqui caſus recenſentur. *d.* 34. *à n.* 4. 393

Vxor.

Vxor quantum, & in quibus caſibus poſſit ammittere in ludo abſque onere reſtitutionis in luctante? *d.* 34. *n.* 161. 422

Digitized by Google

INDEX SECVNDVS RERVM,

Quæ in Tractatu Appendice Miſcellaneo continentur.

Prior numerus diſputationem; Secundus numerum marginalem; Tertius paginam deſignant.

A.

Abſolutio.

ABSOLVTIO poteſt præſtari virtute Bullæ præcedentis à reſeruatis de nouo commiſſis, ſi incepta fuerat confeſſio antecedenter. *d.* 1. *à n.* 59. *p.* 504. Vide *Reſeruati caſus. Cenſura.*

Annus.

Annus durationis Bullæ eſt naturalis. *d.* 1. *à num.* 50. *p.* 502. *d.* 5. *n.* 166. *pag.* 599.

Annus ſexageſimus excuſans à ieiunio,& requiſitus in Bulla ad includendum ſub indulto ciborum perſonas excluſas ſufficit inceptus. *d.* 2. *à n.* 48. *p.* 514.

Aprprobatio, & approbatus.

Approbatus ab ordinario proprio nequit vbique eligi per Bullam *d.* 2. *à n.* 105. *p.* 522. Neque is, cuius approbatio reuocata eſt etiam abſque cauſa. *ibi à n.* 108. *p.* 523. eius reuocatio valida eſt, reſpectu Sacerdotum ſæcularium, licet cauſa non adſit. *ibi.*

Approbationem ſuam ignorans,licèt eam habeat,inualidè excipit Confeſſiones. *d.* 2. *à n.* 112. *p.* 523.

Approbatio Oratorij à quo ordinario ſit præſtanda. *d.* 5. *ex n.* 126. *p.* 589.

Aqua benedicta.

Aqua benedicta fuſa ſuper ſepulturas defunctorum Leuamen eis affert. *d.* 5. *cap.* 2.

Articulus mortis.

Qui poteſt abſoluere in articulo mortis à reſeruatis, poteſt etiam in periculo mortis, *d.* 5. *ex n.* 142. *p.* 594.

B.

Bona incerta.

BOna domini longè diſtantis an, & quomodo per Bullas componi poſſint? *diſp.* 3. *à n.* 28. *p.* 538. An poſſit Princeps ſæcularis bona incerta componere, aut de illis diſponere. *ibi à n.* 29. *p.* 538. ſemel compoſita bona per Bullas,non tenetur quis reſtituere, ſi poſteà dominus compareat. *diſp.* 5. *n.* 171. *p.* 600.

Bona inuenta, ſi quæſitus non compareat dominus, poſſunt ab inuentore retineri. *ibi n.* 171.

Bulla Cruciatæ.

Bulla an valeat in Inſula Lipari propè Siciliam? *d.* 1. *à n.* 16. *p.* 497.

Bulla non prodeſt ei, qui ciuiliter ſolùm commoratur in loco, in quo viget. *diſp.* 1. *à n.* 10. *p.* 497. Prodeſt extero aduenienti ad portum loci, in quo illa viget, etiamſi accipiat eam,quin terram attingat, non verò nauiganti per mare vicinum. *ibi à n.* 24. *p.* 408.

Bulla an reuocari valeat abſque ſatisfactione, ſi hæc ſit poſſibilis? *d.* 5. *ex n.* 7. *p.* 559.

Bulla lacticiniorum prodeſt Regularibus, ſi aſſumantur in Epiſcopos, non autem Regularibus Ordinis S. Franciſci de Paula. *d.* 2. *n.* 72. *p.* 517.

Bulla compoſitionis an proſit pro bonis domini longè diſtantis? *d.* 3. *à n.* 23. *p.* 537.

Bulla defunctorum vnica poteſt pro pluribus defunctis applicari. *d.* 4. *à n.* 68. *p.* 552.

Bullæ ſummarium,etiam ſi culpabiliter amittatur,prodeſt. *d.* 2. *n.* 172. *p.* 553. & *d.* 5. *ex n.* 1. *p.* 557.

Bulla gaudere poteſt is,qui ex loco, in quo non valet, accedit ad locum in quo valet, ſolùm, vt eam accipiat. *diſp.* 5. *ex n.* 164. *p.* 599.

Bulla vna defunctorum poteſt pluribus animabus partialiter applicari. *ibi n.* 174. *p.* 600. Tranſacto anno durationis Bullæ, pro nullo die valet Bulla communis. *ibi n.* 167. *p.* 599.

C.

Carnium eſus.

CArnium eſus per Bullam quid addat ſuprà ius commune? *diſp.* 2. *n.* 30. *p.* 511.

Cathecumenus.

Cathecumeni quare non gaudeant Bullæ priuilegiis amplè interpretandis? *d.* 1. *à n.* 27. *p.* 499.

Cauſa.

Cauſa inchoata,& pendens, quid ſit, explicatur. *d.* 2. *n.* 163.

Cenſura.

Abſolutio à cenſuris virtute Bullæ præſtita, an valeat pro foro externo, ſi fuerit parti ſatisfactum? *d.* 5. *ex n.* 109. *p.* 585.

Commiſſarius Generalis Cruciatæ.

Commiſſarius an poſſit diſpenſare in bigamia interpretatiua? *d.* 3. *à n.* 12. *p.* 535. Poteſt diſpenſare in irregularitatibus contentis in ſua poteſtate, etiamſi delicta patrata ſint in contemptum clauium, vno delicto excepto. *ibi à n.* 14. *p.* 536. Poteſt diſpenſare in illis cum Regularibus, etiam Societatis IESV, adhuc ſine licentia ſuorum Superiorum. *ibi à n.* 16. An poſſit concedere Oratoria? *d.* 5. *ex n.* 131. *p.* 591.

Confeſſarius.

Confeſſarius an poſſit iniungere pœnitentiam ſacramentalem applicandam pro animabus Purgatorij? *d.* 4. *à n.* 5. *p.* 550. An poſſit audire Confeſſiones, & eligi virtute Bullæ is, qui ſponte dimiſit Beneficium Parochiale? *d.* 5. *ex n.* 138. *p.* 593. & *d.* 2. *ex n.* 133. *p.* 526. Confeſſarius virtute Bullæ poteſt abſoluere à reſeruatis non ſolùm in Articulo, ſed etiam in periculo mortis. *d.* 5. *ex num.* 142. *p.* 594. Vide *Abſolutio. Approbatio. Reſeruati caſus.*

Conſuetudo.

Conſuetudines non ſuſpenduntur per Bullam Cruciatæ. *d.* 3. *n.* 4. *p.* 534.

D.

Defunctus.

DEfunctis an proſint opera, quæ fieri mandantur ab exiſtente in peccato mortali? *d.* 4. *à num.* 63. *p.* 551. Et an, cum exercentur opera à mandatario, ſint

Digitized by Google

ſint ſatisfactoria? *ibi à n.65.* Et quid ſi non reuocet mandatum, cum redit ad ſtatum gratiæ? *ibi.* Indulgentiæ pro defunctis an ſuſpendantur per Bullam Cruciatæ? *d.5.ex n.162.p.598.* Vide *Bulla Defunctorum. Purgatorium. Sepultura. Suffragium.*

Dominus Vaſſallorum.

Domini Vaſſallorum, quam eleemoſynam ſint erogaturi pro Bulla communi viuorum, ſi plures ſint domini vnius loci? *diſp.2.à num.1.p.507.*

E.

Eleemoſyna.

ELeemoſynam pro Bulla communi viuorum eamdem ſunt erogaturi Duces, Marchiones, Comites, & ſimiles Dynaſtæ, ſiuè vaſſallos habeant, ſiuè non habeant. *d.7.à n.2.p.508.*

Eleemoſynæ vis ſatisfactoria expenditur tum pro viuis, tum pro defunctis, & ea vis præfertur ieiunio, & orationi. *d.4.à num.44.p.548.*

H.

Hæreſis. Hæreticus.

HÆreticus poteſt gaudere aliquibus Bullæ priuilegiis. *d.1.n.31.p.499.* Ab hæreſi externa occulta an poſſint abſoluere Epiſcopi, & an Confeſſor virtute Bullæ? *d.2.à n.148.*

Hora Canonica.

Horas Canonicas recitans cum voluntaria diſtractione an ſatisfaciat præcepto, & an reſtituere teneatur fructus *d.3.à n.37.p.540.*

I.

Inceſtus.

INceſtuoſus cum conſanguinea vxoris in primo, aut ſecundo gradu in nullo caſu poteſt petere debitum ab vxore abſque diſpenſatione. *d. 3. à n. 13.p.536.* Priuatio iuris petendi debitum, non ſolùm eſt pœna, ſed oritur ab impedimento. *ibi.* Expenduntur pœnæ, quas aſſignat Pontifex in diſpenſatione inceſtus ad contrahendum matrimonium. *n.16.*

Ieiunium.

Ieiunare non tenetur diſpenſatus ad carnium eſum, etiam ſi die ieiunij carnes non edat. *d. 2. à n. 38. p. 512.*

Indulgentia.

Indulgentia de pœnitentiis iniunctis non extenditur ad non iniunctas. *d.2.à n.88.p.519.*

Indulgentiæ pro defunctis an ſuſpendantur per Bullam Cruciatæ? *d.5. ex n.162.p.598.*

Indulgentiam plenariam obtinens manet liber practicè ab adimplenda pœnitentia ſacramentali. *ibi. à num.91.*

Indulgentia ſtationum vt obtineatur, ſat eſt, viſitare vnum altare quinquies, ſi vnicum eſt in Eccleſia, quamvis in oppido ſint quinque. *d. 2. à n.95. p.521.* Non eſt opus, moueri de loco, aut ſignum externum facere, vt diſtinguantur quinque viſitationes. *ibi à n.97.*

Indulgentia plenaria ſemel in vita, & ſemel in morte virtute Bullæ nequit applicari à Laïco, nec à Tonſurato, nec à Sacerdote non approbato. *d. 2. à n.99. p.521.*

Interdictum.

Interdicti tempore poſſunt Regulares vbique, etiam vbi Bulla viget, pulſare campanas in feſtis propriis ſolemnibus. *d.3.à num.9.p.535.* Poteſt Bulla gaudens audire in Eccleſia ſpecialiter interdicta Miſſam, quæ celebratur pro renouanda Eucharistia. *diſp.5.n.168.p.599.*

Interpretatio.

Interpretanda ſunt amplè omnia Bullæ Priuilegia. *d.1.à n.1.p.495.*

Interpretatio *cap. denique diſtinct. 4. diſp.2. à num.58. p.515.* Item *cap. Presbyter diſtinct. 82. diſp.2.à n.14. p.517.* Item *capitis 1. de voto. d.2. à nu. 157.p.530.*

Irregularitas.

Irregularitas nulla poteſt tolli virtute Bullæ Cruciatæ. *d.5.ex n.144.p.565.*

L.

Lacticinia.

LActicinia an ſint prohibita in Dominicis Quadrageſimæ, & abſque Bulla in illis poſſint edi à Laïcis, & Eccleſiaſticis? *d.2. à num. 56. p. 515. & d. 5. ex n. 32. p. 565.* Quòd ſi prohibita eſſent iure communi, an poſſent edi ab Eccleſiaſticis virtute Bullæ communis viuorum in illis Dominicis? *ibi n.70. p. 574.* Vide *Oua. Bulla Cruciata.*

Liparis inſula.

Liparim inſulam prope Siciliam, non poſſe gaudere Bulla Cruciatæ, probabilius eſt. *d. 1. à num. 16. p. 497.*

M.

Marius Cutellus.

MArij Cutelli defenſio circa indulgentias. *d. 1. à n. 64. p.505.*

Medicus ſpiritualis.

Medici ſpiritualis requiſiti in Bulla conſilium veſcendi carnibus qualitas exponitur. *diſp.2.à n. 34. p.512.* Et quis dicatur propriè medicus ſpiritualis? *ibi n.37.*

Miles, & Militiarum Regulares.

Miles in bello non tenetur ieiunare, etiam ſi ieiunium iniunctum ei fuerit à Confeſſario. *diſp. 1. num.12. p. 496.* Obligatio autem ieiunandi, cum poſſit, perſeuerat. *num. 14.*

Militiarum Equeſtrium Regulares, etiam Sacerdotes, non verò Prælati, poſſunt virtute Bullæ communis edere lacticinia in Quadrageſima. *d.2. à n. 45. p.514. & d.5. à n.39. p. 567. & n.169. p.599.*

Miſſa.

Miſſæ auditio in Oratorio diebus feſtis debet ex vi præcepti adimpleri ab impotente adire Eccleſiam extra tempus interdicti, & etiam tempore interdicti, ſi Bullam habeat. *d.2.à n.15.p.509.* An poſſit celebrari virtute Bullæ in Oratorio die Paſchatis, & aliis exceptis? *d.5.ex n.116.p.587.*

O.

Opinio.

OPinione probabili extante circa iuriſdictionem Confeſſarij, & ſi falſa ſit, Eccleſia ſupplet iuriſdictionem. *diſp.2. à n. 123.p. 525.* In Oratorio audiens Miſſam, ſi habeat Bullam, quouis tempore ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, & oppoſitum non eſt probabile. *d.2.à n.25.p.510.*

Opiniones nouæ, & laxæ non docentur ab Authoribus Societatis. *d.5.n.115. p.586.*

Oratio.

Oratio mentalis ſufficit ad lucrandam indulgentiam quandam partialem in Bulla conceſſam ieiunantibus, & orantibus. *diſp. 5. n. 170.p.600.*

Oratorium.

Limitationes quæ ſolent apponi in conceſſione Oratorij, ceſſant reſpectu habentis Bullam Cruciatæ. *d.5. ex num 21.p.563. & ex nu.116.p.587.* Præter eam, quæ iniungitur, non poſſe in Oratorio ſatisfieri præcepto Communionis in Paſchate. *ibi.*

Orato

Digitized by Google

Oratorium à quo Ordinatio approbandum ſit, ad fruendum in eo priuilegiis Bullæ? *ibi ex num.* 128. *p.* 590. Oratoria an poſſit concedere Commiſſarius Generalis Cruciatæ? *ibi ex num.* 133. *p.* 591.

Oua.

Ouorum eſus, an abſque Bulla ſit licitus Laïcis, & Eccleſiaſticis in Dominicis Quadrageſimæ. *d.* 2. *à n.* 56. *p.* 515. & *d.* 5. *n.* 32. *p.* 565. An quamvis ſit prohibitus, poſſunt Eccleſiaſtici, & Regulares ea edere virtute Bullæ communis in illis Dominicis? *d.* 2. *à n.* 71. *p.* 517. & *d.* 5. *à n.* 36. *p.* 566.

P.

Parochus.

PArochus, qui fuit, & actu non eſt Parochus, manet ex ſe approbatus, & eligiblis per Bullam. *d.* 2. *à n.* 133. *p.* 526. & *d.* 5. *ex n.* 141. *p.* 594.

Pauper.

Pauperes mendicantes non habentes Bullam nullatenùs lucrantur indulgentias, etiam extra Cruciatam conceſſas in locis, vbi Bulla viget. *d.* 2. *à n.* 12. *p.* 508.

Pœnitentia Sacramentalis.

Pœnitentiam ſacramentalem applicandam pro defunctis an poſſit Confeſſarius iniungere? *diſp.* 4. *à num.* 57. *p.* 550. Vide *Indulgentia.*

Pontifex.

Pontifex an poſſit reuocare Bullam Cruciatæ? *d.* 1. *à n.* 70. *p.* 506.

Princeps.

Princeps ſæcularis an poſſit componere bona incerta, aut de illis diſponere? *d.* 3. *à n.* 29. *p.* 538.

Priuilegium.

Priuilegia omnia Bullæ ſunt amplè interpretanda, etiam quæ important actualem diſpenſationem. *d.* 1. *à n.* 1. *p.* 495.

Priuilegium conceſſum in Bulla militibus ad non ieiunandum potiùs eſt declaratio ad tollendos ſcrupulos, quàm diſpenſatio. *d.* 1. *à num.* 13. *p.* 496.

Priuilegium nullum ex inſertis in iure, etiam non qualificatum, ſuſpenditur per Bullam Cruciatæ. *d.* 3. *à nu.* 1. *p.* 533. Nec ſuſpenduntur priuilegia Regularium quoad ſæculares. *ibi à nu.* 5. *p.* 534.

Priuilegia Bullæ an reuocari queant, quin ſatisfactio præſtetur? *d.* 5. *ex n.* 7. *p.* 559. Priuilegia conceſſa per modum contractus, ſeu lucratiua, & oneroſa, nequeunt reuocari, abſque præſtita compenſatione, ſi ſit poſſibilis, vel ex vrgentiſſima cauſa. *ibi.*

Puer.

Pueri capaces rationis ante ſeptennium nequeunt edere oua, aut lacticinia diebus prohibitis abſque Bulla *d.* 2. *à n.* 82. *p.* 518.

Purgatorium, & anima Purgatorij.

Purgatorij minima pœna excedit maximam huius vitæ. *d.* 4. *à n.* 1. *p.* 541. Pœnæ in illo minuuntur, etiam quoad intentionem per ſuffragia. *ibi à n.* 9. *p.* 542.

Purgatorij animæ Deum orant pro viuentibus *d.* 4. *à n.* 14. *p.* 543. An detineantur *ibi*, donec reſtituantur bona, quæ in hac vita debebant? *ibi à n.* 18. Eis proſunt ſuffragia viuorum per modum impetrationis. *à n.* 26. *p.* 545. Leuamen eis affert aqua benedicta fuſa ſuper ſepulchra. *d.* 4. *cap.* 2. Vide *Bulla Cruciata. Defunctus. Sepultura. Suffragium.*

R.

Regulares.

REgulares abſolui poſſe virtute Bullæ à reſeruatis, nec extrinſecè eſt probabile. *d.* 1. *à n.* 34. Poſſunt abſolui vi Bullæ à Confeſſario electo à mortalibus non reſeruatis. *ibi n.* 39. & *d.* 5. *ex nu.* 76. *p.* 576. Superior non poteſt concedere licentiam, vt potè inutilem, vt per Bullam à reſeruatis abſoluantur. *n.* 41. *p.* 567.

Regularium priuilegia quoad ſæculares non ſuſpenduntur per Bullam *d.* 3. *à n.* 5. *p.* 534.

Regularis electus per Bullam, ſed prohibitus à ſuperiore, validè excipit Confeſſiones, non autem licitè *d.* 4. *à n.* 71. *p.* 553. Vide *Commiſſarius Generalis Cruciatæ. Interdictum. Oua.*

Reſeruati caſus.

A reſeruatis poteſt abſolui Regularis de licentia vices Prælati gerentis. *d.* 1. *à n.* 44. *p.* 561.

Reſeruationis ignorantia nunquam impedit reſeruationem. *d.* 2. *à n.* 136. *p.* 527. A caſibus reſeruatis aliundè Pontifici, ſi ſint occulti, poteſt abſolui toties quoties virtute Bullæ. *d.* 2. *à n.* 140. *p.* 527. & *d.* 5. *ex n.* 101. *p.* 583. A reſeruatis, quorum quis oblitus fuit in confeſſione, quam habens Bullam peregit, valet poſteà abſolui virtute Bullæ tranſactæ, etiam ſi priùs nec implicitam de eis fecerit mentionem. *ibi à n.* 144. *p.* 595. An extrinſecè ſit probabile, Religioſos poſſe abſolui virtute Bullæ Cruciatæ à caſibus reſeruatis in ſua Religione? *d.* 5. *ex n.* 49. *p.* 569. A reſeruatis poteſt ſæcularis virtute Bullæ abſolui in periculo mortis, ſicut in articulo mortis. *d.* 5. *ex n.* 141. *p.* 594.

Reſtitutio.

Reſtituere an teneatur Beneficiarius, qui recitauit Horas Canonicas cum interna voluntaria diſtractione? *d.* 3. *à n.* 32. *p.* 539.

Rex Hiſpaniarum.

Rex Hiſpaniarum quid debeat præſtare, vt indulgentias Bullæ obtineat? *d.* 1. *à n.* 5. *p.* 495. Non eſt neceſſe, vt accipiat ſummarium Bullæ, in vllo caſu. *ibi n.* 6. *p.* 496. Non tenetur reſtituere, ſi eleemoſynam ex Bulla congeſtam illicitè inſumat: in quo caſu Bulla etiam proderit accipientibus. *ibi à n.* 9.

S.

Saginen.

SAgiminis eſus eſt prohibitus iure communi in diebus ieiunij, & abſtinentiæ à carnibus. *diſp.* 2. *n.* 74. *p.* 517.

Schiſma

Schiſmaticus.

Schiſmaticus an poſſit gaudere priuilegiis Bullæ? *d.1. n.32.p.499.*

Sepultura Eccleſiaſtica.

Sepultura Eccleſiaſtica poteſt quis donari virtute Bullæ in Eccleſia adhuc ſpecialiter interdicta *d. 2. à n.21.p.510.*

Sepulturæ Eccleſiaſticæ vtilitas reſpectu defunctorum declaratur. *d.4.à n.54.p.549.*

Societatis Iesv *Religioſi.*

Societatis Religioſi poſſunt pluribus Bullæ priuilegiis frui abſque licentia ſuorum Superiorum. *d.1. n.47.p.502.*

Societatis Authores nec opiniones nouas docent,nec laxas, niſi aliquis hæreat veſtigiis externorum *d.5.n.115.p.586.* Vide *Commiſſarius Generalis Cruciata, & Regulares.*

Suffragia.

Suffragia per modum impetrationis proſunt defunctis. *d.4.à n.26.p.545.*

Suffragia pro defunctis an Deus infallibiliter acceptet,& an ex iuſtitia,vel ex miſericordia? *d.4. à n. 34.p. 546.* Quod ſuffragium ſit alio magis ſatisfactorium inter eleemoſynam, ieiunium,& orationem? *d.4.à n.44.p.548.*

V.

Vicesgerens Prælati Regularis.

Vices gerens Prælati Regularis abſentis poteſt concedere licentiam ſubditis, vt à reſeruatis abſoluantur. *d.1.à n.44.p.501.*

Votum.

Vota in aliquo caſu poſſunt commutari virtute Bullæ anni præcedentis,& quomodo? *diſp. 1. à num. 55. p.503.* Si Confeſſarius aſſerat, ex nunc commuto votum in materiam à me excogitandam, & deſignandam, ſtatim manet vouens liber ab obligatione primi voti. *diſp.5.n.171.p.600.*

Votum ſuum in euidenter æquale poteſt quis propria authoritate commutare. *d.2. à n.155.p.530.* Poteſt commutari ei, qui petiit commutationem, durante anno Bullæ, poſt terminum illius, quamvis Confeſſarius, in communi adhuc, non commutauerit. *ibi à num. 160.p.531.*

Votum ingrediendi Ordines Militares Regularium non eſt commutabile per Bullam. *diſp.2.num.166. p.532.*

Votum Religionis ſtrictioris poteſt commutari in Ordinem Equeſtrem ſancti Ioannis, & in Religionem collapſam, quæ perſeueret quoad ſubſtantiam. *d.2. à n.167. p.532.*

Votorum commutationis praxis elucidatur. *d. 2. à n. 169.p. 532.*

Voti virtute Bullæ commutatio, non eſt opus, vt fiat integrè in ſubſidium temporale belli contra infideles. *d.5 ex n.153.p.597.*

FINIS.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by